UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Sebast. Izqvierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis Inqvisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS. Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

urn:nbn:de:hbz:466:1-95620

Visual Library

Th. 942a.

T. VIIII. ~~14~~. 16
~~8~~

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. SEBAST.

IZQVIERDO

E SOCIET. IESV.

PHARVS SCIENTIARVM.

R. P. SEBAST.

IZQVIERDO

ALCARAZENSIS SOC. IESV,

SVPREMI S. INQVISITIONIS SENATVS CENSORIS,

ET OLIM COMPLVTI SS. THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

PHARVS SCIENTIARVM.

VBI

QVIDQVID AD COGNITIONEM HVMANAM humanitùs acquisibilem pertinet, vbertim iuxtà, atque succinctè pertractatur.

SCIENTIA DE SCIENTIA, OB SVMMAM VNIVERSALITATEM vtilissima, Scientificisque iucundissima, scientificâ methodo exhibetur.

ARISTOTELIS ORGANVM IAM PENÈ LABENS RESTITVITVR, illustratur, augetur, atque à defectibus absoluitur.

Collegii Societatis Jesu Paderbornæ 1691

ARS DEMVM LEGITIMA, AC PRORSVS MIRABILIS SCIENDI, OMNESQVE Scientias in infinitum propagandi, & methodicè digerendi; à nonnullis ex Antiquioribus religiosè celata; à multis studiosè quæsita; à paucis inuenta; à nemine ex propriis principiis hactenus demonstrata, demonstratiuè, apertè, & absque inuolucris mysteriorum in lucem proditur. Quò veræ Encyclopediæ Orbis facilè à cunctis circumuoluendus, eximio scientiarum omnium emolumento, manet expositus.



LVGDVNI,
Sumptibus CLAVDII BOVRGEAT, & MICH. LIETARD.

M. DC. LIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.




PHARVS. SCIENTIARVM
RESPLENDE
LIZQVIERDO.
V. Guigou fecit



VNIVS ÆTERNI

DEI VNIGENITO FILIO,

PATRI SVO CONSVBSTANTIALI,
coæquali, coæterno:

DEO DE DEO, LVMINI DE LVMINE,
ac Luci Mundi;

DEO VERO DE DEO VERO,
hominique vero, in tempore de
Virgine nato,

REGI DOMINOQVE VNIVERSI,

CHRISTO IESV,

IN QVO SVNT OMNES
thesauri sapientiæ, & scientiæ
absconditi:

PHARVM HANC PRO NAVIGANTIBVS
Scientiarum Pelagus, eiusdem ex lumine derivatam, auxilio
inchoatam, ope perfectam,

EIVSDEM EX SOCIETATE
Socius indignus Offert Consecratque.

SEBASTIANVS IZQVIERDO.

CLARISSIMO PRINCIPI

ATQVE

EMINENTISSIMO DOMINO D. BALTHASARI SANDOVAL, ET MOSCOSO,

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, titulo Sanctæ Crucis in Hierusalem Archiepiscopo Toletano, Hispaniarum Primati, Castellæ supremo Cancellario, à Consilio Status, &c.

CONSENTANEVM est, EMINENTISSIME PRINCEPS, vt in præclarè gestis eius nomine mortales glorientur, cuius auspiciis ad magna ducuntur. Nam sicut obnoxij animi, & infœlicis ingenij est, alienam laudem sibi arrogando præripere; ita tanquam ingenui pudoris plenum commendatur, quibus quæque debentur sponte reddere. Solus insipiens ex alieno superbiet: qui verò sapiat vltroneus gloriam suo Auctori restituet, maximè, cùm id non sòlùm iustitia persuadeat, sed ipsa ratio famæ comparandæ præscribat. Si quidem certa laus est alienæ & impropriæ parcere; pariterque in turpem infamiam vertitur, si quis furtuis laudibus inuigilet. Flumina exeunt ex mari, sed grata

grata se se primæuæ origini restituunt, non solùm in naturæ constantiam, sed in humanæ gratitudinis documentum. Par enim est, vt ibi reponamus, vnde accepimus. Profectò quidquid in hominibus alicuius pretij habetur, mutuum est à diuino Numine acceptum; à quo vtique sumus quodcumque sumus. Cuius veritatis conscius vel ethnicus Philosophus sapienter admonet. Quidquid boni egeris Diog. lib. 1
in Deos refer. *Vt suo quæque referantur Auctori. Scilicet omnia Numini debentur; sed præcipuè ea reddere oportet, in quibus magis Diuinitas splendet: sunt enim magis propria; & quæ, ne vnquam suum dominum negare possint, diuinitatis anulo sigillata nascuntur. Huiusmodi sunt, quæcumque ad virtutem, & animi ornamentum spectant: sed in his non infimum locum obtinent scientiæ, quibus homines spiritualibus assuefacti aliquid supra mortalitatem sapiunt. Sunt enim quædam æternæ Mentis scintillæ, & Solis diuini in tenebrosâ nostræ ignorantiæ nocte radiantes stellæ. Hæc igitur nostra Pharus aliquam lucem studiosis forsitan allatura Paterni intellectus Soboli Sapientiæ genitæ iure optimo dicata prodit, vt sui qualiscumque splendoris fontem repetat; illique cedat gloriam, si quam meretur, à quo suum splendorem emendicauit. Nec aliter fecisse licuit; tum quia exiguum hunc scientiæ riuulum in Diuinæ sapientiæ pelagus, quàsi in amicum centrum, suo pondere properantem nefas esset aliò diuertere: tum quia hæc qualiscumque scientiarum lux ab oleo nominis illius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, vt cumque seiuncta mox extincta deficeret.*

Necesse ergo fuit Christo Domino nuncupari. Verumtamen non adeo arctæ sunt gratitudinis metæ, vt dumtaxat intra diuina munera contineatur, etiam ad humana beneficia protenditur. Potissima illa sunt, sed hæc non adeò contemnenda: gratiæ enim cuicumque munificentiæ debentur. Cum autem adeò profusam erga me Tvæ Eminentiæ *benignitatem expertus fuerim, indignum esset viro religioso, si aliquo monimento conceptam gratitudinem non profiterer; non vt æqualem munificentiæ tuæ rependam vicem; id enim mihi nunquam sperandum fuit; sed vt votis humilibus tester obsequium. Idcirco opus istud beneficiorum ordini congruens dicatum prodit primùm Deo, secundùm Tibi. Deo, quia suum. Tibi, quia multis ex titulis debitum. Deo, vt ab ipso foueatur. Tibi, vt & Eminentiæ Tvæ patrocinio nobilitetur. Itaque hunc meum qualemcumque laborem Tibi post Deum debitum profiteor, & humiliter offero, vt in tuum quoque cedat obsequium; non parum mihi gratulans, quòd Pharus hæc lucem visura etiam sub vmbra tanti Nominis oriatur, fœlixque auspicium sumat sub illo Numine, & sub isto Nomine.*

Profecto vt Tibi vni omnino dicarem multorum exempla inuitabant, sed captum consilium etiam industria fuit amplius commendandi

mendandi operis, quod & Tibi ipsi destinabatur. Sic enim magis placiturum spero: cum Augustinus de germanâ sapientiæ puritate testetur. non ipsa quia virginitas est, sed quia Deo dicata honoratur. August. de Fœlic. *Idem dicturus de scientia, quæ eisdem artibus comparatur, quibus pudicitia colitur. Etenim non hæsitabo, quin hæc scientiarum Pharus Virgineis forsan adumbrata lampadibus, non quia splendida, sed quia Deo dicata à Vigilantissimo Dominici gregis, integerrimoque Pastore honorem adipiscatur. Nec obtrectare licet, quod ad libri patrocinium Vnigeniti Filij Dei, & præclari Antistitis consortium fecerim. Nam primogenitum intellectus fœtum in templo summæ Sapientiæ mihi oblaturo nihil aptius potuit occurrere, quam summum Hispaniarum Sacerdotem adire, vt intemeratis impositus manibus supremo Numini consecraretur.*

Agnosce præterea innoxium debiti obsequij, & gratitudinis æstum; discequeque nouum possessionis genus. Solertia fuit hoc munus quadantenus alienasse, vt ex duplici titulo foret tuum, & quia Tibi dicatum, & quia Deo: quasi tua tua fecerit pietas ea, quæ Dei sunt. Enimuero diuina Bonitas diuitias suas incorruptis Prælatorum animis, de gregibusque sibi commissis egregiè meritis peruias reddit, & quodammodo proprias facit. Sic Philo ausus est cogitare de suo Moyse. Hunc solum memoriæ proditum est sine auro, argentoque ac reliquis opibus regnum administrasse, confisum perspicaci non cæca opulentia, & vt nihil dissimulem, pro suo censu habentem, quidquid Deus possidet. Philo Iudæ. lib. de præmiis & pœnis. *In tantum fastigium euehitur, qui curam aliorum gerens non modo aliena non concupiscit, verum & propria fusè largitur. Meritoque tanto elogio dignus censetur Moyses, qui proscripta tyrãnidis auaritia in Prælatorum exemplar suæ perspicaciæ & vigilanti labori non parcebat, vt bonis Populi parceret. Sed quid dicendum de tua erga gregem Tibi commissum indulgentissima liberalitate? Pia manus in eleemosynas effusa nulli egeno permittit esse, amplius pauperibus erogans, quàm egestas auderet sperare. Nemo indigorum ita est in abdito delitescens, quem tuæ pientissimæ largitatis perspicacia non recreet. Vt miraculi genus sit tantis expensis censum sufficere. Sed te hæc cura non angit.* Confisum perspicaci non cœca opulentia, & vt nihil dissimulem, pro tuo censu habentem quidquid Deus possidet.

Denique, vt verum fatear, non solum tuo obsequio, sed meæ securitati prouidi. Si quidem omnium scientiarum, totiusque omnino sapientiæ fontale principium æternum Verbum Patris oportebat adire; atque adeo ad infinitæ claritudinis Solem Deum ipsum opus erat respicere. Sed quibus oculis contemplarer, qui tanto iubare perstricti non cœcutirent? quibus verbis alloquerer, quæ barbarè & indignè non sonarent? satius mihi fuerit consilium Platonis amplecti

plecti. Prouidendum est ne quasi ex opposito ad Solem conuersi perinde respiciamus Deum, ac si mortalibus oculis conspici possit, tutiùs enim videbimus, si ad imaginem eius respiciamus. *Sed quæ eius imago, quæ accedere trepidantem ad tantæ Maiestatis conspectum metu eximat? ipse Plato subiungit:* Deus nusquam, & nunquam iniustus, sed semper & vbique iustissimus, totam videlicet iustitiæ potestatem complexus: nihilque ei similius, quàm iustissimus homo. *Licet mihi innuisse quod omnes prædicant. Si iustitiæ & sanctitatis insigne illud habentes facit Deo simillimos; mihique exacta & perfecta diuinitatis imago, per quam Deum ipsum aspicerem, suspiceremque quærenda fuit; quem aliũ,* IVSTISSIME PRÆSVL, *nisi te conuenirem virtutum exemplar, Prælatorum normam, egenorum solamen, omnium pientissimum Patrem, demum totius iustitiæ & sanctitatis auidissimum æmulatorem? Scitè ergo per te Pharum istam scientiarum earumdem Fonti Deo vero de Deo vero, subindeque & tibi dicare atque consecrare decreui; vti Dico & Consecro. Vale.*

TVÆ EMINENTIÆ,

Addictissimus atque obsequentissimus
seruus in Christo Domino.

SEBASTIANVS IZQVIERDO.

PRÆFATIO AD LECTOREM

VBI

OPERIS INSTITVTVM, RATIO, ac methodus, eximiaque vtilitas exhibentur.

QVO tibi, Lector benèuole, huiuſce operis inſtitutum, rationem, ac methodum, eximiamque vtilitatem exponam, ſuppono primo. Vniuerſas ſcientias humanas ab intellectu noſtro pro ſtatu præſenti acquiſibiles ad duas omnino reuocari, vt nemo probè ſcientificus diffitebitur; ad Phyſicam ſcilicet, & Metaphyſicam. Phyſicam dico, quæ conſiderat obiectum ſibi propoſitum quoad an eſt, ſeu quantum ad *eſſe* quod habet in ſtatu exiſtentiali. Metaphiſicam autem voco, quæ ſuum obiectum conſiderat quoad quid eſt, ſeu quantum ad *eſſe*, quod habet in ſtatu quiditatiuo. Vnde, obiectum prioris omne ens exiſtens actu, quà tale, amplectitur. Obiectum autem poſterioris omne ens tam impoſſibile, quàm poſſibile comprehendit cum præciſione ab exiſtentia. Et prioris quidem principia ab experientia petuntur. Poſterioris verò à connexione, qua vnaquæque eſſentia de ſuo habet cum ſuis paſſionibus immediatis, próut ex dicendis in decurſu huius operis magis conſpicuum fiet.

Suppono ſecundò. In omni ſcientia humana nihil æſtimabilius eſſe vniuerſalitate. Tum quia, quo obiecta ſunt vniuerſaliora, eò notiora nobis, adeò certiora ſunt. Tum quia, quò vniuerſalior eſt veritas comparata per ſcientiam, eò plures in ſe continet veritates; eoque plurium ſubinde valorem, æſtimabilitatemque ſecum fert. Dixerim vniuerſaliſſimas veritates perinde ac nummos aureos, aut lapides pretioſos ſe habere. Quorum vnum qui poſſidet, ſub modiciſſima quantitate, atque adeò expeditiſſima poſſeſſione poſſidet ingentem aceruum nummorum inferioris metalli. Ex quo patet, quantum interſit ſtudioſiorum humanarum ſcientiarum, comparandis vniuerſaliſſimis veritatibus rerum, ſubindeque vniuerſaliſſimis earum conceptibus ſpeculandis imprimis incumbere.

Suppono tertiò : conceptus vniuersales circa quos , vt circa obiecta versantur scientiæ humanæ , obiectiuique conceptus propterea dicuntur, in duplici differentia esse. Alij enim sunt conceptus primæ intentionis ; alij secundæ intentionis. Dicuntur conceptus primæ intentionis, qui rebus proueniunt aliunde , quàm ab actibus nostri intellectus, eisque conueniunt vt sunt in se. Quales sunt conceptus entis , conceptus animalis , conceptus rationalis , conceptus albi , & cæteri huiusmodi. Conceptus verò secundæ intentionis vocantur , qui rebus proueniunt ab actibus , quibus à nobis intelliguntur , atque adeò illis conueniunt, non vt sunt in se , sed vt obiectiuè sunt in nostro intellectu. Quales sunt conceptus subiecti , conceptus prædicati , conceptus actus significabilis per verbum, conceptus formalitatis distinctæ ab alia per rationem, conceptus generis, & speciei , & cæteri huiusmodi. Esse quippe subiectum , prædicatum , actum , formalitatem , genus , speciem &c. demonstrationes sunt conuenientes rebus , provt obiectiuè sunt in nostro intellectu , suamque proinde trahentes originem ab illius actibus. Porrò inter conceptus vniuersales primæ intentionis pauci sunt vniuersalissimi , si cum iis conferantur, qui minùs sunt vniuersales : quia pauci sunt, qui conueniunt omnibus rebus. Conceptus verò secundæ intentionis ferè omnes sunt vniuersalissimi : quia nullus ferè est , qui rebus omnibus non conueniat , aut certe non possit conuenire , quatenus omnes res sub quouis eorum à nobis conceptibiles sunt. Vnde patet, quantum interfit studiosorum humanarum scientiarum hisce conceptibus secundæ intentionis perscrutandis incumbere , iuxta dicta suppositione secunda. Tum quia bona pars humanæ scientiæ circa illos , vt circa obiecta speculanda versatur. Tum maximè , quia ex non benè explorata , perspectaque eorum natura sæpissimè prouenit , vt circa conceptus primæ intentionis intellectus noster fallatur. Etenim , cùm nos pro statu præsente res cognoscamus, atque adeo illæ nobis appareant , siue repræsententur longè aliter, quàm sunt in se , nisi solerter, probéque sciamus discernere esse, quòd illæ provt sunt in mente nostra obiectiuè, habent, ab esse, quod habent in se se , obnoxij valde deceptioni incedemus. Itaque eximiè confert ob duos titulos prædictos ad veritates Physicæ, & Metaphysicæ, omniumque subinde humanarum scientiarũ perscruandas, & assequendas prædictorum vniuersalissimorum conceptuum secundæ intentionis probè exploratam , perspectamque habere naturam cum suis passionibus. In idem autem recidit , exploratam , perspectamque habere naturam nostrarum intellectionum cum suis passionibus, cum modove intelligendi cuncta , quem pro præsenti statu habemus , naturamque subinde humanæ scientiæ sumptæ latissime (provt illam in hoc opere sumimus) & modi procedendi eius ; ac exploratam , perspectamque habere naturam, passionesque dictorum conceptuum , vtpote à nostris intellectionibus , à nostrove modo intelligendi pro statu præsenti prouenientium , vti dictum est. Vnde tandem concludimr , ad veritates omnes tum physicas , tum metaphysicas omnium omnino scientiarum perscrutandas , & assequendas eximie conferre accuratam speculationem præmittere de natura nostrarum intellectionum , de modoque intelligendi nostro pro statu præsente , de naturaque

naturaque subinde, de modoque procedendi scientiæ humanæ sum ptæ latissimè.

Suppono quartò, vt prorsus certum; Possibilem esse Artem vniuersalem sciendi, qua intellectus humanus ad omnes scientias breuiùs, facilióque acquirendas, ac sine fine propagandas, methodicéque dirigendas mirum in modum adiuuetur. Si enim cæteræ facultates humanæ, longè imperfectiores cum sint, in suis operationibus exercendis, in suisque operibus exequendis tam mirificè artibus adiuuantur, adeò, vt sine arte, quæ per artem fiunt, plerumque ab illis non possent effici, vti in iis cernimus, qui in artibus liberalibus periti sunt nimirum in Musica, Pictura, Statuaria, Statica, Bellica, Architectura, Perspectiua, & aliis: imò, & in iis, qui in illiberalibus, vt Textoria, Sutoria, Sartoria, Fullonica, Lignaria, Ferraria, Plastica, Lapidaria, & cæteris. Quis dubitet, intellectum humanum omnium nostrarum facultatum perfectissimam, arte pariter in suis operationibus exercendis, operibusque exequendis adeò iuuari posse, vt non solum facilius, breuiúsque per artem, quàm sine illa, quidlibet assequatur, sed etiam multa per artem præstare valeat, quæ simpliciter, & absolutè secluſa arte, non valeret? Ob id scientiarum studiosi, præsertim antiquiores in Arte legitima sciendi vestiganda solerter incubuerunt. Eamque nonnullos tenuisse, dissimulasse tamen, & occultasse, vt sua opera, inuentaque miribiliora essent, in ipsis eorum operibus indicium est. Alios varias sciendi artes adinuenisse, & in lucem prodidisse, constat ex sexto Empirico, qui per libros sex contra Mathematicos, & tres hypotheseon Pyrrhoneorum ipsas confutat. Plato Anatyticam adinuenit, tantique Dialecticam fecit, vt in dialog. 7. de Repub. siue de Iusto dicat, sine illa cæcas esse omnes scientias. Postea Aristoteles suam edidit Logicam, quam omnes Peripatetici tanquam genuinam sciendi artem sunt amplexati. Iam verò prope nostra sæcula Raymundus Lullius suam illam Artem mirabilem euulgauit, in praximque deduxit eximio, mirandoque studiosorum eius emolumento, vt eius interpretes testantur. Quam eamdem aliter tamen expositam, auctamque produxit postmodum Petrus Gregorius Tolosanus in eo libello, cuius titulus *Syntaxes Artis mirabilis*, adiectis dein longioribus commentariis, vbi multa profert in huius Artis commendationem; & nominatim lib. 1. cap. 7. præter eius commentatores plures recenset, qui per hanc Artem breui doctissimi euaserunt. Additque, antiquos Hebræos Artem similem inuentricem rationum, imò naturarum excogitasse præstantiorem illa, quam concludunt Cabalistæ per quinquaginta portas lucis quas iterum examinant per tringinta duas semitas sapientiæ, & tres midoth: id est, tres proprietates, siue potentias, nempe Memoriam, Intelligentiam, & Voluntatem. Eiusdem Lullianæ Artis quædam semina sunt, quæ iaciunt Ægidius Moncurtius in suo *Typo omnium scientiarum*, & nouissimè Yuo Parisinus in suo *Digesto sapientiæ*. Tametsi hic ex ipsis Lullianis terminis apertiori via putat se artem adinuenisse omnes humanas scientias in vnam quamdam vniuersalem nectendi, in qua omnium prima principia coniuncta reperiantur. Præterea Cornelius Gemma medicus Louanienſis de Arte Cyclognomica scripsit libros tres, quibus se putat doctrinã ordinum vniuersã, vnaque Philosophiam Hippocratis, Platonis, Galeni, & Aristotelis circulari quadam methodo comprehendisse, cæterisque artibus, ac scientiis inueniendis, atque constituendis viam compendiariam patefecisse. Denique, Fran-

ciſcus de Verulamio Anglus in opere, cuius titulus. *Inſtauratio magna*, præſertim in ſecunda eius parte dicta, *Organum nouum*, multa de vniuerſali ſciendi methodo ſcripſit, ſeu potius ſcribere cæpit. Opus enim delineatum, & inchoactum dumtaxat reliquiſſe videtur. Omitto Rhetoricam Ariſtotelis, Ciceronis, Quintiliani, & aliorum, quæ non eloquendi ſolùm, ſed ſciendi ad eloquendum Artes quædam ſunt. Concludoque ex dictis, vniuerſalem Artem ſciendi non ſolùm inuentu poſſibilem, verum etiam aut plenè, aut maiori ſaltem ex parte iam inuentam, traditamque ab Auctoribus tum antiquioribus, tum etiam recentioribus eſſe.

Suppono quintò Encyclopædiam apud Antiquos celebratiſſimam (quæ latinè ſcientia orbicularis, ſeu circularis dici poteſt) non in aggregato omnium ſcientiarum, vt aliqui putant; ſed in ſpeciali quadam ſcientia conſiſtere ob ſummam ſuam vniuerſalitatem omnes omnino ſcientias humanas atque adeò & ſe ipſam ſuo ambitu complectente: ea autem eſt ſcientia de ſcientia, de ſcibilique in vniuerſum, id eſt, ſcientia habens pro obiecto ſcientiam humanam in toto hoc opere latiſſimè pro omni notitia, pro omnive aggregato notitiarum (humanitus acquiſibili.) Porrò huiuſmodi Encyclopædia duas partes habet. Alteram theoricam, quæ de natura, paſſionibuſque ſcientiæ humanæ, obiectique humanitùs cognoſcibilis, atque adeo ſcibilis provt talis agit: alteram practicam, quæ inſtrumenta præbet, regulaſque ſciendi in omni materia, atque adeò omnem omnino humanam ſcientiam nouis in dies notitiis partis, ac veritatibus inuentis, in infinitum propagandi, methodicéque digerendi. Et hæc eſt Ars vniuerſalis, legitimaque ſciendi, complectens quidem Logicam integram, quæ ars intelligendi perfectiua intellectus eſt: addens tamen inſuper Artem memorandi perfectiuam Memoriæ, & Artem imaginandi perfectiuam Phantaſiæ, & Artem experiendi perfectiuam externorum ſenſuum. Dixi *logicam integram*: quia, quam ex Ariſtotele habemus, nondum integra eſt.

Igitur, huiuſmodi Encyclopædiam, ſeu ſcientiam de ſcientia, & ſcibili in vniuerſum quoad vtramque eius partem tradere operæ, operiſque præſentis intentio eſt. Cuius vtilitas quanta ſit ad omnes ſcientias comparandas (ſi tamen intentioni effectus, vt Deo dante, ſpero, reſpondeat) ex dictis hactenus palam eſt. Prima enim eius pars theorica ob ſummam ſuã vniuerſalitatem non poteſt non eximiam lucem omnibus humanis ſcientiis præbere, iuxta ſuppoſitionem ſecundam, & tertiam. Secunda autem pars practica, cum ſit Ars legitima ſciendi, atque adeò facultates hominum præſtantiſſimas in ſuis operationibus iuuandi, dirigendique, provt demonſtrabitur ex prima, nequit non in exercentibus ipſam perinde, atque cæteræ Artes; imò præſtantius longè quàm illæ, mirandos effectus procreare. Dico autem eam Pharum Scientiarum, quòd nauigantibus ſcientiarum pelagus perſpicuam ſanè, directiuámque lucem præfert.

In iſta autem ſcientia tradenda eadem methodo, quam ipſa pro cæteris omnibus tradendis ſuo loco præſcribet conabor vti. Atque ita illã imprimis ſuis Tractatibus diſtinctam, Tractatus ſuis Diſputationibus, Diſputationeſque ſuis Quæſtionibus dabo. Primus Tractatus de origine, & natura intellectionis humanæ erit: vbi humanorum ſenſuum tam externorum, quàm internorum Philoſophia ſuccinctè præmiſſa, quomodo ex illis ipſa intellectio humana ſumat exordium, explicabo, naturamque dein ipſius intellectionis, & ſpecierum eius, quatenus operis inſtitutum poſcit, exponam. Secundus

Tractatus

Tractatus erit de passionibus intellectionis humanæ, vbi de Veritate, & Falsitate, de Euidentia, & Obscuritate, de Certitudine, & Incertitudine, aliisque huiusmodi veluti affectionibus eius mihi erit sermo. Tertius, & cæteris productior Tractatus erit de obiecto intellectionis humanæ, quatenus tali, quod materia eius, circa quam nuncupari solet: vbi aliquot disputationes ex ea parte Metaphysicæ vniuersaliore quam Primam Philosophiam dicunt, petitas inserere necesse erit, vt de actu, & potentia, de ente, essentia, & existentia, de statibus rerum, de ente possibili, & impossibili, necessario, & contingente de distinctione, & identitate, de vnitate, & pluralitate, de connexione, & oppositione, &c. Doctrina quippe harum disputationum, tũ ad ea, quæ de obiecto scibili in vniuersum tradẽda sunt, tum ad multa huius operis stabilienda certa principia omnino necessaria est. Et quoniam (vt sum iam dudum persuasus) si Metaphysici ex euidentibus principiis, quæ dictarum, aliarumque huiusmodi disputationum materiã ob suam vniuersalitatem suppeditant, demonstratiuè discurrissent, vt fecerunt Geometræ, & Arithmetici, bonam partem demonstratiuæ Metaphysicæ iam texuissent. Quò multas propositiones metaphysicas, quæ modò latent, iam demonstratas, apud omnesque subinde firmas, stabilesque haberemus, eximio profectò emolumento pene omnium aliarum scientiarum, quæ vniuersaliori Metaphysicæ subalternantur, vti innumeras habemus geometricas, & arithmeticas pro cæteris mathematicis disciplinis Geometriæ & Arithmeticæ subalternatis. Idcircò ego, vt initium faciam, & aliis (quo vlterius progrediantur) normam demonstrandi ex principiis mataphysicis præbeam, postquam in singulis prædictis disputationibus metaphysicis, facta terminorum ad eas spectantium diuisione, eorum idoneas explicationes, siue definitiones præmiserim, quæstionem vnicam adiiciam exhibentem propositiones aliquot euidentes, tum per se notas, tum demonstratas ex terminis iam explicatis disputationis tunc præsentis, atque etiam præcedentium inter se collatis compositas. Id, quod etiam prosequar pariter in opere de Deo vno, quod iam cœpi prælo disponere. Iam præsentis quartus Tractatus de terminis, propositionibus, ratiocinationibusque, siue argumentationibus vniuersalissimè sumptis, quæ veluti materia sunt, ex qua omnis humana scientia coalescit, aget. In quinto Tractatu de scientia, & scibili in vniuersum, deque eius proprietatibus, & speciebus, atque adeò de varietate scientiarum agendum est. Sextus denique Tractatus ipsam vniuersalem Artem sciendi cum suis instrumentis, & regulis practicis exhibebit, quo totum opus concludetur.

Quod quidem ita ordinare satagam, vt propositiones demonstratæ principia, & alias propositiones, ex quibus demonstrantur, semper supponant, prout scientiæ demonstratiuæ iura deposcunt. Quinimò in cæteris quæstionibus de materia probabili semper quantum fieri possit curabo, vt propositiones ex iam præcognitis probentur: id enim methodus scientifica semper efflagitat, vt opus ipsum patefaciet suo loco. Quando autem ex doctrina posteà tradenda præsentis propositionis probationem aliquam petere necesse fuerit, vti solet contingere, succinctè, quantum commodè possit, talis doctrina præponetur, eius explicatione, probationeque remissa in suum locum, vt semper, quoad eius fieri possit, ex præcognitis procedatur. In casibus verò vbi notitia aliqua indigeam aliarum materiarum, quæ, vel ad opus istud non spectant, vel eiusmodi sunt, vt de eis in illo ex professo fusè, &

per otium non oporteat tractare, quasdam de eis faciam, ac præmittam hypotheses, quibus breuiter, & summarriè notitia earumdem desiderata, quantum sat fuerit, præbeatur, citatis interim locis Auctorum, vbi ex professo, & fusiùs præbetur. Hoc enim pacto etiam in suis scientiis demonstratiuis solent Mathematici propositiones quasdam ex aliena materia tractas, quas lemmata vocant, ad demonstrandas proprietates materiæ, de qua agunt, inferere.

Conabor demum integrum opus omnibus legibus scientificæ methodi in eo tradendæ, quantum res tulerit, conformare. Ne autem augendo numerum librorum, aut parum, aut nihil scientiam augeam, vt fieri solet, cùm tamen scientia suapte natura sine fine possit augeri, vt planè constabit ex dicendis in hoc opere ipso: perstrictis, qua breuitate possim, quæcumque in probatis Auctoribus idoneè iam scripta circumferuntur, in aliis diuitius insistam, quæ, vel nouiora sint, vel aliquam illis lucem adferre possint. Arbitror enim nihil esse aliud excusa iam, stylo dumtaxat mutato, iterum, atque iterum typis excudere, quam laborem, sumptumque tum excudentium, tum legentium iterum, atque iterum absque vllo operæ pretio multiplicare. Certè, non parum studentium vtilitati consuleretur, si nullus iam liber permitteretur excudi, qui non maiori ex parte accrementum potius doctrinæ in aliis libris iam impressæ, quam repetitionem induceret. Verum enim verò, huic studentium, scribentiumque fastidioso grauamini, ipsorumque inutili laboris, temporis, vitæque dispendio repetendi toties eadem in libris, qui typis mandantur, aliqualem ego fortasse hoc ipso in opere medelam offero, dum Artem mirabilem adinueniendi veritatem in scientiis humanis, easque in dies promouendi, & in infinitum augendi tractabilem, apertam, à mysteriorumque inuolucris exolutam in lucem publicam produco. Ea quippe litterarum studiosi adiuti, dum in quærendi noui, quæ sciant, distinebuntur, à repetendis inutiliter, quæ iam sunt scita, forsan vacabunt. O vtinam votis succedat effectus ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Vnigenitique Filij eius, & Virginis Matris. Vale.

Licencia del Señor Cardenal de Toledo.

DON Balthazar de Moscoso y Sandoual, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apostolica, Cardenal de la Santa Yglesia de Roma, del Titulo de Santa Cruz en Ierusalem, Arçobispo de Toledo, Primado de las Españas, Chanciller mayor de Castilla del Consejo de Estado de su Magestad, &c. Por la presente damos Licencia para que se pueda Imprimir vn Libro Intitulado, *Pharus Scientiarum*, que ha escrito el muy Reuerendo Padre Sebastiano Izquierdo de la Compania de Iesus, Cathedratico, que fue de Theologia en su Colegio de Alcala, y Calificador del Consejo supremo de la Santa Inquisition. Por quanto por Comission nuestra le ha visto y approbado el Dotor Don Francisco de Arando y Mazuelo Canonigo Magistral de nuestra Santa Yglesia, y segun su Censura, en el no hay cosa que se opponga a nuestra Santa Fe Catholica, y piadosa dottrina; sino mucha erudicion prouechosa para la perfeta inteligencia de todas sciencias sagradas y profanas. Dada en Toledo a dos de Matço de mil y seis cientos y cinquenta y ocho años.

EL CARDENAL SANDOVAL,
Por mandado del Cardenal mi Señor.
IVAN ISIDIO PACHECO.

LICENTIA PROVINCIALIS.

EGO Franciscus de Cepedâ Prouincialis Societatis Iesu, in Prouincia Toletana potestate ad id mihi factâ à Reuerendo admodum Patre nostro Goswino Nickel Præposito Generali facultatem facio, vt Liber inscriptus, *Pharus Scientiarum*, à Patre Sebastiano Izquierdo, nostræ Societatis Theologo compositus, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Toleti in Collegio nostro S. Eugenij die trigesimo Ianuarij, anni milleſimi sexcenteſimi quinquageſimi septimi.

FRANCISCVS DE CEPEDA.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV, Roy de France & de Nauarre. A nos Amez & feaux Conſeillers les gens tenans noſtre Cour de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Senechaux, Preuoſts, ou leurs Lieutenans, & à tous nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra SALVT. Noſtre bien amé CLAVDE BOVRGEAT, Marchand Libraire de Lyon, nous à tres-humblement remonſtré qu'il à apporté d'Eſpagne les Oeuures du R. Pere *Sebaſtiani Izquierdo Soc. Ieſu, Pharus omnium Scientiarum mundi.* Auec des autres Liures Manuſcrits d'vn autre Autheur Eſpagnol intitulés. *R. P. Ioan. Euſebij Nierembergij Opera Parthenica, de Super-eximia & omnimodâ puritate Matris Dei.* —— eiuſdem Authoris, *Hieromeliſſa Bibliotheca de Doctrinâ Euangelij, Imitatione Chriſti, & Perfectione Spirituali.* —— eiuſdem Auctoris, *Sylua Catecheſtica.* —— eiuſdem Authoris, *Syllogæ Axiomatum & Inſtitutionum Spiritualium Chriſtianæ Philoſophiæ.* —— eiuſdem Authoris, *Succus Prudentiæ Sacro-politica per D. Paulum Antonium de Tarſia.* & eiuſdem Authoris *alia Opuſcula Theologica.* Leſquelles Oeuures ſont de tres-grande erudition, & fruit pour les gens Sçauants, comme ayant eſté approuées de pluſieurs grands hommes, & ledit Suppliant requiert d'imprimer où faire imprimer leſdites Oeuures, s'il nous plaiſoit de luy accorder nos Lettres ſur ce neceſſaires. A CES CAVSES voulans pour le bien Public fauoriſer l'intention dudit Suppliant, NOVS de nos graces ſpeciales luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces Preſentes, d'imprimer, faire imprimer, vendre, debiter leſdites Oeuures, & autres Liures des deux ſuſdits Autheurs par tous les lieux de noſtre obeyſſance par tel Imprimeur, où Libraire qu'il voudra choiſir, en vn ou pluſieurs volumes, en telles marges & Caracteres, & autant de fois que bon luy ſemblera, durant l'eſpace de vingt-années entieres & accomplies, à compter du iour que chaque volume ſera acheué d'imprimer pour la premiere fois; ET FAISONS tres-expreſſes inhibitions & defences à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoyent d'imprimer, où faire imprimer, vendre, ny diſtribuer durant ledit temps leſdites Oeuures cy-deſſus mentionnées & autres deſdits Autheurs, ſoubs pretexte d'Augmentation, Correction, Rangement de Tiltres, Fauſſes Marges, où autrement en quelque ſorte & maniere que ce puiſſe eſtre. DEFENDONS meſmes à tous Marchands Libraires & autres qui ne ſeront nos ſubiets d'en apporter en ce Royaume de ceux qui pourroient eſtre imprimez hors d'iceluy, le tout ſur peine de trois mille liures d'amande payable ſans depoſt par chacun des contreuenants, & appliquable vn tiers à Nous, & vn tiers à l'Hoſtel-Dieu de Lyon, & l'autre tiers audit Expoſant, où autre par luy choiſi, & confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous deſpens, dommages, & interets, à condition qu'il ſera mis deux Exemplaires de chacune deſdites Oeuures en noſtre Bibliotheque publique, & vn autre en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur Seguier, Cheuallier, Comte de Gien, & Chancelier de France, auant que l'expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes; du contenu deſquelles; NOVS vous mandons que vous faſſiez iouïr & vſer pleinement & paiſiblement ledit Expoſant, & ceux qui auront droit de luy, ſans qu'il leur ſoit fait ny donné aucun empeſchement; Voulons auſſi qu'en mettant au commencement où à la fin dudit Liure vn Extrait des Preſentes, elles ſoient tenües pour deüement ſignifiées & que foy y ſoit adiouſtée, & aux Coppies collationnées par vn de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. MANDONS au premier de nos Huiſſiers où Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution des Preſentes tous Exploits neceſſaires, ſans demander autre permiſſion. CAR tel eſt noſtre plaiſir, DONNE' à Lyon, le vingtieſme iour du mois de Decembre, l'an de grace, mil ſix cens cinquante-huict, & de noſtre Regne le ſeizieſme, ſigné par le Roy en ſon Conſeil, CATELAN, & Seellé du grand Seau de Cire iaune ſur ſimple queüe.

INDEX

INDEX
TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, ET Quæstionum huius Operis.

TRACTATVS I.

De origine & natura intellectionis humanæ. *pag.1*

DISPVT. I. De origine intellectionis humanæ pro statu præsente. p.1
Quæst. 1. Per quid iuuetur intellectus humanus ad pro ducendam intellectionem. p.1
Quæst. 2 Quorumnam obiectorum species, & quonammodo per sensus nostros deriuentur ad intellectum. Vbi per 34. hypotheses tota nostrorum sensuum externorum & internorum philosophia succinctè præmittitur, p.5
Quæst. 3. Quousque intellectus humanus ad intelligendum pro hoc statu indigeat conuersione ad Phantasmata. p.41
DISPVT. 2. De natura intellectionis humanæ. p.48
Quæst. 1. Inquo intellectio humana consistat. Et quid sit verbum mentis. p.53
Quæst. 2. Quotuplex sit intellectio humana. p.53
Quæst. 3. Qua ratione intellectus humanus ea insensata obiecta concipiat, quæ per species alienas obiectorum sensatorum intelligit. p.59
Quæst,4. In quo consistat iudicium humanum. Qualisque sit natura eius, & quale obiectum. p.82
Quæst. 5. In quo consistat discursus intellectus humani. Qualisque sit natura eius. Et quale obiectum. p.102

TRACTATVS II.

De accidentibus intellectionis humanæ. *pag.110*

DISPVT. III. De veritate & falsitate humanæ intellectionis. pag.110
Quæst. 1. Quid sit, in quove consistat veritas, falsitasque cognitionis in vniuersum, atque adeo humanæ intellectionis. p.110
Quæst. 2. An veritas, & falsitas formalis solis iudicatiuis cognitionibus insit. An verò etiam simpliciter apprehensiuis. p.117
Quæst. 3. Vtrum veritas, & falsitas formalis ita suscipiat magis, & minus, vt vna cognitio magis aut minus vera, vel magis aut minus falsa, quam alia, esse possit: pag.119
Quæst 4. Vtrum quæuis cognitio iudicatiua; atque adeo etiam quæuis propositio vocalis ita debeat esse vera, vel falsa, vt nec possit veritatem simul, & falsitatem habere; nec possit veritate simul, & falsitate carere. p.120
Quæst. 5. Vtrum ex duabus propositionibus contradictoriis altera vera, & altera necessario esse debeat. p.125
Quæst.6. Vtrum eadem propositio, atque etiam idem iudicium humanum de vero in falsum, aut de falso in verum successu temporis transire possit. pag.125
Quæst. 7. Quid sit, in quove consistat veritas, falsitasque obiectiua rerum. pag.127
DISPVT. IV. De euidentia & obscuritate humanæ intellectionis. p.130

Quæst.

Quæst. 1. Quid sit euidentia, quid obscuritas humanæ intellectionis. p. 130
Quæst. 2. Quotuplex sit euidentia, obscuritasque intellectionis humanæ. p. 133
Quæst. 3. Vtrum aliquod iudicium humanum euidens simul, & falsum possit existere. p. 136
Quæst. 4. Vtrum aliqua intellectio humana clara simul & obscura, siue euidens, & non euidens esse possit. p. 16
Quæst. 5. Vtrum possint esse simul in eodem intellectu duo actus intellectionis eiusdem obiecti, quorum alter sit clarus, alter obscurus. p. 137
Quæst 6. Vtrum motiuum ad actum intellectionis alias obscurum, & motiuum ad actum clarum de eodem obiecto simul ad eumdem numero actum possint partialiter concurrere. p. 141
DISPVT. V. De certitudine humanæ intellectionis, atque adeò etiam de incertitudine opposita. p. 144
Quæst. 1. Quid sit, & quotuplex certitudo humanæ intellectionis. p. 144
Quæst. 2. Quænam insuper de certitudine intellectionis humanæ restant dicenda. p. 146
DISPVT. VI. De probabilitate, oppositaque improbabilitate humanæ intellectionis. p. 147
Quæst. 1. Quid sit opinio probabilis, & quid improbabilis. p. 147
Quæst. 2. Quid requiratur, & sufficiat, vt opinio aliqua sit probabilis. p. 149
Quæst. 3. Quænam opinio probabilior censenda sit, & præferenda aliis, p. 151
Quæst. 4. Vtrum omnis opinio speculatiuè probabilis practicè quoque probabilis censenda sit. p. 153
Quæst. 5. Quousque liceat ex antecedente certo, aut probabili elicere conclusionem probabilem. p. 153
DISPVT. VII. De dependentia à voluntate intellectionis humanæ. p. 159
Quæst. 1. Qua ratione intellectus in suis actibus eliciendis subdatur dominio voluntatis. p. 159
Quæst. 2. Vtrum assensus antecedentis ad assensuum consequentis determinet, siue necessitet. p. 164
Quæst. 3. Vtrum, stantibus pro vtraque parte contradictionis fundamentis inclinantibus ad eius iudicium, penes arbitrium hominis sit iudicare vtramuis. p. 165

TRACTATVS III.

De obiecto intellectionis humanæ. p. 167

DISPVT. VIII. De obiecto humanæ intellectionis & primum de Actu obiectiuo in vniuersum. p. 167
Quæst. 1. Quonam sit obiectum humanæ intellectionis in vniuersum. p. 167
Quæst. 2. Quid sit actus in vniuersum. p. 168
Quæst. 3. Quotuplex sit actus. p. 169
Quæst. 4. Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ seu perse notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur. p. 171
Quæst. 5. Quænam sint requisita intrinsecè ad cenceptum actus primi, siue potentiæ proximæ. p. 181
DISPVT. IX. De ente, essentia, & existentia, atque de opposito non ente. p. 189
Quæst. 1. Quid sit ens, quid essentia, quid existentia in vniuersum. p. 189
Quæst. 2. Quotuplex sit ens, quotuplex essentia, & quotuplex existentia. p. 191
Quæst. 3. Quid sit negatio entis in vniuersum. p. 193
Quæst. 4. Quotuplex sit negatio. p. 201
Quæst. 5. Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentis collatis. p. 203
Quæst. 6. Vtrum essentia, & existentia distinguantur inter se, & qua ratione. p. 216
DISPVT. X. De variis statibus entium, seu rerum, atque adeo obiectorum intellectus humani. p. 220
Quæst. 1. Quid sit status rerum existentialis, quid status quiditatiuus, seu obiectiuus, quid status conditionatus, quid absolutus, & quotuplex. p. 220
Quæst. 2. Quid sit status rerum vagus, seu disiunctiuus, & quotuplex. p. 242
Quæst. 3. Quid sit status existentialis rerum de futuro, de præsente, & de præterito, & quotuplex. p. 249
Quæst. 4. Quænam veritates obiectiuæ in speciali pertineant aut ad singulos status de quibus in præcedentibus quæstionibus tractatum est. p. 259

Quæst.

Quæst. 5. Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ seu perse notæ, eliciantur. p.265
DISPVT. XI. De possibilitate, impossibilitate contingentia, & necessitate entium, seu rerum, atque adeo obiectorum intellectus humani. p.269
Quæst. 1. Quid sit possibile in vniuersum. Quid possibilitas. Et quotuplex. p.269
Quæst. 2. Quid sit impossibile in vniuersum. Quid impossibilitas. Et quotuplex. p.274
Quæst. 3. Quid sit contingens in vniuersum. Quid contingentia. Et quotuplex. p.283
Quæst. 4. Quid sit necessarium in vniuersum. Quid necessitas. Et quotuplex. p.283
Quæst. 5. Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ seu per se notæ, seu, &c eliciantur. p.285
Quæst. 6. Qua ratione possibile, impossibile, contingens, & necessarium sub nostrum intellectum cadant. p.288
DISPVT. XII. De entibus rationis, p.291
Quæst. 1. Quid sit ens rationis. p.291
Quæst. 2. Vtrum ens rationis in complexo obiectiuo partium inter se pugnantium consistat, quarum singulę, nulla dempta, veræ, & reales sunt. p.295
Quæst. 3. An denominationes extrinsecæ, vel semiextrinsecæ sint entia rationis, aliquodve ens rationis involuant in conceptu suo. p.297
Quæst. 4. Quotuplex sit ens rationis. p.299
Quæst. 5. Vtrum Deus cognoscat entia rationis, & illa faciat. p.301
DISPVT. XIII. De identitate, & distinctione entium seu rerum, atque adeo obiectorum intellectus humani p.307
Quæst. 1. Quid sit identitas, & quotuplex. p.307
Quæst. 2. Quid sit distinctio, & quotuplex p.308
Quæst. 3. Quænam propositiones euidentes, aut alias certæ seu perse notæ, eliciantur. p.310
Quæst. 4. Quænam obiecta intellectionis humanæ realiter sint distincta inter se. p.314
Quæst. 5. Vtrum formalitates eiusddem entis identificatæ formaliter ex natura rei sint, aut esse possit distinctæ ante omnem actum intellectionem, atque adeo independenter ab illa. p.318
Quæst. 6. Vtrum in diuinis formalitatibus, aut etiam in creatis distinctio aliqua virtualis sit admittenda. p.327
Quæst. 7. Quomodo dissoluenda sint argumenta superioribus opposita. p.334
Quæst. 8. Vtrum formalitates identificatæ realiter per nostram rationem distinguantur. p.341
Quæst. 9. Vtrum formalitates identificatæ realiter ita per rationem nostram distinguantur, vt aliæ ab aliis ex parte obiecti, siue obiectiue præscindantur. p.346
Quæst. 10. Vtrum circa prædicata etiam transcendentia intellectus noster obiectiue præscindat. p.377
Quæst. 11. Vtrum per intellectum Dei, aut aliorum videntium intuitiuè formalitates identificatæ realiter in Deo ipso, aut etiam in creaturis obiectiuè præscindi possint. p.381
Quæst. 12. Vtrum perfectiones diuinæ aut etiam creaturæ ab intellectu Dei, vel aliorum intuitiuè videntium aliquod genus distinctionis rationis subire possint, aut etiam subeant. p.389
DISPVT. XIV. De connexione deque oppositione entium, atque adeo obiectorum intellectus humani. p.392
Quæst. 1. Quid sit relatio in vniuersum, & quotuplex. p.393
Quæst. 2. Quid sit connexio rerum, & quotuplex. p.398
Quæst. 3. Quid sit oppositio rerum, & quotuplex. p.400
Quæst. 4. Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ seu per se notæ, eliciantur. p.401
Quæst. 5. Quomodo obiecta intellectus prout talia relata, connexa, aut opposita esse possint, vel etiam sint. p.409
DISPVT. XV. De ordine, siue ordinatione entium, seu rerum, atque adeo obiectorum intellectus humani p.1
Quæst. 1. Quid sit ordo, siue ordinatio rerum, & quotuplex. p.1
Quæst. 2. Quid sit ordo prioris & posterioris, & quotuplex. p.2
Quæst. 3. Quid sit simultas rerum, & quotuplex. p.6
Quæst. 4. Vtrum prioritas naturæ aliquibus in casibus impediatur, & qua ratione. p.7
Quæst. 5. Qualiter ex pluribus ordinibus naturæ vnus, & idem cõponi possit p.9
Quæst. 6. Vtrum prioritas & posterioritas ad seriem connexionis pertinens non solum in connexione metaphysica, sed etiam in physica, & morali fundari possit. p.10
Quæst. 7. Quænam propositiones euidentes

dentes, aut aliàs certæ seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis, pag. 11.
DISPVT. XV. De similitudine, & dissimilitudine. Deque æqualitate, & inæqualitate entium, seu rerum. Atque adeò obiectorum intellectus humani, p.18
Quæst. 1. Quid sit similitudo, oppositaque dissimilitudo rerum, & quotuplex. p.18
Quæst. 2. Quid sit æqualitas. Oppositaque inæqualitas rerum, & quotuplex. p.19
Quæst. 3. Quænam propositiones euidentes, aut alias certæ seu per se notæ, seu demonstratæ exterminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis. p.20
Quæst. 4. Vtrum actus in vniuersum ita à suis subiectis & terminis specificentur, vt non possint non esse specie diuersi, quotiescumque aut subiecta specie diuersa, aut terminos specie diuersos habent. p.24
DISPVT. XVII. De vnitate, & multitudine entium, seu rerum, atque adeò obiectorum intellectus humani. p.28
Quæst. 1. Quid sit vnum, quid vnitas, & quotuplex. p.28
Quæst. 2. Quid sit multitudo, quid multa, & quotuplicia, p.31
Quæst. 3. Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ seu per se notæ, seu demonstratæ exterminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis. p.32
Quæst. 4. Quid sit vniuersale. p.33
Quæst. 5. Vtrum independenter ab operatione intellectus detur à parte rei vniuersale, aut aliqua vnitas multis communis, atque adeò minor vnitate numerica, qua vnum est in se quoduis singulare. p.34
Quæst. 6. Qualis sit vnitas ab intellectu oriunda, qua constituitur vniuersale. Qualis etiam aptitudo eius ad essendum in pluribus, & ad præprædicandum de illis. p.35
Quæst. 7. Quotuplex sit vniuersale. p.44
Quæst. 8. Quod fundamentum requiritur ex parte obiectorum ad faciendum vniuersale. pag. 50
Quæst. 9. Quid sit particulare correlatiuum vniuersalis, & quotuplex. p.57
Quæst. 10. Quid sit singulare, seu indiuiduum. pag. 57
Quæst. 11. Quotuplex sit singulare, seu indiuiduum. p.58
Quæst. 12. An dari possit vna ratio communis indiuiduis. p.59
Quæst. 13. Quid sit genus. Quotuplex, & quale. pag. 63
Quæst. 14. Quid sit species. Quotuplex, & qualis. pag. 67
Quæst. 15. Quid sit differentia. Quotuplex, & qualis. p.69
Quæst. 16. Quid sit prædicabile anonymum. Quotuplex, & quale. p.72
Quæst. 17. Quid sit prædicabile mixtum. Quotuplex, & quale. p.72
Quæst. 18. Quid sit propria passio siue proprietas. Quid item passio communis. Quotuplex, & qualis, p.74
Quæst. 19. Quid sit accidens proprium. Quid commune. Quotuplex, & quale. p.82
Quæst. 20. An dentur prædicabilia, seu prædicata aliqua transcendentia, & qua ratione illa transcendant, quo pacto sint discernenda à non transcendentibus. p.84
Quæst. 21. Vtrum entis, aliorumque prædicabilium transcendentium conceptus aliquis obiectiuè vnus, atque communis multis detur. p.93
Quæst. 22. Vtrum ens aut alia transcendentia vniuoca sint, aut analoga comparatione eorum, quæ dicuntur transcendere. p.86

TRACTATVS IV.

De Termino, Propositione, atque Argumentatione. Deque eorum speciebus, quæ sunt veluti materia, ex qua omnis scientia humana coalescit. pag. 103

DISPVT. XVIII. De terminis, p.103
Quæst. 1. Quid sit terminus. c.103
Quæst. 2. Quotuplex sit terminus. p.104
Quæst. 3. Quid sit suppositio termini, & quotuplex. p.107
DISPVT. XIX. De propositionibus. p.110
Quæst. 1. Quid sit propositio, & quotuplex. pag. 110
Quæst. 2. Qua ratione propositiones simplices categoricæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquiualentes. p.114
Quæst. 3. Qua ratione propositiones simplices hypotheticæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquiualentes. p.123
Quæst. 4. Qua ratione propositiones complexæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquiualentes. p.126
Quæst. 5. Qua ratione propositiones modales oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquiualentes. p.137
Quæst. 6. Quid sit, & quotuplex propositionum conuersio. Et qualiter vnaquæque propositio conuertenda veniat. p.153
Quæst. 7. Quid sit quæstio, & quotuplex. p.165
Quæst. 8. Quid sit propositio per se nota. Quid nota per aliud. p.166
DISPVT. XX. De argumentationibus. p.175
Quæst. 1. Quid sit argumẽtatio, & quotuplex. p.175
Quæst. 2. Quid sit syllogismus, & quotuplex. p.177
Quæst. 3. Qua ratione Ars categoricorum syllogismorum de medio communi, sit construenda, vt demonstratiua sit. p.177
Quæst. 4. Qua ratione Ars categoricorum syllogismorum de medio singulari sit construenda. p.203
Quæst. 5. Quænam Artes pro syllogismis hypotheticis. Et qualiter construi possint. p.212
Quæst. 6. Quænam Artes pro syllogismis ex complexis. Et qualiter construi possint. p.220
Quæst. 7. Quænam Artes pro syllogismis modali. Et qualiter construi possint. p.222
Quæst. 8. Quid sit Enthymema, & quotuplex. Quænamque pro enthymemate vniuersales Artes construi possint. p.227
Quæst. 9. Quid, & quotuplex sit Inductio, & quænam pro Inductionibus regulæ vniuersales præscribi possint. p.228
Quæst. 10. Quid sit dicendum de Argumentatione, quæ ex terminis obliquis, aut ex terminis infinitis

infinitis componitur: p. 229
Quæst. 11. Quid sit argumentatio demonstratiua, seu demonstratio; Quotuplex, & qualis. p. 230
Quæst. 12. Quid sit argumentatio probabilis, quid improbabilis. Quotuplex, & qualis. p. 234.
Quæst. 13. Quid sit argumentatio, aut etiam propositio fallax, seu deceptoria. d. 234
Quæst. 14. Quid sit argumentatio complexa. Quotuplex, & qualis. p. 237

TRACTATVS V.

De scientia humana, de obiectoque per ipsam scibili in vniuersum. p. 239

DISPVT. XXI. De natura scientiæ humanæ sumptæ vniuersè, & obiecto eius, qua tali. Deque varietate, & quiditate singularum scientiarum. p. 219
Quæst. 1. Quid sit scientia humana; quid obiectum humanitùs scibile in vniuersum. p. 239
Quæst. 2. Quotuplex sit scientia humana; quotuplexque obiectum per ipsam scibile sumptum similiter, p. 241
DISPVT. XXII. De accidentibus humanarum scientiarum, earumdemque obiectorum provt talium, p. 261
Quæst. 1. Qua ratione intellectus humanus acquirat scientiam. p. 261
Quæst. 2. Qualiter obiecta scibilia sint inter se ordinata, & quo ordine possint illa cadere sub scientiam humanam. p. 263
Quæst. 3. Quousque scientia humana per nouas veritates indies inuentas; per veteresque errores indies detectos augibilis sit successu temporis. p. 269
Quæst. 4. Quænam præterea de scientiis humanis quæstiones hîc ab Auctoribus tractari soleant. p. 275

TRACTATVS VI.

De Instrumentis, Regulisque sciendi, atque adeò de Arte mirabili quamlibet scientiam compendiaria via addiscendi, tractandi, docendi, ac sine fine propagandi. Tum de re quauis pariter sine fine dicendi, seu differendi. p. 277

DISPVT. XXIII. De natura, siue essentia, existentiaque, & accidentibus Artis vniuersalis sciendi. p. 277
Quæst. 1. Quid sit Ars vniuersalis sciendi. p. 277
Quæst. 2. An sit possibilis, aut etiam de facto detur Ars vniuersalis sciendi, qualis in præcedente q. exposita est. p. 278
Quæst. 3. In quo vnice consistat, ex quibusve instrumentis & regulis vnice constet Ars vniuersalis sciendi p. 278
Quæst. 4. Quid, & qualiter censendum sit de methodis sciendi hactenus vulgò traditis, p. 280
DISPVT. XXIV. De Obseruatione. p. 281
Quæst. 1. Quid sit obseruatio, & quotuplex. p. 291.
Quæst. 2. Qualiter generatim loquendo obseruatio facienda sit. p. 291
Quæst. 3. Qualiter obseruatio experimentalis facienda sit. p. 293
Quæst. 4. Qualiter obseruatio idealis, & obseruatio doctrinalis faciendæ sint. p. 286
DISPVT. XXV. De Compositione. p. 297
Quæst. 1. Quid sit compositio, & quotuplex. p. 297
Quæst. 2. Qualiter compositio facienda sit in ordine ad scientiam. p. 298
DISPVT. XXVI. De Diuisione. p. 299
Quæst. 1. Quid sit diuisio, & quotuplex. p. 300
Quæst. 2. Qualiter diuisio facienda sit in ordine ad scientiam. p. 300
DISPVT. XXVII. De Definitione. p. 302
Quæst. 1. Quid sit definitio, & quotuplex: p. 302
Quæst. 2. Qualiter facienda sit definitio in ordine ad scientiam. p. 304
DISPVT. XXVIII. De Locatione. p. 305
Quæst. 1. Quid sit locus, & quotuplex. p. 305
Quæst. 2. Qualiter sint loci constituendi, parandi, & trahendi in vsum in ordine ad scientiam. p. 308
DISPVT. XXIX. De Combinatione. p. 319
Quæst. 1. Quid sit combinatio, & quotuplex. p. 319
Quæst. 2. Qualiter determinandum sit, quotnam omnino combinationes effici possunt ex quouis terminorum numero dato intra vnamquamque ex tredecim speciebus combinationis expositis quæstione 1. p. 321
Quæst. 3. Qualiter practicè sint faciendæ combinationes terminorum ad vnamquamque ex 13. speciebus recensitis q. 1. spectantes. p. 338
Quæst. 4. Ad quam materiam scientiarum regulæ combinationum traditæ q. 2. & 3. sunt applicandæ, & qua ratione. p. 353
Quæst. 5. Qui fructus ex combinationibus in omnibus scientiis humanis sunt colligendi, & qua ratione. p. 354
DISPVT. XXX. De Argumentatione. p. 358
DISPVT. XXXI. De Translatione. p. 359
Quæst. 1. Quid sit translatio, & quotuplex. p. 359
Quæst. 2. Quam vim in scientiis humanis habeat translatio, & qualiter in ordine ad illas facienda sit. p. 360
DISPVT. XXXII. De Memoratione. p. 361
Quæst. 1. In quo consistat Ars memorandi, & quænam sint munera eius. p. 361
Quæst. 2. Quam vim habeat Ars memoriæ localis, & qualiter ea in praxim, deducenda sit. p. 367
DISPVT. XXXIII. De Traditione. p. 369
Quæst. 1. Quid sit traditio, & quotuplex. p. 370
Quæst. 2. Quænam sint Traditionis regulæ ad tradendam quamlibet scientiam dirigentes. p. 370

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PHARVS SCIENTIARVM.

TRACTATVS I.

De origine, & natura intellectionis humanæ.

DVAS tantùm disputationes habebit hic Tractatus. In quarum prima, quæstione secunda, per quasdam hypotheses tota Philosophia sensuum externorum, & internorum succinctè tradetur. Vt inde appareat, quomodo omnis nostra intellectio à sensibus sumit exordium. In secunda autem de natura nostræ intellectionis; atque adeò apprehensionis simplicis, iudicij, & discursus. Déque modo, quo cuncta pro statu præsente per species rerum sensibilium intelligimus, differetur.

DISPVTATIO PRIMA.

De origine intellectionis humanæ pro statu præsente.

IN hâc disputatione de principiis præsertim physicis tam remotis, quam proximis, à quibus suam ducit originem humana intellectio, sermo erit.

QVÆSTIO PRIMA.

Per quid iuuetur intellectus humanus ad producendam intellectionem?

1 HVmanum intellectum appello eam hominis facultatem, quæ intelligendi, & ratiocinandi principium est. Intellectio autem humana dicitur ipsa operatio, siue actus intelligendi. De cuius vtriusque existentia nemo, qui ratione polleat, dubitare potest. Cum sit certissimum tam inter Catholicos, quàm inter Ethnicos Philosophos intellectum humanum potentiam quandam esse animæ rationalis; intellectionem autem, actum talis potentiæ.

2 Quanquam autem aliqui ex Græcis Philosophis hallucinati posuerint intellectum nostrum potentiam materialem, siue corpoream, atque passiuam esse influxum recipientem ab intellectu quodam agente, quem substantiam separatam esse putabant, aut inferiorem Deo, aut ab ipso Deo indistinctam. Certissimum tamen, & prorsus indubitabile est, esse illum potentiam animæ nostræ rationalis, omnino spiritualem, & incorpoream. Id, quod docuit Arist. *lib. 3. de Anim. cap. 3.* & cum eo omnes Peripatetici, præsertim Catholici. Deduciturque plane ex dogmate Catholico, quo credimus animam rationalem hominis spiritualem esse, vt habetur ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. in *cap. Firmiter. de summa Trinitate, & fide catholicâ*, & in alio Concilio Later. sub Leone 10. *sess.* 8. constatque ex multis Scripturæ locis, & ex multis Patribus apud Conimb. *lib. 2. de Anim. cap. 1. q. 1. art. 6.* & apud Soar. *lib. 1. de Anim. cap. 9.* De quo videri possunt Albert. *lib. 3. de Anim.*

tract.2. cap. 4. Soar. *lib.* 4. *de Anim. cap.* 8. Rub. *Tract. de intellectu possib. q.*1. & alij Recentiores.

3 Vtrum autem potentia intellectiua realiter distinguatur ab anima, vel secus, sub controuersia est. Affirmant Thomistę communiter, quos referunt,& sequuntur Conimb.*lib.2.de Anim. cap.3. q.*4.Soar. *disp.*18. *Metaph. sec.* 3. Tolet. *lib.* 2.*de Anim.cap.*4.*quæst.*9.Valent.*tom.*1.*disp.*6.*quæst.*32. *punct.*2.Rub.*lib.*2.*de Anim.tract.de potentiis animæ quæst.*1. & Vazq.1.2. *disp.*14.*cap.*3. vniuersaliter putantes potentias vitales tam materiales, quàm spirituales realiter ab anima, atque à substantia animalis esse distinctas; esseque accidentia quędam, seu proprias passiones ipsius animæ, vel substantiæ; Nominales verò, & Scotistę omnes cum Scoto *in* 2.*dist.*16.*quæst.vnicâ.*Pet. Hurt. *disp.*4. *de Anim.sec.*4. Arriag. *disp.* 3. *de Anim. sec.*3.*subs.*4.Ouied.*cont.*3.*de Anim.punc.*2.Franch. Alph. *disp.* 6. *de Anim.sect.* 2. & alij Recentiores communiter docent nullam potentiam vitalem esse substantię superadditam; sed prorsus esse ab illa indistinctam realiter: atque ita potentias, quę proprię sunt solius animę, vt intellectus, & voluntas,cum anima identificari: Cum composito autem, quę sunt compositi. Alij verò tertiam sententiam mediam sequentes, potentias spirituales faciunt idem cum anima; materiales autem superadditas esse dicunt. Ego etsi sententiam primam probabilem putem, magis tamen in secundam inclino,eo potissimum argumento ductus, quod non sunt multiplicandę de facto entitates sine necessitate; neque necessitas apparet ponendi eiusmodi potentias substantię superadditas. Et quod pro hac sententiâ apertè videntur stare August. *tom.* 1.*lib.*10. *Confess.cap.*14.*tom.*9. *tract.*15.*in Ioan.tom.* 10. *serm.* 3.*de temp.* & clarius *tom.*3. *lib. de Spiritu, & animâ cap.* 3.*&* 13. Si tamen hic liber est eius.Isidor. *lib.* 11. *Ethymol.cap.*1. & Bern. *serm.*11.*in Cant.* de quo plura apud Authores citatos.

4 Addo cum doctoribus secundę sententię, esto intellectus, & voluntas realiter distinguerentur ab anima, fore nihilominus vt substantia animę cum illis immediatè deberet concurrere ad operationes intelligendi, & volendi (quo potissimum fundamentum sententię oppositę arbitrantis, substantiam immediatè operatiuam non esse, infirmatur) quoniam alioquin neque operationes liberę voluntatis essent imputabiles animę, neque principium volitiuum; sed intellectiuum dumtaxat cognosceret obiectum amandum: subindeque volitiuum in incognitum ferretur per suum amorem, quod vtrumque est absurdum. Addunt prętera Recentiores ne per rationem quidem nostram distingui formaliter potentiam intellectiuam ab anima; idemque censent de volitiua, & reliquis; eo quòd nulla est necessitas distinguendi per rationem potentiam à substantia cum qua realiter idem est. Falluntur tamen citra dubium, vt constabit ex dicendis *disp.* 2. *q.*4. Vbi ostendemus omnem actum siue primum, siue secundum necessariò distingui per rationem à subiecto,cuius est actus, necessitate quidem,non tam ex rebus ipsis nata, quàm ex nostro modo cognoscendi pro prętenti statu.

Iam cum apud omnes sit conspicuum intellectum nostrum non per se ipsum; sed per actum intelligendi sibi superadditum, sibique accrescentem intelligere;quandoquidem modò intelligens, modò non intelligens est, vt experientia monstrat. 5

Tum huiusmodi actum in ipso intellectu residere,aut intime ipsi annexum esse, vt etiam experientia est notum. Circa influxum tamen intellectus in talem actum dissidium quondam fuit. Nam quidam putarunt omnem potentiam cognoscitiuam ad cognoscendum merè passiuè se habere, neque vllum concursum effectiuum prætare, censentes alij cognitionem in sola passione, seu receptione speciei impressæ consistere;speciem autem ab obiecto potentiæ imprimi siue immediatè, vt accidit sensibus externis, siue mediatè, vt accidit intellectui,& sensui interno. Alij intellectum speciatim ab alio principio recipere intellectionem ipsam, nempe ab actu phantasiæ, aut ab alia potentia dicta intellectu agente; cum tamen ea non intelligat, sed quæ recipit intellectionem. Prioris opinationis fuerunt Venetus,Nyphus, Gotfridus, Caietanus, & alij:Posterioris, Almaynus, Durandus,Ocham,Gabriel, & Alliacensis apud Conimb. *lib.*2.*de Anim.cap.*6.*q.*1. Rub. *ibid.q.* 1.*& tract.de actu intell.poss.q.*2. & Soar.*lib.* 3. *de Anim.cap.* 3. *&* 4. Vera tamen, & iam ab omnibus recepta sententia est, intellectum humanum effectiuè ad intellectionem concurrere; Pariterque de aliis potentiis creatis tum cognoscitiuis, tum etiam appetitiuis censendum esse. Sic S. Th. 1.*p.q.*27.*art.*1. & ibi eius interpretes Conimb. Soar.& Rub. *locis citatis*, & apud eos alij plures, & omnes Recentiores.

Et quidem, quòd nulla cognitio in sola recep- 6
tione speciei impressæ possit consistere, est manifestum;quia sæpe tam in sensibus externis, quàm in intellectu sunt tales species receptæ, quin resultet cognitio, vt experientia monstrat in dormientibus,aut aliò distractis. Vniuersaliter autem, quòd nulla potentia cognoscitiua recipiat cognitionem ab alio principio constat primò; quia effectio cognitionis vitalis est, atque adeo à principio vitali necessariò prodire debet: Quale esse non potest nisi sit intrinsecum viuenti. Ponere autem intra viuens duo vitalia principia; aliud factiuum cognitionis;aliud cognoscitiuum in sententia probabiliori non distinguente potentias vitales à substantia viuentis impossibile est. Absolutè autem superuacaneum, & à ratione alienum:quia nullum aptius ad producendam cognitionem potest excogitari principium, quàm ipsa potentia cognoscitiua.Secundo, quia voluntas nostra non potest non causare effectiuè suum amorem liberum, cum libertas necessariò exposcat actiuitatem in principiò libere operante, vt dicendum alibi. Tum eam de facto non se habere merè passiuè in Trident. sess.6.can.4.definitur. Ergo idem dicendum de intellectu, & de alia quauis potentia cognoscitiua; quia eadem est ratio, quod ad rem attinet de potentiis appetitiuis, ac de cognoscitiuis. Nec refragatur Arist.dum *lib.*2.*de Anim.cap.* 5.docet, sensum esse potentiam passiuam. Et *lib.*3.*cap.*4. intelligere esse quoddam pati. Nam, vt expendit noster Aquilonius *lib.*1.*suæ Opticæ propos.*71.iis tantum vult sensum, & intellectum speciem ab obiecto pati, aut sane pati etiam à se ipsis obiecti cognitionem: Quo eorum actio non excluditur. Porro intellectum recipere in se etiam intellectionem,vt potentiam passiuam eius,nemo est, qui dubitet:quia nec potest operari independenter à subiecto,vt est commune omni causæ creatæ, nec aptius aliud subiectum, quàm ipsum potest excogitari ad talem recipiendam operationem; imò repugnat aliud in sententia non distinguente realiter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ter ab anima potentias spirituales eius, qualis necessariò esse debet potentia receptiua intellectionis, vtpote actus spiritualis. Quo iure idem censent omnes de voluntate. De aliis verò actibus cognitionis, & appetitus materialibus certum est etiam, aut in potentiis ipsis, aut saltè in organo corporeo, cui tales insunt potentiæ recipi ob proportionalem rationem.

7 His ita stabilitis accedens iam ad scopum præsentis quæstionis, suppono, vt certum, intellectum non determinari à se ipso ad producendam intellectionem. Nam, cum non sit potentia libera, sed naturalis, & necessaria in suis operationibus, si nihilo alio à se distincto, & denuò adueniēte indigeret, vt in suos prodiret actus, semper esset in intellectione continua eorum, quæ intelligere potest. Quod planè absurdum est. Deinde, quia intellectus plura successiuè potest cognoscere; secus verò omnia simul; necessarium omnino est, vt aliquid successiuè accedat quo nunc ad hoc obiectum, nunc ad aliud cognoscendum determinetur, siue id sit species impressa, siue aliud quidpiam. Quod hic suscipimus examinandum. Dicitur autem species impressa in vniuersum ea forma accidentalis, quæ vel ab obiecto deriuata, vel aliunde comparata, siue prouisa vim habet determinandi, iuuādique potentiam cognoscitiuam ad eliciendam cognitionem talis obiecti. Quæ etiam species intentionalis absolutè vocari solet. Tametsi hoc nomen speciei item expressæ commune sit.

8 Igitur variæ in hac re fuerunt antiquorum sententiæ. Nam Plato, quemadmodum omnia corporea ad diuinæ ideæ imaginem facta esse putauit; & eamdem similitudinem eius in sese, quoad eorum natura pateretur, gerere, ita mentem nostram vtpote à Deo etiam natam impressas illorum formas in se, non rerum ipsarum participatione, sed primæ ideæ habere docet; per quas cuncta intelligat. Itaque initium omnis intellectionis, & scientiæ in animi ponit ideis naturæ inditis ab initio. Sensus verò ad ideas illas, seu formas, specieſvè excitandas conferre; quippe, quæ corporis grauitate consopitæ sunt, & magna ex parte obliteratæ. Hinc in Menone, Phædone, aliisque in locis omnem scientiam nostram appellat, velut prioris vitæ recordationem. Putabat enim animas hominum priusquam in corpora immergerentur, extitisse, & vixisse, sibique congenitas habuisse omnium rerum ideas, siue notiones. Auicena autem *lib. 6. Natur. part. 5. cap. 6. & 7.* species etiam, seu formas intelligibiles ponit in animâ inditas à naturâ: quibus ad intelligendum iuuetur. Differt verò à Platone, quòd putat huiusmodi species successu temporis infundi ab intelligentiis separatis; atque etiam transacta intellectione perire. At Plato ab initio creationis animæ inditas, & semper permanentes ponebat. Arist. verò, & cum eo omnes Peripatetici, & plerique ferè alij Philosophi existimarunt omnem omninò nostri intellectus cognitionem à cognitione sensuum ortum habere; neque esse aliquid in mente nostra insitum à naturâ præter intelligendi vim, quo possit ad intelligendum iuuari. Eam enim initio esse instar cuiusdam rudis tabulæ, in quâ nihil depictum sit; donec sensuum ministerio acceptis sensibilium rerum formis, seu speciebus, paulatim sibi depingit cæterarum rerum imagines; ita habet Arist. lib. 3. de Anim. tex. 14. & sæpe alibi. Vnde subdit tex. 39. *Et ob hoc qui non sentit aliquid, nihil vtique addisceet, neque intelliget.* Aristotelem sequuntur omnes Philosophi nostrates, atque Theologi cum S. Th. 1. p. q. 84. art. 3. & 4. qui oppositam sententiam damnat tanquam errorem in Philosophiâ. Quam nihilominus ex parte amplexus est Sebastianus Faxius Philosophus non ignobilis nostri sæculi in lib. de demonstratione n. 4. vbi docet. Neque omnia intelligi à nobis per formas, seu species sensibilium rerum à sensibus suppeditatas, vt Arist. statuit, neque omnia per formas, seu ideas inditas à naturâ, vt voluit Plato; sed pleraque priori modo, posteriori autem quædam, nimirum, quæ notissima sunt, & ad notiones communes spectant, vt totum esse maius sua parte; bonum esse appetendum, &c.

Inter eos tamen, qui cum Arist. fatentur cuncta 9
per species sensibilium rerum per sensus haustas à nostro intellectu cognosci, adhuc supereſt dissidium quoddam. Aliqui enim dixerunt intellectum nostrum non per species sibi impressas iuuari ad intelligendum, vti ad sentiendum sensus iuuantur; sed immediatè per ipsum actum, siue speciem expressam sensus nostri corporei interni, siue Phantasię, quem actum, aut speciem Phantasma vocare solent (tametsi valde impropriè, vt dicemus postea) ita ex antiquioribus Peripateticis Themistius, Theophrastus, & Auempace. Ex Theologis autem Henric. Duran. Bachon. & alij apud Conimb. *lib. 3. de Anim. cap. 5. q. 3. art. 1.* & Rub. *tract. de intell. poss. q. 2.* Cum quibus sentit ex parte Ouiedo *contr. 5. de Anim. punct. 3.* dum ait ad intelligendum obiectum sensatum non per speciem impressam; sed per sensationem internam eius iuuari immediatè intellectum. Reliqui tamen scholastici vno ore asseuerant intellectum nostrum per species sibi immediatè impressas cuncta intelligere. Quæ quidem species à rebus dumtaxat sensibilibus, atque ab externis, interniſque sensibus suam originem ducunt. Atque adeò præter ea, quæ sensus capiunt, reliqua omnia obiecta per species alienas à nostro intellectu cognosci; hoc est per species proprias sensibilium rerum; vel, quæ ab speciebus eorumdem sensibilium originem trahunt. Ita Alex. Albert. Bonauent. Richard. Schot. & alij, quos referunt, & sequuntur Conimb. & Rub. suprà S. Th. 1. *p. q.* 55. *art.* 1. & læpe alibi: & reliqui omnes Theologi, atque Philosophi prisci, ac moderni.

Propositio 1.

Intellectus noster nullas habet species à naturâ 10
sibi congenitas, vt dicebat Plato. Neque pro tempore ab intelligentiis, aut à Deo infusas, vt putabat Auicena. Sed quæcumque cognoscit per species sibi acquisitas ministerio sensuum cognoscit.

Hæc propositio iam citra omne dubium est constans inter omnes Philosophos, & Theologos. Nec de ea videtur inter Catholicos dubitari posse, ob consonantiam, quam habet cum principiis fidei. Probari autem potest primò; quia, quæcumque à nobis intelliguntur, aut sunt obiecta sensibilia; aut adinstar sensibilium apparent, vt experientia constat: ergo nihil nobis repræsentatur per species infusas; sed cuncta per sensibilium species. Si enim darentur species infusę, saltem comparatione obiectorum, quę per sensus non intrant, ea vtique non adeò obscurè, & instar sensibilium rerum; sed vt in se sunt apparerent: deberent enim tales species citrà omne dubium propriè, esse quia alienę frustrà infunderentur quando, tam copiosum earum prouentum

nobis sensus suppeditant. Constat autem propriarum specierum proprium esse repræsentare, vt in se sunt singula obiecta, quorum sunt propriæ.

11 Secundò, vel dantur species infusæ, aut inditæ insensibilium rerum duntaxat; vel etiam præterea sensibilium. Si primùm. Ergo, qui cœcus natus est, nullum omnino conceptum formare poterit de colore, aut lumine, quod planè contrà experientiam est. Cum constet cœcum à natiuitate perinde agere de coloribus, eosque concipere, atque res alias, quarum species non accepit per sensus. Si autem secundum dicatur, nempè omnium omninò obiectorũ dari species infusas: sequitur cœcum à natiuitate tam proprium conceptum de coloribus habiturum, quàm alij, qui intuentur colores. Quod etiam est contrà experientiam, cum constet eiusmodi cœcum instar aliorum sensibilium colores apprehendere.

12 Tertiò, si anima haberet species infusas, independenter à sensibus operari posset, & intelligere, quod etiam constat falsum esse. Nec satis est, si respondeas sensuum operationes necessarias esse, vel vt excitentur species congenitæ, vt volebat Plato: vel vt anima conuertatur ad intelligentiam agentem, & infundentem species, vt Auicena putabat. Quoniam sensiones materiales non videntur habere proportionem ad excitandas species infusas rerum adeo alienarum ab accidentibus sensibilibus, vt sunt quædam, quas homo nescit. Nec videtur conuenienter dici posse; aut species naturaliter inditas, vt eas posuit Plato, naturaliter etiam posse frustrari omni effectu, si forsan sensus non operentur, aut intelligentiam, seu Deum expectaturum sensus operationes, vt species infunderet, iuxta Auicenæ Philosophiam: quandoquidem tales operationes cum plerisque obiectis cognoscendis proportionem non habent. Tum, vt plurimùm nulla esset ratio, cur hæ potius quàm aliæ species aut excitandæ essent, aut infundendæ.

13 Quartò denique si per species infusas beneficio sensionum aut excitatas, aut denuò infusas cognosceremus, nullo nobis opus esset discursu intellectus; sed satis esset curare multa, & varia sentire; vt multæ nobis, & variæ species intellectuales excitarentur, aut darentur; quæ semel excitatæ, vel datæ, mox propriorum obiectorum iudicium singulæ procrearent. Quo etiam fieret, vt nulla in nobis dubitatio, formido, aut error esse posset; Quæ omnia planè sunt absurda; & contra experientiam.

14 Ex quibus constat contra Foxium, ne aliquorum quidem obiectorum esse in nobis species inditas à natura; sed omnes notiones communes, quantumuis eæ sint claræ, virtute nostri intellectus, atque iuuamine specierum sensibilium in nobis gigni, vt ex dicendis in decursu patebit amplius.

15 Nec solum obiecta naturalia, seu naturaliter cognoscibilia cognoscit homo pro statu præsenti per species rerum sensibilium; sed etiam supernaturalia, seu, quæ sub cognitionem supernaturalem cadunt. Itaque ad nullam supernaturalem cognitionem earum, quibus à Deo iuxta ordinariam prouidentiam donamur, quales sunt actus fidei, actus prudentiæ infusæ, & reliquæ huiusmodi sanctæ cogitationes, infunditur nobis ab ipso species supernaturalis; sed per easdem species naturales oriundas à sensibus, per quas naturales, dictos etiam supernaturales actus cognitionis concipimus. Ita sentiunt omnes Theologi communiter, quos refert, & sequitur Ripalda noster *tom. 1. de ente supern. disp. 54. sec. 1.* Vasq. *1. 2. disp. 79. n. 47.* Salas *1. 2. tract. 10. disp. 3. n. 18.* Coninc. *2. 2. disp. 16. n. 15.* Turrian. *2. 2. disp. 38. dub. 5.* Molin. *in concor. q. 14. art. 13. disp. 8. & seqq.* Ant. Perez. *in Laurea Salmanti. certam. 6. scholast. n. 33.* Ægid. de Præsentat. *lib. 11. de Beat. q. 5. ar. 2. n. 21. & q. 8. ar. 6. §. 2. n. 13.* Soar. *lib. 2. de Attrib. c. 15. n. 6. & lib. 6. de grat. c. 14. n. 10. 13. & 14.* & alij vnanimiter asserentes, aut supponentes actus prædictos in nobis dependenter à Phantasmatibus, ab speciebusque subinde obiectorum sensibilium progigni. Etenim, vt intellectus noster eiusmodi actus supernaturales concipiat, speciebus supernaturalibus nequaquam eget; nam vt ipse naturalis cum sit à Deo potest eleuari, vel per habitum infusum, vel per auxilium extrinsecum sibi indebitum ad tales actus eliciendos, ita pariter species alienæ naturales, vt illum ad id muneris adiuuent, eleuari possunt. Aliundéque experientia compertum est non aliter apparere nobis obiecta per actus supernaturales, quàm per naturales; imo nos nequimus discernere, quinam sint naturales, & quinam supernaturales; tam similis est vtrorumque modus repræsentandi obiecta. Id solum experimur, & scimus per omnes nos simili modo ad instar sensibilium rerum cuncta cognoscere. Quod argumento est manifesto tam actus supernaturales, quàm naturales in intellectu nostro per species alienas sensibus haustas generari. Quod insuper alia facta argumenta proportione seruatâ probant. Accedit, quod si ad actus supernaturales species nobis infunderentur à Deo; eæ vtique in Baptismo simul cum habitu fidei, aliisque donis permanentibus ad actus supernaturales necessariis infunderentur, vt benè ponderat Ripalda. Quo fieret, vt homines externâ, & naturali instructione Ecclesiæ ad credendum fide diuinâ non indigerent, quin imo independenter à Phantasiâ, & consequenter ab omni etiam dispositione corporeâ vsu rationis expedito pollerent in omni ætate ad exercendos omnes supernaturales actus, ad quos haberent species infusas. Quod vtrũque est absurdum. Accedit præterea, quod, qui in scientiis naturalibus versati sunt, melius, quàm rudes concipiunt mysteria supernaturalia, dum circa illa per fidẽ, aut alios actus supernaturales versãtur; quod etiã nõ obscurè arguit eiusmodi actus per species naturales ab obiectis naturalib. oriũdas peragi.

Addo illustrationes supernaturales extraordinarias; quales interdum habent contemplatiui etiam vsque ad raptum, & ecstasim per species itidem naturales solere fieri, quia huiusmodi illustrationes rarissimè, aut ferè nunquam fiunt independenter à Phantasmatibus, mediâ videlicet notitiâ, seu scientiâ per se infusâ, qualem solum constat habuisse Christum D. aut etiam B. Virginem. Imò quoties in ecstasim rapiunt, id ex vehemẽte attentione sensus materialis interni nascitur, vt latè docet Soar. *to. 2. de Relig. lib. 2. c. 17.* Omnis autem operatio nostri intellectus à Phantasmatibus dependens eo ipso per species alienas rerum sensibilium transigitur, vt ex dicendis *in seqq.* apparebit. 16

Propositio 2.

Omnis intellectio nostrâ ab specie intelligibili, vt vocãt, ipsi intellectui impressa promanat; nõverò ab actu, seu specie Phantasiæ (quod abusiuè Phantasma appellant) immediatè concurrente cum intellectu. 17

Hæc propositio est contrà Duran. & alios relatos n. 9. Quam, vt probem, suppono id, quod experientia ipsa videtur demonstrari, & nemo negare potest, inferiusque ex professo ostenditur; dari videlicet in nobis memoriam intellectiuam, seu rationalem

tionalem, quâ recordamur eorum, quæ prius intelleximus. Vnde duplex ad rem genus intellectionis circa obiectum quoduis sensibile in nobis distinguendum est. Alia enim est primaria, quâ primò intellectus noster in eiusmodi obiectum incidit. Alia secundaria, & memoratiua; quâ obiectum semel iam cognitum rursus versamus. Ad cognitionem autem secundariam obiecti sensibilis cognitionem insensibilis obiecti reducimus; quia hæc, vt constabit ex dicendis plerumque, aut semper habetur per speciem in memoria asseruatam. Atque ita comparatione speciei secundaria est, etiamsi sæpe sit primaria comparatione obiecti; de quo iterum redibit sermo *q. 3. hypoth. 3.* Igitur propositio nostra pro vtraque cognitione tribuit speciem intellectui.

18 Et quidem de cognitione memoratiuâ certissimum esse videtur non ab actu Phantasiæ prouenire immediatè; sed ab specie impressa intellectui, eumdemque iuuante ad operandum. Primò, quia ex sensione interna, vt fatentur omnes, relinquitur in memoriâ sensitiuâ species impressa, quâ iterum sentiri possit idem obiectum: ergo potiori iure ex cognitione intellectiuâ primariâ relinquitur in memoriâ rationali species impressa, quâ iterum intellectus possit idem obiectum intelligere. Alioquin nulla in nobis esset memoria intellectiua præteritorum contra suppositionem factam. Secundò, quia concors est omnium Theologorum, Philosophorumque sententia animam rationalem, cum separatur à corpore, ferre secum species rerum, quas hîc cognouit, vt earum meminisse possit in eo statu separationis. Igitur eiusmodi etiam speciebus meminit in statu præsenti eorum, quæ prius intellexit.

19 Iam verò, quod non solùm ad cognitiones memoratiuas, & secundarias, sed etiam ad primarias dentur species impressæ, atque inhærentes intellectui probari potest. Primò, quia vniuersaliter loquendo vnio obiecti cum potentiâ cognoscitiuâ necessaria est ad cognitionem, vt omnes fermè Philosophi, Theologique confitentur, teste Soar. *lib. 3. de Anim. cap. 1. n. 4.* Huiusmodi autem vnio respectu intellectus nisi per species obiectorum ipsi intellectui inhærentes, congruè non potest fieri. Ob id enim Arist. *lib. 2. de Anim. cap. 12.* & *lib. 3. cap. 1. aliàs 4.* dixit oportere vt intellectus fieret quodammodo ipsa intelligibilia per receptionem formarum, seu specierum eorum, vt illa posset intelligere. Quod etiam docet S. Thom. *1. p. q. 12. art. 2.* & *q. 14. art. 2.* Et quidem cum potentiæ reliquæ cognoscitiuæ hominis ad omnes suos actus iuuentur per species intrinsecè sibi inhærentes, provt ostendemus *q. sequente*, non est cur intellectus vel ad primarias intellectiones iuuetur actu Phantasiæ extrinseco sibi: maximè cùm ad memoratiuas, & secundarias species impressas acquirat, vt statutum est. Videtur enim non parùm consentaneum, vt ad vtrasque operationes similibus adiuuetur principiis: cum operationes ipsæ similes sint. Secundò, si actus Phantasiæ ad primariam obiecti intellectionem, simul cum intellectu immediatè concurreret, haberet vtique virtutem ad concurrendum semper: cumque semper adsit in nobis eiusmodi actus, quando intellectus intelligit idem obiectum, vt dicendum est *infrà, q. 3.* fieret, vt species talis obiecti reseruata in memoria superflua esset, proindeque non reseruaretur contra doctrinam statutam. Ne ergo talis species, quæ sanè reseruari semper dicenda est, superflua sit; dicendum necessario videtur actum Phantasiæ non habere virtutem ad causandam, per se intellectionem; sed tantum speciem impressam, à quâ fit intellectio.

Ex dictis igitur concluditur omnem intellectionem nostram pro hoc statu, atque omnem speciem impressam intellectui, cuius virtute fit, à sensibilium rerum speciebus suam originem capere. Ita quidem, & quemadmodum sensus externi sensui interno subministrant species, quibus ipse eadem obiecta sentire possit, vti exponemus *q. sequente.* Ita etiam sensus internus species intellectui suppeditat, vt eadem obiecta sensata intelligere valeat. Intellectus autem virtute, quam habet sublimiori eorundem sensibilium obiectorum speciebus vtitur ad cognoscenda reliqua non sensata, vt explicabimus *inferius disp. 2. q. 3.* 20

De potentiâ tamen Dei absolutâ benè potest intellectus humanus absque vllo obiecti concursu, siue per speciem, siue per actum Phantasiæ præstito intellectionem elicere. Quia non est cur Deus talem concursum supplere nequeat, vt contra Ægidium de Præsent. *lib. 8. de Beat. p. 2. q. 4.* docent communiter Doctores. De quo suo loco latius agemus, cum sermo sit de visione Dei. Videantur interim Molina *1. p. q. 12. art. 5. disp. 1.* Valent *ibid. pun. 3.* Vazq. *disp. 46. cap. 2.* Arrub. *disp. 20.* Herice. *disp. 47. cap. 2.* Alarc. *Tract. 1. disp. 3. c. 4.* Soar. *lib. 2. de Attrib. cap. 16.* Salas *1. 2. tract. 2. disp. 5. sect. 4.* Et apud eos alij plures docentes in simili Beatum immediatè adiutum à Deo speciali concursu posse sine specie impressa, & sine lumine gloriæ visionem intuitiuam elicere, quâ videat ipsum Deum. 21

QVÆSTIO II.

Quorumnam obiectorum species, & quonam modo per sensus nostros deriuentur ad intellectum?

HAbere homines quinque omnino sensus externos, Visum videlicet, Auditum, Odoratum, Gustum, & Tactum, prorsus indubitatum est. Tradiderunt id Plato *in Theæteto.* Arist. *lib. 3. de Anim. cap. 1.* & cum eis vniuersi interpretes, tam recentes, quàm prisci. S. Thom. *1. p. q. 78. art. 3.* & cum eo reliqui Theologi. Aug. *lib. 2. de Genes. ad litt. cap. 2.* & *lib. de quant. Animæ cap. 23.* Hieron. *in Psal. 141.* Greg. *Homil. 17. in Ezech.* Damasc. *lib. 2. fidei cap. 18.* Nyssen. *Orat. 6. in Cant.* & cum eis alij Patres. Ipsaque experientia manifestissimè demonstrat. Per quam etiam constat apertè Visum in oculis, Auditum in auribus, Odoratum in naribus, Gustum in linguâ, & palato, Tactum denique in toto corpore, tanquàm in propriis organis residere. Organum quippe appellatur ea pars corporis, in quâ sensus corporeus residet. Vocamus autem Visum facultatem videndi, Auditum facultatem audiendi, & reliquos pariter. Nec minus certum, & exploratum est apud omnes, esse in nobis, quemadmodum in brutis est, præter istos quinque sensus externos, internum alium magis vniuersalem, qui externorum sensationes, earumque obiecta percipit, & discernit, aliaque insuper circa illa munera exercet provt & experientia itidem clarè notificat, & ex dicendis in decursu clarius notescet. 22

Igitur cum per huiusmodi sensus species intellectui 23

lectui noſtro ſubminiſtrentur ad intelligendum vniuerſa, quæ intelligit, vti *ſuperiori quæſt.* ſtatutum eſt; vt luculentiùs iciatur, quo pacto id fiat, & quænam, qualeſque ſint tales ſpecies, operæ pretium erit hypotheſes aliquot præmittere de naturâ, proprietatibus, obiectiſque dictorum ſenſuum, collectas ſcilicet ſummatim, quantum ad præſens inſtitutũ viſum fuerit expedire; ex iis, quæ à me fuſiori calamo ſunt ſcripta *Tract. de ſenſu, & ſenſibili.*

Hypotheſes de ſenſibus externis in particulari.

Hypotheſis Prima.

24 Viſio in tunica retina celebratur; in eademque ſubinde reſidet facultas, ſeu potentia viſiua.

Ita tenent Recentiores doctiſſimi atque in re quidem ad Matheſim ſpectante peritiſſimi, quibus ego plus defero in hac parte, quàm reliquis, contra Auicen. & alios ponentes viſionem in iunctura neruorum opticorum, apud Auctores mox referendos; contra Recentiores quoſdam attribuentes vim cernendi ſpiritui animali. Contra Rub. *lib. 2. de Anim. tract. de ſen. viſ. q. 8.* Arriag. *diſp. 5. n. 42.* Ouied. *cont. 4. pun. 1. num. 3.* & alios Recentiores arbitrantes cum Galeno ſedem propriam viſionis eſſe humorem Cryſtallinum. Et contra Tolet. *lib. 2. de Anim. q. 17.* & Aguilonium *lib. 1. Opticorum propoſit. 17.* cenſentes præcipuum organum viſus eſſe tunicam araneam ſecundum eam partem anteriorem, quâ humorem Cryſtallinum obuoluit. Pro quorum omnium intelligentiâ ſtructuram, ſeu compoſitionem oculi humani explorare neceſſe eſt; & quidem accuratè, quia ab eius exactâ notitiâ, non parum dependet recta Philoſophiâ huius ſenſus.

25 Igitur omiſſis partibus externis, quibus veluti vallatur oculus, vt ſunt palpebræ, cilia, ſupercilia, &c. oculum ipſum tribus humoribus, & quinque tunicis compactum eſſe vno ore fatentur omnes. Qui enim ſeptem tunicas numerant, in re non diſſentiunt; ſed duas earum quinque in quatuor partes diuidentes, hoc ſolùm nomine numerum augent. Hæc, vt faciliùs apprehendantur, ſpectanda eſt depicta figura, quæ ſectionem oculi per medium diſſecti à parte interna repræſentat.



In quâ A. humor quidem eſt, qui *Cryſtallinus*, ſeu *Glacialis* vocatur; atque circumcirca complexus, obuolutuſque, & concluſus à membranâ illâ, ſeu tunica, à quâ ipſum A circumdatum eſt, quæ adiectis particulis B. C. dicitur *Aranea*, eſtque valde tenuis, & pellucida. Figura autem Cryſtallini humoris à parte extimâ lenticularis eſt, à parte interiori magis globoſa. Totum ſpatium D. humore alio plenum eſt, qui dicitur *Vitreus*. Tunica autem, quâ immediatè circumuoluitur vitreus humor B. E. *retina*. Cum araneâque continuatur in B. vt patet. Totum ſpatium C. F. plenum eſt tertio humore, qui dicitur *aqueus*, ſeu *albugineus*; tunica autem ſupra retinam cadens, cuius extrema pertingunt vſque ad G. dicitur *vuea*, vt quæ vuæ acino, detracto pedunculo, ſimilis eſt. Foramen autem G, per quod humor aqueus continuatur, dicitur *pupilla*: (tametſi ab aliquibus pupilla, perperam tamen nuncupetur ea pars oculi, vbi viſio celebratur, quæ apud ipſos eſt Cryſtalloidis, ſiue humor Cryſtallinus:) Tunica verò, quæ immediatè contegit vueam, dicitur *Cornea*; eo quod perdura fit, & tranſparens. Vltima tunica L. quæ finitur in H, *adnata*, *alba*, *adhærens*, ſeu *coniuncta* ſolet vocari: quæ quidem à Pericranio porrigitur, vt oculum foueat. In ſpatiis autem M, pinguedo quædam occluditur. Omnes autem tunicæ, vt figura exhibet, neruum quemdam compingunt N, qui neruus *opticus* appellatur.

En oculi miram architecturam, circa quam alia 26
quædam notanda ſunt. Primò Cryſtallinum humorem, qui (vt diximus) non eſt exactè ſphæricus, non eſſe in centro oculi poſitum, ſed magis vergere in partem anteriorem. Secundò, tunicam vueam intus nigram eſſe; exterius verò ſæpe ſubuiridem, quandoque glaucam, interdum cæſiam, aut alterius coloris, vt in ſingulorum hominum oculis cernimus; Cum tamen tunica adnata ſemper ſit alba, & denſa, vti etiam experimur. Tertiò foramen vueæ, ſiue pupillam conſtringi ſolere, & dilatari, non pro arbitrio; ſed cùm neceſſitas impellit; vt ſcilicet contractione parum vehementioris luminis oculus admittat, dilatatione verò plurimum debilioris. Quartò neruos opticos vtriuſque oculi à cerebro deſcendere; qui cum abiuncti exeant in medio itinere coniunguntur per contactum dumtaxat, amplioreſque effecti inde diſcedunt à communi congreſſu, non ſe ſe decuſſatim interſecando, ſed proprio cuiuſque retento tramite priori, ſeu dextro, ſeu ſiniſtro. Quintò neruos opticos perforatos eſſe, vt per eorum foramina, ſiue poros ſpiritus animales à cerebro defluant ad oculos. Qui quidem ſpiritus lucidi ſunt naturâ ſuâ; ſunt namque quaſi è genere ignis; flammæque ignis elementaris quodammodò reſpondent. Ob id perpetuo motu per ſuos poros deflagrant. Aluntur autem, ſuſtinenturque à quadam ſubſtantiâ ſimili oleo, quæ ſpiritus, innatique caloris fundamentum eſt; vocaturque à medicis humidum primigenium, vulgo humidum radicale. Sextò, ſeptem præterea muſculos in ſingulis oculis numerari, quorum virtute oculi ipſi variis mouentur motibus, vt experimur. In totius autem oculi ſeu motu, ſeu quiete ſitus omnium partium adeò ſtabilis perſeuerat, vt axis opticus, qui omnia centra tunicarum, & humorum rectè pertranſit fixus, conſtanſque perſiſtat, neruo dumtaxat optico, qui propè eam oſſis partem, quâ in cauum traiicitur, flexibilis eſt, circumacto. Atque ita oculi inter ſe ſunt ſociati, vt vno moto, alterum pariter moueri neceſſe ſit. Quorum ſane vniformitas in motu ſummæ vtilitatis eſt ad functiones cernendi. Septimò. In oculo humano nullum

videri

videri lumen esse à naturâ insitum, quo ad videndum homo iuuari possit, vti animalia quædam iuuari videntur: dum noctu suam alimoniam, aut aliud quidpiam quærunt, & consequuntur. Quorum oculorum splendor ab spiritibus animalibus videtur promanari. Octauò denique humores oculi omni colore expertes esse, ne cuncta infecta appareât eo colore, quo dicti humores tingerentur natura suâ. Hæc omnia, quæ de structurâ oculi summarie collegimus, non aliunde, quàm ex Anatome, siue incisione, vel etiam ex experientiâ constare possunt, inde autem constare testantur Anatomici, & Physici, vt videre est apud Aguilon. *lib. 1. Optico. à propos. 1. vsque ad 22.* vbi argumentum hoc fusè, & accuratè pertractat.

27 Igitur visionem in tunicâ retinâ fieri, ibidemque subinde residere facultatem videndi ex ipsâ structurâ oculi non obscurè colligitur, iuxta quam non potest non in tunicâ retinâ depingi imago obiecti per crystalloidem traiecta, & ad breuissimum spatium redacta. Vbi autem imago obiecti depingitur, ibi dicendum est citrà dubium celebrari visionem. Vti enim dioptra, siue vitrum conuexum omnes species, radiosve susceptos ita confringit, vt eos in puncto determinato, aut sanè in spatio breuissimo post traiectum colligat; provt experimur, dum radiis solaribus eiusmodi vitrum opponimus; ita etiam id ipsum præstat humor crystallinus, qui dioptra quædam naturalis est oculo confringens, coniungensque in retinâ radios per pupillam traductos, redigensque eo pacto ad breue retinæ spatium totam magni obiecti figuram; perinde atque in oppositâ papyro radij, speciesve magni obiecti intrantes per fenestræ foramen virtute dioptræ vitreæ, siue crystallinæ ad breue spatium rediguntur; totamque inibi formam obiecti, siue figuram referunt; vt sæpe experti sumus; & vnusquisque, cùm sibi libuerit, facile poterit experiri.

28 Hinc autem nascitur, vt ex proportione conuexitatis humoris crystallini cum distantiâ interiectâ vsque ad retinam pensetur perspicacia videntis, aut hebetudo. Cùm enim crystalloidis minus conuexus est, quàm oportet ad coniungendum in retinâ radios siue species obiecti, defectus accidit in visu: quo defectu laborant senes, in quibus ætas longæua aut aliquid absumpsit humoris crystallini, aut Araneam, in quâ concluditur relaxauit. Quo fit, vt huiusmodi defectus conuexis perspiciliis reparetur; eo, quod conuexum additum conuexo supplet conuexitatem, vt experientia monstrat. Duæ namque dioptræ, quarum quælibet duos habet gradus conuexitatis, si coniungantur, idem præstant, quod attinet ad colligendas species, ac præstaret vna, quæ haberet quatuor gradus. Quando verò humor crystallinus plus est globosus, siue conuexus, quàm oportet, etiam accidit defectus in visu; quia ex vi nimiæ conuexitatis perfractæ species, antequàm opus erat, collectæ, iterum iam pluſquam oporteret dispersæ perueniunt ad retinam (constat enim radios per dioptram traiectos postquam ad certam distantiam in vnum coëunt; iterum deinceps diuaricari.) Defectus autem huiusmodi proprius est iuuenum, qui nimis globosum crystalloidem sortiti sunt; atque ideo isti perspiciliis concauis adiuuantur. Certum enim est concauum additum conuexo conuexitatem temperare.

29 Quæ cum ita sint, vel hoc maxime argumento videtur euinci visionem non alibi, quàm in tunicâ retinâ celebrari. Accedit verò, quòd posita visione hoc pacto omnes experientiæ à Perspectiuâ petitæ apprimè seruantur. Tum locus determinatus imagini obiectóve apparenti tribuitur. Quo tota nititur ars adiuuandi visum, vt ex dicendis apparebit. Adde, argumenta physica, quibus probatur visionem non debere fieri in aliquo ex humoribus, vtpote, quia non sunt vitales; debere autem fieri in neruo optico, aut in aliquâ parte eius: quod sensus omnis à neruis prouenire videatur, maximè habere locum in nostrâ opinione; cùm in tam præcipuâ parte, tamque coniuncta neruo optico visionem collocemus. Quibus satis probatâ videtur hypothesis data.

Hypothesis 2.

Obiecta propria visus dumtaxat sunt color, & 30
lux: obiecta autem eius communia, etsi plura numerentur, ad vnam tandem præsentiam localem obiecti proprij reuocantur.

Obiectum sensus vniuersi appellatur id, quod sensu percipitur. Diuidi autem solet in primis in obiectum per accidens, & per se. Obiectum per accidens, quod etiam materiale vocatur, quodque in rigore sensu non capitur, substantia rei sensibilis est, quæ eatenus solùm sentiri dicitur, quatenus aliquod accidens ipsi inhærens sentitur. Obiectum per se, siue formale est accidens, quòd verè per sensationem attingitur. Hoc autem rursus duplex est; aliud proprium, aliud commune. Proprium est accidens, quod solo eo sensu ex externis, cuius obiectum proprium dicitur, percipi potest, vt color comparatione visus; sonus comparatione auditus, &c. Commune, quòd pluribus sensibus externis, aut omnibus illis est perceptibile. Vt præsentia, magnitudo, numerus, &c. Dicuntur autem hæc obiecta communia, non, quòd eadem secundùm numerum, aut etiam secundùm speciem infimam per plures, aut per omnes sensus externos sensibilia sint; sed, quòd, quæ per illos sentiuntur in genus proximum præsentiæ, magnitudinis, numeri, &c. conspirant. Vnusquisque enim sensus dumtaxat percipit præsentiam, magnitudinem, numerum, &c. propriorum obiectorum, quæ haud dubiè specie distinguntur. Quis enim dicat præsentiam coloris, & lucis, quam solùm percipit visus, & præsentiam soni, quam solam percipit auditus, & præsentiam odoris, quàm olfactus, &c. eiusdem speciei infimæ esse?

Igitur obiecta propria visus esse omnino colo- 31
rem, & lucem in confesso apud omnes est, & experientia manifestum. Constat enim colorem, & lucem in solidum, sub visum, non item sub aliquem alium ex sensibus externis cadere.

Obiecta verò communia visui, & aliis externis 32
sensibus quinque numerantur ab Arist. *lib. 2. de Anim. cap. 6.* nempe motus, quies, numerus figura, & magnitudo. Alij vsque ad decem & nouem numerant. Aguilon. *lib. 1. Optic. proposit. 29.* nouem recenset, Quantitatem, figuram, locum, distantiam, cõtinuitatem, discretionem, situm, motum, quietem, sub quorum deinde singulis plures species comprehẽdi, ipsis speciebus singillatim numeratis, ostendit.

Ego, vt rem hanc exactè definiam ex iis, quæ in propriis locis traduntur de naturâ huiusmodi sensibilium communium, Suppono primò, præsentiam rerum corporearum accidens quoddam esse à rebus quidem ipsis distinctum realiter, secus ab earum extensione. Quippè nihil aliud est in rebus

extensas esse quàm esse collocatas in spatio extenso per præsentiam extensam. Vnde, neque in quantitate molis duplex accidens debet admitti; quorum alterum sit ex ensio, alterum præsentia extensa, siue circumscriptiua, vt communiter docent Recentiores contra antiquiores quosdam. Suppono secundò, distantiam corporum, & aliarum rerum physicè, & à parte rei nihil esse aliud præter præsentias rerum talis naturæ, vt inter vnam, & alteram aliud quidpiam extensum locari queat. Eóque maior, aut minor distantia erit, quò illud extensum locabile maius, aut minus fuerit. Suppono tertiò, figuram esse extremam lineam, aut superficiem, sic aut aliter extensam aream aliquam; aut spatium solidum intra se concludentem. Vnde figura duo dicit, extensionem videlicet talem lineæ, aut superficiei, & priuationem vlterioris quantitatis, seu extensionis. Situs autem nihil aliud est, quàm talis extensio rei in loco aut absolutè sumpta, aut respectiuè ad aliud. Suppono quartò numerum physicè, & à parte rei nihilo distingui ab ipsis rebus numerabilibus, locus autem si sit intrinsecus, ipsissima est rei locatæ præsentia; si extrinsecus, est superficies extensa ambiens rem locatam tali extensione. Motus autem successio est præsentiarum. Quies persistentia in eadem præsentia. Vnde motus præter præsentiam, quæ adest, connotat iam præteritas. Quies verò connotat durationem eiusdem præsentiæ pro tempore præterito. Continuitas à re ipsâ continuâ non differt physicè. Discretio autem perinde se habet ac numerus. Quantitas verò in præsenti idem est, ac extensio.

34 Ex his concludo, si in prædictis accidentibus id præcisè spectetur, quod positiuum est, & magis directum, seclusis negationibus, & connotatis, ea omnia in vnam extensionem localem, siue præsentiam extensam conuenire. Atque hanc solam esse in rigore sensibile commune per visum perceptibile. Verùm quia ratione præsentiæ, quàm Visus potissimùm attingit, cæteraomnia accidentia commemorata visu etiam quodammodo percipiuntur. Ideo ea non ineptè communia Visus sensibilia vocantur.

35 Sunt tamen præterea alia quædam obiecta Visus, quæ media solent appellari: quòd strictè, neque ad classem propriorum, neque ad communium pertinere videantur. Hæc sunt *transparentia, opacitas, umbra, tenebræ, similitudo, dissimilitudo, pulchritudo, deformitas.* Ex quibus quædam inter sensibilia communia censentur ab aliquibus. Quibus contradicit Aguilon. *lib. 1. propos. 29.* Sed dissensio est de nomine, & parui momenti. Quo autem pacto hæc, & alia sensibilia per Visum percipiantur, postmodùm explicabimus figillatim.

Hypothesis 3.

36 Visus speciebus intentionalibus decisis ab obiecto iuuatur ad videndum.

Ità tenent Conimb. *lib. 2. de Anim. cap. 6. quæst. 2.* Rub. *cap. 5. & 6. quæst 3.* Soar. *lib. 3. de Anim. cap. 1.* Aguilon. *lib. 1. Optic. propositi. 65.* Pet. Hurt. *disp. 12. de Anim. sect. 1.* Ouied. *Cont. 13. de Anim. pun. 1.* & reliqui omnes Recentiores contrà quosdam tales species negantes apud Conimb. Rub. Aguil. & alios. Probaturque primò ex Aug. *lib. 9. de Trinit. cap. 11.* dicente, ab obiecto, & potentiâ pari notitiam. Ab obiecto namque Visus longè à potentiâ diffito nequit visio, nisi mediâ specie progigni. Secundò, quia vt visus aliàs indifferens determinetur ad videndum hoc obiectum, potius quàm aliud specie sibi impressâ indiget. Ab obiecto enim distante, neque moueri immediatè, neque determinari potest, vt satis ex se cõstat. Tertiò, quia vnio obiecti cum potentia necessaria est ad cognitionẽ, vt dicebamus *supra n. 19.* Obiectum autem Visus procul existens nisi media specie potentiæ vniri non potest. Quartò specialius, quia videmus in speculo hominem stantem à tergo. Quod vtique fieri non posset, nisi humanum illud corpus aliquid ex se ad speculum transmitteret: quod inibi repercussum ad nostros oculos reflecteretur. Quintò, quia interpositis perspiciliis aliter apparent nobis obiecta, quàm eis sublatis; quod non potest aliunde prouenire, nisi, quia accidens aliquod per medium spatium diffusum, à quo visio ipsa dependet, in traiectu vitri alteratur. Sextò, quia si medium spatium obscurum, aut opacum sit, obiectum prorsùs non videtur. Ob id nimirum, quia obscuritas, aut opacitas impediunt species, ne ad potentiam pertingant. Septimò, quia obiecta Visus nisi in debitâ distantia videri non possunt, eoque clariùs videntur, quò minus sunt remota, obscuriùs verò quo remotiora; cuius euentus ea profectò est causa, quòd species ab obiecto profusæ certam habent sphæram, seu terminum, quam prætergredi nequeunt; intra illum autem, quò longius prouehuntur, magis langueſcunt. Tandem fallacias omnes visus, de quibus infrà agetur, non posse accidere absque speciebus, ex inibi dicendis constabit.

Ex his apparet species Visus ab obiecto decisas 37
in ipsis oculis recipi; de quo nemo est iam, qui dubitet. Quoniam species ibi debet inesse, vbi ipsa visio celebratur, quæ ab specie dependet; atque etiam vbi residet facultas videndi, quæ specie iuuatur in suâ functione; visionem autem celebrari intra oculos, atque ibi etiam esse facultatem visiuam ex totâ Visus Philosophiâ, eiusque symmetriâ manifestè est compertum.

Vtrum autem prædictas species decisas à luce, & 38
colore, quæ sunt obiecta propria visus eiusdem naturæ sint cum ipsis obiectis, vel diuersæ, ad rem non interest examinare. Ego pro certo habeo cum Aguilon. *lib. 1. Optic. proposit. 46. & sæpe alibi*, colorem adiutum lumine alium colorem procreare, qui simul cum ipso lumine diffunditur per medium, vt multæ demonstrant experientiæ. Quo posito censeo dicendum cùm ipso Aguil. & aliis, præter lumen, & colorem emissitium alias species ab eis distinctas, diuersasque secundum naturam omnino esse reiiciendas, tanquam superfluas. Quia color emissitius, & lumen, quæ à corporibus luminosis, & coloratis per mediũ vsque ad oculos diffunduntur, accidentia sunt satis idonea, quibus tribuantur omnia munia, quæ speciebus intentionalibus alterius rationis solent attribui, vt *in tract. de sensu, & sensibili* multis ostendi. Ita igitur accidentia censenda sunt species propriæ potentiæ visiuæ.

Hypothesis 4.

Species Visus à partibus intensionis obiecti in- 39
diuisibiliter promanant. A partibus verò extensionis eius transuersè positis diuisibiliter. Prioresque subinde indiuisibiliter. Posteriores verò diuisibiliter repræsentant.

Sermo est de obiecto proprio Visus, à quo dumtaxat promanant Visus species iuxtà dicenda postmodum. Suppono autem cum communi huiusmodi obiectum duplex genus partium habere, sicut & alias

& alias qualitates;nempe intensionis, & extensionis.Partes intensionis dicuntur illæ,quibus qualitas aut magis, aut minus intensa, siue perfecta redditur in eadem parte subiecti,cui inhæret.Partes verò extensionis, quibus qualitas distinctis partibus subiecti extensi correspondet. Vnde omnes partes intensionis eidem omnino, partes verò extensionis distinctis locis, siue spatiis correspondeant necesse est.

40 Deinde etiam cum communi suppono, species visus,dum ab obiecto deciduntur per medium extensum lineis semper rectis protendi : Quòd enim eiusmodi species per medium extensum diaphanumque protendantur à corpore luminoso,vel colorato, vnde nascuntur,vsque ad oculos, aliudvè quoduis corpus opacum; quò tandem perueniunt; certo certius est; quia agens naturale non potest agere in distans,nisi agendo in propinquum,atque adeò deriuando suam actionem per medium ad extremum. Quod autem talis specierum protensio per lineas duntaxat rectas ductas à principali agente vsque ad extremum sphæræ actiuitatis eius fiat; experientia demonstrat.Qui enim existens intra cubiculum obiecta externa conatur cernere per fenestram apertam,ea tantum videre potest, quæ è regione in rectâ lineâ foris posita sunt. Tum si sese ad latus fenestræ recipiat,nil prorsus videt, tametsi specierum radij per fenestram ingredientes prope ipsos hominis oculos itinere recto pertranseant. Cuius nulla alia causa esse potest, nisi quia huiusmodi radij directè semper protenduntur, nec sese versus latera fundunt,aut inflectuntur.Ratio autem à priori ea esse potest,quia causa naturalis, quo citius, validiusque effectum assequatur, breuissimis lineis intendit suam vim,& conatum : eæ autem lineæ rectæ sunt. Videatur Aguilon. *lib. 5. Optic. propos. 2.*

41 Et quoniam accidens ab agente, vnde oritur ad subiectum vsque remotum non tenditur per motum localem,vt est Philosophorum dogma;sed per nouas productiones aliùs,atque aliùs partis extensæ,donec omnes partes corporis intermedij tali accidente affectæ sint; necessum planè est,vt ex partibus specierum per eamdem lineam rectam extensis, quæ priores sunt adiuuent agens principale ad producendum vlteriores. Quomodo autem adiuuent alibi expono. Videantur Soar. *disp.18.Metap.sec.8.*Pet.Hurt.*disp.9.Physicæ §.76.*& alij.Existimo autem species visus per medium transparens difformiter secundùm omnes suas partes etiam proportionales vniformiterque secundum proportionem geometricam propagari : donec tandem in extremo Spheræ puncto se sistunt. De quibus fusè suo loco à me probatis,non opus est amplius dicere impræsentiarum.

42 Præterea suppono tunc effectum aliquem diuisibiliter promanare ab omnibus partibus suæ causæ,quando earum cuilibet respondet in effectu pars propria, quæ ab ea dumtaxat parte causæ, & non à reliquis producitur. Tunc autem indiuisibiliter, quando totus effectus,& quælibet pars eius ab omnibus,& singulis partibus causæ simul, eademque actione concurrentibus procedit; similiter species diuisibiliter repræsentat obiectum, quando singulæ speciei partes singulis partibus obiecti diuisim correspondent.Indiuisibiliter verò quando nulla est pars obiecti, quæ toti speciei ex æquo non correspondeat : neque aliqua est pars speciei, quæ toti non respondeat obiecto.

43 Igitur species Visus à partibus intensionis obiecti indiuisibiliter promanare,sententia est communis. Probatur autem sic. Omnes partes intensionis obiecti concurrunt ad productionem speciei, nulla prorsus excepta;quia omnes sunt æquè operatiuæ, æquè applicatæ,& æquè expeditæ;neque adest ratio,cur hæ concurrant, & non illæ. Ergo concurrunt indiuisibiliter. Probo consequentiam; quia si diuisibiliter concurrerent, tot essent partes intensionis in effectu producto, quot sunt in causâ producente : cum cuilibet seorsim acceptæ sua pars effectus correspondet;Id autem est absurdum. Fieret enim, vt effectus propter passi distantiam nunquam decresceret; neque vsquam sphæra actiuitatis agentis absolueretur;quod repugnat experientiæ,& rationi.Etenim,si in prima parte subiecti tot essent partes,quot in agente,quia ab eo procedunt diuisibiliter,In secundâ propter eamdem rationem tot etiam essent,quot in primâ,& sic deinceps sine termino. Ex quo patet aliud, quod dicimus in hypothesi. Partes scilicet intensionis obiecti per speciem Visus indiuisibiliter repræsentari. Cum enim quoduis obiectū proprium Visus per speciem à se productam repræsentetur, si tota intensio obiectiua indiuisibiliter concurrit ad productionem speciei;tota itidem per speciem productam indiuisibiliter repræsentabitur.

Quod autem à partibus obiecti transuersè posi- 44
tis diuisibiliter species visus producatur, communior est sententia Doctorum, quam contra Conimb. & Tolet.tenent. Rub. *tract. de obiect. atque spec.sens.q.*8.Pet.Hurt.*disp.*12.*de Anim.sec.*5. Arriag.*disp.6 sec.*7.& alij Recentiores. Probatur autem primò, quia dum sumus intra cubiculum eam dumtaxat partem parietis oppositi per fenestram conspicimus, quæ è regione directò posita est:cum tamē in ipso fenestræ ingressu,& extrà in toto medio totius parietis sint species;ergo hæ non procedūt à pariete indiuisibiliter;si enim ita procederent species,quæ pertingunt ad visum totius obiecti,semen essent,ipsumque totum repræsentarent,quandoquidem emanarent ab illo mediis speciebus à toto obiecto procedentibus.Secundò, quia si species ab obiecto extenso indiuisibiliter nascerentur; sequeretur partes obiecti procul positas æquè clarè videri ac viciniores visui; nam species omnium partium obiecti æquè essent intensæ in oculis. Deinde fieret, vt eadem obiecti pars immota clariùs appareret,dum simul aliæ obiecti partes denuò detectæ viderentur, quàm dum videbatur sola : eò quod partes denuò apparentes iuuantes ad productionem speciei dictæ partis intensiorem illam redderent; quæ planè sunt contra experientiam. Tertiò, quia ex opposita sententia fieret, vt dum paulatim aperiretur obiectum aliquod, infinitæ actiones totales, quibus fierent species sibi succederent. Quod quando commodè potest, vitandum est. Quartò, quia sæpe partes eiusdem obiecti sunt diuersę rationis,vt quando partim est album, partim est nigrum. Impossibile autem est tunc eas ad eamdem speciem indiuisim concurrere, præsertim in mea sententiâ non distinguente speciem coloris à colore emissitio. Quintò, quia si species procederent indiuisibiliter à partibus extensionis obiecti, eas vtique indiuisibiliter etiam repræsentarent;nam species obiectum à quo procedit, & cuius subinde proprium est semen, repræsentatiua est; sed partes extensionis obiecti repræsentari visui indiuisibiliter,non videtur probabile. Tum quia ne Aduersarij quidem id concedent. Tum maximè,quia multa experimenta, & multę rationes in

eis

eis fundatæ apertè demonstrant oppositum, vt ex totâ Philosophiâ visus, aliorumque sensuum in sequentibus exhibenda conspicuum fiet. Quibus integra data hypothesis satis manet probata. Quod autem aliqua obiecta ob tenuitatẽ seorsim sumpta non cernantur; bene tamen cum aliis coniuncta non inde nascitur, quod se se adiuuent ad producendam speciem; sed aliunde, vt videbimus *hypothesi* 8. Nulla quippe est pars extensionis obiecti, quantumuis minima, quæ non valeat per se seorsim eamdem omnino producere speciem sui, quam in consortio aliarum producit, & ad eamdem distantiam. In quo nihil est absurdi, vt etiam ex dicendis ibi patebit.

45 Loquutus autem sum in præsenti hypothesi de partibus extensionis obiecti transuersè positis; id est, quarum nulla est ante, vel post alteram in eadem lineâ rectâ per quam actio protenditur. Nam de partibus directè in tali lineâ positis, res hæc non adeò est explorata, nec tanti ad nostrum institutum eam explorare interest. Quare id in suum locum remitto.

Hypothesis 5.

46 Sensibilia communia non per speciem peculiarem distinctam ab specie proprij sensibilis; sed per eamdem speciem proprij sensibilis cognoscuntur à Visu.

Ita tenent Rub. *lib. 2. de Anim. cap. 6. quæst. 11.* cum S. Thom. Bann. Ferra. Tolet. & aliis à se relatis. Fonseca *lib. 2. metaph. cap. 2. quæst. 2. sect. 5.* Petr. Hurt. *disp. 12. de Anim.* §. 80. & alij contra Scot. Henr. Ægyd. Iand. apud Rub. & alios Recentiores. Addit tamen Rub. speciem sensibilis proprij, vt repræsentet commune, ab eo quodammodo produci, & mo[illegible]ari. Quod, qua ratione sit verum ex dicendis constabit: Modò probatur absolutè hypothesis; quia visus sæpe cernit obiectum in loco, vbi non est, quod accidit, cum radij speciem reflectuntur, aut refranguntur. Ergo visus sæpe attingit præsentiam obiecti, cuius nullam habet peculiarem speciem. Patet consequentia; quia præsentia, quæ re ipsa non est, nequit à se emittere speciem. Deinde sæpe apparere solet obiectum maius, quàm sit, sæpissimè autem minus: ergo quantitas, seu extensio obiecti non per speciem propriam videtur; aliàs appareret sicuti est. Et quidem si sensibilium communium darentur species propriæ, nulla accidere posset fallacia in sensibus circa illa; sicut neque accidit circa propria, vt *infra hypot. 21.* ex Arist. ostendemus: species enim propriæ non possunt non repræsentare obiectum,

47 cuius sunt propriæ, vt constat.

Igitur præsentia coloris, & lucis eorúmque magnitudo, figura, &c. ea tenus Visu cernuntur, & discernuntur, quatenùs species propria coloris, aut lucis variè in sensiterio disposita variis in locis, variisque modis valet suum obiectum repræsentare. Cum enim in parte læua, retinæ species imprimuntur, obiectum apparet ad læuam. E contra verò si species in dextera retinæ depingantur, obiectum apparebit ad dexteram, directè autem, & è regione positum aspicitur obiectum, quando in medio retinæ species eius sedem habet. Vniuersaliter enim in eo loco apparet obiectum, aut quæuis omninò particula eius, à quo recta linea per pupillæ meatum ingressa, & in crystalloide perfracta dirigi potest in eam retinæ partem, vbi talis obiecti, aut particulæ species inest, & visio celebratur. Quæ mira structuræ oculi proprietas est. Ex quâ rursus efficitur, vt penes varietatem partium tunicæ retinæ in quibus visiones obiectorum fiunt, penes earum discretionem, continuitatem, magnitudinem, paruitatem, &c. Variè etiam obiectum, sub variisque communibus sensibilibus appareat, vt ex dicendis singillatim *hypoth. seq.* plenius constabit.

Hypothesis 6

48

Omnia sensibilia communia commemorata *supra hypoth. 2.* aliqua ratione percipiuntur per Visum. Ex sensibilibus vero mediis *ibid.* recensitis, quædam per se, quædam per accidens visione dignoscuntur.

Discurramus per singula. Primo enim visibilium rerum præsentia sub aspectum cadit, quatenus lux, aut color in hoc aut illo loco aspiciuntur. Quod adeò verum est, vt sanè nesciam, quo iure id nonnulli negauerint apud Arriag. *disp. 4. de Anim. sect. 1. subs. 6.* Etenim, quàm certum est mihi me videre colorem, tam certum est, me eum hic potius, quàm alibi intueri: ergo non tantum video colorem; sed illum in tali loco esse, quod est videre eius præsentiam. Nec refert non posse me discernere, an talis præsentia sit accidens superadditum rei præsenti; necne: quia tantumdem etiam ignoro de ipso colore. Quod ex imperfectione eiusmodi cognitionum prouenire censendum est.

Secundo cum recentioribus doctissimis in re per- 49
spectiuâ censeo contra Aguilon distantiam, quâ obiectum à visu plus, aut minus abducitur, non solum ab vtroque oculo, sed ab altero tantum perceptibilem esse. Quod sanè, si bene aduertatur ipsa notificat experientia. Putat Aguil. quoduis obiectum per vnum tantum radium specierum, quem vocant opticum, videri, per eum videlicet, qui rectà ductus ab obiecto in centro crystalloidis terminatur. De quo radio latè tractat *toto lib. 2.* Inde autem *lib. 3. propos. 1.* probare contendit distantiam vno oculo per se definiri non posse. Non tamen bene; nam, vt à relatis Recentioribus didici; obiectum non per vnicum radium, sed per omnes videtur, quotquot per meatum pupillæ in retinam transmitti possunt. Itaque dum à quouis puncto obiecti, siue particulâ diffunduntur species circumquaque, radij omnes, quos pupillæ foramen capit in oculum introducti, in crystalloidem impingunt, atque ibi confracti, in puncto iterum, siue particula retinæ colliguntur. Quo duo formantur coni, siue pyramides, quorum eadem est basis, medium videlicet planum ipsius crystalloidis: vertex autem primi, & externi coni est punctum, siue particula obiecti vnde radij nascuntur: secundi autem, & interni vertex in ipsa retina aut certè paulo ante ipsam terminatur vt ibi decussati radij rursus diuaricati in ipsam impingant.

Ea autem est visus natura à peritissimis perspectiuis deprehensa sedula obseruatione, vt obiectum 50
appareat in eo loco semper, ad quem pertingit vertex coni externi, radiorum seruata semper proportione, & consonantia, quam conus externus, & internus inter se seruant. Iuxta quam in visione directa semper contingit, vt locus verus, & proprius obiecti visibilis, & locus, quo pertingit vertex prædicti coni externi vnus, & idẽ sit. Atque adeo visione directa semper apparet obiectò in ipso loco vbi est. In visione autẽ, quæ per reflexionem, aut refractionẽ specierum fit, plerumque est diuersus locus obiecti verus, à loco quem dictus vertex tangere solet. Atque idcirco variis in locis apparentibus,

seu

seu fictitiis videtur obiectum pro varietate reflexionum,aut refractionum, quæ multa quidem est iuxta multam corporum differentiam, in quibus fit reflexio,aut refractio. Vniuersaliter, quo magis diducti intromittuntur radij per pupillam, eo propiùs apparet obiectum;quia vt sic breuior est longitudo coni externi,siue veri,siue imaginarij : quo vero minus diducti intromittuntur radij , eo longiùs obiectum cernitur. Ex quibus regulam habes generalem ad dignoscendum vniuersè, quisnam sit locus,vbi semper apparet imago,seu obiectum visibile. De qua regula vtpote cui vniuersa nititur Perspectiua fusiori calamo egi *tract.de sens. & sensib.* refutans interim nostri Aguilonij Philosophiam , quod attinet ad dictum locum imaginis.

51 Tertiò de modo,quo per Visum dignoscitur magnitudo,quantitas,seu extensio obiecti visibilis; alia etiam Aguilonij ac nostra Philosophia est. Putat enim ipse illam dignosci ex quantitate anguli verticalis pyramidis , quam opticam vocat ; quæque conficitur ex radiis ab obiecto extenso diffusis , atque in centro humoris crystallini concurrentibus: Opinatur quippe Aguil.per eos solos radios in araneæ superficie conuexa visionem fieri , qui in ipso centro crystalloidis terminantur : iuxtà quam positionem necesse est , vt quoduis obiecti punctum per vnum tantum radium cernatur. Nos verò, qui censemus visionem cuiusuis puncti obiecti per omnes radios ipsius puncti , quos pupilla capit non in aranea tunica ; sed in retina fieri modo explicato;omnino dicendum putamus, penes quantitatem partis retinæ, in quam conspirant radij integri obiecti,in quaque visio eius efficitur,ipsius obiecti quantitatem, seu magnitudinem dignosci. Et quia,quo magis distat obiectum , minor pars retinæ speciebus eius potest intingi;maior autem,quo propinquius est ; ideo obiectum remotiùs minus, quàm propinquum apparet. Inde autem nascitur, quod obiectum procul positum in minore parte retinæ,quàm si prope esset,depingatur : quia radij singularum partium,siue punctorum eius,qui confluunt in pupillæ meatum decussati in itinere eo ampliùs post traiectum diuaricantur intrà oculum , quo tale obiectum ipsi meatui propinquius est,vt consideranti innotescet;id namque proprium est vniuersè radiorum cuiusuis corporis extensi introëuntium per exiguum foramen.

52 Oportet tamen animaduertere eam dumtaxat obiecti quantitatem visu per se discerni , quæ ex æquo visui obiecta est , in ea videlicet positione, vel situ, vnde maximam , quam potest retinæ partem suis specierum radiis adimplet. Si enim corpus extensum obliquè visui proponatur , ita vt partes vnius extremi propè existant , remotiùs autem reliquæ:tum quidem tota talis corporis quantitas visu per se non discernetur , sed apparebit longè minor iuxta quantitatem minoræm portionis retinæ, quam ex ea positione suis speciebus potest mouere.Quasi per accidens tamen,seu potius ope potentiæ altioris extensio obliquè obiecta solet dignosci ob inæqualem partium distantiam,quæ nisi in maiore extensione,quàm per se apparet , extare non posset.Tum,quod partes remotiores remissiùs moueant visum,quàm propinquiores. Quod ementiri solent Pictores in parili intensione colorum, vt, quod in exiguo spatio depictum est , valde extensum obliquè videatur.In quo potissimum tota pars perspectiuæ specialis posita est.

53 Ex hac etiam Visus natura suboritur ars altera augendi visibilia,quoad apparentiam. Vnde & tubi optici,& alia instrumenta proficiscuntur;quibus efficitur, vt species obiecti , quæ naturaliter paruulam retinæ partem opplere poterant , extensæ, & diductæ maiorem repleant:quo fit,vt earum obiectum maius appareat.

Quartò,distantia transuersa,quæ inter vnum, & 54
alterum corpus Visui obiectum intercipitur , eatenus Visu ipso discernitur , quatenùs eorum corporum simulacra in distinctis retinæ partibus ab se inuicem etiam distantibus depinguntur. Quò fit,vt penes distantiam , quam visiones intra oculum habent , distantia quoque obiectorum metienda sit, perinde ac per visionis magnitudinem magnitudo obiecti pensatur. Vnde consequenter efficitur vt continuitas,& vnitas obiecti apparentis ex continuitate,& vnitate visionis pendeat. Ea enim Visui apparent continuata,seu contigua , quæ per visiones continuatas , seu contiguas cernuntur. Quæ autem apparent simul in eodem loco, seu spatio instar vnius apparent Visui ; quia ex vi talis visionis discerni nequit , an sint plura.Sicut è contra plura videntur, quæ in pluribus locis apparent per visiones plures in pluribus retinæ partibus efformatas. Atque ex his liquet , quo pacto Visus discernat discretionem, seu numerum , secundum positiuum reale, quod dicit. Deinde , quomodo noscat continuitatem, & vnitatem. Tum locum , siue præsentiam rei aspectabilis:aut etiam locum extrinsecum, quo res visibilis comprehenditur.

Quinto, Figura etiam per se percipitur Visu se- 55
cundum positiuum , seu materiale , quod includit, quatenus ea ex aduerso obiecta per speciem sui in ipsa retina depingitur.Quo verò pacto visu dignoscantur figuræ , quæ non ex æquo prospectui obiiciuntur,vel,quia non sunt planæ, sed solidæ , vel quia obliquè propositæ cernuntur , ex Aguil.disci potest *lib.3.Optic.à propos.15.vsque ad 25.* vnde *ad propos. vsque 39.* de cognitione loci, ac situs , deque eorum differentiis diffusè agit. Verum ex breui à nobis indicatis facilè quisque potest deducere , quo pacto ad cognitionem situs prædictarumque figurarum plerumque sit opus functione altioris potentiæ,quàm visus.

Sextò denique motus quatuor fere modis ocu- 56
lis discernitur,sensu etiam adiuuante interiore. Primo , ex motione oculorum naturaliter insequentium obiectum : quæ motio sensu percipitur communi. Secundo, quiescente visu motus obiecti discernitur ex diuersa eius præsentia distinctis momentis sensibilis temporis deprehensa. Tertiò ex loci ipsius obiecti mutatione continua. Quartò ex parte organi successiuè affecta.Ita Aguil. qui plura addit *vsque ad propos.54.* Ex quib. patet Visum non se solo ; sed iuuamine sensus communis motũ cognoscere.Est enim opus reminiscẽtia præteritæ præsentiæ ad cognoscendum corpus moueri;qua etiam opus est ad dignoscendã quietẽ,quatenus hæc dicit perseuerantiam in eadem præsentia.Itaque,vt motus alicuius obiecti noscatur , aut debet moueri organum visus inuariata visione;aut si quiescat organum,debet variari visio.

Ex quibus omnibus liquidò constat, quod suprà 57
infinuabamus : quidquid per se cognoscitur visu ex sensibilibus communibus in solam præsentiam extensam coloris,& lucis refundi. Deinde etiam colligitur speciem ab obiecto Visui impressam indifferentem esse natura sua ad repræsentandum colorem,aut lucem,cuius species est,sub hac, aut sub illa præsentia , sub hac , aut sub illa extensione magna,vel parua. Determinatur autem à parte sen-

siterij

siterij, cui imprimitur, aut potius à potentia visiua in ea parte residente, vt simul cum ipsa potentia visionem causet, per quam obiectum in hoc loco, potius quàm in alio; sub tantáque extensione cernatur. De quo plura dicemus *infra hypoth.* 21.

58 Restat vt de obiectis etiam mediis commemoratis *suprà* dicamus. E quibus transparentia, & opacitas oculis per se non videntur: sumpta tamen à visu occasione facile dignoscuntur à superiore interna potentia. Transparentia quidem ex rebus trans corpus interiectum apparentibus, quadam argumentatione colligitur; opacitas autem ex aspectus prohibitione. Vmbra autem, quæ relatè ad intensius lumen circumstans dicitur talis; & tenebræ, quæ in absoluta priuatione lucis consistunt, quoad carentiam lucis, quam dicunt, visu positiuè cerni non possunt. Nihilominus, qui cernit oculis lucem remissam iuxta aliam intensiorem, illam comparatione huius vmbram diiudicat potentia interna. Qui verò apertis oculis nihil lucis alicubi intuetur; esse inibi tenebras ex sui visionis priuatione discernit quâdam interna argumentatione. Similitudo, & dissimilitudo visis extremis similibus, aut dissimilibus videtur, quoad physicum, quod dicit, vtpote, quod cum ipsis extremis prorsus est idem. Pulchritudo in rebus visibilibus nihil aliud esse videtur, quàm grata quædam, & iucunda proportio eorum, quæ sub aspectum cadunt. Turpitudo autem eorum, siue deformitas asymmetria est, inordinataque dispositio offensionem oculis pariens. Vnde dicendum videtur pulchritudinem hanc, siue deformitatem perinde oculis cerni quoad physicum, quod dicit, ac cernitur figura, & situs. Tandem existentia obiecti visibilis, quoad id, quod dicit cum ipso obiecto identificatum, visu dicenda est capi, vt constat. Duratio etiam præsens ipsius obiecti quoad physicum, quod dicit, visu percipitur haud dubiè non minùs, quàm eius præsentia; quandoquidem per visionem non minus clarè deprehendimus rem visam in tempore præsente durare, siue ei correspondere, quam deprehendimus eam in tali loco vbicatam, siue ei correspondentem esse. Vnde, si duratio est accidens superadditum rei duranti, vti ego opinor, æquè ac præsentia est accidens superadditum rei præsenti. Duratio vtique rei sensibilis æque ac præsentia inter sensibilia communia omnibus sensibus censenda est; vtpote, quæ perinde ac præsentia ab omnibus citrà dubium æquè atque à Visu est perceptibilis.

Hypothesis 7.

59 Distantia iusta obiecti ad perfectam visionem ea est vnde euibrati radij specierum obiecti videndi, atque perfracti in crystalloide, quam aptissimè coniunguntur in retinâ, vbi patratur visio.

60 Supponit hypothesis obiectum ad certam distantiam clariùs, distinctiúsque videri, quàm si propiùs sit positum, aut remotiùs, vt experientia monstrat; atque adeo ad perfectam visionem determinatam distantiam obiecti requiri, quam vltra, citráque perfectio visionis tabescit. Vt ergo ostendatur eiusmodi distantiam esse, quam ipsa hypothesis assignat.

61 Supponendum est primò maiorem visionis claritatem ex quatuor causis prouenire posse comparatione eiusdem potentiæ visiuæ. Primò ex maiore intensione specierum. Secundò ex maiore copia earum. Tertiò, ex maiore coniunctione. Quartò, ex maiore affluentia spirituum animalium. Cuncta enim hæc iuuant potentiam ad perfectiùs videndum.

Secuudò supponendum est, eam esse naturam figuræ humoris crystallini, & vniuersim cuiusuis dioptræ crystallinæ, siue vitri conuexi, vbi franguntur species, seu radij luminis, vel coloris; vt in ea radiorum fractione certam proportionem obseruet attentâ vitri, seu dioptræ conuexitate; atque etiam distantia obiecti, vnde euibrantur radij. Id, quod apud perspectiuos satis perspectum est. Imprimis enim dioptra magis globosa, cæteris paribus, magis infringit radios per se traiectos; atque adeo propiùs post se coniungit illos, quàm, quæ minus globosa est, vt experientia constat. Deinde inter angulos, quos cum dioptrâ faciunt radij in eam incidentes, & angulos, quos faciunt cum eadem radij iam traiecti, & refracti (quorum priores anguli incidentiæ; posteriores verò anguli refractionis vocantur) ea proportio ferè seruatur, vt, quò maior est angulus incidentiæ, eo fit minor angulus refractionis, & è conuerso. Vniuersaliter enim in singulis dioptris angulus integer coalescens ex angulo incidentiæ, & ex angulo refractionis semper est æqualis, siue prope, siue procul obiectum sit. Ex quo sequitur primò, quo obiectum est propinquius dioptræ, eo angulum refractionis esse obtusiorem, siue maiorem; quia eo angulus incidentiæ acutior, siue minor est, & vice versâ. Secundò sequitur adeo prope dioptram posse esse obiectum, vt traiecti radij post dioptram non coniungantur; sed, aut incedant paralleli; aut diducantur ampliùs. Tertiò, sequitur dioptram certum exigere interuallum, vt radios ab obiecto susceptos post se coniungere possit, & conglobare; ipsámque coniunctionem radiorum ad certam tunc post dioptram distantiam fieri; ita quidem, vt si dioptra, inde versus obiectum admoueatur, iam radij traiecti diduci incipiant, & diuaricari, sin verò è contrà plus remoueantur ab ipso obiecto, radij perfectiùs coniungi incipiant, & propiùs dioptram; seu ad distantiam minorem. Quæ omnia facile quisque experiri potest modò admouendo lucernæ, modò remouendo ab illa dioptram. Denique alia est huiusmodi refractionum proprietas, vt iam aliàs notaui; quòd radij refracti postquam in certâ distantiâ post dioptram coniuncti sunt, iterum deinceps incipiunt diuaricari; vt experientia etiam constat. 62

Tertiò supponendum est virtutem esse innatam oculis nostris comprimendi, & dilatandi tunicam araneam, seu bursam illam, vbi concluditur humor crystallinus, quo efficitur, vt humor ipse figuram variet; modóque sit magis globosus, modò autem minus, prout aranea magis constringitur, aut laxatur. Præstatur autem id, quoties oculus ad diuersas distantias aciem visus intendit. Porrò in iis euentibus aliquam ex arbitrio à nobis fieri mutationem intra oculum ipsum experientiâ compertum est. Quod autem ea, quam experimur, mutatio sit dicta compressio & dilatatio crystallini humoris, tum à viris expertissimis in præsenti materia traditur; tum ex harmonia eorum, quæ mox dicemus coniicietur. 63

Quæ, cùm ita sint, iam hypothesis nostræ, aliorúmque experimentorum rationes, & causæ appositissimæ in promptu sunt. Ex eo enim obiectum nimis propinquum oculis confusiùs cernitur, eóque magis confusè apparet, & sub quantitate maiore, quo magis oculis adiungitur: quia species in crystalloide diuaricatæ, sicque dispersæ, in retinâ depictæ, minùs viuide, & sub extensione maiore valent 64

lent obiectum repræsentare. Cùm verò obiectum in distantia iusta locatur, species virtute crystalloidis ad breuius spatium retinæ rediguntur. Quò fit, vt & clarius, & sub minore extensione obiectum cernatur. Si autem obiectum vltra distantiam iustam paulatim remoueatur ex eo,& minus clarè,& sub minore extensione incipit apparere; quia species eius,& minus intensæ, & in minore copiâ intrant per pupillæ meatum, & post trajectum crystalloidem in minore parte retinæ depinguntur. Quæ omnia tum ex structurâ oculi, tum ex superius dictis facile constant. Iam verò propterea clarius apparet illud obiectum,in quod visus acies infigitur,siue id sit propinquius, siue remotius: quia virtute oculi innata humor crystallinus aut conglobatur magis,aut complanatur prout oportet attenta obiecti distantia, vt radij eius aptiùs coniungantur in retinâ.Quæ mira proprietas oculorũ est, vt possint ad omnes distantias aciem visus intendere.

65 Ex quibus omnibus liquidò constat, iustam obiecti distantiam ad perfectam visionem esse illam, è qua,posita crystalloidis compositione,vel figura, aut naturali,& ordinariâ,aut aduentitiâ motu oculorum, species ab obiecto euibratæ aptissimè coniunguntur in tunica retina. Quibus & præsens hypothesis probata,& tota nostra oculorum Philosophia confirmata manet; & reiecta Aguil.quod ad rem attinet sententia,asserentis *lib.1.propos.* 58. iustam distantiam obiecti ad perfectam visionem esse illud punctum, in quo concurrantes axes optici cum neruis opticis angulos rectos efficiunt. Quod, quàm à veritate exulet,fusè ostendi suo loco.

Quòd si rogas, cur ad eam iustam distantiam in vnico tantum puncto, aut sane in exigua particula obiecti ita oculorum acies figatur, vt talis dumtaxat particula clarè, reliquæ verò,quæ ad latus sunt, confusiùs conspiciantur,vt experimur?Respondeo, quia axis opticus,qui totum oculum medium penetrat,atque in extremo nerui optici, quod medium est retinæ;terminatur, in vno tantùm puncto obiecti defigi potest.Et quoniam id, quod magis directè suo specierum radio ad medium retinæ, ad neruumque opticum pertingit,qua parte defluunt spiritus animales ad fouendam visionem,maiorem eorundem spirituum sibi vendicat affluentiam,maioremque idcirco participat visionis claritatem:punctum obiecti,vnde axis opticus ducit originẽ aliæque particulæ circumstantes,quæ ad talem partem retinæ mittunt species, in eáque celebratur eorum visio, non possunt non clariùs videri, quàm aliæ partes, quæ cernuntur è partibus ipsius retinæ minus præcipuis, minúsque efficacibus ad videndum.

66 Ex quo sequitur primò, quo magis distant partes obiecti ab eo puncto, vnde oritur axis opticus, eò confusiùs videri,vt experientia monstrat; quia earum visiones etiam distant magis à neruo optico: ob idque minore fouentur spirituum copia.

67 Secundò sequitur illud punctum clariùs videri ab vtroque oculo, in quod concurrunt axes amborum oculorum. Nam, vt *suprà* etiam notabamus, illa indiuidua societas,quæ in musculis oculos mouentibus inest,non patitur, vt eorum axes optici in diuersa puncta figantur. Alioquin obiectum à duobus oculis visum in duplici loco appareret:vti apparet, quando altero oculorum compresso, axium societas perturbatur.

Hypothesis 8

68 Ad producendam visionem determinata quantitas,tum potentiæ,tum organi,tum speciei necessaria est,ita vt minor non sit sufficiens,eáque tam intensionis vbi datur, quàm extensionis. Vnde ex parte obiecti minima existunt visibilia, quibus minora in eadem distantia,& respectu eiusdem potentiæ visibilia non sunt. Ex parte autem oculi minimæ etiam dantur particulæ visiuæ tunicæ retinæ, quibus minores non sunt visiuæ.

Pro explicatione, & probatione huius hypoth. suppono primò ex doctrina tradenda *infra disp. 2.quæst.1.*Impossibile omnino esse, quod detur visio,quantumuis minima in subiecto, siue organo, cuius actus videndi est suapte natura;&, quòd tale organum per illam non reddatur videns, sentiensque obiectum,cum nihil sit aliud,organum esse videns, sentiensque obiectum, quàm habere in se, aut sibi annexum actum videndi. Ex quo patet contra nonnullos opinantes oppositum, quoties obiectum aliquod ob paruitatem non videtur, id nasci non posse ex eo,quod eius visio verè producta in oculis non reddat organum videns præ nimia sua tenuitate.Sed,quòd re verà in tali casu visio talis obiecti in oculis producta non est. 69

Suppono secundò; Etsi quoduis punctum, aut quæuis pars medij, vnde ad omnes partes obiecti via recta transparens atque expedita est, omnium obiecti partium, punctorumque suscipit species;eo ipso,quod singulæ partes, punctáque obiecti circumquaque in sphæram agunt,vti fatentur omnes, non tamen ita rem se habere in punctis,& partibus eius organi,vbi potentia videndi inest,in quo plerosque Recentiorum deceptos video. Nam, cum species obiectorum introeant in oculum per exiguum pupillæ foramen,necessum planè est,vt vnaquæque pars oculi interior eius tantùm partis obiecti suscipiat speciem, quæ è regione posita radios suos in formam cuiusdam coni,siue pyramidis collectos per angustum,pupillæ meatum introducere potest.Quò fit,vt diuersæ partes tunicæ retinæ vbi visio peragitur,diuersarum partium obiecti suscipiant species;sicque obiectum totum in ipsa retina depingatur, *vt superius* dictum: non tamen ita distinctè depingitur, vt omnibus omnino, & singulis obiecti partibus diuersæ partes retinæ correspondeant;sed ita,vt plures partes obiecti in eamdem partem retinæ coëant, vbi veluti penetrantur earum species. Quod beneficio crystalloidis efficitur, vt ingens obiectum in exiguo retinæ spatio depingi possit.Nam quemadmodum radij luminis per dioptram vitream traiecti virtute fractionis colliguntur,vt experientia monstrat,& complicantur in exiguo subiecto, vbi veluti penetrati maiorem quamdam efficiunt intensionem. Ita etiam ijdem radij,aut quæuis aliæ species traiectæ per humorem crystallinum, qui dioptra natiua oculi est, in retina complicantur;ita vt in eadem retinæ particula,aut etiam indiuisibili puncto multarum particularum obiecti penetrentur species ibique quamdam conficiant intensionem,licet minus propriam. propria enim intensio speciei impressæ ea censenda est,cuius partes eidem principio respondent; nam,quæuis obiecti pars speciem causat intensam propria intẽsione:quę magis,aut minus intensa prodit penes virtutem, & distantiã præcipui agentis.

Tertiò suppono,non solùm visum,sed alios quoque sensus externos certam speciei intensionem expostulare,vt sensationem causare valeãt,maioremque,aut minorem,iuxtà debitorem, aut magis robustam, magisve perfectam virtutem potentiæ sensitiuæ. Ob id enim surdastri moderatam vocem

non audiunt, quam audiunt alij; audiunt tamen intensiorem;& qui hebetiore visu, tactu, aut olfactu pollent,aliqua obiecta non sentiscũt, quę ex eadem distantia persentiunt alij: cum tamen sentiant alia intensiora: quia nimirum hebetiores potentiæ intensiorem speciem postulant,vt possint in actũ prodire: Vnde colligitur quamlibet etiam potentiam, quantumuis perfectã tam remissa specie affici posse, vt ea iuuari non valeat ad producendam sensationem.Sicut è contrà,tam exiguam posse esse partem sensiterij,& potentiæ ipsi correspondentis, vt non valeant sensationẽ caulare, quidquid sit de intensione speciei,quod etiam experientia monstrat, dum aliqua quæ Visu discernuntur,Gustu,vel Tactu præ tenuitate discerni nequeũt,quin possit id attribui defectui intensionis speciei, quandoquidẽ coniuncta cum aliis non aucta specie quoad intensionem sentirentur:vt ex Philosophia eorum sensuum à nobis *infrà* tradenda planè constabit.

71 Ex quo infero contra nonnullos quoties obiectum præ nimia tenuitate seorsim propositum non videtur,videndum,si coniungatur cum aliis, id non nasci ex eo, quòd illud per se seorsim speciem è se non emittat;sed, quod species ab illo impressa remissior est, quam vt potentiã ad producendã visionẽ iuuare valeat. Quod constat,quia sæpe obiectũ, quod seorsim propositũ ab aliquo non videtur, ab alio perspicacioris visus videtur ex eadẽ distãtia:sæpeetiam obiecta,quę ob paruitatem seorsim à nemine videntur oculo naturali, adhibito tubo optico, aut alio instrumento videntur. Quod argumento euidente est,quando latent non ex defectu speciei à se emissæ,sed ex defectu visionis nasci à tali specie non valentis progigni.Vnde etiam concluditur, quamlibet obiecti extensi partem, quantumuis minimam per se seorsim ab aliis producere propriam speciem;atque adeo partes speciei à partibus obiecti extensis,transverséque consideratis diuisibiliter procedere,vt *suprà n.*44.posuimus.

72 Ex iis tum probatio hypothesis datæ, tum ratio quorumlibet experimentorum elicitur.Dico itaque obiectum paruum solitariè propositum, vt sicque latens præ tenuitate nimia duabus de causis posse non videri.Prima, quia species eius impressa in ea parte tunicæ retinæ, cui tale obiectum correspondet, intensionem habet minorem minima requisita ad excitandam, seu causandam simul cum potentiâ Visionem.Secunda, quia licet species talis obiecti sufficientem intensionem habeat; particula tamen tunicæ retinæ,cui illa imprimitur,particuláque potentiæ visiuæ in ipsa residens,minor est minima requisita ad causandam simul cum tali specie visionem ipsam. Quando verò si dicto obiecto minori minimo visibili adiungitur aliud æquale, videtur vtrumque;quia,quod ex vtroque coalescit, iam est visibile,vt experientia monstrat.Id duabus etiam de causis potest accidere. Prima, quia vtriusque species in eamdem partem retinæ concurrentes iuxta dicta *n.*69.maiorem intensionem, licet minus propriam conficiunt; quo suppletur defectus intensionis requisitæ ad gignendam visionem. Secunda, quia amborum obiectorum species maiorem particulam retinæ occupantes,vt possunt iuxta doctrinam traditam *n.*52.quam occupabat species vnius, maiori etiam particulæ potentiæ respondent; suppletúrque defectus extensionis partis tum retinæ, tum potentiæ visiuæ ad generandam visionem naturaliter requisitæ. Et quoniam obiectorum plurium species neque possunt in eamdem partem tunicæ retinæ coire, neque eamdem eiusdem partem continuatam,vti requiritur,afficere,ni talia obiecta loco coniuncta sint; vt patet ex dictis; ideò plura obiecta minuta dissita loco non videntur,cum tamen videantur coniuncta.

Hinc deprehendes primò, cur obiectum variis, 73
iisque minutissimis coloribus distinctum ita apparere solet eminus, vt non diuersis coloribus; sed vnico ex illis commixto affectum videatur,vt in veste Franciscanorum cernere licet,quæ cum ex filis albis,& nigris contexta sit, eminus fusca apparet. Inde enim hoc nascitur,quia duæ quæque,aut plures partes diuersorum colorum in eamdem retinæ partem impingunt suas species,quæ in eodem subiecto iunctæ, & commixtæ perinde repræsentant obiecta illa partialia, quorum species sunt, ac si commixta essent in se,repræsentant namque illa in eodem loco,vt constat ex dictis *supr. hypoth.*6.

Secundò deprehendes cur obiectum eò minoris 74
quantitatis apparet, quò longiùs ab oculis recedit, tantumque potest recedere, vt prorsus dispareat. Prioris enim causa est,quod, quò remotius est obiectum eò in minori parte retinæ pingitur iuxta dicta *n.*52.constat autem ex dictis *hypoth.6.citata*, quò minor est pars retinæ vbi Visio fit,eo minorem esse quantitatem apparentem obiecti. Posterioris autem causa est, vel, quia tandem pingitur obiectum in parte retinæ minori minima visiua, vel, quia tandem intensio speciei ab eo impressæ minor est minima requisita ad causandam visionem,iuxtà doctrinam paulò ante statutam.

Tertiò deprehendes, cur obiectum paruulum, 75
quod in debita distantia videtur, si nimiùm applicatur oculis,prorsus dispareat. Nempe,quia licet in eo casu intensiorem illud per pupillam immittat speciem, quia magis è propinquo operatur: ast in retinâ, vbi patratur Visio, species ipsa remissior, quàm oportet,euadit, adeo vt intensio eius minor sit minima requisita:eo,quod in trajectu crystalloidis radij speciei diuaricantur eò magis quò obiectum magis oculis admouetur. Vt ex his omnibus planè perspicias, quàm bene cuncta experimenta cohæreant cum nostra de Visu Philosophia. Efficax profectò argumentum veritatis eius.

Ex quâ postremò planè colligitur obiectum in- 76
diuisibile,aut in spatio indiuisibili collocatum, aut per speciem,aut per potentiam, aut per visionem indiuisibilem neutiquam posse oculis cerni, saltem loquendo naturaliter. Vtrum autem supernaturaliter possit,non interest modò examinare.

Hypothesis 9.

De organo auditus perinde fere, ac de organo 77
visus, seruata quadam proportione, siue analogia videtur mihi philosophandum.

Non adeo est explorata Philosophia Auditus, quã Visus;nec adeo ad rẽ nostram refert illam examinare.Ob id breui ab hocsensu me expediã.Suppono autẽ potentiam auditiuã in auribus residere. in quib.præterea quæ externe conspiciuntur, meatus quidam est tortuosus,anfractuique cochleę persimilis, qui tandẽ in amplam quandam desinit cauitatem,veluti orbicularem,quam obtegit, concluditque tenuissima quædã,atque pellucida membrana,tympanum, aut myringa vocata. Stabilitur autem membrana hæc duobus officulis,quorum alterum incudis duobus pediculis innixæ,alterum malleoli figuram refert. Conimb. & Rub. addunt tertium officulum, tametsi Vesalius diligens anatomicus duos tantum relatos numeret *libro primo de*

*de fabric.c.*8.Intra membranam autem dictam, seu tympanum congenitus quidam aër;siue substantia aërea seruari dicitur eo quasi vallo cohibita,ne diffluat,aut dissipetur.Quamuis Vessal.*supr.*& Valuerde *lib. 1. c. 3.* huiusmodi substantiam aëream per Anatomen hucusque non fuisse deprehensam testentur,vt Soar.refert;fors,quia, animali mortuo, mox dissipatur.Postremo,vt oculi in neruos opticos desinunt;sic tympanum Auditus neruo cuidam affixum est è cerebro descendente, per quem spiritus animales ad tympanum deuehuntur. Hæc integri organi Auditus structura est.

78 Omissis autem variis sententiis de propriâ, & speciali sede potentiæ auditiuæ,quæ apud Conimb. *lib.2.de Anim.c.*8.*q.* 4.Rub.*q.*6.Soar.*lib.3.de Ani. c.*22.Pet.Hurt.*disp.*17.*de Anim.sec.*3.Ouied.*cont. 4.de Anim.pun.*1. & apud alios videri possunt;existimo potentiâ audiendi in cauâ internaque superficie illius membranæ, siue tympani residere, quâ parte neruo demisso ex cerebro coniuncta est. Quemadmodum enim tunica retina est sedes visus secundum cauam superficiem humorem vitreum oculi complectentem,vt *suprà* statuimus;ita pariter membrana dicta secundum cauam superficiem substantiam illam aëream concludentem, sedes Auditus videtur esse.Primò quidem, vt penes diuersitatem partis internæ talis membranæ, quæ speciebus soni per innatum aërem trajectis affecta fuerit,in diuersis locis sonus ipse sentiatur,vt de Visu philosophatum est.Secundò quia ea pars tympani aptissima omnium videtur,cui insit facultas audiendi;vti de sensiterio visus *Hypoth.* 1. dicebamus.

Hypothesis 10.

79 Obiectum proprium Auditus solus sonus est.Ex sensibilibus autem communibus, aut etiam mediis aliqua percipit Auditus.Et sonum quidem per propriam ipsius speciem percipit. Cætera verò non per speciem ipsorum propriam; sed per eamdem soni.

Porrò solum sonum esse obiectum proprium Auditus,nemo est,qui dubitet.De præsentia tamen eius, ad quam reuocantur omnia obiecta auditus communia iuxta doctrinam statutam *hypoth.* 2. nonnulli Recentiores negant percipi per Auditum. Quorum sententiam ego censeo contrà experientiam esse. Qua planè constat per Auditum deprehendi è quonam latere proueniat sonus,vtrum ad dexteram;vel ad sinistram concitetur. Quod ipsum est præsentiam soni percipi per Auditum. Qua ratione autem præsentiam, ita distantiam transuersam duorum,aut plurium audibilium percipere solet Auditus,necnon eiusdem audibilis extensionem. Numerus etiam, seu multitudo audibilium; tum eorum dissimilitudo, aut similitudo, consonantia, aut dissonantia,siue proportio harmonica, aut improportio Auditu benè discernuntur. Motum etiam, & quietem audibilium capit Auditus, non tamen sine iuuamine potentiæ interioris, vti de visu dicebamus. Quâ etiam ope egere videtur ad percipiendam distantiam, quâ à se distat audibile; Hæc enim eatenus videtur dignosci, quatenus ex maiore, vel minore intensione speciei, & auditionis oriundæ ab illa, habita etiam ratione differentiæ soni,superior potentia deducit hunc propè, vel procul esse.Figura verò obiecti audibilis per Auditum discerni,nequit, vtpote ad cuius cognitionem exactior notitia præstantiæ talis obiecti requirebatur,quàm,quæ per auditum capi potest.

Iam verò,quòd auditio fiat medio aliquo ad aures delato, auditui que coniuncto extra dissidium est,& probant argumenta facta in simili pro visione *Hypoth.* 3. An verò id sit ipsemet sonus primigenius,qui auditur,latus ad aures vsque locali motu;vel potiùs species ab ipso producta,non adeo est constans. Nam primum affirmarunt Auicena, & quidam alij: Tametsi reliqui Philosophi affirment secundum; vt videre licet apud Conimb. *lib. 2. de Anim. q. 2.art.*2.Rub.*q.*4. Hurt.*disp.*17.*sec.* 3. Arriag.*disp.*4.*sec.*1.& alios. Vtrum vero eiusmodi species à sono,qui auditur, producta, immissaque ad aures vsque per continuatam productionem, sit etiam sonus, vel qualitas alterius naturæ, adhuc est controuersum. Primum affirmant aliqui;secundum plerique.Ego de sono,quod ad rem attinet, quemadmodum de colore philosophandum censeo.Atq; ita primò arbitror sonum productiuum soni esse,sicut colorem esse productiuum coloris *hypoth.* 3.arbitratus sum. Vnde consequenter secundò censeo aliam speciem soni præter sonum ipsum productũ, & per medium,vsque ad aures diffusum ad generãdã auditionem necessariam non esse.Itaq;opinor,vt color primigenius & naturalis mea sententia colorem alium emissitium(qui intentionalis dici potest) progignit, per quem ad visum vsque delatum tanquam per propriam speciem visio peragitur, non quidem ipsius coloris emissitij,sed primigenij,vnde ille oritur;ita pariter sonum primigenium alterum sonum emissitium ad aures vsque productione diffundere,per quem tanquam per propriam speciem ipse sonus primigenius auditur.Verũ,quia ad præsens institutum non interest, vtrum species soni sit sonus,vel qualitas alterius naturæ; idcirco longiùs examen huius puncti ad proprium locum libens remitto.Vbi de modo etiam,quo species soni producuntur,funduntúrque per medium, donec sensiterium auris attingunt,ex professo tractatur. 80

Quod autem præsentia soni non per peculiarem speciem,sed per eandem ipsius soni innotescat,mihi suadeo primò,quia valde imperfectè innotescit:locum enim determinatum obiecti audibilis non adeo exactè capit auditus,ac visus capit locum determinatum obiecti visibilis;si autem per peculiarem & propriam speciem præsentia soni perciperetur, perfectius haud dubiè, exactiusque perciperetur. Secundò, quia quoties per reflexionem auditur sonus primigenius,vt sæpe fit,alibi auditur, quàm sit re vera: ergo percipitur ab auditu præsentia soni, quæ re ipsa non est: ergo ea non per speciem propriam sui, sed per speciem soni percipitur;vt argumentabamur in simili de præsentia obiecti visibilis *hypoth.*4.Igitur præsentiã soni eatenus Auditu percipi existimamus,quatenus species ipsius soni sic,vel aliter disponitur in sensiterio. De Auditu enim fere vt de Visu videtur nobis philosophandum. Atq;ita sicut visibile obiectum in diuersis locis apparet penes diuersitatem partium tunicæ retinæ,vbi peragitur Visio eius,prout *in dictâ hypoth.*4.explicatũ est; ita etiam sonus in diuersis locis auditur iuxta diuersas partes membranæ cauæ,seu cymbali, in quibus species imprimuntur:imprimũtur autem species in partibus diuersis penes diuersum modum,quem seruant introeundi per aures attento loco, vnde rectà mittuntur. Quoniam verò non adeo exactè, & æquabiliter diriguntur per organum species auditus,quàm species visus:tum,quia, via, qua species auditur ad sensiterium accedunt, implexa valde est, & difficilis; tum quia non solum per eam viam apertam;sed per ipsas partes solidas nonnihil etiam 81

penetrat ſpecierum, vtpote, quibus non omninò imperuia ſunt corpora ſolida; ideo Auditus non ita exactè, clarè, & diſtinctè, præſentiam ſui obiecti diſcernit, quam diſcernit Viſus præſentiam ſui. Ex quo patet, quâ ratione per ſpeciem etiam ſoni percipiat Auditus alia ſenſibilia communia, quæ percipit realiter indiſtincta à præſentia. Quod autem per eamdem ſpeciem ſoni dignoſcat cętera obiecta, quaſi media cum ſono ipſo realiter identificata, vt ſonorũ ſimilitudinẽ, harmoniã, &c. indubitabile eſt.

Hypotheſis 11.

82 Odoratrix facultas in carunculis mammillaribus reſidere dicenda eſt.

Conimb. *lib. 2. de Anim. c. 9. q. 4.* ex Anatomicis organum Olfactus deſcribentes aſſerunt in ſuperiore narium extremitate duo tabernacula eminere mammillarũ ſimilitudine, quæ ob id carũculæ mammillares, ſeu pupillares dicuntur. His autem ſubiicitur os quoddam bipartitum, quod etſi multis foraminibus pateat; duos tamen meatus habet inſignes, duabus naſi ianuis correſpondentes: quod quidem os eo, quod cribrum, aut ſpongiam refert, os ſpongioſum dici conſueuit. Ambabus hiſce partibus oſſis ſpongioſi reſpondent bini naſi meatus, qui in ſuâ origine diuiduntur; & duo quidẽ ad fauces flexuoſo ductu, duo autẽ ad naſum ipſum ſepto quodã cartilagineo intercurrente tendunt. Quibus porrecta eſt quædã tunica exanguis continuata cum ea quæ ad linguam, aſperam arteriã, & palatum extẽditur, eadẽ compoſitione, quâ molliores nerui. Addit Soar. *lib. 3. de Ani. c. 25.* & Rub. *tr. de ſenſ. Olf. q. 3.* ſupradictas carunculas extrema eſſe duorũ neruorum, qui per duos canales ad cerebrum aſcendũt vſque ad duos ventriculos, ſiue cellulas, quæ in anteriore parte cerebri ſunt. Ante carunculas verò opercula, quædam ſunt ex carne ſpongioſa confecta, quæ conſtricta cùm ſit, reſpiratione dilatatur, vt ex Ariſt. *lib. 3. de Anim. text.* 100. notat Tol. *q. 26.*

83 Igitur in dictis carunculis mammillaribus potentiam olfaciendi locum habere, ſententia eſt communis, quam tenent Conimb. Tolet. & Rub. ſuprà, Arriag. *diſp. 4. de Ani.* Quied. *cont. 4. ſec. 1.* & alij Recent. (à quibus non diſſentit Soar.) contra Auicen. Gal. & alios ponentes dictam potentiam in ventriculis cerebri, contra Comment. & Magneſ. ponentes eam in neruis è cerebro deſcendentibus; & contra Valleſ. *lib. 2. contr. c. 24.* extendentem illam per totam viam reſpirationis, vſque ad interna viſcera. Probatur autem noſtra, & communis ſententia. Primò, quia dictę carunculæ aptiſſima ſunt pars totius organi, cui inſit potentia olfaciendi; neque apparet ad quod aliud munus fuerint à naturâ inſtitutæ. Secundò, quia inibi omnino iuxta experientiam ſenſatio odorandi celebrari videtur. Tertiò, quia tales carunculæ extrema ſunt neruorum, qui è cerebro deſcendunt, quemadmodum partes illæ, vbi facultates videndi, & audiendi reſidere docuimus, extrema ſunt ſimilium neruorum ipſis correſpondentium. In illis ergo cenſenda eſt pariter, & ob proportionales rationes reſidere facultas odorandi, vt pluribus comprobatum eſt *Tract. de ſenſu & ſenſibili.*

Hypotheſis 12.

84 Obiectũ propriũ Olfactus odor dumtaxat eſt. Qui qui dẽ odoris eſt productiuus, per quẽ, & mediũ, & Olfactum immutat, quin aliæ ſpecies interueniant. Vnde, quæ ſenſibilia communia ſentit olfactus, per ipſummet ſentit odorem.

Prior pars hypotheſis cunctis eſt nota. Quòd autem odor qualitas quædam ſit, non verò ſubſtantia ſubtilis, vt nonnulli putarunt, certum iam eſt inter Philoſophos. De quo videri poſſunt Conimb. *lib. 2. de Ani. c. 9. q. 1.* Tolet. *q. 25.* Rub. *tract. de Olfac. q. 1.* Soar. *lib. 3. de Anim. c. 23.* & alij. 85

Secundam partem hypotheſis tenet Arriag. *diſp. 4. de Ani. ſec. 1. ſubſec. 5.* cum aliis contra multos oppoſitum variè opinantes. De quo videri poſſunt Auctores nuper relati. Ego illam mihi ſuadeo; Primò, quia eodem pacto de lumine, colore, & ſono philoſophatus ſum, atque de obiectis Guſtus, & tactus etiam philoſophabor ſatis appoſitè. Videtur autem conſentaneum omnia obiecta externorum ſenſuum in eo conſpirare, vt per aliquid à ſe productum ſimile ſibi, & medium, & potentiam immutent, non verò per ſpecies diuerſæ rationis. Secundò, quia odorem odoris eſſe productiuum experientia monſtrat; ſæpe enim à rebus odoriferis & medium, & res aliæ odore afficiuntur; quin id exhalationibus adiunctis ipſũ odorem vectantibus poſſit attribui. Tertiò, quia odor, qui Olfactu ſentitur in ipſo ſenſiterio, non in loco diſtantiori ſentiri videtur, vt experimur: ergo eſt re verâ in ſenſitorio; tum, quia nulla apparet cauſa fallacię, ratione cuius sẽtiretur odor, vbi non eſt: tũ, quia non eſt conſentaneũ ita eſſe Olfactũ noſtrum conſtitutũ, vt ſemper falleretur in omni ſenſatione. Quod ſi ſenſiterio ipſo ineſt odor, quem Olfactus ſentiſcit, conficitur planè ibi ab odore primigenio productũ eſſe; Neq; enim eò vſque sẽper exhalationibus defertur, vt ex multis experimentis conuincitur, & tenet Ariſt. *ſec. 12. Probl. q. 10.* Quin imo etiã quando odor vſque ad organum olfactus exhalationibus vectatur, vt ſæpe contingit, odor, qui inhæret exhalationib. non eſt, qui ſentitur; ſed alter ab illo in ipſo ſenſiterio productus: quia potentia non videtur poſſe iuuari naturaliter ad generandã ſenſationẽ, niſi per id, quod eſt receptũ in ipſo ſenſiterio; ad ſenſationem autem ipſe odor, qui ſentitur, concurrit cum potentiâ, vt ex experientia cómemorata deducitur. Ex qua etiã apparet in eo odorẽ à lumine, colore, & ſono diſcriminari, quòd lumen, color, & ſonus inhærens ſenſiterio non ſentitur, ſed alius per ipſum tanquam ſpeciem. Aſt per Olfactum ipſemet odor ei inhærens, nõ alius ſentiri videtur. Vnde ſpecies odoris ſtricta non datur: quia ſtrictè loquendo, ſpeciẽ appellamus dumtaxat id, quod potentiam iuuat ad cognitionem nõ ſui, ſed alterius cuiuſpiam cuius eſt ſemen.

Ex his pro parte poſtrema hypotheſis conſtat, 86 ſolã præſentiam odoris inhærentis ſenſiterio percipi per olfactum. Hanc autem percipi per illum virtute ipſius odoris, tanquam ſpeciei, ex dictis circa Viſum, & Auditum colligitur; quia, quod in illis ſenſibus præſtare valent ſpecies proprij ſenſibilis, in hoc haud dubiè valet præſtare odor, qui cum ſit proprium ſenſibile, munera ſimul exercet propriæ ſpeciei. Vnde diſtantiam, & locum rei odoriferæ per ſe non percipit Olfactus: percipi tamen poteſt per ſuperiorem potentiam, capto argumento ab olfactione, vt ſi ea ſit multum, aut parum intenſa; ſi verſis hinc, inde naribus augeatur, aut minuatur, &c. Olfactus quippè differentias odorum bene diſcernit. Quo etiam pacto fortaſſe percipi interdum poterunt aliqua ex reliquis communibus ſenſibilibus. Nam illa per ſe vix, aut nè vix quidem diſcernit Olfactus; quia eorum diſcretio dependet ex diuerſitate poſitionũ, quibus ſpecies proprij ſenſibilis diſponuntur

disponuntur in sensiterio ; vt ex dictis *suprà* circà Visum,& Auditum compertum est, quæ diuersitas in præsenti vix videtur posse euenire.

Hypothesis 13.

87 Sensiterium gustus linguam esse, & palatum in confesso apud omnes est.

Id, quod satis experientia demonstrat. Residet autem gustus potissimum in quibusdam neruis,qui descendentes à cerebro, (perinde ac reliqui sensorij)per linguam palatúmque extenduntur , & velut rami quidam , aut instar radicum arboris serpunt; Qui quidem nerui spongiosâ carne obteguntur ad ebibendos humores apta , quibus maximè fouetur hic sensus,iuuaturque ad sentiendum. Doctrina est Arist. *lib.* 1. *de hist. Anim.cap.*11.*& lib.*2.*de part. anim.cap.*12. Galeni *lib. de vsu part. cap.* 2. in quâ omnes Philosophi,Medicique conspirant;vt videre est apud Vall.*lib.*2.*contr.c.*14.Tolet.*lib.*2.*de Anim. c.*10.Conimb.*ibid.*Soar.*lib.* 3. *de Anim.c.*27. Rub. *tract.de sensu Gustus q.*2.& alios.

Hypothesis 14.

88 Obiectum proprium Gustus sapor duntaxat est. Qui quidem saporis est productiuus,per quem immediatè sensum immutat, nullâ aliâ specie interueniente. Vnde virtute ipsius saporis percipit etiam Gustus sua sensibilia communia.

Prior pars Hypothesis indubitata est. Eam enim qualitatem vocamus vniersè saporem, quam per solum gustum percipimus : sunt autem multæ species saporis,vt experientiâ noscimus, de quibus latè disserunt Medici præter Arist.*lib.*2.*de Anim. c.*10. & Plinium *lib.*15.*cap.*27.

89 Quod sapor saporis sit productiuus,sententia est Arist.*lib.*2. *de Anim.textu* 126. vbi saporem inter qualitates actiuas censet;idémque statim docet etiam de odore, & sono. Probarique potest primò à simili aliarum sensibilium qualitatum , quas esse productiuas similium in superioribus statuimus. Secundò ab experientiâ : constat enim res amaras alias,quas tangunt, suâ amaritudine afficere. Tertiò,quia sapor,quem percipit Gustus,in ipso sensiterio residet,ibi enim citrà dubium illum sentimus, nec est,cur sensus falli dicatur,vt philosophabamur de odore : ergo ibi à sapore rerum sapidarum producitur. Vnde tandem conficitur saporem organo inhærentem per se ipsum adiuuare potentiam ad causandam sui sensationem , quin alia species sit necessaria. Vti dicebamus de odore,postmodumque de qualitatibus tangibilibus dicemus.

90 Vndè tandem concluditur, Gustum per se,solam præsentiam saporis in proprio organo residentis sentire , non item præsentiam saporis primigenij, vnde ille nascitur;idque virtute ipsius saporis organi, quin alia interueniat species;vti etiam dicebamus de Olfactu, & de Tactu dicemus statim. Percipit autem præterea Gustus fere reliqua sensibilia communia , quæ Tactus ; de quibus postmodum; quia valde Tactui assimilatur.Ob idque quidam tactus dicitur ; imo sunt , qui putent Gustum à tactu non differre.

Hypothesis 15

91 Sensus tactus per totum corpus animalis diffusus,non solùm in neruis;sed in carne etiam, & cute residet. Ad eius autem obiectum proprium plures pertinent qualitates.

Priorem partem hypothesis satis demonstrat experientia.Eamque tenent Conimb.*lib.*2. *de Anim. c.*11.*q.*1.Rub.*tr.de sensu tactus q.*1. Soar.*lib.* 3. *de Anim.c.* 27. & alij Recentiores communiter cum S.Th.& Arist.contra Fernel. Vessal. Albert. Ægid. & alios ponentes sensum tactus in solis neruis ; ossibus etiam aliqualem sensum tactus,licet stupidum concedunt aliqui. Plerique tamen negant. Dentes autem inter partes sensitiuas numerat absolutè Albert.*lib.*2.*de Anim.tr.*3.referens pro se Galen.consentitque Arist.*sec.*34.*Probl.q.*2.*&* 3.

Pro secundâ autem parte hypothesis statuen- 92
dum in primis est,vt apud omnes certum , ad obiectum proprium tactus spectare quatuor primas qualitates,nempe calorem,frigus,humiditatem , & siccitatem.Quod satis , superque demonstrat experientia.

Deinde,cum certum etiam sit per tactum depre- 93
hendi,quidnam sit durum, quid molle , quid asperum,quid læue ; dubitari tamen potest:an istæ corporum affectiones ad obiectum proprium tactus pertineant. Ego opinor non pertinere : Nam licet putem duritiem corporum,& mollitiem esse qualitates quasdam corporibus superadditas ; quia non apparet ad quod aliud genus entis reduci possint. Arbitror tamen eas non per se , sed per accidens tactu percipi functione superioris potentiæ : deprehenditur enim durities ratione compressionis , quam patiuntur partes organi corpus durum tangentes. Mollities verò ratione figuræ successiuè causatæ ab organo in corpore molli , atque etiam ratione motus ipsius organi.Quod est eas non sentiri per se, & consequenter nec pertinere ad obiectum proprium tactus. Quomodo autem compressio,motusque organi , & corporis figura tactu capiantur,*hypoth.*17. exponetur. De asperitate verò, & lęuitate,censeo spectare ad sensibilia tactus communia , quia non distinguuntur à præsentiâ corporum,siue extensione,vel figurâ.Corpus namque durum ex eo est asperum, quia partes eius extimæ nõ æquabiliter extensæ sunt,sed quædam exuberantes, quædam depressiores;læue autem corpus est,in quo nulla particula extremæ superficiei prominet suprà reliquas sibi proximas,sed omnes æqualiter extenduntur.

De impulsu multi dicunt esse obiectum proprium 94
Tactus.Addunt alij grauitatem corporum , & leuitatem.Ego censeo nihil horum tactu per se sentiri: alioquin per manum admotam lateri corporis immoti ipsius grauitatem,aut leuitatem , necnon impulsum impressum ab alio superpositò sentiremus, contra experientiã.Deprehenduntur igitur hę qualitates altiori potentiâ ex cõpressione,vel motu,quę causant in partibus organi;vt dicebamus de duritie.

Circa eas verò tactus sensiones , quæ dolorem 95
afferunt , aut voluptatem difficultas est ; quodnam obiectum proprium habeant. Nonnulli putarunt obiectum proprium tactus dolentis esse dissolutionem cõtinui.Alij esse intemperiem primarum qualitatum.Cum his sentit Vall.*lib.*4.*contr.c.*5.Ego verò cum Soar.*lib.*5.*de Ani.c.*5. necessariò adstruendam censeo pro dolore qualitatem doloriferam,siue molestam;pro voluptate autem qualitatẽ voluptuosam , siue iucundam ad proprium obiectum tactus spectantem:quia nihil est aliud excogitabile, quod talium sensionum proprium obiectum sit. Non enim est,dum partes organi diuiduntur , ipsa carentia continuitatis,aut instrumentum diuidens,aut carentia præsentiarum,quam tales partes antea habebant,vt constat:neque est motus,aut instrumẽti,aut

ipsarum partium;quia transacto tali motu, permanet dolor; nec sunt præsentiæ disiunctæ, quæ permanent post diuisionem,quia ante illas incipit dolor,& ipsis perseuerantibus absumitur. Nec potest esse aut in eo casu, aut in reliquis sola intemperies primarum qualitatum;quia sæpe sentitur dolor tali intemperie non sentita:sæpe è contra,sentitur intemperies sine dolore; sæpe transacta intemperie dolorem causante, dolor permanet:sæpe tam subito incipit,& desinit dolor, vt ille intemperiei qualitatis habentis contrarium, succesiuéque proinde prouenientis,& desinentis tribui non possit.Relinquitur igitur obiectum proprium doloris qualitatem specialem,atque doloriferam esse, quæ ex variis causis gigni potest; & consequenter obiectum proprium voluptatis alteram esse qualitatem voluptuosam.Dolor autem ipse, & voluntas sensiones tactus sunt,prima per se ingrata animali;secunda, iucunda.Vtraque autem dicta qualitas in varias insuper species diuidi poterit iuxta differentias dolorum,& voluptatum,quas experimur. Ex quibus patet, quot sint qualitates ad proprium obiectum tactus spectantes.

Hypothesis 16.

96 Eæ dumtaxat qualitates tactu per se sentiuntur, quæ inhærent ipsi sensiterio,non item quæ sunt in alio subiecto.

Feror in hanc sententiam, licet minus communem multis,& mihi efficacibus argumentis.Videntur autem stare pro illâ Tolet. *lib.3. de Anim. q.2.* & Vall.*lib.2.controu.c.penult.contra Conimb. lib.2. de Anim.cap.*11.Soar.*lib.3.de Anim.cap.*26. Rub. *tract.de sen.tact. q.5.* & plerosque Recentiores sequentes oppositam cum aliis.

97 Probatur autem primò, quia qualitas dolorifera,& iucunda in ipso sensiterio inhærent,per quod sentiuntur:ergo idem dicendum de reliquis.Secundo,quia situs,& motus partium organi plane sentiuntur tactu; non possunt autem sentiri cùm sint ex sensibilibus communibus, nisi qualitates inhærentes in ipso organo sentirentur, vt ex dictis *Hypoth.5.* colligitur, & ex dicendis *in seqq.*apparebit. Tertio quia manus admota rei intensè calidæ non statim sentit totum eius calorem, sed paulatim, quo passu ipsa calefit; igitur non calorem talis rei, sed, quem ipsa paulatim suscipit, sentit per se. Quartò, quia calor, quem sentit manus adiuncta rei calidæ,non in re,sed in manu ipsa sentitur: ergo ibi inest;nam hic non est locus fallaciæ.Quintò, quia sæpe numero sentiunt membra calorem sibi inhærentem,aut frigus,vt patet in febricitantibus, & algentibus. Sentimus etiam, si aduertamus an manus,pedes, aut aliæ partes corporis frigidæ sint, aut calidæ. Sextò, membrum calidum calorem æque, vel minus intensum subiecti externi non sentit, vt docet Arist. *lib. 2. de Anim. textu* 118. demonstratque experientia,& fatentur omnes:sentiret autem citrà dubium,si esset ille sensibilis,quia non est, cur non immutaretur ab illo intentionaliter, etsi non posset physice;eo quod simile nequit agere in simile. Cum itaque absque physicâ organi mutatione sensatio non contingat, argumento est eam ipsam qualitatem, quam organum accipit, per se sentiri,non extrinsecam,à quâ illa fit. Septimò si qualitas subiecti extranei sensibilis per tactum est, aut concurrit ipsa ad sensationem per se immediatè, vt opinantur Pet. Hurt. *disp.* 12. *de Anim.sec.*1.Arrig.*disp.*4 *sec.*1 *subs.*5. & alij Recentiores. Aut per speciem à se decisam, & organo impressam,vt opinantur Conimb.*sup.q.*3.Rub.*q.*5. & Soar.Primum dici non potest, quia qualitas inhærens subiecto extraneo nequit suam actionem porrigere,vt debet, vsque ad profundiores partes organi,vbi sensatio fit, nisi iuuetur effectu producto in prioribus: sensatione autem ipsâ iuuari nequit, vtpote, quæ & minimum exigit extensionis organi ad sui existentiam, vt est commune omni sensioni externæ, & sensationis eiusdem rationis non est productiua, sicut nec reliquæ. Secundum autem si dicatur; sequitur obiectum loco dissitum per tactum bene posse sentiri æque ac per visum, & auditum,quod est contrà experientiam.Octauò; Cùm febricitans ardenti manu frigidum corpus apprehendit,refrigerium capit,& voluptatem:propterea sanè,quod obiectum, quod tunc temporis tactu percipit,conueniens est sibi;& consentaneum, vtpote temperans nimium calorem febris; Id autem solùm præstat frigus in organo receptum,vbi ille nimius calor inest.Nonò, cùm res virtualiter tantum calida organo tactus imponitur, calor in ipso sentitur,vt experientia constat,bucca enim accenditur, dum piper manditur, stomachus hausto vino incalescit,vlcera, quibusdam applicitis medicamentis,ardent.Ast tunc non sentit tactus calorem rei applicatæ,vtpote, quæ non est formaliter calida, saltem in tanto gradu:ergo dumtaxat sentit calorem organi.Decimò;cùm membrum aliquod violenter comprimitur,aut contunditur,non solùm dolorem sentit;sed etiam calorem ex ictu, aut compressione: sed obiectum doloris sentitur in eadem parte,vbi inest: ergo & calor itidem. Vndecimò, sensus Tactus eo potissimùm fine datus est animalibus,vt noxias sibi,& commodas qualitates diiudicare possent,quò, & illas excutere, vitareque possent,& has amplecti:sed tales sunt formaliter, quæ in membris inhærent,vtpote, quæ naturale temperamentum aut labefactant,aut reficiunt: ergo istarum potissimùm est Tactus sensitiuus, atque adeo per se.Duodecimò tandem Olfactus,& Gustus dūtaxat sentiunt qualitates sensiterio inhærentes,vt in superioribus statuimus: ergo idem potiori iure dicendum est de Tactu. Sufficiant hæc:Per quæ facile erit cuique diluere argumenta aduersantia.

98 Ex quibus colligitur primo in sensibus Olfactus, Gustus,& Tactus strictè loquendo non dari species impressas;quia ipsa obiecta,quæ sentiuntur,concurrunt per se ad sensationem; nihil tamen prohibet talia obiecta species vocari latiori quadam acceptione:Quo pacto ea tum in superioribus,tum in sequentibus nomine speciei latè vsurpato solemus comprehendere,quoties dicimus, aut supponimus omnem potentiam cognoscitiuam speciebus ad cognoscendum iuuari.Secundò colligitur, qualitates inhærentes rebus extrinsecis,quæ tangibiles appellantur, per accidens tantum sentiri per sensum Tactus,siue percipi, functione scilicet interueniente altioris potentiæ,quæ per immutationem physicam organi Tactus,quam ipse Tactus sentit, causas extrinsecas talis immutationis discernit.

99 Rogas;cur ergo non sumus in continuâ, manifestáque sensatione qualitatum, quas in corpore habemus:Respondeo,quia *ab assuetis non fit passio*, vt fert commune pronunciatum,quod etiam in aliis sensibus habet locum, præsertim in Olfactu. Itaq; quamuis Tactus, cū primùm qualitas in sensiterio recipitur,viuidè sentiat illā,paulatim tamen ea sensatio languescit,donec interit tandem defectu concursus Dei ad eam requisiti, qui per lapsū tempo-

ris

ris sit indebitus, vt sæpe aliàs. Quod maxime euenit, quando talis qualitas aut parùm, aut nihil abscedit à mensurâ intensionis, quàm naturale temperamentum organi poscit; quando enim à tali mensurâ deficit, diutius sentitur vtrumque satis consentaneè ad finem hujus sensus. Oportuit enim, cum primùm animal susceperit qualitatem, eam sentiscere, vt vel excutiat, si sit noxia, vel amplectatur, si proficua. Postquam verò veluti resedit in organo, si dissonat temperamento, adhuc oportet eam sentire, vt procuretur expulsio; secùs si temperamento sit consona.

Hypothesis 17.

100 Omnia sensibilia communia exactiùs, perfectiúsque per tactum, quàm per alios sensus, si visum excipias, capiuntur. Pro quibus capiendis nulla peculiaris species impressa in hoc sensu; sicut neque in reliquis, datur.

Posterior pars huius hypothesis ex dictis in simili circà alios sensus est nota; quia vt in illis, ita & in tactu per eadem principia percipiuntur propria sensibilia, & communia, quæ ipsorum propriorum sunt affectiones. Pro explicatione autem prioris supponendum ex dictis est, duplex genus sensibilium communium per tactum percipi: alterum eorum, quæ sunt affectiones obiecti proprij tactu per se sensibilis, quod mea sententia ipsius organo inhæret: alterum eorum, quæ sunt affectiones objecti tangibilis externi; quod mea etiam sententia per accidens solum, & ope altioris potentiæ tactu percipitur. Ex quibus subinde priora per se, posteriora verò per accidens dignoscuntur per tactum. Neque enim per aliquem sensum potest esse per se sensibile objectum commune, quando proprium, cujus est affectio, non per se, sed solùm per accidens est per talem sensum sensibile, vt est notissimum.

101 Igitur, quod ad priora attinet, in primis benè discernit tactus præsentiam proprij sensibilis, quatenus illud in tali, vel tali parte corporis sentit vbi inest. Experientiâ etiam constat per tactum percipi situm, quem habent partes corporis quoniam verò situs à præsentiâ rei situatæ physicè non distinguitur, vt aliàs dixi, & sensus solùm potest per se percipere præsentiam sensibilis proprij; arbitror situm, quem per se tactus sentit, dumtaxat esse situm alicujus qualitatis per se sensibilis, aut ex primis, aut ex genere earum, quas molestas, aut iucundas vocauimus: Quarum aliqua semper videtur membrorum situm comitari, aut certè comitari dicenda est, vt aliquis situs per se sit semper tactus sensibilis; ex quo per accidens ope altioris potentiæ situs etiam quantitatis, aut etiam substantiæ membrorum percipi valeat. Deinde tactus obiecti proprij percipit magnitudinem, vel paruitatem, extensiuam, quatenùs illud per partem magnam, vel paruam organi sentit; vt de visu philosophati sumus. Pariter percipit multitudinem hujusmodi objectorum, eorumque interceptam distantiam, quatenùs percipit illa multis in partibus, atque inter se distantibus organi. Distantiam verò aliquam obiecti ab organo nequit percipere; quia nullibi, præterquam in organo ipso, potest illud sentire. Percipit præterea motum obiecti proprij, quatenùs illud in diuersis partibus organi successiuè affectis sentiscit, vt patet, quãdo qualitas dolorifera veluti discurrit per membra corporis. Motus autem partium proprij organi eatenùs tactu percipitur, quatenus percipiuntur plures earumdem partium situs successiuè variati. Ad percipiendum verò istos motus altioris potentiæ memoratiuæ iuuamine opus est: nam motus non est cognoscibilis sine recordatione præteritorum, vt alias jam est dictum suprà. Compressio autem partium organi, quam etiam tactus sentit, à motu, & situ earum non differt. Denique figura etiam commemorati objecti, similiter percipit tactus, & si quæ sunt alia sensibilia communia. Quod autem propriorum sensibilium similitudinem, dissimilitudinem, intensionem, & remissionem discernat, sicut & alij sensus, non est dubitabile.

Iam verò, quod attinet ad sensibilia communia 102
obiecti tangibilis externi, quæ per accidens cum obiecto ipso diximus tactu deprehendi, in primis benè discernitur per tactum talis obiecti magnitudo idque bifariam; nempè, aut iuxta magnitudinem portionis organi ab obiecto ipso immutatæ, aut per successiuam eiusdem obiecti contrectationem. Figura etiam externi tangibilis eisdem duobus modis solet per tactum exactè notificari, maximè quando illud est corpus solidum, & durum; eo, quòd per compressionem organi, quam duricies corporis causat, melius figura discernitur. Ad figuram autem corporis tangibilis spectat eius læuitudo, siue lenitudo, & asperitas: quæ tactu etiam percipiuntur, vt suprà notauimus. Eisdem itidem duobus modis percipitur per tactum externorum tangibilium numerus, seu multitudo, vnitas, locus, siue præsentia, & alia id genus.

Hypotheses de sensibus externis in communi.

Hypothesis 18.

Singulis obiectis propriis cuiuslibet sensus exter- 103
ni singulæ correspondent species impressæ, adeò, vt per speciem vnius nihil aliud præter ipsum, & ea sensibilia communia, quæ propriæ sunt ipsius affectiones, sentiri valeat.

Accipio speciem impressam latè, prout comprehendit quoduis principium determinans, adiuuansque sensum externum ad producendum sensationem, siue illud sit species propria, vti est in visu, & auditu, siue sit ipsum obiectum, quod sentitur, vti in Olfactu, Gustu, & Tactu, iuxta doctrinam in superioribus statutam. Itaque dico speciem impressam oculis ab hoc indiuiduo colore, dumtaxat habere virtutem ad causandam simul cum potentiâ visionem huius coloris indiuidui, quin possit cõcurrere ad visionem alterius aut specificè, aut numericè distincti ab hoc: simul tamen esse causatiuam visionis omnium præsentiarum huic eidem colori possibilium, omniumque subinde sensibilium communium eius, quæ meâ sententiâ non distinguuntur à præsentiâ. Tantumdemque censeo de singulis singulorum sensuum obiectis.

Primum probatur primò; quia certum est esse 104
possibilem speciem impressam eiusdem dumtaxat obiecti indiuidui causatiuam sensionis, à quo physicè nascitur, siue cum quo physicè est idem; igitur, quæ de facto datur, talis naturæ censenda est, nam amplior virtus non est illi sine fundamento, quale non datur, adscribenda secundò, quia cùm vnumquodque sensibile proprium sit causatiuum sensionis sui, vel mediâ specie impressa, vel per se ipsum, vt experientia constat, superfluè haberet

vnum virtus causandi sensionem alterius, quia non est excogitabilis casus, in quo talis virtus naturaliter aut necessaria esset aut vtilis: ergo de facto illam non habet. Tertiò, quia certum est ab vno sensibili proprio sensionem alterius diuersi specificè causari non posse; alioquin per speciem albedinis nigredinem possemus videre; saporque amarus sensionem gigneret dulcedinis, cunctaque passim confunderentur in sensibus contrà experientiam, & rationem: ergo ab vno sensibili proprio nec sólo alterius solo numero differentis potest causari. De vtrisque namque, quod ad rem attinet, eadem ratio est. Quartò, quia si species vnius sensibilis proprij ad alterius etiam proprij sensionem posset concurrere, ea vtique indifferens esset, sicut potentia sensitiua ad plura sensibilia repræsentanda; egeretque subinde alio determinatiuo, quo ad huius potius, quam alterius sensionem gignendam determinaretur; tale autem determinatiuum non datur, nisi recurratur ad Deum, aut ad extrinsecam obiecti præsentiam, ad quorum neutrum potest recurri, ergo: Etenim si, vel à Deo, vel ab extrinsecâ obiecti præsentia fas esset eam determinationem expectare, satius esset omni negatâ specie impressâ eam pro solâ potentiâ sensitiuâ expectare; ita, quòd hæc sola sine specie esset omnium suorum obiectorum sensitiua, determinareturque ad hoc potius sentiendum, quam aliud, aut à Deo, aut à præsentia obiecti. Quod tamen & à Philosophiâ est alienum, & contrà omnes, & contra doctrinam demonstratam *hypoth.* 3. pro adstruendis speciebus visus, quę etiam alijs sensibus, seruatâ proportione, communis est. Quintò, quia necunde constat, speciem vnius sensibilis proprij alterius sensionem vnquam causasse, causassęt autem aliquando citrà omne dubium, si naturalem virtutem haberet causandi, quia nulla est virtus naturalis, quæ in aliquo indiuiduo totius speciei interdum non reducatur ad actum. Sextò toto tempore, quo existit species vnius sensibilis proprij impressa sensiterio, naturaliter est illi debitus concursus ad causandam sensationem eiusdem sensibilis, vt constat: Ergo numquam potest deberi illi concursus ad causandam sensationem alterius. Patet consequentia, quia ad causandas simul plures sensiones sui, & aliorum sensibilium propriorum numquam ei debetur concursus, alioquin nonnumquam saltem per vnius sensibilis proprij speciem, & ipsum, & simul alia nobis notescerent; quod est contra experientiam. Ad causandam autem sensionem sensibilis alieni, & non sui, nequit speciei deberi concursus aliquando, si semper debetur, vt est certum, ad causandam sensionem sui. Quod si numquam potest naturaliter esse debita speciei vnius proprij sensibilis, causatio sensionis alterius, conficitur planè ad talem causandam sensionem, illam nullam virtutem naturalem habere. Mitto plura, quia hæc ad persuadendum intentum videntur sufficere. Quemadmodum autem singulis proprijs sensibilibus singulæ species correspondent, ita singulis partibus extensionis vniuscuiusque singulæ partes speciei debent correspondere ob easdem rationes; supposito, quod ab eiusmodi partibus diuisibiliter causatur species, vt in superioribus est statutum.

105 Quod autē species vniuscuiusque proprij sēsibilis sit causatiua sensationis omnium præsentiarum, omniūque subinde sensibiliū cōmunium eius, quæ per vnumquemque sensum perceptibilia sunt, ex doctrinâ tradita pro visu *hypoth.* 4. & 5. Deindéque pro alijs sensibus repetita *hypoth.* 11. 13. & 16. compertum est; ibi enim statuimus, & ab illis percipi præsentiam, aliaque sensibilia communia, & non per peculiarem ipsorum speciem, sed per eandem propriorum sensibilium percipi. Quomodo autem species proprij sensibilis determinetur per partem sensiterij, cui imprimitur, ad repræsentandum illud per sensationem à se causatam sub hoc potius, quàm sub alio sensibili communi; *eisdem in locis* explicuimus.

Ex his sequitur primò, nullum sensibile com- 106
mune posse sine proprio sentiri, quia species proprij repræsentatiua communis non potest non, & proprium repræsentare; existimo autem sensibile proprium, & commune per eandem sensationem indiuisim sentiri; quæ eo ipso, quod suapte natura est actus, quo talis pars sensiterij, seu potius talis pars potentię ipsi respondens percipit sensibile proprium, est quoque actus, quo percipitur sensibile commune correspondens eidem parti sensiterij, & potentiæ, iuxta modum, quem sensus habent percipiendi sensibilia cōmunia, prout *in citatis hypothesibus* expositum est. Quomodo autem neque sensibile proprium sine aliquo communi potest sentiri, constat ex dictis circa visum *hypoth.* 8. dicendisque vniuersalius *hypoth.* 22. vbi statuimus sensibile proprium, nisi sub certâ quâdam quantitate, seu extensione sentiri non posse.

Secundò sequitur, etsi sensibile commune quo- 107
dammodo per speciem alienam dici possit sentiri, quatenus species, per quam sentitur, non à se ipso, sed à sensibili proprio nascitur, aut est idem cum illo: attamen absolutè loquendo per propriam speciem sentiri dicendum est, quatenus sentitur per illam in se ipso immediatè, & sicuti est in se. Quo iure, quæcumque obiecta cognoscunt Angeli, & animæ separatæ intuitiuè, per species proprias dicuntur absolutè cognosci; tametsi tales species non ab obiectis ipsis nascantur, sed infundantur à Deo, vt communis sententia fert: vniuersaliter enim ea dicitur species propria obiecti, per quam illud in se immediatè, & vti est in se cognoscitur vndecumque talis species suam ducat originem; cum tamen species aliena loquendo absolutè ea appelletur, per quam obiectum instar alterius, & aliter, quàm in se est concipitur, & consequenter in substituto alieno, iuxta doctrinam tradendam à nobis *infra disp.* 2. *q.* 3.

Hypothesis 19.

Sensus externi, si vnum Auditum excipias, na- 108
turaliter sentire nequeunt proprium sensibile actualiter non existens.

Sententia est communis, quam tenent Molina 1. *p. q.* 55. *art.* 2. *disp.* 2. *anemb.* 5. Soar. *lib.* 3. *de Anim. cap.* 12. & *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 53. *sec.* 4. & *disp.* 55. *sec.* 2. Rub. *lib.* 2. *de Anim. tract. de obiect. atque speci. sens. q.* 3. & omnes Recentiores contra Buridanum *lib.* 2 *de Anim. q.* 21. & 22. opinantem sensationem externam naturaliter posse contingere, absente prorsus obiecto, aut non existente.

Igitur, vt probem hypothesim, quod attinet ad 109
sensum visus, suppono cum Aguil. *lib.* 1. *Optic. propos.* 52. & alijs contrà Vasq. 1. *p. disp.* 38. *n.* 9. & alios, species visus ita ab obiecto, à quo producuntur, oculisque imprimuntur, in conseruari dependere, vt eo amoto, vel corrupto, illico corrumpantur. Docuit id August. *lib.* 11. *de Trinit. cap.* 2 dicens. *Species sunt velut in aquâ expressum vestigium*

vestigium, quod tandiu est, donec ipsum corpus, quod imprimitur, inest; quo ablato, nullum erit. Et ratione probari, potest primò; quia species visus non sunt aliud à lumine emissitio, & colore, vt *hypoth. 3.* statutum est. Constat autem lumen (& consequenter colorem, qui, vt dictum *ibidem*, sine ope luminis nequit diffundi) prorsus pendere à sui causâ in conseruari, vt fatentur omnes: aliàs ab exquisitiore lumine sẽsibiles aliquæ exuuiæ, amoto, luminoso perdurarent in corporibus illuminatis, quod non cõsentit experientiæ. Secũdò, quia si species visus, sublatis obiectis, aliquantisper se sisterent naturâ suâ, id vtique semper, & alicuius vtilitatis gratiâ eueniret. At non semper id euenit, vt experientiâ constat: si quando autem Aduersariorum opinione videtur euenire; id dispendio potius, quam vtilitate organi, aliamque ob causam fit; vt eis respondendo iam explico.

110 Opponunt enim Vaz, & alij. Qui attentè inspicit cancellos, luce perfusos, statim atque oculos claudit, eosdem cancellos, quasi in tenebris videt: ergo species impressa ab illis aliquantisper perseuerat ipsorum influxu cessante. Nec dici potest, inquit Vaz, tunc, non cancellos, sed aliud quidpiam intrà ipsos oculos existens sentiri, quodoquidem, id, quod apparet, sub eadem cancellorum figurâ, & quantitate apparet, qualem nihil intra oculum clausum habere potest.

111 Pro exactâ huius experimenti, aliorumque similium expositione, notandum est primò; sensus externos à suis obiectis non solùm intentionaliter affici, sed physicè etiam interdum ita immutari, vt post eorum sensationem minus apti ad quidpiam sentiendum remaneant; quod maximè euenit, quando sensatio est valde intenta, vel, quod in eam animal vehementiùs propendet, vel, quod obiectum exquisitæ intensionis est. Ita supponit Arist. *lib. de insomnijs cap. 2. & lib. 5. de generat. animal. cap. 1.* Hinc apud Philosophos statutum, & experientiâ compertum, sensus externos ab excellenti sensibili lædi. Sed cur ita? Non quidem, quod excellens sensibile per se medijs speciebus plus iusto intensis sensiterio noceat, vt vult Tolet. cum Caiet *lib. 5. de Anim. q. 4.* Neque, quod excellens sensibile simul cum speciebus nociuam aliquam qualitatem sensiterio imprimat semper, vt opinantur Rub. *lib. de Anim. cap. 12.* Soar. *lib. 3. de Anim. cap. 2. n. 35.* & alij. Sed, quod sensibile valde intensum veluti rapit potentiam ad valde intensam operationem: potentia autem nimio conatu plures, quam oportet, auocat spiritus animales, quorum eximius calor sensiterio nocet, vt benè docet Arriag. *disp. 4. de Anim. n. 46.* Etenim, cùm sensus corporei spirituum ope indigeant ad operandum, quo impensius in operationem incumbunt, eò copiosior spirituum prouentus naturaliter attrahitur, siue confluit in sensiterium. Quo, & sensiterium ipsum lædi & potentia hebetari solet pro sensationibus sequentibus. Atque inde etiam nascitur calor ille, quo caput accenditur, & dolor, qui interdùm suboritur, dum nimia attentione quippiam imaginamur: Itaque immodicus spirituum affluxus est, qui prauè organum disponit, dum sensus in nimis intentam incumbit sensationem; iuuat tamen insuper interdum ad læsionem organi qualitas aduenies forinsecus, vt calor nimius solis intenta, diuturnaue inspectione inspecti, aut influentia aduersa eclypsis è regione visi, aut quid simile.

112 Hinc nascitur, vt post intentum solis, aut alterius obiecti obtutum, nihil fere cernamus, dum oculos ad obscuriora loca conuertimus, eo, quod ea oculorũ dispositio, quam, vel spirituum affluentia, vel obiecti influxus progenuit, ad percipienda obiecta minus lucida, inepta est, donec paulatim mitescens, paulatim etiam præbet locum visioni talium obiectorum.

Hinc itidem non aliunde nascitur ea cancellorum Phantasia, quam post intentè adspectos cancellos oculis clausis subsentimus. Circa quod experimentum, illud est valde notatu dignum, quod cancellorum vacua, per quę translapsum lumen in oculis receptum fuit, ipsis occlusis, obscura apparent, cùm tamen cancellorum solida lucidiora videantur. Nimirum, quia eas organi partes, quę vacuis correspondebant, impensius lumen hebetauerit: praua autem organi affectio, eo ipso, quòd sensationem impedit, tenebrarum refert speciem: Nam, qui non videt, in tenebris sibi esse videtur. Quod si verò cancellorum esset species id, quod post intentam eorum visionem relinquitur in oculis, cancellorum vacua lucidiora vtique apparerent; vt pote, per quæ intensior species luminis accepta est. Est itaque, quod vident in casu posito oculi clausi, lumen inhærens ipsis palpebris quibus clauduntur (quod quidem visibile esse licet valde imperfectè ob nimiam ad sensiterium propinquitatem multæ aliæ comprobant experientiæ) vident autem illud per speciem, ab ipso retinæ, in quâ fit visio, impressam, & actu conseruatam. Et quoniam partes retinę vacuis cancellorum anteà visorum respõdentes plus hebetatæ ab intensiore lumine antea recepto, minùs benè post vident, quod sibi in illuminatis palpebris correspondet, quàm aliæ partes, quæ respondebant solidis, minusque à lumine mitiore alteratæ fuerant; ideò ea cancellorum figura in ipsis palpebris apparet. Eadem de causâ, si post intentum cancellorum aspectum ad obscuriorem parietem apertos oculos conuertimus; ibi etiam nobis cancelli repræsentantur, atque ita quidem, vt eorum vacua, à quibus intensius lumen acceperamus, obscuriora, solida verò, à quibus remissius, clariora, repræsententur; scilicet, quia partes retinæ vacuis correspondentes minùs bene, quàm aliæ, cernunt, quod eis respondet in pariete. Quod autem cancelli in his casibus sub eâdem quantitate, & figurâ, sub quâ visi fuerant, posteà appareant, inde nascitur; quia in eisdem partibus retinæ repræsentantur, penès quas semper taxatur quantitas, & figura obiecti visibilis, vt sæpe in superioribus dictum est. Ex quibus patet ad argumentum aduersariorum. Obiterque ex hoc, & similibus experimentis deducitur, quàm vera sit nostra oculorum Philosophia, quatenùs docet obiectum visibile intrà oculos per species in tunicâ retinâ pingi, in quâ positione nititur bona pars eius; id quippè est proprium doctrinæ verę, vt nihil offendat, quo non firmetur. Falsitas autem passim offendit ad casum.

His ita suppositis, iam, quod ad visum attinet, 114
liquet hypothesis. Si enim visus, nec potest sine specie à proprio obiecto sibi impressâ quidpiam videre, vt constat ex doctrinâ datâ *hypoth. 3.* nec tali obiecto non existente, talem speciem habere potest, vt ex modò dictis apparet; conficitur planè sensum hunc obiectum actu non existens sentire non posse.

De sensu autem Olfactus, Gustus, & Tactus in- 115
de eadem hypothesis probanda venit, quia ex vnâ

parte

parte sensus isti sine aliquo concursu obiectorum præstito per se, aut per speciem, non possunt moueri ad sentiendum, vt apud omnes est in confesso, & ex dictis in superioribus satis superque constat. Ex aliâ verò parte obiecta propria horum trium sensuum non per speciem à se decisam; sed per se immediatè concurrunt ad sensationem sui, & communium, vt *hypoth.* 11. 13. & 15. monstrauimus: Ergò absolutè huiusmodi sensus in obiecta non existentia naturaliter per sensationem ferri non possunt.

116 Excepi autem in hypothesi sensum Auditus; quia censeo eum naturaliter posse percipere obiectum iam non existens pro eâ temporis mensurâ, quâ percipit illud; imò plerumque, vt minimùm de facto res ita se habet. Cum enim species soni successiuè ad aures vsque deuehantur, seu potius propagentur, vt experientia monstrat, quandò è longinquo sonum audimus post moram temporis transactam ab eius productione; subindéque in conseruari à suo primigenio vnde suam trahunt originem, non dependeant, vt ego autumo, & suo loco fusè probaui; efficitur, vt obiectum, quod illæ notificant, iamtum non sit in naturâ rerum, quando simul cum ipso auditu causant eius sensionem: Notificant enim haud dubiè ipsum sonum primigenium, à quo nascuntur, siquidem ibi illum sentimus, vbi corporum collisione producitur, illicoque desinit esse, vt experientia ostendit.

117 Hæc dicta loquendo naturaliter: supernaturaliter enim, non est dubitandum, quin possit proprium sensibile non existens per vnumquemque sensum, vel impressâ miraculosè illius specie sensiterio, vel Deo per se adiuuante potentiam ad producendam sensationem loco speciei. Vt contra Gabriel. *in* 2. *dist.* 3. *q.* 2. docent Moli. Soar. & Rub. *suprà* citati cum reliquis tam Theologis, quàm Philosophis, imo de facto, cum Christus dominus sub specie pueri, aut caro eius, vel sanguis in Eucharistiâ videtur, vt sæpe miraculosè accidit, visa hæc reuerâ sæpe non esse in Sacramento, prout apparent, sed facta dumtaxat immutatione miraculosâ in oculis intuentium, videri, disertè docet S. Th. 3. *p. q.* 76. *art.* 8. cui consentiunt Scot. *in* 4. *dist.* 10. *q.* 1. D. Anton. 3. *p. tit.* 13. *cap.* 14. Victor. *relect. de Eucharistia n.* 62. Sot. *in* 4. *dist.* 10. *q.* 1. *art.* 8. & Ledesm. 1. *p. q.* 14. *art. vlt.*

Hypothesis 20.

118 Sensus externi quandoque falluntur; non semper.

Sermo est de fallacia minus propria, qualis dumtaxat potest sensui externo conuenire: fallacia enim, siue deceptio propriè dicta, in solo iudicio mentis reperiri valet. Igitur sensus externos interdum; non verò semper falli, dogma est receptum inter plerosque Philosophos ex Arist. *lib.* 2. *de Anim tex.* 63. & 161. vt videre est apud Conimb. *ibid. cap.* 6. *q.* 6. & Rub. *q.* 15. contra Epicureos, & quosdam Recentiores omnem auferentes fallaciam à sensibus externis, easque, quas experientia monstrat sensui interno, vel intellectui adscribentes. Et contra Academicos, qui vice aduersâ omnem prorsùs fidem à sensibus ablegarunt, quòd semper illos falli putarent; in quorum sententiam, seu errorem acriter inuehuntur Lucret. *lib.* 4. *de Natura* Tertull. *lib. de Anim. cap.* 17. & Auguſt. *lib.* 3. *contra Academicos.*

Porrò sensus externos interdum falli experien- 119
tia demonstrat: Nam sæpe videmus obiectum, aut etiam alio sensu sentimus in loco vbi non est: ergo percipitur per sensum præsentia obiecti non existens; quod est sensum falli percipiendo id, quod non est re verâ. Patet consequentia; quia si percipere obiectum in loco, vbi est, re verâ est sentire simul cum objecto præsentiam eius in tali loco, vti fatentur omnes: alioquin sensus nulla perciperet sensibilia communia. Percipere obiectum in loco, vbi non est re verâ, nequit non esse quoque sentire simul cum obiecto præsentiam eius in tali loco, & consequenter sensum falli; siquidem talis præsentia verè non extat. Quod autem sensus non semper fallantur, certo certius est; primò, quia non habent à naturâ falli, sed ab accidente occurrente, quod autem non à naturâ, sed ab accidente est, non semper est. Secundò, quia, quo tempore sensus à proprio sensibili immutantur, eodem ipsum naturaliter sentiunt, specie impressâ tunc naturaliter causante sensationem; igitur in tali sensatione, vtpote repræsentante, quod verè tunc existit, non possunt falli: Et quidem neutiquam posse sensus externos falli circà proprium sensibile; vniuersaliter ostendemus *hypoth. sequente.* Tertiò, quia, vel ex concursu consentiente diuersarum sensionum, vel aliunde etiam tracto discursu per potentiam altiorem manifestissimè deprehendimus sæpè sentiri à nobis obiectum, vbi re verâ est, & sub eâ quantitate, aut figurâ, quam re verâ habet: ergò ne circà sensibilia quidem communia falluntur semper sensus nostri. Quartò, quia si semper sensus externi fallerentur, nihil suppeteret, vnde possemus eorum fallacias corrigere; vnde in perpetuâ deceptione continuo versaremur. Quo, & vitæ nostræ status, & totius naturæ ordo penitùs turbaretur, imò, & ipsius prouidentiæ Dei excæcaretur dispositio, innumeráque subinde immania sequerentur absurda; quæ Lucret. Tert. & Aug. *supra* prosequuntur contra Academicos.

Obijci tamen potest primò pro Epicureis. Si 120
sensus externi erroribus obnoxij sunt, nulla erit certitudo in scientijs, nulla constantia, cum scientiæ maximè nitantur experimentis per sensus haustis. Respondeo, si perpetuo sensus fallerentur, atque mentis aciem eluderent, nullam vtique scientiam oriundam ab experientiâ possibilem fore; quod Academici decepti persuadere contendunt; si autem numquam fallerentur, aut fallerent, vnico actu haberetur semper certissima experientia. Nunc verò medio modo res se habet: nam tametsi nonnunquam sensus labantur, plerumque tamen non errant. Quò fit, vt tum primum certa sit vbique experientia, idoneáque, cui scientia nitatur, cum plurium actuum sibi consentientium repetitione firmatur; maximè, si sunt diuersorum sensuum, vt sæpe contingit. Adde argumentum factum nihil fauere Epicureis, quia ipsi negare nequeunt aliquas nobis fallacias obuenire circa obiecta cognoscibilia, siue autem illæ à sensibus, siue aliunde trahant originem; idem argumentum confici potest, vt patet: vnde ab omnibus est soluendum. Quomodo autem, etsi operentur sensus virtute speciei naturaliter sui obiecti repræsentatiuæ, interdum nihilominùs falli possint, ex dicendis *hypoth. sequenti* constabit.

Hypoth.

Hypothesis 21.

121 Fallacia sensuum externorum dumtaxat accidit circà sensibile commune. Non item circà proprium absolutè loquendo.

Sententia est Arist. *lib.2.de Ani.text.63.*& aliorum. Etsi pro opposita stent Conimb. *ibid. cap. 6. q.6.*Rub.*q.15.*Aguil. *lib.4. Optic. hypoth.1.* & alij Recentiores communiter. Ait enim Philosophus. *Dico autem proprium quidem, quod non contingit altero sensu sentiri: & circà quod non contingit errare, vt Visus coloris, & Auditus soni.* Argyropilus vertit; *Quod non potest alio sensu sentiri, & in quo non potest fieri error.* Nec sibi contrarius est Arist. dum *text.* 161. oppositum videtur docere; non enim docet re vera, sed ponit ex sententia aduersa, quo vniuersalius concludat id, quòd ibi prætendit, vt consideranti contextum perspicuum fiet.

122 Ratio à priori prioris partis datæ hypothesis est. Nam sensibile commune per speciem proprij percipitur indifferentem ex se ad plura, determinabilemque per positionem, quam acquirit in sensiterio, vt huius potius, quàm alterius causet sensionem, vti est in superioribus statutum. Cùm ergo ad huiusmodi positionem variandam variæ causæ extrinsecæ possint occurrere, efficitur, vt variæ quoque fallaciæ obueniant circà sensibile commune; ita enim, cùm species visus ratione reflexionis, aut refractionis interuenientis, aut alibi, aut aliter intrà oculum depinguntur, quàm recta, & naturali viâ tendentes, pingenda erant: in loco, vbi non est reipsa, alteriusque quantitatis, aut etiam figuræ, ab ea, quam re ipsa habet, apparet obiectum: fallaciáque subinde contingit circà eius sensibilia communia. Et in cæteris pariter.

123 Posterioris autem partis hypothesis ratio etiam à priori est; quia ex vna parte sensibilia propria per proprias species ad ipsa repræsentanda omnino determinatas sentiuntur, vnde aliud quidpiam loco eorum per tales species repræsentari nequit, vt constat. Ex alia verò parte, nec possunt talia sensibilia, dum non existunt per ipsas species repræsentari, prout opus erat, vt sensus falli absolutè dicerentur. Nam, vt *hypoth.* 18. statutum est, reliqui sensus externi præter Auditum naturaliter sentire nequeunt proprium sensibile, dum non existit actu: quamuis autem Auditus possit tantisper post eius corruptionem: quia tamen hæc mora, & valde exigua, & connaturalis est in hoc sensu, & semper vniformis, atque adeò nulli exposita deceptioni potentiæ interioris: idcircò sufficiens non est, vt absolutè ratione illius Auditus circà proprium sensibile falli dicatur. Ob id ex industria dixi *in hypoth.* fallaciam sensuum circà proprium sensibile non posse accidere loquendo absolutè; itaque in aliis sensibus ab Auditu, ne vmbra quidem fallaciæ potest contingere circà proprium sensibile. Auditus verò, etsi possit proprium sensibile iam non existens capere, non tamen ita, vt propterea absolutè falli dicatur.

124 Quæ, cùm ita sint, colligo primò, visum Ictherici, cui cuncta pallida apparent, non ideo falli, quia fictitium cernat pallorem; sed, quia verum pallorem in eo loco, & in eo subiecto cernit, vbi verè non est. Quod est errare circà sensibile commune. Docuit id disertè Arist. *text.illo 63.* subdens. *Visus enim non errat esse colorem, aut Auditus esse sonum; sed, quid sit id, quod est infectum colore, vel vbi: aut, quid sit id, quod sonat, aut vbi.* Itaque, dum Ictherici, aut, qui per vitra colore aliquo tincta prospiciunt, cernunt distantia obiecta colore, quem non habent, infecta, haud fingunt colorem, qui non sit; sed eummet, qui humoribus oculi, aut vitro interposito inhæret, & in alio loco vident, & in alio subiecto dissito. Quod sanè exinde nascitur, quia radij, seu species obiecti per vitrum, aut per humorem oculi traiectæ ipso vitri, aut humoris innato colore inficiuntur; dum, cum speciebus vitri, aut dicti humoris permixtæ eisdem earum lineis feruntur, donec in retinam impingunt, vbi patratur visio. Cumque visio ipsa efficiatur ab ea specierum mixtione, quæ ex obiecto distante, & ex vitro, aut humore interposito pullulauit, non potest non natura sua repræsentare tum colorem obiecti, tum colorem vitri, aut humoris; eos tamen duos colores permixtos repræsentat, eo ipso, quòd ab speciebus eorum inter se permixtis causatur. Et quoniam pyramis optica externa tali visioni correspondens non terminatur in vitro, aut in humore, sed in obiecto distante, ideo necesse est, vt inibi etiàm terminetur visio iuxtà doctrinam traditam *hypoth.* 7. Atque ita in obiecto distante apparet color ex vtroque colore mixtus, perinde atque si ibi esset; cùm tamen re vera non sit. Vnde, si quis per vitrum pallidum cernat obiectum aliquod cæruleum, efficitur, vt ipsum obiectum appareat viride: eò videlicet, quod ex colore flauo, & cæruleo permixtis inter se resultat color viridis. Ex quo patet in his, & similibus euentibus fallaciam visus non circà sensibile proprium accidere, sed circa commune: quia Visus nunquam cernit colorem, qui re ipsa non sit, etsi cernat eum sub aliqua præsentia, quam non habet. Neque cernere colorem mixtum ex duobus modo explicato est cernere colorem non existentem; quamuis sit cernere aggregatum sensibile non existens: quia mixtum illud ex variis coloribus coalescens, suprà ipsos colores, qui verè existunt, nihil addit, præter præsentiam localem, ratione cuius permiscentur: quæ, quia non est vera, efficitur, vt aggregatum illud collectiuè sumptum non sit, non ex defectu alicuius spectantis ad sensibile proprium; sed ex defectu præsentiæ spectantis ad sensibile commune. Atque eodem pacto de reliquis sensibus externis, deque eorum fallaciis philosophandum est, habita ratione naturæ vniuscuiusque.

Secundò colligo cum quis probè diiudicans 125
obiectum eminùs à se visum habere aliquem colorem; ignorat tamen quis color ille sit, aut etiam deceptus existimat esse colorem, qui non est; tum quidem huiusmodi fallaciam non sensus, sed intellectus esse: quia sensus nec potest discernere inter rationem genericam, & specificam sui obiecti; eò, quod nequit non eodem prorsus modo percipere quicquid realiter suum obiectum est, vt alibi monstrandum; nec potest tangere aliud proprium sensibile ab eo, cuius habet speciem, vt constat ex dictis.

Tertiò colligo speciem sensibilis proprij deter- 126
minatam iam per talem positionem in sensiterio ad repræsentandum ipsum sensibile in tali loco, sub tantaque quantitate, & sub tali situ, aut figura, aliam præterea determinationem à causa prima oriundam (nàm alia non est à quâ oriatur) desiderare; qua tandem determinetur ad causandam hanc indiuiduam sensionem huius indiuiduæ præsentiæ, siue extensionis,

siue

siue figuræ, ex pluribus possibilibus in tali loco. Credendum autem est, quoties sensus suum sensibile proprium percipit in loco, vbi est re verâ; tunc Deum suo concursu determinare speciem ad causandam sensationem eius præsentię dicti sensibilis, quam ipsum verè habet de facto; non verò sensationem alterius ex ijs possibilibus, quas in eodem loco posset habere: quia non est, cur Deus suo concursu generali sit causa fallaciæ, quam natura rerum non poscit, quando magis ipsi naturę videtur consentaneum, quòd ea non detur, vt in casu posito. Cum verò sensibile proprium ex sensiterij determinatione est notificandum per speciem in loco, vbi verè non est: Tunc Deus ad sensationem alicuius ex præsentijs in tali loco ei possibilibus pro mero arbitratu determinat: quia tunc nulla ratio videtur esse, cur vna præ alijs percipienda à sensu eligatur. Et idem est de alijs communibus sensibilibus, quæ reipsa, vt aliàs notaui, non distinguuntur à præsentia.

127 Multa præterea de fallacijs visus in particulari, quæ circà vnumquodque sensibile commune oculis accidere solent, possent adiungi. Verùm ea magis ad perspectiuos, quam ad Philosophos attinet; neque ad institutum præsens aliquid conferunt. Adeat, qui volet, nostrum Aguilon. fusè de ijs, & accuratè differentem *lib. 4. Optic. per totum.*

Hypothesis 22.

128 Quæ diximus *hypoth. 7.* circà sensum visus de minimis sensibilibus, & sensitiuis, omnibus sensibus externis communia sunt.

Itaque, quilibet externus sensus certam quantitatem sensiterij requirit, in quâ fiat sensatio, ita vt in minori non possit fieri. Certam etiam extensionem, & intensionem tum obiecti, tum speciei, quâ minor nequit sensationem causare. Quod quidem, & rationi, & experientiæ consentaneum est, vt discurrendo per singulos sensus facilè posset comprobari; sed non est necesse immorari; quia res est certa, & ex dictis *hypoth. illâ 7.* satis superque constans.

129 Quomodo autem, licèt sensus externi quamlibet differentiam, seu dissimilitudinem suorum obiectorum necessariò percipiant, vt potè ab ipsis indistinctam realiter: potentiæ tamen interiores huiusmodi differentiam non valeant discernere, nisi, cum certam quantitatem, siue certum gradum attingit; atque ita comparatione illarum minima etiam dentur talium differentiarum, inferius suo explicabitur.

Hypothesis 23.

130 Dolor, siue molestia, & voluptas, quæ per sensus externos in ipsis eorum sensiterijs percipiuntur, nihilo differunt ab ipsis eorundem sensuum actibus, siue sensionibus, quæ suapte naturâ, & per se molestæ aut iucundæ sunt animali sentienti.

Ita tenent Tolet. *lib. 3. de Anim. q. 2. in probatione 4. concl.* Vales. *lib. 4. contr. cap 4.* Vaz. testans de communi Medicorum *tom 1. in 3. p. disp. 62. cap. 2.* Ouiedo *contr. 4. de Anim. pæn. 3. n. 12.* Card. Lugo *tom de Incarn. disp. 22. sec. 2.* & alij contrà Soar. *lib. 5. de Anim. cap. 5. & tom. 1. in 3. p. q. 15. art. 5. in comment. art.* & Rub. *Tract. de sens. Tact. n. 77.* censentes cum Scot. Gabr. Caiet. Duran. & Portio. apud Vaz & alios, dolorem, qui in membris sentitur, appetitus sensitiui esse actum: & contra Petr. Hurt. putantem molestiam, & voluptatem, quas in quinque externis sensibus experimur, actus esse totidem appetituum, quos ipse (singulari quidem cogitatione, alienaque ab omnium Philosophorum mente) confingit, quasi singulis potentijs cognoscitiuis etiam externis singulæ debeant appetitiuæ potentiæ correspondere. Porrò dolorem, siue molestiam, & voluptatem, quæ capiuntur per sensus, actus quosdam esse vitales; non verò obiecta propriè loquendo; in confesso apud omnes est. (Esto nonnunquam, teste Lugo, obiectum doloris dolor vocetur, tum, quia omnis dolor, & delectatio ex proprio doloris, & delectationis conceptu exercitium quoddam vitale est, atque adeo actus vitalis, vt patet in dolore, siue tristitiâ, & delectatione hominis interiori tam sensitiuâ quam rationali. Tum, quia ex diuersâ corporis dispositione sæpissimè nascitur, vt de eisdem omninò inuariatis obiectis modò dolorem, modò voluptatem ipsa sentiendo percipiamus. Quod est dolorem, & voluptatem, non obiecta; sed actus esse.

Igitur, quod dolor, & voluptas externorum sen- 131
suum non sint actus appetitus interni residentis, aut in corde, vt cum Arist. & Galeno opinatur Soar. *suprà cap. 4.* aut in cerebro, vt cum Hurt. & alijs sentit Ouied. primò probatur ab experientiâ satis cõspicuâ. Nam dolor, quo pes mihi dolet, quando comprimitur, aut feritur, in ipso pede est, non alibi: ibidem enim dolorem experior, vbi experior compressionem, aut ictum, compressionem autem, aut ictum manifestè experior in pede, vbi re verâ est non alibi: sed, si appetitus interior residet in corde, aut in cerebro, non potest actus eius in pede esse, vt patet; quia ibi est actus naturaliter, vbi potentia ineft. Igitur dolor, quo pes mihi dolet, nequaquam potest esse actus appetitus interni. Secundò probatur, quia talis dolor arbitrio voluntatis nullomodo subiectus est, vt etiam constat experientiâ; cùm tamen appetitus quoad proprios actus quadamtenus tali arbitrio subdatur, vt est certissimum. Tertiò, quia dolente membro aliquo corporis, quandoque appetitus delectatur, aut de ipso dolore, aut saltem de doloris obiecto; vel, quia tale obiectum aliàs est homini proficuum, vel, quia virtute voluntatis amantis dolorem, aut obiectum appetitus inducitur ad delectationem: quam tamen nequiret concipere, vt pote dolori contrariam, si talis dolor ipsius appetitus actus esset. Quartò, quia multa appetit, aut refugit appetitus præcisè, quòd sensibus externis delectabilia sunt, aut molesta, appetit etiam eorumdem sensiones iucundas, & gratas: ingratasque, & molestas fugit: igitur huiusmodi rerum, sensionúmque voluptas, siue molestia ad obiectum pertinent appetitus; in externisque sensionibus, quas ipse appetit, aut auersatur non in proprijs ipsius actibus insunt. Per quæ etiam probatur sensuum dolorem, & voluptatem actibus appetitus interni tribui non posse; tametsi demus hunc per totum corpus animalis dispersum esse; vt quidam minùs probabiliter contrà communem Philosophorum consensum opinati sunt. Fateor actum, quo appetitus tristatur de dolore, siue molestiâ sensuum externorum, sicut, & de quouis alio malo præsente, dolorem etiam solere appellari, sicut, & voluptatem actum quo gaudet de bono præsente; modo tamen de isto dolore, atque voluptate non agimus; sed de ijs, quæ in sensiterijs ipsis externis experimur.

Quod

132 Quod autem eiusmodi voluptas, & dolor sensuum externorum non sint actus aliorum appetituum,quos adstruit Hurt. singulis ipsis sensibus respondentium inde potissimùm probatur, quia tales appetitus sine vlla necessitate,atque adeò sine fundamento,& contrà omnium mentem,imò, & contrà rationem adstructi commentitij censendi sunt. De quo plura suo loco; videatur interim Quiedo hosce appetitus impugnans *sup.* Adde eis admissis, adhuc non esse negandam externis sensibus suam propriam iucunditatem, aut molestiam à propriis actibus indistinctam, qualem citrà dubium etiam habent sensus interior,& intellectus, iuxtà dicenda posteà suo loco.

133 Quæ,cùm ita sint, colligo planè sensus externos præter obiecta suos quoque actus sentiscere,atque percipere,quâdam experimentali notitia, non per alios reflexos;sed per ipsosmet, vti ipsorum percipiunt iucunditatem,aut molestiam.De quo vide dicenda *infrà hypoth.*28.

Hypotheses de sensu interiori.

Hypothesis 24.

134 Sensus internus materialis, siue corporeus, qui in nobis,quemadmodum & in reliquis animalibus inest, ab intellectu condistinctus vnica tantum potentia est multis atque diuersis distenta muneribus.

Enim verò multas in nobis, atque in aliis etiam animantibus internas functiones experimur,quibus existentia alicuius sensus interni, siue principij earum euidentissimè innotescit. Primò enim cognoscimus nos audire,tangere,olfacere, cœteráque externorum sensuum munia percipimus, atque inter eorum obiecta discernimus. Quod sanè ab aliqua facultate interna præstatur: quam Philosophi *sensum communem* appellant:eò videlicet, quòd sensuum omnium externorum obiecta percipit, ad illúmque veluti ad centrum vndique ex singulis aliorum sensuum organis imagines confluunt sensibilium,vt tanquam æstimator, & arbiter diuersorum sensuum obiecta discernat: cum tamen quilibet sensus particularis proprij dumtaxat sensibilis percipiat differentias. Secundò non solùm sensibilia,atque sensationes externas per internum sensum dignoscimus, dum præsentia sunt, sed etiam omni sensu externo quiescente, & ab operatione feriante,sensata obiecta interiùs voluimus, ac circà illa phantasiamur.Vt patet in dormientibus, atque etiam in vigilantibus, cuius muneris principium *Phantasia* à nonnullis vocatur:hæc tamen facultas tantum versatur circa simplicia obiecta. Præterea tamen tertiò experimur actum alium, seu sensationem internã,per quam ex duobus, aut pluribus obiectis sensatis tertium quoddam componere solemus,vt cum ex monte,& auro montem quemdam aureum compingimus: virtus autem id præstans *Imaginatio* dici solet; Eamque Phantasiam vocitat Arist. *lib. 3. de Anim. cap.*3. Et quidem propriùs hæc,quàm præcedens Phantasia dicitur.Quartò externa sensata sub noua quadam ratione conuenientis, aut disconuenientis apparere solent ad intrà; quo permoueri solet appetitus sensitiuus animalis, vt fugiat,aut insequatur obiectum propositum, sicut ouis fugere solet lupum, quem cernit, & cani intrepidè adhærere. Cuius functionis facultas vocatur *Æstimatiua*: extenditúrque ad præsentia dumtaxat.Insuper tamen quintò aliud sentiendi officium datur circa sensata iam præterita, cuius principium appellatur *Memoria.* Constat enim postquàm semel obiectum aliquod sensu percepimus, posse iterum,eo iam absente,& nullo sensu externo operante, de eodem obiecto sensum internum cogitare,seu recordari:& in somniis quidem, quando omnes potentiæ exteriores ab operatione feriantur, sæpissimè circà obiecta sensata phantasiamur. Atque hæ quidem quinque functiones non in homine solùm;sed in aliis etiam animalibus inueniuntur,vt experientia monstrat. Adhuc verò alia duo munia,vt propria homini tribuuntur, quæ sensitiua facultas ex vicinia cum intellectu, quo bruta carent,participat.Cùm enim intellectus discurrit,sensatrix etiam facultas suo modo discurrit, comitans illam;quod dum præstat circa præsentia, *Cogitatiua* dicitur;dum circà præterita,*Reminiscentia.*

135 Igitur pro hisce septem functionibus alij quinque sensus internos ponunt;alij quatuor; alij tres; alij duos. Nos verò eidem facultati, siue potentiæ physicæ eas omnes adscribimus cum Soar. *lib. 3.de Anim.c.*30.Rub.*tract.de sensibus internis q.*1.Petr. Hurt.*disp.*17.*de Anim.sec.*7.Quied.*contr.*4.*punc.*2. Arriag.*disp.*5.*sec.*4. Franch. Alph. *disp.*11.*sec.*2.& aliis Recentioribus;imò,& cum Arist.variis in locis apud Soar. & alios. Apud quos, & apud Conimb. *lib. 3. de Anim. cap. 3. q.* 1. alias sententias explicatas, earúmque auctores inuenies. Ratio autem potissima nostræ Sententiæ est, quia ex vnâ parte diuersitas operationum non arguit diuersitatem facultatum, quandoquidem intellectus noster simpliciter apprehendit, iudicat, discurrit, & reminiscitur, & nihilominùs vnica tantum facultas animæ est secundũ omnes Philosophos: ex aliâ verò parte, non sunt absque necessitate multiplicandæ potentiæ, seu facultates animæ. Igitur dicendum videtur omnes operationes, quas recensuimus,ab eadem animæ facultate prodire, atque adeo sensum internum vnicum tantum esse. Quòd si hoc est verum,etiam casu, quòd potentiæ vitales sint proprietates realiter superadditæ substantiæ viuenti;multò erit verius siue certius, si sint ab illa realiter indistinctæ, vt fert sententia iam inter Recentiores communior, cui ego subscripsi *suprà q.*1.*n.* 3. Mitto alia argumenta, quibus singulatim ostenditur omnes recensitas functiones ab eadem physicâ facultate nasci debere,prout apud præcitatos Auctores videri potest. Ad meum enim institutum satis sunt dicta.

136 Aduerto tamen non solùm iuxtà Philosophiæ, sed etiam iuxtà Fidei principia esse certum dari in hominibus sensum internum materialem,siue corporeum ab intellectu merè spirituali condistinctum, cuius commemoratæ functiones proprij actus sint; quemadmodum certum quoque est iuxta Philosophiam,& Fidem dari in hominibus appetitum sensitiuum corporeum à voluntate merè spirituali distinctum. Qui quidem in suis operationibus per actus dicti sensus interni regitur;vti voluntas per actus intellectus.Ab huiusmodi quippe corporeis facultatibus nascitur lex illa rationi aduersa, de qua dicit Apost.ad Rom. 7. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.*Quemadmodum, & illa concupiscentia, & fomes, quem in renatis per Baptismum remanere definit Trident. *sess. 5. in decreto de peccato originali num.* 5.

Hypothesis 25.

137 Sensus internus in anteriori parte, & in medulla cerebri videtur residere, in eâ videlicèt frontis portione, quæ suprà oculos est.

Primum enim sensum internum habere suam sedem in cerebro communis, & constans Medicorum sententia est contrà Arist. ponentem illum in corde. Eam tenet Gale. *lib. 8. de vsu partium cap. 3. & 4.* Atque etiam *lib. 3. & 7. de placitis*, sequuntur Tolet. *lib. 3. de Anim. q. 5.* Conimb. *q. 2. art. 2. & lib. 1. de ortu, & interitu*, Soar. *lib. 3. de Anim. cap. 13. & 31.* Rub. *tract. de sens. intern. q. 7.* & omnes Recentiores cum Alberto, S. Thom. & aliis. Probatur autem primò; quia, vt constat ex Anatomiâ, & Galenus docet, cerebrum, non verò cor est radix neruorum, per quos sensus administrantur, & ideò principium fontale, & origo totius sensationis: qui quidem nerui grossiores sunt, quò propinquiores cerebro, & si ligentur per medium, versus cerebrum manent sensibiles, secus ab alia parte. Secundò, quia læsio capitis impedit sensationem illæso corde. Tum læsa animali virtute veluti Phantasia, medicamenta capiti; non cordi apponuntur, vt scitè notauit Galen. *lib. 3. de locis patientibus cap. 4.* Tertiò, quia imagines, & phantasmata rerum, & somnia in capite fieri experimur. Vnde *Daniel.* 2. dictum est regi Nabuchodonosor. *Somnium tuum, & visiones capitis tui huiusmodi sunt*, & cap. 4. *cogitationes meæ in strato meo, & visionem capitis mei*, &c. Quartò, quia ex vehemente attentione lassatur, & dolet caput; non cor. Quintò, quia cerebrum aptiorem locum, quàm cor retinet in hominis structurâ, aliorúmque animalium, quo possit aptius sensus internus, qui veluti centrum aliorum est, in cerebro; quàm in corde morari. Tum in sublimiori loco est, sensibúsque externis propiori, vt inde ad ipsos virtutem deriuare facilè possit; sensus enim interni operatio plurimùm confert ad externorum operationes. Nec refert dici in Euang. Matth. 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* & cap. 15. *De corde enim exeunt cogitationes malæ.* Nam, vt exponit Soar. *suprà*; ibi cor pro animâ accipitur, vel pro appetitu residente in corde, saltem quoad effectus, cui cogitationes tribuuntur, quia vnusquisque de iis, quæ appetit, cogitat. Porrò appetitum in corde suam sedem habere sententia est Galeni, Soar. & aliorum. Tametsi Recentiores plerique illum in cerebro collocant simul cum sensu interno, censentes illum ab hoc moueri non posse, vt debet, si loco sint dissiti: qui consequenter aiunt eas, quas in corde experimur, commotiones ab appetitu concitatas effectus eius esse; non actus. De quo nos suo loco.

138 Antequam probem, quod supereſt datæ hypotheſis noto communiter ex Anatomia tradi, in cerebro tres esse sinus, siue cellulas; vnam quidem in posteriore; duas autem alias in anteriore capitis parte. Præter quas quartam in medio capitis ponunt alij in quibus, qui plures sensus internos adstruunt, eos accommodant, vt apud præcitatos Auctores videre licet. Cæterùm ab istis cellulis pro re præsenti nullum firmum argumentum potest deduci; quia esto illæ verè subsistant, quod non satis exploratum videtur; aliis, diuersisque vsibus, quam, vt sedem præbeant sensui interno, dicuntur à præstantissimis Medicis destinatæ à naturâ; vt videre est in Galen. *lib. 8. de vsu part.* Vessal. *lib. 7. cap. 6.* Realdo Columbo *lib. de cerebro, & neruis cap. 1.* Fernel. *lib. de partium humani corporis descriptione cap. 9.* & quidem, vt notat Vessal. *ibid.* nerui sensorij à cerebro descendentes in organa externorum sensuum in dictos sinus, siue cellulas non terminantur. Vnde Soar. & Rub. non videntur benè ponere sensum internum, quem vnicum dumtaxat esse opinantur, in duabus cellulis capitis anterioribus. Tum, quia organum vnius sensus, vnicum esse debet. Imò Fernel. *lib. de natural. facult. cap. 10.* non patitur, sensus internos, esto sint plures, situ, aut loco disiungi vllo pacto. Ob id alij sub iis cauitatibus frontis collocant sensum internum: vbi alij quamdam aliam cauitatem assignant, in quam ex Anatomia referunt concurrere neruos sensorios. Vtrum autem in medulla cerebri, an in membranulis dictus sensus existat, adhuc coutrouersum est inter medicos. Fernel. in membranulis esse ait Galen. in medulla. Nec defuerunt, qui in spiritibus animalibus illum collocarent, sed hi communiter reiiciuntur.

139 In tantâ opinionum varietate, quod certius videtur, est, quod nos dicimus, residere scilicet sensum internum in medulla eius portionis frontis, quæ supra oculos est; quicquid sit de cauitatibus, quæ ibidem referuntur existere; maximè, quia in eam cerebri partem concurrere neruos sensorios per quædã foramina, communior sententia videtur, quã tenent Conimb. *sup.* Et quidem, quicquid internæ sensationis sub experientiam cadit, id quidem in ipsa fronte videmur experiri: ibi enim, cùm primùm sentitur lassitudo, defatigatio, dolor, intensus calor, &c. quæ ex nimia attentione, aut ex nimio studio solent accidere: ibi etiam rerum imagines, siue phantasmata videmur conspicari, cùm vehementiori conatu ad spectra corporea Phantasiam applicamus. Ibi igitur videtur esse organum sensus, atque instrumentum internæ sensationis. Quod quidem non potest non esse diuisibile, & extensum, vt patet, cùm sit corporeum, & materiale. Quam verò structuram habeat, & formam, ignotum hactenus esse videtur.

Hypothesis 26.

140 Sensus internus speciebus impressis iuuatur ad operandum. Quæ diuersæ naturæ sunt ab speciebus externorum. Et à sensationibus ipsis externorum sensuum causantur.

Prima pars hypotheſis extrà controuersiam iam est apud omnes Philosophos: Probatúrque in primis illis rationibus tactis *q. 1. propos. 1. & 2. & in hac q.* variis in locis, quæ in vniuersum probant quamlibet potentiam cognoscitiuam per speciem sibi inhærentem iuuari ad cognoscendum. Deinde, quia ad sensationem interiorem memoratiuam dubium non est, quin sit necessaria species impressa relictâ ex sensatione primariâ eiusdem obiecti, quãdoquidem, nisi ea relinqueretur species impressa nihil esset, quo memoria sensitiua ad talem memoratiuam sensationem posset iuuari. Ad primariam etiam internam sensationem, cùm neque obiectum, neq; eius externa sensatio, vtpote, quæ loco dissitafunt, possint immediatè cõcurrere, quidquid minus philosophicè dicat Ouiedo *contr. 13. de Ani. punc. 2* alia citrà dubium species est necessaria, quæ, vel per meatus, vel per neruos sensorios transmissa ipsi sensiterio, vel sensui externo imprimatur.

141 Vnde secunda pars hypotheſis, (quam tenent Soar. *lib. 3. de Anim. cap. 9.* Rub. *quæst. 9 &* alij communiter) probanda venit primò, quia diuersæ

diuersæ potentiæ,quales sunt internæ, & externæ, diuersa comprincipia ad suos actus videntur postulare.Secundò,quia species exterior pendet in fieri,& esse ab obiecto;secus interior. Tertiò, quia si species interna & externa essent eiusdem naturæ, interna ab externâ produceretur, quod fieri nequit,vt statim ostendam. Quartò , quia species externæ,è naturâ sunt obiectorum ; species enim lucis lumen est,species coloris,color, &c.vt in superioribus probatum est. Constat autem speciem internam lucis non posse esse lumen , quod per corpora diaphana solùm potest transfundi. Tum species interna caloris calor non est, cùm non experiamur calorem in cerebro , quando manus exuritur , sine moráque ad cerebrum perueniat species caloris, cùm calor ipse successiuè produci debeat propter contrarium , &c.

142 Pro tertia denique parte hypothesis stant nobiscum Fonsec.*lib.1.metaph.cap.2.q.3.sec.*8. Moli.*1.p. q.1.art.2.disp.*4.Rub.*lib.3.de Anim.q.9.*& alij Recentiores communiter, insinuátque S.Th.*1.p.q.*78. *art.4.ad* 2.contra Soar.*lib.3.de Anim.c.9.* opinantem cum aliis speciem sensus interioris à quodam sensu agente etiam interiori produci, extrinsecè ad id excitante sensatione exteriore. Contrà alios quosdam apud Rub.censentes produci illam à sensu externo determinato per externam sensionem;& contrà alios apud Soar. dicentes produci ab specie externâ impressa sensui externo per ipsum obiectum.Itaque non abiis causis ;sed à sensatione ipsâ externâ producitur. Quod probo primò ; quia species sensus interioris ab obiecto debet suam trahere originem , vt verum sit illud pronunciatum D. August. *Ab obiecto,& potentiâ paritur notitia*,receptum ab omnibus , saltem , quod attinet ad obiectum sensibile:sed nihil est,per quod obiectum immediatè vt per effectum à se deriuatum,concurrat ad dictam speciem causandam , nisi sensatio externa:ergo. Probo minorem ; quia effectus obiecti dumtaxat sunt species impressa externa,& ipsa sensatio;species autem impressa externa per se internam non causat ; quandoquidem ipsa existente in sensu externo,si externa sensatio non fiat , species interna non causatur,vt patet in dormientibus, patientibus ecstasim, & similibus. Vniuersaliter enim nihil sentit sensus internus , quod priùs non senserit externus,quantumuis hic specie impressa obiecti fuerit affectus.Quod si species impressa interna sine concursu externæ sensationis non fit , ab ipsâ vtique , tanquam à causâ adæquatâ censenda est fieri ; quia satis superque videtur proportionata ad id muneris,neque est,cur alias concausas illi adiungamus,vt consideranti patebit. Omnes igitur,quas aduersarij adiungunt , prorsus sunt reiiciendæ. Id, quod secundò inde venit probandum;quia,vt *infrà hypoth.*29. ostendemus , sensus internus per eamdem speciem percipit obiectum sensatum , & eius externam sensationem. Ast species sensationis externæ ab ipsâ sola nasci debet , vt constat : ergo & species sensati obiecti,quæ realiter eadem est.

143 Itaque in eadem temporis mensurâ , quo celebratur sensatio externa , diffunditur ab illa species impressa , vsque ad cerebrum per continuatam actionem ; perinde atque à luminoso in primo instanti , in quo illud incipit esse, diffunditur lumen per totam suæ actiuitatis sphæram. Medium autem potissimum , per quod talis specierum profusio fit, spiritus animales sunt aërei naturâ suâ , seu potiùs ignei : eóque fine inter alios à naturâ dati , vt per internas corporis cauitates , quas opplent, viam aptam ad cerebrum sternant huiusmodi externarum sensationum speciebus.

Dicet fortasse aliquis. Ad sensationem externam attentio sensus interni omninò necessaria est. Experimur enim,dum mens aliò diuertitur, nimisque alicui obiecto cogitabunda hæret, parum , aut nihil sensus externos de suis obiectis sufficienter applicatis percipere : ergo sensatio interna ad externam prærequisita est ; & consequenter hæc ab illâ mediâ specie prodire nequit. Hoc argumentum contrà omnes est, & nimiùm probat. Respondeo ad sensationem externam requiri sensus interni attentionem , non quidem positiuam , sed negatiuam.Est dicere ad sensationem externam non requiritur absolutè , vt sensus interior cogitet de eodem sensus externi obiecto : requiritur tamen , vt alteri obiecto per nimiam attentionem non adhæresçat. Dum enim in organo interiori eximiâ attentione exercetur aliqua operatio,eximio etiam opus est spirituum animalium prouentu , quippe, qui eximiè conducunt ad eiusmodi sensuum operationes.Atque adeò naturaliter, quò maior est attentio sensus interni , eò plures spiritus illuc auocantur. Quò fit,vt sensus externi,ij præsertim , qui circà alia obiecta exercendi erant , spiritibus destituti , quibus erant fouendi ad suas operationes, aut nimis languidè eas exerceant aut eas prorsùs omittant.

Hæc dicta sunt de causâ speciei interioris , quæ 145
primò sensui interno imprimitur ad eliciendam primariam obiecti sensationem;supereſt tamen dubitandum , an hæc eadem species sit , quæ in memoriâ sensitiuâ retinetur ad vlteriores , memoratiuâsque sensationes;an verò alia distincta ad id muneris producatur,& à quâ causâ ?

Censeo dicendum speciem memoratiuam , quæ 146
in memoriâ sensitiuâ asseruatur, non esse eamdem cum eâ, quæ à sensatione externâ immittitur ; sed aliam ab ipsâ internâ sensatione productam. Primò , quia species memoratiua non solùm est species obiecti,sed etiam , quodammodo sensationis internæ præteritæ , vt *hypoth.*28. probabo ; qualis non est species à sensatione externâ inducta , vt constat:ergo alia est ab illâ , productáque à sensatione internâ.Secundò , quia sensatio interna absque dubio habet virtutem producendi speciem impressam in memoriâ asseruandam : quandoquidem , vt experimur per repetitas internas sensationes circà aliquod obiectum absens , species eius interna intenditur adeo,vt clariùs illud, & faciliùs deinceps apprehendamus ; quin sensus externus itidem circà illud versetur : ergo dicendum est talem speciem semper produci à sensatione internâ de facto.Tertiò,quia quæuis intellectio quâuis ratione comparata speciem impressam relinquit in memoria intellectiua ad iterum idem ipsum intelligendum,vt & experientia,& communis Philosophorum persuasio testantur : ergo tantumdem est dicendum de quâlibet sensione internâ. Quartò, quia valdè credibile, & satis consentaneum rationi est speciem internam primariam à sensatione externa impressam,ab ipsâ sensatione externâ pendere in conseruari,vti species impressa externa dependet ab obiecto;atque adeo cessante sensatione externâ,illicò desinere esse. Tametsi species secundaria à sensatione interna producta , vtpote diuersæ naturæ , in conseruari non dependeat à suâ causâ, quia hoc est proprium memoratiuarum specierum, quæ in memoriâ , seu sensitiuâ,seu intellectiuâ asseruantur.

Hypothesis 27.

147 Sensus internus obiecta insensata per species insensatas non percipit.

Ita tenent Soar. *lib. 3. de Anim. cap. 9. num. 13. & in Metaph. disp. 23. sec. 10. sub finem.* Pet. Hurt. *disp. 17. de Anim. sec. 8.* Quied. *disp. 13. de Anim. punc. 2. n. 11.* Franc. Alf. *disp. 12. de Anim. sec. 5. n. 68.* & alij contra Rub. *tract. de sensu intern. q. 10.* Salas *1. 2. tract. 1. disp. 4. sec. 4. n. 76.* Arriag. *in Phys. disp. 8. sec. 6. & disp. 5. de Anim. sec. 5.* & alios ab eis relatos censentes bruta obiecta aliqua insensata per species insensatas cognoscere, vt conuenientiam, & disconuenientiam eorum, quæ sibi proficua, vel nociua sunt, & similia; inter quæ numerat Arriaga negationes, & priuationes rerum. Dicuntur quippè obiecta insensata, quæ per externos sensus non percipiuntur; species autem insensatæ, quæ ad percipiendum eiusmodi obiecta aliunde, quàm ab externis sensibus accipiuntur.

Probatur tamen nostra hypothesis primò, quia 148 non est excogitabilis causa, à quâ insensatæ species brutis proueniant. Asserere enim eas infundi à Deo, vt censent Salas, & Arriaga, parum philosophicum est, & multum à ratione alienum; quia neque est verisimile habere bruta aliquam speciem, cuius nulla causa sit naturalis distincta à causâ primâ; neque est credibile cognoscere bruta res insensatas per species proprias infusas à Deo, quando hæc perfectio ne hominibus quidem concessa est, vti fatentur omnes. Alioquin sapientiora in multis essent bruta, quàm homines, vt statim ponderabo. Nec dici potest, quod dicit Rub. eiusmodi species insensatas produci ab æstimatiuâ brutorum mediis sensatis eo ferè modo, quo intellectus noster mediis speciebus rerum sensibilium, acquirit sibi species insensibilium. Quoniam hoc genus vtendi speciebus alienis ad cognoscendas res insensatas absque discursu, longè à brutorum sensu alieno constare nõ potest, vt ex dicendis circà intellectum de modo isto cognoscendi, *infr. disp. 2. q. 3.* apparebit. Porrò sensũ brutorum non discurrere communis est sententia Doctorum, vt videbimus *hyp. 31.* Adde, si ad cognoscenda obiecta insensata vterentur bruta discursu, fore iuxtà statim dicenda, vt perfectiores sæpè discursus eis essent concedendi, quàm, qui possint in hominibus reperiri. Quod autem alij dicunt sensum internum determinari per speciem propriam obiecti sensati ad producendam in se speciem pariter propriam obiecti insensati, cum quo sensatum connexum est, longiùs adhuc exorbitat à ratione, vt apparebit ex mox dicendis.

Secundò probatur hypothesis. Nam in multis 149 casibus instinctu potius naturæ, quam cognitione insensatorum dicenda sunt procul dubio bruta moueri, ne sit necessarium fateri in multis illa longè homines sapientiâ superare. Igitur, & in reliquis pariter eadem ratione moueri censenda sunt. Etenim, cùm aues ex ventorum sensatione mouentur ad capienda tuta, & aprica loca pro tempestate futura, quis dicat eas ex præcognitione tempestatis moueri, quam nunquam cò vsque forsan expertæ sunt? Et cùm formicæ granorum tritici extremam partem corrodunt, ne in subterraneis radicem mittant, & nascantur: quis credat eam actionem ex præcognitione nasciturí tritici prouenire, aut ex cognitione vtilitatis talis corrosionis ad vitandam granorum tritici mutationem, & corruptionem; quam cognitionem neque homines assequuntur? Quis sibi persuadeat bruta propriam notitiam habere virtutum herbarum, quas medici post tot sæculorum studia non sunt adepti, dum aliis ad victum, aliis ad medelam huius morbi, aliis ad medelam alterius, aliis ad alios fines vtuntur discretione mirabili; reiectis interim aliis vt noxiis, aut minùs proficuis? In his itaque, & similibus casibus dicendum necessariò videtur bruta cognitione tantum externi, sensibilisque obiecti moueri ad eas actiones appetendas, atque exequendas, vtpote sibi consentaneas: quin vllo pacto præuideant fines, ad quos sunt vtiles, aut earumdem actionum vtilitates formales, quod est instinctu sibi naturaliter indito pro suâ conseruatione moueri. Instinctus quippe naturalis nihil est aliud, quàm ipsa bruti natura, ita, vel aliter affecta. Id, quod disertè docet S. Th. *in lib. de Memor. & Remin. lec. 1. sub initium* inquiens. *Inueniuntur quædam animalia quamdam prudentiam participare non ex eo, quòd habeant rationem; sed ex eo, quod instinctu naturæ mouentur per apprehensionem sensitiuæ partis ad quædam opera facienda, ac si operarentur ex ratione.* Quòd si in aliquibus casibus id fateamur, cur in omnibus non fatebimur? sane, quod accidentia sensibilia lupi ab alio lupo percepta nullum ei ingerant terrorem, nec prouocent ad fugam, cùm tamen id præstent in oue, dum ab ea sentiuntur; non inde prouenit, quia ouis aliquid amplius cognoscat, quàm alter lupus; sed, quia percipiens ouis id, quod sibi naturaliter aduersum est, naturali suo instinctu mouetur ad terrorem, & fugam. Sicut enim comparatione etiam eiusdem bruti, eadem pabuli cognitio nunc prouocat, & allicit brutum ad appetendum, & insequendum pabulum, illudque comedendum, quando brutum famelicum est; nunc verò prouocat ad idem pabulum fastidiendum, fugiendúmque, quando scilicet brutum præ nimiâ pabuli repletione, aut præ aliqua ægritudine veluti nauseat super illo (tanti interest ad appetitum diuersa dispositio appetentis,) ita etiam eadem, seu similis cognitio eiusdem obiecti sensibilis diuerso modo mouet, & ad contrarios effectus bruta diuersa iuxta diuersitatem naturæ, instinctusque brutorum. Atque ita hirundo colligens paleas ad ædificandum, non ex cognitione vtilitatis ad eum finem, vt affirmat Arriaga; sed ex instinctu naturæ mouetur, positâ solum sensibilium externorum cognitione; mouetur autem modò potiùs, quàm aliàs, quia modò eius natura, aliter, quàm aliàs dispositа est.

Itaque appetitus brutorum non fertur in bonum, aut delectabile, aut vtile formaliter vt bonum 150 est, scilicet sub conceptu relatiuo, seu comparatiuo apprehensum; sed tantùm conceptis ab vnoquoque bruto sensibilibus accidentibus rei ipsi bonæ hic, & nunc, habitâ ratione complexionis, dispositionisque naturalis, quam de præsenti habet, statim naturali instinctu ad illam appetendam, & adquirendam permouetur absque aliâ cognitione bonitatis relatiuæ insensatæ. Paritérque conceptis accidentibus rei sibi noxiæ ad illam auersandam, & aufugiendam inducitur.

Ex quibus colligitur primò, commentitias esse 151 quasdam speciales qualitates, quas quidam Recentiores comminiscuntur in obiectis, alias quidem molestas animalib. alias iucũdas, quas, inquiunt, sentiunt bruta, aut immediatè sensu interno, aut etiam sensibus externis, cùm obiecta, in quibus resident,

aut

aut appetunt,aut fugiunt. Ad quid enim est necessarium harum qualitatum commentum?

152 Secundo colligitur contra Arriag. relatum *suprà* bruta animalia non cognoscere negationes,aut priuationes rerum; neque id conuincit vlla experientia. Nam, cùm eiusmodi bruta ad aliquid præstandum mouentur,alioquin non mouenda, si aliquid, quod abest, adesset,v. g. quando accurrit canis ad vmbrã, quæ est defectus intensionis luminis solis, aut ad foramen obscurum, quando vrsus manu apprehendit lapidem tantæ magnitudinis, aut talis figuræ,quẽ aliàs non apprehenderet,nisi haberet defectũ aliarum partium,quib. coniunctis, nec tã exiguam molem,nec talem figuram haberet. In his,inquã,euẽtibus bruta ex cognitione rei positiuæ,cognoscibilis,& defectu cognitionis eius, quod deest permouentur. Eatenus enim sensus internus,sicut & externus percipit hanc magnitudinẽ,aut hanc figurã quatenùs percipit positiuum rei,& non percipit alias partes,quæ si adessent,rẽ facerent alterius magnitudinis,& figuræ. Eatenus etiam sensus percipit foramen,aut vmbram, quatenus partes obiecti,aut partes luminis circumstantes sentit,nihil autem sentit in medio. Qui modus cognoscendi negationes, aut priuationes talis,superq; est,vt bruta moueantur ad suas actiones (Tametsi propriè loquendo nulla negatio,aut priuatio à brutis sentiatur) quatenus tales actiones eorum naturæ sunt cõsentaneæ,& conuenientes relatè ad dictas negationes, siue illis suppositis. Vide,si placet Ouied. *contr. 4. de Ani. pun. 5.* latè impugnantem Arriagam,quoad punctum hoc de negationibus.

153 Tertiò colligitur neque sensum internum hominis percipere obiecta insensata per insensatas species, quia absque fundamento diceretur obiectum sensus interni hominis latiùs patere, quàm obiectum sensus interni bruti,maximè, cùm intellectui posset adscribi,si quid in hac parte peculiare experiremur in nobis,quod non in brutis.

154 Quartò colligitur falsam esse sententiam Fons. *lib. 2. Metaph. c. 1. q. 2. sec. 6. & lib. 5. c. 28. q. 4. sec. 4.* Conimb. *lib. 3. de Ani. c. 5. q. 5. art. 1.* & aliorum asserentium contra communem, media specie accidentium sensatorum producere in se Phantasiam nostram speciem propriam substantiæ corporeæ, cui talia insunt accidentia,per quam speciem etiam intellectui communicatam ipsa substantia in se, & immediatè cognoscatur: tum ab intellectu ipso,tum à phantasia, quasi phantasia determinata per speciem propriam accidentis sensati, vim habeat ad producendam in se speciem pariter propriam, cuiusuis alterius obiecti,cum quo illud connexum est. Hæc inquam sententia falsa est procul dubio. Primò, quia absque fundamento tribuitur phantasiæ vis productiua speciei insensatæ, quam ne intellectus quidem valet in se producere,vt citrà dubium tenẽdum est. Secũdò,quia iam substantię, cui inhæret albedo à nobis visa,tã proprium conceptum formaremus, quam ipsius albedinis, quod planè est contrà experientiam. Tertiò,qui videns albedinem hostiæ,dijudicare posset,an ibi adesset, vel non adesset substãtia,& consequẽter,an hostia esset consecrata,vel secus. Quod & experiẽtię, & merito fidei repugnat. Quartò,quia non sola substantia, cui inest accidens sensatum;sed plura alia obiecta insensata, cum quo illud connexum est,cognoscerentur à nobis per proprios conceptus, quod etiam est contrà experientiam. Quintò denique, quia, quo pacto cognoscimus substantiam spiritualem adinstar accidentis sensibilis,& alieno conceptu, eodem omninò cognoscimus substantiam corpoream, vt experientia manifestat bene animaduertenti: ergo non magis substantiæ corporeæ, quàm substantiæ spiritualis habemus propriam speciem.

Hypothesis 28.

Nullus sensus,siue externus, siue internus cog- 155
noscit suam sensationem propriâ, & reflexâ cognitione. Omnis tamen sensus tam externus,quàm internus percipit aliquo modo suam sensationem, eam per se ipsam in actu exercito experiendo.

Ita docet P. Soar. *lib. 3. de Anim. c. 11.* stant autem pro primâ hypothesis parte quotquot absolutè negant sensus suas sensationes cognoscere. Cui vtique non sunt censendi refragari secundæ,interpretandi namque sunt de cognitione sensationis propriâ, & reflexâ. Pro secundâ verò parte sunt, quicumque absolutè pronunciant sensus omnes suas sensationes percipere, qui quidem primæ parti non sunt censendi aduersi, vtpote loquentes dumtaxat de cognitione sensationis experimentali, & minus propria. Vtrosque reperies citatos apud Soar. *suprà* Tolet. *lib. 3. de Anim. q. 3.* & Rub. *tract. de sens. intern. q. 4.*

Prima igitur pars hypothesis probatur. Primò, 156
quia sensus materialis non habet pro obiecto proprio proprias operationes, vt experientia constare videtur,alioquin,cur se ipsum, atque species impressas,organumque proprium pro obiecto pariter non haberet? Secundò,quia virtus reflectendi supra proprios actus maior perfectio esse videtur,quàm, vt sensibus possit competere. Vnde illud Procl. lib. de Elem. Theo. *Extensum non est ad se conuersiuum.*

Secunda pars probari potest. Primò,quia quemadmodum actio se ipsa fit, & vnio se ipsa vnitur aliquo pacto;ita etiam cognitio quæuis se ipsa aliqua ratione videtur cognosci. Secundò,quia sensus, quilibet delectationem aliquam,aut molestiam experitur,dum sese circa obiectum exercẽt, vt experientia constat: ergo suam experitur sensationem, à qua sine dubio talis delectatio realiter distincta non est,vt constat ex dictis *suprà hypoth.* 23. Tertiò, quia intellectus suas itidem experitur intellectiones, antequam accedat notitia earum reflexa, vt *infrà* ostendemus: ergo & sensus pariter suas percipient sensationes. Quartò,quia omnes experimur per sensum internum operationes eius in capite nostro elaborari: quemadmodum etiam per externas singulorum operationes in propriis organis ipsorum;sed locus sensationis ignotà sensatione, non innotescit, vt constat: ergo experimur per singulos sensus suas eorumdem sensationes, non per alias reflexas,vt dictum: ergo per ipsasmet. Quintò,quia vt signa artificialia & sui, & signati notionem ingerunt, licet diuersò modo; ita pariter naturalia, quales sunt sensationes,& vniuersim, quæuis cognitio. Sextò, quia actus appetitus, & voluntatis se ipsis citra omne dubium, cadunt sub experientiam, dum se ipsis dolore,vel voluptate afficiunt eos habentem: ergo potiori iure sub eamdem cadent seipsis actus sensuum, & intellectus. Vniuersaliter enim omnis actus vitalis,qui secum fert identificatam voluptatem aliquam, aut molestiam, quales sunt non solùm actus appetendi;sed etiam cognoscendi iuxtà doctrinam statutam *hypoth.* 23. necesse est,vt per se ipsum arrideat,aut displiceat potentiæ,atque adeo cadat sub experientiam eius.

Hypothesis 29.

158 Sensus internus sensationem externi simul cum eius obiecto percipit,non per distinctas , sed per eamdem speciem notificantem indiuisim vtrumque , obiectum quidem propriè,& perfectè , sensationem verò imperfectè, & quasi experimentali modo.

Sententia est communis , quam cum Arist. S. Th.Scot. & aliis tenent Tolet.*lib. 3. de Anim.q.3.* Rub.*tract.de sens.intern.q.3.* Soar. *lib. 3. de Anim. c.11.*Franc.Alf. *disp.11.de An.sec.3.n.3.*& alij Recentiores contra paucos quosdam apud eosdem opinantes oppositum. Prima pars probatur planè primò;quia maior, aut minor claritas sensionis externæ apertè cadit sub experientiam sensus interioris,inde enim prouenit , vt euidenter diiudicemus intellectu,num visio nostra externa clara sit,vel obscura iuxta doctrinam tradendam infrà;sed claritas, aut obscuritas à sensatione externa distincta non est vt ex dicendis *disp.4.*constabit Ergo.Secundò,quia sensus internus manifestè cognoscit præsentiam externæ sẽsationis;percipit enim,quoduis animal oculis se videre,non pedibus:lingua se gustare,non auribus;hoc membrum,non aliud sibi dolere, &c.sed præsentia rei sine re præsente non capitur à sensu vt constat:Ergo.Tertiò,quia bruta recordantur doloris inflicti aliquo ictu,cuiusuisque molestiæ sensu externo perpessæ,aut perceptæ delectationis;quæ à sensationibus externis distinctæ non sunt , vt *hypoth.23.* probauimus: ergo recordantur sensationis externæ;atque adeo,& illam simul cum obiecto per primariam operationẽ sensus interni perceperunt. Quartò,quia nos itidem non solũ meminimus obiecti sensati;sed etiam recordamur nos illud sensisse , vt quilibet in se experitur.Nec id adscribendum est semper intellectui discursu procedenti:nam eadem potentia , qua percipimus obiectum , videmur percipere eius sensationem:Ergo & sensus noster internus simul cum obiecto sensato sensationẽ eius apprehendit.Quintò , quia incredibile prorsus est,quod sensus externis suas sensationes percipiat, prout *hypoth. præced.* statuimus , & quòd illæ non percipiantur à sensu interiori , qui tanquam dominus,& arbiter externorum datus est à natura.Sextò denique, quia cùm species impressa sensui interno à sensatione externa nascatur proximè ; consentaneum rationi est,vt non solius obiecti,à quo remotè ducit originem ; sed ipsius quoque sensationis externæ sit quodammodo semen, & virtus repræsentatiua.

159 Iam verò secunda pars hypothesis inde probanda venit.Primò quia sensus internus idem cognoscit,quod externus,& eadem ratione , quod attinet ad claritatem,obscuritatemve cognitionis,vt experientia monstrat.Datus est namque sensus internus, vt repetat,& repetendo colligat quicquid per sensus externos cognitum est , quos non potest non imitari,quod attinet ad modum idem obiectum cognoscendi,seu magis,seu minùs perfectè.Ob id enim quò clarior,aut obscurior euadit externa sensatio, eò quoque clarior , aut obscurior euadit interna illi correspondens , vt experimur. Igitur , cùm externa sensatio,tum obiectum , cuius sensatio est, propriè , & perfectè , tum seipsam minus propriè, minusque perfectè notificet,vti *hypoth.28.*statutum est ; consequitur , vt species ab illa impressa sensui interno eadem ipsum per sensationem internam à se causatam, & eadem ratione præstet.Secundò,quia, vel experientia ipsa,si bene animaduertamus, constare videtur, quoties imaginamur aliquid , simul cum re imaginata eiusdem nos rei sensationem externam quodammodo quidem,imperfectiùs tamen, seu magis subobscurè sentiscere.Igitur interna sensatio id vtrumque censenda est ferre secum virtute speciei,à qua fit oriundæ à sensatione externâ.Tertiò , quia negari nequit sensum internum clariùs, perfectiúsque obiectum externum,quàm externam eius sensationem percipere;aliàs negari non posset, vt negant aliqui,percipi per sensum internum externam sensationem,sicut negari non potest percipi sensatum obiectum. Igitur externa sensatio non per peculiarem , & propriam speciem notificatur sensu interno veluti proprium eius obiectum , sed per eamdem sensibilis externi illi quadamtenus sese insinuat,vti explicatum est. Si enim per speciem propriam,& peculiarem cognosceretur , & vt obiectum propriè dictum , tam clarè cognosceretur, quàm externum sensibile , imò , & clariùs forsan, quia immediatius. Quartò denique , quia species memoratiua eadem ratione & repræsentat obiectum antea cognitum,& eius præteritam cognitionem,à qua producta est,quodammodo insinuat, vt dicemus infra *hypoth. 32.* Ergo tantundem dicendum est de specie producta ab externa sensione.

Hypothesis 30.

De sensu interno perinde fermè , atque de 160
externis philosophandum videtur , quod attinet ad modum , quem habet percipiendi sensibilia communia.

Certum est per sensum internum ea obiecta cognosci,quæ sensibilia communia dicuntur,vt sunt magnitudo,figura,locus,&c.de quibus supra *hypoth.2.* Certum est etiam circa huiusmodi sensibilia magnam esse,atque mirabilem vim imaginationis, siue Phantasiæ. Ea enim quoduis obiectum sub quauis quantitate, sub quauis figura , & in quouis loco potest concipere. Potest illud multis in locis collocare. Potest multifariam variare eius figuram, atque situm. Potest ex variis partibus variorum obiectorum , aut etiam eiusdem infinita spectra, siue Phantasmata componere, quæ confingere,prout libuerit. Quod experientia cunctis perspectum est. Dixerim Phantasiam nostram pictorem quemdam natiuum esse. Vt enim pictor ex paucis coloribus , quos in tabella paratos habet infinita potest compingere,non solùm vera , sed fictitia;ita etiam Phantasia nostra iis , quas accepit, speciebus præter obiecta vera , vnde dictæ species manarunt , infinita alia figmenta potest sibi formare , variatis tantùm , atque confictis sensibilibus communibus verorum obiectorum ; idque facilitate summa , & mira promptitudine. Quocirca D. Augustin. in lib. de vera , & falsa religione cap.10. ita scribit. *Phantasmata porro nihil sunt aliud, quàm de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta. Quæ memoria mandare, vt accepta sunt , vel partiri , vel multiplicare , vel contrahere , vel distendere , vel ordinare , vel perturbare , vel quolibet modo figurare cogitando facillimum est.*

Quo verò pacto cuncta hæc à Phantasia fiant, 161
non est hactenus à Philosophis exploratum , imò nec tactum , quod ego sciam ; cùm tamen , & scitu dignum , & eximiæ ad Philosophiam intellectionis humanæ conducens sit. Id igitur sine duce tanto examinare in præsenti. Faxit Deus,

Deus, vt in re valde coniecturali veritatem attingam, in cuius disquisitione pro exemplis maximè vtar obiectis visus (tametsi de reliquis sensibilibus externis eadem ratio sit) tum, quia sensus internus circa obiecta visus potissimùm solet Phantasiari. Tum, quia ea inter omnia externa, notiora sunt,, & magis obuia, magisque etiam à nobis in superioribus explicata.

162 Suppono primò, id, quod nemo negare potest, cùm primùm sensus internus alicuius obiecti sensati assequitur notitiam, sub eisdem prorsus sensibilibus communibus illud percipere, ac per externum sensum sensatum est; nam prima obiecti interna sensatio à sensatione externâ ducit originem; hæc autem nihil aliud notificat sensui interno, quam illud, quod per ipsam perceptum est, vt experientia monstrat, alioqui nil certi possemus concipere sensuum externorum ministerio; sed passim per eos falleremur. Semel autem concepto proprio sensibili per sensum interiorem sub eisdem communibus sensibilibus, sub quibus illud sensatum est per exteriorem; benè potest iam deinceps sensus interior iteratis sensionibus variare, prout sibi libuerit, illius sensibilia communia, concipere videlicet illud sub aliâ præsentiâ, quantitate, situ, figurâ &c. Puto tamen hoc præstare non posse, nisi per speciem memoratiuam productam à suâ primariâ, aut etiam à secundarijs sensationibus; non verò per speciem impressam ab exteriori sensatione, vt ex dicendis apparebit.

163 Suppono secundò, per speciem vnius proprij sensibilis alterum sensibile proprium neutiquam posse ab interno sensu cognosci, sicut nec potest ab externo, vt ex communi statuimus *hypoth.* 18. quia species vniuscuiusque proprij sensibilis tantum habet virtutem ad repræsentandum illud vnà cum sensibilibus communibus, quæ eiusdem possunt esse affectiones, vt ibi monstrauimus. Id; quod pariter habet locum in singulis partibus extensionis eiusdem sensibilis proprij, vt potè à quibus species diuisibiliter promanat, vt ibidem notatum est.

164 Ex his infero primò; partes sensibilis proprij, quæ diuisibiliter percipiuntur per sensationem externam; diuisibiliter quoque percipi per internam, quales sunt partes extensionis transuersè propositæ; & quæ indiuisibiliter capiuntur per sensum externum, vt partes intensionis; pariter per internum capi. Quia in his non possunt non sibi inuicem correspondere sensus internus, & externus; vt est notissimum. Quandoquidem ambo per species eiusdem virtutis capiunt singula obiecta.

165 Secundò infero. Quemadmodum species interna cuiusuis sensibilis proprij indifferens est naturâ suâ ad repræsentandum illud sensui externo sub hoc, aut sub alio sensibili communi iuxta dicta pro sensu visus *hypoth.* 5. & 6. & pro alijs *hypoth.* 10. 12. 14. & 17. ita & potiori iure speciem internam eiusdem similem indifferentiam habere comparatione sensus interni. In quo nullum est dubium. Quomodo verò eiusmodi indifferentia determinetur in sensu interno, tota præsentis hypothesis difficultas est.

166 Existimo per partes interni sensiterij determinari; quemadmodum per partes externi determinari diximus locis citatis. Quod probo primò: quia imaginatio, dum vtitur speciebus visus (vtitur autem eis, vt in plurimum) simul, & vnico quasi obtutu nequit plura, aut maiora obiecta apprehendere, quam ipse visus vnico intuitu potest percipere, vt experientiâ compertum est; atque ideo, quoties plura obiecta, maioremvè extensionem satagimus imaginari, quam per visum vnico hausto comprehendi possunt, non simul, sed successiuè illa apprehendimus per quendam imaginationis discursum ex vnâ ad aliam partem: Quo etiam facto per motum oculorum, aut capitis discursu quodam visionis facto ea videmus successiuè, quæ simul oculi non possunt capere. Hæc autem imaginationis proprietas, non aliunde videtur ortum habere, nisi, quia magnitudo obiecti ex magnitudine subiecti pensatur, in quâ sensatio interna peragitur: vti visioni externæ accidit. Atque ita, quemadmodũ organum visus tum percipit summã, quam potest obiecti magnitudinem ad eam distantiam, in quâ illud apparet; quando ipsius specie exactè impletum est: sic organum sensus interni, quando totum adæquatè impletur sensatione interiori, summam, quam potest, magnitudinem obiecti percipere videtur: vt autem amplius percipiat, oportet sensationis iam habitæ aliquid amittere, quo detur in organo locus ad nouam partem sensationis obiecti noui, vt etiam accidit in visu. Ita tamen, vt, quod in visu fit receptis nouis obiectorum videndorum speciebus in eisdem partibus organi per nouam harum applicationem factam medio motu locali; in imaginatione fiat non receptis, sed excitatis in eisdem partibus organi, aut nouis speciebus diuersorum sensibilium propriorum, quando talia sunt, quæ concipienda denuò sunt, aut eisdem eiusdem sensibilis proprij ad nouam eiusdem sensationem sub nouo sensibili communi, quando ipsummet est concipiendum sub maiori, vel sub aliâ extensione; (quas quidem species organum ipsum abunde præhabet impressas, & donec excitantur, sopitas.) Fit autem eiusmodi illarum successiua excitatio, non beneficio motus localis; sed beneficio liberi arbitrij hominis, aut alterius causæ successiuè aduenientis talium specierum excitatiuæ, iuxtà inferius dicenda.

Secundò id ipsum confirmatur; quia si in interno sensiterio (aliter, quàm in externo) plura obiecta, aut plures partes eiusdem distinctè possent in eadem parte organi repræsentari, non posset reddi idonea ratio, cur tot obiecti partes, & non plures simul repræsententur. Neque enim id nasci potest ex defectu specierum, vt patet: habemus enim in promptu species, quibus statim pergit imaginatio ad alia noua sensibilia capienda, seu propria, seu solùm communia; neque ex defectu potentiæ: hic enim magnâ ex parte suppletur per animi impensam attentionem; per quam efficitur sæpè, vt plus facultas, quàm anteà, operari valeat. Constat autem experimento, ex eo, quòd nimiâ attentione imaginari contendamus non fieri, vt obiectum maius appareat, quamuis appareat melius, & clarius. Igitur magnitudo obiecti iuxtà magnitudinem organi taxari videtur; quæ, quia attentione non augetur, neque obiectum augeri potest: augeretur autem haud dubiè per attentionem, si augmentum eius per replicatas nouarum ipsius partium sensiones in eâdem parte organi efficeretur. Vnde etiam fieret, vt eò maiora obiecta vnusquisque simul capere posset, quò perfectiorem haberet imaginationem, eò autem minora, quò imperfectiorem. Quò rursus contingere posset, vt imaginatio alicuius simul non posset capere, quidquid caperet simul sensus externus ob magnam eius hebetudinem, quo multis fallacijs aperiretur ianua: Tum, quia vt magna est inter homines inæqualitas, quod attinet ad 167

perfectionem viuacitatemque imaginationis, magna etiam esset inæqualitas inter obiecta, quæ singuli simul capere possent, quod non est consonum experientiæ, vt quisque consulens alios circa ea, quæ imaginari valent, deprehendere potest. Denique, iuxta hanc positionem melius componitur proportio, quam seruat imaginatio cum sensibus externis, quod attinet ad sensibilia communia: ita vt in eâ dumtaxat quantitate possit imaginari obiectum simul, in quâ potest simul capi à sensu exteriori, quia videlicet vtriusque organa in tali proportione suapte naturâ disposita sunt.

Tertiò experientiâ etiam quisque deprehendet si speciebus tactus, aut gustus aliquid imaginetur, vt potest, non posse se illud sub quantitate maiori simul per tales species imaginari, quam per ipsum tactum, aut gustum simul sentiri potest; quæ quidem quantitas valde exigua est comparatione quantitatis, quam percipit visus. Igitur talis magnitudo per magnitudinem taxatur sensiterij interioris; qui eam seruat proportionem cum sensiterio externo, vt quando per speciem eius operatur, ei prorsus accommodetur, quod attinet ad sensibilia proprij obiecti communia, quæ exacte replent integrum sensiterium. Alioquin, cur interior potentia vtens simul specibus tactus, quibus potest tangere successiuè obiectum vnius leucæ, aut replicans eandem speciem non tangit illud totum simul: quando quidem valet vtens visus specie obiecta maiora simul amplecti?

169 Quartò, si quis imaginatione complectatur totum, quam potest cœli, vel montis extensionem veluti è regione sibi propositam, attentéque suprà se reflectat, experimento noscet haud dubiè, dexteram partem eius magnitudinis, quam contemplatur, ante dexterum frontis cornu obuersari; atque ibi fieri sensationem internam eius; sinistram autem obiecti partem per partem sinistram frontis percipi. Tum, si attentius partem dexteram obiecti mspiciat, eum, quem adhibet, impensiorem conatum in dexterâ parte frontis experietur. Igitur signum est obiecti imaginati extensionem eum extensione organi interni commensurari, quod in parte anteriori cerebri, hoc est in fronte sedem habet, vt *hypoth.* 25. statutum est.

170 Quintò. Qui obiectũ aliquod extensum imaginatur, ita in aliquâ eius partẽ potest imaginationem intendere, vt ea præ reliquis clariùs, distinctiúsque sibi appareat, vt experientia notum omnibus est; sed hoc non posset ita euenire, nisi ea obiecti pars per partem organi sentiretur distincta ab ijs, quibus sentiuntur reliquæ, quæ minus clarè apprehenduntur: ergo extensio obiecti imaginati extensioni organi interni respõdet, nec quælibet pars extensionis per totũ organũ sentitur. Maior est ipsa experiẽtia, & consequentia est euidens. Probo minorem. Quia, quod aliqua pars obiecti sensibilis clariùs appareat, quàm reliquæ, & quàm ipsa apparebat prius, propter maiorem attentionem denuò accedentem, maximè pendet à maiori spirituum animalium prouentu virtute conatus, qui ad attendendum adhibetur, attracto. Cum igitur huiusmodi spiritus non aliter iuuent potentiam, quàm disponendo, & fouendo eam organi partem, vbi sensatio celebratur (ob id enim *hypoth.* 7. docuimus clariùs ab oculis cerni eam obiecti particulam, in quam collimat axis opticus; quia pars tunicæ retinæ, vbi eius particulæ visio fit, pluribus gaudet spiritibus. Conficitur, eam obiecti partem, quæ clariùs per imaginationem concipitur, diuersæ organi parti, maiorique spirituum affluentiâ dispositæ, correspondere, ac correspondent aliæ, quæ minus clare. Si enim omnes, aut toti organo, aut eidem eius parti correspondererent; omnes haud dubiè, aut æquè clare, aut æquè obscurè conciperentur; quia non plus spirituum ad sensationem vnius, quàm ad sensationem reliquarum concurreret.

Sextò. Experientiâ constat non posse nos per 171
speciem visus aliquid post tergum nostrum imaginari, nisi pariter spatium illud, quasi ante oculos ipsâ imaginatione ponamus. Quod sanè non ita eueniret, nisi repræsentatio præsentiæ obiecti imaginati penderet maximè à positione, quam species habet in organo sensus interni. Igitur per illud eiusmodi species videtur ad sensibilia communia repræsentanda determinari.

Septimò, sensus internus materialis est, & ex- 172
tensus, quemadmodum externi: ergo consentaneum rationi est, vt eumdem cum illis seruet operandi, & sentiendi modum, quod attinet ad dignoscenda sensibilia communia: Ergo sicut horum sensatio externa per partes sensiterij externi determinatur; ita & interna determinari censenda est. Et confirmari potest; quia non videtur verisimile, quòd partes sensationis internæ extensæ per organum indiuisibiliter repręsentent omnes, & singulas partes extensas obiecti, quando in reliquis sensibus materialibus contrarium euenit: si autem diuisibiliter dicantur repræsentare, habemus intentum: quia, vt sic quantitas extensionis obiecti nequibit non penes extensionem organi determinari. Deinde confirmatur; quia non est credibile internam apprehensionem formicæ æquè esse extensam per sensiterium, ac apprehensionem ingentis montis. Præterea confirmatur vrgentius. Quoties vnam partem obiecti imaginati attentiùs, quàm reliquas, atque adeo clariùs concipimus, non potest non apprehensio clarior illius partis esse distincta à magis obscurâ reliquarum: quia eadem apprehensio non videtur posse esse simul clara, & obscura etiam respectu diuersorum obiectorum: sed non est credibile tales apprehensiones esse distinctas, solùm quasi intensiuè, ita vt inhæreant ambæ eidem subiecto: Ergo dicendum est esse distinctas extensiuè, atque ita inhærentes distinctis partibus subiecti. Quo iterum habemus intentum.

Octauò denique probatur hypothesis nostra; 173
quia non apparet aliud per quod species sensibilis proprij possit respectu sensus interni determinari ad repræsentandum communia præter partes organi eius: Ergo per has determinari dicenda est. Etenim à sensatione externâ imprimis non euadit determinata, vt constat: quandoquidem, quoduis sensibile proprium sub diuersissimis communibus potest, & solet concipi per sensum internum, quàm est conceptum per externum. Deinde per causam excitatiuam speciei, quæcumque sit ex recensendis *infra n.* 180. huiusmodi determinatio non potest fieri, quia excitatio specierum dumtaxat fit per quamdam sympathiam; cuius solum est determinare quoad exercitium causam, iam aliunde completam, determinatamque, quoad speciem, vt patebit ex dicendis *ibidem.* Aliud autem non videtur excogitabile præter organi partes, per quod determinatio prædicta effici possit.

Obijci tamen potest primò contra hypothesim 174
nostram. Plures sunt partes extensionis obiecti sensati, tum per internum, tum per externum sensum distinctè conceptæ, quarum species nihilominus in eadem parte interni sensiterij imprimi debẽt, etiam

si

si sensiones externæ, à quibus nascuntur, in distinctis partibus sensiterij externi resideant,eo quod per eandē lineam à sensiterio externo ad internum rectà mittuntur. Vt patet in speciebus immissis ad sensum internum ab omnibus, & singulis partibus sensiterij tactus, quæ à pede vsque ad cerebrum in eâdem lineâ rectà dispositæ sunt. Igitur nec omnes partes extensionis obiecti per sensum internum apprehensæ, nec omnes partes sensiterij, sensionisque exterioris diuersis correspondent partibus sensiterij interioris, vt nostra hypothesis statuit. Respondeo primò species quas ad sensum internum mittunt sensationes externæ per spiritus animales, tanquam per proprium medium, non per lineas rectas protendi à principali agente,vsque ad cerebrum, vti protenditur lumen à luminoso, quia non est credibile semper patere aditum talibus lineis rectis per cauitates, quibus incedunt spiritus animales; sed ita propagari, vt è quocumque subiecto insint, operatiuæ sint circumquaque, vti sunt calor, frigus, & aliæ huiusmodi qualitates. Quo posito, dum perueniunt ad sensiterium internum quàcumque demum viâ eo vsque permearint, quoquo versus naturaliter diffundi possunt: sicque ita accommodari, vt singulis partibus specierum certæ quædam partes correspondeant sensiterij interioris pro ratione partium exterioris, à quibus illæ immissæ sunt, ita vt quælibet pars sensiterij externi suam in sensiterio interno correspondentem habeat determinatam à naturâ ad recipiendam speciei partem, quæ ex illâ mittitur. Quod si ita à naturâ est constitutum, vt est possibile, & satis verisimile propter hactenus dicta. Respondeo secundò. Esto demus per eamdem lineam species plurium obiectorum rectà ad sensiterium internum mitti, dici adhuc posse in ipsius profunditate (quam citrà dubium habet) esse diuersas partes destinatas pro obiectis, quæ in tali lineâ dispositæ inæqualiter distant ab illo: Nec fieri cuiusque sensationem, donec accedat species ad partem sibi propriam, quamuis pertranseat per alias anteriores. Respondeo tandem, si quando fortasse in eamdem partem organi interni dictorum plurium obiectorum incidant species, tunc quasi per accidens discerni per sensum internum talia obiecta distincta; & loco dissita esse, penes maiorem scilicet, & minorem intensionem ipsarum specierum, habita etiam ratione qualitatis earum. Quo pacto agentes de auditu *hypoth.* 10. philosophati sumus de obiectis, quæ per eamdem lineam mittunt species ad eius organum.

175 Secundò obijci potest. Quoties primaria sensatio obiecti totū sensiteriū internum non occupat iuxtà nostrā hypothesim in eâ solâ parte, in quâ residet, relinquet speciē memoratiuā, quæ ibidem dumtaxat subinde causabit eiusdem obiecti sensiones vlteriores. Ergo nequibit tale obiectum maius, aut alterius figuræ, vel situs imaginari, quam per primariam sensationem conceptum est. Consequens planè est contra experientiam: Ergo hypothesis, vnde sequitur, falsa. Respondeo, speciem memoratiuam ex primariâ internâ sensione, aut etiam ex alijs oriundam per totum sensiterium extendi; ita vt quælibet pars sensationis in omnibus, & singulis partibus sensiterij relinquat speciem sui; sicut quælibet pars luminosi in omnibus, & singulis partibus medij producit lumen. Hoc enim, & valde possibile, & facile, & valde consentaneum, & congruum est naturæ Phantasiæ, vt valeat per quamuis huiusce generis speciem innumeris posteà modis phantasiari, vti phantasiari posse experimur. Itaque pro recipiendis diuersis partibus speciei impressæ à sensatione externâ diuersæ partes organi interni videntur esse determinatæ proportione correspondentes; tum partibus sensiterij exterioris, tum partibus obiecti sentiendi, prout nuper dicebam: hoc enim fuit expediens, ne passim sensus internus deciperetur in primarijs rerum apprehensionibus à sensibus externis oriundis, quæ suasiuæ sunt ex se iuxta doctrinam tradendam *hypoth.* 31. de apprehensionibus sensus interni suasiuis, & non suasiuis. Partes verò speciei memoratiuæ diuersis partibus tum primariæ sensionis, tum obiecti correspondentes in omnibus, & singulis partibus organi interni videntur subiectari ad finem dictum phantasiandi sine fine. Tametsi, vt euitetur etiam fallacia memoriæ circà sensibilia communia obiecti sensu externo percepti,recordatio suasiua eius in solâ eâ parte organi causari possit per dictam memoratiuam speciem, in quâ primaria eiusdem obiecti apprehensio suasiua virtute sensationis externæ caulata fuit. Non item in reliquis, in quibus virtute talis speciei solùm imaginationes Phantasticæ, & non suasiuæ formari possunt; Dum tamen sensus perfectè, & sine perturbatione operatur. Quod addo, quia quando perturbatus, aut per somnum, aut per amentiam operatur, nihil vetat, eum mille pati fallacias, formando in quibusque partibus sensiterij apprehensiones eo imperfecto modo suasiuas fictorum obiectorum, quæ nunquam per sensus externos percepta sunt. De quo vide dicenda *infrà n. 193.*

Obseruandum tamen est; cùm dicimus determi- 176
nari speciem sensibilis proprij penès partem organi, cui inhæret ad repræsentandum obiectum sub hoc potius, quàm sub alio sensibili communi; non ita intelligendum esse, vt per vnamquamque organi partem vna dumtaxat præsentia obiecti valeat repræsentari. Nulla enim est pars organi proportionata obiecto per quam non possit illud repræsentari in quouis loco. Neque vllus est obiecti locus, qui non possit per quamuis organi partem repræsentari. Cùm enim obiectum propositum ob oculos transuersè mouetur; ita possumus illud insequi visu mouendo oculos paulatim, vt semper per eamdem retinæ particulam in omnibus,diuersisque locis, quos successiue acquirit, videatur; si verò immotis oculis moueatur obiectum, aut è contra, immoto obiecto, moueantur oculi, fieri vtique poterit, vt talis obiecti species omnes partes retinæ successiue percurrat, sicque per omnes in eodem loco videatur. Quod ergo intendimus, dum suprà dictam specierum determinationem per partes sensiterij faciendam adstruimus,est idcircò partes eiusdem obiecti, aut plura obiecta simul per sensum apprehensa sub tali distantiarum proportione apparere, quia partes sensiterij, in quibus apparent, similem distantiarum proportionem habent inter se; tota quippè obiectorum proportio apparens ex proportione partium organi ducit originem. Et quoniam magnitudo, figura, situs, & alia huiusmodi sensibilia communia in huiuscemodi proportione posita sunt; idcirco hæc propriùs quodammodo, quàm præsentia nuda dici possunt per partes sensiterij determinari. Tantumdem ergo,quod de organo visus, de organo sensus interni dicendum putamus; hoc tamen discrimine, quòd sensationum, sensibiliúmque communium variatio in visu per nouas fit specierum productiones, vel in eâdem parte organi, vel in diuersis: In sensu verò interno per nouas specierum iam prǽhabitarum excitationes

tationes fieri potest, de factoque plerumque fit vnde patet, quomodo per sensum internum concipiantur cætera sensibilia communia, numerus, motus, quies, discretio, continuitas, & consentaneè ad ea, quæ de illis relatè ad visum diximus *hypoth. 6.*

178 Ex quibus, quædã notatu digna sequũtur. Primũ est, quod quemadmodũ per eandem partẽ sensiterij exterioris nequeũt plura obiecta distinctè, & in distinctis locis simul sentiri, sed singulæ partes singula loca sibi vendicant; ita pariter per eamdem partem sensiterij interioris nequeunt plura simul obiecta in diuersis locis apprehendi, sed quicquid per eam partem simul concipitur, in eodem loco appareat necesse est. Vnde rursus consequitur sensum internum non posse plura, vt plura simul percipere, nisi per plures partes sensiterij, & consequenter per plures cognitiones percipiat illa. Nam ea, quæ per eamdem sensiterij partem in eodem loco veluti penetrata apparent, esto re ipsâ plura sint, non vt plura, sed tanquam vnum repræsentantur: sicut è contrà, quod apprehenditur in pluribus locis, esto reipsâ sit vnum, plura esse videtur. Quæ quidem experientiâ ipsâ satis sunt etiam manifesta.

179 Secundum, quod sequitur est, eam phantasmatum, siue spectrorum varietatem, quæ imaginatio nostra confingit, non aliter, quàm per excitationem specierum memoratiuarum in varijs partibus interni sensiterij fieri. Cum enim obiectum paruum, quod apprehendimus, sub ingenti postmodum magnitudine imaginamur, aliud non facimus, quàm excitare speciem proprij sensibilis eius obiecti (quæ per totum sensiterium iam est extensa, vt constat ex dictis) vt in magnâ ipsius parte eiusdem obiecti sensationem progignat siue sub simili, siue sub diuersâ figurâ: sic, cùm per speciem exigui adamantis, aut auri montem integrum adamantinum, aureumvè imaginamur, nihil aliud præstamus, quàm per speciei adamantis, aut auri excitationem in tantâ, & tali organi parte sensionem procreare, quanta, & qualis suapte naturâ, tantam, talemque magnitudinem montis valet repræsentare. Vnde hic nulla confingitur identitas inter aurum, & montem terrenum, ad cuius instar imaginamur montem aureum; sed tantum confingitur in ipso auro figura, & magnitudo montis, quam non habet reuerâ. Quod planiùs cernitur, quando montem aureum concipimus, cuius similem terrenum nunquam concepimus, quoad magnitudinem, & figuram. Similiter, cùm monstrum confingimus ex capite leonis, corpore hominis, & pedibus aquilæ, vel aliud simile, quod præstamus, est excitare species eorum partialium obiectorum, vt in talibus organi partibus, atque adeo sub talibus præsentijs obiecta sua repræsentent, qualibus opus est, vt nobis appareat ea monstrosa compositio, & in cæteris pariter.

180 Porrò excitationes specierum, quæ in memoriâ sensitiuâ, donec excitentur, veluti consopitæ iacent, nullam causantes internam sensationem earum, quas causare possunt, vt constat, à multis, varijsque incitamentis valent oriri. Primum enim in nobis sæpe excitantur virtute arbitrij voluntatis, quæ supra sensum internum dominium habet, atque adeo potest liberè mouere illum, vt tale, vel tale quidpiam imaginetur, aut apprehendat, quod per quamdam veluti generalem applicationem plerumque fit, quâ voluntas Phantasiam applicat, vt circa aliquam materiam confuso quodam modo priùs conceptam distinctius, expressiúsque versetur. Vniuersaliter autem in quouis animali non rarò excitationes proueniunt ministerio Angelorum, atque etiam Dæmonum, qui bene noscunt, quo pacto phantasia sit mouenda, vt cogitet, quicquid ipsi desiderant. Quandoque etiam influxus causarum vniuersalium species excitant procul dubio has, aut illas penes influxuum diuersitatem, sæpe etiam alteratio temperamenti animalis, aut humorum commotio consentaneè ad eorum naturam suscitant species; vnde melancholici tristia solent imaginari, læta sanguinei. Quando verò ex sensatione vnius obiecti alterius excitatur sensatio, qui modus excitandi est frequentissimus, maximè ad id conducit eorumdem obiectorum propinquitas localis: tum eorum similitudo, aut quæuis omnino analogia: insuper dissimilitudo, aut quæuis oppositio: nec non quæuis obiectorum connexio. Habet etiam vim magnam ordo, qua species sunt comparatæ, vt vna per alteram eodem ordine excitetur. In quibus omnibus fundatur mira illa ars memoriæ localis. De qua suo loco nobis agendum est. Affectio etiam animalis multum valet ad excitandas species, vnde frequenter menti occurrunt ea, quæ vehementius amamus, vel odio habemus, vel quouis affectu prosequimur. Quæ omnia non per influxum physicum; sed per sympathiam quamdam concurrunt ad specierum excitationes, vt communis Philosophorum opinio fert. Quæ sympathia in eo stat, quòd species antea sopita defectu concursus Dei ipsi non debiti, posito suo incitamento, vt circumstantia quadam, iure iam talem concursum, vt sibi debitum connaturaliter exposcit, assequitúrque, & operatur.

Hypothesis 31.

Sensus internus propriè neque discurrit, neque 181
iudicat. Habet tamen apprehensiones qualdam suasiuas, quæ pro iudicijs ipsi sunt, ab alijsque apprehensionibus purè simplicibus, seu non suasiuis in modo tendendi discriminantur.

Priorem partem huius *hypoth.* tenent Tolet. *lib. 3. de Anim. cap. 3. q. 3.* Rub. *tract. de sens. intern. q. 5.* & omnes Recentiores communiter cum alijs ab ipsis relatis; contra nonnullos apud Rub. tribuentes sensui interno præsertim hominis proprium iudicium, & discursum. Pro cuius explicatione in primis oportet notare iudicium interdum accipi impropriè, & latè pro quâlibet rei cognitione, quo pacto acceptum, vel externis etiam sensibus potest attribui, iuxta illud Iob. 12. 11. *Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem?* Modò tamen propriè, & strictè sumimus illud pro cognitione, per quam perfectè de obiecto sententia fertur, affirmando videlicet, aut negando illud esse, aut non esse. Deinde discursus etiam latè, & impropriè sumi potest pro quouis transitu, quo potentia cognoscitiua ex vnâ cognitione transit ad aliam, de quo non est dubium posse etiam sensibus conuenire. Quod eis negamus, est proprium & strictum discursum, per quem ex vno obiecto iudicato inducitur mens ad iudicandum aliud, ob connexionem deprehensam inter vnum, & aliud.

Igitur, quod iudicium propriè, & strictè sum- 182
ptum in sensu materiali siue hominis, siue bruti non reperiatur, inde venit probandum, quia iudicium intuitiuum, quale habent Angeli, & Beati in sensu reperiri non potest: eo, quòd hic iudicandi modus sublimior est, quàm, vt potentiæ adeo imperfectæ possit aptari: sed, nec iudicium comparatiuum, quale

le intellectus noster exercet pro statu præsenti, potest sensus habere, quia sensus suâ naturâ non est comparatiuus, vt docet S. Th. 1. 2. *q.* 12. *art.* 5. *&* *q.* 13. *art.* 2. & ex se patet. Tum, quia multa interueniunt in iudicio comparatiuo, quæ à sensu longè sunt aliena, vt constabit ex dicendis *Disp.* 2. *q.* 4. Nullum igitur iudicium proprium potest in sensu interno inueniri.

183 Vnde probatur primò; Nec posse in illo inueniri proprium discursum: quia proprius discursus ex proprijs coalescit iudicijs. Secundò probatur; quia sensus internus non potest dignoscere connexionem antecedentis cum consequente, in quâ potissimum discursus nititur, cùm illam non dignoscat externus, eo, quòd internus nihil non sensatum per externum percipere valet, vt *hypoth.* 27. statutum est; igitur, neque potest propriè discurrere. Tertiò, quia, vt ex *ibidem* dictis colligitur, nullâ experientiâ probari potest discurrere sensum internum, sicut neque percipere illud aliquid insensatum. Igitur non est fundamentum ad attribuendum illi discursum.

184 Iam verò dari in sensu interiori duplex genus apprehensionis, alterius suasiuæ, alterius secùs; inde probatur: quia experientiâ constat, quasdam ipsius apprehensiones non esse compotes permouere appetitum, sicut sunt aliæ: quasi posteriores de obiecto apprehenso veluti persuadeant animal: priores non item. Si enim imaginemur nos domo cadente opprimi, aut ex rupe præcipitari, aut à tauro insequente corripi: dum nulla eiusmodi euentuum suboritur suspicio, nihil in appetitu terroris experimur: ergo talis apprehensio non valet appetitum mouere ad terrorem: cùm tamen aliàs similium obiectorum phantasia vehementer deterreat. In brutis etiam sæpe numerò accidit, vt per apprehensionem obiecti, neque ad eius fugam, neque ad eius prosequutionem permoueantur, donec ita apprehendant illud, vt veluti persuadeant sibi ita esse, sicut concipitur, quod etiam experientia sæpe testatur. Et quidem, vt appetitus rationalis nisi in obiectum iudicatum efficaciter ferri nequit, vt fert opinio probabilior, & mihi vera; De quâ *suo loco*: ita appetitus sensitiuus haud dubiè nequit efficaciter ferri, nisi in obiectum tali apprehensione conceptum, quæ pro iudicio ipsi sit ex suo peculiari modo tendendi in obiectum determinatiuo, & suasiuo; cuiusmodi non sunt omnes sensus interni apprehensiones. Id, quod satis expresè docet S. Th. 1. 2. *q.* 9. *art.* 1. *ad* 2. dum ait appetitum sensitiuum imaginatione non moueri, nisi æstimatio obiecti accedat; Æstimatio quippe ab eâ apprehensione, quam non suasiuam vocamus, nihilo differt. Eadémque est doctrina Arist. *lib.* 2. *de Anim. text.* 154. aliorúmque Philosophorum communiter. Ob id enim distinguunt omnes, vt vidimus *hypoth.* 24. in sensu interiori facultatem imaginatiuam, & æstimatiuam relatè ad dictas duas apprehensiones.

185 Obseruandum tamen est id, quod iam in superioribus tetigi: Internam sensationem primariam, quæ à sensatione externâ media specie impressâ causatur, è genere suasiuarum esse, hoc ipso, quod ab euidente experientiâ sensationis externæ nascitur, nisi fortasse illa non formaliter; sed virtualiter dumtaxat suasiua sit, quatenus alterius suasiuæ causatiua est. Quemadmodum prima intellectualis apprehensio obiecti sensati à sensatione externâ oriunda virtualiter solum est suasiuâ comparatione intellectus, quatenus causare valet iudicium de ipso obiecto sensato, déque eius etiam sensatione. Cæterarum verò sensionum internarum, quæ ab specie memoratiuâ relictâ in memoriâ nascuntur, aliæ suasiuæ sunt, aliæ non suasiuæ, vt constat; suasiuarum autem illæ potissimum sunt, quibus animal recordatur præteritorũ actuum, & obiectorum, quorum experimentalem notitiam habuit in tempore præterito; quâ ratione animal per sensum internum notitiam de præteritis habere potest.

Quod addo, quia, vt est sententia communis 186
Philosophorum, præteritum formaliter vt præteritum sub sensum internum non potest cadere, sed tantùm materialiter, quatenus sensus per speciem in memoriâ relictam sentire potest obiectum anteà sensu externo perceptũ, eiúsque tum externã, tum etiam internam sensationem, quæ iam non extant, quáque de præsenti sensus non experitur, quod est quodammodo sentire illas, ipsarúmque obiectum, vt præterita; estque sufficiens notitia, vt appetitus sensitiuus suo, quem habet, instinctu naturali perinde moueatur, ac si notitia præteritorum formaliter vt talium esset.

Hypothesis 32.

Per actum memoriæ sensitiuæ ab specie memo- 187
ratiuâ in ipsâ asseruatâ nascentem, tum obiectum sensu interno sensatum, tum ipsius interna sensatio ab animali cognoscuntur. Obiectum quidem propriè, & perfectè; sensatio verò minus perfecto, & quasi experimentali modo.

Dari memoriam sensitiuã, tum in nobis, tum in plerisque brutorũ certo certius est apud omnes. Ea autem est facultas interna animalis, quæ asseruatas habet species ad iteratò cognoscendum obiecta prius ab ipso animali cognita, vt *suprà hypoth.* 24. ex communi positum est. Vbi etiam statuimus pro munere isto, & pro reliquis, quæ in sensu interiori experimur, non plures potentias distinctas inter se realiter, sed vnicam adstruendam esse. Eiusmodi autem species, quæ in memoriâ sensitiuâ asseruantur, ab ipsis internis sensationibus effectiuè produci, impressásque in memoriâ relinqui, concors Philosophorum sententia est. Nam, quemadmodum sensatio externa sensui interno speciem imprimit, vt ille percipiat obiectum, quod per sensationem ipsam à sensu externo perceptum est, iuxta doctrinam traditam *suprà hypoth.* 26. Ita etiam sensatio interna, dum adest, sensui interno speciem imprimit quâ possit ipse, transactâ illâ, iterum idem obiectum postea percipere, quod per sensationem ipsam antea perceperat.

His positis, prior pars hypothesis, quam, cum 188
alijs tenet in simili agens de memoriâ intellectiuâ, & latè probat Ouied. *contr.* 5. *de Anim. pun.* 4. Probatur primò; quia dum recordamur obiecti antea imaginatione apprehensi, planè experimur, & ipsius apprehensionis ante habitæ nos recordari; neque est, cur eiusmodi recordatio per duos actus, & non per vnicum solum dicatur fieri. Secundò, quia indubitatum est sensionem internam præteritam sub sensum interiorem cadere; recordamur enim apertè nostrorum somniorum, aliarúmque imaginationũ in vigiliâ antehabitarum, idque recordatione pertinente haud dubiè non solum ad intellectum; sed etiam ad sensum internum, sine cuius consortio, & concursu intellectus non operatur, iuxtà dicenda posteà *q.* 3. sed imaginatio à nobis sine suo obiecto percipi nequit, vt etiam experientia demonstrat. Igitur per eumdem memoriæ sensitiuæ

tiuæ actum, & ſenſationem internam præteritam, & eius obiectum percipimus. Et confirmatur, quia impertinenter dicentur eſſe duo actus, vbi ſufficit vnus; per actum quippe memoriæ ſenſitiuæ obiectum, & ſenſatio eius præterita non concipiuntur per modum plurium obiectorum propriorum, quo caſu pluribus egerent conceptionibus, ſed quodammodo per modum vnius, cùm concipiatur obiectum, vt cognitum, & quaſi modificatum per cognitionem præteritam, conceptâ hâc imperfecto quodam, & quaſi experimentali modo, prout diximus. Itaque, ſicut ſenſibile proprium, & commune non duabus, ſed eâdem ſenſatione capiuntur, iuxta dicta *ſuprà*, quia primum apprehenditur modificatum per ſecundum; ita pariter obiectum memorabile, & eius præterita cognitio per eandem cognitionem memoratiuam dicenda ſunt concipi: quia obiectum quaſi modificatum per cognitionem concipitur. Tertiò probatur, quia ſenſatio externa, & eius obiectum per vnicam ſpeciem, per vnicúmque actum percipiuntur à ſenſu interno, vt *hypoth.* 29. ex communi ſtatuimus: ergo tantumdem pariter dicendum eſt de ſenſatione internâ, & eius obiecto comparatione actus memoriæ. Quartò, quia memoriæ actus in vniuerſum ſemper habet pro obiecto aliquid præteritum, vt ſæpe docet Ariſt. *lib. de memoriâ, & reminiſcentiâ & alibi*, ſed ſæpè euenit, vt obiectum, cuius animal recordatur, dumtaxat ſit præteritũ, in quantũ cognitũ primariò, eo, quod cognitio eius primaria præterita iam eſt, non verò, quoad ſuũ eſſe phyſicũ. Ergo primaria ſenſatio obiecti ſemper attingitur per actũ memoriæ ſenſitiuæ. Quintò denique quia cum ſpecies memoratiua ab ipſâ ſenſatione internâ præterita proximè, remotéque ab obiecto eius naſcatur, conſentaneum rationi eſt, vt amborum proportionali modo ſit ſemen, & virtus repræſentatiua. Ambo ergo repræſentabit actus memoriæ procreatus à tali ſpecie.

189 Iam, quòd ſenſatio præterita minus propriè, minúſque perfectè, ſeu clarè, quàm eius obiectum cognoſcatur, experientia ipſa demonſtrat bene animaduertenti. Deinde ratio perſuadet. Primò, quia ſi per actum memoriæ ſenſitiuæ æque clarè perciperemus præteritam ſenſationem, ac eius obiectum, vt nemo negat, per talem actum nos recordari obiecti; ita neque eſſet, qui negaret nos recordari ſenſationis, ſiue illam ſentire quod tamen negat Vazq. 1. *p. diſp.* 208. *n.* 10. ratus nullum ſenſum ſuam ſenſationem ſentire poſſe. In quo, loquendo abſolutè, citra dubium decipitur; quia ſenſus ſuam citra dubium percipit ſenſationem, licet non adeo perfectè, & propriè, vt obiectum, iuxta *ſuperiùs* dicta. Vnde ſecundò id ipſum probatur; nam, cùm ſenſatio interna non ſolum obiectum notificet animali, ſed etiam ſe ipſam illi inſinuet, tametſi minùs perfecto, atque experimentali modo, vt *hypoth.* 28. ſtatutum eſt, conſequitur per ſpeciem, ſenſionémque memoratiuam vtrumque pariter animali notificari. Nam, vt experientia manifeſtat, quâ claritate, & expreſſione concipitur quidlibet per primariam apprehenſionem, eâdem, proportione ſeruatâ, concipi ſolet, per ſecundariam memoratiuam, quæ eſt actus memoriæ ſenſitiuæ, de quo tractamus. Quo autem ſenſu verum ſit memoriam ſenſitiuam præteritorum eſſe, ſiue, per actum eius cognoſci præterita *hypoth. præced. n.* 186. declarauimus. Nonnulla alia circa materiam huius hypoth. tangenda ſunt inſuper *inferius. q. 3. hypoth.* 4. quæ magis illam illuſtrabunt.

Hypotheſis 33.

Senſus internus dumtaxat fallitur, quatenus 190
concipit obiectum, quod re ipſâ non eſt, ſiue id ſit proprium, ſiue commune. Per cognitionem enim rei impoſſibilis, neutiquam decipi poteſt.

Supponit hypotheſis, quod eſt certiſſimum, ſenſum internum ſæpe falli circa vtrumque ſenſibile commune, & proprium, quatenus ſæpe apprehendit, quod re ipſâ non eſt, fallacia videlicet latè ſumpta. Nam in ſenſu non poteſt eſſe ſtricta fallacia, ſeu ſtrictus error, qui in iudicio propriè dicto conſtitit. Verùm, quia in ſenſu interiori duplex eſt apprehenſio, alia ſimplex omnino, alia ſuaſiua, vt nuper dictum. Ideo duplex in illo fallacia dicenda eſt eſſe; altera, quæ minus: altera; quæ magis propriè & ſtrictè fallacia ſit, & de vtrâque eſt ſermo *in hypoth.*

Cuius poſterior pars probatur, quia ſenſus in- 191
ternus illud ſolum obiectum proprium valet percipere, cuius propriam habet ſpeciem à ſenſibus externis acceptam, vt ſatis ex dictis hactenus liquet: ſed non habet ſpeciem propriam alicuius figmenti impoſſibilis à ſenſibus acceptam, vt patet: ergo nullum figmentum impoſſibile poteſt percipere, tanquam obiectum proprium. Deinde omnia obiecta communia, quæ per ſpecies, quas habet, propriorum ſenſibiliũ, valet concipere tanquam affectiones eorum, poſſibilia ſunt, & à Deo poſſunt produci, vt conſtat; igitur neque percipere poteſt obiectum commune impoſſibile. Hinc prior pars hypotheſis manifeſtè deducitur, quia, ſi ſenſus internus nihil impoſſibile valet concipere, quicquid concipit, dum fallitur, poſſibile eſt: ſolùm igitur falli poteſt circa exiſtentiam eius.

Dices, ſæpè bruta decipiuntur putantia vnam 192
rem eſſe alteram, vt, quando canis lapidem excipit ore patulo, putans eum eſſe fruſtum panis: ergo fingunt identitatem impoſſibilem diuerſarum rerum. Reſpondeo, non fingere; quia in caſu poſito canis, aut eâ ſenſione accidentium viſibilium lapidis ob ſimilitudinẽ, quam habent cũ accidentibus viſibilibus panis, mouetur ad appetendum panem, ſupplente inſtinctu naturali appetitus, quod deeſt de cognitione veri panis, qui appetitur: quo pacto duntaxat interueniet quædam practica fallacia appetitus circa panem non exiſtentem, ſenſus autem nulla fallacia erit. Aut certè canis ad appetendum ea ipſa accidentia viſibilia, quæ ſentit, vt ſibi conuenientia mouetur, quatenus eadem numero potuiſſent eſſe accidentia panis; donec perceptis alijs accidentibus lapidis alienis à pane, ſapore ſcilicet, & duritie, tanquam ſibi diſconuenientibus mutato appetitu refugit ſub his accidentibus, quod ſub alijs antea appetebat. Tantumdémque dicendum in ſimilibus caſibus; vnde patet in illis ſenſum brutorum nullam rerum diſtinctarum chimæricam identitatem confingere. Quod inde planè confirmatur; quia certum debet eſſe appetitum brutorum non ferri in aliquid chymæricum, dum ſic deluſus quidpiam proſequitur, aut fugit; quia haud dubiè fertur in id, quod ſibi eſt conueniens, aut verè, aut in apprehenſione. Certum eſt autem ens chymæricum nullo ex his modis eſſe conueniens appetitui brutorum.

Porro inter fallacias ſenſus interni potiſſimum 193
recenſenda ſunt ſomnia, quæ nobis ſomno correptis frequenter obueniunt. Eſt ſomnus ſtatus ille animalis, in quo omnes eius ſenſus externi naturaliter

turaliter quiescunt, feriantúrque ab operationibus suis: eo quod vapores ascendentes in cerebrum, eiúsque frigiditate naturali, ibi densati ad instar nubis interpositæ spirituum animalium defluxum impediunt, quibus sensus externi orbati operari non valent; vt latè exponunt Arist. *lib. de somno, & vigilia.* Titelman. *lib. 20. suæ physicæ cap. 19.* & alij tum Physici, tum Medici. Igitur ijdem vapores, qui somnum causant, somniorum etiam causæ sunt: Dum enim cerebrum, vbi sensus internus residet, illis oppletur, magna spirituum animalium concitatio fit, & commotio, à quâ variæ, inordinatæque fiunt excitationes specierum sensus interni: vnde rursus inordinatæ illæ imaginationes, siue Phantasiæ quas experimur, enascuntur. Oportet tamen adnotare dictam spirituum agitationem quandoque adeo nimiam esse, vt prorsus impediatur sensatio interna: eo quod ingenti vaporum copiâ veluti suffocantur spiritus, penitúsque præpeditur facultas sensus interni: quo casu nullum dormienti obuenit somnium: Interdum spirituum conturbatio moderatior est; quo fit, vt phantasmata dormienti appareant, sed inordinata, & monstrosa. Nonnunquam denique vapores leniter mouent spiritus, quo casu somnia eueniunt ordinatiora, & magis placida. Explicuit id pulchrè Arist. *lib. de somnijs cap. 3.* exemplo commotæ aquæ, aut cuiusuis alterius humidi, in quo res vti in speculo repræsentari valet; si enim eius commotio nimia sit, nullum apparet simulacrum; si mediocris, simulacra quidem apparent, sed valde distorta, deformiaque; si denique parua, siue lenis, magis formata simulacra, magisque ordinata cernuntur. Plura de somnijs apud Arist. *lib. cit.* & apud eius interpretes, aliósque, qui de eis scripsere, videri possunt.

Hypothesis 34.

194 Attentio sensus interioris ad perfectionem sensationis externæ eiusdem obiecti multum confert.

Hoc experientiâ notum est: Clariùs enim, expressiúsque sentimus obiectum, quando vnà cum sensu externo sedula sensus interni attentio ad illud percipiendum conspirat. Causa autem huius esse videtur, quod dum sensus internus attentius propendet in obiectum sensus externi, maiorem ad ipsum pro sensatione talis obiecti perficiendâ immittit spirituum animalium prouentum. Ea enim est sensus interni, externique confœderatio, vt externus ad internum species, quas ab obiectis accipit, mittat. Internus verò officium hoc externo rependat remittendo ad ipsum spiritus animales è cerebro, vbi ipse præsides, & vbi, tanquam in propriâ officinâ, tales spiritus generantur, iuxta constantem Medicorum, Philosophorúmque sententiam. Ob id, namque Galen. *lib. 8. de vsu part. capit. 3. & 4. & lib. 3. & 7. de placitis*, alijque plerique cum illo radicem, & fontem omnis sensationis cerebrum esse, planè, constantérque asseuerant. Itaque sensus internus per attentionem ad obiectum externi promouere naturaliter videtur defluxum spirituum animalium ad talem sensum, vt in maiori copiâ ad illum descendant è cerebro, quàm aliàs descenderent, eiusmodi attentione sublatâ; In quo suas quoque partes facit sensus internus, quandoquidem, quo magis virtute spirituum perficitur sensatio externa, perfectior euadit & interna, ob magis perfectam speciem ab ipsâ ad internum sensum remissam.

Porro attentio sensus interni ab ipsius sensatione 195
internâ nihilo differt, nisi, quod sola ea sensatio interna, quæ notabiliter est intensa, solet attentio nuncupari. Attentio autem sensus interni eatenus voluntatis arbitrio subest, quatenus voluntas imperio suo aut valet immediatè impellere potentiam, vel excitare speciem ad magis intensam sensationem, quam causarent aliàs tali imperio sublato; aut valet immediatè conuocare spiritus animales, à quorum subinde maiore prouentu euadat intensior sensatio. Id videtur certum, quo maior est attentio imaginationis, eò plures spiritus animales in cerebro congregari; nam ab illis haud dubiè nascitur alteratio cerebri, quam tunc sentimus. Quia tamen hæc etiam enascitur ab attentione ad quam non concurrit voluntas, crediderim conuocationem spirituum ab attentione prouenire; atque adeo voluntatis dominium non circa illam; sed circa hanc immediatè versari.

Progressio ad resolutionem quæstionis.

Ex dictis in superioribus constat ad phanta- 196
siam (ita enim per antonomasiam deinceps appellabo semper sensum internum) dumtaxat peruenire species eorum obiectorum, quæ per externos sensus capiuntur: de quibusque singulatim in præmissis hypothesibus tractatum est, phantasiam autem ipsam per eiusmodi obiectorum species variè permixtas, seu potius varijs, innumerisque modis ad sensibilia communia repræsentanda, atque varianda excitatas innumera, diuersáque sibi compingere, imaginarive spectra, seu phantasmata sensibilia ea, quam habet mirâ virtute ad id præstandum iuxta doctrinam stabilitam *hypoth. 30.* vnde huiusmodi tantùm obiectorum species, seu acceptorum per alios sensus, seu à se confictorum communicat intellectui phantasia. Nec enim aliorum obiectorum species potest illi communicare, præterquam eorum, quorum species ipsa accipit, quæque ipsa cognoscit, vt constat. Certum est autem apud omnes, & ex se satis notum phantasiam non aliter, quàm medijs suis actibus, seu sensationibus internis prædictas species intellectui communicare. Nam, quemadmodum sensatio externa imprimit phantasiæ speciem obiecti sensati, seu percepti per illam; ita sensatio interna, siue actus phantasiæ speciem obiecti sensati, percepti, sen imaginati per illam imprimit intellectui. De quo nullum est dubium inter Philosophos.

Cæterum, quia dictus actus phantasiæ (quem 198
perperam Recentiores phantasma appellant, vt monstrabo *quæst. 3.*) corporeus, & materialis est, vtpotè actus potentiæ corporeæ, & materialis, species autem intellectui spirituali impressæ non possunt non esse entitatiuè spirituales, & abstractæ à materiâ; idcirco censuit Arist. potentiam quamdam spiritualem in nobis necessariam esse, quæ per actus phantasiæ adiuta, siue

actus ipsos adiuuans species supradictas imprimeret intellectui nostro. Et hanc potentiam appellauit intellectum agentem. Potentiam verò intellectiuam discriminis ergo dixit intellectum possibilem, siue passibilem. Ita ille *lib. 3. de Anim. cap. 5.* quem omnes interpretes sequuntur. Eundem intellectum agentem sæpè adstruit S. Th. præsertim *1. p. q. 54. & q. 84. art. 4. & q. 79. art. 3. & de verit. q. 10. art. 6.* Tum Scot. *in 1. dist. 3. q. 8.* & cum illis omnes Theologi præter Durandum relatum *suprà q. 1. n. 9.* qui, vt negauerat species impressas intelligibiles, vehementer impugnat intellectum agentem. Quem sequitur, licet consequentiâ impari Petr. Hurt. *disp. 5. de Anim. sec. 1.* Admittens namque species intelligibiles, eas docet produci à Deo supplente vicem obiecti, cuius solius est munus proprium causare speciem sui. Præter hos verò, reliqui insuper Philosophi antiqui, & Recentiores sententiam Arist. amplectuntur: iuxta quam, vt certum supponendum est, intellectum agentem esse potentiam animæ intrinsecam spiritualem prorsus, & incorpoream: ob idque à corpore separabilem simul cum animâ. In quo conueniunt omnes Peripatetici contra quosdam priscos Philosophos variè de intellectu agente philosophantes, vt viderè est apud Conimb. *lib. 3. de Anim. cap. 5. q. 2.* apud Rub. *Tract. de intellect. agen. q. 4.* & apud Soar. *lib. 4. de Anim. cap. 8.*

198 Porro dari in nobis eiusmodi intellectum agentem, ratione iam insinuatâ probatur. Quia nimirum actus Phantasiæ, vt pote materialis, & inferioris notæ, non valet per se causare species spirituales, quales necessariò esse debent, quæ in intellectu spirituali subiectandæ sunt; atque ita oportet assignare facultatem aliam præstantiorem spiritualémque, vt ponitur esse intellectus agens, quæ simul cum actu Phantasiæ dictas species elaborare valeat. Recurrere enim ad Deum pro concursu speciali, quando potest assignari causa secunda talis concursus, vti in præsenti, minus philosophicum est: siquidem Deus non per se immediatè, sed per causas secundas solet supplere proportionem, compleréque virtutem, quæ deest in aliquibus causis respectu aliquorum effectuum, vt videre est in habitibus infusis ad actus supernaturales simul cum potentijs nostris causandos in speciebus impressis, & alijs huiusmodi. Præterquam, quòd negari non potest, esse possibilem intellectum agentem, de quo tractamus posito autem, quòd sit possibilis, vt affirmamus dari de facto, nullum fortasse vrgentius argumentum posset occurrere, quàm auctoritas vniformis omnium penè Philosophorum illum adstruentium: ipsum igitur dari de facto fatendum est. Nec refert proprium obiecti munus esse producere speciem, quâ cognoscatur. Nam licet id vniuersaliter esset verum, de quo aliàs; inde tamen contra statutam doctrinam non bene pro se arguit Hurt. iuxta eam enim iam concurrit obiectum medio actu Phantasiæ ad productionem speciei intelligibilis, licet non sit eius causa totalis ob eam, quam habet improportionem cum specie spirituali, quam exposcit potentia, à quâ obiectum noscendum est.

199 Iam verò, num intellectus agens, & possibilis sint duæ potentiæ distinctæ, vel vna, & eadem, sub controuersia est. Esse duas videtur docere S. Th. *1. p. q. 79. art. 7.* id que reuerà docent Caiet. & Bann. *qu. 3.* cum alijs Thomistis. Tolet. *lib. 3. de Anim. q. 14.* Conimb. *cap. 5. q. 1.* Rub. *tract. de intell. agent. q. 4. n. 70.* & apud eos alij. Opposita tamen sententia communis est inter Recentiores: Eam defendit Soar. *lib. 4. de Anim. cap. 8. n. 13. & tom. 1. in 3. p. disp. 30. sec. 2. fine.* tenéntque Ouied. *cont. 5. de Anim. punct. 1.* & alij, probabilémque censent Tolet. Conimb. & alij. Itaque iure videtur asserendum intellectum agentem, & possibilem non duas distinctas realiter, sed vnicam potentiam animæ esse diuersis fungentem muneribus, vti *supra hypoth. 24.* diximus de sensu interiori. Primò, quia diuersitas operationum non arguit diuersitatem in causis, vt patet in ipso intellectu possibili, diuersos actus eliciente. Secundò, quia non sunt multiplicandæ entitates absque necessitate: hic autem nulla videtur esse necessitas multiplicandi duas potentias. Tertiò, quia in statu separationis animæ prorsus cessat operatio intellectus agentis, cùm ibi non adsit phantasia, à quâ sumat species: ergo ne demus entitatem prorsus frustraneam pro eo statu, tenemur dicere intellectum agentem à possibili non distingui: sed productionem speciei intelligibilis, & productionem intellectionis, ab eâdem reali potentiâ nasci, quæ in duas ea nomina diuersa sortientes per solam nostram rationem diuiditur relatè ad dictas duas operationes. Inconueniens autem non est, vt eadem causa aliquo genere operationis frustretur pro aliquo statu; dummodo aliæ illi operationes supersint, vt in ipsâ animâ compertum est. Hæc dicta *ex hypothesi*, quòd potentiæ realiter distinguantur ab animâ: si namque ab eâ non distinguuntur, vt probabilius nos opinamur, indubitatum est intellectum agentem, & possibilem realiter inter se non distingui.

Casu verò, quod distinguantur, censeo dicendum 200
cum Soar. *supra n. 11.* & alijs contra Ferrar. Rub. *n. 80. lib. 3. de Anim. q. 9.* & alios quosdam Thomistas intellectum possibilem longè perfectiorem esse intellectu agente. Quoniam ex vnâ parte non est purè passibilis, siue patiens, quo casu esset imperfectior. *Agens enim in omni naturâ præstabilius est patiente*; vt ait Arist. *lib. 3. de Anim. cap. 5.* Ex aliâ verò parte intellectio, quam agit intellectus possibilis adiutus specie, quam suscipit ab intellectu agente, longè perfectior operatio est, quam operatio ipsius agentis, vt constat. Igitur intellectus possibilis, siue passibilis longè perfectior est intellectu agente, absolutè loquendo. Tametsi ab eo superetur præcisè in quantum ab eodem patiens speciem. Quod tantùm voluit S. Th. *in 2. dist. 20. q. 2. art. 2. & q. 10. de verit. art. 8.* Vbi sententiæ nostræ videtur refragari.

Quomodo autem species expressa, siue actus 201
Phantasiæ vulgò Phantasma dictum, simul cum intellectu agente concurrat ad causandam speciem impressam spiritualem, quam intelligibilem vocant, etiam sub lite est. Nam, quidam censent solùm concurrere materialiter, præbendo scilicet materiam, & quasi exemplar quoddam intellectui agenti, vt ipse solus dictam speciem efficiat. Ita cum quibusdam Thomistis docet Soar. *lib. 4. de Anim. cap. 2. n. 12.* longè tamen communior, & probabilior sententia est concurrere effectiuè, prout censent S. Th. *3. p. q. 9. art. 4. ad 2.* & clariùs *q. 10. de verit. art. 6. ad 7.* Scot. *in 1. dist. 3. q. 8.* & plures alij, quos referunt, & sequuntur Rub. tract. *de intell. agent. q. 3.* & alij Recentiores communiter.

Probatur

Probatur autem primò; quia species impressa, siue actus phantasiæ qnoddam semen obiecti est ab ipso obiecto oriundum, vt eius nomine concurrat ad productionem speciei intelligibilis: proprium autem seminis est concurrere effectiuè ad fœtum, pro quo causando à naturâ institutum est. Secundò, quia ex duabus formalitatibus, quæ in specie intelligibili concipi possunt; altera repræsentationis virtualis obiecti; altera accidentis spiritualis, optimè prima attribuitur actui phantasiæ: Secunda autem intellectui agenti. Sed intellectus agens effectiuè concurrit ad eam entitatem, vel eo potissimùm titulo, quod spiritualis est: ergo, & actus phantasiæ concurret etiam effectiuè, eo, quod est repræsentatio virtualis obiecti. Et confirmatur hæc ratio. Nam, si actus Phantasiæ ob suam materialitatem non esset improportionatus ad producendum se solo speciem spiritualem, neutiquam ad productionem eiusmodi speciei adderemus intellectum agentem; Sed eam ipsi actui phantasiæ vnicè attribueremus; vti ei attribuimus effectionem speciei materialis, quam in memoriâ sensitiuâ asseruandam relinquit. Igitur eâ improportione sublatâ, per consortium intellectus agentis, non est, cur actui prædicto concursus effectiuus negetur. Tertiò, quia nisi effectiuè concurrat, nullus ei videtur superesse idoneus modus concurrendi. Neque enim concurrit, vt materia physica speciei intellectualis, vt constat, neque, vt materia obiectiua, siue exemplaris, quia intellectus agens, cùm non sit inquantum agens potentia cognoscitiua (vt fatentur omnes cum S. Th. *in 3. dist. 13. q. 1. ad 1.* nequit producere speciem intelligibilem attendendo ad actum Phantasiæ, vt ad exemplar: indéque veluti transumendo similitudinem, per quam intellectus possibilis possit cognoscere. Dicere autem, quod indicat Soar. prædictũ actum phantasiæ per Sympathiam naturalem determinare intellectum agentem, vt hanc potiùs, quàm aliam speciem intellectualem producat; incongruum esse videtur, & parum ad rem: quia determinatio per sympathiam supponit virtutem adæquatam in causâ determinanda: & tantum mouet ad exercitium, aut etiam ad speciẽ actus; quis autem credat intellectum agentem per se solum habere virtutẽ ad repræsentandũ mediatè quodlibet obiectum sensibile, quin sit aliquid ex parte ipsius obiecti, cui talis repræsentatio tanquam causæ possit attribui, contra receptum illud Augustini proloquium. *Ex obiecto, & potentiâ paritur notitia!*

202 Existimo autem cum communi actum Phantasiæ non vt causam principalem partialem, vt censuit Scot. Sed, vt instrumentum intellectus agentis concurrere ad producendam speciem intelligibilem. Quoniam causa, quæ ex vnâ parte per se solam nihil in effectum præstare potest absque alterius concursu; ex aliâ verò parte altera causa, cuius ope eget, atque etiam effectu ipso imperfectior est: iure non causa principalis partialis, seu causa instrumentalis dicenda venit. Talis est autem actus Phantasiæ comparatione intellectus agentis, & speciei intelligibilis ab vtroque causandæ. In quo dumtaxat potest esse controuersia de nomine.

203 Neque audiendi sunt Caiet. *1.p.q.79.art.3.* & *q. 85.art.1.* & alij relati à Fonseca *lib.5. Metaph. cap. 28. q. 9. sec. 2.* dum munus quoddam tribuunt intellectui agenti illuminandi actum phantasiæ, siue, vt ipsi vocant phantasma; illudque abstrahendi à materiâ, & à conditionibus indiuiduantibus obiecti sensibilis distinctum à munere suprà statuto producendi simul cum ipso actu phantasiæ speciem intelligibilem; quod solum citra dubium habet, vt docent reliqui DD. Fonseca *suprà*. Conimb. *lib. 3. de Anim. cap. 5. q. 2.* Rub. *tract. de intel. ag. q. 2.* & alij. Non, inquam, audiendi sunt Auctores: quia sine idoneo fundamento & absque vlla necessitate aliud intellectui agenti munus attribuunt, præter munus producendi simul cum actu phantasiæ speciem intelligibilem. Qua ipsa productione, quodammodo dici potest illuminare phantasmata, hoc est obiecta phantasiæ, non actus, & illa abstrahere à materiâ, quatenus per dictam speciem à se productam in intellectu possibili proximè intelligibilia ea facit spirituali intellectione, spiritualizato, vt sic dicam, & à materiâ abstracto, seu separato semine ipsorum phantasmatum, quod est dicta species. Quod tantum censendi sunt voluisse Arist. *lib.3.de Anim. cap. 5.* & S. Th. *ibidem lect. 10. & 1. p.q. 85. art. 1. ad 4.* alijsque in locis, dum eiusmodi solent vti loquendi modis.

Quoniam autem species intelligibilis eo fine da- 204
tur intellectui possibili, vt cum eo ad intellectionem concurrat, ex dictis obiter est definiendum, quo pacto ab illâ præstetur concursus iste. Quæ quidem quæstio omnibus speciebus impressis, quibus potentiæ quælibet cognoscitiuæ ad cognoscendum adiuuantur, communis est, quia de omnibus, quod ad rem attinet, eadem est omnino ratio. Thienens. Albert. & Caiet. apud Soar. *lib. 3. de Anim. cap. 4.* Henric. *quolib. 4. q. 7.* Tolet. *lib. 2. de Anim. cap. 5. q. 2. & lib. 3. cap. 7. q. 22.* Aguil. agens de specie visus *lib. 1. optic. proposit. 70.* & Franc. Alf. *disp. 7. de Anim. sec. 2.* existimant speciem impressam non effectiuè; sed per modum conditionis dumtaxat concurrere ad cognitionem. Ego verò sententiæ oppositæ, tanquam longè communiori, & probabiliori subscribo cum Soar. *supra*, & *lib. 2. de Attrib. cap. 12.* Fonseca *lib. 1. Metaph. cap. 2. q. 3. sec. 6.* Conimb. *lib. 2. de Anim. cap. 6. q. 2. art. 3.* Rub. *lib. 2. de Anim. cap. 6. q. 2.* Molin. *1. p. q. 12. art. 1. disp. 2.* Vazq. *disp. 48. cap. 4.* Petr. Hurt. *disp. 12. de Anim. sec. 4.* Arriag. *disp. 4. sec. 3.* Ouied. *contr. 13. punc. 4.* & apud eos alijs pluribus. Moueor primò auctoritate D. Augustini & D. Thom. qui haud dubiè stant pro sententiâ istâ. D. Augustinus quidem, dum ait lib. 9. de Trinit. cap. vlt. *Liquidò tenendum rem, quam cognoscimus, generare in nobis notitiam sui: quod ab vtraque notitia pariatur.* scilicet ab obiecto, & potentiâ, & lib. 11. cap. 12. *Ex re visibili fit visio; non tamen ex solâ, nisi adsit visus: Ex videnteenim, & visibili fit visio.* Nimirum mediâ speciè impressâ. D. Thom. autem, cùm dicit 1. p. q. 56. art. 1. *Sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne: ita species rei visæ est principium formale visionis in oculo.* Secundò moueor, quia non capio, quo pacto species impressa per modum conditionis possit determinare potentiam ad producendam cognitionem: cum neque sit applicatio physica, obiecti reddens illud physicè præsens potentiæ, vt constat; neque applicatio intentionalis reddens intentionaliter præsens: quia non est repræsentatio expressa, & actualis obiecti, vt omnes fatentur, & aliud genus applicationis non est. Neque sit dispositio ex parte passi ad cognitionem recipiendam requisita, vt etiam est notum. Neque ea cum potentiâ videatur cognationẽ habere, seu sympathiam, vt ad illius

præsentiam potentia illicò moueatur : ad id enim muneris satis, superque esset obiectum præsens præsentia physica comparatione sensus externi, & obiecti externa sensatio comparatione sensus interni, & internâ comparatione intellectus. Aliud autem conditionis genus præter hæc tria non est admittendum de facto, vt *suo loco* ostendam. Tertiò, quia species quoddam semen obiecti est, medio quo concipitur cognitio, siue notitia, quæ ob id conceptus appellatur, saltem in intellectu. Semen autem non vt conditio, sed, vt efficiens causat prolem. Quartò, quia cùm cognitio sit actus vitalis, & expressio obiecti, non incongruè impræsentiarum duplex eius causa assignatur, cui duplex hoc prædicatum possit correspondere. Esto aliàs diuersitas prædicatorum effectus non arguat diuersitatem causarum. Quintò, quia actus Phantasiæ effectiuè concurrit cum intellectu agente ad speciem intelligibilem, vt *n.* 201. ex communi statutum est : ergo pariter species impressa dicenda est ad cognitionem concurrere. Accidit, quòd species intellectus, & sensus interni, quæ in memoria asseruantur, alio quopiam excitamento egent, tanquam conditione, vt possint ad cognitionem determinare : ergo ipsæ non sunt conditiones, sed causæ, aliàs daretur conditio conditionis, quod videtur absurdum. Mitto alia leuiora, quæ apud præcitatos Auctores videri possunt.

205 Opponunt tamen Recentiores. Sicut agens physicum nequit operari circà subiectum, quia hoc præcedat ipsi applicatum physicè ; ita agens intentionale, quale est potentia cognoscitiua nequit operari circa obiectum, quin hoc præcedat ipsi applicatum intentionaliter, vt in potentiâ appetitiuâ cernere licet, quæ nisi in obiectum per cognitionem ipsi propositum, & applicatum ferri non potest; sed nihil est, quo in vniuersum intentionaliter applicetur obiectum potentiæ cognoscitiuæ præter speciem impressam : ergo hæc applicatio quædam intentionalis est obiecti, & consequenter conditio respectu actus cognitionis tendentis in illud ; qualis eâdem de causâ censetur communiter cognitio respectu actus volitionis potentiæ appetentis. Respondeo, causam intentionalem debere quidem præcedere applicatam, vt intentionaliter causet, vt videre est in obiectis, quæ solùm verè intentionaliter causant, quando mediâ cognitione sui, aut amore aliquid causant. Quo casu iam applicata præcedunt per ipsam cognitionem, aut etiam amorem. Cæterum potentiæ cognoscitiuæ, etsi sint potentiæ intentionales inquantum sunt potentiæ cognoscendi, & volendi, qui sunt actus intentionales, quo iure materialiter, & lato quodam modo causæ intentionales dici possunt ; non tamen sunt causæ intentionales strictè, & formaliter inquantum sunt potentiæ suorum actuum causatiuæ ; sed causæ physicæ. Vnde ex munere causæ præcisè tantùm petunt applicationem physicam, quam iam per se, aut per vnionem physicam habent ad subiectum, in quo suos actus produnt. Quòd si potentia appetitiua propositione egeat obiecti facta per cognitionem, vt circà illud versetur per actum volitionis : eo certè titulo causæ intentionalis non eget ; sed ex peculiari naturâ potentiæ appetitiuæ, quæ tanquam cæca, nisi lumen cognitionis præcedat, in suum obiectum ferri non potest. Ex quo patet speciem impressam nullo iure debere esse applicationem intentionalem obiecti (qualis certè esse non potest, cum non sit repræsentatio eius expressa, vt constat ex dictis) & consequenter nec conditionem ad actum cognitionis. Relinquitur ergo, vt sit causa effectiua respectu eius. Vtrum autem dicenda sit instrumentum potentiæ cognoscitiuæ, aut obiecti, vel potius causa principalis partialis, quæstio est de nomine, & parui momenti. Censeo dicendam causam instrumentalem iuxtà definitionem instrumenti *n.* 202. insinuatam, & suo loco ex professo tradendam.

Habemus itaque ex totâ hâc quæstione per sen- 206
sus externos, & internum sensibilium dumtaxat obiectorum, atque spectrorum, siue phantasmatum proprias species intellectui nostro communicari. Quæ quidem species præter huiusmodi sensibilia obiecta, quæ propriè, & perfectè repræsentant, insuper imperfecto quodam, & quasi experimentali modo repræsentant intellectui sensationes tum externas, tum internas, à quibus illæ siue immediatè nascuntur, siue mediatè, iuxta doctrinam statutam *hypoth.* 29. Eorum namque omnium suo proportionali modo semina quædam sunt. Quod & experientiâ innotescit, & ex dicendis in sequentibus magis conspicuum fiet. Et sicut, licet species, quibus iuuatur ad cognoscendum sensus internus diuersæ naturæ sint ab speciebus, quibus iuuatur externus, iuxtà doctrinam statutam *hypoth.* 26. eorumdem nihilominus obiectorum species propriæ vtræque sunt ; idemque ipsum omnino vtrique sensui repræsentant suaptè naturâ. Ita pariter, licet species, quæ per phantasiam iuuante intellectu agente, communicantur intellectui possibili, diuersæ naturæ sint ab speciebus ipsius phantasiæ, cum illæ sint spirituales; istæ corporeæ : eorumdem nihilominus obiectorum sunt propriæ species, idémque prorsus repræsentant intellectui, & phantasiæ. Omnes quippè huiusmodi species semina quædam propria sunt obiectorum sensibilium, à quibus primò suam trahunt originem, quæ licet quoad alia naturam mutent, vt se potentijs diuersis, quas adiuuant ad cognoscendum, accommodare, & aptare possint ; virtutem tamen semper retinent eadem omnino obiecta, à quibus proficiscuntur, repræsentandi. Quomodo autem intellectus noster vtendo hisce speciebus sensibilium obiectorum proprijs, quas à phantasia mutuatur, cætera obiecta insensata valeat cognoscere, ex dicendis *disp.* 2. *q.* 3. notum fiet. Porrò species sensuum externorum eiusdem ferme naturæ esse cum sensibilibus proprijs, quæ repræsentant, etsi à sensibilibus communibus, quæ etiam repræsentare valent, naturâ differant : species verò sensus interni, & intellectus valde natura dissidere ab ipsis obiectis tum proprijs, tum communibus, quorum sunt propriæ species, atque etiam ab alijs, quæ per illas ab intellectu cognosci possunt, ex dictis *in totâ hâc q.* satis, superque compertum est.

Ex quibus tandem ad extremum colligitur con- 207
tra quosdam Recentiores, quos suppresso nomine refert Rub. *lib. 3. de Anim. cap. 5. q. 5. n.* 154. neutiquam habere vim intellectum nostrum ad producendas in se species proprias rerum spiritualium determinatum speciebus rerum corporalium, medijs quibus per discursum, aut aliter peruenit ad illarum notitiam : quia, si ita esset, proprios conceptus formaremus spiritualium rerum, neque illas semper conciperemus ad instar corporalium contra compertam experientiam. Tum quia nullum est fundamentum ad talem virtutem nostro intellectui adscribendam, quin potius spectatâ in reliquis eius naturâ pro hoc statu apertè videtur ei repugnare.

QVÆSTIO III.

Quousque intellectus humanus ad intelligendum pro hoc, statu indigeat conuersione ad Phantasmata.

208 PRo exactâ intelligentiâ, atque resolutione quæstionis nonnullas oportet hypotheses ad rem pertinentes præmittere.

Hypothesis 1.

209 Nomen *Phantasma* per merum abusum, & corruptelam accipitur à Recentioribus pro actu, siue specie expressâ Phantasiæ; cum tamen non talem actum, aut speciem, sed eius obiectum significet tum à suâ ipsâ origine, tum apud Aristotelem, & alios quosque Auctores probatos, tum Græcos, tum Latinos.

Phantasma quippe, propriè loquendo visum illud obiectiuum, spectrum, aut simulacrum sensibile est, quod phantasia medijs speciebus sensibilium obiectorum, quas habet, passim solet imaginari, ac sæpe sæpius confingere sibi, seu compingere apprehendendo obiectum sensibile, quod non existit re verâ, sicut est apprehensum. Vnde græci omnes Dictionarij *Phantasma* visum, ostentum, & spectrum interpretari solent. In quâ dumtaxat significatione ab antiquis est vsurpatum, vt constat ex August. *lib. 2. soliloq. cap. 20.* vbi ita habet. *Sed illud saltem impetrem, antequam terminum istius voluminis statuas, vt quid interfit inter veram figuram, quæ intelligentia continetur, & eam, quam sibi fingit cogitatio, quæ græcè siue Phantasia, siue Phantasma dicitur, breuiter exponas.* Et *in lib. de verâ, & falsâ Relig. cap. 10. sic scribit. Phantasmata porro nihil sunt aliud, quàm de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta. Quæ memoriæ mandare, vt accepta sunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel distendere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare cogitando, facillimum est.* Vbi egregiè declarat mirum vim nostræ imaginationis ad compingenda spectra sensibilia, siue phantasmata, vt iam superiùs annotauimus *q. 2. hypoth. 30.* insuper *in eodem lib. cap. 34.* loquens August. de obiectis, quæ menti nostræ obuersantur, dum Romam, amicum, solem aut quæuis alia absentia imaginamur, ait. *Numquid fortè sunt ista, quæ Phantasmata dici solent?* Et *infrà cap. 49.* Eiusmodi phantasmata simulacra vocat. Hinc visum, aut ostentum externum, quod oculis externis obijcitur, phantasma vocari consueuit. Vnde, cùm Christus Dominus ambulans supra mare, apparuit discipulis, ipsi delusi dicebant. *Phantasma est.* Matth. 14.

210 Iam verò, quod Arist. in hâc eâdem significatione *Phantasma* semper vsurpauerit, & non in ea, quam eius recentes assectæ confinxerunt, ex ipsius verbis, & contextibus facile erit demonstrare. Et primùm lib. 3. de Anim. alias 2. text. 155. *Phantasma, & visum* pro eodem vsurpat. Ita enim habet iuxta versionem PP. Conimb. *Si igitur imaginatio, id est Phantasia, sit, id, quo visum, Phantasmáque aliquod in nobis dicimus fieri.* Et paulò infrà. *Clausis etiam oculis visa videntur, atque apparent.* Ex quibus constat phantasma obiectum quoddam esse, non actum imaginationis, siue phantasiæ. Deinde *lib. 3. de Anim. Text. 30.* comparans sensum, & intellectum, & eorum obiecta dicit. *Intellectiuæ autem animæ phantasmata, vt sensibilia sunt:* siue, vt vertunt Conimb. *Animæ autem dianoiticæ ipsa phantasmata perinde, atque sensibilia, sensui ipsi obijciuntur.* Nam sicut sensibilia se habent ad sensum, ita phantasmata ad intellectum, vt ibi exponit S. Th. phantasmata ergo non actus; sed obiecta sunt tum intellectus, tum phantasiæ. Idem habet *text. 39.* his verbis: *Sed cum speculetur, necesse simul phantasma aliquod speculari. Phantasmata enim sicut sensibilia sunt, præterquam quòd sunt sine materiâ.* Et lib. de memo. & remin. cap. 1. *phantasma, & speculamentum* pro eodem accipit, & *lib. de somnijs cap. 1.* ait. *In somnijs præter phantasmata, alia aliquando intelligimus:* Sæpéque in isto libello simulacra illa, quæ somniantibus apparent, *Phantasmata* vocat. vnde *cap. vlt. sub finem* reddens causam, cur pueri, & qui post cibum dormitant, non somniant, concludit. *Conuenienter istis nullum apparet phantasma. Phantasma* vsurpat S. Th. commentans Philosophum ad ista loca. Tum *1. p. q. 84. art. 7.* alijsque in locis suorum operum. Ex quibus apertè constat, Philosophum, vbicumque incidit in hoc vocabulum, illud non pro actu, aut specie expressâ, sed pro obiecto phantasiæ vsurpare, qualiter & vsurpari debet haud dubiè. Et nos semper deinceps, reiecto vulgari abusu, vsurpabimus.

Hypothesis 2.

Dari in nobis memoriam intellectiuam, omninò 211
certum, & exploratum est. Eam autem ab intellectu non distingui realiter æqualem fermè certitudinem habet.

Vocamus memoriam intellectiuam eam nostræ mentis facultatem, in quâ, tanquam in quodam thesauro species intelligibiles asseruantur, quibus iteratò intelligimus ea, quæ semel intelleximus, per quamdam (vt aiunt) præteritorum recordationem. Dari igitur in nobis hanc facultatem concors Philosophorum, & Theologorum, imò, & Patrum sententia est. Vnde opinio Auicenæ eam negantis *lib. 6. Natural. p. 5. cap. 6.* error in Philosophiâ censenda est. Adstruunt quippe memoriam intellectiuam Arist. *lib. de Memor. & Remin. cap. 2. & lib. 2. de Anim. cap. 5.* & ibi omnes eius Interpretes, atque discipuli. Cic. *Tuscul. 1.* Magist. *in 2. distin. 3.* & ibi omnes expositores. S. Th. *lib. 2. contra Gent. cap. 74. & 1. p. q. 79. art. 6.* Vbi alij Theologi. Scot. cum suis *in 4. dist. 45.* S. August. *lib. 10. Confes. cap. 8. & lib. 10. de Trinit. cap. 11.* & cæteri omnes. Ipsaque experientia imprimis illam demonstrat. Constat enim nos passim recordari præteritarum intellectionum, atque obiectorum etiam earum. Tum ea, quæ semel concepimus, facile pro arbitratu nostro mente repetimus, iteratisque intellectionibus intelligimus. Igitur eorum omnium species in mente reseruatas tenemus: non enim illa sine speciebus intelligere possumus, vt constat. Neque est, vnde eorum species denuò accipiamus. Recurrere enim ad intelligentiam extrinsecam, vt recurrebat Auicena, ridiculum est. Deinde omnes admittunt memoriam sensitiuam, in quâ pro sequentibus sensationibus seruantur species, iuxta dicta *suprà qu. 2. hypoth 24. & 32.* Ergo potiore iure memoria intellectiua admittenda

mittenda est; quandoquidem ex vnâ parte perfectior est pars animæ intellectiua, quàm sensitiua: ex aliâ verò non minus monstrat experientia nos intelligibilium obiectorum, quàm sensibilium, recordari. Præterea anima nostra, dum separatur à corpore, secum fert species intelligibiles, quas ministerio sensuum, suique discursus acquisiuit, iuxtà communem Theologorum, Philosophorúmque consensum, vt medijs illis in statu separationis eorum, quæ in corpore intellexit, recordari possit: ergo etiam, dum in corpore degit, facultatem habet talium specierum retentricem, quæ memoria est intellectiua.

212 Ex eo verò, quod eiusmodi memoratiuæ species sint causæ naturales, non bene infertur contra id, quod docet experientia, vti inferebat Auicena, debere illas intellectiones omnes, quas aliquando possunt, semper, iugiterque causare. Nam egent, vt conditione ad operandum necessariâ, excitatione quadam, quâ veluti à somno suscitentur, vt prodeant in operationem simul cum intellectu. Et quoniam eiusmodi excitatio nec semper adest, nec semper est eiusdem rationis, ideo nec omnes species semper, nec quælibet simul cum qualibet suam causat intellectionẽ, sed modò hæc, modò alia pro varietate incitamenti. Quænam autẽ, & qualia sint incitamenta huiusmodi ex dictis *q. 2. hypoth. 30. n.* 180. colligitur. Imprimis enim, quæcumque excitant memoriam sensitiuam, de quibus *ibi*, & intellectiuam pariter excitant saltem ad concipiendum idem obiectum iuxtà dicenda *in seq.* Deinde liberum arbitrium non solùm mediâ phantasiâ, sed immediatè potest mouere intellectum ad tale genus operationis, vnde multæ pullulent excitationes specierum. Deus etiam immediatè excitat sæpe species nostræ memoriæ, præsertim dum eleuat illas ad supernaturales intellectiones &c. De quo vide Molin. *1. p. q. 58. art. 2. disp. 2.*

213 Iam, quod memoria intellectiua realiter ab intellectu distincta non sit, vnanimiter docent Doctores cum S. Th. *1. p. q. 79. art. 7.* contra Ricard. *in 2. dist. 14. q. 2.* Id, quod indubitabile est ex suppositione, quòd potentiæ realiter non distinguantur ab animâ, vt ego probabilius iudico, sed, etsi distinguantur, videtur certum, quia ad eamdem potentiam quæ speciebus iuuatur ad operandum, pertinet eas asseruare. Difficile enim intelligitur, quomodo vna potentia iuuari possit per speciem receptam in alterâ. Tum, esto id sit possibile, superfluè, & incongrue adstrueretur potentia solùm pro conseruatione specierum, quibus potentia alia operatura esset. Adde species, quæ asseruantur productæ ab intellectu agente, & actu phantasiæ, non alibi, quàm in intellectu possibili, vbi primò producuntur, manifestè asseruari; quia de subiecto in subiectum transire non possunt, vt constat. Quæ autem asseruantur productæ ab ipsa intellectione, ibidem etiam citrà dubium asseruari dicendas esse: quia ibidem etiam, dubio procul, & non in potentia distincta producuntur primò. Quæ autem de memoriâ, intellectu, & voluntate, vt de tribus animæ potentijs dici solent, sufficienter verificantur, etsi memoria, & intellectus realiter non distinguantur; sufficit enim distinctio formalis, diuersáque eiusdem entis denominatio desumpta à diuersis eius muneribus. Porrò memoriam intellectiuam perfectam, esse in ratione memoriæ, imò longè perfectiorem, quàm sensitiuam, abs iure in dubium vertitur ab aliquibus, vt constabit ex dicendis *hypoth. 4.* De quo videri possunt Rub. *lib. 3. de Anim. cap 5. q. 5.* Petr. Hurt. *disp. 5. de Anim. sec. 8.* Franc. Alfon. *disp. 12. de Anim. sec. 7.* & alij.

Rogabis: à quânam causâ conseruentur effecti- 214
uè species reseruatæ in memoria. Respondeo, à Deo supplente vices intellectionum transeuntium, à quibus illæ primò efficiuntur, vti euenit alijs plerisque effectibus, qui non dependent in conseruari à causis secundis, à quibus primò producuntur.

Hypothesis 3.

Duplex ad rem præsentem distinguenda est in- 215
tellectio. Alia primaria; alia secundaria. Et vtraque aut obiecti per sensum interiorem sensati, aut obiecti per solum intellectum concepti. Rursus secundaria intellectio alia memoratiua est, alia verò, non item.

Etenim, cùm primùm intellectus noster incidit in obiectum aliquod, siue illud sit ex sensatis per phantasiam (quæ omnia nuncupamus Phantasmata) siue ex non sensatis, quæ solo intellectu capiuntur, quia, vel nullomodo sunt sensibilia, vel de facto nullo sensu adhuc interiori sentiuntur: tunc talis intellectio iure optimo primaria dicitur. Cùm verò intellectus idem obiectum, seu sensatum, seu non sensatum, quod tempore antecedente, iamque præterito concepit, iterum concipit; hæc intellectio secundaria vocatur. Quæ quidem memoratiua, & actus proprius memoriæ erit, si ab specie memoratiuâ relictâ in ipsâ memoriâ ex intellectione præteritâ, procreetur; non memoratiua autem, si ex alio principio nascatur. Hisce quippe duobus modis iteratò nos intelligere, quod antea intelleximus, manifestum est.

Hypothesis 4.

Per actum memoriæ intellectiuæ ab specie me- 216
moratiuâ in ipsâ asseruatâ proximè oriundũ, tũ obiectum antea intellectum, tum ipsius præterita intellectio necessario concipitur. Obiectum quidem propriè, & perfectè: intellectio verò minus proprio, & quasi experimentali modo.

Hypothesis hæc eisdem fermè argumentis probanda venit, quibus in simili de actu memoriæ sensitiuæ idem ipsum probauimus *q. 2. hypoth. 32.* Etenim prior illius pars, quam cum alijs tradit, & defendit Quied. *cont. 5. de Anim. pun. 4.* Imprimis planè supponitur ab. Arist. *in lib. de Memor.* & exprimitur à S. Th. *ibidem loc. 2. lit. F.* dum ait. *Semper enim, cùm anima agit per memoriam, vt prius dictum est, simul sentit, quod hoc prius vidit, aut audiuit, aut didicit.* Deinde probatur primò ab experientiâ: manifestè enim experimur nos non solùm obiecti; sed eius etiam intellectionis præteritæ recordari. Id autem fieri per vnicam, & eamdem intellectionem proximè oriundam ab specie memoratiuâ ex dictis in simili *hypoth. illâ 32.* citatâ satis superque notum est. Secundo, quia, vt *ibidem* statuimus; per eumdem actum memoriæ sensitiuæ concipitur obiectum, & eius sensatio præterita: ergo tantumdem censendum est de actu memoriæ intellectiuæ, de quo modò tractamus. Tertiò, quia actus memoriæ iuxtà Arist. & S. Th.

loco

loco cit.& iuxtà omnes, aliquid præteritum habet pro obiecto:tale autem sæpenumerò non est reipsa obiectum,sed eius cognitio dumtaxat. Quartò denique, quia cum species intelligibilis memoratiua ab intellectione præterita procreetur, vt iam in confesso est apud omnes, consentaneum rationi est,vt non solùm obiecti, sed ipsius etiam intellectionis sit virtus repræsentatiua. Vtrumque ergo repræsentabit intellectio memoratiua producta immediatè à tali specie.

217 Iam verò secunda pars hypothesis, tum experientiæ est consentanea. Tum inde maximè probatur, quia,cum intellectio quæuis non solùm obiectum notificet, sed se etiam ipsam intellectui insinuet,licet minus perfectò,& experimentali modo, iuxta doctrinam vniuersalem *suprà q.2.hypoth.*28. statutam;consequens est,vt per speciem, cognitionémque prædictam memoratiuam, vtrumque pariter intellectui notificetur. Nam, vt experientia demonstrat,qua claritate,& expressione concipitur quidlibet per primariam intellectionem, eadem proportione seruata,concipi solet per secundariam memoratiuam.Accedit primò,quod non ita exploratum est per supradictam intellectionem memoratiuam attingi intellectionem præteritam, quam est exploratum attingi eius obiectum, iuxtà dicta *in illa hypoth.*32. citata : ergo signum est intellectionem præteritam minus expressè, & perfectè concipi à nobis, quàm obiectum per memoriæ actum.Accedit secundò, quod per actum sensitiuæ memoriæ sensatio præterita imperfectè apprehenditur,vt *ibidem* ostendimus:ergo per actum,de quo agimus,memoriæ intellectiuæ pariter censenda est apprehendi intellectio præterita.

218 Cæterùm contra statutam doctrinam sic potest obiici.Sæpe recordamur, atque recolimus obiecta anteà præcognita immemores præteritarum ipsorum cognitionum.Vti euenit, cum alios docemus, quæ didicimus;cum longam aliquam ratiocinationem iteratò reteximus, cùm psalmum integrum, aut aliud quidpiam memoriæ mandatum ordinatè repetimus, &c. Igitur per intellectionem memoratiuam ab specie memoratiua causatam, non semper concipitur intellectio præterita,à qua talis species relicta est,concepto nihilominus eius obiecto, & consequenter ipsa species non est virtus repræsentatiua indiuisim,tum obiecti, tum præteritæ intellectionis, vti posuimus.

219 Pro exacta solutione argumenti, luculentioríque datæ hypothesis explicatione,noto primò,non semper eos,quos formamus,discursus,easque, quas iteramus,cognitiones circà obiecta aliàs priùs tempore cognita, nasci ab speciebus memoratiuis; sed sæpe nasci ab aliis principiis, iuxta dicta *hypoth.præced.*Quibus in casibus nihil mirum, quod iteratò concipiamus obiecta priùs tempore cognita, immemores prorsus cognitionum, quibus illa prænouimus.Casus tamen isti nihil præstant contra doctrinam nostram, vt patet.

220 Noto secundò;per species intelligibiles memoratiuas, dum excitantur, solummodò produci immediatè apprehensiones quasdam simplices repræsentantes indiuisim, tum obiecta præcognita, tum ipsorum intellectiones præteritas modo explicato, quorum virtualiter tantùm sunt suasiuæ, quatenus eorum iudicia in intellectu causare possunt,ad eum modũ, quo apprehensiones,quibus primò concipit intellectus obiecta per externos sensus sensata simul cum eorum sensationibus,virtualiter sunt suasiuæ,quatenus causare valent in ipso intellectu iudicia,tum de obiectis sensatis, tum de eorumdem sensationibus.Igitur, quemadmodum per istas apprehensiones primarias obiectorum sensatorum sæpè determinatur intellectus ad iudicandum obiecta, non iudicatis externis eorum sensationibus, vt experientia monstrat : quantumvis apprehensiones ipsæ non sola obiecta, sed etiam eorum sensationes indiuisim proponant, vt ex dictis *q.2. hypoth.*29. constat. Ita pariter per apprehensiones memoratiuas,quorumuis obiectorum sæpè determinatur intellectus ad iudicandum obiecta, non iudicatis eorum cognitionibus : Tametsi apprehensiones ipsæ non sola obiecta, sed etiam ipsorum cognitiones repræsentent, atque proponant. Et hinc quidem nascitur,vt recordatione iudicatiua, cuius potissimum habetur ratio, sæpè recordemur obiectorum antea præcognitorum, non memores recordatione simili cognitionum præteritarum.

Cur autem apprehensio simplex virtualiter suasiua repræsentans, proponensque indiuisim obiectum,& cognitionem eius determinet intellectum ad iudicandum obiectum, non iudicata cognitione, variæ causæ possunt existere. Prima, quia eiusmodi apprehensio, cùm longè imperfectius ex sua natura,longéque obscurius subinde repræsentet cognitionem,quam eius obiectum, iuxta superius dicta, sæpè potest contingere,vt illa non valeat determinare intellectum ad iudicium cognitionis, etsi valeat determinare ad iudicium obiecti. Requiritur enim in apprehensione virtualiter suasiua certa perfectio, certáque claritas comparatione rei apprehensæ, vt valeat ad eius iudicium determinare. Secunda,quia licet apprehensio de obiecto, & cognitione ad vtriusque iudicium determinare valeat fieri poterit, vt ad id egeat imperio voluntatis, quod non adeò est expressa,& euidens, vt sine illo possit mouere saltem ad iudicium de cognitione, quam semper obscuriùs,quàm obiectum proponat, vt dictum est. Quibus in casibus penès arbitrium hominis erit iudicare obiectum, cognitione non iudicata.Tertia,quia species in memoria relictæ ex nimia repetitione eiusdem obiecti, quandam conficiunt intensionem clarissimè repræsentatiuam talis obiecti, & confusissimè omnium cognitionum præteritarum eius,à quibus illæ in memoria relictæ sunt:eo quod omnes partes talis intensionis eiusdem obiecti sunt repræsentatiuæ : Cùm tamen non omnes eamdem cognitionem,sed singulæ singulas, à quibus traxerunt originem,repræsentare valeant: quo fit, vt apprehensio à tali intensione promanans promptissimè determinet ad iudicium de obiecto apprehenso, nullo expectato voluntatis imperio;ad iudicium verò de cognitionibus non item. Tum per se ipsam adeò sit expressa de obiecto, & confusa,obscuráque de cognitionibus, vt sæpe videatur eam habenti se solum obiectum, non verò cognitionem eius concipere.Ex quibus patet, quid ad argumentum factum *n.* 218. & ad experientias in eo propositas dicendum sit. 221

Quæ,cùm ita sint,colligo primò, per actum memoriæ iudicatiuum oriundum mediatè ab specie memoratiua bene posse hominem recordari obiecti anteà cogniti, quin recordetur cognitionis, & vice versâ;cùm tamen per actum memoriæ apprehensiuum nascentem à tali specie immediatè vtrumque necessariò concipi debeat modo explicato.Quod quidem,& ipsi experientiæ planè consentit. 222

Secundò colligo;per actum memoriæ etiam intellectiuæ præcisè in quantum huiusmodi, neuti- 223

quam attingi præteritum formaliter in quantum præteritum, sed tantum materialiter, quia nequit cognosci præteritum vt tale formaliter, nisi comparando illud ad præsens, respectu cuius est præteritum, & consequenter cognoscendo etiam præsens, vt præsens: sed per actum memoriæ etiam intellectiuæ præcisè in quantum est actus memoriæ, non cognoscitur præsens, vt præsens. Igitur neque præteritum formaliter vt præteritum. Itaque, dum alicuius præteriti recordor, cum simul aliunde, quàm ab specie memoratiuâ, notitiam habeam temporis præsentis, in quo existo, factâ comparatione inter tempus illud, cuius recordor, & præsens, quod aliunde nosco, notitiam compingo præteriti formaliter vt præteriti; quæ subinde notitia quodammodo mixta ex memoratiua, & non memoratiua erit.

224 Tertiò colligo discrimen inter memoriam sensitiuam, & intellectiuam. In intellectiuâ enim, tum apprehensio obiecti simul, & cognitionis eius præteritæ virtualiter solùm suasiua, tum iudicium, aut de solo obiecto, aut de solâ cognitione, aut de vtroque, vt actus eius proprij dantur. In sensitiuâ verò solùm videtur dari apprehensio suasiua formaliter obiecti simul, & cognitionis. Nec hoc refragatur experientiis propositis *n.* 218. Si quando enim nos videmur solius obiecti recordari, tunc id non euenit; quia ne per memoriam quidem sensitiuam recordemur cognitionis; sed quia huius sensitiua recordatio, esto suasiua sit suo modo, adeo leuis est ob aliquam causam ex recensitis *n.* 221. vt ea per intellectum non aduertatur, cuius dumtaxat aduertentia, & persuasio ingesta per iudicium momenti in nobis est. Nisi quis velit, quò magis se experientiis dictis conformet, perinde de memoriâ sensitiuâ, ac de intellectiuâ philosophari. Dici enim non sine probabilitate potest consentaneè ad doctrinam insinuatam in simili *q.* 2. *hypoth.* 31. etiam in memoriâ sensitiuâ apprehensionem obiecti simul, & præteritæ cognitionis eius nascentem proximè ab specie memoratiuâ virtualiter solum esse suasiuam, quatenus aliam suasiuam causare potest: hanc autem ob aliquam ex causis commemoratis *dicto n.* 221. interdum posse aut solius obiecti, aut solius cognitionis, aut vtriusque formaliter suasiuam esse.

225 Quartò colligo, nos per nullum actum memoriæ posse persuaderi de obiecto, cuius præterita cognitio formaliter suasiua non fuit: quia per memoriam solùm possumus persuaderi de iis, de quibus antea persuasi fuimus. Vnde, quando præterita cognitio fuit tantùm simplex apprehensio formaliter non suasiua, vti euenit cùm obiecta non existentia, aut etiam non possibilia imaginamur, apprehendimúsque vt existentia, & possibilia: tunc solùm possumus per actum memoriæ persuaderi nos illa obiecta apprehendisse, quia de existentia talis apprehensionis etiam anteà persuasi fuimus experimentali notitiâ.

226 Quintò colligo. Nos per memoriam non solùm actuum præteritorum eiusdem potentiæ memoratiuæ; sed actuum etiam aliorum, qui sub experientiam cadunt, recordari. Recordamur enim non solum nos interius sensisse, & intellexisse; sed etiam nos vidisse, audisse, appetiuisse, amasse, &c. Cum hoc tamen discrimine, quòd, vt suasiuè recordemur actus præteriti, eiusdem potentiæ memoratiuæ non opus est, quod de eo anteà persuasi fuerimus per aliam reflexam suasionem præter illam, quam ipsemet per seipsum experimentaliter exhibuit (aliàs aut series reflexorum actuum esset porrigenda in infinitum, aut vltimus actus seriei nequiret sub recordationem suasiuam cadere, quorum vtrumque absurdum est. Vt tamen suasiuè recordemur actuum aliarum potentiarum, necesse est, quod potentia memoratiua, siue sensitiua, siue intellectiua priùs per actum proprium ab eis distinctum persuasa fuerit de illis: Nullus quippe experimentalis actus aliarum potentiarum, præterquam sensus interni, & intellectus est per se ipsum sui ipsius suasiuus formaliter, esto per se ipsum formaliter sit experimentali modo sensibilis, quo fundamentum præbet, vt de illo per proprium actum sensus internus, & intellectus, qui solùm sunt potentiæ capaces suasionis, persuadeantur: sensus quidem internus per apprehensionem suasiuam, intellectus autem per iudicium. Quæ omnia ex dictis *q.* 2. præsertim *hypoth.* 28. 29. & 31. satis sunt nota, maioremque ex dicendis lucem accipient.

Hypothesis 5.

Duplex prætereà est memoriæ operatio; nempè recordatio (quæ mutuato vocabulo ab ipsâ facultate, memoria solet appellari) & reminiscentia. 227

De quibus latè disseruit Arist. *in lib. de memor. & Reminisc.* Est autem recordatio, siue memoria actus ille, seu apprehensiuus, seu iudicatiuus oriundus proximè, vel remotè ab specie memoratiuâ. Quo, vel obiecti prius cogniti, vel præteritæ cognitionis eius, vel vtriusque recordamur, iuxta doctrinam *præcedentis hypoth.* Reminiscentia verò dicitur ille motus, siue progressio, siue discursus, quo tendit anima ad memorandum, seu ad recognoscendum obiectum, cuius, aut erat oblita, aut actu non recordabatur. Nam, quemadmodum intellectus, quà talis, primariò incidit in cognitionem aliquorum obiectorum, ex quibus facto discursu per illationem cognoscit alia: ita memoria, qua talis primario incidit in aliquorum obiectorum recordationem, ex quâ per quoddam genus discursus peruenit ad recordationem aliorum. Discurrit autem memoria, seu transit ex recordatione vnius obiecti, ad recordationem alterius, non, quod deprehendat primum cum secundo connexum esse; nam istud genus discursus in rerum connexione fundat, proprium est intellectus, vt abundè trademus *infrà disp. 2. q. 5.* sed, quòd recordatio primi excitat speciem memoratiuam secundi in ipsa memoria asseruatam, & eo vsque consopitam, vt prodeat in actum sibi proprium, quæ est cognitio memoratiua talis obiecti. Ex quo patet, quod sicut in discursu intellectuali illud obiectum est medium ad cognoscendum aliud, quod deprehenditur ab intellectu connexum cum illo, iuxta dicenda *q. citatâ.* Ita in discursu memoratiuo, illud obiectum est medium ad memorandum aliud, cuius memoria, seu recordatio vim habet ad excitandam speciem memoratiuam illius. Vnde, quot modis species memoratiuæ obiectorum per recordationem aliorum excitari possunt, totidem potest à memoriâ exerceri eiusmodi memoratiuus discursus, siue reminiscentia.

Porrò, vt recordatio vnius obiecti excitet speciem alterius, valde confert imprimis, ordo, quo illa memoriæ mandata sunt. Ob id, quo ordine aliqua didicimus, eodem, & non alio ea repetere, siue recitare valemus, vt experientia monstrat. Confert etiam ordo diuersorum temporum, in quibus obiecta primariâ cognitione cognouimus. Confert 228

ipsorum

ipsorum obiectorum similitudo, & quæuis omnino analogia;confert eorum contrarietas , & oppositio quæuis,necnon connexio, coniunctio , & cuiusuis omnino generis necessitudo, seu affinitas. Confert denique maximè omnium ordo locorum , vbi obiecta collocata concepimus. In quo potissimum fundatur ars illa mirabilis memoriæ localis;de quâ tracto *infrà suo loco.*

229 Quoniam autem reminiscentia quoddam genus discursus est,prout explicuimus ; memoria verò est recordatio rei ante præcognitæ:ideo ait Arist.*li.cit. cap.*1.qui tardioris ingenij sunt ad discurrendum, & inueniendum;eos vt plurimum ad memorandum aptiores esse ; ad reminiscendum verò minus esse aptos.Quia tamen è contra , qui ad inueniendum, & discurrendum sunt promptiores, ij sint ad reminiscendum magis idonei ; ad memorandum verò minus.Diuersas quippe dispositiones , seu complexiones naturales exigunt ex se in animali operationes istæ;nimirùm memoria, seu recordatio prædominium siccitatis ; reminiscentia verò prædominium humiditatis exposcit. Addit Arist. *cap.vlt.* memoriam pene in omnibus animalibus reperiri: reminiscentiam verò , quòd quædam syllogizatio est,in solis hominibus. Quod certè de reminiscentia strictiori prouenientè à consilio , à deliberatáve ordinatione mediorum in finem memorandi est intelligendum. Cæteroquin dari etiam in brutis suam veluti casualem reminiscentiam, quâ ex vnius obiecti recordatione,mediâ specierum connaturali excitatione transeunt ad recordationem aliorum, neque negat Arist.neque negari potest. Videatur S.Thom.*ibi.*

Hypothesis 6.

230 Intellectum nostrum, dum speculatur,non posse non speculari phantasmata,siue conuerti ad illa,& abusiuè,prout vulgò solet,& propriè, prout debet, iuxta Arist.capi potest.

Celebre quippè illud pronunciatum exhibitum ab Arist.*lib. 3. de Anim. tex. 39.* & aliàs sæpe ab eodem commemoratum. *Necesse est intelligentem simul phantasma aliquod speculari* , bifariam vsurpari potest. Primò , vt sensus sit :intellectum nostrum, dum quidpiam etiam insensibile speculatur, seu intelligit , non posse non simul speculari , siue concipere aliquod spectrum , seu Phantasma sensibile ; atque ita conuerti ad illud , iuxta vulgatam etiam receptam Philosophorum phrasim.Secundò, vt sensus sit:intellectum nostrum ob connexionem in operando,quam habet cum phantasia,nihil speculari posse , quin illa simul versetur circà obiectum proprium sensibile , quod , vel sit idem cum obiecto intellectus , quando intellectus etiam circa sensibilia versatur, vel aliquam similitudinem , aut connexionem habeat cum obiecto intellectus, quando hic speculatur insensibilia. Ex quibus duobus sensibus,primus,me iudice,proprius verborum est,& intentus ab Arist.Secundus improprius,abusiuus,& ab illius mente alienus. Nam, vt constabit ex dicendis tum in præsenti ; tum maximè *disp.*2. *q.*3. mens Aristotelis est , intellectum nostrum pro hoc statu cuncta ex necessitate intelligere in phantasmatibus sensibilibus,vt in quibusdam substitutis; atque adeo , dum quidpiam intelligit , non posse non illum versari circa aliquod phantasma sensibile.Quo iure *in eodem lib. 3.de Anim.text.*32. ita concluſit. *Formas igitur intellectiuum in phantasmatibus intelligit.*Nihilominus secundus sensus inter Philosophos Recentiores receptissimus est. Apud quos subinde idem est quærere,an sit necesse intelligentem speculari phantasma , siue intellectum nostrum se ad phantasma conuertere,ac quærere:an sit necesse , vt operante nostro intellectu, cum ipso simul operetur nostra phantasia. Igitur in vtroque sensu est quæstio præsens resoluenda.

Progressio ad resolutionem quæstionis.

Circa quam in primo , & proprio sensu vsurpatam nil controuersiæ videtur esse apud Auctores. 231 Omnes namque videntur iam confiteri , siue supponere,tanquam certum,ipsáque experientiâ conspicuum , intellectum nostrum pro hoc statu cuncta concipere ad instar rerum corporearum,ac sensibilium:atque ita,dum quidpiam non sensatum intelligit,non posse non illum aliquod spectrum , seu phantasma sensibile aliquomodo simul tangere. Circà quæstionem verò sumptam in altero sensu abusiuo,& improprio,ex duobus nuper commemoratis,certum est etiam apud omnes,atque ex dictis in superioribus satis conspicuum , non posse primò incidere intellectum nostrum in aliquod obiectum sensibile,idque intelligere intellectione primaria , quin ipsum obiectum actualiter cognoscatur per actum sensus interioris,siue phantasiæ.Nam intellectus tale obiectum sine specie non potest tangere ; species autem eius nequit aliunde suppeditari intellectui,nisi ab actu phantasiæ , vt ex superiùs stabilitis in præcedentibus quæstionibus liquidum est. Superest ergo dubitandum,an intellectus per species , quas semel iam acquisiuit,& in memoria intellectiua ab ipso indistincta asseruantur,possit aliquid siue sensibile, siue insensibile intelligere , quiescente prorsus phantasiâ ab omni operatione ? An potius hæ duæ potentiæ ita sint colligatæ,vt intellectus naturaliter moueri non possit,quin etiam Phantasia moueatur. Dico naturaliter. Nam posse intellectum de potentia Dei absoluta independenter à phantasia intelligere, siue per species à Deo infusas,siue aliter , indubitatum est; nec de hoc tractamus in præsenti. Videantur Soar. *tom.*2.*de Rel.lib.*2.*de orat. cap.* 14. & Sandæus *in sua Theologia mystica lib.*1.*commentat.*12.*Exercit.* 2.*& seqq.*

Nonnulli,quos referunt Soar.*lib.*4.*de Anim.cap.* 232 7.Rub. *tract. de actu intell. possib. q.* 1. & Sandæus *suprà exercitat.* 2. *Disquisit.* 11. non adeo arctam putarunt esse connexionem nostri intellectus cum Phantasia in operando pro hoc statu, vt non possit ille in aliquos actus prodire,feriante prorsus phantasia ab omni operatione.Quorum sententiæ , teste Sandæo,*exercitat.*2.*disquisit.*2.consentiunt Valent. *tom.*1.*disp. 6.q.*1.*punc.*3. & Thomas à Iesu *lib.*1.*de contemplatione diuina cap.* 1. ipséque Sandæus videtur annuere,Necnon Petr.Hurt *disp.*12.*de Ani. sec. 6.* quatenus docet non opus esse , quòd omnia obiecta,quæ cognoscuntur à nobis , repræsententur in Phantasia:sufficere enim vnum attingi, è cuius imaginatione variæ excitentur species intellectuales:cessante verò omni actu phantasiæ omnem omnino in nobis cessare cognitionem. Communis tamen , & recepta sententia Philosophorum absolutè pronuntiat nihil posse intellectum nostrum pro hoc statu intelligere , non operante simul cum illo Phantasia circa proprium obiectum. Ita S.Th. 1.*p. q.* 84. *art.*7. & ibi eius expositores : sæpéque

alibi

alibi Scot. cum ſuis *in 1.diſt. 3.q.3. & in 4. diſt.45. q.1.*Conimb.*lib. 3.de Anim.cap.*8.*q.*8.Soar.& Rub. *locis citatis*,apud quos plures, & communiter Recentiores.Eſtque ſententia D.Dionyſij *cap.1.de cœleſti Hierarchia.* & D. Greg. Nazian. *orat. 2. de Theol.* vt videre eſt in Soar. *cap.* 14. *de orat. citato.*

Propoſitio 1.

233 Intellectus noſter pro hoc ſtatu omnia inſenſata obiecta concipit ad inſtar ſenſibilium : atque ita, dum quidpiam inſenſatum intelligit, non poteſt non tangere ſimul aliquod Phantaſma ſenſibile, ad ipſumque ſubinde ſua intellectione conuerti.

Docet id expreſsè Ariſt.*lib.3.de Anim.* dum ait text. 30. *Nunquam ſine phantaſmate intelligit anima.* Et text. 39. *Sed cum ſpeculetur neceſſe ſimul phantaſma aliquod ſpeculari.* Et lib.de memor.& remin. ſub initium. *Quod intelligere non eſt ſine phantaſmate:*ſæpéque aliàs,præſertim *in lib.de ſomniis.*Expreſſiùs adhuc S. Th.id ipſum tradit *1.p.q. 84.art.7.in corp.*dicens. *Reſpondeo dicendum, quod impoſſibile eſt intellectum ſecundum præſentis vitæ ſtatum,quo paſſibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu,niſi conuertendo ſe ad phantaſmata.* Et paulò infra.*Hoc quilibet in ſe ipſo experiri poteſt, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere,format ſibi aliqua Phantaſmata per modum exemplorum:in quibus quaſi inſpiciat, quod intelligere ſtudet.*Et in Reſponſione ad 3.ſubdit.*Ad 3.dicendum, quòd incorporea,quorum non ſunt Phantaſmata, cognoſcuntur à nobis per comparationem ad corpora ſenſibilia,quorum ſunt phantaſmata.* Móxque concludit : *Et ideo cum de huiuſmodi aliquid intelligimus,neceſſe habemus conuerti ad Phantaſmata corporum.* Similia habet *in lib.de memor. & reminiſc. lec.*2.vt videbimus *propoſit.* 2. vbi alia producemus quibus hæc magis confirmabitur.

234 Pro qua fundamentum potiſſimum,veluti à poſteriori, ipſa experientia eſt, vt *ſuprà* S. Th. teſtatur:nemo enim non experitur manifeſtè, ſi bene ſupra conceptus ſuos reflectens aduertat, ſe nihil omnino inſenſatum poſſe intelligere, niſi formando ſibi ſpectrum phantaſmáve aliquod ſenſibile, in quo veluti inſpiciat illud, vt dixit S.Th.

235 A priori autem probari poteſt propoſitio ; quia cùm intellectus noſter cuncta [illegible]cipiat per ſpecies rerum ſenſibilium per ſenſi[illegible]ſtas, eorúmque miniſterio ſibi acquiſitas,v[illegible] *q.1.& 2* ſtatutum eſt;non poſſunt non huiuſmodi ſpecies ſuam ſemper naturam ſapere;eáque ſubinde obiecta, à quibus ſuam trahunt originem, quorúmque propria ſunt ſemina repræſentare, vt pluribus oſtendemus inferius *diſp.2.q.3.* vbi complura inſuper alia præferenda ſunt, quibus nequibit non propoſitio præſens amplius,& amplius confirmari.

Propoſitio 2.

236 Intellectus noſter pro hoc ſtatu omnino dependet à phantaſia in ſuis operationibus, atque adeo phantaſia non operante intellectus operari non poteſt, adhuc per eas ſpecies, quas iam penes ſe habet.

Hæc propoſitio communiter recepta probari ſolet,imprimis iis teſtimoniis Ariſt. quibus ego præcedentem probaui ; ſed non efficaciter, ni fallor; nam,vt ex ibi dictis conſtat, conſtabitque ampliùs ex dicendis *diſp.2.q.3.*Ariſtoteles eis, & ſimilibus verbis tantùm contendit non poſſe intellectum noſtrum quidpiam intelligere, quin ſuâ cognitione phantaſma aliquod,ſeu ſpectrum ſenſibile attingat. Hoc autem,ſi aliunde non obſtaret, bene præſtari poſſet ab intellectu,quieſcente Phantaſia, per ſpecies, quas iam penes ſe habet, eiuſmodi Phantaſmatum,ſiue ſpectrorum. Id autem ſibi velle Ariſt. vel ipſa phraſis, quam vt Ariſtotelicam ex antiquis tractam Peripateticis vſque modò vſurpant Philoſophi, manifeſtat. Quid enim ſonat intellectum noſtrum,dum intelligit, ad phantaſmata ſe ex neceſſitate conuertere, niſi ſe veluti accingere neceſſario ad illa cognoſcenda, ſiue ſua cognitione attingenda? Aliter enim, quàm per ſuam cognitionem,neſcio ſane,quî poſſit intellectus quoquam conuerti.

Igitur propoſitio noſtra ab experientia imprimis 237
venit probanda, vti eam S. Th. probauit. Primò enim experimur, ſi lædatur organum corporeum, vbi Phantaſia ineſt,vt accidit in phreneticis, & lethargicis,aut ſi obſtruatur vaporibus, vt in dormientibus contingit; intellectum operari non poſſe, ſiue intelligere adhuc per ſpecies iam acquiſitas. Ergo ſignum eſt intelligendi actum ita actui phantaſiæ alligatum eſſe, vt ſine illo pro hoc ſtatu ſubſiſtere non poſſit : alioquin impedimentum organi materialis intellectioni non obſtaret, quæ ſpiritualis eſt,& in ſolâ animâ ſpirituali,non itidem in corporis organo celebratur. *Secundo,quia hoc quilibet in ſe ipſo experiri poteſt* (verba ſunt S. Th.) *quod quando aliquis conatur aliquid intelligere,format ſibi aliqua phantaſmata per modum exemplorum, in quibus quaſi inſpiciat,quod intelligere ſtudet.*Huiuſmodi autem phantaſmata,ſeu ſpectra ſenſibilia non ab intellectu dumtaxat, ſed à phantaſia etiam formari argumento eſt, quod in illis efformandis caput defatigari ſolet, & quemdam ſenſibilem laborem percipit,ſæpeque accidit,vt accendatur, & doleat:quod non ita eueniret,niſi in organo corporeo huiuſmodi elaboraretur operatio, eáque ſolius intellectus ſpiritualis, & non item phantaſiæ corporeæ operatio eſſet.Tertiò,nam perfectionem intellectualis operationis ab exacta diſpoſitione corporei organi dependere, atque adeo à perfecta expeditione phantaſiæ experientia etiam compertum eſt.Ob id enim pueri perfecto carent vſu rationis, quia propter organi indiſpoſitionem phantaſiæ opera præpedita,& imperfecta euadunt.Ergo operatio intellectus, abſolutè loquendo, abſolutè ab operatione phantaſiæ dependens eſt.

Iſtæ experientiæ planè conuincere videntur de- 238
pendentiam, quam intellectus habet in ſuis operationibus à conſortio phantaſiæ. Huius autem dependentiæ, ſeu connexionis ratio à priori non ita facilè expeditur. Scot.dixit,alligationem hanc intellectus in pœnam peccati datam eſſe. Quod tamen communiter reprobatur ; quia ea non in pœnam data, ſed intellectui connaturalis pro hoc ſtatu cenſenda eſt. Alij exiſtimant hoc ipſo,quod anima eſt alligata corpori,vt forma eius, debere etiam illi alligari,quoad ſuas operationes : atque ita functiones ſpirituales exercere non poſſe, quin ſimul exerceantur corporeæ:vti enim, qui alteri eſſet alligatus,illo prorſus immoto,moueri non poſſet ; ſic anima alligata corpori, corpore immoto, nequit moueri. Iuxta quam Philoſophiam dicendum erit, hoc ipſo, quòd anima corpori vnita eſt,indebitam eſſe illi ſuapte natura operationem intelligendi abſque operatione imaginandi elicita à potentia corporea Imaginationis,ſeu phantaſiæ;ſudindéque

deficiente

deficiente hac,illam naturaliter esse non posse. Verùm hæc ratio,si quid probaret, probaret vtique animam non posse intelligere,quin omnes facultates corporeæ in eadem anima radicatæ simul exercerentur.Pro omnibus enim æquè illa, & sine discrimine facit, vt patet.Quod tamen est absurdum: cùm constet facultatem intellectiuam, quàm optimè in nobis suas operationes perficere, quin simul exerceant suas reliquæ eiusdem animæ facultates corporeæ,præter vnum sensum internum, vt sunt nutritiua,generatiua,locomotiua, visiua, auditiua, olfactiua, &c. Cur igitur intellectiua facultas consortio sensus interioris, siue phantasiæ præ reliquis egeat ad operandum, specialiorem citra dubium causam,siue rationem habet,quàm,quod anima sit corpori vnita,& alligata tanquam forma.

239 Quæ quidem ratio in mea dumtaxat sententia videtur assignari posse, qua opinor cum Arist. (ni fallor)& S. Th. intellectum nostrum pro hoc statu nihil posse naturaliter intelligere, nisi in phantasmate sensibili,tanquam in quodam subsstituto,prout affatim explicabo,& probabo *disp. 2.q. 3.* Inde enim naturalissimè nascitur, quòd nihil possit intelligere, nisi simul operante phantasia : vt disertè docet S.Th.*in lib.de memor.& reminisc.lect.2. litt. C.*dicens. *Non ergo propter hoc solum indiget intellectus possibilis humanus phantasmate, vt acquirat intelligibiles species; sed etiam vt eas quodammodo in Phantasmatibus inspiciat. Et hoc est, quod dicitur in 3.de Anim(nempe text. 32.)species igitur in phantasmatibus intellectiuum intelligit. Huius autem ratio est,quia operatio proportionatur virtuti, & essentiæ. Intellectiuum autem hominis est in sensitiuo,sicut dicitur in 2.de Anim.Et ideò propria operatio eius est intelligere intelligibilia in Phantasmatibus, sicut intellectus substantiæ separatæ operatio est intelligere res secundum se intellectas.*Quod idem sibi vult S. Th.*1.p.q.84.ar.7.*eamdem rationem latiùs exponens : Itaque, cùm intellectus noster pro hoc statu euncta in phantasmatibus intelligat, multiformique subinde phantasmatum varietate egeat ad tot inter se diuersa obiecta intelligenda; huiusmodique variorum phantasmatum compositio,siue efformatio ad phantasiam spectet, vt *suprà q.2.n.* 160. & rursus *n.* 196.ex August. notatum est:naturalissimè consequitur, quod Phantasia comparatione intellectus vniuersaliter obeat munus quadantenùs proponentis obiecta; ita,quod, quemadmodum intellectus ipse, iuxta sententiam satis communem, nihil iudicare potest, quod per simplicem apprehensionem propositum sibi non sit;& voluntas,vti fatentur omnes,nihil potest amplecti per intellectum non propositum; ita idem intellectus nihil intelligere valeat secundum præsentem statum, nisi in phantasmate, siue spectro sensibili sibi per phantasiam proposito. Ob idque dixerit Aristoteles necessarium esse, vt ad eiusmodi phantasma per phantasiam propositum, intellectus conuertatur, ipsumvè speculetur, quotiescunque aliquid speculaturus est,seu intellecturus. Adde species memoratiuas in memoria intellectiua asseruatas naturaliter excitari non posse ad causandam intellectionem, nisi medio aliquo effectu corporeo; atque adeo media operatione phantasiæ, quod etiam arguit intellectum propositione phantasmatis facta per phantasiam egere,vt quidpiam intelligere valeat. Atque hæc est optima, imò,& vnica ratio à priori alligationis intellectus nostri ad phantasiam desumpta ex ipsa intellectus, & phantasiæ natura,ex modóque operandi, quem habent à nobis multis obseruationibus, atque argumentis deprehensis,quæ inferius *q. illa 3.citata* fusè exhibebimus.

Propositio 3.

Nullum omninò obiectum cognoscit intellectus humanus pro statu præsenti absque ope immediata phantasiæ singula exhibentis phantasmata pro singulis ab illo obiectis intelligendis. 240

Hæc propositio constat ex dictis circà præcedentem. Si enim phantasia se gerit per modum proponentis phantasmata,in quibus intellectus intelligat cuncta, quæ intelligit, quemadmodum ibi confecimus, planè consequitur nullum ab intellectu obiectum cognosci naturaliter posse, nisi in phantasmate per phantasiam proposito.Tum si intellectus semel per actum phantasiæ excitatus ad vnum obiectum intelligendum,posset deinceps sese ipsum p[illegible]prios actus excitare ad alia obiecta intelligen[illegible]a independenter à phantasia,vt philosophatur I[illegible]rt.fieret vtique,vt amentes, & dormientes perfectum vsum rationis sæpè exercerent. In his enim sæpè phantasia ad aliquid cognoscendum excitatur, excitátque intellectum, qua semel facta excitatione, pergeret haud dubiè intellectus ad alia obiecta,quiescente phantasia,perfectissiméque subinde ratiocinaretur circa illa semel etiam in nobis cognitione excitata longos sine ope phantasiæ possemus discursus conficere. Neque ad res, quas intellectus versat,penitius, faciliúsque penetrandas opus nobis esset intenta imaginatione phantasmata sensibilia efformare. Quæ manifesta sunt absurda contra experientiam. Adde, si actus Phantasiæ vnius obiecti, corporeus cùm sit,valeret per se immediatè species intelligibiles aliorum obiectorum ad illa intelligenda excitare,per alia quoque excitamenta corporea possent haud dubiè eadem excitari species.Fieretque, vt quiescente omnino phantasia,neque inchoante, posset intellectus versari circà quæuis obiecta,quorum species in memoria asseruatas habet,quod iure Hurt. non audet concedere. Stet ergo, vt communissima sententia fert, intellectum nostrum nequaquam posse circà vllum obiectum operari quiescente Phantasia.

Vtrum verò [illegible]nuerso phantasia possit prorsus quiescente intel[illegible]u naturaliter operari, in quæstionem etiam [illegible]st vocari. Circa quam arbitror breuissimè, quantum est ex parte phantasiæ id bene fieri posse, vt sit de facto in animalibus brutis, quæ intellectu carent:in nobis tamen absolutè nunquam contingere,vt non moueatur intellectus operante phantasia,saltem circa idem obiectum ipsius phantasiæ,ob naturalem sympathiam,& connexionem, quam habent in operando potentiæ istæ. Actus quippè phantasiæ non potest naturaliter non procreare intellectionem proprij obiecti sensibilis,vel producendo speciem intelligibilem eius, si nondum est in intellectu producta,vel excitando illam, aut etiam intendendo, si producta iam est. Vnde plerumque saltem eueniet etiam, vt excitetur intellectus ad memorandum insensibile obiectum, si quod in tali obiecto sensibili, siue phantasmate prius cognouerat. 241

***

DISPVT

DISPVTATIO II.

De naturâ intellectionis humanæ.

IN hac disputatione de naturâ intellectionis humanæ, tum generatim, tum speciatim sumptæ erit sermo.

QVÆSTIO I.

In quo intellectio humana consistat? Et quid sit verbum mentis?

1 AB hac quæstione breuiter me curabo expedire, vt quæ parum ad institutum meum conferre videtur; & in Auctoribus citandis fusiùs tractata reperitur. Et verò, quòd ad primam ipsius partem attinet, tot fermè, quot capita, sunt sententiæ. Supponunt autem iam omnes contrà Antiquiores quosdam, iuxta doctrinam à nobis *suprà* statutam *disp.* 1. *q.* 1. *num.* 5. *&* 6. intellectionem nostram non solum passiuè, sed effectiuè etiam ab intellectu nostro causari. Deinde præter quosdam Thomistas statim citandos qui in quadam actione carente termino intellectionem constituunt, reliqui vnanimiter sentiunt, dum intelligimus, qualitatem quamdam ab intellectu nostro produci, quæ suapte natura expressa, & formalis repræsentatio obiecti est, atque adeo naturalis quædam imago eius; ob idque species expressa vulgò appellatur. Similitérque, dum amamus aliam à voluntate nostra qualitatem causari, quæ pondus, impulsusve dici consueuit, quasi inclinetur per illam voluntas, tanquam per quoddam pondus, feratúrve, vt per quemdam impulsum in obiectum amatum.

2 Igitur prima sententia supponens speciem expressam per actionem superadditam ab intellectu fieri, in tali actione formaliter ponit intellectionem quasi intelligere aliud non sit, quàm intellectum effectiuè sibi depingere obiecti imaginem, qualis est species expressa. Ita Molin. 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *disp.* 1. *& art.* 5. *disp.* 1. *aliisque in locis*; Gaspar. Hurt. 1. 2. *disp.* 2. *diff.* 9. Montes. *q.* 3. *art.* 2. *disp.* 3. *q.* 5. Conimb. *lib.* 3. *de Anim. cap.* 8. *q.* 3. *art.* 3. & apud eos alij. Quos pro se aduocans Franc. Alf. *disp.* 13. *de Anim. sec.* 3. addit intellectionem non in actione productiua speciei expressæ; sed in actione productiua vnionis, qua species expressa vnitur intellectui, consistere; quia per hanc solùm facit sibi intellectus præsens formaliter obiectum, quod est intelligere. Supponit itaque speciem expressam vniri per superadditam vnionem, & hanc per actionem sibi propriam causari distinctam ab actione, qua species causatur.

3 Secunda sententia in sola specie expressa, vt condistincta ab actione, qua fit, constituit essentiam intellectionis. Ita S. Th. 1. *p. q.* 34. *art.* 1. *ad* 3. Scot. Duran. Ocham. Ægid. & alij apud Conimb. *suprà* Rub. *lib.* 3. *de Anim. tract. de actu intell. possib. q.* 3. Valent. 1. *p. disp.* 6. *q.* 5. *punc.* 1. Vazq. 1. *p. disp.* 112. *n.* 13. *&* 1. 2. *disp.* 9. *n.* 16. Soar. *lib.* 2. *de Attrib. cap.* 11. *& lib.* 3. *de Anim. cap.* 5. *concl.* 3. Ruiz. *tom. de scient. disp.* 87. *cap.* 6. Arriag. *disp.* 6. *de Anim. sec.* 1. & alij multi. Ex quibus plerique supponere videntur speciem expressam, in qua dicunt intellectionem consistere, non solum produci ab intellectu, & in eo recipi per superadditam actionem, eámque immanentem, quæ simul actio, & passio est; sed etiam eidem intellectui vniri per superadditam vnionem: vti reliquæ qualitates videntur vniri suis subiectis. Nonnulli tamen hanc superadditam vnionem explodunt censentes, speciem impressam esse entitatem quamdam modalem se ipsa affixam intellectui. Ita Zuniga *disp.* 1. *de Trinit. dub.* 9. *memb.* 2. quod etiam videtur docere Soar. *lib. illo* 3. *de Anim. cap.* 5. *concl.* 1.

4 Tertia sententia est, intellectionem in specie expressa, & simul in superaddita actione, per quam producitur, consistere. Sic Petr. Hurt. *disp.* 6. *de Anim. sec.* 1. Quem multi Recentiores sequuntur. Quorum alij ex æquo dicunt speciem expressam, & actionem ad conceptum intellectionis spectare. Alij ex connotato dumtaxat requirunt actionem. Alij dicunt, in conceptum intellectionis intrare entitatem actionis, non solùm vt est actio formaliter, sed etiam, vt est passio. Alij præterea addunt vnionem, qua species expressa subiecto vnitur. Alij seclusa vnione, & passione solam formalitatem actionis relinquunt cum specie expressa.

5 Quarta sententia ita constituit intellectionem in sola specie expressa producta per distinctam actionem, vt ipsa actio sit medium, quo talis species præstat subiecto suum effectum formalem, quemadmodum vnio medium est, quo aliæ alterius generis, qualitates suum præstare solent. Qui subinde dicunt vnionem speciei expressæ ad conceptum intellectionis non pertinere. Sic Recentiores quidam relati, & repulsi ab Ouied. *cont.* 4. *de Anim. punc.* 1. §. 1.

6 Quinta sententia est intellectionem consistere in qualitate, siue in specie expressa se ipsa immediatè pendente ab intellectu per actionem secum identificatam. Ita Ripalda *tom.* 1. *de Ente supern. disp.* 23. *sec.* 8. *n.* 43. Card. Lugo *tom. de Incarn. disp.* 18. *n.* 9. & Ouied. *suprà* §. 3. vbi pro se alios adducit. A qua sententia solo loquendi modo videntur discrepare, vt notant Arriag. & Ouied. Thomistæ illi, qui dicunt intellectionem actionem sine termino esse. Sunt autem ij Caiet. Capreol. Ferrar. & alij citati à Rub. ab Arriag. *suprà*, & ab aliis.

7 Porrò, quemadmodum de intellectione, ita vniuersè de quauis omnino cognitione creata paritérque seruata proportione de amore, omnes commemorati Authores philosophantur: vnusquisque consentaneè ad propriam sententiam.

Propositio 1.

8 Intellectio nostra in sola specie expressa consistit, quæ se ipsa absque vnione interposita intellectui affixa est instar cuiusdam eius modi. Tametsi non se ipsa, sed per interiectam actionem ab intellectu producatur.

Tres partes habet propositio, quæ singillatim probandæ sunt. Primam mihi suadeo primò; quia de conceptu cognitionis, vt sic, solum est, quòd sit perceptio quædam, siue apprehensio obiecti; qua potentia cognoscitiua veluti capit obiectum, illud apprehendit, & ad se trahit, & quasi sibi præsentat, siue præsens reddit formaliter, eo modo, quo fieri experimur in nostris tum sensuum, tum intellectus cognitionibus; nec clariùs conceptus cognitionis exponi potest, aut intelligi: sed hæc omnia soli speciei expressæ, quàm optimè aptantur eo præcisè,

præcisè, quòd sit (vti fatentur omnes) actualis,& expressa repræsentatio obiecti, quædamque naturalis imago eius. Ergo sola species expressa est formaliter cognitio, siue intellectio. Minor, quæ sola indiget probatione, probatur facile, & declaratur; quia per eam solam entitatem obiectum percipitur, apprehenditur præsensque redditur intellectui formaliter, quæ illud formaliter repræsentat tanquam imago ipsius: eiusmodi autem sola species expressa est, etiam secundum aduersarios. Est quippe proprium imaginis in vniuersum veluti continere in se prototypon, præsensque facere in loco, vbi ipsa est. Secundò, quia secundum communissimum modum concipiendi, atque loquendi omnium per ipsam intellectionem formaliter fit præsens obiectum obiectiuè in mente cognoscentis; qua etiam præsentia obiectiua dicitur formaliter approximatum voluntati, vt illud queat amare. Ergo intellectio formaliter in solâ specie expressâ consistit, quæ est repræsentatio, seu præsentatio obiecti formalis, atque adeo approximatio formalis eius, non verò in actione illius productiuâ, quæ effectiuè solùm dici potest præsentatio, approximatioque obiecti. Tertiò, quia de conceptu cognitionis obiecti, seu perceptionis eius in vniuersum, neque actio, neque passio est: Deus enim cognoscit obiectum, illudque percipit intentionaliter, quin in suo actu cognoscendi actio aliqua vel passio re verâ inuoluatur, aut connotetur. Ergo neque in conceptu cognitionis nostræ aliquâ ratione includitur actio, quâ efficitur, aut passio: nostra quippe cognitio supra eam, quæ abstrahit à creatâ, & increatâ, solùm addit prædicatum creaturæ, de cuius conceptu intrinseco non est actio, vt compertum est. Quartò, quia pictor non per actionem, quâ imagnem artificialem efficit, sed per imaginem ipsam facit formaliter alios venire in notitiam prototypi, imago quippè sola est, quæ etiam post transactam actionem notificat prototypon. Ergo intellectus pariter, qui pictor quidam est naturalis non per actionem, quâ obiecti imaginem effectiuè depingit, hoc est, quâ speciem expressam eius producit sed per ipsam speciem expressam notificat sibi formaliter obiectum ipsum. Ex quo patet intelligere non esse depingere sibi effectiuè intellectum obiecti imaginem, vti dicebant Autores primæ sententiæ; sed potius per ipsam imaginem sibi depictam obiectum ipsum percipere, atque tenere. Quinto, quia voluntas secundum omnes per ipsum amorem, quo obiectum amat, propendit, siue fertur in illud. Ergo amor in qualitate, quæ pondus, seu impulsus dicitur, consistit vnicè, non verò vllo modo in actione talis qualitatis factiuâ. Per pondus enim, siue impulsum dumtaxat potest formaliter voluntas propendere, siue ferri in obiectum; per actionem verò productiuam eius non item, vt satis ex se est notum. Pariter ergo, de intellectione philosophandum est. Sextò, quia diuersitas, quam experimur in actibus intellectionis ex diuerso modo tendendi eorum in obiecta, nequit non stare primariò penes species expressas, cùm actiones quasi secundariò diuersificentur à terminis: ergo in ipsis speciebus expressis consistunt intellectiones diuersæ, quas experimur. Septimò, quia vix, aut ne vix quidem potest intelligi, quod intellectus tendat formaliter, & immediatè in obiectum per actionem productiuam speciei expressæ, cùm de conceptu actionis solum sit tendere in terminum, cuius effectio est. Ergo intellectio, quâ intellectus tendit immediatè, & formaliter in obiectum, aliud quid est à tali actione, nimirum ipsa species expressa. Octauò, quia nulla est necessitas inuoluendi in conceptu intellectionis præter speciē expressam, actionem, quâ illa producitur, aut passionem, vt constabit ex solutione argumentorum. Ergo sola species expressa adæquata cognitio est. Quin imò, cùm nulla actio sit propter se intenta ab agente; sed propter terminum per eam effectum, vt bene ponderat P. Zuniga *disp.* 1. *de Trinit. dub.* 7. & intellectio propter se ab intellectu intendatur; consequitur intellectionem aliquid debere esse adæquatè distinctum ab actione, quâ fit. Per quæ omnia satis, superque refutatæ manent omnes sententiæ, quæ ad constituendum conceptum intellectionis aliqua ratione requirunt actionem, quâ species expressa producitur ab intellectu in se ipso. Etenim cùm intellectio sit formalis quædam perceptio, apprehensio, seu tentio obiecti per modum repræsentationis, neque totaliter, neque partialiter potest consistere in entitate, quæ non sit formaliter repræsentatio obiecti, eiusmodi autem non est actio, vt omnes supponimus, esto sit productio repræsentationis formalis, qualis est species expressa, atque adeo repræsentatio causalis vocari possit.

Iam verò, quòd nullâ vnione superadditâ, sed se 9
ipsâ intellectui affigatur species expressa, siue intellectio nostra, inde mihi suadeo; quia ex suo conceptu, quidam actus est, seu exercitium intellectus. & de conceptu actus est se ipso affigi subiecto, cuius est actus, iuxta doctrinam vniuersalem tradendam *infra q.* 4. Quanquam enim plurimi huiusce modi actuum suppositiuè dumtaxat, & ex modo nostro concipiendi habeant affigi se ipsis subiectis, quorum actus dicuntur, prout explicatius trademus in dicta quæstione. Tamen multi etiam id habent re verâ, & suapte naturâ vt in actione, passione, vnione, & similibus cernere licet, è quorum profecto numero intellectio censenda est. Tum quia non est, cur dicatur esse suppositicium conceptum eius. Tum quia nec minorem, nec absimilem connexionem præ se fert intellectio cum intelligente, quàm actio cum agente, aut passio cũ patiente, &c.

Venio ad probandam tertiam propositionis par- 10
tem. Etenim esto possibile sit cognitionem aliquam se ipsâ absque interiectâ actione ab aliquo intellectu produci, de quo modò non curo; tamen non est, cur de facto asseramus, intellectiones nostras absque actione produci superadditâ, potius sunt argumenta, quæ suadeant oppositum. Primum enim reliquis omnibus effectibus, qui fiunt à causis secundis, dantur actiones superadditæ ab omnibus Philosophis, qui eiusmodi actiones admittunt, iuxta sententiam iam communem, & apud omnes veram; cur ergo tales actiones cognitionibus negandæ sunt? Quanto autem iure Philosophi non solùm reliquis effectibus; sed etiam cognitioni creatæ actiones superadditas de facto præscribant, ex eo profecto apparet, quod valde consentaneum rationi est, vt quidquid causæ secundæ efficiunt saltē de facto, id à solo Deo effici possit, exceptâ dumtaxat ipsâ effectione, seu actione causarum. Ob id quippe S. Th. 1. *p. q.* 105. *art.* 2. ita habet. *Erroneum est dicere Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam.* Non posset autem facere cognitionem, seu speciem expressam, si hæc se ipsa sine actione interiecta à causâ creatâ penderet. Ad hæc, quia eadem est in præsenti cognitionis, & vos

litionis Philosophia ; si cognitio se ipsâ fit à causâ creatâ , eodem modo se ipsâ fiet volitio. Vnde necessariò consequitur contra satis commune placitum Theologorum , non posse Deum per auxilium extrinsecum concurrere ad actum precedentem ab habitu supernaturali. Tum diuersum specie esse actum misericordiæ supernaturalis, aut alterius virtutis hominis peccatoris ab actu hominis iusti: quia hic se ipso fit ab habitu ; ille verò non item. Aliaque id genus subsequuntur ; quæ videntur incommoda.

11 Restat vt argumenta diluamus , quæ contrà doctrinam nostram opponi solent. Primum sit. Intelligere est viuere. Viuere dicit actionem : ergo intelligere dicit actionem. Respondeo cum Zuniga, Arriag.& alijs. Intelligere formaliter dumtaxat esse viuere intentionaliter, non item physicè,atque adeo in suo conceptu actionem viuentis non claudere, quæ solùm ad viuendum physice necessaria est. Vnde infero cum eisdem, dato, quòd Deus infunderet homini intellectionem,aut amorem, nihil ipso operante physicè , fore vt nihilominus homo intentionali vitâ viueret, quia verè intelligeret, aut amaret; atque adeo verè operaretur intentionaliter operatione quâdam intentionali in se ipso immanente, qualis est ex suo conceptu intellectio , & volitio: quod ad viuendum intentionaliter satis superque est. Quòd autem Deus de potentiâ absolutâ se solo possit producere in homine non operante physicè intellectionem & amorem , quo verè intelligat , & amet , communiter censent , & bene Auctores nostræ sententiæ, vno excepto Vaz. quia 2.*disp.illa.* 9. *cap.* 4. *&c.* inconsequenter id negauit ; quia supposito , quod intellectio in solâ specie expressâ, & amor in solo pondere consistant , nulla est in eo repugnantia , vt insuper docent Molin. 1. *part. quæst.* 12. *art.* 2. *disputat.* 1. Soar. *disputat.* 48. *Metaph. sec.* 2. *num.* 12. Petr. Hurt. *disputat.* 6. *de Anim. sec.* 3. Franc. Alf. *disput.* 13. *de Anim. sec.* 6. Ouied. *contr.* 6. *de Anim. part.* 1. §. 5. & alij.

12 Nec putet aliquis huic doctrinæ Patres Concilij Trident. aduersari , dum *sess.* 6. *can.* 4. eos damnant , qui dixerint. *Liberum hominis arbitrium à Deo motum , veluti inanime quoddam nihil omnino agere , mereque passiuè se habere :* quasi supponant voluntatem hominis veluti quid emortuum fore simpliciter , si nihil ageret , quantumuis à Deo reciperet suum amorem. Etenim , vel nihil à se supponunt Patres Concilij ; sed eos , qui integram eam sententiam protulerint, absolutè condemnant; vel si quid supponunt , tantum est , quod suo intererat instituto , fore videlicet , vt voluntas si nihil ageret physicè , inanimi instrumento , quantum ad id assimilaretur ; tametsi aliàs per amorem in se receptum intentionaliter viueret. De quo, tamquam ad rem impertinente , & purè philosophico penitus non curarunt.

13 Secundò obijci potest. De ratione intellectionis est , quod intellectus per eam attendat ad obiectum : sed attentio dicit actionem , & conatum intelligentis : ergo. Respondeo , attentionem sumptam formaliter , & propriè ab intellectione non differre , & absque vllâ actione physicâ intellectus constare ; vt patet in Deo attentissimè cuncta intelligente citra talem actionem. Attentionem verò sumptam effectiuè , & minus propriè, qualis reperitur in intellectu creato , dicere quidem actionem , conatúmque intelligentis , sed præuium ad intellectionem , distinctúmque ab illâ adæquatè.

Tertiò obijci potest. De ratione amoris est esse 14
voluntarium : ergo & procedere à principio intrinseco cum cognitione. Nego antecedens , quia ratio voluntarij , sicut & ratio liberi extrinseca est in amore ; vnde illi potest deesse saltem de potentiâ absolutâ. Vtrum autem possit Deus producere se solo actum amoris in voluntate, non præeunte cognitione obiecti amandi , alterius est considerationis : de quâ *suo loco.*

Quartò obijcitur. Actionibus tantùm de præ- 15
dicamento actionis meremur ; quia hæ tantum sunt nobis liberæ : sed meremur actibus voluntatis , & intellectus : ergo hi consistunt in actionibus de prædicamento actionis. Confirmatur ex Arist. qui *lib.* 1. *& hic. capit.* 3. docet , operationem virtutis , & fœlicitatem (quam in intellectione ponit *capit.* 7.) non esse qualitatem , quo videtur sentire esse actionem ; Imo esse actionem sine termino videtur docere *capit.* 1. *Et lib.* 9. *Metaph. text.* 16. actiones immanentes cognoscendi , & volendi per se esse finem operantis , quin aliquid per illas fiat , in quod tendat agens , tanquam in finem , vt fit per actiones transeuntes , e. g. ædificandi , texendi , &c. Respondeo ad argumentum ; non solùm per actiones de prædicamento actionis , sed etiam per earum terminos nos mereri , estò illi tantùm sint liberi medijs actionibus. De quo *suo loco.* Vnde patet , ex eo quòd actus nostri intelligendi , & volendi sint termini talium actionum , nihil eorum merito derogari. Ad confirmationem respondeo ; Arist. in primo loco tantùm velle virtutem , & fælicitatem in operatione nostrâ consistere , non verò in qualitate, quæ non sit operatio nostra : Nomine autem operationis non physicam , sed , vel intentionalem intelligit, vel præscindentem ab vtrâque. Quo iure in secundo loco per actiones , operationesve immanentes intelligendi, & volendi, quæ intentionales tantùm sunt ; optimè dixit nihil produci , vti producitur per transeuntes , quæ sunt actiones physicæ : esse autem apud Arist. actus cognoscendi , & volendi operationes , siue actiones tantùm intentionales , & non Physicas de prædicamento actionis ex verbis S. Th. planè colligitur , qui consentienter ad illius doctrinam *in opusc.* 4. *tract. de prædicamentis , capit. de actione* ait. *Similiter intelligere , & sentire sunt actiones immanentes , quia dicunt actum intelligendi , & sentiendi , esse actu in intelligente , & sentiente. Hæc autem actio immanens non est de prædicamento actionis.* Quocirca ipse S.Th. 1. *p. q. illâ* 34.*citatâ art.* 1. *ad* 3. apertè excludit actionem physicam à conceptu intellectionis, dicens. *Intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in qua nulla ratio originis importatur ; sed solùm informatio quædam in intellectu , prout intellectus noster fit actu per formam rei intellectæ.* Per quæ , & per alia tradenda postmodum exponendus est Doctor Angelicus , si quidpiam alibi in oppositum videatur docere.

Porro , quæ diximus circa intellectionem , pa- 16
riter cuiuis cognitioni etiam sensitiuæ conueniunt. Necnon , proportione seruatâ, cuilibet actui appetitus , tum sensitiui , tum rationalis ; quia de his omnibus , quod ad rem attinet , eadem Philosophia est.

Iam

17 Iam vero vt accedamus ad secundam partem quæstionis de verbo mentis resoluendam. Præmittendum imprimis est *Verbum*, si Ethymologiam spectes, eum sonum dearticulatum, & significatiuum significare, quem ore proferimus, dum loquimur, ad manifestandos mentis conceptus. Dicitur enim *Verbum*, teste Isidoro, *lib.1. Ethymologiarum cap. 9.* ab aere verberato labris & linguâ. Cuius quidem verbi prolatio, *dictio* appellatur, aut *loquutio*. Hinc *verbum, dictio, loquutio*, ad internas mentis operationes propriissimè significandas extensa sunt. Nam sicut, qui loquitur ore, per prolatum verbum aliquid audienti notificat: sic, qui intelligit per conceptum productum sibi ipsi notificat obiectum. Quo factum est, vt sibi ipsi loqui, & verbum proferre dicatur. Porro nomen *Verbum*, tametsi à vocali trahat Ethymologiam, propriissimè dici de mentali; imò prius, quàm de vocali, communis sententia est Theologorum in materia de Trinit. quam tradit Augustin. *lib. 15. de Trinit. capite. 11.* dicens. *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen: nam illud, quod profertur, carnis ore, vox verbi est, verbúmque ipsum dicitur propter illud, à quo, vt foris appareret, assumptum est*

18 Certum est igitur apud omnes, verbum nostrum mentale esse aliquid ab intellectu nostro productum, quo sibi manifestat obiectum: illud autem consistere in specie expressâ, quam intellectus producit, dum intelligit, concors omnium sententia est. Cæterum, quoniam de naturâ speciei expressæ, deque munere eius variæ sententiæ sunt, vt vidimus: Ideo etiam de verbo mentis diuersæ existunt opiniones. Nam Molina, & sectatores eius, qui essentiam intellectionis ponebant in ratione productiua speciei expressæ; consequenter docent, verbum mentis adæquatè distinctum esse ab intellectione, & per intellectionem ipsam productam. Hic habet Molina 1. *part. quæst. 27. artic. 1. disput. 8. membr. 3.* Alij verò, qui nobiscum sentiunt intellectionem consistere adæquatè in specie expressâ, consequenter censent verbum mentale nostrum re verâ non esse ab intellectione nostrâ distinctum; sed idem cum ipsâ adæquatè. Ita exprimit Vazq. 1. *part. disput. 38. numer. 24.* & sæpe alibi. Arrub. 1. *part. disp. 123. capite. 7.* Soar. *lib. 2. de attrib. capite. 11.* & alij. Qui autem speciem expressam simul, & eius productionem in conceptu intellectionis inuoluunt, consequenter tenentur dicere intellectionem præter verbum ipsius productionem includere. Superest tamen præterea singularis quædam sententia quorumdam Thomistarum dicentium ad id munieris verbum in mente intelligentis produci, vt in eo prius cognito cognoscatur obiectum: quasi obiectum absens cognosci nequeat, nisi verbum eius instar cuiusdam speculi, siue imaginis intimè intellectui præsentis immediatè loco obiecti terminet cognitionem; quæ immediatè quidem ipsius verbi, mediatè autem obiecti cognitio sit. Huius sententiæ sunt Caiet. 1. *part. quæst. 27. artic. 1.* Capreol. *in 1. dist. 27. quæst. 2.* Ferrar. *lib. 1. contra Gent. caput. 53. & lib. 4. cap. 13.* Canariens. 1. *part. quæst. 27. artic. 1. disput. 3. & 5.* & quidam alij. Qui consequenter affirmant in sensibus externis non dari verbum, eo quod eorum obiecta præsentia sunt. Tum ob eamdem rationem Beatos, dum Deum clarè vident, nullum verbum producere: sicut neque Angelos, dum cognoscunt propriam substantiam. Hanc tamen horum Thomistarum sententiam cæteri Theologi, atque Philosophi communiter reiiciunt, quorum plures speciatim referam *Tract. de Visione Dei*, vbi iterum de verbo mentis redibit sermo.

Propositio 2.

Verbum mentis non est aliquid ab intellectu 19
nostro productum, in quo tanquam in medio prius cognito cognoscatur obiectum.

Ita omnes communiter contra paucos Thomistas nuper commemoratos. Probatur autem primò, quia verbum mentale nostrum ipsissima est obiecti cognitio; vt ex August. Damasc. & S. Thom. ostendemus *Proposit. 3.* Ergo verbum mentale nostrum non est aliquid; in quo prius cognito cognoscatur obiectum.

Secundò; nam experientiâ ipsâ satis superque 20
compertum est; dum intelligimus obiectum aliquod, nihil nos aliud, præterquam obiectum ipsum percipere. Quis enim vnquam expertus est, dum Turcam absentem apprehendit, se duo quæpiam, diuerso tamen modo apprehendere; primum quidem in se immediatè instar imaginis, secundum verò mediatè in primo tanquam prototypon in eo repræsentatum, aliquáve ratione contentum? Certè, si id ita eueniret, neutiquam nos latere posset. Quoniam quoties obiectum vnum in alio, tanquam in medio prius intellecto intelligimus, non minus, imò euidentius nobis notescit medium quàm obiectum in ipso cognitum; quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt proloquium vulgare fert; fieretque, si propterea cognosceremus obiectum, quia cognoscimus verbum, vt magis verbum, quàm obiectum cognosceretur: cumque cognosci à nobis obiectum exploratissimum sit; plus adhuc esset exploratum cognosci verbum. Quod tamen falsissimum esse constat apertè.

Tertiò, quia ad hoc, vt cognoscatur obiectum, 21
quantumuis absens sit, nullâ ratione est necessarium, quòd cognoscatur eius verbum: ergo sine fundamento asseritur verbum priùs, quàm obiectum cognosci. Consequentia est certa. Probo antecedens; quia non est necesse cognosci verbum, vt illud intimè præsens intellectui terminet cognitionem: quippe cognitio, cùm non attingat obiectum physicè, sed intentionaliter tantùm, optimè potest terminari ad obiectum absens. Et quidem, si verbum ipsum iuxta Aduersarios obiectum absens repræsentare valet, vt imago obiectiua eius, idque immediatè sine alio verbo, cur cognitio in obiectum absens ferri non poterit, vt imago eius, seu repræsentatio formalis, quin prius feratur in verbum? Certè, vt verbum dicitur veluti trahere obiectum, illudque facere præsens intentionaliter: nescio cur id potiori iure de cognitione ipsâ dici non possit: quo fiet vt absentia obiecti nihil impediat. Ad hæc, si cognitio obiectum absens ratione absentiæ immediatè non posset tangere? nec posset vtique illud tangere medio verbo: quia obiectum medio verbo non redditur intellectui præsens physicè, & verè; sed repræsentatiuè dumtaxat, & metaphoricè: cognitio autem non secundum *esse* repræsentatum, sed secundum *esse* physicum tangit obiectum. Nec dici potest, vt tangatur obiectum

per cognitionem, quoad *esse* physicum, oportere, quod tale *esse* reddatur prius per verbum præsens intentionaliter; quoniam non est maior difficultas in eo, quod obiectum absens trahatur immediatè per cognitionem, vt per imaginem formalem, quam in eo, quòd trahatur per verbum, vt per imaginem obiectiuam; sicuti dictum est. Quo fit, vt verbum non possit ad id muneris non redundare; sed esto, sit necessaria præsentia obiecti intentionalis facta per verbum, vt illud per cognitionem attingi possit. Hinc sane non sequitur verbum ipsum immediatè cognitum iri, vt in eo tanquam in medio cognito cognoscatur obiectum. Nam, vt voluntas nequit amare obiectum non repræsentatum sibi per cognitionem; & tamen cognitione ipsâ non amatâ, immediatè in obiectum fertur; ita intellectus, esto non posset cognoscere obiectum non repræsentatum per verbum; posset tamen quam optimè, semel repræsentatione factâ ferri in obiectum immediatè, quin vllo modo tangeret verbum.

22 Præterà nescio, quâ consequentiâ asserunt prædicti Thomistæ ad cognitionem sensuum externorum non requiri verbum, quia eorum obiecta præsentia sunt. Primum quidem, quia obiectum visus e. g. non est intimè sensui præsens, sed sæpe valde loco dissitum, & remotum. Quod, si visus obiectum adeo remotum suâ visione tangere potest, cur non poterit quæuis potentia cognoscitiua obiectum omnimodis absens attingere, si tamen specie impressâ eius, vt est instructus visus, instructa sit? deinde, vel præsentia obiecti ad cognitionem requisita debet esse physica, vel debet esse intentionalis? Si physica: ergo obiectum physicè absens nec medio verbo cognosci poterit; per verbum enim dumtaxat redditur præsens intentionaliter; si autem præsentia obiecti intentionalis requisita est: ergo nullum obiectum quantumuis physicè præsens sine verbo cognosci poterit: sicut nullum bonum quantumuis voluntati coniunctum physicè potest amari, nisi intentionaliter per cognitionem præsens reddatur. Quo fiet, vt neque sensus externi sine interuentu verbi cognoscant: neque Beati Deum immediatè sine verbo intueantur. Dici autem non potest alterutram ex dictis præsentijs obiecti esse sufficientem, & necessariam ad cognitionem: Nam, cum sint adeo inter se diuersæ; alteram pro alterâ vicem supplere, prorsus videtur impossibile. Alioquin præsentia physica boni amabilis etiam suppleret vicem præsentiæ intentionalis eius: atque ita obiectum omnino incognitum naturaliter amari posset à voluntate, quod apud omnes absurdum est. Concludo igitur ex dictis cognosci verbum immediatè, neque necessarium esse, vt habeat cognitio, in quod terminetur, neque vt obiectum tanquam præsens noscatur, prout aduersarij arbitrati sunt. Ad aliud autem quidpiam, id non requiritur, vt apud omnes certum est.

23 Quartò probatur propositio; quia, vt verbum esset medium, in quo prius cognito cognosceretur obiectum, non solùm vt existens, sed, vt connexum etiam cum ipso obiecto, deberet præcognosci; sic autem cognosci, quis credat? Tum si in illo ita cognito obiectum cognosceretur, nulla propositio obiectiua per se nota esset; sed omnes per aliud quidpiam præcognitum, nempe per verbum cognoscibiles essent. Quo rursus fieret, vt omnis humana scientia experimentalis esset, oriunda scilicet à notitiâ experimentali verborum; nullâque subinde essent principia metaphysica, aut alia præterquam experimentalia verborum; & consequenter tota scientiarum humanarum euidentia soli euidentiæ subnixa esset, quæ habetur de existentiâ verborum, deque eorum connexione cum rebus, quarum verba sunt. Quæ omnia, quàm sint absurda, alienáque ab omnium mente nemo non videt.

Quintò. Voluntas non habet terminum, in quo 24
priùs amato amet obiectum: ergo neque intellectus habet verbum, in quo priùs cognito cognoscat obiectum. Mitto plura, quia hæc sufficiunt, & qui plura volet, adire poterit Molinam 1. *p. quæst.* 270. *articul.* 1. *disputatione* 8. *memb.* 3. *citato.* Soar. *lib.* 3. *de Anim. cap.* 5. Petrus Hurt. *disp.* 6. *sec.* 5. *& seq.* Arriag. *disput.* 6. *de Anim. sec.* 2. *subs.* 5. Ouied. *contr.* 6. *de Anim. punc.* 1. §. 6. Franc. Alfon. *disputatio* 13. *de Anim. sec.* 5. & alios, apud quos argumenta etiam aduersariorum diluta sunt, quæ, quia facillimè ex dictis reuinci possunt, missa facio. Quomodo autem S. Th. à nobis sit, latè probant Hurt. & alij; & ex mox dicendis constabit.

Propositio 3.

Verbum mentis in nobis nihil est aliud ab spe- 25
cie expressâ, in quâ consistit nostra cognitio. Addit tamen supra rationem cognitionis respectum prolati, siue producti ab intellectu.

Hæc propositio imprimis planè videtur esse de mente Augustini qui *lib.* 9. *de Trinit. cap.* 7. ita habet. *In illâ æternâ veritate formam, secundum quam sumus, vel aliquid recta ratione operamur, visa mentis conspicimus; atque inde conceptam rerum veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus, & dicendo intùs gignimus, neque à nobis nascendo discedit.* Et lib. 15. cap. 16. *Cogitatio nostra perueniens ad id, quod scimus, atque inde formata verbum nostrum verum est.* Ecce notitiam, & cogitationem, & cognitionem idem esse. Eadem est mens Damasc. *lib.* 1. *fidei cap.* 17. vbi docet (prout refert S. Th. 1. p. quæst 34. articul. 1. in corp.) *Quod verbum dicitur naturalis intellectus motus, secundum quem mouetur, & intelligit, & cogitat.* Constat autem huiusmodi motum intellectus (puta intentionalem non physicam) non posse quidquam aliud esse ab intellectione. Cumque S. Th. pro se Damasc. alleget in eamdem eius sententiam trahendus est, siquando innuit verbum ab intellectione distingui. Præsertim, cùm verè non distingui expresse doceat *lib.* 4. *cont. Gent. capitul.* 11. *ante medium* inquiens. *Vnde & ipsa intellectio verbum interius nominatur, quod est exteriori verbo significatum; & quod non sit res intellecta, inde apparet, quod aliud est intelligere rem, aliud ipsam intentionem; quod intellectus facit, dum super suum opus reflectitur; vnde, & aliæ scientiæ sunt de rebus; aliæ de intentionibus intellectis.* Vbi vides secundum S. Th. verbum non cognosci ab intellectu, dum hic cognoscit res directè, vt dicebant Thomistæ *propos.* 2. impugnati; sed tantùm, dum supra ipsum per aliam cognitionem reflectitur.

Quod si nonnunquâ S. Th. vt *lib.* 1 *cont. Gent. cap.* 26
53. *& lib.* 4. *cap.* 11. *& opus.* 83. *de intellectu, & intelligibili*, alijsque in locis significat verbum mētis esse

quid

quid cognitum per intellectionem : certè non de verbo formali, de quo nos in præsenti tractamus; sed de verbo obiectiuo loqui videtur, appellans videlicet verbum conceptum obiectiuum, quem de re insensatâ formamus medio phantasmate sensibili, in quo, illam concipimus, prout ostendemus inferius *quæst.* 3. Talis enim conceptus obiectiuus non datur à parte rei, sicut in mente nostrâ, estque similitudo obiectiua rei intellectæ, & per externum verbum vocale significatur; quæ sunt conditiones verbi mentalis, de quo loquitur in dictis locis S. Th. vt *in eâ quæst. citatâ* relatis eius verbis probabimus. Pari ratione interpretandi sunt August. *lib. 15. de Trinit. capitu. 15.* & Ansel. *in Monol. cap. 32.* dum significant verbum internum nostrum cogitatione produci de verbo obiectiuo, non de formali, quod quidem, vt dicitur cogitatione concipi, seu formari, dici etiam potest cognitione produci, nimirum intentionaliter non physicè. Dum autem Arist. *lib. 2. de Anim. text. 60.* dicit obiectum intellectus esse intra animam, obiectum verò sensus tantùm esse extra illam; dumtaxat vult intellectum per species in memoria asseruatas posse obiecta vniuersalia etiam, quæ non existunt concipere : vim tamen sensus, nisi à singulari obiecto verè extra se existente moueri ad sentiendum non posse.

27 Iam verò propositio data sic potest à ratione firmari; verbum mentis ex conceptu verbi debet esse manifestatiuum obiecti respectu eius, ad quem dirigitur, aut profertur, vt patet in verbo vocali; vnde suam trahit verbum etymologiam vt dictum est : sed nihil est, quo intelligenti creato, dum sibi mentaliter loquitur, interius manifestetur obiectum, nisi cognitio, vt constat ex superius dictis: ergo nihil est præter cognitionem, quod habeat in nobis rationem verbi mentalis. Quomodò autem de verbo diuino aliter sit necessario philosophandum, *in tract. de Trinit.* Deo dante ostendemus. Videatur interim Vazq. *1. disputatio. 112. sub finem.*

28 Diximus autem in propositione conceptui verbi addendum esse supra rationem cognitionis respectum prolati, siue producti, quia ex vnâ parte cognitio non dicit in suo conceptu esse productam à cognoscente, vt patet in cognitione Dei iuxta superius stabilita. Ex aliâ verò parte cognitio non producta non potest propriè dici verbum; quia verbum non est, quod non profertur, siue producitur à loquente. Quo iure omnes pene Theologi contra Duran. à cognitione essentiali Dei veram rationem verbi relegant.

29 Ex dictis est inferendum, quid sit loquutio, & in quo consistat. Etenim loquutio duobus modis vsurpatur. Primò pro ipsâ rei manifestatione : quo sensu dicere solemus loqui homines res vanas, futiles, aut magni ponderis &c. Secundò pro prolatione verborum. Quâ acceptione videtur vsus Regius Psaltes cum dixit psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum*; id est protulit, siue loquutum est, sæpeque dicimus homines loqui, seu dicere verba impudica, honesta, iucunda, &c. Dico ergo loquutionem priori modo sumptam nihilo prorsus differre à verbo; eâ enim ratione verbis ipsis formaliter loqui dicimur siue vocaliter, siue mentaliter : loquutionem verò altero modo acceptam in solâ productione verbi consistere; quia proferre verbum nihil est aliud, quàm illud producere, siue in lucem edere. Vnde in hoc sensu loquutio mentalis erit actio, quâ producitur species expressa, quæ est ipsum verbum nostrum, vt diximus. Itaque loquutio prioris acceptionis à loquutione posterioris distinguitur; quod illa de connotato solum dicit actionem causatiuam verbi : sicuti illam itidem dicit verbum. Hæc verò in eiusmodi actione vnicè, & directe consistit.

Rogabit aliquis; vtrum non solùm in intel- 30
lectu; sed etiam in sensibus verba sint admittenda ? Respondeo, si rem ipsam spectemus, nihil obesse, quominus analogicè saltem possent admitti : propriè tamen, & iuxta communem, receptumque vsum conceptus dumtaxat facultatis rationalis solent verba appellari : sicut, & voces dearticulatæ ab ente rationali nascentes.

Hæc dicta hucusque de verbo mentis nostræ 31
formali, quod tanquam formalis, expressaque similitudo, siue repræsentatio rei intellectæ, ipsam intellectui notificat : de quo potissimum impræsentiarum tractant Doctores. Addendum tamen est phantasma illud sensibile, in quo tamquam in quodam substituto rem insensatam, me quidem iudice, intelligimus iuxta doctrinam tradendam *quæst. 3.* non abs iure verbum internum obiectiuum vocari posse (prout suspicor à S. Th. vocatum locis nuper citatis, de quo latiùs in eâ quæstione). Quoniam per illud etiam suo modo notificatur intellectui res intellecta, quinimo quatenus subrogatur, siue substituitur pro illâ, pluſquàm formale verbum videtur verbo vocali assimilari.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit intellectio humana?

EAS intellectionis humanæ diuisiones, eámque membrorum diuidentium explicationem exhibebimus in præsenti quæstione, quæ ad viam sternendam sequentibus videbuntur conferre. Cæteris quibusque relictis ad propria loca.

Diuisio 1.

Ad tria capita reuocantur omnes humanæ men- 32
tis intellectiones; scilicet ad apprehensionem simplicem, iudicium, & discursum. In quæ subinde tria membra intellectio ipsa sumpta vniuersè primò diuiditur.

Apprehensio simplex dicitur actus ille, quo noster intellectus simplici quodammodo in obiectum collimat, veluti illud aspiciendo; nihil tamen circa illud determinando : ad eum ferè modum, quo oculi nostri obiectum sibi propositum aspiciunt. Dicitur *apprehensio* (tametsi hoc nomen cuilibet cognitioni commune sit). Primò, quia species imperfectiores, qualis est hæc, sibi speciatim assolent nomen generis vendicare. Secundò, quia obiectum apprehendere, siue prehendere propriùs aptatur ei cognitioni, per quam veluti primò obiectum capitur, & ad potentiam trahitur, eique sistitur: quod per hanc primam nostri intellectus operationem

apprimè præstatur. Per eam enim obiectum veluti ad iudicem ad mentem nostram fertur,eique proponitur,repræsentaturque,vt circa illud sententiam ferat per iudicium.Dicitur autem *simplex*,tum,quia simplici modo in suum obiectum tendit, vt explicauimus. Tum etiam, quia illud propriè neque componere dicitur, neque diuidere, vti iudicium.

34 Quippe iudicium illa operatio mentis est, per quam intellectus noster instar cuiusdam indicis de obiecto sibi proposito fert sententiam,decernitque circa illud esse, aut non esse,affirmando videlicet, aut negando:atque idcirco componendo, vel diuidendo,prout explicabimus *infrà q.4.* Ex quo patet iudicium valde in modo tendendi à simplici apprehensione differre.Hæc enim,vt dicebam, instar cuiusdam simplicis, lenisque obiecti aspectus est. Iudicium verò est firma quædam mentis suasio, seu persuasio,per quam ipsa mens ad obiectum ita suasiuè determinatur, vt putet, sibique persuadeat illud esse,aut non esse reuera:sicve se habere, vel secus. Quod est de obiecto proposito veluti sententiam concipere, siue proferre. Vnde iudicium intellectio est per se,& formaliter suasiua,seu persuasiua.Simplex apprehensio non item, sed summùm interdum virtualiter, iuxta dicenda paulò post *diuis.4.*

35 Discursus denique propriè, & strictè sumptus ea operatio est, qua intellectus noster ex vna, vel pluribus veritatibus cognitis, seu per iudicium deprehensis, ad aliam cognoscendam, siue iudicandam transcurrit ductus quidem connexione, qua videt id,quod prius iudicat (& antecedens appellatur)cum eo,quod ex illo infert(& consequens dicitur)connecti. Vnde in discursu duo minimum iudicia interueniant,necesse est;alterum, quo iudicetur expresè antecedens,& tacitè, seu virtualiter connexio eius cum consequente; alterum à priori oriundum, quo iudicetur ipsum consequens. Possunt tamen, & sæpe solent ex parte antecedentis plura iudicia interuenire, quia ex pluribus illud coalescit veritatibus distinctè, & singillatim iudicabilibus:prout plenius explicabo *infrà q.5.* loquor autem de discursu propriè, & strictè sumpto, qualis est solum illatiuus,vt excludam eas transitiones, quibus intellectus noster,vel reminiscendo, vel aliter quàm inferendo ex vno obiecto cognito ad aliud cognoscendum potest, atque etiam solet transire:quæ quidem impropriè, & lato modo possunt appellari discursus, atque etiam solent. Porro esse in nobis hoc triplex cognoscendi genus, nemo est, qui non manifestissimè experiatur.

36 En potissimam ex immediatis diuisionibus intellectionis humanæ sumptæ vniuersim. Sequitur modò, vt singula ipsius membra in suas quoque species subdiuidamus: daturi postea alias diuisiones,quæ aut omnibus illis,aut aliquibus communes sint.

Diuisio 2.

37 Apprehensio simplex alia est constituens hypothesim:alia non constituens hypothesim.

Quæ quidem ex modo tendendi imprimis diuersæ sunt. Cum enim ita concipimus. *Si Petrus existeret,moueretur*, Dubium non est, quin diuerso modo apprehendamus Petri existentiam, atque cùm dicimus. *Existentia Petri est possibilis.* Et prima quidem harum apprehensionum iudicio dumtaxat hypothetico inseruit, ponendo in hypothesi conditionem, sub qua illud circa obiectum conditionatum versatur secunda, quæ latiùs patet, tum hypothetico,tum cathegorico. In eorum enim ministerium data est intellectui nostro,tum, vt obiecta iudicanda proponat, tum, vt terminos relationum concipiat,quibus ignotis,illæ nec iudicari possunt,nec concipi. Differunt præterea apprehensio constitutiua hypothesis; quod prima,veluti æmulans iudicium circa solùm obiectum significabile per verbum, quod proprium est obiectum iudicij iuxta dicenda *q.* 4. versari potest (nihil enim sine verbo potest à nobis poni in hypothesi, vt experientia constat.) Cùm tamen secunda in obiecta tam nominum, quàm verborum tendere valeat;& vniuersim in omnia omnino, quæ ab intellectu humano concipi possunt.Vnde quemadmodum iudicium, sic apprehensio constituens hypothesim in affirmatiuam suo modo,& negatiuam diuidi potest. Alia enim est,quæ adstruendo, siue ponendo facit hypothesim, vt cum dicimus. *Si Petrus existeret, moueretur.* Alia, quæ auferendo potius, siue remouendo facit illam : vt cùm dicimus. *Si Petrus non existeret,non moueretur.*Quo iure distinctionis gratia, prima positiua : secunda remotiua dicitur. De quibus iterum erit sermo *q.4.*

Diuisio 3.

Rursus apprehensio simplex alia est directa, siue recta:alia indirecta,siue obliqua. 38

Directam,siue rectam appello eam, quæ directè attingit suum obiectum : indirectam autem, siue obliquam, quæ illud attingit obliquè. Attingit autem directè, quæ veluti recta via tendit in illud, quasi per se, & primario procedens ab intellectus intentione. Obliquè autem,quæ in illud tendit veluti obiter,& ad latus, quasi consequenter, & secundariò ab intentione intellectus nascens.Et quoniam, quod intellectus noster intendit primariò concipere,est actus significabilis per verbum,vtpote qui proprium obiectum est sui iudicij potissimæ suarum omnium operationum, iuxta dicenda latiùs *infrà q.4.* necnon subiectum suppositio verbi respondens,vtpotè,cui talis actus per se venit attribuendus, aut detrahendus ipso iudicio; idcirco actus significabilis per verbum, eiusdemque actus subiectum,semper ab intellectu nostro concipiuntur directè. Et ideo apud Grammaticos in nominibus solus casus nominatiuus dicitur rectus; cæteri verò obliqui;quia in solo nominatiuo, non item in aliis ponitur suppositum verbi.In verbis autem nullus datur casus obliquus. Quocirca iudicium nostrum semper est cognitio directa,quia per se dumtaxat attingit significatum verbi, vt ostendemus *q.citata.* Inter simplices verò apprehensiones illæ sunt directæ,quæ,vel attingunt significatum verbi, qua tale,id est,conceptum eo modo, quo significatur per verbum; vel ita attingunt quemuis alium conceptum, vt possit illi sic apprehenso attribui, aut detrahi per iudicium significatum verbi. Reliquæ verò sunt obliquæ, cuibúsque obliquis nominum, aliisve signis æquiualentibus correspondent.

Itaque apprehensio directa, & obliqua imprimis differunt inter se ex diuersis modis tendendi in obiecta, quos citra dubium habent. Deinde differunt,quod apprehensio obliqua suapte natura supponit directam, cum eaque subinde connectitur, 39

nec

nec sine ea potest existere. Sicut in locutionibus casus obliqui supponunt rectos, nec sine illis constare possunt: cùm tamen è contrà, apprehensio directa bene possit sine obliqua subsistere. Nihil enim vetat me apprehendere aliquid directè, quin aliud quidpiam apprehendam obliquè: at vnum apprehendere obliquè, quin aliud apprehendam directè, nequaquam possum: apprehensio enim obliqua sine aliquali comparatione vnius cõceptus obiectiui ad aliud contingere nullomodo potest. Vnde, vt in plurimum apprehensiones obliquæ circa terminos relationum, qui etiam sunt comparationum, versantur, non tamẽ semper, quia & possunt termini relationum directè concipi, vti euenit, cùm terminus, & relatio ex æquo concipiuntur, siue æquè primò: & possunt alij conceptus, qui non sunt termini relationum concipi obliquè; vti contingit quoties aliquid absolutum comparatiuè ad aliud concipitur, quod passim fit, provt in concretis adiectiuis, in aliisque huiusmodi connotatiuis conceptibus cernere licet.

Diuisio 4.

40 Præterea simplex apprehensio alia est virtualiter suasiua; alia verò secùs.

Dico virtualiter suasiuam eam, quæ per se immediatè valet in intellectu nostro generare iudicium. Eiusmodi sunt apprehensiones simplices tum obiectorum singularium, quæ per experientiam immediatè nobis notescunt: tum principiorum vniuersalium scientiarium humanarum, quæ ex terminis ipsis sunt à nobis immediatè iudicabilia. Cæteras autem, præter has, non suasiuas virtualiter voco. Itaque apprehensio simplex, quæ per speciem propriam obiecti sensibilis deriuatam à sensu externo modo suprà explicato *disp. 1. q. 3.* gignitur in intellectu nostro, dum actu per sensum externum tale obiectum sentitur, vim habet causandi in ipso intellectu iudicium de existentia eiusdem obiecti. Tum iudicium de distinctione, tum de dissimilitudine eius ab alijs, & alia huiusmodi; interueniente tamen insuper vsu specierum alienarum, prout explicabimus *inferius q. 3.* Et quoniam post transactam externam sensationem, adhuc potest intellectus noster obiectum sensatum apprehendere per propriam ipsius speciem in memoria relictam, quin possit vi talis apprehensionis determinari ad iudicandum illud existere de præsenti, aut aliud quidpiam ei conuenire, prout in statu actualis existentiæ; vti fuit determinatus per primam, estò possit ad iudicandum illud anteà extitisse. Ideo videtur necessariò dicendum apprehensiones obiectorum sensatorum primarias ab apprehensionibus eorumdem memoratiuas ex modo tendendi discriminari. Dici enim non potest eas solùm distingui extrinsecè, quatenus primariæ connotant externam sensationem actu existentem; memoratiuæ verò non item; vt sic enim dicendum esset intellectum ad iudicandum de existentia obiecti præsentis non solùm per apprehensionem propriam; sed etiam per sensationem externam talis obiecti immediatè determinari, quod falsum est: tum quia sensatio externa non est propositio obiecti proportionata intellectui, & aliter, quàm per modum propositionis obiecti, vti determinat propria intellectus apprehensio, ad eius iudicium determinare nequit, vt constat. Tum, quia si Deus eandem, quam externa sensatio progignit in intellectu apprehensionem obiecti sensati, per se produceret, aut conseruaret sublata externa sensatione: eadem citrà dubium iudicia formare posset homo de tali obiecto, quæ format sensatione externa existente. Tum denique, quia pariter dicendum esset intellectum non per solam apprehensionem memoratiuam obiecti antea sensati determinari ad iudicandum illud antea extitisse, sed insuper per sensationem externam eius præteritam, quod tamen est absurdum; quia sensatio, quæ iam non est, nequit per modum propositionis obiecti, imò neque aliter determinari ad iudicandum intellectum nostrum, vt constat. Apprehensiones etiam phantasmatum sensibilium fictorum à Phantasia, nunquamque ab homine sensatorum per sensus externos, ex modo etiam tendendi videntur differre ab apprehensionibus, tum primariis, tum memoratiuis obiectorum verè sensatorum: siquidem cum vtrarumque obiecta sint eiusdem naturæ, hæ nihilominus intellectum determinare valent ad iudicandum de existentia, de aliisque prædicatis, provt actu existentibus suorum, sicuti diximus: illæ verò non item.

Venio ad alias apprehensiones virtualiter suasiuas obiectorum ex se vniuersalium, quæ sub experientiam non cadunt. Ideoque à nobis non prout in statu existentiæ absolutæ, sed prout in statu obiectiuo iudicabilia sunt, iuxta doctrinam postea tradendam. De quibus pariter est dicendum vim habere ad determinandum per se intellectum, vt iudicet ita se habere id, quod illi proponunt, vt satis superque cunctis notum, & exploratum est. 41

Cæterum, quia passim contingit, vt ex duabus cuiusuis generis propositionibus obiectiuis eodem omninò modo per simplices apprehensiones propositis, altera per se immediatè sit iudicabilis ab intellectu nostro: altera verò minimè, necessariò restat dicendum, apprehensiones virtualiter suasiuas à non suasiuis non semper ex diuerso modo tendendi, sed sæpè etiam præcisè ex parte obiectorum discriminari. Quod enim vna propositio obiectiua immediatè à nobis sit iudicabilis, alia verò non item: non inde nascitur vniuersè, quod prima diuerso modo ac secunda apprehensa sit; sed sæpè etiam inde, quod prima suaptè naturà sese intellectui nostro prodit: Secunda verò minimè. Cum quo stat bonitatem apprehensionum multum conferre ad iudicandum obiectiuas propositiones immediatè ex terminis apprehensis, quia fieri poterit, vt aliqua earum ex terminis iudicari non possit, si imperfectè illi, & minus idoneæ sint apprehensi, & possit, si melius, aut aptiùs, prout oportet apprehendantur. De quibus omnibus *in sequentibus* plura dicenda sunt. 42

Mitto modò alias diuisiones apprehensionis simplicis, quæ etiam iudicio sunt communes; de quibus posteà, & pergo ad diuidendum iudicium. 43

Diuisio 5.

Diuiditur autem iudicium primò in affirmatiuum, & negatiuum. 44

Affirmatiuum est, quo aliquid affirmatur de aliquo, vt cum dicimus: *Deus existit.* Negatiuum verò, quo aliquid negatur de aliquo; vt si dicamus: *Deus non peccat.* Porro id, de quo aliquid per iudicium affirmatur, aut negatur, subiectum dicitur. Id verò quod de tali subiecto aut affirmatur, aut negatur, prædicatum vocatur, iuxta dicenda latiùs *q. 4.*

Diuisio 6.

45 Deinde iudicium est diuidendum in absolutum, seu categoricum, & conditionatum, seu hypotheticum.

Absolutum, seu categoricum dicitur illud, quo absolutè, & nullâ factâ hypothesi, aliquid iudicatur de aliquo aut affirmatiue, aut negatiue, vt: *Deus existit. Deus non peccat.* Conditionatum verò, seu hypotheticum illud vocatur, quo aliquid affirmatur, vel negatur de aliquo, non absolutè, sed sub aliquâ conditione, seu sub aliquâ factâ hypothesi, vt cùm dicimus: *Si Petrus curreret, moueretur. Si Iudas non esset auarus, non esset proditor.* Iudicium autem hypotheticum speciatim tot insuper modis diuidi potest, quot propositio conditionata tum obiectiua, tum formalis, iuxta diuisiones huius tradendas *disp.* 19.

46 Quo iure aliud erit purè coniunctiuum, aliud illatiuum &c. Purè coniunctiuum vocatur, quo iudicatur vnum obiectum, vt subest alteri suppositio per hypothesim citra omnem huius erga illud tum influxum, tum connexionem. Causale autem dicitur, quo iudicatur vnum, vt subest alteri suppositio per hypothesim, innuendo tacitè hoc in illud aliquem influxum habere. Illatiuum denique appellatur, quo iudicatur vnum, vt subest alteri suppositio per hypothesim, innuendo etiam tacitè, hoc cum illo habere aliquam connexionem. Vnde patet potissimum munus cuiusuis iudicij conditionati esse iudicare coniunctionem conditionati cum conditione: qualem dumtaxat iudicat, quod purè coniunctiuum vocamus, tacitè insuper iudicantibus alijs, causali quidem influxum conditionis in conditionatum; illatiuo autem connexionem illius cum hoc. De quibus omnibus *loco citato* plura dicenda sunt. Potest amplius prætereà diuidi iudicium hypotheticum, totidem fermè modis atque discursus noster iuxta diuisiones huius tradendas paulo post, vt ibi notabimus. Quod modò satis sit indicasse.

Diuisio 7.

47 Prætereà iudicium in vniuersum aliud est determinatum; aliud vagum, seu disiunctiuum.

Determinatum est illud, quo de subiecto determinato prædicatum determinatum aut affirmatur, aut negatur; idque vel conditionatè vel absolutè, vt in exemplis suprà positis cernere licet. Vagum autem, seu disiunctiuum est, cuius vel subiectum, vel prædicatum, vel vtrumque vagum quidpiam, siue disiunctum multorum obiectorum est; vt. *Aliquis homo est albus. Petrus, vel Ioannes currit. Petrus currit, vel legit. Petrus currit, vel Ioannes legit.* Similiter, *si Rex venisset, aliquis homo curreret*: aut *Petrus, vel Ioannes curreret*: aut *Petrus curreret, vel Ioannes legeret &c.* Potest insuper iudicium hypotheticum esse disiunctiuum, aut ex parte solius conditionati, vt in exemplis positis: aut ex parte solius conditionis, vt. *Si Rex, vel Regina venisset, Petrus curreret*; aut ex parte vtriusque. Vniuersaliter enim omnes termini, siue conceptus obiectiui in quouis iudicio, quâuis ratione interuenientes iuxtà diuisionem terminorum tradendam *disp.* 18. vel determinati esse possunt, vel vagi, siue disiunctiui. Quotiescumque enim aliquis terminus siue directè, siue obliquè, aut ex connotato, quouis modo pertinens ad iudicium, vagus, seu disiunctiuus est, nequit non ipsum iudicium vagum, seu disiunctiuum euadere, quâ parte per illud talis terminus tacite saltem, seu virtualiter iudicatur, iuxta doctrinam vniuersalem tradendam. *q. 4. consect. 5.* Quocirca hæc diuisio etiam apprehensioni simplici videtur communis: estque reuerâ, vt ego opinor, quia tamen id controuersiam habet, putantibus multis non esse possibilem apprehensionem simplicem de obiecto vago, seu disiunctiuo; sicut possibile est iudicium, ideò illam speciatim feci circa iudicium, acturus *Diuis.* 10. de intellectione vagâ vniuersè. Quemadmodum, & de alijs diuisionibus, in quibus cum reliquis intellectionibus conspirat iudicium, *inferius* mihi agendum est. Pergo modò ad discursum.

Diuisio 8.

Discursus humanus in omnia membra mox re- 48
censenda potest, & debet diuidi secundum rectam scientiæ methodum. Quicquid putetur vulgo in oppositum.

Enimverò Recentiores non pauci putant, omnem discursum humanum sub vno syllogismo mentali contentum esse; & consequenter discursum vniuersè sumptum eadem omnino, non plures diuisiones, ac syllogismum subire posse. Ita Arriag. *disp. 15. Logicæ sec. 1.* Ouied. *contr. 9. Log. part. 1.* & alij. Cùm tamen Arist. sæpè, & alij Philosophi communiter argumentationem, quæ discursui mentali respondet, in syllogismum, Enthymema, inductionem, & exemplum celebri diuisione diuiserint. Videatur Philosophus *lib. 2. Prior. cap. 23. & lib. 1. Posteriorum cap. 1. & lib. 1. Topic. cap. 10. & lib. 1. Rhet. ad Theodectem cap. 2.* eiúsque interpretes *ibidem.*

Ego, vt ostendam, quàm pluribus insuper diui- 49
sionibus discursus humanus sit diuisibilis, suppono (quod antea iam tetigi) intellectum nostrum non temerè, aut casu, aut voluntatis arbitrio ex vno obiecto cognito ad aliud cognoscendum induci; sed id potissimum oriri ex ipsâ obiectorum naturâ, aut verâ, aut apparente. Quemadmodum enim voluntas ab obiecto cognito allicitur, vt illud appetat, ità intellectus ab obiecto cognito per vnum iudicium excitatur, & trahitur ad cognoscendum, & iudicandum aliud. Illud autem obiectum prius cognitum ad cognoscendum aliud mouet, quod cum eo aliquo modo connexum concipitur. Dicitur autem cum alio connexum in vniuersum id, quod cum alio quoad *esse* suapte naturâ coniunctum, & quasi colligatum est: ita quidem, vt si fit primum, subinde esse etiam secundum, aliquâ ratione sequatur. Id autem, quod cum alio connectitur respectiuè ad discursum nostrum, antecedens vocatur, consequens autem id, cum quo aliud connexum est, vt iam etiam notaui.

Quoniam igitur, tam antecedens, quàm conse- 50
quens, aut simplex propositio obiectiua vno iudicio iudicabilis esse potest, aut aggregatum ex pluribus obiectiuis propositionibus pluribus iudicijs iudicabilibus. Tum tam antecedens, quàm consequens, aut potest esse positiuum, aut negatiuum, aut si sit complexum mixtum ex positiuo, & negatiuo, conficitur tam antecedens, quàm consequens nostri discursus quinque modis compingi posse. Potest enim esse aut simplex positiuum, aut simplex negatiuum, aut complexum positiuum, aut complexum negatiuum, aut complexum mixtum. Ex quibus terminis combinatis, iuxta regulas combi-

nationum

nationum tradendas à nobis suo loco viginti quinque omnino collectiones, seu combinationes resultant, quæ totidem sunt discursus humani diuersi diuersitate desumpta ex parte obiectorum. Primò namque potest esse connexum antecedens simplex positiuum cum consequente simplici positiuo. 2. simplex positiuum cum simplici negatiuo. 3. simplex positiuum cum complexo positiuo. 4. simplex positiuum cum complexo negatiuo. 5. simplex positiuum cum complexo mixto. 6. simplex negatiuum cum simplici positiuo. 7. simplex negatiuum cum simplici negatiuo. 8. simplex negatiuum cum complexo positiuo. 9. simplex negatiuum cum complexo negatiuo. 10. simplex negatiuum cum complexo mixto. 11. complexum positiuum cum simplici positiuo. 12. complexum positiuum cum simplici negatiuo. 13. complexum positiuum cum complexo positiuo. 14. complexum positiuum cum complexo negatiuo. 15. complexum positiuum cum complexo mixto. 16. complexum negatiuum cum simplici positiuo. 17. complexum negatiuum cum simplici negatiuo. 18. complexum negatiuum cum complexo positiuo. 19. complexum negatiuum cum complexo negatiuo. 20. complexum negatiuum cum complexo mixto. 21. complexum mixtum cum simplici positiuo. 22. complexum mixtum cum simplici negatiuo. 23. complexum mixtum cum complexo positiuo. 24. complexum mixtum cum complexo negatiuo. 25. complexum mixtum cum complexo mixto. Porro syllogismi affirmatiui artis vulgaris in connexione cuiusdam antecedẽtis complexi positiui cum consequente simplici positiuo nituntur. Syllogismi verò negatiui eiusdem artis in connexione euiusdam complexi mixti cum simplici negatiuo. In reliquis, autem connexionibus commemoratis totidem genera discursuum fundari posse necessarium est; si tamen eæ omnes subsistant, vt verè citra dubium subsistunt; quod facile esset demonstrare iterum discurrendo per singulas, & subiungendo exempla: ne tamen prolixus videar, hanc operam legenti committo, si veritatem hanc experiri velit.

51 Et quoniam connexio antecedentis cum consequente, aut metaphysica esse potest, aut physica, aut moralis, iuxta diuisionem connexionis latiùs tradendam *disp.* 14. Moralisque suos gradus habet, infimum, medium, & supremum: nam alia probabilitatem solùm inducit, alia moralem certitudinem, alia certitudinem physicam, prout magis ibi declarabimus. Iterum, quilibet ex recensitis discursibus in quinque membra diuidi potest, iuxta quinque istas differentias connexionum, in quibus potest nisi, sùntque subinde iam discursus diuersi 125. Tot namque producunt 25. multiplicati per 5.

52 Discursus insuper de antecedente complexo in duplici insuper sunt differentiâ valde notandâ. Alij, in quibus omnes partes antecedentis sumptæ dumtaxat indiuisim inferunt consequens, eo quod connexio, quam habent cum consequente, tantùmodò cõperit illis acceptis indiuisim, seu collectiue: minimè verò diuisim, seu distributiuè consideratis. Quo pacto præmissæ syllogismorum artis cõmunis inferunt conclusionem. Alij verò discursus de antecedente complexo sunt: in quibus partes antecedentis diuisim sumptæ inferunt consequens, eo quod singulæ seorsim aliquam habent connexionem cum illo: ex quibus omnibus partialibus connexionibus veluti intensior, firmiórque singulis euadit totius antecedentis connexio. Hoc modo inferunt consequens plures coniecturæ, plurave hominum testimonia posita pro antecedente. Proptereáque, quò plura accedunt, eò euadit firmior illatio.

Potest præterà diuidi discursus humanus ex parte 53
euidentiæ, certitudinis, probabilitatis, veritatis, aliarúmque huiusmodi proprietatum, & contrariarum tam antecedentis, quàm consequentis, quàm illationis in connexione antecedentis cum consequente fundatæ, comparatorum inter se. Quo penè in immensum excrescunt discursus nostri differentiæ: vt quisque faciens exactè combinationes ad normam præcedentium perspiciet. Qui nihilominus omnes discursus inuicem differentes congruenter reduci possunt ad quatuor illa vniuersalissima capita ex Aristotele suprà cõmemorata paulo tamẽ aliter intellecta, quàm vulgò assolet. Ad syllogismũ enim sunt reducendi omnes discursus, in quibus ex antecedente complexo ex duabus tantùm propositionibus obiectiuis, indiuisim infertur consequens. Cuiusmodi sunt syllogismi sortis communis, atque etiam alij aliarum artium syllogizandi, quas illi adijci posse mihi exploratum est, prout ostendo *suo loco*. Ad Enthymema autem reuoco omnem discursum, quo ex antecedẽte simplici quodlibet consequens colligitur vi connexionis, quâ tale antecedens per se præcisè, quin aliud quidpiam supprimatur, vel suppleatur, cum tali consequente connectitur. Cuius generis est discursus ille, quo ex conuertente propositione conuersa infertur à Dialecticis: tum ille, quo ex existentiâ causæ infertur à Physicis effectus, aut vice versa, & alij huiusmodi, qui passim obuij sunt in scientijs humanis; vt planè constat, quàm fœdè vulgò erratur à plurimis, qui existimant, affirmántque in omni enthymemate duabus solum propositionibus constante, semper subintelligi tertiam; ex quâ, & ex illis syllogismus coalescit. Etenim vnicam obiectiuam propositionem frequentissimè per se præcisè absque supplemento aliquo cum aliâ connecti, omnino indubitabile est. Quo casu ex primâ solâ per propriissimum enthymema infertur secũda. Quin imo, si quando propositio, quæ exprimitur aliâ subintellectâ indiget, vt connectatur cum consequente, tum quidem discursus, quo ex propositione expressâ, & subintellectâ colligitur consequens, impropriè dicetur enthymema. Est namque syllogismus tacitus, ad classẽmque subinde spectat syllogismorum. Porrò sub enthymemate continetur exemplum, cuius nihilominus Aristoteles specialem fecit mentionem; quod argumentatio quædam est ratione materiæ valde transcendentalis, fundatur enim in similitudine, seu analogiâ rerum, cuius campus latissimus est; cuius energia in scientijs humanis mirabilis, vt vberiùs etiam monstro *suo loco*. Tandem ad inductionem latè sumptam refero omnem argumentationem, siue discursum, vbi ex pluribus quam ex duabus propositionibus pro antecedente positis siue diuisim, siue indiuisim, nec non qua ex duabus diuisim infertur consequens.

Cæterum, vti omnia iudicia, quibuslibet verbis 54
respondentia alioquin inter se diuersa formaliter per æquiualentiam possunt reduci ad iudicium, verbo substantiuo *esse* respondens, prout explicabimus *inferius quæst.* 4. propter mirabilem transcendentiam identitatis, & distinctionis rerum. Ita ob eamdem rationem omnis discursus noster per æquiualentiam, & iudiciorum transmutationem, aut additionem, tandem reduci potest ad syllogismum artis communis: vtpote, qui in transcendente identitate, atque distinctione rerum fundatur. Quo iure excusari quodam modo possent, qui omnem omnino

nino discursum humanum ad vnum syllogismum reducunt, non tamen satis; quoniam eiusmodi reductio per æquiualentiam non tollit esse plures discursus naturâ suâ à syllogismo dicto diuersos. Quéadmodum etiam iudicia plura diuersa sunt ab eis, quæ tendunt in identitatem, aut distinctionem extremorum; Tametsi ad hæc cætera omnina æquiualenter reuocentur, vt *loco citato* videbimus.

55 Hæc satis modò de diuisione discursus, quæ ex dicendis in sequentibus ampliùs constabunt. Pergo ad diuisiones, quæ restant intellectionis in communi, vnum ante annotando. Quot modis discursum diuisimus, totidem propositionem conditionatam illatiuam diuidi posse; vt pote, quæ valde, quod ad rem attinet, Discursui assimilatur, iuxta dicenda *infrà*, *q.* 5. *hypoth.* 1. easdémque fermè diuisiones propositio conditionata non illatiua, seruata proportione, subire potest.

Diuisio 9.

56 Porro intellectio sumpta vniuersè alia directa est, alia reflexa.

Directa dicitur, cuius obiectum aliud quid est ab eiusdem intellectus intellectione. Reflexa verò, quæ intellectionem eiusdem intellectus pro obiecto habet: quoties enim intellectus suam aliquam intellectionem intelligit, supra illam, tanquam suprà proprium actum reflecti dicitur. Vnde constat primò, vt aliqua intellectio propriè reflexa dicatur, non satis esse ferri illam in aliam intellectionem, vt in obiectum, nisi ambæ sint proprij actus eiusdem intellectus. Secundò constat, bifariam cognitionem aliquam dici directam. Primò, vt opponitur obliquæ; de quâ egimus *Diuis.* 3. Secundò, vt opponitur reflexæ: de quâ modò.

Diuisio 10.

57 Deinde intellectio accepta vniuersim, in vniuersalem, vagam, & singularem. Tum etiam in incomplexam, & complexam. Necnon in copulatiuam, & distributiuam diuidi potest.

Imprimis enim intellectus noster sub vnico conceptu obiectiuo, & consequenter per vnicam intellectionem, aut potest concipere plura determinatè, & diuisiuè, aut plura determinatè, & collectiuè: aut vnum determinatè; aut ex pluribus extremis aliquod vagè; hoc est vnum, vel aliud, vel aliud sub disiunctione. Ex quibus prima intellectio erit vniuersalis: secunda, & tertia singularis. Quarta vaga. Quæ etiam particularis, sicut propositio vocalis, cui correspondet, dici solet. Quomodò autem intellectio indefinita ab istis omnibus diuersa non sit admittenda, *inferiùs quæst.* 3. *consect.* 4. ostendemus.

58 Deinde intellectus noster sub pluribus conceptibus obiectiuis, & consequenter per plures intellectiones saltem partiales, iuxta doctrinam *quæst.* 3. *consect.* 2. tradendam, aut potest concipere plura determinatè, & diuisiuè (siue ea inter se realiter, siue per rationem tantùm distincta sint). Aut potest cõcipere plura determinatè, & collectiuè (subrogatis scilicet indiuisim pro pluribus obiectis intelligendis pluribus Phantasmatibus, iuxta doctrinam tradendam *dictâ q.* 3.) Aut potest concipere plura sub disiunctione (subrogatis pluribus phantasmatibus pro aliquo eorum pluriũ vagè.) Ex quibus intellectionibus prima sicut & vniuersalis, cui æquiualet, distributiua est. Secunda est copulatiua, & ex suo genere singularis æquiualens illi, quam secundo loco *n. præced.* posuimus: ambæ quippe singularem quamdam multorum collectionem habent pro obiecto. Tertia denique disiunctiua est, æquiualensque vagæ. Quæ omnes præterea complexæ intellectiones sunt, sicut & incomplexæ, quas recensuimus *n. præced.* Vniuersaliter enim, quoties conceptus obiectiuus tactus in se immediatè per intellectionem est vnicus, intellectio dicitur simplex, seu potius incomplexa: complexa verò, quando plures. Omnis autem intellectio simplex ex parte obiecti in nobis ex parte actus est etiam simplex, siue vnica, quemadmodum, quæ complexa est ex parte obiecti; ex parte actus etiam complexa euadit, siue coalescens ex pluribus saltem partialibus prout ex dicendis *quæst.* 3. *consect.* 2. *citat.* compertum fiet. De quibus omnibus plura *in sequentibus* sunt dicenda. Ex quibus illa magis conspicua euadent.

Diuisio 11.

Præterea intellectio humana in abstractiuam, 59
& intuitiuam diuidi solet.

Dicitur abstractiua, quæ, vel habetur per species alienas, quodcumque sit eius obiectum; vel abstrahit, siue præscindit aliquo modo vnam obiecti veritatem ab aliâ, quæcumque demum sint species, per quas illa concipitur. Intuitiua verò vocari solet, quæ, vel per species proprias habetur; vel insuper circà suum obiectum prout actu existens, aut etiam prout præsens versatur. De quo plura *suo loco* dicenda sunt.

Diuisio 12.

Postremò dubium, seu dubitatio, aut hæsitatio, 60
formido, suspicio, coniectatio, scrupulus, opinio, scientia, & fides, species quædam intellectionis humanæ sunt, quas breuiter oportet exponere.

Bifariam potest intellectus humanus de obiecto sibi proposito dubitare, seu hæsitare, negatiuè videlicet, & positiuè. Negatiuè dubitat, qui circa propositum obiectum anceps hæret, neque alterutri contradictionis parti assentiri potest; eo quòd ex vi præsentis propositionis neque ad assentiendum obiecto, neque ad dissentiendum apparet sufficiens fundamentum. Positiuè autem dicitur dubitare, qui de obiecto sibi proposito iudicat esse dubium, id est, expers idoneo fundamento, vt ei assentiatur intellectus, vel dissentiatur. Ex quo apparet dubium aliud esse negatiuum, aliud positiuum, & quid vtrumque sit. Expedit tamen adnotare vtrumque aut prudens, seu probabile posse esse, aut imprudens, seu temerarium. Imprudenter hærebit anceps, seu dubitabit negatiuè: qui ante prudentem discussionem, examenque eorum omnium, quæ ad iudicandum de veritate obiecti possunt conducere, conatur nihilominus, incassum tamen, de eâ iudicium ferre. Prudenter verò, qui tali discussione præmissâ, nihil adhuc habet, quo possit ad assentiendum obiecto, aut ad dissentiendam illi determinari. Positiuè autem prudenter dubitabit, qui probabiliter iudicauerit obiectum esse dubium. Temerè verò, qui improbabiliter, iuxta dicenda de probabilitate, improbabilitatéque nostrorum actuum *inferiùs disp.* 6.

Formido ad intellectum pertinens dicitur ille 61
actus, quo quis determinatè assentiens alteri parti
contradictionis

contradictionis reflexè iudicat se forsan in tali actu falli, seu possibile moraliter esse, vt in tali assensu fallatur, eo quòd similes assensus frequenter solent falsi euadere. Dicitur autem formido tale iudicium, quia ex illo solet voluntas excitari ad timēdam, seu formidandam falsitatem iudicij directi. Quo iure etiam apprehensio simplex dictæ falsitatis determinatiua ex se ad illud, potest formido nuncupari, quia ex eâ etiam prædictus timor voluntatis solet oriri. Ob eamdemque omnino rationem potest, & solet dici formido iudicium aliud, quo, quis assentiens alicui parti contradictionis, de alterâ parte iudicat esse verisimilem, seu forsan veram, id est, moraliter esse possibile, quod vera sit, quæ duo iudicia compatibilia sunt. Adde viuidam etiam contradictoriæ partis apprehensionem determinatiuam ex se ad prædictum iudicium formidinem appellari posse, quod ex eo itidem potest, aut etiam solet oriri in voluntate timor, ne talis pars sit vera.

62 Suspicio autem dicitur ille actus, quo quis sine iudicio determinato de veritate obiecti, iudicat illud forte esse verum, seu, quod in idem recidit, possibile esse moraliter, quòd illud verum sit, siue illud verisimile esse siue apparentiam habere veri, eo quòd, quæ sic apparent, frequenter solent esse vera.

63 Coniectatio verò strictè sumpta suspicio quædam est, quâ iudicatur aliquid ex propositis iudicijs, & coniecturis verisimiliter inferri, seu verisimile esse, quod talia indicia cum tali quopiam connexa sint. Solet tamen etiam coniectatio vocari illatio tenuis concepta ex leuibus fundamentis, quæ coniecturæ nuncupantur. Quippe omnis intellectus assensus aut tenuis, aut firmus, magisque, aut minus potest esse pro qualitate fundamentorum, quæ ad iudicandum mouent, aut ex terminis, aut illatiuè.

64 Ex his determinandum venit, quidnam sit scrupulus in rebus moralibus pertinentibus ad conscientiam, vbi potissimùm locum habet hæc vox. Primum enim appellatur scrupulus quæuis formido ex *suprà* dictis, quâ qui determinatè iudicat opus aliquod esse bonum moraliter, vel saltem non malum, aut suspicatur se falli, vel opus malum esse, aut aliquid horum apprehendens apprehensione ex se inductiua ad talem suspicionem timet, & anxiatur, ne vel in peccatum incidat, si opus vt faciendum concipitur, vel iam inciderit, si opus concipitur, vt factum. Vnde cum tali scrupulo iudicium rectum de honestate operis compatibile est, vt bene notarunt Vazq. 1. 2. *disp.* 67. *cap.* 2. Thom. Sanc. *in summ. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 2. Ioan. Sanc. *in select. disp.* 41. *n.* 2. Gran. 1. 2. *cont.* 2. *Tract.* 12. *disp.* 5. *n.* 1. & alij. Potest tamen suspicio de malitia operis, aut eius apprehensio ad talem suspicionem ex se determinatiua seorsim concipi cum timore, & anxietate animi; quo pacto etiam scrupulus appellatur. Secundò, iudicium temerè conceptum de malitiâ operis, quod subinde iudicium improbabile, seu imprudens est, scrupulus appellari solet, maximè, quando tenue est, & infirmum, eo quòd ex fundamento leui ducit originem. Hic autem scrupulus cum recto iudicio contrario de operis honestate componi non potest; quia intellectus non potest simul iudicare de eodem obiecto sub eisdem circumstantiis concepto bonum esse, & malum moraliter. Vnde absque depositione talis scrupuli fas non est operari. Tertiò, dubium seu positiuum, seu negatiuum circa malitiam, vel bonitatem operis temerè habitum, aut sine idoneo fundamento conceptum scrupulus iurg vocatur: cum quo etiam determinatus assensus de honestate operis componi nequit, quia nequit idem intellectus simul iudicare esse obiectum honestum, & anceps circa eius honestatem hærere; aut iudicare dubium esse vtrum honestum sit. Ex quibus liquet, quot modis dicatur scrupulus; quotque modis vocari possit conscientia scrupulosa. De quibus omnibus latiùs egimus *Tract. de conscientiâ.*

Denique opinio iudicium est probabile, & prudens de altero ex extremis contradictionis compatiens secum prudentem formidinem, siue suspicionem de oppositō: aliundéque, quàm ex alterius testimonio conceptum. Iudicium enim conceptum ex testimonio alterius eius obiectum testificantis dicitur fides. Scientia verò actualis strictè sumpta dicitur iudicium euidens excludens aduersam formidinem, præsertim quando non ex terminis ipsis, sed medio discursu euidente, ex euidente antecedente concipitur. De quibus omnibus plura *suo loco.* 65

Posset vlterius diuidi intellectio humana sumpta vniuersè ex parte variarum proprietatum, quas potest habere, vt euidentiæ, certitudinis, obscuritatis, probabilitatis, veritatis, falsitatis &c. Verùm, quia de his omnibus ex professo tractandum est *infrà disp.* 3. *& sequentibus*: ideo diuisiones huiusmodi satius est modò prætermittere. Quemadmodum in ijs, quas dedimus, summariè tantùm, ac succinctè multa tradidimus, quòd ex dicendis *in sequentibus* luculentiora consequenter facienda sunt. 66

QVÆSTIO III.

Quâ ratione intellectus humanus ea insensata obiecta concipiat, quæ per species alienas obiectorum sensatorum intelligit?

MIRVM profectò mihi est, quàm pauci hoc punctum examinauerint, quámque leuiter de illo egerint, qui tetigerunt; cùm tamen ab exactâ huius quæstionis resolutione innumerabilium propemodum difficultatum tam Theologiæ, quàm Philosophiæ dependeat resolutio: ob id in eâ resoluendâ impensius mihi modò incumbendum est. 67

Suppono vt certum iam apud omnes, quæcumque intellectus noster in præsenti statu cognoscit, per species sibi acquisitas ministerio sensuum cognoscere, prout *suprà disp.* 1. *q.* 1. statutum est. Cuiusmodi dumtaxat sunt species accidentium sensibilium, quæ per sensus externos haustæ ad intellectum ipsum vsque perueniunt: quâ ratione latè explicauimus ostendimúsque *disp.* 1. *q.* 2. Quibus quidem speciebus vtitur intellectus noster, non solùm ad intelligenda obiecta sensata, vnde veluti quædam eorum semina suam trahunt originem, quorúmque proinde species propriæ nuncupantur; sed etiam ad intelligenda cætera cuncta obiecta insensata, repectu quorum, cùm non sint eorum propria semina, non propriæ, sed alienæ species dicuntur. 68

Deinde suppono, vt apud omnes etiam certum ex dictis *disp.* 1. *q.* 3. *propos.* 1. Quæcumque intellectus noster concipit per species alienas, consequenter concipere ad instar rerum sensibilium, quarum tales species sunt propriæ; atque ita, dum quidpiam insensatum intelligit, non posse non eum tangere simul aliquod phantasma sensibile, prout 69

experientia

experientia manifestat, auctoritateque insuper, & ratione *loco citato* demonstratum, & statutum est.

70 Quibus positis, difficultas huius quæstionis in eo stat, vt explicetur, quid conferat ad intelligendam rem insensatam phantasma illud sensibile, atque corporeum, quòd intellectui nostro obuersatur, dum illam intelligit, quòdve munus obeat; quid præstet, aut quo pacto se gerat respectu talis intellectionis? Quid denique sit in nostro intellectu cognoscere rem insensatam ad modum talis phantasmatis, siue ad instar illius. E. g. quid sit cognoscere Angelum ad instar iuuenis, siue apparere nobis Angelum perinde, ac si esset iuuenis; quidque conducat ad cognoscendum Angelum iuuenis ille obiectiuus, aliudve simile phantasma, quod inter cognoscendum Angelum menti nostræ obuersatur!

71 P. Fran. Alf. *in Logicâ disp. 12. sec. 4. n. 26. & seq. & disp. 12. de Anim. sec. 6. à n. 92.* dicit, quoties concipimus Angelum ad instar iuuenis, reuerâ attingi in se immediatè per nostram cognitionem substantiam Angeli; non tamen vtcumque; sed, vt identificatam cum iuuene, siue vt vnum cum illo; ita quidem, vt obiectum nostræ cognitionis substantia quædam sit fictitia, realitérque impossibilis, entitatiuè spiritualis, atque corporea simul, vtpote per identitatem ex iuuene, & Angelo coalescens. Tantumdémque subinde euenire, quotiescumque quidlibet insensatum instar cuiuslibet sensati, siue per speciem eius concipimus. Alij verò Recentiores censent, quando concipimus Angelum admodum iuuenis, necessariò interuenire duplicem cognitionem; alteram Angeli, vt est in se; alteram iuuenis, cuius specie ad cognoscendum Angelum vtimur. Paritérque euenire semper, quoties cognoscimus aliquid per speciem alienam. Cùm his consentiunt alij suppresso nomine relati à Franc. Alf. *in Logicâ loco citato*: quatenus dicunt, dum Angelus concipitur ad instar iuuenis, ita cognosci substantiam Angeli affectam accidentibus iuuenis, vt sola vnio talium accidentium cum tali substantiâ fingatur, non item ipsa extrema vnita. Alij denique Recentiores, quos tacito nomine refert Rub. *lib. 3. de Anim. cap. 5. quæst. 5. n. 152.* asserunt: dum intellectus noster concipit Angelum ad instar iuuenis, id, quod in se immediatè tangit cognitio, dumtaxat esse phantasma iuuenis, Angelum autem eatenus in ipso phantasmate, tanquam in substituto quodam dici cognosci, quatenus intellectus inductus ad cognoscendum Angelum, cuius speciem non habet, iuuenem, cuius speciem habet, subrogat sibi loco Angeli. Quam sententiam planè tenet Recupitus *lib. 1. de Deo q. 2. n. 38. & lib. 2. q. 3. n. 4.* Pro eâdemque stat Torrejon *in Logicâ Tract. 2. de Vniuers. q. 1.* quatenùs ait, cognitionem rei per species alienas ita appellari, quia talem rem non cognoscimus propriâ aliquâ cognitione terminatâ ad ipsam; sed cognitione effectus eius, cuius habemus speciem.

72 Itaque ad triplicem omnino opinionem reduci possunt omnes philosophandi modi possibiles in hâc materiâ. Prima est, dum res insensata cognoscitur ad instar phantasmatis sensibilis, vtrumque tangi per cognitionem in se immediatè; non tamen vt duo, sed vt vnum ex vtroque per identitatem coalescens. Secunda est, vtrumque tangi in se immediatè; non tamen vt vnum, sed vt duo, sicut reverâ sunt; idque siue dicantur tangi vt vnita per fictam vnionem, siue vt diuisa. Tum siue per vnam siue per duas cognitiones. Tum denique siue vtrumque clarè, aut expressè, siue vtrumque obscurè, aut confusè, siue alterum clarè, aut expressè, & alterum obscurè, aut confusè, siue vice versâ. Tertia denique sententia est, phantasma dumtaxat sensibile attingi per cognitionem in se immediatè; rem verò insensatam non in se, sed in illo, tanquam in substituto. Pro secundâ autem harum sententiarum, secundum aliquem ex modis in eâ contentis videntur stare Soar. *lib. 4. de Anim. cap. 4.* Petr. Hurt. *disp. 12. de Anim. sec. 2.* & Arriag. *disp. 4. de Anim. sec. 1.* Tametsi quantum ad punctum controuersiæ præsentis non adeò explicatè loquantur.

Propositio 1.

Quicquid cognoscitur à nobis per speciè alienam non in se immediatè, sed in phantasmatè sensibili, cuius est propria talis species, tanquam in quodam substituto cognoscitur. 73

Explico primùm, propositionem probaturus deinde. Pro explicatione tamen oportet duas notationes præmittere. Prima est. Bifariam posse intellectum nostrum cognoscere aliquid per speciem alienam: nempè primariò, & secundariò, iuxta diuisionem cognitionis traditam *suprà disp. 1. q. 3. hypoth. 3.* secunda est. Principia, quibus intellectus noster ad intelligendum quidpiam mouetur, determinatur, siue adiuuatur, multiplicia esse. Alia enim in primis sunt naturalia. Alia artificialia, seu doctrinalia. Artificialia, seu doctrinalia voco voces, & scripturas, & vniuersim, quæuis huiusmodi signa, quæ mediâ significatione, quam habent ad placitum ex hominum institutione, significatarum rerum notiones ingerunt. Naturalia autem dico præter eiusmodi doctrinalia cætera cuncta. Quæ deinde in intrinseca, & extrinseca diuidenda veniunt. Intrinseca sunt præter vim ipsam intellectiuam, quam intellectus habet, tum species ei inhærentes, iuxta doctrinam stabilitam *suprà disp. 1. q. 1.* Tum intellectiones aliorum obiectorum, aut etiam obiecti intelligendi ad nouam talis obiecti intellectionem determinantes. Tum denique actus voluntatis, quibus intellectus mouetur in ijs, vbi voluntati subditus est. Extrinseca verò principia sunt ob ecta, quæ mediâ sui cognitione intentionaliter mouent, siue determinant intellectum proximè, vel remotè, vt aliud obiectum, aut ipsamet aliter intelligat. Necnon res, quæ physicè, aut per sympathiam naturalem, aut alio modo proximè pariter, vel remotè ipsius intellectus species excitant, vt simul cum illo causent intellectionem. De quibus omnibus *in sequentibus* minutiùs plura, & specialiùs dicenda sunt.

His positis dico; quoties intellectus noster per aliqua huiusmodi principia determinatur, seu mouetur ad cognoscendum primariò aliquid, cuius non habet speciem propriam, ea, quam habet, promptitudine vtendi speciebus alienis accidentium sensibilium, quas solas habet, easdémque innumeris propemodum modis ope phantasiæ permiscendi, seu componendi phantasma quoddam obiectiuum, atque ex naturâ suâ sensibile pro nata occasione rei cognoscendæ accommodatum sibi pro ipsâ re substituere, vt sibi sit loco eiusdem rei ad cognoscendum de illâ quicquid notificant principia. Præstat vtique comparatione sui intellectus, quod nos comparatione aliorum solemus præstare, dum non valentes ob ipsorum ineptudinem exprimere eis proprijs conceptibus ea, quæ eisdem notificare satagimus, exempla aliqua parabolice vtcumque adsimilia rebus intelligendis proponimus, 74

pro

pro ipsisve rebus subrogamus, vt in illis, tanquam in quibusdam ænigmatibus, eadem res vtcumque inspiciant; atque adeo alienis saltem conceptibus de illis formatis intelligant. Docet hoc Sanctus Thomas, *prima parte quæstione* 84. *articulo septimo in corpore*, hisce disertissimis verbis. *Hoc quilibet in se ipso experiri potest, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat, quod intelligere studet. Et inde est etiam, quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum.*

75 Semel autem subrogato vi principiorum ab intellectu phantasmate pro re intelligendâ, ita illud est intellectui loco rei, vt medio illo, seu in illo de re ipsa, etsi nullatenus in se immediatè tactâ per cognitionem, quidlibet iudicare, atque verificare queat. Quemadmodum enim semel subrogatâ aliquâ imagine materiali pro re repræsentanda per illam, adeò solet ea esse nobis loco prototypi, vt circa illâ perinde, ac si esset prototypus, nos geramus multa deipsâ enuntiantes, quæ verè conueniunt prototypo. Dicimus enim, signatâ imagine Alexandri. *Hic fuit Imperatorum potentissimus. Maximam terræ partem sibi subiecit.* Tum signatâ imagine Crucis dominicæ. *Ecce lignum crucis, in quo salus nostra pependit, &c.* Ita fermè (nam simile non tenet in omni) se gerit intellectus noster circa phantasma illud, seu spectrum sensibile, quod sibi subrogat pro re quam apprehendere molitur, iudicans de illo, seu in illo, non tamen pro illo, sed pro re, cuius est substitutum, quicquid de ipsâ iudicandum foret in ipsâ, si in se per propriam speciem conciperetur; ita quidem, vt iudicium quantum ad suasionem seu accessiuam seu recessiuam, in quâ potissimum vis iudicatiua consistit, non (in phantasma; sed in rem, pro quâ illud substituitur, feratur, attingens nihilominus illud; non tamen pro illo, sed pro ipsâ re; quod est iudicare rem ipsam, non in se ipsâ; sed in alieno substituto pro ipsâ apprehenso. Etenim sicut in alijs materijs substitutum in ordine ad munus, ad quod pro proprietario substituitur, perinde omnino se gerit, ac si esset proprietarius, succedente munere ipso per substitutum; æquè ac si per proprietarium exerceretur. Ita in præsenti phantasma, quod pro re substituitur in ordine ad intellectionem, perinde in ordine ad illam se gerit, ac si res ipsa esset, ita quidem, vt ipsa res non minus verè, & propriè per substitutum in substitutóve cognoscatur ab intellectu nostro, quam si per se ipsam, siue in se ipsâ immediatè cognosceretur.

76 Explicemus hæc per exempla: Cernit quis in corpore humanano effectus aliquos vitales, qui à solo ipso corpore nasci non possunt; indéque inducitur ad iudicandum ibi animam esse, cumque propriam speciem animæ in suo intellectu non habeat, dum eam concipere vi talis inductionis actus molitur vtendo speciebus rerum sensibilium, quas habet, phantasma quoddam sibi compingit intra illud corpus concipitve, siue apprehendit, quod sibi loco animæ est, puta nebulam quamdam tenuem, aut flammam cum ipso corpore penetratam, aut quidpiam simile. De quo subindè phantasmate, ac si ipsum anima esset, non tamen pro ipso, sed pro animâ, pro qua est substitutum, iudicat ille esse causam eorum effectuum, quos cernit, esse quid vitale, quid spirituale, &c. quod ipsum est iudicare cuncta hæc de animâ, non tamen in ipsâ, sed in phantasmate substituto: siue animam, quoad hæc omnia, quæ verè habet, non minus verè, & propriè ab illo cognosci per tale substitutum, quàm si per se immediatè cognosceretur. Et hoc etiam est cognoscere animam, ad modum nebulæ, siue flammæ, siue alicuius alius phantasmatis sensibilis, nec aliud esse potest, vt posteà probabimus. Similiter, dum omnes, qui Romam non vidimus, speciémque subinde propriam vrbis Romanæ non habemus, testimonio humano determinamur ad concipiendum, iudicandúmque Romam esse, quamdam obiectiuam vrbem, vnusquisque pro modulo suo nobis compingimus, quæ cùm vera Roma non sit, loco Romæ veræ nobis est: per quod subinde phantasma Romanum deinceps veræ Romæ attribuimus modo explicato, quæcumque ipsi verè realiter, & propriè conuenire intelligimus. Pariter contingit, cum Angelum concipimus ad instar iuuenis; Patrem æternum ad modum senis; Spiritum sanctum ad modum columbæ, &c.

Quæ cùm ita sint, planè consequitur bifariam 77
posse intellectum nostrum versari circa phantasma sensibile. Primò concipiendo ipsum propter ipsum, siue pro ipso, siue ex fine cognoscendi ipsum dumtaxat. Secundò concipiendo ipsum, non tamen propter ipsum, nec pro ipso, neque ex fine ipsum cognoscendi; sed propter aliud, siue pro alio, siue ex fine cognoscendi aliud. In primo casu phantasma in ratione obiecti pro nullo alio substituitur; atque adeo absolutè, & simpliciter dicitur illud ab intellectu cognosci. In secundo verò casu phantasma pro alio subrogatur respectiuè ad munus obiecti; quare absolutè loquendo non phantasma; sed illud, cuius est substitutum, cognosci ab intellectu dicitur. Simile quid vsuvenit in imagine materiali, quæ dum non subrogatur pro prototypo, sed ratione sui consideratur, ipsa est, quæ cognosci, viderive absolutè dicitur; dum verò subrogatur, non tam ipsâ quàm prototypus in ipsâ. Quod autem intellectus modò concipiat phantasma sensibile propter ipsam; modò verò pro alio quopiam in causâ sunt diuersa principia, quibus ad tales cognitiones mouetur, seu determinatur. Nam si principia solùm determinant ad concipiendum illud phantasma, ipsum concipitur propter se. Si verò determinatur ad cognoscendum aliud quidpiam, hoc est, quod ratione sui cognoscitur, & in quod cognoscendum tendit intellectus intentio; quia tamen illud defectu speciei eius propriæ per ipsummet, siue in ipso nequit immediatè apprehendere, apprehendit qualiter potest per phantasma, siue in phantasmate substituto, prout explicatum est. Vnde cognitio tangens phantasma propter ipsum, & cognitio tangens phantasma propter aliud quidpiam imprimis differunt ex parte principiorum, vnde suam trahunt originem, quæ meâ quidem opinione suapte naturâ connotant, respiciuntve respectu intrinseco (qualiter conclusio respicit præmissas tam formales, quàm obiectiuas, & iudicium apprehensiones præuias, &c. De quo distinctiùs *in sequentibus*,) & consequenter ratione talis respectus intrinsecè, quoad naturam discriminantur. Deinde etiam ex modo tendendi in ipsum phantasma, quod repræsentant, videntur differre: quando enim intellectus phantasma concipit propter ipsum,

ſum, veluti in cortice eius quieſcit conatus illius. At verò quando propter rem aliam cognoſcendam phantaſma apprehendit, in illóque ſubinde non tam ipſum, quam eam rem cognoſcere ſatagit, veluti impenſiore conatu videtur contendere medullitus illud petrare, vt rem, quam venatur, quaſi latentem ibi introſpiciat. Quod eſt intellectum diuerſo modo in phantaſma tendere in vno, atque in altero caſu; tametſi in vtroque. Solùm phantaſma attingat immediatè, & in ſe.

78 Hæc dicta de intellectione primaria obiecti inſenſati conceptâ ab intellectu noſtro per ſpeciem alienam. De ſecundariâ autem ſequitur adnotandum, quando ea memoratiua eſt, iuxta dicta *diſp. 1. qu. 3. hypoth. 3.* nullam nouam ſubrogationem phantaſmatis pro re cognoſcendâ interuenire; ſed virtute ſubrogationis primariò factæ eamdem rem in eodem phantaſmate iteratò cognoſci. Quin imò etiam cùm ſecundaria intellectio non eſt memoratiua, frequenter ſolet eadem res in eodem phantaſmate ipſi iam primariâ intellectione appropriato venire intelligenda. Mira enim, quam habet intellectus noſter, virtute commiſcendi, combinandíque ope phantaſiæ ſpecies rerum ſenſibilium, quas habet in ordine ad concipienda phantaſmata, affatim habet ad manus pro ſingulis rebus inſenſatis diuerſa, quæ citra confuſionem poſſit eis appropriare. Vnde naſcitur, vt ſub eodem conceptu à nobis de vnaquaque re principio formato ſemper deinceps illam ſoleamus concipere, quotieſcumque quomodolibet menti occurrit, dum nouum aliquod non ſuperuenit fundamentum, ſiue principium adigens intellectum noſtrum ad talem conceptum variandum, ſubrogato pro tali re diuerſo phantaſmate. Dixerim intellectum noſtrum adiutum miniſterio phantaſiæ, inſtar pictoris ſe ſe gerere, qui ex varijs, eiſdemque coloribus, quos in tabellâ habet ad manum, nunc imaginem S. Petri depingit; nunc S. Pauli, & aliorum, quæ ſemel pictæ, & accommodatæ prototypis eiſdem deinceps repræſentandis, & cognoſcendis deſeruiunt, niſi fortaſsè ſucceſſu temporis aliqua contingit variatio, aut ſubrogationis earumdem pro diuerſis prototypis, aut commutationis pro alijs.

79 Porrò phantaſmatum, ſiue ſpectrorum ſenſibilium, alia immediatè, alia mediatè pro rebus cognoſcendis ſubſtitui ſolent. Immediatè quidē, quando ſubſtituuntur pro rebus ſub alijs phantaſmatibus non præcognitis: mediatè verò quando pro rebus præcognitis ſub alijs phantaſmatibus. Vnde alia immediata, alia mediata ſubſtituta ipſarum rerum dici poterunt. Etenim ſæpè ſupra res alioquin ſuis in phantaſmatibus apprehenſas, alia ſolemus veluti imponere phantaſmata, vt quando plura inferiora ex ſuis conceptibus ſimilia ſub tertio quodam conceptu ipſis communi adunamus, ſubrogando ſcilicet pro illis vnum phantaſma, quo conceptus vniuerſalis conficitur, iuxtà dicenda *infrà*. Similiter, quando plures eiuſdem rei formalitates diſtinctè præcõceptas, atque adeo in phantaſmatibus diſtinctis, iuxta dicenda etiã *inferius* ſub vno phantaſmate complectimur; quo pacto ex genere, & differentiâ vnicum ſpeciei conceptum ſolemus compingere. Denique, quando per ipſarum vocum phantaſmata res ſignificatas, in ſuiſque proprijs phantaſmatibus antea conceptas apprehendimus: quod paſſim vſu venit, vt ego euidenter experior, & vnuſquiſque pariter, ſi animaduertat, experietur, &c.

80 Tandem in efformandis eiuſmodi phantaſmatibus, & quaſi ſimulacris, eiſque pro rebus, quæ cognoſcendæ ſunt, ſubrogandis, naturali ſuâ virtute intellectus noſter, quam poteſt, ſeruat proportionem, ſeu analogiam cum rebus ipſis cognoſcendis, habitâ ratione principiorum, quibus ad illas cognoſcendas determinatur, ſeu mouetur. Putà, vt cùm quis ex effectu aliquo diuinæ iuſtitiæ eleuatus ad concipiendum Deum, illum apprehendit per ſpeciem cuiuſdam viri ſeueri, vultus iracundi, &c. Si tamen ad cognoſcendum Deum ex aliquo effectu diuinæ miſericordiæ excitetur, illum contrà per ſpeciem cuiuſdam aſpectus lenis, hilaris, &c. concipit. Ita etiam Angelum inſtar pulcherrimi iuuenis; ſpiritum inſtar cuiuſdam auræ lenis; animam inſtar cuiuſdam ſubtilis, pellucidæque nebulæ, aut flammæ, cæteráque cuncta pariter ſolemus concipere. Et quoniã phantaſmata ſenſibilia, quæ ab intellectu humano ope phantaſiæ formari poſſunt, habentia cum vnâquâque re cognoſcendâ aliqualem neceſſitudinem, proportionem, ſeu analogiam, innumera propemodum ſunt: idcirco vnaquæque res multis diuerſis modis concipi poteſt, & ſæpe ſolet à diuerſis intellectibus, aut etiam ab eodem, idque vel naturaliter, vel ex arbitrio; eo tamen melius quælibet res inſenſata à quouis intellectu concipitur in ordine ad acquirendam ſcientiam de illâ, quo ſub phantaſmate magis ſibi proportionato, magiſve adſimili apprehenditur. Quantum autem ad ſcientias humanas interſit bene ipſarum terminos apprehendere, hoc eſt per phantaſmata illis bene proportionata, & ſimilia *inferiùs diſput. 25.* ex hâc doctrinâ demonſtrabimus. Ex quâ inſuper pro humanis ſcientijs alia ſcitu digna eliciemus. Hæc ſatis modò pro explicatione propoſitionis; nam per ea, quæ dicenda ſuperſunt ampliùs, & ampliùs explicabitur. Pergo ad probationem eius. Pro quâ

Sit primum argumentum deſumptum ab authori- 81
tate diuinâ, ex verbis Pauli *1. ad Corinth. 13.* vbi loquens de modo cognoſcendi per ſpecies alienas, quẽ pro præſenti ſtatu habemus, comparato cum modo cognoſcendi per ſpecies proprias, quem habebimus in futuro, ita habet. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Fallor enim, niſi mea ſententia litteraliſſimum horum verborum continet ſenſum. Quocircà noſter Iuſtinianus ad hũc locum. *Magnopere*, inquit, *conſentit cum ijs, quæ Philoſophi tradunt de obiecto phantaſmatum ad rerum cognitionem pariendam.* Etenim videre *per ſpeculum*, ſecundum Apoſtolum, aut ea, quæ pertinent ad Deum, aut alia quæpiam non ſenſata, nihil eſt aliud, vt S. Th. interpretatur ad eumdem locum, quàm illa cognoſcere per creaturas aliunde cognitas; hoc eſt, manuducentibus iſtis media aliquali connexione, quam habent cum illis. Videre autem *in ænigmate*, eſt illa eadem cognoſcere in obſcurâ ſimilitudine, parabolâ, ſeu allegoriâ, vt ipſe S. Th. Th & Anſel. *ibidem*, nec non Auguſt. *lib. 15. de Trinit. cap. 9.* & alij communiter exponunt. Quid autem magis propriè eſt ſimilitudo obſcura, parabola, allegoria, ſeu ænigma, quam phantaſma ſenſibile pro re inſenſibili ſubſtitutum? ænigma quippè proprijſſimè ſumptum id ſanè eſt, quod aliud quid præ ſe fert ab eo, quod per ipſum ſignificari, ſeu notificari contenditur, quod idem apprimè in phantaſmate pro re aliâ cognoſcendâ ab intellectu noſtro ſubſtituto inuenitur. Itaque Paulus duo expreſſit, quæ in omni iudicio humano, præſertim diſcurſiuo interueniunt, nempe, & quòd intellectus moueatur ad rem iudicandam per

per aliquid anteà præcognitum quod est videre rem per speculum; & quod inspiciat illam in phantasmate substituto, quod est videre rem in ænigmate; ob id coniunxit: *per speculum in ænigmate*; dúmque subiecit. *Tunc autem facie ad faciem*, contraponens præsenti cognitioni abstractiuæ facialem, seu intuitiuam futuram, quâ obiectum tangitur in se, amplius haud dubiè confirmauit, per abstractiuam non in se, sed in alieno ænigmate tangi, nimirùm in phantasmate substituto. Quod rursus amplius adhuc confirmat sequentibus verbis, quæ subdit. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Nam, vt ex dicendis à nobis tùm *in hâc q.* tum maximè *disp. 13. q. 9.* constabit, impossibile esset nos cognoscere ex parte, hoc est partiendo obiectiuè, quæ physicè sunt impartibilia, nisi ea non in se ipsis, sed in spectris, seu phantasmatibus substitutis cognosceremus.

82 Secundum argumentum ab humanâ authoritate desumo, & primum ex D. Dyonis. *cap. 1. de cælesti Hierach.* vbi doctrinam nostram exprimere videtur, dum ait. *Etenim neque possibile nobis est aliter lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogicè circumuelatum.* Nam, quod circumuelatum attingitur, non in se immediatè, sed in velamine ipso attingatur necesse est: velamen autem anagogicũ, hoc est figuratiuum, seu paraboli-cum phantâsma sensibile est apud Dyonis. pro re diuinâ subrogatũ ab intellectu nostro, vt supponit S. Th. 2. 2. *q.* 174. *art.* 2. *ad* 4. & ex cõmuni. Soar. *tom.* 2. *de rel. l.* 2. *de orat. ca.* 14 Subdit statim Dion. *Quoniam neque est possibile nostro animo ad non materialẽ illam ascendere cælestiũ Hierarchiarum imitationem, & contemplationem: nisi ea, quæ secundum ipsum est materiali manuductione vtatur: visibiles quidem formas inuisibilis pulchritudinis imaginationes arbitrans: sensibiles suauitates figuras inuisibilis distributionis, & immaterialis luculentiæ imaginẽ materialia lumina.* Quid pro re nostrâ accõmodatius? Certè adeò expressa videtur his verbis doctrina nostra, vt in eis amplius explicandis immorari non sit necesse. Augustinus etiam, dum *tom.* 8. enarrat *in Psal.* 48. *col.* 4. dixit. *Quicquid modò intelligimus, per ænigmata conspicimus.* Sententiam nostram videtur expressisse. Vide illum insuper *tom.* 3. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 9. aliosque Patres similia proferentes ad locum Pauli nuper relatum *ex* 1. *Corinth.* 13.

83 Accedat nunc Arist. Philosophorum Princeps, qui Philosophiam nostram haud dubiè tenuisse videtur, dum *lib.* 3. *de Anim. text.* 30. dixit. *intellectiuæ autem animæ phantasmata, vt sensibilia sunt.* Nimirùm, quia phantasmata immediatè terminant intellectiones, sicut sensibilia sensiones. Et mòx. *Propter quod nunquam sine phantasmate intelligit anima.* Putà subrogato pro re intelligendâ, seu iudicanda. Quod clariùs exprimit subiungens text. 33. *species igitur intellectiuum in phantasmatibus intelligit. species* enim, siue *formas*, vt alij vertunt, appellat hic Philosophus, (quemadmodum *lib.* 2. *Physicorum text.* 10. *&* 12. *& lib.* 5. *Metaph. cap.* 4. *sæpeque alibi*) essentias rerum cognoscendarum, vt etiam S. Th. supponit postmodum referendus. Concludit denique egregiè totam rem nostram Arist. *text.* 39. dicens. *Quoniam autem nulla res, vt videtur* (id est, prout nobis apparet) *est præter sensibiles magnitudines* (quia videlicet cuncta in phantasmatibus sensibilibus, quantisque conspiciuntur) *separata* (licet à magnitudine, seu quantitate) *in speciebus sensibilibus intelligibilia sunt, & quæ abstractione dicuntur, & quæcumque sensibilium habitus sunt, & passiones; & ob hoc nihil sentiens, nihil vtique addisceret, neque intelliget; sed cùm speculetur necesse simul phantasma aliquod speculari. Phantasmata enim sicut sensibilia sunt. Præterquam quod sunt sine materiâ.* Explicuit id ipsum, ipsissimamque nostram doctrinam Aristotel. *lib. de memor. & reminis. capite* 1. *post medium*, appositissimo Mathematicorum exemplo. Nam sicut ij demonstraturi quidpiam de essentiâ vniuersali, indeterminatave trianguli, particularem trianguli, determinatámque figuram describunt, in quâ tanquam in quodam substituto dictam essentiam vniuersalem, siue indeterminatam concipiunt. Ita intellectus rem aliquam non quantam intellecturus, seu concepturus, spectrum quoddam sensibile, atque adeo quantum sibi ponit ob oculos, in quo tanquam in quodam substituto rem ipsam concipit, & intelligit. Verba Aristotelis secundum versionem N. Leoniceni apud S. Th. quæ clarior est, ita se habent. *Quoniam autem de Phantasiâ dictum est prius in commentarijs de Animâ* (locis nuper citatis) *& quod sine phantasmate intelligere non licet. Eadem enim in intelligendo contingit passio, quæ in describendo. Ibi enim ad nihil vtentes determinata trianguli quantitate* (id est, non de illâ, sed de indeterminatâ, & vniuersali tractantes) *nihilominus per terminatam illum describimus quantitatem. Ita intelligens, licet non contempletur quantum; ante oculos tamen proponit quantum, contemplatur autem non vt est quantum. Quod si natura fuerit quantorum quidem, verùm indeterminatorum, ante oculos certè quantum ponit terminatum: contemplatur autem, vt quantum est solùm.* Quid ad rem clariùs? nisi forsan, quod *in eodem libello cap.* 2. *post medium*, adducto ad eamdem rem exemplo imaginis materialis, quo nos superius vsi sumus, subiungit sic ipse Arist. secundum versionem antiquam. *Aut est, vt contingit, & accidit hoc. Vt enim in tabulâ pictum animal, & animal est, & imago; & idem, & vnum ipsum est ambo: esse tamen non idem amborum, & est considerare, & sicut animal, & sicut imaginem. Sic, & quod in nobis phantasma oportet existimare, & ipsum aliquid secundum se esse, & alterius phantasma. Secundum quidem se ipsum speculatum, & phantasma est, inquantum verò alterius vt imago, & memorabile.* Mitto alia, quæ pro doctrina nostra ex Arist. adferri possent; nam per adducta satis superque apparet Philosophi mentem, & nostram in idem prorsus, quod ad rem attinet, conspirare.

Veniamus modò ad S. Th. per omnia in re philosophicâ Aristotelicum, quẽ in eadem nostrâ opinione fuisse imprimis satis apertè videtur ostendere tota doctrina, quam ipse inducit 1. *p. quæst.* 84. *art.* 7. dum definit, & latè probat. *Quod impossibile est intellectum secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu, nisi conuertendo se ad phantasmata* (nimirum, vt in ipsis intelligat tanquam in substitutis, quæcumque satagit intelligere) subiungens *in corpore articuli* prout iam nos *suprà num.* 74. retulimus, vel ipsa experientia esse cunctis notissimum. *Quod quando aliquis conatur* 84

aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat, quod intelligere studet. Tandemque in responsione ad 3. concludens. *Quod incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata, &c. & ideo cùm de huiusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus conuerti ad phantasmata corporum, licet ipsorum non sunt phantasmata.* Clariùs adhuc videtur expressisse doctrinam nostram verbis à nobis citatis *suprà disput. 1. quæst. 3. ex libris de Memor. & reminisc. lect. 2.* vbi ait. *Non ergo propter hoc solum indiget intellectus possibilis humanus phantasmate, vt acquirat intelligibiles species, sed etiam vt eas quodammodo in phantasmatibus inspiciat. Et hoc est, quod dicitur in 3. de Anim. species igitur in phantasmatibus intellectiuum intelligit. Huius autem ratio est, quia operatio proportionatur virtuti & essentiæ: intellectiuum autem hominis est in sensitiuo, sicut dicitur in secundo de Anima, & ideo propria operatio eius est intelligere intelligibilia in phantasmatibus.* Eatenus autem videtur S. Th. asserere, quodammodo species intelligibiles in phantasmatibus inspici, quatenus in eis intelliguntur essentiæ rerum per tales species repræsentabiles, prout sentit haud dubiè Arist. *loco citato.* Quemadmodum in phrasi eiusdem S. Th. eatenus species intelligibiles dicuntur à phantasmatibus abstrahi, quatenus conceptus rerum vniuersalium talibus speciebus respondentes à conditionibus indiuiduantibus, quales phantasmata præ se ferunt, abstrahuntur. Vt videre est *1. p. q. 85. art. 1. in resp. ad 1.* vbi disertis verbis Doctor Angelicus ita se explicuit. *Similiter dico, quod ea, quæ pertinent ad rationem speciei cuiuslibet rei materialis, puta lapidis, aut hominis, aut equi, possunt considerari sine principijs indiuidualibus, quæ non sunt de ratione speciei. Et hoc est abstrahere vniuersale a particulari, vel speciem intelligibilem à phantasmatibus, considerare scilicet naturam speciei absque cõsideratione indiuidualium principiorum, quæ per phantasmata repræsentantur.* Vnde, cùm in quinto argumento obiecisset sibi locum Philosophi *ex lib. 3. de Anim. text. 33.* commemoratum. *Quod intellectus intelligit species in phantasmatibus: non ergo eas abstrahendo.* Respondet. *Ad 5. dicendum, quòd intellectus noster & abstrahit species intelligibiles à phantasmatibus, in quantum considerat naturas rerum in vniuersali, & tamen intelligit eas in phantasmatibus; quia non potest intelligere ea, quorum species abstrahit, nisi conuertendo se ad phantasmata, vt* suprà *dictum est.* Vnde rursus doctrina nostra non parùm confirmatur.

85 Quam insuper ipse S. Th. aut planè sensisse, aut certè experientiâ ductum subodorasse mihi videtur; quoties loquens de verbo mentali nostro, illud ex parte obiecti ponit, dicens verbum mentale esse conceptum illum obiectiuum ab intellectu nostro formatum, dum quidpiam intelligit, qui primò per intellectionem attingitur, primoque significatur per vocem, & medio quo res intellecta, & significata per eamdem intellectionem intelligi, per eamdemque similiter vocem significari dicitur. Hoc namque genus verbi mentalis apud me planè est phantasma obiectiuum, in quo tanquam in substituto à nobis, vt credo, intelligitur quoduis obiectum insensatum. Quod quidem iure optimo verbum mentale, obiectiuum tamen, non formale vocari potest, prout *suprà quæst. 1. fine* notatum est. Videamus vnum, aut alterum ex locis S. Th. istam doctrinam exhibentibus. Etenim *in opusc. 53.* quod est de intellectu, & intelligibili, sub initium, postquam excluserat à ratione primò, & per se intellecti in intelligente existentis, tum rem, cuius notitia per intellectionem acquiritur, tum ipsam intellectionem, tum speciem intelligibilem, concludit. *Hoc est igitur primò, & per se intellectum, quod intellectus in se ipso concipit de re intellectâ, siue illud sit definitio, siue aliqua enuntiatio* (puta obiectiua) *secundum quod ponuntur duæ operationes intellectus, vt dicitur in 3. de Anima. Hoc autem sic ab intellectu conceptum dicitur verbum interius. Hoc enim est, quod significatur per vocem. Non enim vox exterior significat ipsum intellectum, aut formam ipsius intelligibilem, aut ipsum intelligere; sed conceptum intellectus, quo mediante significat rem.* Magis adhuc ad rem nostram videtur loqui S. Th. *lib. 1. contra Gent. cap. 53.* vbi agens de verbo nostro interno obiectiuo, quod intentionem intellectam appellat, dicit, nisi intellectus noster huiusmodi intentionem formaret, fore vtique, vt nequaquam posset aliquid intelligere abstractum à conditionibus materialibus, siue indiuidualibus, sine quibus non est re ipsâ. Quod nostræ doctrinæ applicatum verissimum est. Nam intellectus nisi medijs phantasmatibus substitutis minimè valeret abstrahere vnam formalitatem ab aliâ, cum quâ realiter est idem; vt ex dicendis apparebit. Deinde ait. *Per hoc enim, quòd species intelligibilis, quæ est forma intellectus, & intelligendi principium, est similitudo rei exterioris, sequitur, quòd intellectus intentionem formet illi rei similem: quia quale est vnumquodque, talia operatur. Et ex hoc, quòd intentio intellecta est similis alicui rei; sequitur, quòd intellectus formando huiusmodi intentionem rem illam intelligat.* Quæ quidem verba planè videntur præ se ferre rationem à priori, quam iam exhibeo, propositionis datæ. Sit igitur

Tertium argumentum à ratione naturali desumptum pro doctrinâ dictæ propositionis. Omnes omnino intellectiones humanæ obiectorum insensatorum in intellectu generantur virtute specierum sensatorum, quæ intrantes per sensus externos ad intellectum ipsum perueniunt, prout *suprà disput. 1. quæst. 2.* explicatum est. Siquidem intellectus humanus nullas alias species habet ad intelligenda cuncta, quæ intelligit, præterquam eas, quas ab accidentibus sensibilibus per sensus hausit, vt tanquam dogma certum iam apud omnes statuimus *disp. 1. quæst. 1.* sed per species accidentium sensibilium, siue virtute earum nullum aliud obiectum, præter accidentia ipsa, quorum species propriæ sunt, potest per se, seu in se ipso immediatè repræsentari. Igitur nulla intellectio humana repræsentat aliquid aliud per se immediatè, præterquam spectrum illud, seu phantasma sensibile, à cuius speciebus ea nascitur, eatenúsque subinde alterius obiecti insensati intellectio est, quatenus intellectus non pro phantasmate; sed pro insensato obiecto intelligendo concipit illam, subrogando scilicet sibi phantasma pro obiecto insensato, atque ita intelligendo ipsum insensatum obiectum, non in ipsomet, sed in phantasmate substituto, prout satis *suprà* explicatum est. 86

Quod autem virtute specierum propriarium accidentium sensibilium, quas solas intellectus accipit, nullum aliud obiectum, præterquã accidentia ipsa, sit immediatè 87

immediatè per se, & in se repræsentabile, videtur manifestum. Primò, quia tales species talium dumtaxat accidentium sunt propriæ species, propriàque semina, vt apud omnes est in confesso: nihil autem per se,& in se immediatè aliter, quàm per speciem sui propriam repræsentari valet, vt etiam est notum:quia sola species vniuscuiusque obiecti propria vim habet repræsentandi ipsum, sicuti est in se vt omnes fatentur. Secundò, quia incredibile est paucorum accidentium materialium, atque sensibilium species virtutem habere ad repræsentanda in se immediatè cũcta intelligibilia tam spiritualia, quàm materialia, qualia medijs illis aliquo modo valet intellectus noster concipere. Tertiò, quia si talem virtutem huiusmodi species haberent, species propriæ essent subinde cunctorum intelligibilium; tametsi ab illis non nascerentur. Quo fieret contra consensum omnium, vt nihil à nobis per speciem alienam, sed cuncta per species proprias cognoscerentur. Species quippè non eius dumtaxat obiecti dicitur propria, à quo producitur, sed eius etiam,quod per ipsam, vt est in se repræsentatur, vt patet in speciebus infusis Angelicis, quæ propriæ species suorum obiectorum dicuntur, tametsi ab illis non nascantur. Quartò, quia species sensibilium, quas bruta capiunt per sensus, eiusdem citrà dubium naturæ, atque quas nos capimus, sunt. Sed illæ citra dubium etiam solùm sunt repræsentatiuæ immediatè ipsorum sensibilium, quia sola hæc bruta cognoscunt. Igitur tantumdem de nostris dicendum est. Quintò, quia si species sensibilium etiam cunctorum insensibilium per se repræsentatiuæ essent, vt nequeunt semel excitatæ non repræsentare ipsa sensibilia, prout experientia monstrat; ita nec possent pariter non repræsentare nobis insensibilia cuncta. Quo fieret, vt sine discursu passim intelligibilia cuncta conciperemus, quod est manifestum absurdum. Nec dici potest egere eas determinatione intellectus, aliorúmve principiorum, quibus ille determinatur, vt hæc potius; quàm alia obiecta repræsentent: inde enim fieret, vt dum intellectus determinatur ad sola intelligenda obiecta insensata, prout determinatur plerumque, sola ipsa obiecta insensata repræsentarent species; atque adeo plerumque, aut ferè semper absque vllâ conuersione ad phantasmata sensibilia,absque vlláve apprehensione ipsorum intelligeremus. Quod & euidenti experientiæ,& omnium consensui refragatur. Tum absurdum est asserere species impressas egere determinatione intellectus, vt hoc potiùs repræsentent obiectum,quàm aliud,cùm ipsæ contrà ad hoc potissimum munus institutæ sint à naturâ, vt intellectum aliàs ad cuncta intelligenda indifferentem determinent. Sextò, quia si species sensibilium valerent determinatæ vtcumque obiecta insensibilia in se immediatè repræsentare, quoties ad aliquid insensibile concipiendum determinatur intellectus conceptum obiectiuum illius proprium semper sibi efformaret: haberet enim in intellectu obiectiuè obiectum insensibile idem omninò *esse*, quod re ipsâ habet in se; atque adeò non aliter, sed sicut in se est, appareret: quo fieret,vt semper illud eodem modo conciperetur, quantumuis per species diuersas; quin imo omnes homines eiusdem obiecti insensibilis eumdem cõceptum obiectiuum semper haberent; neque eamdem rem diuersis modis per dissimilésque conceptus possent concipere: siquidem eadem res sibi ipsi dissimilis non est. Quod manifestæ experientiæ aduersatur; aliaque subinfert absurda paulò post adiungenda. Septimò denique, quia nullum est fundamentum idoneum ad tribuendam speciebus accidentium sensibilium virtutem repræsentandi cuncta per se immediatè, vt ex dictis,& ex dicendis conspicuum fiet. Igitur illis talis virtus nequaquam est attribuẽda. Quod cùm ita sit,consequitur planè, per nullam nostrã intellectionem virtute talium specierum ab intellectu nostro conceptam, quales omnes sunt, repræsentari nobis aliquid insensatum immediatè per se,& in se,idque siue identificatũ cum phantasmate sensato,siue condistinctum ab ipso quâuis ratione, iuxta quamlibet sententiam contrariam excogitabilem. Atque ita solùm relinqui iuxtà nostram, vt quidlibet insensatum, non per se, aut in se; sed per phantasma, aut in phantasmate ipso, tanquam in quodam substituto repræsentetur, vt *suprà* declaratum est.

Sed dicet fortasse aliquis cum Petr.Hurt.*disp.12. de Anim. sec.2.n.19.* intellectiones obiectorum insensibilium per species sensibilium immediatè non fieri; atque adeo tales species talium obiectorũ per se repræsentatiuas non esse. Intellectũ enim solùm determinari immediatè per speciem obiecti sensibilis ad ipsum obiectũ sensibile intelligendum. Deinde verò ex huius intellectione determinari per discursum ad intelligendum insensibile. Ita quidem,vt intellectio primaria obiecti insensibilis ab intellectione præuiâ sensibilis, non item ab aliquâ specie impressâ procedat effectiuè. Ex illâ tamen semel habitâ pro vlterioribus eiusdem obiecti insensibilis intellectionibus species iam in memoriâ relinquatur impressa; quæ talis obiecti propria erit; id est deseruiens ad ipsum vnicè intelligendum per se,& immediatè, tametsi non quidditatiuè, aut intuitiuè, sed obscurè, siue confusè. 88

Cœterùm contra hunc dicendi modum eodem robore,eadémque vi recurrit argumentum factum. Tum quia necũde potest intellectio obiecti sensibilis habere maiorem virtutem, quàm species eiusdem ad producendam intellectionem propriam, & immediatam obiecti insensibilis. Siquidem ab specie venit oriunda tota virtus repræsentatiua obiecti, quam cognitio habet, Ob idque nulla cognitio relinquit ex se speciem impressam aliûs repræsentatiuam obiecti ab eo, cuius cognitio est, vt constat. Tum quia ex istâ doctrinâ eadem commemorata absurda manifestiùs adhuc sequuntur. Nimirum quamlibet intellectionem cuiusuis obiecti sensibilis vim repræsentatiuam habere omnium omninò entium à nobis intelligibilium; idque per repræsentationem eorum propriam, & immediatam. Eaque subinde cuncta à nobis non per alienas, sed per proprias cognosci species. Atque adeo nos omnes, & singulos proprium semper, eumdémque conceptum obiectiuum formare vniuscuiusque obiecti insensibilis. Et consequenter semel comparatis speciebus proprijs obiectorum insensibilium absque vllâ prorsus conuersione ad phantasmata sensibilia posse nos illa intelligere, per otiumque circa illa ratiocinari. Quæ omnia, & omnium communi consensui, & experientiæ exploratissimæ manifestè aduersantur. Quibus adde primò, quod intellectus noster ne circa sensibilia quidem obiecta, à quibus accipit species, potest aliquid iudicare absque vsu alienarum specierum, & subrogatione phantasmatum, vt ex dicendis apparebit. Sine iudicio autem sensibilium non stat discursus ex illis ad concipienda insensibilia. Secundò, quod sine iuuamine speciei impressæ non potest intellectus noster quidpiam 89

primò apprehendere vndecumque determinatus, vt communis Philosophorum existimatio fert. Cognitio autem obiecti sensibilis solius obiecti, cuius cognitio est, vt dicebam, valet speciem intellectui imprimere: nam id omnium cognitionum est proprium munus; non item obiecti insensibilis, cuius nec semen est, nec fœtus vllâ ratione. Mitto alia, nam per dicenda amplius, & amplius dicta doctrina manebit confutata.

90 Quartum argumentum pro nostrâ propositione desumitur ex experientiâ. Nemo enim est, qui non experiatur satis apertè si animaduertat, dum rem aliquam insensatam intelligit, ita sibi aliquod spectrum sensibile, corporeumque repræsentari, vt nihil aliud præter illud ipsius menti obuersetur: quin potiùs illud adeo esse sibi pro re, ad quã intelligendam tendit, vt ipsummet perinde aspiciat, ac si res ipsa esset: si autem præter spectrum, seu phantasma sensibile, ad instar cuius rem insensatã dicimur intelligere, res insuper ipsa in se immediatè intellectione tangeretur, tum quidem non solùm spectrum sensibile; sed aliquid amplius per se immediate opponeretur nobis ex parte obiecti, idque experientiâ nosceremus: quandoquidem per illam, quotiescumque aliquid mente concipimus, satis superque innotescit nobis nos illud conspicere. Quod quidem euidentius fit, cùm aliquid alias sensibile, à nobis tamen insensatum cognoscimus, e. g. Vrbem Romanam, Pontificem, Turcam, Regnum Sinarum, & alia huiusmodi. Tunc enim loco Romæ, vrbem quamdam nobis imaginatione compingimus talis, aut talis magnitudinis, situs, figuræ, dispositionis, qualis re ipsâ vera Roma non est. Loco Pontificis, aut Turcæ Phantasma quoddam hominis vsurpamus certi cuiusdam aspectus, habitus, quantitatis, positionis, coloris, qualis re verâ nec Pontifex, nec Turca est. Loco autem Regni Sinarum regionem etiam quamdam nobis formamus taliter extensam, talitérque habitatoribus, vrbibus, oppidis, fluminibus, vallibus, montibusque distinctam, qualiter non se habet haud dubiè, sed longè aliter regnum ipsum. Si enim in ijs, & similibus casibus præter phantasma illud, quod vnusquisque pro genij captus, circunstantiarum, ac principiorum determinantium diuersitate diuersimode sibi efformat ad rem alioquin sensibilem cognoscendam, res insuper ipsa in se immediatè per cognitionem tangeretur, id quidem citrà dubium sub experientiam caderet. Cùm ergo manifestè non cadat, quia nemo experitur, dum circa Romam, Pontificem, Turcam, Regnum Sinarum, aliaque huiusmodi sensibilia à se non sensata suâ intellectione versatur, quidpiam aliud à se apprehendi, aut sibi ex parte obiecti obuersari præter phantasmata à se efformata ad talia obiecta intelligenda, quæ ab ipsis obiectis re ipsâ distincta, sæpeque valde diuersa sunt, vt etiam experientia demonstrat, cum oculis posteà cernimus id, quod longè aliter, quàm est, anteà conceperamus. Tenendum procul dubio est, quotiescumque obiecta insensata ad instar sensatorum phantasmatum intelligimus, sola phantasmata ipsa per se, siue in se immediatè per intellectionem attingi, obiecta autem insensata non in se, sed in ipsismet phantasmatibus, tanquam in substitutis intelligi.

91 Quintum argumentum ex communi omnium consensu, atque existimatione, seu tacitâ persuasione accipio. Omnes namque fatentur, passimque prædicant quidquid à nobis insensatum cognoscitur, id quidem per speciem alienam, & aliter, quàm est in se, ad instarque obiecti sensati, siue ad modum eius cognosci. Quæ tamen vera esse non possent, si res insensata aliter, quàm in spectro sensato, tanquam in quodam substituto, prout nos censemus, cognosceretur. Si enim illa in se immediatè aliquo modo attingeretur per cognitionem, imprimis iam non per speciem alienam dicenda esset cognosci, sed per propriam, tametsi non ab ipsâ, sed ab obiecto sensato oriundam, vti superiùs ponderabam. Deinde non aliter, quàm est in se, sed sicuti est in se, appareret: si quidem non per substitutum à se diuersum, sed per se ipsam appareret: atque ita illud ipsum *esse*, quod in se habet, haberet in mente cognoscentis: quod est esse illam in mente cognoscentis idem ipsum quod est in se; atque adeo non aliter, quàm est in se; sed sicuti est in se, cognosci. Non ita iuxta doctrinam nostram euenit; nam eo ipso, quod res insensata non in se ipsa, sed in phantasmate substituto cognoscitur, nequit non esse in mente eam cognoscentis aliud ab eo, quod est in se, alitérque subinde, quàm est in se, cum omni proprietate cognosci. Præterea, nisi ita cognosceretur, dici non posset ad instar, seu ad modum obiecti sensati cognosci. Quoniam cognosci vnum ad instar alterius, aliud esse non potest, quàm vel cognosci vnum per aliud, tanquam per substitutum; vel cognosci vnum per comparationem cum alio, tanquam cum exemplari. Hoc autem secundo modo, palam est, rem insensatam non cognosci ad instar sensatæ, quandoquidem, vt experientia monstrat, non apparet nobis distincta ab illa, prout ad talem comparationem requir tur; nec talem intellectio nostra facit comparationem. Igitur priori modo dumtaxat res insensata ad instar, seu admodum sensatæ potest dici cognosci.

Sextum argumentum mihi quidem irrefragabile 92
est si obiecta insensata in se immediatè per intellectum nostrum attingerentur, nullatenus possemus illa præscindere obiectiuè, cognoscendo vnam formalitatem, ignotâ aliâ realiter indistincta ab illâ: quia inde fieret, vt idem ipsum cognosceretur simul, & non cognosceretur à nobis, quæ est manifesta contradictio, vt bene viderunt Recentiores, qui ob hoc argumentum communiter præcisiones abnegant obiectiuas. Sed est certissimum præscindere nos obiectiuè aliquo modo obiecta insensata, ita vt vnâ formalitate cognitâ, altera eiusdem obiecti realis penitus ignoretur, vt contra eosdem Recentiores inferiùs disp. 13. q. 9. manifestè monstrabo. Idque appositissimè, & absque vllâ repugnantiâ componitur, si dicamus nos insensata obiecta non in se ipsis intelligere; sed in spectris seu phantasmatibus substitutis, vt ex dicendis *q. citatâ*, atque etiam in præsenti constabit. Igitur ita nos intelligere procul dubio dicendum est. Quod insuper confirmatur primò: quia nisi ita intelligeremus, nequaquam possemus per rationem obiecta in se indistincta distinguere, quia, quæ in se sunt vnum, si in se ipsis cognoscerentur, non possent non esse etiã vnũ obiectiuè in mente: quia non possent non esse in mente idem ipsum, quod sunt in se; ac proinde nequaquam possent plura apparere, seu esse plura in mente, prout ad distinctionem rationis necessarium est. Confirmatur secundò; quia nisi modo dicto intelligeremus, conceptus vniuersales, neutiquam constare possent, quia, quæ plura sunt, necessariò apparerent plura, quo prorsus cessaret omnis vniuersalitas; essent quippe in mente concipientis idem ipsum, quod sunt in se, in se autem sunt plura, vt ponimus. Tum conceptus vniuersales

uersales præsertim genericos ab inferioribus non possemus abstrahere, quia fundamentum abstractionis, seu adunationis vniuersalis vnicè est similitudo inferiorum. Constat autem inferiora specie diuersa in se ipsis dissimilia esse; fiunt tamen in mente nostrâ similia, quoad conceptum genericum ratione spectrorum similium, per quæ concipiuntur. De quibus omnibus plura suis locis. Denique confirmatur tertiò, quia nisi per substituta aliena intelligeremus, pluriṁa alia huiusce modi sequerentur absurda contra connaturalem notissimúmque operandi modum, quem noster intellectus habet, prout in decursu huius operis planè ostendemus. Symmetria quippè totius doctrinæ in eò tradenda apertè ostendet benè animaduertenti, quàm vera [illegible]ositio sit, quam modò suadere conamur.

93 [illegible]ptimum argumentum. Nisi per substituta aliena cognosceremus, neutiquam possemus habere apprehensionem simplicem de obiecto vago, siue indeterminato; vti reuerà passim habemus. Sc. quoties sub his particulis *aliquis*, *quidam*, *nonnullus*, & similes conceptum nostrum obiectiuum significamus, sæpeque alias, vt constabit ex inferius dicendis. Quoniam obiectum vagum, indeterminatumve in se ipso, nihil est aliud, quàm hoc, vel illud, vel aliud, &c. sub disiunctione: repugnat autem, vt per apprehensionem simplicem tangatur ab intellectu nostro in se ipso obiectum hoc, vel illud, vel aliud, sub disiunctione, nullo eorum tacto determinatè, vt bene aduertit Arriaga, & ex terminis est notissimum: quia sicut manifestè repugnat existere in se rem hanc, vel illam, vel aliam, & nullam earum existere determinatè, ita repugnat manifestè repræsentari in se per cognitionem hanc, vel illam, vel aliam, & nullam earum repræsentari determinatè. Quin etiam nisi per substituta aliena cognosceremus, ne iudicia quidem vaga, seu disiunctiua formaliter possemus concipere, sicut etiam citra omne dubium passim concipimus; quia, vt ego firmissimè teneo, æquè repugnat attingi vnum, vel alterum, & neutrum determinatè per iudicium, atque attingi vnum, vel alterum, & neutrum determinatè per simplicem apprehensionem. Vtrumque autem penitus repugnare, si obiecta in se immediatè attingantur, seu per apprehensionem simplicem, seu per iudicium ex dicendis *disp.* 10. constabit. Quocirca ibi etiam ostendam eos, qui per species proprias cognoscunt, nullam omnino intellectionem formaliter disiunctiuam habere posse, tametsi æquiualenter disiunctiuam possint habere: quale est iudicium cõditionatum de vtrouis extremorum disiuncti sub conditione negationis alterius. De quo ibi multa. At nos per species alienas modo prædicto cognoscentes, nil vetat intellectiones formaliter disiunctiuas habere, quales citra omne dubium passim habemus, tangentes videlicet absolutè in phantasmate substituto determinato obiectum disiunctiuum, seu vagum nequaquam in se ipso tangibile, hoc est tangentes in tali phantasmate vnum, vel alterum ex extremis obiecti disiunctiui, quin vllum eorum tangatur determinatè, qualiter illa in se ipsis neutiquam tangibilia sunt. Quemadmodum enim, quæ in se sunt plura, vnum apparere possunt in substituto; secus in se. Itaque in se sunt determinata, disiuncta, seu disiunctiuè, vel vagè possunt in substituto apparere; secus in se, vt amplius explicabitur *paulò inferius*.

94 Octauum argumentum præcedenti simile sit. Quia nisi per substituta aliena intelligeremus, nequaquam possemus concipere, vti citra omne dubium sæpe concipimus eas chymeras impossibiles, quæ ex rebus inter se distinctis per identitatem fictam, aut ex conceptibus identificatis per fictam distinctionem compingi solent; aliasque huiusce generis; eo quod, quæ in se sunt aut identificata, aut distincta, aut æqualia, aut similia &c. cognita in se aliter ac sunt apparere nequeunt, vt pluribus est comprobandum *infrà disp.* 11. & 12. Qualiter apparere possunt cognita in substitutis alienis, vti cognoscuntur à nobis, aut possunt cognosci. Similiter, quia negationes rerum adeo sunt mere nihil, vt à cognoscentibus intuitiuè nullatenus positiue sint cognoscibiles, vt *infrà disp.* 9. monstrabimus: ne à nobis quidem positiuè cognosci possent, vti sæpissimè cognoscuntur, nisi per substituta aliena cognosceremus. Vniuersaliter enim ex hoc, quem habemus intelligendi, modo nascitur, vt multa obiecta aliàs in se nullomodo cognoscibilia, à nobis in substitutis alienis cognoscibilia sint; vt ex dicendis *locis citatis* satis, superque notum fiet.

Nonum argumentum potest desumi ex mirâ, 95
quam habet Phantasia nostra promptitudine componendi phantasmata, eaque infinitis prope modis variandi: eo enim fine videtur illi hæc virtus collata, vt in illis efformandis intellectui subseruiat, quo ipse abundè habeat ad manus spectra diuersa pro tam diuersis rebus, rerumque formalitatibus obiectiuis, quas passim concipit, subroganda. Oportuit enim ne alia cum alijs confunderet, tam diuersimodè illa posse concipere. Cum tamen Phantasia ratione sui ad nihil tanta phantasmatũ, spectrorumve varietate videatur indigere. Accedit, quod nisi intellectui in phantasmatibus ope Phantasiæ formatis, tanquam in substitutis cuncta cognoscerent, necunde tam arcto necessitudinis vinculo in ordine ad operandum necteretur cum illâ, vt nectitur; sicuti *suprà disp.* 1. *q.* 3. monstratum est.

Decimum argumentum inde desumitur, quod 96
appetitus sensitiuus sensibiliter afficitur sæpè sæpius ad obiecta insensata, imò ad spiritualia, & diuina, quæ meditatur intellectus, cùm tamen ille per sola phantasmata sensibilia possit ad suos affectus moueri. Quod non leue præbet indicium, huiusmodi sensibilia phantasmata loco obiectorum insensatorum, spiritualiumque etiam, & diuinorum toti nostræ animæ esse etiam comparatione intellectus, qui dum pro dictis obiectis talia phantasmata substituit, quodammodo partem sensitiuam trahit secum, vt eadem, quæ ipse, obiecta suo modo capiat, & gustet.

Vndecimum argumentum præbet id, quod intel- 97
lectus noster habet ingenium cuncta facilius percipiendi per exempla proposita, tanquam per quædam substituta rerum percipiendarum. Ob id enim Christus Dominus, Prophetæ, & Apostoli per parabolas, vt in plurimum, perque ænigmata loquebantur. Ob id penè omnes euentus, qui in veteri testamento narrantur figuræ, ac veluti ænigmata extiterunt eueniendorum post Christi aduentum tempore legis gratiæ. Ob id in re oratoriâ potissimum ad persuadendum argumentum est, quod à simili, seu ab exemplo capitur. Ob id analogia rerum tam grata nobis, vt ferme in illâ consistat totum momentum eorum, quæ, quâuis ratione intellectui nostro arrident in poëmatibus, in panegyricis, in facetijs, ac demum in vniuerso humano sermone, vt reflectenti ad cuncta perspicuum fiet. Vniuersa quippe metaphora in rerum analogiâ nititur, in subrogandâque re vnâ pro aliâ adsimili consistit. Quæ omnia claro indicio sunt connatura-

lissimum esse nostro intellectui, cuncta, quæ intelligit, per substituta aliena intelligere.

98 Quæ quidem intellectus nostri naturâ in vsu etiam adorationis imaginum cerni videtur: semel enim aliquâ imagine pro prototypo subrogata; ita in illa tanquam in substituto solemus adorare prototypum, vt tota nostra attentio,& affectio per se immediatè in solam imaginem, ac si ipsa esset prototypus referatur; tametsi non pro ipsâ, sed pro prototypo, cuius loco ea nobis est, vt experientia manifestat, & nos suo loco monstrabimus. Qui quidem ipsissimus est modus, quem intellectus noster seruat in cognoscendo per substituta.

99 Duodecimũ argumentum sit. Quoniam substantias materiales per ipsarum sensibilia accidentia, tanquam per substituta cognoscimus, vt satis, superque experientia videtur demonstrare. Quis enim vnquam expertus est, dum tractat de lignis, de lapidibus, de metallis, de monetis, &c. se quidquam aliud per se immediatè mente concipere præter sensibilia accidentia harum rerum, colorem, magnitudinem, figuram, numerum, &c. Huiusmodi igitur accidentia communiter loco integrarum rerum esse videntur. Si quando autem ex industriâ aliquid aliud sub talibus accidentibus latens conamur introspicere, aliquod aliud accidens pro illo solemus subrogare; vt etiam constabit experientiâ benè animaduertenti.

100 Decimum tertium argumentum inde accipi potest; quod intellectio nostra ex vnâ parte supra se ipsam perfectè reflexiua non est, esto imperfectâ quâdam, & experimentali notitia se se insinuet intelligenti iuxta doctrinam traditam *suprà disp. 1. q. 2. hypoth. 28.* Ex aliâ verò parte certum est eam sub conceptu vniuersalissimo intellectionis perfecto quodam modo, valdeque ab experimentali diuerso se se intelligere. Quæ duo cohærere non possent, nisi per subititutum alienum conceptum illum vniuersalem intellectionis formaremus.

101 Decimum quartum argumentum præbent nobis Animæ separatæ. Quæ vt fert communis Theologorum sententia apud Salas 1. 2. *Tract. 2. disp. 6. sec. 8.* speciebus sensibilium rerum in hâc vitâ acquisitis vtuntur ad cognoscendas etiam res insensibiles, spiritualesque alterius vitæ; atque ita illas in phantasmatibus sensibilibus experientiâ monstrante intelligunt, vt bene animaduertit Lugo *tom. de Incarn. disp. 20. sect. 2. n. 4. & disp. 21. sect. 1. n. 7.* siquidem quæcumque ad corpus redierunt, narrant se vidisse flumina, flores, prata, gemmas, aurum, ignem, iuuenes pulcherrimos,& alia huiusmodi, ad quorum instar conceperunt, quæ ipsis in aliâ vitâ monstrata sunt; cùm tamen ea in eo statu intellectus solus sine consortio Phantasiæ corporeæ concepерit. Quod argumento claro est eiusmodi sensibilia phantasmata non solius Phantasiæ, à quâ suam ducunt originem, sed intellectus etiam nostri in statu quoque præsenti esse obiecta immediata; in quibus ipse cætera quæque obiecta insensata, vt in substitutis intelligit, prout explicuimus. Hæc satis pro primâ propositione datâ. Nam ex ijs, quæ restant dicenda, amplius, & ampliùs confirmabitur.

Propositio 2.

102 Intellectus noster pro hoc statu sine vsu speciei alienæ, atque adeò sine phantasmate substituto nihil omnino iudicare valet. Ad iudicandum autem quæcumque iudicat, proindeque ad substituendum pro illis phantasmata sensibilia, in quibus iudicat, tum à vi iudicatiuâ, quam habet, tum etiam ab alijs principijs mouetur, siue determinatur.

Pro plenâ huius propositionis intelligentiâ suppono primò ex dicendis ex professo *q. seq.* intellectum nostrum pro hoc statu nihil omnino iudicare posse absque duobus saltem conceptibus obiectiuis; alterum, quod significetur per verbum, atque adeo cum tempore, quocirca actus appellatur, quia ad instar exercitij actualis concipitur alterius conceptus, qui verbi suppositо, vt vocant Grammatici correspondet,quod subiectum dicitur talis actus; præter quos tertius etiam conceptus datur, plerumque circa quem dictus actus, vt circa terminum aliquâ ratione versatur; vt cùm dicimus *Petrus legit scripta, &c.* id autem, in quod tanquam in proprium obiectum tendit iudicium,prædictus actus est,subiectum verò, & terminus talis actus per simplices apprehensiones necessario comitantes ipsum iudicium concipiuntur. De quibus omnibus plura in dictâ quæstione.

Suppono secundò intellectum humanum nequa- 103
quam posse in rerum notitiam induci primariò, & vnicè per principia artificialia, seu doctrinalia absque præuio, atque etiam comitante principiorum naturalium iuuamine; quia cùm principia artificialia, seu doctrinalia sint quædam signa ad placitum, vt notabamus suprà, vt noster intellectus per illa ad intelligendum induci possit, imprimis necessarium est,quòd conceptuum significatorum per ipsa prænotionem aliquam habeamus. Deinde etiam vt ipsamet medijs sensationibus externis, atque etiam internis, quæ naturalia quædam principia sunt, apprehendamus.

Suppono tertiò naturalium intelligendi princi- 104
piorum prima, & fontalia, à quibus omnis humana intellectio suam trahit originem sensationes externas, internasque esse obiectorum, quæ sensus capiunt, procreatas medijs speciebus oriundis ab eisdem obiectis. Ob id enim ait Arist. lib. 3. de Anim. text. 39. *Qui non sentit aliquid, nihil vtique addiscet, neque intelliget.* Ob idque etiam intellectus noster pro hoc statu cuncta, quæ intelligit,per species proprias dictorum obiectorum sensibilium intelligit, vti *disp. 1. q. 1.* sæpéque aliàs in superioribus statutum est.

Ex his fit primò, primaria intellectus nostri iu- 105
dicia,vt plurimum circa obiecta sensibilia, quæ per sensus intrant versari. Statim enim atque ministerio sensuum in illa incidimus, connaturaliter solemus de illis iudicare saltem, quòd sunt antequam progrediamur vlterius ad quidpiam aliud insensatum ex illis iudicandum. Crediderim tamen fieri posse nonnunquam, vt ex apprehensione tantùm simplici obiecti sensati, & connexionis eius cum insensato determinetur intellectus ad apprehendendum quoque insensatum per vsum speciei alienæ; de eoque sic apprehenso nullo præeunte iudicio de obiecto sensato, primariò iudicet aliquid quoad quid est, tametsi nequeat, quoad an est iuxta dicenda post modum de hisce duobus modis iudicandi de obiectis apprehensis.

Secundò fit; semel apprehenso ab intellectu ob- 106
iecto sensato virtute speciei deriuatæ ad illum ex sensatione externâ huius,eadem principia, quæ determinant ad aliquid iudicandum de tali obiecto,attribuendo scilicet ei per iudicium aliquem actum significabilem per verbum, determinare quoque ad vtendum specie alienâ pro conceptione talis actus; atque adeo ad substituendum phantasma pro fundamento eius (neque enim per speciem propriam

priam concipitur à nobis quidpiam per modum actus significabilis per verbum, siquidem à parte rei nihil est tale à nobis sensibile, quod possit talem speciem immittere, vt notum est.) E. g. cùm video lucem, principia, quæ me determinant ad iudicandum illam existere, determinant pariter ad concipiendam ipsius existentiam per modum actus, atque adeo per speciem alienam, & in phantasmate sensibili conceptui actus accommodato, subrogatoque vel pro ipsâ luce si ea est integrum fundamentum sui actus existendi, vel vt ego autumo, pro ipsâ luce, & alio quopiam, ad quod illam comparo, cùm iudicio illam existere, concipiendo scilicet existentiam illius ad modum cuiusdam correspondentiæ ad aliquod tempus, aut ad alias res existentes. Ita enim solemus nos pro hoc statu concipere existentiam, & durationem rerum, vt dicendum alibi. Tantumdémque censendum est pariter de principijs determinantibus videntem lucem ad iudicandum de illâ identificari secum, distingui ab alijs rebus, assimilari quibusdam, quibusdam verò dissimilari, habere talem figuram, tantam quantitatem, cæteraque huiuscemodi prædicata.

107 Et quoniam præter prædicata identificata cum luce, quæ, visa illa, sunt à nobis ex terminis citra omnem discursum iudicabilia; alia sunt plura, ad quæ iudicãda discursu egemus; alia, quæ, ne per discursum quidé assequi possumus. Ex ijs autem, quæ vel ex terminis, vel adhibito discursu possumus iudicare nunc vnum, nunc aliud reliquorum immemores iudicamus; raróque, aut nunquam vno iudicio cuncta complectimur: imo neque complecti possumus, si ea distinctè, & non confusè sunt iudicanda, vt est notissimum. Conficitur planè ne de obiectis quidem sensatis posse nos quidquam iudicare absque præcisione obiectiuâ prædicatorum factâ (vti semper fit à nobis iuxta doctrinam fusè tradendam *disp. 13. q. 9.*) in phantasmatibus substitutis pro re iudicandâ. Itaque quoties obiectum sensatum per speciem propriam mente apprehendimus, de ipsoque ita apprehenso varia prædicata iudicamus, quæ realiter inter se distincta non sunt, tametsi ex parte subiecti nulla interueniat obiectiua præcisio, sed totum, quod re ipsâ est, obiectum apprehendatur, quemadmodum per sensum externum apprehensum est: eo quòd cognitio habita per propriam speciem nullâ ratione potest obiectiuè præscindere, vt loco citato videbimus. At verò ex parte prædicatorum tot præcisiones obiectiuæ interueniunt, quot prædicata ipsa diuersa sunt: hæc namque bene possunt obiectiuè præscindi tum inter se, tum à subiecto cui attribuuntur, eo ipso, quòd concipiuntur per species alienas, & in alienis substitutis, vbi præcisio obiectiua fit, prout fuso calamo exponemus in *q. citata.*

108 Sed dubitari hic iure potest. Si apprehensio obiecti sensati oriũda ab externâ eius sensatione (quam *suprà qu. 2. nu.* 40. suasiuam virtualiter dicebamus, propter vim, quam habet mouendi intellectum ad iudicandum de obiecto ipso) nullatenus præcisiua est, æqualiterque subinde proponit quicquid obiectum est re ipsâ. Vnde nascitur, quòd tali suppositâ apprehensione, aliqua solùm prędicata ex terminis, & citrà discursum valeat iudicare intellectus de tali obiecto; alia non item: & ex ijs, quæ valet ex terminis iudicare, vnum, aut alterum dumtaxat, & hoc potiùs, quàm aliud iudicet; reliqua verò secùs. Quæ quidem difficultas tam respuentibus, quàm admittentibus præcisiones obiectiuas communis est. Siquidem independenter ab omni opinione, experientia ipsa demonstrat hominem videntem lucem e. g. ex vi talis visionis citra discursum iudicare posse euidenter lucem existere, tum eam esse idem secum, tum esse similem alteri luci, eidemque esse inæqualem. Tum esse dissimilem colori, & ipso pulchriorem, &c. Cùm tamen iudicare pariter nequeat, an lux sit accidens, vel substantia: an eius intensio resultet ex additione gradus ad gradum, vel sit indiuisibilis qualitas, an gradus eius, si quos habet, sint similes, & æquales secundum perfectionem, vel contra; an sit productiua specierum intentionalium distinctarum à lumine, an aliquos alios effectus valeat producere, & quâ ratione, &c.

Respondeo, quòd intellectus noster aliqua præ- 109
dicta obiecti sensati ex terminis iudicare queat; alia verò non item: id quidem tum ex naturâ ipsius intellectus, tum ex ipsorum prædicatorum fundamentali diuersitate nasci. Vniuersaliter enim, quo prædicata sunt vniuersaliora, in pluribusve rebus reperta, eo intellectui nostro notiora sunt, quo autem minus vniuersalia, minus ipsi innotescunt, donec defectu vniuersalitatis ipsum penitus latent. Quo fit, vt prædicata rei sensatæ, quæ magis sunt vniuersalia fundamentaliter, ex terminis ab intellectu iudicabilia sint; quæ verò minus sunt vniuersalia fundamentaliter non item. Dico *fundamentaliter*: quia in re indiuidua, qualis est, quæ sentitur, nihil est vniuersale formaliter, quemadmodum nec est diuersitas formalis prædicatorum à parte rei, quandoquidem omnia talis rei prædicata, de quibus agimus, vnum quid sunt re ipsâ. Verùm quia in hoc, quòd est eam suapte naturâ præbere intellectui nostro fundamentum, vt tale, vel tale prædicatum de ipsâ iudicet cum pluribus, aut cum paucioribus rebus conspirare potest, efficitur vt & prædicata fundamentaliter diuersa, & prædicata alia alijs fundamentaliter vniuersaliora habere dicatur. Etenim, quia nullum est obiectum sensatum, quòd semel ab intellectu nostro apprehensum, non præbeat illi fundamentum sufficiens, vt iudicet de ipso esse ipsummet, esse existens, atque adeo & potens existere, esse ab obiectis alijs distinctum, esse illis simile, vel dissimile, æquale, vel inæquale, &c.) idcirco eiusmodi prædicata in singulis obiectis sensatis dicuntur vniuersaliora fundamentaliter, diuersaque fundamentaliter etiam ab alijs minus communibus, quæ singula eorum insuper habent, & ad quæ iudicanda intellectui nostro, vel non ita euidens propterea, vel nullum fundamentum præbent. Sæpè etiam contingit, vt propter imperfectionem, obscuritatemve sensationis, & consequenter apprehensionis internæ prouenientis ab illâ nequeat iudicare intellectus aliquod prædicamentum de obiecto sensato, quod aliàs posset, si sensatio eius, & apprehensio clariores, perfectioresque essent. Vt patet, quando videntes aliquid eminùs, nescimus cuius illud coloris, qualis figuræ, aut quantæ magnitudinis sit, donec accedentes prope, crescenteque subinde in claritate, & perfectione sensatione exteriore, & interiore apprehensione talis obiecti, ea cuncta diiudicabimus. Ea etiam prædicata sensibilium obiectorum aliàs ab intellectu ex terminis iudicabilia, quæ suscipiunt magis, & minus, vt similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas, &c. certam magnitudinem, siue quantitatem exposcunt, vt queant ab intellectu discerni. Ob id enim, quæ parum sunt dissimilia, vel inæqualia, similia omnino, vel æqualia decepti iudicare solemus, &c. Ex quibus liquet, cur ex vi sensionis externæ,

ternæ, & apprehensionis internæ ei respondentis citra discursum aliqua prædicata obiecti sensati præ alijs identificatis cum illis possit iudicare intellectus noster.

110 Cur autem ex ijs, quæ iudicare valet, modò vnum, modò aliud præ alijs iudicet, dicendum superest. Dico id nasci, quia cùm intellectus ob suam limitatam virtutem non possit simul iudicare distinctè omnia prædicata obiecti sensati, quorum ex se suasiua est illius apprehensio oriunda ab externâ sensione: eo quòd ad iudicanda illa distinctè indiget totidem iudicijs distinctis, iuxta doctrinam tradendam *infrà Consect.* 2. consequens est, vt positâ dictâ apprehensione, adhuc indigeat alio determinatiuo, quo determinetur ad iudicandum hoc, vel illud prædicatum prę reliquis: huiusmodi autem determinatiuum sæpe erit actus voluntatis; sæpissimè verò alia circumstantia excitatiua intellectus, vel physicè per sui sympathiã, vel intentionaliter per sui conceptionem. Quemadmodũ enim innumera sunt excitamenta diuersa, quibus suscitantur species in memoriâ sopitę, ad concipiendũ modò hoc obiectũ, modò illud. Ita quando intellectus ex vi præsentiũ apprehensionum cõpos, & indifferens est ad iudicandum multa, & diuersa prædicata de obiectis apprehensis, credendum procul dubio est multa quoque posse ei occurrere excitamenta diuersa, quibus excitetur, vltimoque determinetur ad iudicandum hic & nunc de subiecto proposito modò hoc, modò illud prædicatum præ alijs. Vnde aggregatum ex intellectu, ex talibus terminorum apprehensionibus, ex talique determinatiuo ad iudicandum, erit in casu, quem versamus, aggregatum principiorum proximè notificantium ex se hoc prædicatum præ reliquis subiecti propositi; atque adeo efficientium, vt per iudicium, quod progignunt, præscindatur obiectiuè illud ab alijs in phantasmate substituto pro re iudicandâ, iuxta doctrinam paulò infrà tradendam.

111 Venio iam ad alia iudicia, quibus de obiectis insensatis iudicat intellectus. Quæ imprimis in duplici sunt differentiâ. Per alia enim iudicamus de obiecto, quid illud sit, quidve ei conueniat à parte rei prout existenti, seu prout in statu existentiali, vt cùm dicimus *homo existit*, *loquitur*, *currit*, &c. Per alia verò iudicamus de obiecto, quid illud sit, quidve ei conueniat secundum se, siue ex conceptu suo obiectiuo, siue prout consideratur in statu quidditatiuo præscindente ab existentiâ. Vt cum dicimus. *Homo est Rationalis*, *Admirationis*, *Risibilis*, *&c.* Ex quo duplici iudicandi modo potissima differentia desumitur scientiarum humanarum prout tetigimus præfatione ad lectorem, & fusius suo loco explicabimus. Tum ei respondet duplex illud genus notitiæ, quoad an est, & quoad quid est correspondens pari illi celebratissimo quæstionũ. *An sit? quid sit?* Omne quippe iudicium de obiecto prout existente notitia est eius propriè loquendo, quoad an est. Quemadmodum omne iudicium de obiecto præcisè prout in statu quidditatiuo notitia est eius, quoad quid est. Ob id enim talis status quidditatiuus appellatur. De quibus statibus rerum plura ex professo dicenda sunt *disp.* 10.

112 Modò tamen, quæ ex illis nascuntur discrimina, quod ad rem præsentem attinet, breuiter oportet notare. Primum est, quod de obiecto prout in statu quidditatiuo, seu obiectiuo dumtaxat iudicanda veniunt prædicata ei necessaria, quo fit, vt omnis propositio vera ad eiusmodi statum pertinens in materiâ necessariâ sit, & æternæ veritatis dicatur. De obiecto vero prout in statu existentiali accidentalia etiam prædicata iudicanda veniunt. Quin imò, si obiectum sit quid contingens in suâ existentiâ, omne prædicatum ipsi attributum in sensu existentiali absoluto, siue prout absolutè existens æquè est ei accidentale ac existentia ipsa. Tametsi aliàs eidem spectato secundum se, cùm præcisè ab absolutâ existentiâ sit essentiale, & necessarium. Secundum discrimen ex primo oriundum est, quod de obiecto, prout in statu obiectiuo, siue quidditatiuo, ea dumtaxat prædicata possumus iudicare, cum quibus nobis obiectum ipsum connexum necessariò apparet. Quæ quidem ex terminis citra discursum iudicabilia erunt, si connexio sit immediata; si verò sit remota discursu adhibito. De obiecto verò prout in statu reali absoluto, absque eiusmodi connexione possunt plurima iudicari, tum ex terminis, tum etiam interueniente discursu. Vnde tertium discrimen nascitur, quod de obiecto contingente insensato nihil omnino possumus iudicare, prout in statu existentiali absoluto ex solâ apprehensione terminorũ citra discursum; cum tamen de obiecto sensato multa prout in tali statu ex terminis iudicare possimus. Quoniam de obiectis, quæ non intrant per sensus, dumtaxat possumus iudicare ex terminis ipsis citra discursum ea, cum quibus illa suopte conceptu deprehenduntur necessariò connexa; constat autem obiecta contingentia cum suâ existentiâ absolutâ connexa necessariò non esse. At verò obiecta, quæ per sensus intrant citra omnem huiusce modi connexionem vi sensationis, quâ capiuntur, notescunt nobis absque discursu, quoad absolutam existentiam, vt experimur. Cum quo stat obiecta absolutè necessaria, qualis est Deus, cum omnibus suis intrinsecis perfectionibus, & negationes chymerarum ex terminis, quantum ex se est, esse iudicabilia quoad absolutam existentiam, vt pote suopte conceptu connexa cum illa, dummodò talis connexio immediata sit. Tametsi de facto nonnulla eorum nequeant à nobis sic iudicari; eo quòd talis connexio occulta nobis est. De quo alibi. Itaque de obiecto sensato tam prout in statu existentiali absoluto, quàm prout in statu quidditatiuo, tum ex terminis, tum per discursum multa possumus iudicare. De obiecto tamen insensato præsertim contingente, prout in statu existentiali absoluto, dumtaxat possumus iudicare medio discursu, quæ ei conueniunt; ex terminis verò non item: prout in statu verò quodditatiuo tum medio discursu, tum ex terminis. De quibus omnibus in sequentibus plura dicenda sunt.

Modò illis vtcumque suppositis. Dico ad rem 113
nostram, quoniam de obiecto insensato apprehenso aliqua sunt prædicata iudicabilia à nobis ex terminis, prout in statu quidditatiuo, siue obiectiuo, aliqua verò minimè etiam eorum, cum quibus tale obiectum immediatè connexum est: ex ijs autem, quæ sunt iudicabilia, modò vnum, modò aliud de facto iudicamus præ reliquis, vt experientia monstrat. proportionaliter ad iam dicta circa obiectum sensatum de his philosophandum esse: asserendo videlicet primum eorum inde nasci, quod alia dictorum prædicatorum, connexioque, quam cum illis habet obiectum apprehensum ob suam maiorem vniuersalitatem præ alijs sunt nobis notiora, atque ita præ illis se se nobis produnt ex terminis. Secundum verò inde, quod post terminos apprehensos adhuc eget intellectus aliquo alio determinatiuo, quo determinetur vltimò ad iudicandum de obiecto proposito hoc, vel illud prædicatum præ alijs.

Vnde

Vnde pariter est concludendum ex apprehensionibus terminorum, ex virtute, quam intellectus habet,& ex tali vltimo determinatiuo coalescere adæquatum principium notificatiuum ex se huius prædicati præ reliquis, atque adeò præcisiuum eius ex parte obiecti medio iudicio in phantasmate substituto, iuxta doctrinam post tradendam.

114 Iam verò siue obiecta sint sensata,siue insensata, siue prout in statu existentiali, siue prout in statu quidditatiuo cõsiderentur,quoties intellectus noster ex vno facto iudicio medio discursu pergit ad aliud, principium potissimũ notificatiuum obiecti secundi iudicij primum iudicium est,& eius obiectũ,vt constat:siquidem in omni discursu antecedens tum formale, tum obiectiuum potissima causa est iudicij consequentis, potissimumque subinde principium notificans consequens obiectiuum. Dico potissimum, quia posito iudicio de antecedente (vno,vel pluribus iuxta antecedẽtis naturam) ipse etiã intellectus cum suâ intellectiuâ virtute,sæpeque insuper determinatiua alia concurrunt ad iudicandum consequens, quoad illam scilicet formalitatem ipsius consequentis in phantasmate pro ipso substituto à reliquis obiectiuè præcisam, ad quam dumtaxat notificandam tendunt, quatenus est ex se omnia principia, quæ in eiusdem consequentis iudicium proximè influunt, iuxta inferius dicenda.

Per quæ omnia satis explicata modò manet, atque probata propositio secunda, quæ nihilominus amplius, & amplius explicabitur, ac confirmabitur ex sequentibus. Nunc diluamus oportet argumenta, quæ contra doctrinam stabilitam tum in primâ, tum in secundâ propositione possunt opponi.

Diluuntur argumenta contraria.

115 Primò enim contra statutam doctrinam sic potest argui. Si res insensata nullomodo in se ipsâ à nobis attingeretur cognitione,sed tantùm in phantasmate substituto, nullo modo à nobis cognoscetur, quia attingi rem in phantasmate, reuerâ non est attingi rem, sed tantum phantasma loco rei. Hoc autem ipsum est non rem ipsam, sed solum Phantasma cognosci. Retorqueo primum argumentum in eos, qui dicunt per nostram cognitionem attingi rem identificatam cum phantasmate, quia hoc non est attingi,atque adeo neque cognosci rem,sed chymæram Deinde retorqueo in omnes vno ore asserentes rem insensatam per speciem alienam cognosci aliter quàm est in se:nequit enim illa secundum suam substantiam præcisè (prout de illâ citra dubium duce experientiâ loquuntur omnes) cognosci aliter, quàm est in se, nisi aliud appareat cognoscenti, aliudque proinde sit obiectiuè in mente eius ab eo,quod est in sese. Hoc autem ipsum est attingi per cognitionem aliquid aliud loco rei, non verò ipsam rem. Si quid ergo per argumentum factum probatur, contra omnes probatur rem insensatam per speciem alienam nullatenus à nobis cognosci.

116 Quare respondeo ad illud pro omnibus, & si res insensata non in se ipsâ, sed in phantasmate substituto per nostram cognitionem tangatur, simpliciter nihilominus, & absolutè, cum omnique proprietate dici eam cognosci à nobis, & reuerâ cognosci, eo modo, quem cognoscendi habemus per species alienas. Quinimo res ipsa est, non phantasma, quod per talem cognitionem loquendo absolutè, cognoscitur; eo quod tali cognitione phantasma non pro se, sed pro ipsâ re repræsentatur, & substituitur intellectui. Quemadmodum enim in alijs materijs, ita in præsenti, quod exercetur per substitutum non ipsi substituto, sed principali, cuius illud vicem gerit, venit attribuendum. Etenim intellectus noster eam rem solum dicitur intelligere, veréque intelligit,ad quam intelligendam inducitur per principia illam sibi notificantia, quidquid sit quod pro illa intelligenda subrogat sibi loco eius, necessitatus ad talem subrogationem faciendam penuria propriarum specierum. Ad quem fermè modum (tametsi exemplum in omni non teneat) cum alijs per simile aliquod propositum rem aliquam notificare conamur,non tam ipsum simile, quàm rem ipsam dicimur illis notificare, & ipsi dicuntur intelligere absolutè, & simpliciter. Ex quo patet quomodo nihil omnino iudicantes de phantasmatibus,in quibus,tanquam in substitutis res insensatæ apparent nobis,de rebus ipsis iudicare possimus quidquid eis conuenit. Id, quod experientia ipsa satis ostendit, quando de Româ, de Turcâ, de Rege Anglorum, de alijsque huiusmodi obiectis à nobis insensatis, ea, quæ illis verè conueniunt iudicamus, nihil omnino iudicantes de conceptibus obiectiuis, quos per phantasmata substituta de eis formamus, quique planè alieni ab eisdem, siue distincti sunt.

Secundò contra doctrinam istam potest opponi. 117
Si in phantasmatibus dumtaxat,non verò in se ipsis intelligerentur à nobis res insensatæ,sequeretur primò, quamlibet intellectionem nostram naturâ suâ, non potius huius, quàm alterius rei insensatæ intellectionem esse: siquidem phantasma, cuius illa est naturalis repræsentatio, indifferens est, vt pro hâc, vel pro alterâ subrogetur; spectatumque secundum suam naturam,non magis huius,quàm alterius est substitutum. Vndè sequeretur secundò, per nullam nos intellectionem intelligere aliquam rem insensatam determinatè,atque adeo quoduis iudicium nostrum indifferens esse, vt huius,vel alterius obiecti iudicium sit. Quo rursus fieret, vt nihil fixè, determinatéque sciremus; subindeque,vt absolutè nihil sciremus. Tertiò sequeretur intellectionem nostram per meram denominationem extrinsecam; non verò suâ naturâ esse intellectionem rei insensatæ, nosque proinde per extrinsecas tantùm denominationes redderemur intelligentes. Quæ omnia absurda videntur aliena ab omnium mente. Respondeo, etsi intellectus noster intelligat per phantasmata substituta, intellectiones nihilominus eius inquantum huiusmodi intrinsecè, suâque naturâ, & essentia euadere intellectiones suorum obiectorum. Quo cessat totum argumentum.

Quod, vt perspicuum fiat,suppono primò,quam- 118
libet intellectionem nostram naturâ suâ respectuque intrinseco respicere principia,quæ ad illam eliciendam determinant,siue intellectum prout talibus principijs determinatum. Ob id enim dicam *infe-rius q.5.* iudicium consequentis respectu intrinseco respicere antecedens, per quod causatur. Sicut iudicium hypotheticum intrinsecè respicit hypothesim,sine quâ nequit esse. Cuius ratio vniuersalis est, quia intellectio nostra ex suo intrinseco conceptu est intellectus actus; quo titulo nequit non respicere intrinsecè ipsum intellectum, vt constat. Quoniam verò saltem de facto non intellectus nudè sumpti actus est, sed intellectus, prout determinati hic, & nunc ad intelligendum per illam, consequens est, vt etiam respiciat intrinsecè principia cætera, quæ proximè ad eam eliciendam intellectum ipsum determinant. Et quoniam quoduis aggregatum

gregatum principiorum ad quamuis intellectionem producendam determinantium alicuius obiecti præ alijs est ex se notificatiuum, iuxta superiùs dicta circa secundam propositionem, consequens etiam est, vt intellectio quæuis eius obiecti, quantumuis insensati sit intellectio suapte natura, & intrinsecè, cuius principia, à quibus illa nascitur, ex se sunt notificatiua.

119 Suppono secundò ad tria capita, quod ad rem attinet, reduci posse omnes conceptus simplices obiectiuos, quos medio phantasmate substituto de rebus intelligendis formamus. Alius enim est conceptus simpliciter vniuersalis; alius simpliciter singularis; alius vagus, seu disiunctiuus, qui veluti mixtus ex vtroque vocari potest. Conceptus simpliciter vniuersalis est, qui plures res sub se quodammodo comprehendit determinatè, illisque omnibus, & singulis distributiuè sumptis conuenit aut essentialiter, si sit eis essentialis, vt sunt *homo*, *animal*, *viuens* respectu singulorum hominum, animalium, & viuentium, aut accidentaliter, si accidentalis, vt *album*, *legens*, *currens*, respectu singulorum subiectorum alborum, legentium, & currentium. Conceptus simpliciter singularis est, qui vni dumtaxat rei singulari, atque determinatæ conuenit, idque aut essentialiter, aut accidentaliter, vt sunt, qui significantur his vocibus, *hic homo*, *hoc animal*, *hoc album*, *hoc legens*, alijsque huiusmodi. Conceptus denique vagus, seu disiunctiuus est, qui cùm sit ex suo genere vniuersalis, ita vni dumtaxat ex inferioribus, quos sub se continet, applicatur, indeterminatè, seu vagè, vt per omnia illa quodammodo vagari dicatur. Vt cum dicimus: *aliquis* homo, *quoddam animal*, *aliquod album*, *quoddam legens*, &c. Quorum conceptuum diuersitas ex diuersitate principiorum enascitur, quibus ad res intelligendas, seu concipiendas determinantur intellectus.

120 Igitur quando talia principia iuxta doctrinam suprà traditam, & infrà consect. 4. tradendam ex se sunt notificatiua alicuius rationis, formalitatisve, prout conuenientis omnibus, & singulis rebus, in quibus illa aut verè inest, aut etiam excogitabilis est; talibusque principijs determinatur intellectus ad subrogandum pro dictis rebus vnicum phantasma sensibile referens sibi talem rationem cunctis communem, tunc conceptus obiectiuus vniuersalis efformatur, cuius intellectio vtpote intrinsecè respiciens talia principia, ita illius rationis cunctis prædictis rebus communis intrinsecè, & naturâ suâ euadit intellectio in phantasmate substituto, vt nullius alterius obiecti potuerit, aut vnquam possit esse intellectio; quanquam enim dictam rationem, dictasve res, quantum ad illam non in se ipsis, sed in phantasmate repræsentet, phantasmaque ipsum sit ex se indifferens, vt pro quolibet alio obiecto intelligendo subrogetur. At eo ipso, quod ex principijs illa nascitur, illius dumtaxat rationis, seu rerum illarum, quoad solam ipsam notificatiuis ex se, non potest non talis euadere, vt suapte essentiâ, & naturâ dictæ solius rationis communis in tali phantasmate, non verò alterius obiecti sit intellectio.

121 Similiter, quando principia determinatiua intellectus ex se sunt notificatiua alicuius rationis, formalitatisve obiectiuæ, prout conuenientis vni dumtaxat rei singulari determinatæ, talibusque principijs determinatur intellectus ad subrogandum pro tali re phantasma sensibile referens sibi talem rationem determinatam, & singularem, tunc conceptus obiectiuus singularis formatur. Cuius intellectio vt pote intrinsecè respiciens talia principia intrinsecè euadit intellectio talis rei, siue rationis singularis, tametsi eam non in ipsâ, sed in phantasmate substituto alias indifferente attingat.

Denique, quando principia determinatiua intellectus ex se sunt notificatiua alicuius rei ex pluribus vagè sumptæ, alicuiusve rationis, formalitatisue obiectiuæ prout conuenientis vagè, seu indeterminatè alicui rei ex aliqua multitudine, hoc est, huic, vel alij, vel alij, vel alij, totius multitudinis sub distinctione: eo quod talia principia, in quantum notificatiua talis rei, aut rationis dumtaxat exigunt hanc rem, vel aliam, vel aliam sub disiunctione: aut, quod talis ratio insit in vnâ, vel aliâ, vel aliâ re totius multitudinis, nullum eiusmodi extremorum exigendo determinatè. Per eiusmodique principia determinatur intellectus ad subrogandum pro re illâ vagâ determinatum phantasma, id est, ad concipiendum in phantasmate determinato vagè, seu disiunctiuè rem, aut rationem illam, quo pacto ea per dicta principia notificatur. Tum quidem conceptus obiectiuus, vagus, seu disiunctiuus formatur. Cuius intellectio vtpote intrinsecè respiciens talia principia intrinsecè euadit intellectio talis rei indeterminatæ, talisue rationis, prout vagè, seu disiunctiuè repertæ in aliquâ re talis multitudinis; etsi illam in phantasmate substituto tangat; non in ipsâ immediatè: quo pacto illam vagè, seu disiunctiuè neutiquam posset attingere, vt latè ostendam *disput.* 10. *suprâque* tetigi *n.* 93. vbi multa ad rem scripta reperies, quibus illustrior tibi erit tota doctrina in præsenti tacta de cognitione obiecti vagi, seu disiunctiui? 122

Quod autem diximus de intellectione conceptus simplicis, vniuersalis, singularis, & vagi, pariter venit intelligendum proportione seruatâ de intellectione conceptus complexi, vniuersalis, singularis, & vagi, siue disiunctiui coalescentisve ex pluribus, aut vniuersalibus, aut singularibus, aut vagis, siue disiunctiuis distinctè conceptis. Et consequenter de omni intellectione humanâ sub his capitibus contenta. 123

Per hæc, quæ *ex infrà consect.* 4. dicendis amplius constabunt, probatum manet quasi à priori, quomodo intellectiones humanæ, vt tales intrinsecè, suâque naturâ, & essentiâ euadant intellectiones suorum obiectorum. Modò veluti à posteriori, siue ab absurdo id ipsum probatur: quia nihil est excogitabile extrinsecum, per quod intellectio humana in esse talis compleri possit. Ergo adæquatè intrinsecè est talis. Probo antecedens; quia si quid esset, maximè obiectum per illam cognitum in phantasmate substituto. Sed hoc nequit esse, quia sequeretur nullam humanam intellectionem posse esse falsam, siquidem deficiente tali obiecto re ipsâ ipsa quoque intellectio per illud in esse cognitionis, seu repræsentationis eius constituēda deficeret, nihilque subinde, deficiente obiecto, ipsum repræsentans maneret prout requiritur ad falsitatem. Dici enim nequit repræsentationem obiecti constitui in esse talis per ipsum obiectum, quando adest, per eius autem carentiam, quando deest: tum quia eadem denominatio è contradictorijs fundamentis nasci nequit, vt satis ex se est notum: tum quia ex se etiam videtur impossibile, quod repræsentatio obiecti constituatur in esse talis per carentiam ipsius obiecti: tum quia iam non esset contingens, prout argumentum oppositum prætendebat, sed necessarium intellectioni semel elicitæ hoc, quod est esse intellectionem talis obiecti: si quidem necessarium est existere vel non existere obiectum eius; semel autem statutum, 124

intellectio talis obiecti (quod ad institutũ nostrũ,ad solutionéque argumenti satesset)perperã,& absque fúdaméto diceretur id illã non habere ab intrinseco.

125 Venio iam ad argumentum tertiũ, quod contra doctrinam nostram in superioribus statutam, potest in hunc modum opponi. Negari nullom odo potest bonitatem diuinã, atque adeò ipsam sub stantiã Dei per se immediatè attingi à voluntate nostrâ pro statu præsenti, per actum supernaturalem charitatis,cùm certum sit nos per talem actum amare Deum ipsum in se, non verò aliud loco Dei. Id autẽ fieri non posset, si Deus ab intellectu nostro non in se ipso,sed in phantasmate substituto cognosceretur: quandoquidem voluntas id dumtaxat potest amare, quod ei proponitur per intellectum; eaque ratione, & non aliâ ab ea, quâ propositum est. Igitur Deus in se immediatè, non verò solum in phantasmate substituto cognoscitur ab intellectu nostro pro statu præsenti. Tantumdemque subinde est dicendum de alijs obiectis insensatis. Et cõfirmari potest primò,quia actus charitatis, quo Deũ diligimus, intrinsecè,& quoad substantiam est supernaturalis, vt exploratum est,in Theologiâ videlicet potissimùm,quod intrinsecè,& essentialiter respicit bonitatẽ Dei supernaturalem. Igitur talis bonitas per talẽ actum non in alieno substituto;sed in se ipsâ tangitur: aliàs per illum non intrinsecè,sed ex extrinseco quodã modo respiceretur: & consequenter ea non in alieno substituto, sed in se ipsâ cognoscitur,proponitúrque voluntati amanda. Secundò, quia, si Deus non in se ipso, sed in phantasmate substituto voluntati per intellectionẽ propositus pariter nõ in se ipso; sed in tali substituto phantasmate per actum charitatis attingeretur,non quidẽ Deus re verâ, sed potius phantasma loco Dei amaretur per talẽ actum. Quod sine ingẽti absurdo dici non potest. Tertiò potest confirmari:quia actus fidei diuinæ idcirco est supernaturalis quoad substantiam, intrinsecéque,& essentialiter infallibilis, quia intrinsecè, atque adeo immediatè nititur testimonio diuino, intrinsecéque etiã subinde cũ obiecto reuelato connexus est.Hæc autẽ constare non potest, si tam testimonium Dei per iudicium præuium ad actum fidei,quàm obiectum reuelatum per actum ipsum non in se ipsis; sed in substitutis alienis attingerentur. Ergo.

126 Hoc argumentũ in primis vrgentiùs premit Recentiores suprà citatos, qui censent obiectũ intellectionis nostræ abstractiuæ figmentum quoddam esse impossibile ex re insensatâ,& ex phantasmate sensibili (ad cuius instar ea concipitur)inter se identificatis coalescens.Hâc enim doctrinâ suppositâ,voluntas nostra nõ Deum verum, sed chymeram quamdã ex Deo,& phãtasmate sensibili per idẽtitatẽ cõpactã, dicẽda erit per actũ charitatis amare,secundum argumẽtũ factũ.Quod tamẽ multò absurdius videtur.

127 Respondeo ergo primò; me nullum cernere inconueniens in eo,quod dicatur Deus à nobis pro hoc statu eodem pacto amari,ac cognoscitur; atque ita non in se ipso;sed in phantasmate substituto tangi per actũ charitatis. Quandoquidem cũ hoc bene fiat Deum per talẽ actũ proprissimè à nobis amari, vti per actũ intellectus eodẽ modo tangentẽ ipsũ proprijssime à nobis intelligitur:imo Deũ solùm amari per talẽ actũ,phantasma verò substitutũ nequaquã: quẽadmodũ, nullatenus iudicato substituto phãtasmate, in ipso iudicatur à nobis Deus, & quoduis aliud insẽsatũ obiectũ,prout superiùs statutũ est.Stat etiã prædictũ actũ charitatis (quemadmodũ de actu intellectus circa præcedẽs argumentũ philosophati sumus)intrinsecè, & essẽtialiter esse actum amoris Dei,eũque supernaturalẽ,quoad substantiã:quia intrinsecè,& essẽtialiter respicit principia supernaturalia,à quibus enascitur,quæque suapte naturâ sunt determinatiua volũtatis ad actũ,qui intrinsecè sit supernaturalis, & amor solius Dei. Tametsi Deus per illũ nõ in se immediatè,sed in phãtasmate substituto tãgatur;eo quod tãgitur prout per intellectũ volũtati propositus est:est autẽ propositus pro hoc statu nõ sicuti,sed multò aliter,quã re vera est in se.Nec aliquid amplius præter hæc desiderari potest ad verũ, perfectũq; actũ amoris Dei, siue charitatis Theologicæ propriæ viatorum.Quin imò Theologi, qui probabilissimè censent actus charitatis Theologicæ diuersos specie esse in viâ, ac in patria; eo quod à viatoribus cognoscitur Deus obscure,& aliter,quã est in se,à Beatis verò clarè,& sicuti est in se, non possũt nõ pro modo isto dicẽdi stare(vti haud dubiè stat noster Lugo *disp.20.de Inc.sect.1.n.19.& seqq.*) siquidẽ parũ interẽit ea cognitionũ diuersitas, nisi etiam per actus ipsos charitatis tangeretur Deus à viatoribus quidem aliter, quam est in se,hoc est,in substituto alieno; à Beatis verò, vt est in se. Porrò actũ charitatis viatoris diuersæ rationis esse ab actu charitatis Beati;quòd primus sequitur fidẽ,secũdus visionẽ,sententia est S.Th. *2.2.q.24.art.7.ad.3.* & Dionys.Carth. *in 1.dist.17.q.8.* Nec non Almain. Capreol.Caiet.Ferrar.& Pesant. quos refert,& sequitur noster Coninc. *2.2.disp.23.dub.3.*tenentque Lugo *suprà*,& alij. Iam verò de ipso actu fidei diuinæ pariter consentaneè ad prædicta venit dicendum posse eum optimè ex determinatione principiorum,à quibus nascitur, euadere supernaturalem intrinsecè,connexũque per suam essentiam,tam cũ obiecto reuelato,quã cũ diuinâ reuelatione.Tametsi neque obiectum reuelatum, neque reuelatio per ipsum tangantur in se se;sed in phantasmatibus substitutis. Quo cessant omnia incommoda, quæ prætendebat argumentum cum suis confirmationibus.

Ad quod nihilominus respõdeo aliter pro iis,qui solutioni isti nõ acquieuerint,vltrò, & de plano cõcedendo per actum charitatis Theologicæ, immediatè,& in se se tangi bonitatem diuinam, aut etiã totam substantiam Dei (quo penitus argumentum ipsum cũ suis confirmationibus eneruatur.)Tametsi bonitas diuina, & substantia Dei non in se ipsa, sed in phãtasmate substituto per intellectionẽ præuiam, prærequisitamque tangatur:quia adhuc vt homo per actus voluntatis attingat obiecta amanda immediate in se ipsis, amplius necessarium non est, quam quòd per actus intellectus talia obiecta verè, & propriè cognoscat siue mediatè, siue immediatè. Constat autem ex doctrinâ traditâ in totâ præsente quæstione intellectum humanum verissime, propriissimèque cognoscere,quæcumque medio phantasmate sensibili,tanquam substituto cognoscit. Etenim quemadmodum etsi intellectus noster facto discursu per suos actus ex vno obiecto tanquã medio intellecto pergat ad intelligendum aliud, quod proponit amandum,non est necesse, quod voluntas facto pariter per suos actus discursu ex primo obiecto tanquam medio amato pergat ad amandum secundum; sed immediatè non tacto primo, potest circa secundum versari, circa quod tamen intellectus nisi medio discursu ex primo versari nequit, vt apud omnes est certissimum. Ita similiter etsi intellectus nequeat pro hoc statu quodpiam insensatum intelligere, atque voluntati amandum proponere, nisi in phantasmate sensibili,tanquam in substituto, volũtas ipsa nihilominus circa illud semel sic intellectum, & sibi propositum immediatè, non tacto phantasmate,poterit abs dubio versari.Quo posito, pariter dicendum erit per actum etiam fidei diuinæ attingi immediatè testimoniũ Dei, cui tanquã proprio,& supernaturali motiuo nititur,tametsi hoc per cognitionem præuiã,nõ in se ipso,sed in substituto phantasmate proponatur. Quo plenè satisfactũ est

128

argumento propoſito, atque eius confirmationibus.

129 Cæteris autem, quæ forſan poterunt opponi ex doctrinâ traditâ, tradendâque in totâ hâc quæſtione, facilè quiſque ſatisfaciet. Reſtat modò, vt ex traditâ hactenus conſectaria quædam ſcitu digna colligamus. Quibus, & doctrina ipſa, & tota reſolutio noſtra magis, ac magis confirmata manebit.

Conſectaria præcedentis doctrinæ.

Conſectarium 1.

130 Quicquid ab intellectu humano pro præſenti ſtatu concipitur, id ſub aliquâ quantitate, figurâ, ſitu, vbicatione, vnitate, vel multitudine, motu, vel quiete, aut alijs etiam, ſi quæ ſunt inſuper, communibus ſenſibilibus concipiatur, neceſſe eſt.

Doctrina eſt expreſsè ſuppoſita ab Ariſt. *lib. de mem. & remin. cap.* 1. poſt medium. Eaque ſatis, ſuperque animaduertentibus nota per experientiam ipſam. Quis enim perſpicuè non cernit, ſi attendat, quidquid à ſe intelligitur, id ſub vno, aut pluribus ſpectris ſenſibilibus ſibi apparere, tantæ, vel tantæ magnitûdinis, cum tali, vel tali figurâ, ſitu, vbicatione, diſtantia, motu, vel quiete, &c. Certè nullus. Ratio autem à priori tradita à S. Th. *ad eum locum Ariſt. lec.* 2. ex dictis depromenda venit. Quia nimirum quicquid ab intellectu humano pro præſenti ſtatu intelligitur, aut eſt obiectum per ſe ſenſibile, aut in phantaſmate ſenſibili concipiatur neceſſe eſt, eo quòd per ſpecies dumtaxat obiectorum ſenſibilium, quæ per ſenſus intrant, eſt neceſſariò concipiendum. Nec fieri poteſt, vt ſenſibilia propria, quæ tales procreant ſpecies, ſine prædictis communibus concipiantur, prout ex doctrina latè tradita *diſp.* 1. *tota quæſt.* 2. liquidum eſt, vbi de naturâ ſenſibilium propriorum, & communium, eorumque tum ſenſituâ, tum intellectuali notitia abunde ſatis actum eſt.

Conſectarium 2.

131 Intellectus noſter pro hoc ſtatu non poteſt plura vt plura concipere vnicâ intellectione: Nam quidquid pervnam intellectionem concipit, vnum appareat illi neceſſe eſt.

Sententia eſt expreſſa Sancti Thomæ & omnium Thomiſtarum ipſum ſequentium 1. *p. q.* 12. *art.* 10. *& q.* 58. *art.* 2. *& q.* 85. *art.* 4. contra Pp. Conimb. *lib.* 3. *de Anim. cap.* 8. *q.* 6. *art.* 2. Petr. Hurt. *diſp.* 5. *de Anim. ſec.* 7. Arriag. *diſput.* 8. *ſec.* 10. Quied. *contr.* 5. *pun.* 3. §. 1. Franc. Alf. *diſp.* 12. *ſec.* 7. & alios Recentiores tenentes oppoſitam. In eademque videtur eſſe Ariſt. *lib.* 3. *de Anim. capite* 6. *text.* 21. dum indiuiſibilia appellat obiecta ſimplicium apprehenſionum noſtrarum, quæ præcedunt iudicium, ſentiens haud dubiè vniuſcuiuſque earum obiectum, prout menti per ipſam apparet, multiplex, ſiue diuiſum in multa eſſe non poſſe, ſed vnum, & indiuiſum eſſe debere. Id quod etiam experientia videtur comprobari; quandoquidem quæcumque nobis plura obiectiuè apparent, eodem modo apparent, eodémque ſubinde modo à nobis videntur intelligi, cùm intelligimus ea ſimul, atque cùm ſucceſſiuè. Et certum eſt, cùm ſucceſſiuè intelligimus, nos illa non per vnum, ſed per plures intellectionis actus cõcipere. Quod pluribus etiam vocibus ſignificentur, vt ſemper ſignificantur à nobis omnia, quæ diſtinctè, & vt plura nobis repræſentantur, argumento eſt, nunquam illa vnica ſed pluribus ſemper repræſentari intellectionibus. Quippè diſtinctæ voces haud dubiè diſtinctis conceptibus correſpondent, non ſolùm obiectiuis, quos ſignificant, ſed etiam formalibus, piro quibus ſubrogantur. Alioquin ſi plures conceptus obiectiui indifferenter à nobis vel per plures, vel per vnam intellectionem conciperentur, indifferenter pariter vel per plures vel per vnam vocem ſignificandi venirent, fieretque vt vnâ tantum voce auditâ, plura ſæpe ſignificata conciperemus. Quod non ita euenit, cum ſit manifeſtum, quâlibet ſolùm vnicâ auditâ voce, vnicum ſolum conceptum obiectiuũ per ipſam ſignificatũ nos apprehendere.

Cæterum vt hoc doctrinæ in ſuperioribus tradi- 132
tæ conſectarium efficacius ex doctrinâ ipſâ oſtendamus, ſupponendum eſt omnem humanam intellectionem in eâ parte cerebri elaborari, vbi ſenſus internus reſidet, ipſiúſque pariter ſenſatio interna elaboratur. Eſt certum: quia, quâ certitudine experimur in nobis cognitionem rei inſenſibilis sõlo intellectu cognoſcibilis, quæ eo ipſo intellectio eſt, eâdem experimur illam non in pede, vel manu, vel alio corporis membro; ſed in eâ cerebri parte peragi, vbi peragitur ſenſatio interna, ſiue actus phantaſiæ, qui & ipſam comitatur intellectionem, & ad phantaſma ſenſibile terminatur, ad cuius inſtar intelligitur res inſenſibilis. Id quod etiam ratione quaſi à priori firmari poteſt. Nam cùm intellectus noſter pro hoc ſtatu nihil ſine ope phantaſiæ poſſit concipere, vti *diſp.* 1. *quæſt.* 3. ſtatuimus, conſentaneum certè videtur, vt in eâdem corporis parte vtriuſque functiones fiant. Sic enim intellectus per phantaſiam faciliùs, commodiùs, connaturaliúſque iuuabitur. Phantaſiam autem in cerebro locum habere *diſput.* 1. *quæſt.* 2 *hypoth.* 25. monſtratum eſt. Accedit quod, vt *in eadem q.* oſtendimus *n.* 201. actus phantaſiæ effectiuè concurrit ad producendam ſpeciem intelligibilem, à qua omnis intellectio ducit originem: ibi ergo talis ſpecies, vbi talis actus reſidet, producetur; & conſequenter ibidem ob eamdem rationem virtute ipſius ſpeciei intellectio fiet tum primaria, tum etiam reliquæ, quæ ex primaria procedunt. Dici enim non poteſt actum Phantaſiæ alibi, quàm, vbi ipſe reſidet, cauſare dictam ſpeciem, illam ſcilicet diffundendo per medium (agentia quippe non poſſunt agere in diſtans, quin agant in propinquũ) quoniam inde ſequeretur intellectionem per ipſum itidem mediũ virtute talis ſpeciei extenſam produci: cúmque nulla ſit maior ratio, cur ſpecies hac potius via, quàm illa, ad húncque locum, potiùs quàm ad illũ fundatur; fieret vt intellectio in toto omnino corpore, in omnibúſque partibus eius celebraretur. Quod eſt abſurdũ contra euidentem experientiam.

Stat igitur omnem intellectionem intra ſpatium 133
organo ſenſus interni correſpondens locum habere; ibidémque proinde eſſe omnes ſpecies intelligibiles tam primarias, quæ cauſantur immediatè per actus phantaſiæ, quàm memoratiuas, quæ ex intellectionibus proueniunt, & in memoriâ reſeruantur, quia de omnibus eadem ratio eſt. Quanquam enim huiuſmodi intellectiones, & ſpecies vtpote ſpirituales in ſolâ animâ ſpirituali, indiuiſibilíque recipiantur, quę tota in toto corpore, & tota in ſingulis eius partibus ineſt, totíque ſubinde ſpatio corporis, omnibúſque partibus eius indiuiſibiliter præſens eſt: illæ tamen in aliquâ tantùm parte corporis, in aliquâque ſubinde parte talis ſpatij, atque etiam diuiſibiliter poſſunt eſſe præſentes. Quemadmodũ licet diuina ſubſtantia indiuiſibiliter ſit per ſuam immenſitatem vbique, humanitas nihilominus Chriſti Domini illi intimè vnita in loco determinato, atque diuiſibiliter eſt.

Ita tamen omnes intellectiones noſtræ, omneſ- 134
que ſpecies intelligibiles intra ſpatium organo

ſenſus

sensus interni correspondens clauduntur; vt non quæuis earum totum id repleat; sed summum aliquæ, cæterarum verò vnaquæque certè cuidam ipsius portioni correspondeat pro ratione phantasmatis, quod per quamlibet immediatè in se ipso tangitur secundum doctrinam statutã *in præsenti q.* Etenim quælibet intellectio eidem spatio sensiterij interioris debet correspondere iuxta doctrinam nuper traditam, cui correspondet sensatio interna eius obiecti, siue phantasmatis sensibilis, ad quod immediatè ipsa intellectio terminatur ob proportionem, quoad locum, quam nostræ intellectiones pro statu præsenti cum sensationibis internis ipsis correspondentibus seruant. Constat autem ex doctrinã superius datã *disp.* 1. *q.* 2. *hypot.* 30. non quamlibet sensationem internam cuiusuis obiecti, siue phantasmatis sensibilis occupare totum spatium sensiterij interioris, sed vnicuique iuxta suam quantitatem extensiuam certam talis spatij quantitatem correspondere; quin imo penes huiuscemodi sensiterij, spatijve eius quantitates, quibus quantitates extensæ, siue extensiones sensionum proportione respondent, determinari sensibilia communia, sub quibus earumdem sensionum obiecta phãtasmatave repræsentantur sensui interno, prout latè *ibidem* explicatum, atque probatum est. Vnde consequenter efficitur penes easdem sensiterij, spatijue eius quantitates tum extensionem veluti subiectiuam, tum multitudinem nostrarum intellectionum determinari, quæ semper circa ipsa eadem phantasmata, circa quæ sensiones internæ immediatè versantur; quia per illas ab intellectu nostro, vel ipsa phantasmata, siue sensata obiecta ratione sui intelliguntur, vel in eisdem immediatè conceptis, vt in quibusdam substitutis intelliguntur cætera obiecta insensata.

135 Quæ cum ita sint, iam liquido apparet veritas consectarij propositi. Si enim obiecta sensata neutiquam possunt sensui nostro interno (quemadmodum neque externo) plura apparere; nisi in distinctis locis, siue sub distinctis præsentijs, atque adeo per sensiones distinctas distinctis sẽsiterij partibus respondentes appareant; vt experientia demonstrat, & ex doctrinã latè traditã *disp.* 1. *tota q.* 2. compertum est, conficitur planè iuxta dicta neque intellectui nostro pro statu præsenti posse quæcumque obiecta plura apparere nisi in distinctis locis, per distinctasque intellectiones distinctis internis sensionibus, distinctisque partibus sensiterij interni correspondentes appareãt, quandoquidem quæcumque pro statu præsenti intellectui nostro repræsentantur, & apparent, aut sunt ipsa internarum sensionum obiecta sensata, aut in ipsis eisdem tanquam in substitutis repræsentantur, & apparent. Quo rursus fit, vt quicquid per vnicam tantùm intellectionem tangitur, id nequeat non nostro intellectui vt vnum quid repræsentari, & apparere. Cæterum, quia quicquid ab intellectu nostro siue vt vnum, siue vt plura concipitur, sub quantitate aliqua molis, siue extensione concipiatur necesse est, iuxta doctrinam statutam *in consect.* 1. consequitur omnem nostram intellectionem aliquam quoque extensionem veluti subiectiuam necessariò subire, tantam videlicet, & talem, quantam, & qualem habent tum sensio interior terminata ad idem intellectionis phantasma, tum pars sensiterij interioris, cui talis sensio correspondet. Vnde quæuis nostra intellectio tot partes veluti subiectiuæ extensionis habeat necesse est, quot sunt partes, tum phantasmatis sensibilis, ad quod immediatè terminatur, tum etiam sensionis internæ ac sensiterij corporei, cui correspondet. Quanquam enim subiectum immediatum intellectionis, nimirum anima rationalis, sit indiuisibile omnino, hoc ipso, quod illud organo corporeo, & extenso vnitum est, ita potest in se indiuisim plures intellectionis partes recipere, vt hæ diuisiue respondeãt distinctis partibus talis organi, siue id habeant à diuisibili vnione, quâ talibus organi partibus vnitæ sint mediatè, vel immediatè; siue à diuisibili præsentiâ, quâ earumdẽ partium spatio præsentes fiant.

Oportet tamen hoc adnotare, quotiescunque 136
obiectum sensibile, vnum cum sit re ipsa; multiplicatum apparere videtur sensui externo, vel internò; eo quod in diuersis locis repræsentatur. Tum quidem re vera non plura obiecta apparere, sed vnum in pluribus locis. Quoniam in huiusmodi euentibus, quod obiectiuè, fictitiéque multiplicatur, non est obiectum, sed eius ptæsent a. Repugnat enim, vt aliquid per propriam speciem in se ipso repræsentetur, vti sensibus sensibilia repræsentantur, & aliud sit in repræsentatione obiectiue ab eo, quod re ipsa est: esset autem aliud, si in repræsentatione esset multa; cum sit re ipsa vnum in se. De quo plura dicenda *infra disp.* 13. *q.* 9. Itaque fallacia sensuum in prædictis casibus in eo stat, quod sub pluribus præsentijs fictitijs, quas re ipsa obiectum non habet, illud concipiunt iuxta doctrinam *supra* traditam *disp.* 1. *q.* 2. *hypot.* 21. Cæterum quanquam hoc ita sit, phantasmata ab intellectu subrogata ministerio phantasiæ pro insensatis rebus intelligendis, semper censenda sunt distincta obiectiue; esto fortasse aliquando non quoad entitatem, sed quoad præsentias dumtaxat, aut alia sensibilia communia distincta sint; quod rarò eueniet: quia intellectus non illa vtcunque, sed vt affecta tali præsentiâ, situ, figurâ, aut extensione, quo pacto verè sunt distincta, subrogat pro insensatis rebus.

Consectarium 3.

Relatio in quantum huiusmodi, & terminus 137
eius non per eandem, sed per distinctas cognitiones tãguntur ab intellectu nostro pro præexistatu.

Vt luculentiùs id ostendam, suppono tanquam apud omnes certissimum, relationem vt talem nullatenus, non cognito termino, cognosci posse. Nam cum ex proprio conceptu ad aliud sit, repugnat eam expresse concipi vt relatio est, & non concipi ad aliud: fieri autem non potest, vt cognoscatur expresse ad aliud, quin concipiatur aliud, vt patet. Quis enim non videat esse impossibile, vt cognoscatur cognitio, vel amor, vel productio terminata immediatè ad Petrum, nullatenus cognito Petro? Est tamen controuersum inter Auctores, an sit necesse, vt per eandem cognitionem, quâ relatio cognoscitur, tangatur etiam indirectè terminus eius? Affirmant communiter Recentiores, vt Petr. Hurt. *disp.* 7. *de Anim. sec.* 2. Arriag. *disp.* 6. *sec.* 4. & alij. Idem supponit Ruiz *disp.* 13. *de scient. sec.* 1. *n.* 9. & 10. Estque sententia Soar. *lib.* 2. *de Angel. cap.* 19. & Arrub. 166. *cap.* 2. Alij tamen ex aduerso opinantur, bene posse relationem cognosci non cognito termino eius per eamdem cognitionem, dummodo cognoscatur per aliam, cum quâ prior connexa sit. Ita Molina 1. *p. q.* 56. *art.* 3. §. *sententiam hanc, & q.* 58. *art.* 3. censens Angelum non per eamdẽ cognitionẽ, quâ se ipsum cognoscit vt relatũ ad Deũ attingere ipsũ Deũ, sed per distinctam. Cui consentit Tur. *de Ang. q.* 56. *art.* 3.

disp. 44. dub. 2. §. Secundo mihi. Eiusdem sententiæ est Alarc. *tract. 2. disp. 2. cap. 2.* eamque probabilem reputat Soar. *tom. 1. in 3. p. disp. 28. sec. 2. §. sed obijci potest.* Imo *disp. 27. sec. 5. § secundus modus* eandem sententiam supponere videtur dum ait, relationem non esse medium cognoscendi terminum, sed potius supponere cognitionem eius, vt ipse cognoscatur.

138 Igitur consectarium nostrum in ista secunda sententia, quam veram arbitramur, procedit. Probatur autem primò, & potissimùm: quia plura vt plura non possunt nobis pro statu præsenti per eamdem cognitionem repræsentari, vt *præcedente consectario* statuimus: compertum est autem relationem quatenus talem, & terminum eius vt plura repræsentari, siue cognosci, cùm sit de conceptu relationis ad aliud à se distinctum se habere, vt notum est. Secundò probatur: quia voces distinctæ sicut distinctis conceptibus obiectiuis, ita & distinctis cognitionibus correspondere solent. Relatio autem, & terminus distinctis semper vocibus significantur. Tertiò quia res distinctæ non adunantur à nobis sub vnâ cognitione, nisi quando adeo sunt inter se similes, vt possit abstrahi ab illis conceptus communis. Sed relatio, & terminus ex proprijs conceptibus res sunt inter se distinctæ, & valde dissimiles: ergo sub vna cognitione non possunt à nobis adunari; sed distinctis sunt concipiendæ. Quartò; quia vel experientiâ ipsâ videtur constare, dum iudicamus de subiecto actum respectiuum ad ipsum, qualis omnis actus est ex suo conceptu iuxta dicenda latè *q. seq.* distinctis nos cognitionibus attingere subiectum, & actum, sicut & distinctis vocibus significamus, quandoquidem sæpe præcedit tempore apprehensio simplex subiecti, eademque subseruit postmodum accedenti iudicio, tendentique in actum talis subiecti, quin opus sit vt subiectum ipsum per tale iudicium tangatur, prout apparebit ex dicendis *in dictâ seq. q.* Quinto species impressa, qua vtimur ad concipiendam relationem longè diuersæ naturæ est ab ea, qua vtimur ad concipiendum terminum, siquidem relationis, & termini diuersos conceptus obiectiuos, siue dissimiles formamus, vt est notissimum. Nec possunt nobis conceptus obiectiui dissimiles per similes species, aut per eamdem repræsentari, vt satis liquet ex dictis *in totâ hac quæstione.* Ergo non eadem, sed distinctæ, dissimilesque cognitiones sunt, quæ à talibus speciebus promanant circa relationem, & terminum. Sextò denique non minus repugnat amari mediũ, vt medium non amato fine, quàm cognosci relationem non cognito termino; & tamen in sententia satis communi distinctis actibus amantur saltem vt plurimum à nobis medium & finis. Ergo &c. Hæc satis modò.

139 Ex quibus obiter infertur contra Doctores primæ sententiæ relatæ *n.* 137. possibile vniuersaliter esse, vt cognoscatur relatio per cognitionem distinctam à cognitione termini connexam tamen necessariò cum illâ, eo quod absolute relatio sine termino cognosci nequit. Imo apud nos hunc modum cognoscendi necessarium omnino esse pro statu præsenti. Tametsi apud videntes intuitiuè vtrumque videatur possibile, nempe, & quod per distinctas cognitiones cognoscantur relatio & terminus, & quod cognoscantur per eamdem quantumuis expresse, & distinctè. De quo plura dicenda sunt in *tract. de scientia Dei.* vbi, quæ contra possunt opponi affatim diluemus. Id satis sit scire modo, per illa duntaxat probari relationem sine termino cognosci non posse, quod fatemur omnes; non tamen per eamdem cognitionem debere cognosci, quod nos negamus. Id obiter admotare libet, quod loco citato fusius est explicandum, adhoc vt iudicatiuè à nobis cognoscatur quæuis relatio in quantum huiusmodi, non opus esse quod iudicatiuè etiam cognoscatur terminus eius, sed sufficere quod apprehendatur simpliciter. Tametsi quando relatio est connexionis iudicata valeat determinare intellectum ad iudicandum terminum. De quo etiam ibi multo plura dicenda sunt.

Consectarium 4.

Quod intellectus humanus, quæ distincta sunt, 140
fic adunet, vt conceptum vnicum obiectiuum communem pluribus, atque adeo vniuersalem efformet: Et quæ identificata sunt, sic distinguat, vt plures eiusdem entis formalitates obiectiuè præcisas faciat. Modóque vnam, modò aliam, cæteris ignotis, percipiat. Quod etiam quæ in se sunt entia determinata, vagè concipiat, id sanè inde omnino nascitur; quod per phantasmata substituta prout explicauimus, intelligit. Cæteroquin si cuncta ab illo in se immediatè (vt cognoscantur ab intuentibus) non verò in dictis substitutis, quantumuis obscurè cognoscerentur, nullum apud nos vniuersale, nulla formalitatum distinctio, nullus conceptus vagus daretur: isque subinde, quem experimur in scientijs humanis successiuus progressus penitus pessum iret; longéque aliter, quam modò per solos singulares adæquatos ac determinatos rerum conceptus, vti euenit intuentibus, cognosceremus.

Etenim si cuncta in se ipsis immediatè per intellectiones nostras attingerentur, idem quod sunt in se re ipsa, essent in mente nostra obiectiuè. Atque adeo, quæ in se re ipsâ plura sunt, in mente quoque plura essent, neque vnum apparere possent: quo omnis conceptuũ obiectiuorum vniuersalitas qualis modò datur, cessaret. Et quæ realiter sunt vnum, vnum quoque essent in mente, nec plura possent apparere: quo distinctio formalitatum eiusdem entis, qualis etiam modò datur, cessaret itidem, nec vnam talium formalitatum (vti nunc euenit) cognoscere vllo pacto possemus, ignotis reliquis. Tum quæ in se sunt entia determinata, determinata quoque in mente repræsentarentur, nec vt sæpenumero euenit vaga possent, prout fusius *in sequentibus* ostendemus.

Itaque tunc intellectus noster format vniuersale 141
quando pro pluribus inter se similibus vnum & idem phantasma sensibile subrogat, eáue in vno, & eodem phantasmate tanquam in substituto cognoscit: tunc enim illa cuncta eo ipso apparent vnum nostro intellectui, sub vnoque conceptu obiectiuo cunctis communi cognoscuntur. Quod est conceptum vniuersalem ipsorum à nostro intellectu formari similiter (vice tamen versâ) tunc intellectus noster distinguit in eodem ente plures diuersas formalitates, quando pro illo plura diuersa phantasmata sensibilia subrogat, illudve in pluribus diuersis phantasmatibus tanquam in substitutis cognoscit. Tunc enim tale ens eo ipso plura intellectui nostro apparet, sub pluribusque conceptibus obiectiuis inter se diuersis cognoscitur. Tunc denique format conceptum vagum, quando pro vnâ, vel aliâ re alicuius multitudinis subrogat phantasma determinatum, prout *supra n. 93.* dicebamus, modóque explicauimus amplius.

Et

Et primum quia non semper ex subrogatione plurium phantasmatum pro eodem ente ab intellectu nostro oriunda resultat formalitatum obiectiua præcisio, & si aliqualis resultet, semper obiectiua eiusdem entis multiplicatio, scire opus est multiplicationem obiectiuam, quam idem ens in mente nostrâ à pluribus phantasmatibus pro ipso subrogatis sortitur, duplicem esse posse, alteram præcisiuam, quâ tale ens veluti in plures partes diuiditur; alteram non præcisiuam, quâ tale ens veluti in plura entia adæquata multiplicatur. Ex quibus per primam fit formalitatum præcisio. Per secundam non item. Nascitur autem earum discrimẽ ex diuersitate principiorum, quibus intellectus determinatur ad subrogationem phantasmatum efficiendam. Quando enim principia substitutiua vnius phantasmatis idem ipsum ex se notificant in re intelligendâ, atque notificant principia substitutiua alterius, tunc distinctio obiectiua nascens præcisiua non est, sed multiplicatiua adæquati obiecti. Quando verò principia substituentia vnum phantasma pro re intelligendâ alicuius dumtaxat partis, formalitatisve talis rei sunt quatenus est ex se notificatiua; principia verò phantasma alterum pro eadem re substituentia alterius partis, formalitatisue ipsius rei ex se notificatiua sunt; tunc distinctio, quæ ex parte obiecti, siue conceptuum obiectiuorum resultat, præcisiua est talis rei in diuersas sui formalitates, seu partes. Tunc autem principia determinatiua intellectus ad substituendum phantasma pro re intelligendâ, vnius dumtaxat formalitatis rei sunt, quatenus est ex se notificatiua, quando talis naturæ sunt, vt eodem omnino modo talem rem intellectui notificarent, etsi ea non esset ampliùs re verâ, quàm talis formalitas, eo quod potentia proxime intellectiua per talia principia constituta in vi potentiæ intellectiuæ dumtaxat postulat ex se vnicam talem formalitatem notificare in phantasmate substituto, sit, aut non sit illa reipsa identificata cum alijs, de quo talis potentia proxima, taliáque principia ipsam constituentia non curant. Quo fit, vt licet subrogatio phantasmatis pro totâ re, prout iacet, fiat, vnica illa nihilominus eius formalitas per talem intellectionem intelligatur, eo quod tota res vi talium priucipiorum in tali phantasmate intellecta amplius non est apud cognoscentem, quam illa formalitas, quidquid sit amplius in se se. Vnde rursus efficitur, vt possit intellectus noster hoc, quem habet intelligendi, modo paulatim, & per partes quamuis rem intelligere cognoscendo modo vnicam eius formalitatem, alijs ignotis, & postmodum cognoscendo aliam, cæteráque deinceps. Tum etiam rem eamdem quasi compositam ex pluribus formalitatibus, seu partibus præcisis obiectiuè concipere. Prout pluribus explicandum est *infrà dictâ disp. 13. q. 9.*

143 Sed demus interim nihilominus pro maiori intelligentiâ doctrinæ nonnulla exempla. Determinatur quis quibusdam principijs, aut etiam pro arbitratu ad concipiendam rem eamdem secundum idem distinctis in locis, & sub distinctis phantasmatibus, aut dissimilibus, aut similibus. Tum quidem multiplicatio conceptuum obiectiuorum, quæ apparet penes phantasmatum multitudinem pro tali re subrogatorum nullatenus præcisiua est: quia cuncta principia pro tali re substituentia talia phantasmata idẽ ipsum in ipsâ re notificare, quatenus est ex se, prætendunt. Aliter res succedit, cum videt quis lucem, & per apprehensionem oriundam à tali visione, per aliáque insuper diuersa determinatiua iuxta doctrinam *suprà* traditam à *num.* 108. determinatur ad iudicandum de tali luce, modo quod existit, modo quod existere potest, modo quod est productiua luminis, modo aliud quidpiam, subrogatis pro luce ipsâ diuersis phantasmatibus diuersis hisce iudicijs correspondentibus. Tunc enim multiplicatio eiusmodi prædicatorum lucis, in quæ tendunt talia iudicia, præcisiua est: quia talia prædicata penes diuersitatem phantasmatum substitutorum pro luce diuersæ sunt eiusdem lucis formalitates cognitæ diuisiuè, seorsimque per talia iudicia; eo quod principia determinantia intellectum ad primum ipsorum iudiciorum dumtaxat sunt notificatiua existentiæ lucis; quæ autem determinant ad secundum, tantum notificant ex se potentiam, quam lux habet ad existendum; quæ verò ad tertium potentiam, quam lux habet ad producendum lumen: pariterque dicendum de cæteris. Simili modo; Cernit quis eminùs ens quoddam progressiue se mouens, indéque inducitur per discursum ad iudicandum esse illud animal, subrogato pro ente illo phantasmate quodam animalis, neque ex vi talium principiorum aliquid ampliùs de tali ente iudicare valet: eo quod talia principia ex se amplius non sunt notificatiua. Pergit deinde, & experitur illud ens loqui. Hinc que rursus per discursum inducitur ad iudicandum in alio subrogato phantasmate esse illud rationale, seu esse hominem: eo quod principia, quæ accesserunt, iam sunt rationalitatis illius, humanitatisue notificatiua. Progreditur tandem vlteriùs, & per alia accidentia, quæ experitur talis entis propria in alio substituto phantasmate iudicat illud esse Petrum; Sicque penes huiusmodi diuersa iudicia, phantasmatáque subrogata diuersæ resultant in tali ente formalitates obiectiue præcisę, paritérque per iudicia ipsa cognitæ diuisiue. Tantumdémque euenit quoties de qualibet re proposità, vt de subiecto, aut ex terminis aut per discursum diuisim iudicat intellectus plura, & diuersa prædicata, quæ totidem sint eiusdem rei formalitates obiectiue præcisæ ratione totidem diuersorum phantasmatum pro tali re substitutorum modo explicato; idque, siue huiusmodi prædicata iudicentur rei conuenire, prout in statu existentiali, siue prout in statu quidditatiuo iuxta dõctrinam cõmemoratam *n.* 11. Vnde obiter deprehendes præcisionem obiectiuam formalitatum, non tam ex parte subiectorum, quàm ex parte prædicatorum, in quæ iudicia nostra tendunt, se habere: prædicata enim sunt potissimum, quæ tum inter se, tum à subiecto, de quo prædicantur, obiectiuè præscinduntur ab intellectu nostro, vt amplius constabit ex dicendis *quæst. seq.* atque etiam *disp. illa. 13. q. 9. sæpè citata.* Vbi ad rem plura.

Iam verò circa constructionem vniuersalis 144
vnicè oriundam, vt dicebamus ex modo, quem habemus intelligendi per phantasmata substituta; Túncque ab intellectu nostro exequutam, quando ille idoneis ad id principijs determinatus vnum, & idem phantasma sensibile subrogat pro omnibus omnino excogitabilibus rebus, quæ in aliquâ formalitate, rationéve obiectiuâ, siue essentiali, siue accidentali conspirant iuxta doctrinam *suprà* traditam; Modo adnotandum superest primò; eas res dumtaxat ab intellectu nostro sub conceptu vniuersali adunari, quæ omninò inter se similes sunt quoad eam formalitatem, siue rationem obiectiuam, secundum quam adunantur. Quæ quidem similitudo plerumque non rerum ipsarum

quam rarò habent, sed phantasmatum est, sub quibus ea formaliter, seu ratio in singulis ipsis rebus concipitur. Tunc solum similitudo ipsarum rerum ad concipiendum vniuersale conferre potest immediatè, quando res ipsæ sensibiles sunt per propriasque species apprehensæ, vt sicque sub vno conceptu adunantur, vt quando plures albedines sub conceptu communi albedinis comprehendimus subrogato pro omnibus vno phantasmate albedinis simili singulis. Vnde rursus efficitur, vt quando conceptus vniuersalis ad inferiora contrahitur, quibus conuenit; contractio non aliter fiat, quam subrogando pro singulis seu determinatè, seu vagè phantasma, quod erat subrogatum pro omnibus. Quò tandem fit, vt ille ipse conceptus, qui erat communis, in singulis inferioribus reperiatur formaliter. Proprijssiméque subinde verificetur, vniuersale esse vnum aptum ad essendum in multis, iuxta definitionem Aristotelicam receptam ab omnibus, vt paulo explicatiùs dicam postmodum *Consect. 6.*

145 Secundò est adnotandum inter conceptum vniuersalem, & particularem, seu vagum solere à quibusdam recenseri conceptum indefinitum, qualis videtur efformari, quando rationem aliquam, formalitatemve obiectiuam concipimus veluti præscindendo ab eo, quod ea in vno, vel in pluribus reperiatur. Perperam tamen ponitur conceptus indefinitus, vt condistinctus ab vniuersali, & singulari, & vago. Quoniam quæcumque concipimus, ad ea tria capita reuocentur, necesse est: quandoquidem non possunt non esse illa, aut plura determinatè, qualia cadunt sub conceptum vniuersalem, aut vnum determinatè, quale cadit sub singularem, aut hoc, vel aliud ex extremis disiuncti, quale est, quod cadit sub vagum. Cæterùm quia conceptus vagus, aut inter extrema singularia, aut inter extrema vniuersalia, aut inter extrema ex vtrisque mixta vagari potest. Hinc est, quod formalitatem aliquam siue rationem obiectiuam possimus concipere veluti præscindentes ab eo, quod ea in vno, vel in pluribus reperiatur. Hoc tamen aliud non est, quam eam concipere, vt conuenientem vni, vel pluribus vagè, seu disiunctiuè. Vnde etiam efficitur vt sæpè videatur vniuersalis conceptus, qui re verâ est vagus, quemadmodum conceptus verè vagus sæpe determinatus esse videtur.

146 Tertio enim est adnotandum, quando conceptus vniuersalis per differentiam singularis contrahitur, etsi per illam determinari penitus videatur; tamen vt plurimum saltem non ita fieri? sed solùm de vniuersali in vagum transire; quia id sibi exposcunt principia, quæ determinant ad contractionem faciendam. Quotiescumque enim conceptum vniuersalem sub istâ forma prædicamus de singulari, vti plerumque fit. *Petrus est homo. Ioannes est albus. Paulus sedet, &c.* sensus haud dubiè ex parte prædicati sit vagus, perinde ac si diceremus. *Petrus est aliquis homo. Ioannes est aliquod album, aut aliquâ albedine est albus. Paulus aliquâ sessione sedet, &c.* Quod probo primò, quia huiusmodi propositiones æquè essent veræ citra dubium: esto Petrus esset alius homo, aut alia humanitate esset homo, & Ionnes esset aliud album, aut aliâ albedine esset albus, & Paulus aliâ sessione sederet. Secundò, quia diuersum sensum præ se ferunt illæ, atque hæ de prædicato determinato. *Petrus est hic homo. Ioannes est hoc album, aut hâc albedine est albus. Paulus sessione istâ sedet.* Tertiò: quia istæ propositiones: *hic homo est homo: hoc animal est animal: hæc rationalitas est rationalitas,* & similes non constant terminis synonimis, vt est notissimum; constarent autem si prædicatum perinde, ac subiectum determinatum esset. Quartò: quia scienti euidenter, Petrum sedere, aut esse album, ignotum adhuc manere potest, quâ determinatâ sessione sedeat, & quâ determinatâ albedine albus existat. Quæ omnia argumento sunt omnes eiusmodi propositiones sub formâ supradictâ conceptus de prædicato vago esse. Tantumdémque subinde dicendum erit de iudicijs ipsis correspondentibus, nisi aliquando aliunde constet oppositum.

Denique circa conceptum vagum, quem medio 147
phantasmate determinato formare solet intellectus noster inductus siue determinatus per principia, quæ ex se dumtaxat sunt notificatiua alicuius rei ex pluribus vagè sumptæ, alicuiusve formalitatis, siue rationis obiectiuæ, prout conuenientis disiunctiuè vni rei, vel alij, vel alij alicuius integrę multitudinis, quâ ratione *suprà* explicauimus *nu.* 122. Id solùm restat modò notandum, talem conceptum aut incomplexum esse posse, aut complexum. Incomplexum euadit quando pro re, vel ratione obiectiuâ vagâ vnicum subrogatur phantasma, vt cùm dicimus *aliquis homo currit:* complexum autem, quando plura, vt cùm dicimus: *hic homo, vel hic homo currit.* Quod rursus aut ex extremis similibus potest constare, vt in exemplo posito, aut ex dissimilibus. Vt si dicamus. *Homo, vel equus currit. Homo legit, vel ambulat. Petrus legit, vel leo rugit, &c.* sub quibus omnibus diuersis formis idem semper continetur sensus saltem æquiualenter; atque adeo idem semper est modus subrogandi pro re, vel ratione indeterminata, seu vaga, aut vnum, aut plura phantasmata determinata in quibus illa siue per vnâ, siue per plures cognitiones vagè seu disiunctiuè cognoscitur. Posse autem in quolibet propositionum genere aliquos terminos esse vagos, & aliquos determinatos indubitatum est.

Aduerto tandem etsi conceptus seu terminus dis- 148
junctiuus à conceptu, seu termino disiuncto absolutè discriminetur à Logicis asserentibus primum determinatè; secundum confusè supponere, siue supponi; re tamen verâ eos ex parte sui, aut intellectionum, quas terminant, hoc est ex parte formæ nequaquam differre, sed tantùm ex parte materiæ, vt ex dicendis *disp.* 10. *q.* 2. constabit.

Consectarium 5.

Ex eodem, quem habemus, intelligendi, modo 149
nascitur, vt multifariam sub vnico, & eodem conceptu obiectiuo plura possimus, atque soleamus complecti, intelligendo scilicet illa sub tali conceptu confusè.

Quia nimirum multis, & varijs modis vnum, & idem phantasma pro pluribus obiectis intelligendis subrogare possumus, & solemus. Primò enim subrogari à nobis potest vnũ phãtasma pro pluribus intelligẽdis distributiuè sumptis, quo calu ita subrogatur pro omnibus vt etiã subrogetur pro singulis. Imo idẽ est subrogari pro omnibus distributiuè, seu diuisiuè sũptis, ac pro singulis subrogari totius multitudinis. Quo quidem subrogationis genere vtimur, quando fa cimus vniuersale. Ex eoque nascitur, vt conceptus sub tali phantasmate plurium formatus ad singula aliquo modo contrahi possit, atque ita de singulis verè, & formaliter prædicari, vt idem semper nobis appareat tam cum abstractus ab ipsis pluri bus, quam cum contractus in eisdem repræsentatur,

repræsentatur, vt *supra num.* 144. dicebam.

150 Secundò subrogari à nobis potest vnum phantasma pro pluribus obiectis intelligendis collectiuè sumptis, vt quando vnico conceptu quoduis totum, aut quoduis aggregatum plurium collectiuè concipimus. Idque vel conceptis aut omnibus, aut aliquibus partibus talis aggregati distincte penes distinctionem partium extensionis, quas ipsum phantasma secum fert, vel conceptis omnibus confusè, & quasi contectis ipso phantasmate. Quibus in casibus totum ipsum phantasma pro singulis ipsis partibus diuisiue sumptis non subrogatur. Vnde conceptus obiectiuus, quem de toto, vel aggregato sub tali phantasmate formamus, non magis de partibus singulis est prædicabilis, quàm ipsum totum, vel aggregatum de singulis ipsis partibus prædicabile est.

151 Tertiò subrogari à nobis potest vnum phantasma pro pluribus obiectis intelligendis vagè, seu disiunctiue acceptis, seu potius pro aliquo obiecto alicuius multitudinis vage, seu indeterminate sumpto, prout *supra n.* 122. rursusque *Conf.* 4. explicauimus. Quo casu conceptus obiectiuus vagus ex tali subrogatione resultans de singulis eius multitudinis est prædicabilis vere, & formaliter, vt cum conceptum vagum hominis de singulis hominibus prædicamus dicentes. *Petrus est aliquis homo. Ioannes est aliquis homo*, &c. Dicentur autem distinctionis gratia huiusmodi adunationes plurium sub vno conceptu obiectiuo. Prima quidem adunatio vniuersalitatis. Secunda adunatio collectionis. Tertia adunatio disiunctionis.

152 Porrò quæuis prædictarum trium subrogationum vnius phantasmatis pro pluribus obiectis intelligendis, aut potest fieri pro pluribus realiter inter se distinctis, vt quando sub vnico conceptu vniuersali hominis concipimus omnes homines; & sub vnico conceptu collectiuo Petri concipimus omnes partes physicas eius, vel essentiales, vel etiã integrales; & sub vnico conceptu disiunctiuo, seu vago animalis vage concipimus omnia animalia modis iam explicatis. Aut fieri potest pro pluribus alijs per solam rationem distinctis inter se, vt quando sub vnico conceptu vniuersali entis, aut attributi concipimus omnia attributa Dei realiter identificata; & sub vnico conceptu collectiuo hominis concipimus animal, & rationale realiter etiam identificata inuicem, & cum ipso; Et sub vnico conceptu vago attributi Dei vagè concipimus omnia ipsius attributa.

153 Hæc cùm ita sint, nonnulla adhuc circa illa obseruanda restant. Sit primum, conceptum vniuersalem comparatione eorum, quæ comprehendit, totum logicum solere nuncupari; conceptum verò collectiuum ab obiecto, quod comprehendit, dici posse aut totum physicum, si partes collectiuè conceptæ physicè inter se distinguantur, aut totum metaphysicum, si metaphysicè dumtaxat, seu per rationem nostram sint illæ distinctæ.

154 Secundo obseruandum est, conceptum vniuersalem, aut etiam vagum eodem modo solere semper dicere omnia inferiora sub se contenta; cum tamen conceptus collectiuus interdum dicat omnes partes, quas sub se continet directè; interdum verò aliquam earum, aut aliquas tantùm directè, & aliquam, aliquásue obliquè. Tum aliquando omnes dicit determinatè; aliquando verò nonnullam, nonnullásue determinatè; residuam autem, siue residuas vagè. Quo casu conceptus euadit veluti mixtus ex collectiuo, & vago. Solet præterea conceptus collectiuus, siue cum vago mixtus nonnunquam dicere omnes suas partes æquè explicitè, vel implicitè; quandoque verò aliquam explicitè, & reliquas implicitè dicit. Quod euenit quando ex phantasmate proprio partis explicitæ, siue ex materia eius phantasma compingitur subrogandum pro cunctis partibus. Quemadmodum agendo de concretis *q.* 4. *Coniect.* 3. explicabimus.

155 Tertio obseruandum est, dum plura sub vnico conceptu aut vniuersali, aut collectiuo adunamus, plerumque præscindere nos obiectiuè à differentijs indiuidualibus singulorum includentibus prædicatum distinctionis realis, quâ inuicem inter se distinguuntur: quia plerumque principia determinantia ad talem adunationem faciendam non sunt ex se notificatiua talis prædicati: quia tamen interdum ipsum ex se notificant, præsertim quando cognitio eius explicita, seu distincta præcessit; interdum dum plura adunamus à prædicato pluralitatis, seu distinctionis realis, quam illa habent, non præscindimus; sed illud cum alijs cognoscimus tametsi implicitè, seu confusè, hoc est, non medijs pluribus phantasmatibus proportionatis, & appropriatis ad concipienda plura vt plura, sed medio vnico phantasmate proportionato, & appropriato ad concipiendum vnum, seu plura vt vnum. Itaque aliud est quoties plura sub vnico conceptu adunamus, non apparere illa nobis vt plura pluralitate rationis supposititia; quia non per plura, sed per vnum tantum phantasma substitutum nobis apparent; aliud non apparere nobis pluralitatem realem, quam ipsa habent in se se. Primum semper est verum, vbi eiusmodi adunatio interuenit. Secundum, etsi plerumque etiam sit verum, quia præscinditur à dictâ pluralitate reali; interdum tamen est falsum, quia non præscinditur. Nec mirum sit, quod pluralitas vera interdum per conceptum magis proprium vnitatis repræsentetur; siquidem vera vnitas, seu identitas plerumque per conceptum repræsentatur magis proprium pluralitatis, quoties nimirum pluribus interuenientibus conceptibus obiectiuis iuxta dicenda *q.* 4. iudicamus aliquid esse vnum, seu idem cum altero vel secum. De quo iterum redibit sermo *Disp.* 13. *q.* 9.

156 Quartò obseruandum est, dum plura sub vnico conceptu, aut vniuersali, aut collectiuo adunamus, etsi nonnunquam à nullo prædicato reali singulorum fiat præcisio; eo quod principia determinantia ad faciendam adunationem illa cuncta notificant quoad totum, quod sunt in se reipsa; plerumque tamen præscindere nos obiectiue non tantùm à singularitatibus, sed etiam ab alijs prædicatis eorum, adunantes scilicet illa quoad aliquod solum, aut quoad aliqua præcisis reliquis. Sic quoties adunamus plura sub conceptu vniuersali generico quoad illam tantum formalitatem à reliquis præcisam, ea adunamus per quam constituitur tale genus; vt cernere est quando adunamus omnia animalia sub conceptu præciso animalis; omnia viuentia sub conceptu præciso viuentis; omnes substantias sub præciso conceptu substantiæ & sic etiã dum adunamus plura sub vnico conceptu collectiuo concreti, seu adiectiui, seu substantiui, sæpe ex singulis talis concreti partibus, præsertimque ex illa, vel illis, quæ implicite significantur, & concipiuntur, vnam aliquam formalitatem adunamus cum alijs à reliquis earumdem partium obiectiue præcisam. Tametsi interdum partes ipsas quoad totum, quod sunt, reipsa adunemus. Quod cernere

est in his concretis *homo*, *album*. Primum enim Theologicè & substantiuè sumptum explicatè dicit humanitatem præcisè quoad conceptum humanitatis ex se specificum; implicitè autem subsistentiam, seu personalitatem præcisè quoad conceptum subsistentiæ, seu personalitatis ex se genericum. Secundum verò adiectiuè sumptum explicitè dicit albedinem secundum conceptum ex se specificum albedinis; implicitè autem subiectum albedinis secundum conceptum genericum, & valde commune subiecti albedinis. Tantumdem est de alijs concretis tum substantiuis, tum adiectiuis iuxta communem, & ordinarium modum, quem illa concipiendi, atque significandi habemus. Hoc tamen non vetat quominus quis possit interdum concretum substantiuum coalescens ex hâc determinatâ humanitate, & ex hac determinatâ subsistentiâ quoad totum, quod sunt, re ipsa concipere. Tum adiectiuum ex hâc albedine, & hoc subiecto quoad totum, quod re ipsâ sunt. Quæ pariter aut per prædicta, aut per alia nomina pro arbitrio significare poterit.

157 Et quoniam ex modo, quem habemus connaturalem concipiendi vnam formalitatem præcisam obiectiuè ab alijs, cum quibus est idem à parte rei, nascitur vt eam communiter, & vt plurimum cum quâdam indifferentiâ, atque adeo conceptu vago concipiamus, eo quod principia ex se notificatiua eius præ ceteris plerumque non hanc determinatè, sed aliquam talem formalitatem notificare postulant, conceptusque de illa formatus indifferens communiter est ad illam, vel aliam, vel quamlibet eiusdem rationis. Consequitur vt quando pars aliqua concreti, siue conceptus collectiui formalitas est obiectiuè præcisa ab alijs, cum quibus realiter est idem, ea communiter, & vt plurimum non determinatè concipiatur; sed vagè: paritérque per nomen concreti significetur. Quocirca dicunt Theologi communiter, concreta substantiua non determinatè; sed vagè dicere eam partem sui, quam dicunt implicitè. Tantumdémque de adiectiuis, de partibúsque eorum implicitis non singularizatis dicendum est, vt videbimus *quæst.* 4. *Sect.* 3. vbi ad rem plura.

Consectarium 6.

158 Nonnulla etiam quæ varijs in locis Arist. pronunciauit de obiectis vniuersalibus, & singularibus, aptissimè iuxta doctrinam nostram veniunt intelligenda.

Imprimis enim definiens vniuersale *lib.* 7. *Metaph. text.* 45. dixit Philosoph. *Hoc enim dicitur vniuersale, quod pluribus inesse natum est.* Et lib. 1. Perihem. cap. 5. *Dico autem vniuersale, quod de pluribus natum est prædicari.* Et *lib.* 1. *Post. cap.* 8. loquens de vniuersali ait. *Esse igitur vnum quid oportet, idemque de pluribus non solum communi nomine prædicandum.* Et lib. 2. Post. cap. vlt. *Quod est vnum præter multa, quodque in omnibus illis vnum inest.* Quæquidem definitiones ineptæ essent, nisi vniuersale ita sit vnus conceptus obiectiuus abstractus à multis, & eis communis, vt ipsemet sumptus formaliter, prout nobis obiectiuè apparet, integer reperiatur in singulis, & de eis prædicetur; prout verè iuxta experientiam indubiam à nostro intellectu reperitur & prædicatur. Quod tamen impossibile esset, nisi vniuersale formaliter per vnum phantasma sensibile constitueretur ita substitutum pro multis in statu abstractionis, vt idemmet in statu contractionis veniat substituendus pro singulis, vt pluribus *disput.* 17. explicandum à nobis est.

Deinde Arist. *lib.* 1. *Physic. text.* 49. ait. *Vniuersale quidem enim secundum rationem notum est. Singulare autem secundum sensum. Ratio quidem enim ipsius vniuersalis est, sensus autem particularis.* Quam doctrinam non semel ab Arist. expressam, suppositámve alijs in locis vbique sequitur S. Th. atque ita 1. *p. q.* 86. *art.* 1. rem tractans ex professo concludit. *Vnde intellectus noster directè non est cognoscitivus nisi vniuersalium; indirectè autem, & quasi per quamdam reflexionem potest cognoscere singularia.* Quam sententiam sequuntur Thomistæ communiter. Etsi pro oppositâ stent Conimb. *lib.* 1. *Physic. cap.* 1. *q.* 4. *art.* 2. Rub. *lib.* 3. *de Anim. cap.* 4. *q.* 3. Petr. Hurt. *disp.* 5. *de Anim. sec.* 6, Franc. Alf. *disp.* 12. *de Anim. sec.* 5. *n.* 75. & communiter Recentiores. Qui tamen omnes non difficile videntur conciliari posse iuxta doctrinam traditam. Certum enim est primo intellectum nostrum per simplicem apprehensionem attingere eadem ipsa singularia obiecta, quæ attingunt sensus, quorúmque propriæ species eorumdem sensuum ministerio ad intellectum deriuantur, vt ex doctrinâ stabilitâ *disp.* 1. *q.* 1. & 2. liquidum est. Secundò est certum dum intellectus noster aliquid iudicat de aliquo obiecto singulari, vt de Platone, Socrate, &c. non posse non eum tale obiectum simpliciter saltem apprehendere. Tertiò certum est omnem conceptum obiectiuum significabilem per verbum ex genere suo conceptum vniuersalem esse, atque adeo multis communem, si abstractum ab omnibus concipiatur, vt sæpè fit. Ob id namque nulla sunt verba propria, quemadmodum sunt nomina propria, nimirum rerum singularium. Et quoniam obiectum, in quod iudicium nostrum tendit, vnicè est obiectiuus conceptus significabilis per verbum per modum actus, vt affatim ostendemus *quæst. seq.* conficitur obiectum proprium nostri iudicij non posse non esse conceptum ex suo genere vniuersalem. Etenim ea est conditio nostri intellectus pro hoc statu satis nota bene obseruanti, vt nihil iudicare possit adhuc de rebus singularibus, quod non sit à singularitate abstrahibile, atque adeo ex suo genere vniuersale, vt cernere est in omni conceptu significabili per verbum, quale necessario esse debet obiectum iudicij nostri, vt dicebam. Quartò denique certum est quoties cõceptus vniuersalis de singulari iudicatur, seu prædicatur, per ipsius singularitatem aliquo modo contrahi ad esse singularis; singularémque subinde saltem vagum, seu indeterminatum iuxta superius dicta euadere, prout in statu contractionis; tametsi semper dicatur ex se vniuersalis; eo quod à singularitate, per quam contrahitur iterum abstrahibilis est. 159

Ex his sequitur primo intellectum nostrum per iudicium (quo solum absolutè, & simpliciter dicitur intelligere) dumtaxat attingere obiecta ex se vniuersalia, quod solum voluisse censendi sunt Arist. & S. Th. *locis citatis.* Et quia iudicium nostri intellectus, dum directe tendit in actum significabilem per verbum, vt in obiectum proprium, non potest non connotare, siue supponere apprehensum subiectum talis actus, quod sæpè est aliquid singulare, ideo fortasse S. Th. dixit ab intellectu nostro directè quidem solum vniuersalia, indirectè verò singularia cognosci. Secundò constat neutiquam negari ab Arist. & S. Th. concipi ab intellectu nostro per se, & directe per simplicem apprehensionem 160

nem res singulares: nam simplex apprehensio (quâ obiectum potius proponitur intellectui intelligendum, quam intelligitur, loquendo absolutè,& simpliciter) non cadit sub intellectionem, seu cognitionem singularium simpliciter dictam, quam ipsi negant. Tertiò constat sæpissimè ab intellectu nostro iudicari, atque adeo prædicari de subiectis singularibus prædicata ex se vniuersalia,quæ prout in statu prædicationis, seu contractionis modo dicto sunt singularia. Quo sensu bene potest dici intellectus noster directè intelligere singularia absolutè,& iudicatiuè. Quod solum censendi sunt velle, Authoctores secundæ sententiæ. Si autem hoc dumtaxat volunt, Authoribus primæ non contradicunt, vt ex dictis liquidum est.

161 Præterea Arist. cum dixisset *lib. 1. Post cap. 2.* Notiora esse nobis proxima sensui, nimirum singularia: simpliciter verò, & secundum naturam esse notiora, quæ à sensu longiùs distant; videlicet vniuersalia. Oppositum videtur tradere *lib.1.Physi. cap. 1.* dicens confusa & vniuersalia notiora esse nobis: secundum naturam verò esse notiora elementa, principiaque, in quæ solent diuidi illa; & ideo in scientijs ex vniuersalibus ad singularia oportere procedere. Siquidem ea insita naturâ nobis est via, vt à notioribus nobis ad notiora secundum naturam procedamus. Quæ duo loca concilians S.Th. *ibidem* ait in primo comparare Arist. vniuersalia ad singularia simpliciter; ex quibus singularia, quæ per sensus intrant, notiora sunt nobis; cum tamen vniuersalia sint notiora secundũ se;in secundo verò comparare magis vniuersalia, vt genera ad minus vniuersalia, vt species,hasque appellare singularia; ex quibus genera sunt notiora nobis: species verò vtpotè perfectiores notiores suâ naturâ sunt.

162 Alij alijs modis conantur dicta Philosophi conciliare; quibus omissis; quia semper huiusmodi conciliatio difficultatibus obnoxia manere videtur; veniendo ad rem cum eodem S. Th. *1.p. q.85. art. 3.* consentaneè ad eius doctrinam, & ad superius dicta, Assero primò prædicata ex se vniuersalia semper esse naturâ suâ notiora rebus singularibus relatè ad intellectum nostrum; eoque notiora, quo sunt vniuersaliora: quia quo aliquid in pluribus reperitur, eo fit nobis magis obuium, eoque promptius se se insinuat notificatque nostro iutellectui. Dico autem relatè ad intellectum nostrum,quia relatè ad intellectum cognoscentem res intuitiuè,nullum est obiectum vniuersale, sed cuncta sunt singularia, prout sunt à parte rei: inter entia autem singularia ea solum videntur dici posse notiora alijs secundum naturam, quæ eisdem secundum naturam sunt perfectiora.

163 Verum enim verò quia prædicata ex se vniuersalia & possunt considerari in statu abstractionis,& in statu contractionis iuxta nuper dicta. Tum bifariam sunt cognoscibilia iuxta doctrinam tactam. *n. 111.* tradendamque fusiùs *in sequentibus*, nempe quoad an est, siue prout sunt in statu existentiali; & quoad quid est, siue prout concipiuntur secundum se in statu quidditatiuo, seu obiectiuo. Assero secundo loquendo de notitia quoad an est, prædicata ex se vniuersalia prius esse cognoscibilia, atque adeo notiora nobis prout in statu contractionis, quam prout in statu abstractionis. Quod in re est dicere quoad tale genus notitiæ prius cognoscibilia, notioraque esse nobis singularia, quàm vniuersalia: siquidem singularia per intellectionem simpliciter, & absolutè talem, qualis solum est iudicatiua, dumtaxat sunt cognoscibilia per se,& directè ab intellectu nostro quoad prædicata ex se vniuersalia in ipsis contracta; non itidem quoad singularitates, per quas contrahuntur, atque adeo singularizantur, vt paulò antè explicatum est. Ratio autem huius assertionis in promptu est: quia eiusmodi genus notitiæ ad intellectum nostrum intrat per sensus, & sensus singularium sunt; quo fit vt per tale notitiæ genus intellectus noster prius & notius de singularibus, quàm de vniuersalibus iudicet.

Loquendo verò de notitia quoad quid est, assero tertiò prædicata ex se vniuersalia prius esse cognoscibilia, notioraque nobis prout in statu abstractionis, quàm prout in statu contractionis, hoc est, prius sunt cognoscibilia, notioraque nobis quoad tale genus notitiæ vniuersalia, quàm singularia. Quia tale genus notitiæ non intrat ad intellectum per sensum; sed in ipso intellectuali lumine habet suam originem,à quo quidem,quod ad ipsum præcisè attinet, prius, & notius deprehenduntur conceptus communes, quam singulares in eis contenti, vt experientia docet. Quæ omnia ex dicendis etiam *in sequentibus* magis conspicua fient. Modo sat fuerit illa vtcumque indicasse. 164

Ex quibus patet quomodo loquendo vniuersè prædicata ex se vniuersalia respectiuè ad intellectum nostrum non solùm naturâ suâ; sed etiam quoad nos sint notiora, quàm res singulares, quatenus hæ præter ipsa vniuersalia, suas singularitates inuoluunt non cognoscibiles à nobis per se,& directè iudicatiuè; sed tantùm apprehensiuè Crediderim autem etiam vniuersalia ipsa comparata inter se quoad diuersos status, diuersósque cognoscendi modos, quâ ratione sunt notiora, aut minus nota quoad nos iuxta dicta, eadem dicenda esse notiora, aut minus nota naturâ suâ. Quia in ijs, quæ solum abstractiue, seu per species alienas, prout nos cognoscimus, cognoscibilia sunt, qualia sunt nostra vniuersalia prout talia. Idem videtur esse, notiora, vel minus nota esse quoad nos, ac esse notiora, vel minus nota natura sua, & vice versâ. Quidquid sit de alijs, quæ in esse cognoscibilium non ad nostrum solum; sed ad plures diuersósque natura intellectus comparabilia sunt. 165

Consectarium 7.

Ex vi præcisè cognoscendi per species alienas non facit intellectus noster entia rationis ficta, qualia à cognoscentibus etiam per proprias species sunt factibilia. Facit tamen entia rationis suppositicia, quæ ab illis longè diuersa sunt: nullatenusque effici possunt à cognoscentibus per proprias species. 166

Prior pars huius Consectarij contra Franc. Alf. citatum *n. 71.* aliósque Recentiores est, qui putant quoties quidlibet insensatum concipimus ad instar alicuius phantasmatis sensibilis, vt Angelum ad instar iuuenis, ex vtroque per identitatem fictitiam tertium quoddam ex suo conceptu chymericum ab intellectu nostro compingi; atque ita ens rationis fictum ab ipso fieri. Quàm verò falsa sit hæc doctrina ex nostrâ satis stabilita in *præsenti quæst.* constat. Per quam etiam eadem prior pars consectarij probanda & explicanda venit. Etenim quando concipimus Angelum ad instar iuuenis, aliud non facit intellectus, quàm subrogare sibi iuuenem loco Angeli, in ipsóque subinde iuuene, tanquam in substituto, Angelum ipsum intelligere; in quâ subrogatione, siue substitutione nullum figmentum interuenit ab intellectu factum. Nam Angelus, qui

absolute

absolute intelligitur, quid verũ est reuerâ existens, vt supponimus, phantasma autẽ iuuenis, in quo intelligitur, obiectum quoddam est sensibile factibile à Deo, atque adeo quid etiam verum quoad essẽtiam possibilem; neque est, quod vetet esse etiam verum quoad existentiam. Aliud autem præter hęc duo non interuenit, quod cum sit obiectiuè in mente, re ipsâ non sit, prout ad ens rationis fictum requiritur. Quod si huiuscemodi sensibilia phantasmata, dum pro alijs rebus intelligendis subrogantur, plerumque finguntur quoad existentiam tum ab intellectu, tum à phantasia, eo quod, cum non sint reuerâ, apprehenduntur, ac si essent; quo iure entia rationis quoad existentiam ficta vocari possunt. Id tamen casuale, accidentariumque est in ordine ad talem subrogationem: nam & subrogatio eodem modo fieret quantumuis phantasmata subrogata essent vera quoad existentiam, vti nonnunquam fortasse de facto sunt, & eodem modo ipsa phantasmata essent ficta quoad existentiam, quantumuis non subrogarentur pro rebus alijs intelligendis. Ob id in consectario dico ex vi præcisè cognoscendi per species alienas, atque adeo subrogandi, iuxta sententiam meam, pro rebus cognoscendis phantasmata, non fieri ab intellectu nostro entia rationis ficta. Tum quia quando id, quod per speciem alienam, per dictamque subrogationem cognoscitur, verum non est, ab intellectu fingitur ens rationis, non quia tali modo cognoscit; sed quia re vera non datur id, quod cognoscit.

167 Iam verò secunda consectarij pars ex eadem nostrâ doctrinâ probanda venit. Cum enim, iuxta *superiùs* dicta, ea, quæ à nobis cognoscuntur per phantasmata substituta, veluti per quamdam extrinsecam denominationem induant in mente nostra obiectiuè conditiones talium phantasmatum, quatenus apparent plura, & distincta, si phantasmata sunt plura & distincta; vnum autem si phantasmata sunt respectiua; absoluta quando absoluta &c. Conficitur vt illa non quidem per identitatem; sed per substitutionem talia sint in mente nostra obiectiuè supposititio quodam modo, qualia phantasmata ipsa sunt. Quo iure illud *esse*, seu modum essendi obiectiuum, quem in phantasmatibus, in quibus cognoscuntur, habent, & verè non habent in se, ens rationis suppositititium quodammodo ab intellectu factum; non tamen fictum appellamus. Hoc pacto dum intellectus noster cognoscit per plura substituta phantasmata id, quod realiter est vnum, distinctionem quamdam rationis suppositititiam facit, eamque vel præcisiuam, vel non præcisiuam iuxta dicta *Consec.* 4. Dum autem quæ in se sunt plura, in vnico phantasmate cognoscit, prout explicauimus *ibidem*, vnitatem facit rationis suppositititiam. Similiter quando per modum actus in quodam phantasmate respectiuo cognoscit id, quod re ipsâ non est tale, iuxta doctrinam tradendam *q. seq.* respectum quemdam rationis suppositititium facit. Tantumdemque euenit quoties per modum relationis cuiuslibet generis concipit id, quod reipsa relatio non est, &c. Quæ omnia magis conspicua fient ex dicendis *disp.* 12. vbi de entibus rationis productior sermo habendus est.

168 Dico phantasma respectiuum id, quod intellectus noster accommodat ad concipiendum quemuis respectum, seu relationem, & vniuersim quicquid per modum respectus, seu relationis concipit, quale est phantasma alicuius fontis, riuuli, aut radij cuiusuis materiæ se se fundentis versus aliud; phantasma alicuius funis, vel viæ, vel denum cuiuslibet quantitatis versus aliud quidpiam extensæ, ad illudve tanquam ad terminum terminatæ. Phantasma quippe respectiuum semper est aliquid sensibile versus aliud extensum, ad illúdve terminatum ex suo conceptu. Plerumque autem vt quid medium inter duo extrema concipitur, quorum alterum vicem habet subiecti, alterum vicem termini: quia plerumque vtimur phantasmate respectiuo ad cognoscendum actum significabilem per verbum. Qui quidem ex conceptu suo exercitium quoddam alicuius subiecti circa aliquem terminum est, vt affatim explicabo *q. seq.* Iam verò phantasma absolutum appello omne aliud, quod non est respectiuum, quodque subindè solitariè cõceptibile, & subrogabile est pro re cognoscendâ; cum tamen respectiuum vt tale absque comite, ad quem terminetur, nec est conceptibile, nec subrogabile pro re cognoscenda, vt constat ex dictis.

QVÆSTIO IV.

In quo consistat iudicium humanum; Qualisque sit natura eius; & quale obiectum?

DE quidditate apprehensionis simplicis nihil 169
speciale opus est addere ijs, quæ *q.* 2. diximus, præterea quæ mox tangemus. De quidditate verò iudicij, atque discursus nostri, deque proprietatibus eorum multa scitu dignissima restant in sequentibus aperienda. Agam in *hac quæst.* primum de iudicio categorico. Deinde de hypothetico, & reliquis.

P. Vas. 1. *p. disp.* 223. *cap.* 3. opinatus est iudi- 170
cium nostrum categoricum cum in duplici apprehensione consistere, quarum vna subiectum, altera prædicatum attingat, non quidem absolutè; sed ita relatè, vt vnum alteri conueniens, aut disconueniens repræsentetur; eo enim ipso quòd talis respectus conuenientiæ, aut disconuenientiæ concipiatur, non posse non eiusmodi conceptionem esse iudicium affirmatiuum, aut negatiuum; vnde infert non posse mere simpliciter apprehendi vnum alteri conuenire, aut non conuenire. At Petr. Hurt. *disput.* 7. *de Anim. sec.* 2. Arriag. *disp.* 6. *de Anim. sec.* 4. Franc. Alf. *disp.* 14. *de Anim. sec.* 3. Ruiz *tom. de scientia Dei disp.* 13. *sec.* 1. *n.* 9. & 10. & plures alij Recentiores existimant iudicium nostrum simplicem qualitatem esse, siue simplicem actum, per quem indiuisibiliter attinguntur subiectum, & prædicatũ eorumque conuenientia, & disconuenientia. Gasp. Hurt. verò *disp.* 4. *de fide diffic.* 3. tres intellectiones distinctas adstruit, aliã circa subiectũ, aliã circa prędicatũ, aliam circa conuenientiã, siue disconuenientiam eorum; ex quibus omnibus dicit coalescere iudicium. Quam sententiam sequitur Gran. 1. *p. contr. Tract.* 7. *disp.* 4. Pro eadémque refertur Molin. 1. *p. q.* 1. *art.* 3. *concl.* 3. Verum Molina ibi tametsi doceat tres conceptus nos efformare, dum iudicamus hominem esse animal, quorum vnus subiecto, alius prædicato, alius copulæ correspondet; asserit tamen iudicium in solo conceptu copulæ ponendum esse; non verò in aggregato, siue composito ex his tribus, vti arbitrantur Gran. & Gasp. Hurtado.

Supponere autem videntur omnes isti Doctores 171
per iudicium negatiuum eodem modo ferri intellectum nostrum in disconuenientiam, seu negationem conuenientiæ

conuenientiæ subiecti, & prædicati, ac fertur per affirmatiuum in conuenientiam ipsam. Ita quidem vt qui negat Petrum esse iustum, non aliter attribuat Petro carentiam, seu negationem iustitiæ; ac qui affirmat Petrum esse iustum, attribuet iustitiam. Neque in alio iudicium negatiuum ab affirmatiuo discriminatur nisi quod primus in obiectũ negatiuum, secundus in obiectum positiuum eodem tamen modo ferantur. Sunt tamen plures, & docti Recentiores, qui censent iudicium negatiuum, & affirmatiuum non ex obiecto; sed ex modo tendendi in ipsum discriminari: versari enim vtrumque circa idem omninò obiectum; negatiuum quidem per modum cuiusdam fugæ, recessus, seu dissensus; affirmatiuum autem per modum cuiusdam prosequutionis, adhæsionis, seu assensus; quemadmodum in sententia communi odium voluntatis per modum fugæ, seu recessus respicit obiectum, quod per modum prosequutionis, seu accessus respicit amor. Cuius sententiæ est noster Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. disp. 1. sec. 2. n. 13. & seqq.* vbi eodem pacto, quod ad rem attinet, philosophandum censet de intellectu, ac de voluntate, hoc solum interueniente discrimine, quod dum voluntas per odium fugit ab obiecto malo, quia malum, ab ipsa etiam malitiâ, imo potiori iure fugit, intellectus verò dum per iudicium negatiuum fugit ab obiecto falso, quia falsum, falsitatem eius, seu negationem veritatis non fugit; sed potiùs eam approbat, siue ei assentit. Vnde concludit *n. 18. fine*; quamuis non repugnet actus voluntatis, qui non sit prosequutio formalis obiecti directi, vel indirecti; & quamuis possit etiam dari iudicium intellectuale, quod non sit assensus formalis, sed mera fuga obiecti directi: non tamen videtur possibile iudicium, quod non sit assensus formalis obiecti indirecti: propter quod negat obiectum directum.

172 Pro exactiori totius quæstionis præsentis, aliarúmque difficultatum resolutione operæ pretium erit haud dubiè hypotheses sequentes præmittere.

Hypothesis 1.

173 Non solum subiectum, & prædicatum; sed etiã eorum conuenientia, aut disconuenientia; & vniuersim quoduis iudicij obiectum per simplicem apprehensionem potest attingi.

Est contra Vas. citatum *n.* 170. Eam tamen tenent Petrus Hurt. *disp. 7. de Anim. sec. 1.* Artiag. *disp. 6. sec. 4.* & alij RR. communiter, quin imo cæteri omnes Philosophi, Theologique videntur citra dubium supponere. Probatur clarè primò. Nam qui alterius errorem dignoscit, fugillatiue, non potest non simpliciter apprehendere integrũ obiectum iudicij, siue propositionis erroneæ. Qui enim fieret vt Arium erroris postularemus dicentem verbum diuinum esse creaturam, nisi totum illud complexum simpliciter apprehenderemus, verbum scilicet, creaturam, identitatemque confictam? Igitur non solum subiectum, & prædicatum sed identitas vtriusque, seu conuenientia simpliciter apprehendi potest, & solet. Secundò nam quoties aliquis dubitat, quæritque an prædicatum aliquod alicui subiecto conueniat, aut non conueniat non solum prædicatum & subiectum apprehendit simpliciter, sed etiam eorum conuenientiam, atque disconuenientiam; cuncta enim hæc constituunt adæquatum obiectum talis quæstionis, vt per se est notum. Tertio: quia iudicans aliquid conditionatè, non potest non apprehendere simpliciter ex parte hypothesis integram obiectiuam propositionem, quæ aliàs adæquatum obiectum iudicij, propositionis vocalis absolutæ esse posset, vt perpendenti conspicuum fiet. Quartò: quia quoties negatio conuenientiæ alicuius prædicati alicui subiecto per iudicium tribuitur, prorsus est necessarium, vt conuenientia ipsa, quæ ipsissimum iudicij oppositi obiectum est, simpliciter apprehendatur. Neque enim fieri potest, vt intellectus negationi conuenientiæ per iudicium adhæreat, ignota omnino conuenientia, ad quam refertur ex suo conceptu negatio ipsa. Ex quibus patet apprehensiones simplices, & iudicia non ex parte obiectorum; sed ex diuersis modis tendendi in eadem obiecta differre, vt *superiùs* etiam tetigimus.

Verum contra hanc doctrinam obijci potest 174
Arist. *lib 3. de Anim cap. 6. text. 21.* Vbi simplicem apprehensionem indiuisibilium intellectionẽ appellat, cum tamen vbi adest iudicium, compositionem dicat conceptuum fieri. Sentit ergo apprehensionem simplicem in obiectum complexum, quale est obiectum iudicij, fieri non posse; alioquin non minus per illam, quàm per iudicium fieri compositionem doceret. Respondeo. Arist. in eo loco propterea simplicem apprehensionem vocare indiuisibilium intellectionem, quia hæc dum vnica est, vnicum tantum obiectum indiuisum potest nobis repræsentare, prout *supra q. præced. n.* 131. ex ipso Arist. ostendimus. Per iudicium autem id circò dixit compositionem cõceptuum fieri, quia ob peculiarem modum tendendi, quem habet suasiuum, & determinatiuum suo veluti nixu, seu impetu prædicatum subiecto adiungit, quando est affirmatiuum, aut ab eo separat, quando est negatiuum; quod tamen simplex apprehensio præstare non valet; etiamsi circa idem omnino obiectum iudicij versetur, quia versatur circa illud simplici quodam, lenique aspectu, & ad vtrumuis prorsus indifferente. Quocirca, cum quis interrogat, vtrum Petrus sit sapiens, tametsi apprehẽdat simpliciter Petrum, sapientiam, & conuenientiam vtriusque, non dicitur attribuere Petro sapientiam; quemadmodum quando affirmat *Petrus est sapiens*: cum tamen per hanc affirmationem nihil aliud ex parte obiecti, quàm per illam quæstionem tangat. Verùm de his statim plura.

Hypothesis 2.

Ea est mira intellectus nostri proprietas pro hoc 175
statu, vt nihil omnino iudicare possit absque duobus saltem terminis, siue conceptibus obiectiuis, quorum alter verbo, alter nomini, siue verbi suppositio, vt vocant Grammatici, correspondeat.

Certissima est hæc hypothesis, frequentéque omnium experimento bene aduertenti exploratissima. Vt tamen luculentius appareat notandum est cuiuslibet omnino verbi significatum actum vocari apud Philosophos præsertim antiquiores, eo quod non potest non à nobis concipi instar cuiusdam exercitij actualis suppositi; siue subiecti, cui tale significatum per nostrum iudicium, aut attribuitur affirmando, aut negando detrahitur. Vnde actus per verbũ significatus è genere relationum, siue respectuum est ex conceptu suo. Respicit enim & subiectum, cuius est actus, & terminum, circa quem per talem actum ipsum subiectum exercetur. Exemplo sit actus, quo visus noster dicitur videre parietem; ille enim & significatur per verbum

verbum *video* & est exercitium, quo visus sese exercet circa parietem, & ex suo conceptu respicit tum visum, cuius actus est, tum parietem, circa quem est; idemque reperitur in omni actu, qui per quoduis verbum significatur, ex proprio conceptu. Nam omnes similem sibi vendicant conceptum obiectiuum in mente nostrâ: cum omnes eodem modo concipiantur: sicut eodem significantur, atque coniugatur per verba.

176 Porro eiusmodi actus ipsissimum est obiectum iudicij nostri. Intellectus quippe noster neutiquam ferri potest pro hoc statu, qualiter ad iudicandum oportet, in id quod non obijcitur per modum actus & exercitij alicuius subiecti. Quod cunctis satis compertum, & exploratum erit, si aduertant. Inde enim prouenit, vt absque verbo neutiquam possimus aliquid affirmare, aut negare, vt constat; & consequenter neque absque supposito verbi. Etenim nullum est excogitabile verbum, sine supposito aut expresso, aut subintellecto, vt dogma solemne Grammaticorum est: quia nimirum nullus est excogitabilis actus, qualem omnia verba significant, qui non sit actus alicuius subiecti se se per ipsum exercentis, quale significat suppositum. Grãmaticis quippe est suppositum, quod logicis subiectum. Atque ita æque repugnat apud illos esse verbum sine supposito; ac apud hos esse prædicatum sine subiecto. Proprijssimum enim prædicatum id est, quod significat verbum, vt postmodum exponam.

177 Et quoniam nullus est cæterorum verborum actus, qui non præsupponat, & inferat actum significatum per verbum *possum*. Semper enim valet. *Currit; ergo potest currere. Videt, ergo potest videre. Vnitur; ergo potest vniri. Est; ergo potest esse* &c. Idcirco actus verbi *possum*, qui in abstracto significatus *potentia* dicitur; actus primus respectu cæterorum iure optimo appellatus est, & cæteri respectu eius actus secundi. Vt hinc perspicias vnde prouenerit, quod potentia in vniuersum actus primus vocetur, reliqui autem omnes actus, actus secundi. Est autem actus verbi *possum* prior reliquis actibus, eoque iure primus respectu eorum: quia omnis actus secundus essentialiter cum suâ potentiâ connexus est non mutuâ connexione posteriùsque proinde, quam illa suapte natura iuxta dicenda de ordinibus prioris, & posterioris *inferius disp.* 15. Vnde rursus efficitur, vt ab actu ad potentiam semper sit bona consequentia; sed non è conuerso. Quæ omnia satis conspicua sunt bene aduerenti, & obseruanti.

178 Cæterum quia habere illa probe perspecta eximij sane momenti est, vt ex decursu huius operis compertum fiet. Quo ea luculentiùs adhuc appareant, & firmius constent; notandum vlterius est, idcirco ab Arist. à totaque Antiquitate dici nos iudicare componendo & diuidendo, affirmatiuumque iudicium compositionis, negatiuum verò iudicium diuisionis vocari: quia non possunt non ex parte obiecti; dum iudicamus, duo saltem nobis conceptus obiectiui obuersari; quorum alterum vel cum altero componimus, siue coniungimus per iudicium affirmatiuum; vel ab eodem diuidimus, siue disiungimus per negatiuum. Itaque huiusmodi iudiciorum nostrorum compositio, & diuisio non se habent ex parte actus; cum certum sit affirmatiuum, & negatiuum æque esse in se actus aut compositi, aut simplices; sed ex parte obiecti, vt est notissimum, traditumque ab Arist. *lib. 3. de Ani. cap. 6. text.* 21. à S. Th. PP. Conimb. P. Toleto, & alijs expositoribus *ibi*. Textus Philosophi ita habet. *At in quibus iam falsitas, & veritas ineſt, in hisce compositio quædam iam est conceptuum.* Puta obiectiuorum. Subdit enim exemplum. *Sic & hæc comparata componi solent, vt incommensurabile, & diameter.* Constat autem *incommensurabile, & diameter*, quæ componi dicuntur ab Arist. esse conceptus obiectiuos. Incommensurabilitas enim proprietas est diametri, & costæ Quadrati, vt demonstrat Euclid. *lib.* 10. *Elementorum propositione vltima.* Atque adeo verè de tali diametro affirmatur esse incommensurabilem, componendo hoc prædicatum cum illo subiecto. Accinit S. Th. *lib.* 1. *Periherm. lec.* 1. Sic incipiens. *Sicut dicit Philosophus in 3. de Anima, duplex est operatio intellectus; vna quidem, quæ dicitur indiuisibilium intelligentia. &c. Alia est operatio intellectus, scilicet componentis, & diuidentis.* Et mox *Harum autem operationum prima ordinatur ad secundam, quia non potest esse compositio, & diuisio nisi simplicium apprehensorum.*

Itaque quemadmodum causa efficiens physica 179
per eum actum dicitur componere hominem effectiuè, per quem inter materiam, & animam ponit vnionem. Per eum autem actum dicitur hominem effectiuè diuidere, per quem dictam vnionẽ amouet, siue corrumpit. Ita intellectus per eum actum dicitur componere obiectum, puta quasi effectiuè, per quem vnionem obiectiuam ponit; per eum autem diuidere, per quem talem vnionem remouet. Dicitur autem illam ponere, cum affirmat: remouere autem, cum negat, sumptâ analogiâ à causis physicis ponentibus, aut amouentibus vnionem physicam. Cæterum sicut causa physica bifariam vnum cum alio solet componere. Primò mediâ vnione ab vtroque extremo distinctâ; vt dum componitur homo ex corpore, & animâ media vnione interiecta. Secundo sine vnione distinctâ ab vtroque extremo; vt cum componitur aliquod totum ex modo, & re, cuius est modus, vt est notum (modus quippe se ipso, & sine vnione media affigitur, vniturque rei, cuius est modus, vt est notum) Sic etiam intellectus quandoque vnum alteri coniungit intentionaliter mediâ vnione, seu copulâ intermediâ. Vt cum affirmat hominem esse animal. Per tale enim iudicium animal veluti copulatur homini mediâ identitate. Seu actu essendi substantiuo significato per verbum est. Interdum vnum alteri coniungit absque intermediâ vnione; vt cum affirmat hominem currere. Cursus enim cum concipiatur vt quidam actus, & exercitium hominis absque vnione à se distincta iungitur, & affigitur homini intentionaliter per id iudicium. Pariterque philosophandum proportione seruatâ de diuisione oriundâ à iudicio negatiuo.

Hypothesis 3.

Ex dictis circa præcedentem hypothesim non- 180
nulla scitu dignissima colligenda veniunt.

Primò enim colligitur ad iudicium nostrum cõpositionis, aut diuisionis necessariam omnino esse pluralitatem conceptuum obiectiuorum, vt statutum est, Philosophusque, & eius interpretes cum totâ Antiquitate supponunt. Nam sicut impossibilis est compositio physica vnius cum alio, & diuisio physica vnius ab alio, si non sunt physicè vnum & aliud; ita etiam est impossibilis compositio intentionalis vnius conceptus obiectiui cum alio, & diuisio intentionalis vnius ab alio, si non sunt vnus, &

Omissa sunt plurima folia

Vt patet in omnibus compositis ex partibus homogeneis, quæ prædicata habent eo ipso sibi, & omnibus suis partibus per physicam identitatem communia. Ita prædicatum albedinis contractum ad totam albedinem, & ad omnes partes eius, de omnibus, & singulis verificatur per physicam identitatem, quia & tota albedo, & quælibet pars physicè, & realiter est albedo.

Propositio 2.

376 Multoties etiam transcendit prædicatum omnes partes compositi physici per physicam adiectionem.

Quoties videlicet aliquod accidens homogeneum omnibus, & singulis partibus subiecti alicuius conuenit physicè, ita transcendit albedo omnes, & singulas partes quantitatis; cui inhæret, quia de omnibus, & singulis prædicatur verè, siue per modum actus, siue in concreto; omnes quippè albescunt siue sunt albæ per albedinem sibi adiectam.

Propositio 3.

377 Stando in sententiâ satis communi de compositione continui ex partibus in infinitum diuisibilibus; atque adeo vnitis per infinita indiuisibilia, prædicatum datur transcendens per inclusionem physicam omnes, & singulas partes compositi physici. Negato verò vt impossibili huiusmodi compositionis genere, tale prædicatum transcendens impossibile est.

Secunda pars propositionis ostenditur: quia si partes compositi physici non sunt diuisibiles in infinitum, partes, à quibus primò incipit compositio eius, & in quas vltimò illud resolubile est, indiuisibiles erunt, vt constat; & consequenter incapaces, vt in ipsis aliquid per inclusionem physicam includatur, vt etiam est notum: ergo repugnat prædicatum transcendens per inclusionem physicam omnes, & singulas partes talis compositi.

378 Prima etiam pars propositionis conspicua est: quia prædicatum vnionis in omnibus omninò, & singulis partibus compositi reperitur physicè inclusum stando in eâ sententiâ: quia nulla est omnino compositi pars, quæ physicè non componatur ex aliis mediâ aliquâ vnione, quæque subinde vnionem aliquam physicè non includat in se. Suppono itaque vniones, quà tales, iuxta dictam compositionem sub nomen partium non venire. Si enim venirent, cum illæ sint indiuisibiles, inepræque subinde ad quidpiam physicè includendum, fieret vtique iuxta doctrinam *numero præced.* vt neque in sententiâ dictâ esset possibile prædicatum per physicam inclusionem transcendens omnes omnino partes compositi physici. Loquor etiam de prædicato non formaliter, sed fundamentaliter sumpto: nam loquendo formaliter secundum nostrum modum concipiendi, & iudicandi, prædicatum, de quo tractamus, non conuenit subiecto per inclusionem physicam; sed per adiectionem metaphysicam, quia concipitur per modum actus. vt constat ex vniuersali doctrinâ dictâ *disp. 2. q. 4.* & *disp. 8. q. 1.* Quod tamen ad institutum præsens parum interest, aut nihil.

379 Fateor quidem ex huiusmodi transcendentiâ, quâ prædicatum vnionis per inclusionem physicam transcendere dicimus omnes omnino partes continui, suppositâ dicta sententiâ, vnum ex potissimis argumentis desumi, quibus sententia ipsa quam supponimus, impugnatur. Sic enim argui potest. Et pono iuxtà sententiam dictam nihil aliud esse in hoc calamo præter partes, & vniones, quibus illæ vniuntur; nam licet sint etiam aliqua indiuisibilia terminatiua ea ad argumentum faciendum nihil interfunt; proindeque suppono ea non esse; & sic argumentum efformo. Vel præter omnes omnino vniones huius calami restat insuper in illo aliquid aliud, vel nihil restat? Si nihil, calamus ex solis vnionibus coalesceret, contra suppositionem. Si aliquid: id in se nullam includit vnionem, etiam contra suppositionem: quia præter omnes omnino vniones nulla restare potest vnio, vt constat: restaret autem, si in eo quod præter omnes restat, aliqua vnio ineluderetur. Confirmatur primò. Pone iudicium citra dubium possibile de existentiâ omnium omnino vnionum huius calami præscindens ab omni alio obiecto. Tum sic: aut posito tali iudicio ignoratur aliquid de calamo, aut nihil? Si nihil, ergo calamus solis vnionibus constat. Si aliquid: id nullam vnionem claudat necesse est; quia si id, quod prorsus manet incognitum per tale iudicium, clauderet aliquam vnionem, hæc simul esset cognita, & incognita per tale iudicium, quæ sunt contradictoria. Confirmatur secundò. Aut collectio omnium vnionum calami est idem adæquatè cum calamo, & sic iterum calamus constabit solis vnionibus: aut solùm inadæquatè; & sic erit in calamo aliquid, à quo adæquatè distinguatur talis collectio vnionum, quod subinde pars erit carens omni vnione, contra suppositionem. Repugnat enim distingui aliquid ab alio adæquatè, quin distinguatur adæquate ab aliquo contento in illo: nam distinctio, & identitas inadæquata necessariò est includentis ab incluso, vt constat: incluſum autem nullam aliam habet identitatem cum includente præteream, quam habet secum: ergo præter hanc quid-quid distinctionis restat, adæquata distinctio est: ergo quidquid est in includente præter incluſum ab ipso incluſo necessariò distinguitur adæquatè.

Hæc argumenta, & alia huiusmodi, me qui- 380
dem iudice, satis vrgentia non meam propositionem impugnant, quæ hypothetica est, sed sententiam in eâ suppositam, quæ mihi quidem difficillima est intellectu, nisi in aliquo bono sensu dicatur continuum ita esse diuisibile in infinitum, vt partes, quas de facto habet, non actu sed potestate solùm sint infinitæ. Id quod expressit Arist. *lib 8. Physic. cap. 8. text. 68.* sæpéque *alibi*, & cum eo S. Th. *variis in locis.* Ita enim fiet, vt tandem sit confitendum continuum ex partibus physicè indiuisibilibus esse compositum, atque ita impossibile esse prædicatum transcendens omnem partem compositi per inclusionem physicam, iuxta secundam partem propositionis nostræ. Cæterùm hic locus non est resoluendi hanc difficultatem de compositione continui; præstabo id, Deo dante, *suo loco.* Ob id conditionatè tantùm loquutus sum in propositione.

Propositio 4.

Per identitatem metaphysicam benè potest ali- 381
quod prædicatum transcendere partes compositi physici omnino similes, & æquales. Reliquas verò minimè.

Sermo est de identitate metaphysicâ adæquatâ, nam, quæ inadæquata est, sub aliud membrum cadit diuisionis superiùs factæ, nempe sub ir eluſionem Est autem identitas metaphysica ea, quâ conceptus obiectiui nostri intellectus formaliter, seu per rationem nostram identificari dicuntur, quo sensu dicimus vnamquamque formalitatem non solùm realiter, & physicè, sed etiam formaliter, & metaphysicè esse indistinctam à se ipsâ. Tum definitionem formaliter esse idem cum definito &c.

382 Igitur prior pars propositionis inde mihi probanda venit; quia censeo prædicatum specificum specie logicâ, quale est, quod abstrahitur ab indiuiduis prorsus inter se similibus, & æqualibus, adæquatè posse identificari formaliter cum singulis ipsis indiuiduis, dum ad illa contrahitur, quia detur in eis duplex formalitas, altera speciei, altera differentiæ indiuidualis intrinsecæ, quod euenit, quoties tale prædicatum ab indiuiduis est abstractum, seu potius ex eis aduatum citra præcisionem à differentiis iuxta doctrinam datam *supra quæst.* 14. Quo posito eiusmodi prædicatum specificum abstractum à partibus compositi physici omnino similibus, & æqualibus per identitatem metaphysicam adæquatam dicitur partes ipsas transcendere, dum ad illas mente nostrâ contrahitur, vt satis est notum.

383 Secunda autem pars propositionis ex contrario fundamento probatur; nempe quia prædicatum abstractum à partibus compositi physici vel dissimilibus, vel inæqualibus non potest non saltem logicè genericum esse: de ratione autem generis est componere speciem simul cum differentiâ specificâ, atque adeo inadæquatè dumtaxat cum ipsâ specie identificari: nequit igitur per adæquatam identitatem metaphysicam suas species, & consequenter neque earum indiuidua transcendere.

384 Ex his colligo primò apud eos, qui censent non posse non componi indiuiduum ex prædicato specifico, quodcumque illud sit, & ex differentiâ indiuiduali intrinsecâ æquè ac ex prædicato generico, & ex differentiâ specificâ componitur species; vniuersaliter esse impossibile prædicatum transcendens per metaphysicam identitatem, de quâ tractamus, aliquas partes compositi physici, quæcumque illæ sint.

385 Secundò colligo etiam apud nos esse impossibile prædicatum transcendens pariter omnes partes compositi physici habentis plures, quàm duas indiuisibiles: quia vbi dantur plures, non possunt non aliquæ saltem esse inæquales, quas proinde nullum poterit prædicatum modo dicto transcendere, vt constat ex dictis.

386 Hic tamen oportet aduertere, ne aliqua æquiuocatio subrepat, cùm dicimus aliquod prædicatum transcendere per identitatem aut physicam, aut metaphysicam, non loqui nos de identitate formali, quæ provt à nobis concipitur, distincta formalitas est ab extremis identificatis, cùm sit quidam actus aut rectus, quo vnum extremum dicitur esse aliud, aut circularis, quo vnum dicitur esse ipsummet iuxta doctrinam datam *supra disp.* 2. *quæst.* 4. *& disp.* 8. *quæst.* 2. de huiusmodi quippè identitate formali, quod ad rem attinet, vt de quâdam formalitate aliis adiuncta philosophandum est; proindéque si sit transcendens per metaphysicam adiectionem erit transcendens; sed loquimur de identitate fundamentali indistinctâ penitus ab eo, quod secum est idem aut physicè, si physica sit, aut metaphysicè seu provt in mente nostrâ obiectiuè, si sit metaphysica.

Propositio 5.

Per metaphysicam adiectionem bene possunt ali- 387
qua prædicata transcendere omnes omnino partes cuiusuis compositi physici.

Quia nullæ sunt partes compositi physici, quæ non habeant aliquas passiones metaphysicas sibi communes. De ratione autem metaphysicæ passionis est formaliter superaddi, & adiici subiectis, quorum passio est, vt ex dictis in superioribus liquet, ampliúsque ex dicendis patebit. Adde prædicatum entis, & alia huiusmodi vniuersalissima, quæ per metaphysicam adiectionem transcendunt omnes omnino rerum omnium formalitates, vt videbimus *proposit.* 11. eo ipso non posse non per similem adiectionem transcendere omnes, & singulas cuiuslibet compositi physici partes, vtpotè, quæ res quædam sunt formalitatibus constantes.

Dices, passiones, & quæuis prædicata metaphy- 388
sicè dumtaxat distincta à re, cui conueniunt, & si aliis eiusdem rei formalitatibus metaphysicè possint adiici; at toti rei physicè sumptæ (qualiter partes compositi physici in præsenti propositione à nobis sumuntur) nequaquam posse, cùm talis res physicè aut metaphysicè etiam præcontineat in se eiusmodi passiones, & prædicata sibi identificata realiter. Respondeo primò, sæpè prædicatum contentum in subiecto fundamentaliter, formaliter in eo non contineri; atque ita bene posse formaliter ei superaddi. Quo pacto fieri potest vt partes compositi physici apprehensæ ex parte subiecti, quoad totum, quod realiter sunt fundamentaliter tantùm contineant prædicatum, quod eis superadditur formaliter, iuxta doctrinam à nobis traditam *disp.* 2. *quæst.* 4. *& disp.* 8 *quæst.* 2. Respondeo secundò ex modo, quem nos iudicandi habemus, semper superaddi prædicatum, aut aliquid prædicati subiecto tametsi illud ipsum formaliter intra subiectum contineatur: quo casu etsi prædicatum non adiiciat subiecto formalitatem à præcontentâ in ipso diuersam, adiicit tamen formalitatem à præcontentâ distinctam per quamdam multiplicationem eiusdem, vt iam *in superioribus* non semel explicui, & nominatim *disp.* 13. *quæst.* 10.

Propositio 6.

Per metaphysicam inclusionem aliqua prædica- 389
ta transcendunt omnes, & singulas partes cuiusuis compositi physici.

Est clarum: quia prædicata omnia genérica, quæ citra dubium omnes habent in se contenta, metaphysicè includuntur in illis; de quo nullum est dubium.

Propositio 7.

Quælibet cuiusuis entis siue creati, siue increa- 390
ti formalitas prædicatum est transcendens per physicam identitatem omnes eius entis formalitates. Per physicam verò inclusionem, vel adiectionem tale esse non potest.

Vtraque pars propositionis certissima est tam in sententiâ præscindentiú, quàm non præscindentiú obiectiuè: quia in omni sententiâ, quælibet cuiusuis entis formalitas quomodolibet supta physicè & identificata cum reliquis omnibus eiusdem entis

forma

formalitatibus, de eisque subinde in sensu physico identico verè prædicabilis est. Nec physicam inclusionem, aut adiectionem desiderantem distinctionem realem comparatione illarum subire potest.

Propositio 8.

391 Quæcumque per physicam adiectionem conueniunt cuilibet enti siue increato siue creato, ea prædicata sunt transcendentia per adiectionem physicam omnes, & singulas talis entis formalitates. Per adiectionem verò physicam, simul & metaphysicam, quædam eorum transcendunt illas, quædam verò non item. Neutra tamen valent ipsas transcedere per physicam identitatem, aut inclusionem.

Ponamus exemplum in Deo, & idem, quod ad rem attinet, de quouis ente creato iudicium esto. Dico itaque prædicata creantis, & Mundo coexistentis, quæ creationem, & existentiam Mundi distinctam à diuinâ substantiâ physicè adiiciunt Deo; per physicam adiectionem transcendere omnes diuinas formalitates, quatenus de omnibus in sensu physico, & materiali verè dicuntur: quia seclusâ distinctione virtuali, quæ hic non interuenit, nullum prædicatum potest vni formalitati Dei, & non reliquis physicè conuenire. vt constat. Deinde dico prædicatum coexistentis Mundo per physicam simul, & metaphysicam adiectionem transcendere omnes formalitates diuinas: prædicatum verò creâtis minime: quia primum de omnibus, & singulis formalitatibus Dei est prædicabile, non solùm in sensu physico, & materiali, sed etiam in metaphysico, & formali. Secundum verò non item; eo quòd nulla formalitas Dei, quæ non sit coexistens Mundo in sensu formali. Cùm tamen sola Omnipotentia in sensu formali sit creans, Quæ autem prædicata in sensu solùm physico, & materiali, & quæ in formali, & metaphysico prædicari dicantur, affatim explicatum est *suprà disp.* 2. *q.* 4. Per quæ prima, & secunda pars propositionis datæ manent probatæ. Tertiâ autem probatione non eget, cum sit certissimum ea, quæ physicè distinguuntur à diuinâ substantiâ, nec posse identificari physicè, nec physicè includi in omnibus formalitatibus eius. Porro prima, & tertia pars propositionis in omni sententiâ de præcisionibus locum habet, vt constat. Secunda verò alioquin apud omnes certa cum substantiâ non præscindentium malè cohæret, vt ex dicendis in sequentibus apparebit.

392 Solùm restat rationem reddere, cur prædicatum coexistentis Mundo omnibus formalitatibus diuinis conueniat formaliter, & metaphysicè. Prædicatum verò creantis soli formalitati Omnipotentiæ, non reliquis. Dico id ex diuersitate naturæ, seu quiditatis tum talium prædicatorum, tum formalitatũ Dei nasci. Nulla quippe est diuina formalitas, quæ ex suo quiditatiuo conceptu, provt à reliquis condistincto non sit existens, atque adeo coexistens Mundo, suppositâ Mundi existentiâ, cùm tamen soli formalitati omnipotentiæ conueniat ex conceptu proprio creare. Quod vt vniuersaliùs exponam regulamque præscribam ad dignoscendum, quę prædicata sint transcendentia metaphysicè, quæ verò non item. Noto, quemadmodum in physicis quædam sunt passiones, & accidentia, quæ alicui, aliquibusve rebus conueniunt physicè, reliquis verò minimè; quædam, quæ aut pluribus rebus, aut etiam omnibus conueniunt propter diuersitatem scilicet naturæ, tum rerum, tum accidentium, & passionum.

Ita pariter in metaphysicis quædam sunt passiones, & accidentia, quæ alicui, aliquibusve eiusdem rei formalitatibus, non verò reliquis conueniunt metaphysicè: quædam verò, quæ omnibus propter diuersitatem videlicet conceptuum, siue quiditatum tum formalitatum ipsarum, tum accidentium, & passionum. Passio igitur, vel accidens conueniens metaphysicè omnibus, & singulis eiusdem entis formalitatibus prædicatum est talis entis transcendens metaphysicè; secus verò passio, vel accidens alicui solùm, vel aliquibus formalitatibus; non tamen omnibus. Porro tunc aliqua passio, vel accidens alicui formalitati dicitur metaphysicè, formalitérque conuenire, quando ita illam afficit, aut denominat, provt à reliquis contradistinctam formaliter, vt eam nihilominùs afficeret, aut determinaret, etiamsi ipsâ persistente, aliæ per impossibile desinerent esse, aut non persisterent.

Quæ quidem regula generalis est tam pro præ- 393
dicatis adiicientibus aliquid physicè supra formalitates, de quibus dicuntur, cuiusmodi sunt ea, de quibus egimus in præsenti propositione, quàm pro prædicatis nihil adiicientibus physicè; sed tantùm metaphysicè, & per rationem, qualia sunt, de quibus in sequentibus. Ita prædicatum coexistentis Mundo ideo est transcendens comparatione Dei quia ita illud, suppositâ Mundi existentiâ, singulis Dei formalitatibus conuenit ex proprio conceptu, vt de qualibet sit verum per locum intrinsecum, fore eam nihilominus Mundo existenti coexistentem, etiamsi per impossibile reliquis deficientibus, ipsa dumtaxat permaneret. Prædicatum verò creantis ideo non est transcendens; quia ita soli dumtaxat Omnipotentiæ conuenit ex proprio conceptu, vt verum sit per locum intrinsecum Deum non creaturum, si retentis reliquis formalitatibus, sola illi Omnipotentia per impossibile deficeret.

Obseruandum tamen est primò prædicata meta- 394
physicè transcendentia rarò esse accidentia formalitatum, quas transcendunt; vt plurimùm enim sunt earum passiones. Et quoniam passionum aliæ sunt immediatæ, & per se notæ; aliæ remotæ, & per aliud notæ, seu noscibiles; Obseruandum secundò est ex prædicatis transcendentibus alia esse per se immediatè iudicabilia de formalitatibus, quas transcendunt, solis terminis apprehensis: quo iure tales formalitates apprehensæ fundamentum præbere dicuntur ad talia iudicia facienda; & ex prædicatis quidem metaphysicè transcendentibus pleraque haud dubiè sunt huius generis, quia vt plurimùm sunt conceptus valde vniuersales, & noti. Alia nihilominus esse possunt non immediatè iudicabilia à nobis, sed solùm beneficio discursus ad quæ subinde iudicanda non dicentur fundamenta per se præbere subiecta eorum apprehensa. En regulam, per quam deprehendes quænam prædicata tum diuina, tum creata sint transcendentia, & quæ non item.

Propositio 9.

Impossibile est in omni sententiâ, quòd aliquod 395
prædicatum transcendat omnes formalitates diuersas eiusdem entis per metaphysicam identitatem.

Sermo est de identitate metaphysicâ adæquatâ, iuxta notationem præmissam *propos.* 4. Propositio autem est certissima: quia in quâuis sententiâ seu præscindente, seu non præscindente obiectiuè, nulla formalitas singularis potest idẽtitate adæquatâ cũ reliquis eiusdẽ entis ab ipsâ, & inter se diuersis idẽtificari formaliter, seu metaphysicè quandoquidẽ

omnes formalitates diuersæ eo ipso sunt inter se distinctæ formaliter, seu per rationem nostram; vt constat. Deinde prædicatum commune abstractum à diuersis formalitatibus eiusdem entis non potest non esse generícum; quia, quæ diuersa sunt non solùm numero, sed etiam specie distinguuntur; & prædicatum generícum nequit cum singulis speciebus, & indiuiduis specificis identificari formaliter identitate adæquatâ, vt etiam est notum. Igitur in quâuis sententiâ nulla est possibilis formalitas aut singularis, aut communis, quæ per identitatem metaphysicam transcendat omnes formalitates diuersas eiusdem entis.

396 Loquor autem in propositione dumtaxat de formalitatibus diuersis, hoc est, inter se dissimilibus, aut etiam inæqualibus: quia huiusmodi fermè sunt omnes, quæ in singulis entibus censentur. Si quæ tamen nonnunquam fuerint omnino inter se similes, & æquales respectu harum, benè poterit esse prædicatum transcendens per metaphysicam identitatem. Tale enim erit conceptus communis specificus ab eis abstractus citrà omnem præcisionem à differentiis numericis, iuxta doctrinam datam in simili *propos.* 4.

Propositio 10.

397 In sententiâ non præscindentium impossibile est, quòd aliquod prædicatum transcendat omnes eiusdem entis formalitates per purè metaphysicam adiectionem.

Dico purè metaphysicam, vt excludam modò adiectionem physicam, simul & metaphysicam, de quâ egi *prop.* 8. Ratio autem propositionis conspicua est: quia adiectio purè metaphysica dumtaxat valet reperiri inter conceptus per solam rationem distinctos, quod enim ab alio non per solâ rationem sed realiter distinctum est, non sanè purè metaphysicè, sed physicè insuper dicetur adiici illi, si semel adiiciatur; sed apud non præscindentes prædicatum, quod transcendens vocatur secundum id, quod dicit in recto, idem omnino est ac subiectum, quocirca quoad id præcisè non potest dici subiecto adiici, quia idem sibi ipsi, quâ ratione est idem sibi, adiici non potest, vt constat; secundum id verò, quod connotat in obliquo, siue id sit diuersa cognitio, siue diuersum medium cognoscendi, siue diuersum cuiusuis alterius generis connotatum, realiter ab ipso subiecto distinctum est, vti ipsi non præscindentes ponunt; atque adeo per solam rationem subiecto adiici non potest: ergo absolute in sententia non præscindentium transcendentia prædicatorum per adiectionem pure metaphysicam im-

398 possibilis est.

Adde nec fieri posse in eorum sententiâ, vt aliqua prædicata præ aliis sint transcendentia adhuc per adiectionem physicam simul & metaphysicam. Nam cùm in eorum sententiâ subiectum omnium prædicatorum, quæ eidem rei reali conueniunt, idem conceptus sit obiectiuus, quantum ad id, quod dicit in recto, & cui prædicata conueniunt, quidquid sit de extrinsecis connotatis, efficitur omnia prædicata adiectiua, quæ eidem rei reali conueniunt, de eodem omnino subiecto, eodemque omnino modo verificari; atque ita vel omnia pariter, vel nulla transcendentia per adiectionem physicam simul & metaphysicam dicenda esse. De quo iterum redibit sermo *propositione duodecima.*

Propositio 11.

Secundum meam, & communem præcisionum 399
obiectiuarum sententiam plurima dantur prædicata, quæ omnes omnino formalitates eiusdem entis tam increati, quàm creati transcendunt per purè metaphysicam adiectionem.

Pro hâc propositione aduoco omnes Doctores citatos *num.* 370. qui transcendentiam metaphysicam entis, aliorumque huiusmodi prædicatorum admittunt, nam licet plerique eorum videantur supponere eam per inclusionem fieri, saltem in illa adstruenda, quocumque modo fiat, nobiscum conueniunt, & fortasse interpretari poterunt de inclusione solum fundamentali, quo à nostrâ sententiâ non discrepabunt. A quâ quidem neque Scotistæ dissentiunt, quia solùm negant, & quidem iure iuxta dicenda postmodum, metaphysicam transcendentiam entis vsque ad vltimas differentias per inclusionem, per adiectionem verò nequaquam iuxta sua principia negare possunt.

Probo ergo propositionem primò: quia plurima 400
sunt prædicata, quæ non solùm in sensu reali; sed in formali, & metaphysico verificentur de omnibus, & singulis formalitatibus eiusdem entis siue increati, siue creati, à quibus realiter sunt indistincta, adeo, vt si per impossibile quælibet talium formalitatum, aliis pereuntibus permaneret, affecta nihilominus talibus prædicatis persisteret, siue illa sibi retineret annexa. Hoc autem ipsum est transcendere eiusmodi prædicata dictas omnes formalitates metaphysica transcendentia, iuxta regulam supra statutam *propositio.* 8. Quod autem transcendentia ista per adiectionem fiat, ex doctrinâ traditâ à nobis *disputatione secunda, quæstione quarta, & disputatione octaua, quæstione secunda*, & sæpe aliàs repetita de modo nostro iudicandi, ac prædicandi manifestè monstratur. Cùm enim omne prædicatum significabile per verbum, cuiusmodi sunt transcendentia omnia, per modum actus & instar cuiusdam exercitij subiecti, cui attribuitur, concipiatur à nobis, nequit non illud ex conceptu suo esse quid superadditum, & adiectum ipsi subiecto, quod est euenire illi per adiectionem, quæ purè metaphysica erit, quando prædicatum, & subiectum per solam rationem distincta sunt. Vide id in prædicato entis, seu potentis existere quod per verbum *possum* significabile est. Dum enim dicimus *rationalitas potest existere*, non potest non potentia ad existendum concipi vt actus adiectus rationalitati, cui subinde etiam adiicitur, cùm conformatus in participium per verbum substantiuum *esse* ipsi attribuitur, vt cùm dicimus *rationalitas est potens existere*, siue *est ens.* Huiusmodi enim participia, vel nomina semper sumuntur adiectiuè vt possint de subiecto verificari in sensu reali, & formali, vt constat ex doctrinâ etiam tradita *in citatis disputationibus.* Tantumdemque censendum est de reliquis huiusmodi transcendentibus prædicatis. Dari autem plurima eorum tum in Deo, tum in creaturis manifestum est. Quia talia sunt in Deo immensitas, æternitas, necessitas, & similia: in creaturis, atque etiam in Deo potentia ad existendum, bonitas, veritas, &c. Nulla quippè est formalitas Dei, cui ratione sui, & provt ab aliis condistinctæ non conueniat esse vbique, esse ab æterno, necessariò existere, &c. Sicut nulla est formalitas,

aut

aut Dei, aut creaturæ, cui pariter ratione sui non conueniat posse existere, esse bonam, esse veram &c. Quod vel ex terminis ipsis satis superque notum est.

401 Secundò probatur propositio. Quia de aliquibus saltem prudicatis adeo euidens est omnes & singulas formalitates rerum transcendere, vt neque Scotistæ, nec alij quipiam negare id poterunt, si semel eis statuatur transcendentiam aliter fieri, quàm per metaphysicam inclusionem; quoniam hanc solùm tanquam impossibilem negant, quicunque transcendentiam prædicatorum metaphysicam negant, vt iam notaui. Ergo cùm propositio nostra non de transcendentiâ per inclusionem, sed per adiectioné loquatur, nullo prætextu poterit quispiam ei refragari. Etenim euidentissimum est, quamlibet cuiusuis entis formalitatem non fictitiam ex proprio conceptu, & ratione sui, nullaque aliarum ratione habita, cum quibus idétificatur esse possibilem, esse veram, esse perfectionem &c. Similiter de quauis formalitate Dei, supposito, quod sit Dei, euidens esse eam per se & ratione sui æternam, immensam, bonam, &c. Et confirmari potest; quia certum est in scientiis humanis primam passionem metaphysicam conceptui essentiæ esse annexam, conceptui autem primæ secundam, secundæ autem tertiam &c. eo quod aliquæ formalitates præ aliis cum aliquibus connexæ sunt metaphysicè ex proprio conceptu, & ratione sui, quemadmodum in rebus physicis aliquæ præ aliis cum aliquibus physicè connectuntur. Igitur sicut in physicis sæpe sunt res, cum quibus aliæ plures, aut omnes alicuius generis, aut absolutè omnes physicè ratione sui connectuntur; ita in metaphysicis nihil vetat, quominus sæpe sint prædicata, cum quibus omnes & singulæ alicuius entis, aut alicuius generis entium, aut absolutè omnium formalitates metaphysicè connectantur per se immediatè, siue ratione sui; atque ita talia prædicata talibus formalitatibus per se & formaliter conueniant. Quod ipsum est prædicata huiusmodi transcendentia metaphysicè esse. Quod autem eorum transcendentia, siue transcendens conuenientia, seu prædicatio per adiectionem metaphysicam fiat, tum ex modo nostro prædicandi nuper commemorato constat. Tum quia illa nec per identitatem metaphysicam, vt constat *ex propositione 9.* nec per inclusionem, vt constabit ex *proposit.* 12. & 13. possunt transcendere; aliud autem genus metaphysicæ transcendentiæ excogitabile non est, vt liquet ex totâ hâc quæstione.

402 Tertiò, probatur propositio; quia illud euidentissimum axioma, *quodlibet est, vel non est* non solùm de quolibet ente adæquato, & in sensu reali, sed de qualibet cuiusuis entis formalitate, & in sensu formali verificatur, vt apud omnes est in confesso. De quolibet enim excogitabili conceptu obiectiuo non potest non verificari in omni sensu reali, & formali quoduis disiunctum quorumuis prædicatorum sibi contradicentium, eo ipso, quod inter duo contradictoria non datur medium, provt per præfatum axioma statuitur. Ergo imprimis quoduis disiunctum contradictoriorum prædicatum transcendens est omnem omninò cuiusuis entis formalitatem, quæ transcendentia vagè saltem metaphysica erit, quando alterum ex contradictoriis à formalitatibus, de quibus ipsorum disiunctum prædicatur, realiter distinctum non est. Deinde, quia, quo sensu de quouis subiecto verificatur contradictorium disiunctum, eodem de subiecto ipso debet alterum contradictorium determinatè verificari; eo quod ex duobus contradictoriis necesse est alterum esse, & alterum non esse determinatè: ideo quoties contradictorium negatiuum in sensu formali de omnibus formalitatibus eiusdem entis falsificatur, vt sæpe fit: non potest non positiuum de eisdem formalitatibus in sensu formali verificari, atque adeo illas omnes transcendere metaphysicè, si realiter ab illis distinctum non est. Sic quia de omnibus, & singulis formalitatibus diuinis falsificatur in sensu formali non esse vbique, de eisdem in eodem sensu verificatur esse vbique, quod est prædicatum positiuum immensitatis illas omnes transcendere, quod pariter euenit in aliis huiusmodi. Fieri autem transcendentiam istam per adiectionem satis superque ex dictis liquidum est.

Verùm contrà doctrinam propositionis oppo- 403
ni potest, sequi ex illâ in formalitatibus transcendentibus dari progressum in infinitum. Nam si rationalitas, exempli gratia, est ens per potentiam ad existendum ipsi metaphysicè adiectum, eadem rationalitas vt præcisa à tali potentiâ erit pariter ens per aliam, & vt præcisa ab hac per aliam, & sic in infinitum. Similiter quæuis potentia ad existendum erit ens per aliam sibi superadditam, & hæc per aliam, & sic sine fine. Id namque iuxta doctrinam stabilitam fert secum noster modus iudicandi per adiectionem prædicati ad subiectum. Respondeo primò hoc argumentum etiam contra transcendentiam metaphysicam per inclusionem militare, atque adeo ab omnibus esse soluendum. Nam si rationalitas est ens per rationem entis in se inclusam, si semel hanc à rationalitate præscindas, alia ratio entis in rationalitate manebit inclusa, & hac præcisâ alia, & sic in infinitum. Similiter quæuis ratio entis per aliam in se inclusam erit ens, & hæc per aliam, & ita deinceps sine fine. Progressio autem infinita per inclusionem longè maiorem difficultatem præ se fert, quàm progressio infinita per adiectionem vt in continuo diuisibili in infinitum, vbi solùm illa habet locum, iuxta dicta *proposit.* 3. cernere licet. Respondeo secundò progressum infinitum dumtaxat syncategorematicè, ita quod multitudo partium actu existentium semper finita sit, augibilis tamen sine fine, absque illo inconueniente admitti etiam in rebus realibus. Tale autem vt summum est, quod probat argumentum factum in formalitatibus transcendentibus, vnde nihil infert absurdi. Respondeo tertiò ne syncategorematicè quidem posse in infinitum multiplicari in mente nostrâ formalitates transcendentes, posito, quod illæ multiplicentur, provt argumentum factum prætendit, ita vt dato quouis earum numero, alius maior de facto dabilis sit. Quia intellectus noster pro hoc statu certam dumtaxat quantitatem obiecti siue continuam, siue discretam potest simul cognitione complecti; ita, quod si aliquid addatur ab vno latere, tantumdem detrahi ab alio necesse sit, vt explicuimus, & ostendimus *disput.* 1. *quæst.* 2. & 3. Demum respondeo quartò formalitates, quæ in casibus argumenti, & similibus possunt ab intellectu nostro sine fine multiplicari, solùm numericè distingui, atque adeo æquiualenter esse eamdem in ordine ad scientiam rerum, vnde extrahuntur, quia non tam ex ipsarum meritis, quàm ex nostro concipiendi modo ducunt originem. Ex quibus patet huiusmodi ducunt

cemodi formalitatum transcendentium progressus in infinitum syncategorematicè tantùm, & nostro intellectui pro hoc statu connaturales esse, & nullum omnino secum incommodum ferre, provt iam etiam *in superioribus* à nobis sæpe dictum est.

Propositio 12.

404 In sententiâ non præscindentium impossibile est, quòd aliquod prædicatum transcendat omnes eiusdem entis formalitates per metaphysicam inclusionem.

Est clarum: quoniam apud non præscindentes omnes, & singulæ formalitates eiusdem entis quantum ad id, quod dicunt in recto, idem omnino sunt metaphysicè, quantum ad ea verò, quæ dicunt de connotato, quæcumque illa sint, realiter & adæquatè inter se distinguuntur Ergo impossibile est vt vna formalitas in reliquis omnibus eiusdem entis claudatur metaphysicè, provt requiritur ad transcendentiam, de quâ tractamus: quia neque idem omnino in se ipso, neque distinctum realiter in distinctis à se realiter, & adæquatè, metaphysicè claudi potest, vt est notissimum. Confirmatur primò, quia negantes præcisiones obiectiuas eo ipso dicunt distinctionem formalitatum à ratione oriundam non ex parte obiecti, sed ex parte solùm actus se habere; ita, quòd conceptus obiectiuus omnium prorsus sit idem, cognitus tamen diuersis modis se habentibus ex parte cognitionis, hoc est, diuersis cognitionibus. Sed neque vna cognitio includi potest metaphysicè in reliquis ad idem obiectum terminatis, neque vnus, & idem conceptus obiectiuus in se ipso. Igitur apud non præscindentes impossibile est, vt vna formalitas in reliquis eiusdem entis claudatur metaphysicè. Confirmatur secundò: quia si nomen *immensitas*, & cætera omnia, ac singula nomina Dei totum, quod Deus est re ipsâ significant, quæcumque dicantur illa insuper connotare extra Deum impossibile est, vt attributum immensitatis per inclusionem metaphysicam transcendat alia Dei attributa; quia nec Deus integer in se toto, nec connotatum immensitatis in omnibus omnium attributorum Dei connotatis potest includi metaphysicè, vt constat.

405 Dicent non præscindentes, contra quos hæc propositio militat, transcendentiam metaphysicam iuxta sententiam suam in eo consistere, quòd nequeat tota res cognosci in ordine ad alia extrinseca connotata, quin cognoscatur simul in ordine ad illud, quod constituit prædicatum transcendens, bene tamen vice versâ. E.g. entitas hominis nequit cognosci in quantum potens rationari, hoc est, relatè ad connotatum rationalis, quin cognoscatur in quantum potens existere, id est, relatè ad connotatum entis. Bene tamen è contra; & ideo formalitas entis transcēdit formalitatem rationalis, sed non è conuerso, Ità philosophantur Ouiedo *contr.* 1. *Metaphysicæ, punct.* 4. *num.* 6. cum Hurt. *disp.* 9. *Log. sect.* 4. *subs.* 5. & alij Recentiores.

406 Sed contrà primo. Quia, vt constat ex dictis, hæc non est transcendentia per inclusionem metaphysicam, vti ipsi passim supponunt dicentes prædicatum entis, & alia huiusmodi formaliter includi, & imbibi in differentiis.

407 Contrà secundò: quia iuxta sententiam ipsorum conceptus entis, seu potentis existere nequit habere pro connotato existentiam, vt aliqui eorum videntur supponere, vti otè indistinctam realiter à potentiâ existendi. Connotatum autem conceptus entis reperti in principio ratiocinandi non posse esse existentiam discursus, vt dicit Ouiedo, palam est: quia cùm conceptus entis in omnibus rebus, in omnibúsque formalitatibus, quibus conuenit, debeat esse eiusdem rationis, vt censet ipse Ouiedo, in omnibus debet habere idem connotatum. Constat autem in aliis rebus, in aliisque formalitatibus conceptum entis non connotare existentiam discursus, imò neque existentiam effectus vt sic, quia non omnes habent effectus, neque existentiam connotati vt sic, quia non omnes connotant quidpiam existens, & plures nihil omnino connotant, vt pluribus confecimus *suprà disp.* 13. *quæst.* 9.

Contrà tertiò: quia prædicatum entis, & alia 408
huiusmodi, nō connotatis rerum extrinsecis, sed intrinsecis earum conceptibus conueniunt, & attribuuntur, dum de omnibus, & singulis talium rerum formalitatibus verificantur, & prædicantur, vt constat. Prædicatum enim entis non ideo dicitur omnes hominis formalitates transcendere, quia in omnibus hominis extrinsecis connotatis; sed quia in omnibus hominis intrinsecis, & identificatis conceptibus reperitur formaliter. Sicut prædicatum immensi non ideo dicitur transcendere omnes formalitates Dei, quia in omnibus Dei extrinsecis connotatis; sed quia in omnibus Dei intrinsecis, & secum identificatis conceptibus reperitur formaliter; extrinseca enim Dei connotata immensa re verâ non sunt: ergo cùm eiusmodi conceptus intrinseci, & identificati in vnaquaque re sint vnicus prorsus, & idem, iuxta sententiam non præscindentium, conficitur iuxta illam prædicatum entis, & similia nec per inclusionem, nec per adiectionem, nec aliter dici posse transcendere plures eiusdem rei formalitates; quin imò de totâ integrâ re, tum illud, tum cætera omnia ipsius rei prædicata indiuisim, eodemque modo verificari, & prædicari; atque adeo neque alia præ aliis, neque vlla omnino transcendentia dicenda esse, vt contra communem consensum conuictus fassus est Arriaga.

Contrà quartò: Quia falsum omnino est, vt be- 409
ne vidit ipse Arriaga, non posse non cognosci à nobis vnamquamque rem in ordine ad ea connotata, quæ iuxta præfatos non præscindentes prædicata transcendentia constituunt, etsi in ordine ad alia possint. Constat enim passim nos concipere alias rerum formalitates, & de eis tractare immemores prorsus prædicatorum transcendentium, quæ illis conueniunt, & consequenter suorum, si quæ habent, connotatorum. Sæpe etiam accidit, vt cognitis aliis rerum prædicatis non transcendentibus, aliqua earumdem transcendentia penitus ignorentur, vt multis argumentis suprà monstrauimus *disp.* 13. *quæst.* 10. vniuersaliter ostendentes prædicata transcendentia, & non transcendentia mutuò inter se esse præscindibilia, & sæpe de facto præscindi. Igitur etsi demus Aduersariis per id constitui prædicatum transcendens, quod nequeant reliquæ eiusdem rei formalitates concipi sine illo, quia nequit non simul cum connotatis illarum cognosci connotatum illius, adhuc in ipsorum sententiâ falsum perfistit aliqua esse prædicata præ aliis transcendentia: quia nulla sunt, quæ necessariò concipi debeant, dum concipiuntur reliquæ omnes eiusdem rei formalitates.

Meliùs profectò dixissent non præscindentes 410
prædicata metaphysicè transcendentia ea esse, quæ ex omnibus cuiusque rei formalitatibus bene inferuntur:

runtur: non transcendentia verò, quæ secus: nam illationes huiusmodi penes extrinseca connotata, relate ad quæ constituunt ipsi rerum formalitates, bene constare possunt, quatenus aliqua connotata illationem habent ex reliquis, non verò è contra. Cæterum, quia sæpe sæpius in obiectis humanarum scientiarum eiusmodi connotata pro distinguendis ipsorum formalitatibus non suppetunt, vt fusè demonstrauimus *supra disp. 13. quæst. illâ 9. citatâ*, & eis deficientibus nulla est formalitas, quæ mutuò non inferatur ex reliquis eiusdem rei, iuxta sententiam non præscindentium: quia omnes, seclusis connotatis, vnicus sunt, & indiuisus conceptus; ideo ne isto quidem modo defendi potest in eorum sententiâ aliqua esse prædicata transcendentia præ aliis. Adde per istud genus transcendentiæ potius dicendum esse vnum connotatum transcendere physicè alia ex quibus infertur, quàm vnam formalitatem transcendere metaphysicè alias, quæ in ordine ad talia connotata constitui dicuntur.

411 Ex quibus omnibus concluditur, semel sublatis præcisionibus obiectiuis, omnem omninò transcendentiam prædicatorum metaphysicam è medio tolli, vt vel inuitus fortasse fassus est Arriaga.

Propositio 13.

412 Etiam suppositâ nostrâ, & communi præcisionum obiectiuarum sententiâ, impossibile est, quod aliquod prædicatum transcendat omnes eiusdem entis formalitates per metaphysicam inclusionem.

In hanc propositionem conueniunt omnes Scotistæ & reliqui qui absolutè negant transcendentiam entis, aliorumque huiusmodi prædicatorum, loquuntur enim de transcendentiâ per metaphysicam inclusionem, vt iam *propos. 11.* notaui. Probatur autem primò: quia si potentia ad exigendum, e.g. transcenderet per metaphysicam inclusionem omnes formalitates hominis; rationalitas esset conceptus per rationem nostram compositus ex potentiâ existendi, & ex aliâ quâpiam formalitate, quæ quidem non posset non esse adæquatè condistincta à potentiâ existendi, & eam excludens à se, vtpotè pars cum illâ componens totum: omnis quippè pars cum aliâ componens totum necessariò excludit illam à se, vt est notissimum. Quo fieret, vt potentia existendi in illâ hominis formalitate non includeretur formaliter, & aliàs includeretur, cum supponatur includi in omnibus, quæ est contradictio. Quod si dicatur in illâ etiam includi; idem argumentum conficiam, donec sistamus in aliquâ, in quâ non includatur: nam hîc progressio infinita locum non habet, cùm nos neutiquam possimus simul concipere infinitas formalitates actu inter se distinctas, quarum aliæ in aliis citra finem actualiter concipiantur inclusæ, vt constat.

413 Dices confusè bene posse concipi à nobis eam infinitam formalitatum inclusarum, & includentium progressionem, vti in continuo in infinitum diuisibile similem partium physicarum progressionem confusè concipimus, etsi concipere nequeamus expresè. Sed primùm caue æquiuocationem: nam strictè, & propriè loquendo aliud est cognitionem esse confusam; aliud esse obscuram. Cognitio cõfusa est, quâ cognoscũtur plura, non tamen vt plura, sed per modum vnius, quo pacto nos sub vno conceptu vniuersali cognoscimus confusè plura inferiora contenta sub illo, & hæc opponitur cognitioni distinctæ tangenti plura, vt plura, & inter se distincta, Vtraque autem harum cognitionum aut clara, aut obscura esse potest: Nam cognitio obscura est, quæ opponitur claræ, tangítque obiectum suum, sine illud sit vnum, siue multiplex, veluti sub luce malignâ, id est, obscurè: Cùm tamen clara, veluti sub perspicuâ luce illud attingat, id est, clarè. Vnde patet discrimen cognitionis confusæ, & distinctæ ex parte obiecti se habere, cùm tamen cognitio obscura, & clara ex modo solùm tendendi discriminentur. Hinc dico cognitione distinctâ, siue ea clara sit, siue obscura, dumtaxat posse nos concipere simul certum, limitatumque numerum conceptuum obiectiuorum. Nam cùm intellectus noster cuncta cognoscat per phantasmata sensibilia habentia aliquam quantitatem, quæ minor minima sensibili esse non potest, in eisque apprehendendis phantasiam sequatur, certam dumtaxat, limitatamque quantitatem obiecti aut continuam, aut ex continuâ, & discreta coalescentem, & consequenter certam, limitatamque multitudinem conceptuum obiectiuorum potest simul suâ apptehensione complecti; adeo vt si aliquid amplius velit concipere, tantumdem ex præconceptis relinquere debeat, vt experientiâ constat, & fusius demonstrauimus *suprà disp. 1. q. 2. & 3.* Tantùm abest vt multitudinem infinitam conceptuum obiectiuorum simul possimus concipere cognitione distinctâ, siue ea clara sit, siue obscura. Ex quo patet neque in aliquo ente infinitas formalitates, neque in continuo diuisibili sine fine infinitas partes posse nos simul distinctè, & per modum plurium concipere, sed necessariò eas finitas, imò, & paucas esse debere. Et quoniam formalitates in ente plures non sunt, quàm quæ à nobis actu concipiuntur distinctæ, quia earum distinctio, & pluralitas à nostrâ dumtaxat nascitur cognitione, ideo licet demus cognosci à nobis in continuo prædicto infinitas partes confusè, dum paucas quasdam dumtaxat distinctè cognoscimus, eo quod talis partium infinitudo, vt ponimus, datur à parte rei, tenditque intellectus ad cognoscendum quidquid ibi est realiter; dum tamen cognoscimus in quouis ente aliquas formalitates distinctè, nullas alias, nedum infinitas dici possumus cognoscere confusè: nisi fortasse eas, quas prius cognitas distinctè postmodum sub vno conceptu secundario adunamus, vti adunare solemus formalitates generis, & differentiæ sub vno conceptu definiti: quo iure sub conceptu definiti dicuntur complecti confusè, quæ per definitionem attinguntur distinctæ, iuxta doctrinam latiùs traditam *supra disp. 13. q. 9.*

Ex quibus liquet progressionem actu infinitam 414
formalitatum inclusarum, & includentium neque confusè, neque distinctè, neque obscurè, neque clarè posse concipi à nobis, & consequenter illam omnimodis impossibilem esse; sistendumque necessariò esse subinde in aliquibus formalitatibus, quæ non includant in se formaliter eam, quæ dicitur omnes transcendere, quales sunt vltimæ differentiæ; atque adeo transcendentiam metaphysicam per inclusionem actualem vsque ad vltimas differentias nequaquam fieri, provt opinati sunt Aduersarij. Adde nec fieri posse per inclusionem fundamentalem, præbentibus scilicet fundamentum ipsis vltimis differentiis, vt nos in eis formalitatem transcendentem concipiamus inclusam partientes videlicet illas in duas formalitates, cùm an-

reà essent penitus indiuisæ: quoniam vltimæ differentiæ dumtaxat possunt fundamentum præbere, vt nos iudicemus de illis formalitatem transcendentem, nequimus autem iudicare supposito modo naturali, quem iudicandi habemus, nisi attribuendo eam ipsis per modum cuiusdam actus ab eisdem adæquatè distincti. Quo fit, vt transcendentia talis formalitatis necessariò per adiectionem metaphysicam fiat, vt *propos.* 11. statutum est.

415 Secundò probatur propositio, suppositò quod potentia ad existendum e.g. in rationalitate includatur, vt censent Aduersarij. Aut præter totam potentiam existendi repertam in rationalitate restat aliquid insuper in ipsâ rationalitate formaliter, aut nihil prorsùs restat? Si nihil: ergo potentia existendi non magis includitur in rationalitate, quàm in se ipsâ, potentiaque existendi, & rationalitas idem omninò conceptus obiectiuus est synonymè significatus per ista nomina: quo nihil absurdius, neque remotius ab Aduersariorum sententiâ. Si verò præter totam potentiam existendi restat in rationalitate aliquid, id quidem nequit in se includere potentiam existendi: quia aliàs, præter totam potentiam existendi, restaret potentia existendi, quod est implicatorium, vt patet.

416 Tertiò pone hominem per cognitionem præcisiuam cognoscere omnem omninò potentiam existendi imbibitam in rationalitate, & nihil ampliùs, quod in opinione præscindentium obiectiuè, in quâ procedimus, manifestè est possibile. Quo posito, rogo. Aut talis homo ignorat aliquid de rationalitate, aut nihil? Si nihil: ergo rationalitas formaliter amplius non est, quam potentia existendi, quod & absurdum est, vt patet, & omnem inclusionem formalitatis transcendentis è medio tollit, vt etiam patet. Si aliquid; in eo vtique nequit includi aliqua potentia existendi: Fieret enim vt aliqua potentia existendi in rationalitate imbibita ignoraretur, seu non cognosceretur à tali homine: quo tempore cognoscitur omnis, quod est contradictio.

417 Quartò probatur propositio: quia si potentia existendi includitur in rationalitate non potest non distingui ab illâ inadæquatâ distinctione tanquam inclusum ab includente: sed quoties aliquid ab ab alio inadæquatè distinguitur tanquam inclusum ab includente, necesse est vt habeat in illo aliquid, à quo adæquatè distinguatur, & in quo subinde non includatur: igitur si potentia existendi includitur in rationalitate, necesse est, vt sit ibidem aliquid non claudens potentiam existendi. Quo cessat eius transcendentia per inclusionem vsque ad vltimas differentias, provt ab Aduersariis adstruitur. Cætera patent. Minor probatur: quoniam distingui inadæquatè inclusum ab includente nihil est aliud, quàm esse in includente aliquid adæquatè identificatum cum incluso, & aliquid adæquatè ab illo distinctum, vt satis ex se est notum. Pone ergo omnem omninò potentiam existendi in rationalitate inclusam esse A, & residuum ipsius rationalitatis esse B, eritque coniunctum A B inadæquatè distinctum ab A: quia habet ipsum A, quod secum adæquatè est idem, & B, quod est adæquatè distinctum ab A, atque adeo nihil illius habens inclusum in se.

418 Quintò probatur propositio argumentis omnibus, quibus *disp.* 13. *quæst.* 10. monstrauj formalitates transcendentes mutuò præscindi obiectiuè per intellectum nostrum ab illis, quas dicuntur transcendere. Quod fieri non posset si transcenderent per inclusionem, sicuti censent Aduersarij, vt est notum. Imò verò, quia præcisio non mutua formalitatum omninò impossibilis est, vt ibi monstraui, inde conuincitur transcendentiam metaphysicam per inclusionem omnino implicatoriam esse: quia ex vnâ parte sine ali quâ præcisione formalitatum stare non potest, vt patet. Cùm certum sit non posse includi in alio id, quod illud non componit simul cum alterâ parte à se distinctâ, siue præcisâ: ex aliâ verò parte nulla queat formalitatum præcisio siue mutua, siue non mutua in tali transcendentiâ inueniri. Quo iure P. Vasquez omnem transcendentiam conceptus obiectiui entis (puta per inclusionem) negauit, admittens dumtaxat transcendentiam solius nominis, & cum eo alij, vt videbimus *q. seq.*

Obiici tamen potest, & solet contrà nostram 419
propositionem. Rationalitas, e.g. vt condistincta ab animali non est nihil: ergo est aliquid: ergo est ens formaliter. Resp. esse quidem ens formaliter, non tamen per formam entis in se inclusam; sed sibi adiectam metaphysicè. Concretum enim *ens* ex potentiâ ad existendum tanquam ex formâ, & ex subiecto talis potentiæ coalescit, quod in proposito est rationalitas. Quod concretum subinde adiectiuè vsurpatum in sensu formali verificatur de rationalitate, vt vniuersè omne concretum adiectiuum, seu metaphysicum, seu physicum in sensu formali verificatur de subiecto, cui conuenit, iuxta doctrinam vniuersalem datam *disp.* 2. *q.* 4.

Sed replicabis. Rationalitas vt condistincta for- 420
maliter à potentiâ existendi sibi adiecta non est nihil: ergo est aliquid: ergo est ens, non adiectiuè, sed substatiuè, & intrinsecè: ergo per rationem entis intrinsecè in se inclusam. Respondeo rationalitatem, substantiuè loquendo, dumtaxat esse potentiam ratiocinandi, quæ formaliter conceptus quidam obiectiuus est simplex, de quo (sicut & de aliis huiusmodi) nihil potest prædicari in sensu formali essentialiter præter ipsum de ipsomet, vt si dicas *rationalitas est rationalitas*, aut quid æquialens; quidquid enim aliud prædicaueris, accidentaliter prædicetur de illo, atque adeo adiectiuè necesse est, iuxta doctrinam vniuersalem etiam datam *disp.* 2. *q.* 4. *& sæpe alibi.* Itaque etsi sit verum absolutè loquendo rationalitatem sub quâvis præcisione acceptam ex parte subiecti, esse formaliter ens, verum, bonum, distinctum à reliquis, &c. sumptis (vt absolutè iuxta nostrum communem modum concipiendi sumuntur) his prædicatis accidentaliter, siue adiectiuè metaphysicè: loquendo tamen substantiuè, solùm erit verum in sensu formali rationalitatem esse rationalitatem, esse essentiam, esse aliquid, esse ens fundamentale, &c. sumptis nominibus *essentia, aliquid, ens fundamentale, &c.* vti sumi solent æquiuocè pro quouis conceptu obiectiuo non ficto, & consequenter impræsentiarum synonymè cum his nominibus *rationalitas, & potentia ratiocinandi.* Vide ad rem pluta *loco citato.*

Constat itaque ex dictis in totâ hâc quæstio- 421
ne quot modis dentur tum in Deo, tum in creaturis prædicabilia, seu prædicata transcendentia. Quo pacto illa à non transcendentibus sint discernenda, & quot sint transcendentiæ genera possibilia.

QVÆST

QVÆSTIO XXI.

Vtrum entis, aliorúmque prædicabilium transcendentium conceptus aliquis obiectiuè vnus, atque communis multis detur?

422 NEgant Caietanus *opusc. de ente & essen. cap. 1. quæst. 2. & tract. de nomin. analog. cap. 5. & 6.* Pereir. *lib. 2. Physicæ, cap. 2.* Fonsec. *lib. 4. Metaph. cap. 2. q. 2.* Vasq. *1. part. disp. 2 2. cap. 5. & disp. 114. cap. 2. & disputat. 121. cap. 2.* Capreol. Ferrar. Deza Hispal. Soncin. Fland. quos refert, & sequitur Rub. *in Log. tract. de Analog. num. 38. & sequentibus.* Itaque isti Doctores nomen dumtaxat entis, aliorumque huiusmodi prædicatorum censent esse vnum, & multis commune, non item conceptum obiectiuum per nomen ipsum significatum. Oppositam tamen sententiam tenent Scot. *in 1. dist. 3. q. 1. & 3 & dist. 8. q. 1. & in 2. dist. 3. q. 2.* & cum eo omnes Scotistæ, Iauel. Sot. & alij, quos refert, & sequitur Soar. *disp. 2. Metaph. sect. 2.* Petr. Hurtad. *disputat. 9. Log. sect. 4. & disputat. 2. Metaph. sect. 3.* Arriag. *disputat. 11. Logicæ sect. 1.* Ouied. *controu. 1. Metaphysicæ, punct. 5.* & alij Recentiores communiter. Ego imprimis agam de ente, de quo specialiter plerique, dicturus postmodum nonnihil de cæteris prædicabilibus transcendentibus.

423 Supponendum tamen est primò solùm esse modo sermonem de nomine *ens* provt significat ens reale; nam provt ad ens rationis significandum etiam extenditur, dicemus postea.

424 Secundo supponendum est *ens* duobus imprimis modis, & valde æquiuocè, vt dicemus infra, vsurpari: primò pro existente; secundò pro essente quidpiam, vt ita loquar. Est enim participium verbi *esse*, quod modò actum existendi, modò actum essendi quidpiam, siue identitatem significat etiam æquiuocè. Petrum enim esse in rerum naturâ est Petrum existere: Petrum verò esse rationalem est Petrum identificari cum rationali. Quocirca verbum *esse*, provt significat actum essendi, qui est identitas, dicitur verbum substantiuum, adiectiuum autem sicut & cætera verba, provt significat actum essendi, qui est existentia, eo quod identitas pertinet ad substantiam, siue ad essentiam rei: cæteri autem actus significati per alia verba non item, vt pluribus *suprà disput. 9. quæst. 1. & 2.* explicuimus. Et quoniam omnem actum secundum non potest non comitari actus primus, qui est potentia ad actum secundum, factum est vt *ens* non solùm pro existente, sed etiam pro potente existere vsurpetur, nec solùm pro essente quidpiã, sed etiam pro potente esse quidpiam.

425 Tertiò supponendum est *ens* pro essente quidpiam bifariam rursus posse vsurpari. Primò pro essente quidpiam essentiale, qualis est homo, provt subest actui essendi, quo dicitur *homo est rationalis*. Secundò pro essente quidpiam accidentale, qualis est homo, provt subest actui essendi, quo dicitur *homo est albus*. Ex quibus primum ens per se, secundum verò ens per accidens appellatur ab Aristotele *locis infrà citandis*. De quo etiam plura sunt dicta *loco citato*. His positis sit

Propositio 1.

426 Nomen *ens* sumptum tam pro existente, quàm pro potente existere conceptum obiectiuum significat obiectiuè vnum, & omnibus entibus communem.

Probatur primò ab experientiâ. Audito enim nomine *ens* in significatione propositâ haud dubiè experimur conceptum vnum per ipsum significatum, non plures nostræ menti obuersari. Ergo.

Secuundò certum est nomen *ens* sumptum 427
in sensu dicto vniuersale esse, siquidem de pluribus dici potest: Igitur significat plura: sed non significat plura concepta vt plura, igitur significat plura concepta vt vnum: non enim datur medium, quod est significare vnum conceptum obiectiuum communem pluribus. Quòd autem non significat plura concepta vt plura probatur: quia quoties nomen vniuersale significat plura vt plura, & inter se diuersa, vti euenit in æquiuocis, eo audito, non statim in eius significato quiescimus, donec sciamus, quo sensu vsurpatur, siue pro quo suorum significatorum accipitur. At audito nomine *ens* in communissimâ significatione, de quâ tractamus, statim in eius significato quiescimus, vt constat: Igitur nomen *ens* sic sumptum non habet plura immediata significata, sed vnum, quod est significare illud plura, de quibus dicitur, non quatenus concepta vt plura, sed quatenus concepta vt vnum.

Tertiò conceptui obiectiuo significato per no- 428
men *ens* in significatione prædictâ vnicus dumtaxat correspondet in mente nostrâ conceptus formalis, siue vnica cognitio: ergo conceptus ipse obiectiuus vnum quid obiectiuè est. Consequentia est bona. Nam vt ex doctrinâ sancti Thomæ ostendi. *suprà disp. 2. q. 3. conf. 2.* per vnicam cognitionem non possunt à nobis pro hoc statu cognosci plura vt plura, sed quidquid per vnicam cognitionem à nobis concipitur, nobis appareat vnum necesse est. Antecedens autem imprimis traditur, & latè probatur ab Auctoribus nostræ sententiæ, provt apud Soar. & apud Petrum Hurtadum videre est. Deindè breuiter probari potest primò ab experientiâ. Non enim plures cognitiones, sed vnam haud dubiè experimur, cùm audito nomine *ens* eius significatum modo dicto concipimus. Secundò, quia vni voci in singulari, qualis est *ens*, vna cognitio respondet in mente nostrâ, quando ea ad suum obiectum significandum in actu secundo vsurpatur, vti vsurpatur nomen *ens* in significatione præfatâ. Ob id enim quando vox est æquiuoca, atque adeo plura diuersa significans veluti in actu primo, conceptum determinatum de eius obiecto non formamus, quouisque scimus pro quo in actu secundo significando ea vsurpatur. Et sanè si vni voci, provt iam iam significanti in actu secundo, plures conceptus tum formales, tum obiectiui in mente nostrâ corresponderent: quid opus esset ad significandos plures pluralitate vocum, quas ad id muneris adhibemus? Nec obstat sæpè nos ex vnâ voce audita ad plura cognoscenda per plures cognitiones moueri. Inde enim id nascitur, quod vnum vnicè per talem vocem significatum cætera ferat aliquo modo secum annexa.

Quintò, & potissimè probatur propositio à 428
priori; quia ratio entis per nomen *ens* sumptum, vt diximus, significata manifestè à nobis præscinditur ab specialibus rationibus rerum, de quibus *ens* dicitur; Siquidem passim concipimus aliquid sub ratione entis, imò iudicamus, & scimus illud ens esse, ignorantes penitus, an illud sit substantia, vel accidens, vel aliud quippiam specialius. Imò huiusmodi præcisionem entis, sicut &

alio

aliorum transcendentium, esse obiectiuam multis monstratum est à nobis *supra disp.* 13. *quæstione* 10. Igitur nihil est, quod vetet rationem entis concipi à nobis vt vnam, & communem multis. Patet consequentia: quia vbi non est, quod impediat præcisionem alicuius rationis ab aliis, quas habent insuper res inter se diuersæ, vnde ea fumitur, nihil consequenter est, quod impediat talem rationem ab omni diuersitate exutam, adeò euadere similem, vt in vnicum conceptum obiectiuum omnibusiis rebus communem coire queat, vt ex doctrinâ generali de fundamento adunationis vniuersalium traditâ *supra quæst.* 8. liquidum est. Ob id enim animalis conceptus est vnus, & communis homini, & bruto; quia ratio animalis per præcisionem à rationali in homine, & abirrationali in bruto exuta ab omni diuersitate, quam homo, & brutum re ipsâ habent, adeo in vtroque euadit similis, vt in vnicum conceptum obiectiuum coire possit de factoque connaturalissimè coeat. Similiter ergo ratio entis hoc ipso, quod in substantiâ, & accidente, in aliisque omnibus rebus specialioribus, quantumuis inter se diuersis, ab aliis earum rationibus præscindi potest, ab omni earum diuersitate exuta ita potest in omnibus similis euadere, atque de facto euadit, vt in vnicum conceptum obiectiuum possit coire, atque de facto connaturalissimè coeat.

430 Et confirmari potest primò. Quoniam vel nomen *ens* sumitur pro existente actualiter, vel sumitur pro potente existere? Si priori modo sumatur, concretum est ex actu existendi, & ex subiecto eius. Si posteriori, Concretum pariter ex subiecto & ex potentiâ existendi. Quis autem dubitet actum existendi tum in abstracto, tum in concreto concipi à nobis in omnibus existentibus similem, atque adeo etiam vt vnum quid omnibus iisdem commune? Quandoquidem de eo, vt de tali loquimur, quoties eius occurrit sermo vnica scilicet definitione definientes, in plura membra diuidentes tanquam de vno quodam conceptu multis communi ratiocinantes, &c. si autem tum existentia, tum existens vt quid in omnibus existentibus simile, atque adeo etiam vt vnum eis omnibus commune concipitur, consequens est vt tum potentia existendi, tum potens existere pariter concipiatur. Siquidem potentiæ ad actus similes necunde à nobis dissimiles concipi possunt cum fundamento in rebus, sed semper concipiuntur similes, vt ex dictis à nobis *supra disputatione* 16. constat.

431 Confirmatur secundò. Ideo conceptus substantiæ est vnus, & omnibus substantiis communis quantumuis inter se diuersis, quia in ratione essendi per se vt præcisa ab aliis omnes substantiæ similes, proindeque adunabiles sunt: sed omnia itidem entia in ratione essendi in rerum naturâ, siue existendi, & consequenter etiam in ratione potentis existere vt præcisa ab aliis similia sunt, atque subinde adunabilia, ergo & conceptus entis vnus est, omnibusque entibus communis, quantumuis inter se diuersis, siue nomen *ens* pro potente existere, siue pro existente vsurpetur. Quod enim ratio entis etsi transcendens æquè ac ratio substantiæ à cæteris rationibus sit præscindibilis, atque adeo de facto præscindatur, vt in vnicum conceptum cunctis communem possit coire, plane probatum supponimus ex *disputat. illâ* 13. *quæstione* 10. *citatâ*, nec minùs planè constat insuper ex dictis *quæst. præced.* de transcendentiâ entis.

Verùm contra propositionem nostram opponunt 432
Aduersarij primò sequi ex illâ nomen *ens* prout in propositione accipitur non analogum, sed vniuocum esse comparatione omnium realium. Respondemus id non esse inconueniens, vt constabit *q. sequente.*

Secundò opponunt. Ratio entis transcendit per 433
inclusionem omnes omnium rerum formalitates vsque ad vltimas differentias: ergo non potest ab illis abstrahi, vt in vnicum conceptum obiectiuum cunctis communem coire possit. Hoc potissimùm argumento conuictus est Vazq. cum aliis ad sequendam sententiam nostræ propositioni oppositam. Et quidem semel suppositâ transcendentiâ entis per metaphysicam inclusionem vsque ad vltimas differentias, qualem supponebant Vazq. & alij, nihil efficax est; quia cum tali transcendentiâ non stat abstractio, siue præcisio mutua entis à differentiis, cùm pars à toto mutuò non possit abstrahi, vt constat; neque non mutua; quia ea repugnat, vt ostendi *dictâ disputatione* 13. *quæstione* 10. ex dictisque etiam *quæstione præced. proposit.* 13. liquet: Absque omni autem abstractione à differentiis nequit ratio entis exui à diuersitate, quam habet in singulis rebus, provt est necessarium, vt in vnicum conceptum cunctis communem coire possit; vt constat ex generali doctrinâ traditâ *supra quæstione* 8. Vnde apparet eos Auctores nostræ sententiæ, qui eamdem transcendentiam entis per metaphysicam inclusionem supponunt, malè ab argumento hoc expediri. A quo tamen ego facillimè me expedio, negatâ tali transcendentiâ: censeo enim eam esse impossibilem, vti *q. præced. propos.* 12. & 13. probaui.

Tertiò opponunt aliqui Recentiores. Si daretur 434
ratio vna obiectiua entis ab omnibus entibus abstracta, daretur in creaturâ formalitas; quæ sumpta præcisè non penderet à Deo, atque etiam in Deo daretur formalitas, quæ sumpta præcisè non esset à se? talis enim esset ea ratio entis communis Deo, & creaturæ præcisè sumpta: at vtrumque est absurdum: ergo sententia, ex quâ sequitur, tenenda non est. Sed verò forma ista arguendi pariter contra omnes venit probandum non dari conceptum substantiæ communem spirituali, & corporeæ: quia daretur in Angelo aliqua formalitas, quæ sumpta præcisè non esset spiritualis, & in lapide aliqua, quæ sumpta præcisè non esset corporea, quod similem præ se fert absurditatem. Eodemque iure non dari genus relationis, neque præsentiæ, neque qualitatis, &c. commune spirituali, & corporeæ. Similiter non dari conceptum communem aut intellectus, aut voluntatis, aut scientiæ, aut amoris, aut productionis, aut generationis, aut personæ, aut bonitatis, aut veritatis, aut demum plurium prædicatorum, quæ vel citra omne dubium, vel iuxta communiorem sententiam Deo, & creaturis communia sunt. Ex quibus patet argumentum propositum contra propositionem nostram nullius roboris esse.

Respondeo igitur ad illud. Rationem entis con- 435
sideratam in statu abstractionis, siue adunationis, in quo est indifferens vt contrahatur ad Deum, & ad creaturam formaliter, seu per rationem nostram, seu in mente nostrâ obiectiue neque habere prædicatum essendi à se, nec prædicatum essendi ab alio, quia vt sic est præcisa ab vtroque, in quo nihil absurdi cernitur, cùm tota hæc præcisio opus nostri intellectus sit; realiter enim illa ratio nihil est aliud, quam entitas Dei, & entitas creaturæ, quarum

quarum prima re ipsâ à se, secunda verò ab alio est. Semel tamen contracta dicta ratio, seu formalitas entis ad creaturam per coniunctionem cum aliquâ aliâ formalitate creatâ, & ad Deum per coniunctionem cum aliquâ aliâ formalitate diuinâ, in Deo quidem acquirit sibi prædicatum essendi à se vtpote transcendens omnem formalitatem diuinam: in creaturâ verò prædicatum essendi ab alio, vtpote transcendens itidem omnem formalitatem creatam, idque non per inclusionem, sed per adiectionem metaphysicam, qualiter solùm possunt huiusmodi prædicata, iuxta sententiam nostram transcendere. Pariterque philosophandum est de cæteris prædicatis, siue formalitatibus Deo, & creaturæ communibus, & proportione eâdem de reliquis indicatis, & aliis similibus.

436 Quartò solent nobis opponi quædam Aristotelis loca, vbi docere videtur substantiam simpliciter, & absolutè esse ens; accidens verò tantùm cum addito diminuenti, nimirum entis ens: quo indicatur substantiam, & accidens non in aliquo conceptu per nomen *ens* significato, sed solùm in ipso nomine conuenire. Verùm, quo sensu iis in locis loquatur Philosophus vidimus propositione 2.

Propositio 2.

437 Nomen *ens* immediatè sumptum pro essente quidpiam essentiale, vt ita loquar, & pro essente quidpiam accidentale, qualiter sæpe sumi solet, non significat vnum conceptum vtrique communem. Nihil tamen vetat sumi illud pro essente quidpiam cum præcisione ab iis duobus, quo pacto vnicum conceptum vtrique communem significabit. Tantumdémque venit dicendum de nomine *ens* sumpto pro potente esse quidpiam,

Prima pars propositionis inde probatur: quia actus essendi quidpiam essentiale, & actus essendi quidpiam accidentale, conceptus sunt inter se manifestè dissimiles saltem ex parte termini, atque ita nullatenus adunabiles sub vno conceptu communi, iuxta generalem doctrinam suprà statutam *q.* 8. Ergo concreta ex talibus actibus composita nequeùt non esse etiam conceptus inter se dissimiles. Et consequenter nomen *ens* provt immediatè significans talia concreta non potest non duos diuersos conceptus, non verò vnicum eis communem significare, vt ex doctrinâ etiam *ibidem* traditâ satis superque liquidum est.

438 Quod autem nomen *ens* sumi sæpè soleat in significatione prædictâ inde constat: quia Arist. *libro* 5. *Metaph. capite* 7. *& libro* 7. *capite* 1. diuidens ens in ens per se, & ens per accidens, ens per accidens appellat id, quod per actum essendi sibi identificat concretum aliquod accidentale, vt cùm dicimus *homo est musicus*. Ens autem per se, quod rei quiditatem præ se fert, vtpote identificans sibi per actum essendi suam essentiam, vt cùm dicimus: *homo est animal rationale*, subditque ens per se primariò & simpliciter dici ens: ens verò per accidens secundariò tantùm, & cum addito, vt ens quantum, ens quale, &c. Quo satis indicat has duas differentias entis immediatè citra vllum conceptum communem per nomen *ens* significari. Quo etiam sensu loquitur *ibi* S. Th. & sæpe *alibi*; aliique multi cum Arist. eodem sensu nomen *ens* vsurpare videntur.

439 Sed dices. Actus essendi, qui est identitas, non minùs apparet semper nobis similis, quàm actus essendi, qui est existentia: igitur non minùs ille, quàm hic, tum in abstracto, tum in concreto à nobis erit semper sub vno conceptu adunabilis, quo doctrina tradita ruit. Distinguo antecedens: actus essendi, qui est identitas non minùs apparet nobis semper similis, quàm actus essendi, qui est existentia, quoad intrinsecum suum conceptum concedo; quoad terminum extrinsecum nego, & nego consequentiam. Sat enim est, vt actus intrinsecè similes non sint adunabiles, quòd termini eorum sint dissimiles, vt *q. illâ* 8. *citatâ* probatum est. Et actus quidem essendi, qui est identitas, dissimiles terminos habet, quando identificat subiecto essentiam, & quando identificat eidem concretum quoduis accidentale, vt satis ex se est notum; cùm tamen actus essendi, qui est existentia semper concipiatur respectiuè ad eumdem terminum, nempe ad naturam rerum, in quâ vnumquodque existere dicitur, ad tempùs ve, vel aliud quidpiam, in quo concipiuntur existere quæcumque existunt.

Hinc facilè se dat probatio secundæ partis pro- 440
positionis: nam nihil est, quod vetet terminos actuum essendi, qui sunt identitates, sub aliquo conceptu ipsis communi concipi à nobis exactè similes; atque adeo adunabiles, quo casu etiam isti actus adunabiles erunt sub vno conceptu communi per nomen *ens* significabili, vt ex dictis etiam in *eâ q.* præsertim *conf.* 3. liquidum est.

Vnde etiam patet tertia propositionis pars. De potentiis enim ad actus essendi prædictos eodem modo venit dicendum sub vno conceptu esse adunabiles, sicque vt vnum quid per nomen *ens* significabiles, quando actus, qui eorum sunt termini, adunabiles fuerint, ex parte namque conceptuum intrinsecorum earum nihil est dissimilitudinis tali adunationi repugnans, vt constat ex iis, quæ dicebamus *num.* 430. *sub finem.* Quando autem actus dictarum potentiarum ob terminorum suorum dissimilitudinem sub vnum conceptum vniuersalem non possunt cadere, vti euenit in casu primæ partis propositionis, neque ipsæ potentiæ sub vnum conceptum vniuersalem per nomen *ens* significabilem cadere poterunt: quia vt actus seu primi, seu secundi sub vnum conceptum vniuersalem cadant, & eorum termini, quales respectu potentiarum sunt actus secundi, sub vnum conceptum vniuersalem cadere debent, vt ex generali doctrinâ traditâ *loco citato* iam dictum est:

Propositio 3.

Nomen *ens* immediatè sumptum pro essentibus 441
specialibus essentiæ, vt sic loquar, aut pro essentibus specialia concreta accidentalia, qualia sunt ens homo, ens Angelus, ens Deus, ens quantum, ens quale, ens album, &c. iis omnibus conceptum vnum entis communem significare nequit.

Constat ex dictis: quia licet actus essendi substantiuus, nimirum identitas, quæ eiusmodi concretorum entis est forma, exactè similis in omnibus concipiatur, terminus tamen eius, qui est essentia, vel concretum accidentale, quæ subiecto identificat in singulis sunt dissimilia. Quod satis iuxta dicta est, vt ea omnia sub vnum conceptum entis communem cadere nequeant,

Vnde colliges primò. *Ens* sumptum immediatè 442
pro essente quid increatum, & pro essente quid creatum conceptum vnum, & communem vtrique significare non posse: quia ens increatum, & ens creatum

ex

ex parte termini actus essendi substantiui valde sunt dissimilia. Quo sensu censendi sunt accipere *ens* quotquot docent Deo, & creaturis rationem entis communem dari non posse.

443 Secundò colliges. *Ens* sumptum immediatè pro essente quidpiam essentiale partiale, & pro essente quidpiam essentiale totale vnum conceptum vtique communem significare non posse: quia essentia partialis, & essentia totalis, quæ termini sunt actus essendi, dissimiles sunt inter se. Idémque eueniet, si sumatur *ens* immediatè pro singulis essentiis partialibus, siue partibus essentiæ in speciali, quarum vna est genus, alia differentia, alia prædicabile mixtum, alia anonymum, iuxta dicta *q.* 7. Similiterque de similibus casibus ratiocinandum est.

Propositio 4.

444 Quodlibet aliorum prædicatorum transcendentium, quæ recensuimus *quæst.* 20. conceptus quidam est obiectiuè vnus, atque communis omnibus rebus, earumque partibus seu physicis, seu metaphysicis, quas transcendere dicitur.

Quoniam ibi non de transcendentiâ nominum, sed de transcendentiâ prædicabilium obiectiuorum significatorum per nomina egimus. Impossibile autem est vt aliquod prædicabile obiectiuum transcendens sit aliquo ex modis recensitis in ea quæstione, nisi sit vnum, & commune iis omnibus, quæ transcendere dicitur, siquidem aliquod prædicatum transcendere plura subiecta aliud non est, quàm idem reperiri in singulis, siue singulis conuenire eâ ratione, quâ vnus, & idem conceptus vniuersalis, siue communis iis omnibus, quibus est communis, conuenire, siue in eis reperiri dicitur, iuxta doctrinam suprà statutam *quæst.* 6. Et quidem sicut ad transcendentiam nominis vnitas nominis requiritur, vt est notissimum, ita ad transcendentiam prædicati obiectiui significati per nomen, vnitas ipsius prædicati requiratur necesse est. Quoties igitur aliquod prædicatum obiectiuum aliquo genere transcendentiæ transcendens adstruitur, non potest non illud pariter vnum & commune pluribus adstrui. Quodlibet ergo prædicatum obiectiuum transcendens ex recensitis dictâ *q.* 20. hoc ipso, quod aliquomodo transcendens sit, iuxta *ibi* dicta, non potest non esse obiectiuè vnum, atque commune omnibus rebus, & earum partibus, quas transcendere dicitur, vt propositio nostra fert.

445 Restabat modò quædam consectaria ex dictis in *hâc quæstione* colligere, ea tamen magis commodè colligentur post resolutionem sequentis.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum ens, & alia transcendentia vniuoca sint, aut analoga comparatione eorum, quæ dicuntur transcendere?

446 Esse analoga, & non vniuoca censent, quotquot illis negant conceptum obiectiuum communem, quos *quæst. præced* citauimus. Ex aliis verò, qui talem conceptum concedunt, pariter censent esse analoga, & non vniuoca. Soar. *disp.* 28. *Metaphysica*, *sect.* 3. loquens de ente provt communi Deo, & creaturis, & *disp.* 32. *sect.* 2. loquens de ente provt communi substantiæ, & accidenti. Estque sententia communis inter Thomistas, quam etiam tenent Petrus Hurtadus *disp.* 9. *Logicæ*, *sect.* 3. & alij. Cæterum ens, & cætera huiusmodi prædicata vniuoca esse comparatione eorum omnium, quibus conueniunt, sententia est etiam satis communis inter Nominales, & Scotistas. Eam tenent Ocham *in* 1. *dist.* 2. *q.* 4. Gabriel. *ibidem.* Gregor. *q.* 8. Scotus *in* 1. *dist.* 3. *q.* 1. & 3. & *in* 3. *dist.* 8. *q.* 2. Lichet. & Tartaretus *ibidem.* Anton. Andræ. 4. *Metaphysicæ*, *q.* 1. Trombet. *q.* 2. Rada *contro.* 21. Phil. Faber *Theorem.* 95. Merine. *in Logica*, *cap.* 1. *categ. disput.* 2. *quæst.* 3. & alij tum Nominales, tum Scotistæ. Quibus accedunt Arriag. *disp.* 11. *Logicæ*, *sect.* 2. & *sequentibus.* Ouied. *contr.* 1. *Metaphysicæ*, *punct.* 8. & alij multi Recentiores. Agunt autem omnes isti Auctores de ente provt communi omnibus entibus realibus. Tantumdémque proinde censendi sunt velle de cæteris huiuscemodi prædicatis.

Pro resolutione huius quæstionis duas necesse est præmittere hypotheses ad explicandum quænam æquiuoca, quænam vniuoca, & quænam analoga dicantur. 447

Hypothesis 1.

Æquiuoca dicuntur ea quorum nomen solùm commune est; ratio verò substantiæ nomini accommodata diuersa. Vniuoca ea dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata eadem est. Denominatiua ea dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu. 448

Verba sunt Aristoteli *in lib. Prædicam.* 1. *part.* quam de Anteprædicamentis vocant *cap.* 1. Circa quæ notandum est primò ex Ammonio, Simplicio, Boetio, & aliis, quadrifariam posse se habere aliqua duo penes nomen, & rationem obiectiuam per nomen significatam: aut enim ea conueniunt nomine, & ratione, & dicuntur synonyma, seu vniuoca; aut vtroque dissident, & dicuntur eteronyma, seu diuersiuoca; aut nomine conueniunt, & ratione discrepant, & appellantur homonyma, seu æquiuoca; aut denique ratio vtriusque est eadem, nomina autem plura, vocanturque Polyonyma, seu multiuoca, quamuis hæc (vt notat Simplicius, & vsus communis ostendit) synonyma appellari soleant. Ex quibus primum tantùm, & tertium genus definit Arist. *hoc loco.*

Secundò notandum est æquiuoca, vniuoca, & denominatiua tam dici de nominibus significantibus, quàm de rebus, siue obiectis significatis, distinctionis tamen gratiâ, nomina dici solent æquiuoca æquiuocantia, vniuoca vniuocantia, & denominatiua denominantia. Res verò, siue obiecta per talia nomina significata; æquiuoca æquiuocata, vniuoca vniuocata, & denominatiua denominata. Pariterque loquendum venit de analogis; quæ pariter etiam dicuntur tum de nominibus, tum de rebus per nomina significatis. Aristoteles autem in præsenti æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata definit, vt ex ipsis verbis patet; denominatiuáque itidem denominata definire censendus est. quidquid nonnulli contradicant tum quia aliàs inconsequenter procederet. Tum quia obiecta denominata sunt haud dubiè, de quibus dicit sumere appellationem nominis ab aliquo, à quo, quod ad nomen ipsum attinet, solo casu differunt. 449

Tertiò

450 Tertiò notandum est non solùm nomen strictè sumptum, sed verbum item, & participium, & alia vocabula posse esse æquiuoca, aut vniuoca, aut etiam analoga. Quocirca in definitionibus datis *nomen* latè sumitur pro vocabulo. Tametsi denominatiua solùm possint esse nomina, aut participia: quia eorum obiectum est concretum ex subiecto, & formâ, à quâ sumit denominationem, quod per solum nomen, aut participium significabile est.

451 Quartò notandum est vocabula significare res non prout in se sunt, sed prout à nobis concipiuntur, siue prout sunt in mente nostrâ obiectiuè: assumimus enim illa ad notificandum aliis, quod à nobis conceptum est. Vnde fit tot nos vocabulis vti solere ad eamdem rem significandam, quot de eâ formamus conceptus obiectiuè diuersos; & vice versâ, plures res per vnum vocabulum solere à nobis significari, quando illæ omnes in mentem nostram sub vnum cadunt conceptum obiectiuum. Tametsi etiam soleat contingere, vt & plures conceptus obiectiuè diuersi, siue eiusdem rei siue plurium per vnum à nobis vocabulum soleant significari, & per vocabula etiam plura vnus, & idem obiectiuus conceptus. Qui iidem quatuor casus sunt, quos ex Ammonio, Boetio, & aliis *notat.* 1. retulimus.

452 Igitur æquiuoca dicuntur ea iuxta Arist. quæ cùm in mente nostrâ obiectiuè diuersa sint, seu dissimilia, per vnum nihilominus vocabulum significanda veniunt quoad ipsos conceptus obiectiuos dissimiles, quos in mente nostrâ fortiuntur. Id enim ipsum est eorum solum nomen, id est, vocabulum esse commune, & rationem substantiæ nomini accommodatam, id est, rationem obiectiuæ essentiæ, siue essentiam obiectiuam, ad quam significandam nomen assumitur, esse diuersam. Vniuoca autem dicuntur iuxta eumdem Philosophum, quæ & adunantur in mente nostrâ sub vno conceptu communi, & per vnum vocabulum quoad talem conceptum significanda veniunt. Hoc enim est eorum nomen, id est, vocabulum esse commune, & rationem substantiæ nemini accommodatam, id est, essentiam obiectiuam significatam per tale nomen esse eamdem.

453 Ex quo patet primò vocabulum æquiuocum respondens obiectis æquiuocis definitis ab Arist. aliud esse, quod ita plures diuersos conceptus obiectiuos significat quasi in actu primo, vt modò pro vno, modò pro alio significando in actu secundo vsurpatur; quale est nomen *Gallus*, quod modò ad auem significandam, modò ad significandum hominem natione Francum vsurpatur, & alia huiusmodi. Ad æquiuocationem enim vocabuli non satis est significare plura quâtumuis diuersa, si ita in actu primo omnia illa significet, vt & in actu secundo pro omnibus illis significandis simul sumatur. Vt sic enim significat illa per modum vnius, atque adeo vniuocè, cuiusmodi sunt nomina ista *binarium, quaternarium, multitudo, numerus*, & similia.

454 Secundò patet vocabulum vniuocum respondens obiectis vniuocis ab Arist. definitis illud esse, quod ita significat vnum conceptum obiectiuum multis communem, vt ad ipsum significandum sumatur, semper, siue ille consideretur in statu abstractionis adunatus, quo pacto multis communis est, siue in statu contractionis distributus iam, & contractus ad ipsa multa, semper tamen in illis, aut idem logicè, aut purè, & exactè similis iuxta doctrinâ de conceptu vniuersali traditâ *supr. q.* 4 & 6. Tale est nomen *animal*, quod & de animali in cõmuni, & de animali reperto in homine, & de animali reperto in leone, de cæterisque animalibus, quà talibus vniuocè dicitur. Cæterùm præter vocabula vniuoca multis communia, quæcumque vocabula significant vnicum conceptum obiectiuum quantumuis singulas rem, & non communem pluribus, vniuoca dicenda sunt, hoc ipso, quod vnum conceptum obiectiuum significant, & non plures diuersos, quod enim talis conceptus in vnicâ re dumtaxat reperiatur, aut pluribus communis sit, ad rationem vocabuli vniuoci nihil interesse videtur.

455 Iam verò denominatiua dicuntur ab Arist. concreta adiectiua, quorum nomina suam originem, suamve ethymologiam trahunt à nominibus formarum eorumdem concretorum ab illisque solo casu, siue cadentiâ, hoc est, quoad vltimas syllabas differunt, quæ formæ propterea formæ denominantes vocari solent. Sic concretum, atque etiam nomen adiectiuum *Grammaticus* denominatiuum est à *Grammaticâ*, *album* ab *albedine* paritérque similia. Hinc tamen iam vniuersaliter vsu introductum est, vt subiectum cuiusuis omnino concreti adiectiui à formâ ipsius concreti denominari dicatur, atque adeo etiam à fundamentis, quęcumque illa sint, vnde nostro modo concipiendi desumitur, siue concipitur talis forma, siue per modum actus significabilis per verbum, siue aliter concipiatur, ipsaque seu forma, seu fundamenta formæ denominare dicuntur ipsum subiectum; quin imò omne prædicatum accidentale adiiciens aliquid subiecto iuxta diuisionem factam prædicatorum accidentalium, & essentialiũ *supr. q.* 7. denominatio dicitur conueniens, aut attributa subiecto, siue illud per modũ concreti adiectiui verbo substantiuo *esse* interpositò de tali subiecto prædicetur, siue per modum actus significati per quoduis aliud verbum. Et hęc quidẽ, quantumuis sint inter se diuersa nomina obiecti prout denominati, ipsiusve denominationis, & formæ, aut fundamentorum denominantium. Vnde rursus efficitur vt denominatio eadem subeat diuisiones, quas prædicatum accidentale subit, iuxta dicta loco citato. Quocirca alia dicitur denominatio extrinseca, alia semiextrinseca, alia intrinseca, alia physica, alia metaphysica, &c. Sic à contractu matrimonij præterito dicitur denominari vir *maritus*, & fœmina *vxor*, ipsique conceptus mariti, & vxoris dicũtur denominationes conuenientes prima viro secunda fœminæ. Sic ab actu odij Dei cõcepto ab homine cum libertate dicitur denominari homo ipse *peccator*, siue *peccans*, siue *peccare*, aut *peccauisse*: ipsique conceptus, seu prædicata significata per hæc nomina *peccator, peccans, peccat*, aut *peccauit*, dicuntur denominationes tali homini conuenientes; & in cæteris pariter.

456 Disputant autem hîc non pauci, vtrum denominatiua, quæ Arist. definiuit, æquiuoca sint, aut vniuoca, aut medium quid inter illa extrema: & nonnulli quidem esse ea vniuoca asseuerant. Pleriq; verò, è quibus sunt Tolet. Conimb. & Rub. cum aliis *ad cap. citatum Arist.* cẽsent ea neque esse vniuoca, neque æquiuoca, sed quasi medium inter illa: quia alioquin, inquiunt, non adiunxisset ea Arist. vniuocis, & æquiuocis in eodem capite vt membrum diuersum ab illis. Ego cẽseo denominatiuorum alia quidem vniuoca, & alia æquiuoca dari posse, atque de facto etiam dari. Quo iure Arist. ea vniuocis, & æquiuocis iunxit. Quę enim pertinent ad classem prædicabilium accidentalium, cum iure inter vniuersalia recenseantur tanquam propriæ species vniuersalis in communi, abs iure à classe

vniuocorum remouentur, cum omne vniuersale eo ipso secundum omnes sit vniuocum. Præterquam quod aptissimè conuenit illis definitio vniuocorum tradita ab Arist. Æquiuoca autem ea omnia denominatiua erunt, quæ nominis sui appellationem habuerint ab aliquo vocabulo æquiuoco: qualia sunt *iustus* à *iustitiâ*, *iniustus* ab *iniustitiâ*, & similia. *Iustitia* enim æquiuocè sumitur modò pro virtute speciali iustitiæ, modò pro sanctitate; pariterque *iniustitia* modò pro peccato speciali, modò pro quouis generatim. Atque adeo etiam sub denominatiuum *iustus* æquiuocè veniunt modò sanctus, modò seruans vnicuique ius suum; pariter sub *iniustus* modò lædens ius alienum, modò peccator.

Hypothesis 2.

457 Analogia, quæ medium locum inter æquiuoca, & vniuoca communiter habere dicuntur, solum nomen commune habent, conceptum verò obiectiuum per nomen significatum non item.

Pro intelligentiâ huius hypothesis notandum est primò analogiam propriè sumptam similitudinem habitudinum binarum extremorum inter se dissimilium esse; ita quidem vt quando vnum se habet ad vnum, sicut aliud ad aliud, tunc inter illa bina extrema analogia reperiri dicatur, quantumuis ea inter se dissimilia sint. Quocirca Mathematicorum proportionalitas, quæ similitudo est proportionum binarum quantitatum plerumque inter se dissimilium, analogia græcè dicitur. Talis est quæ reperitur inter proportiones horum binorum numerorum 8. 4. & 6. 3. Nam sicut se habet 8 ad 4. ita se habet 6 ad 3. nempe 8 duplam proportionem habet cum 4. similiterque 6 cum 3. tametsi numeri ipsi omnes inter se sint dissimiles; de quo plura videri possunt à nobis *suo loco* dicenda; vbi de quantitate. Hinc fit similitudinem habitudinum binarum extremorum inter se dissimilium, in quâ consistit analogia, non exactam, & putam (qualis requiritur ad adunanda per rationem sub vno conceptu vniuersali extrema similia, iuxta doctrinam suprà statutam *quæstione octaua*,) sed temperatam, mixtamque cum aliquâ dissimilitudine esse, iuxta dicta ibidem. Quippe habitudines extremorum inter se dissimilium, quæ ab ipsis extremis, aut ab aliquibus eorum realiter distinctæ non sunt, eo ipso non possunt realiter exactè, & purè similes esse. Tametsi per rationem nostram interdum mediâ abstractione seu præcisione ab omni dissimilitudine exutæ exactè, & purè similes in mente nostrâ obiectiuè soleant euadere, vti in proportionalitatibus mathematicis euenit. Eo tamen casu non tam analogiam, quàm vnitatem specificam dicuntur habere inter se. Analogia enim non in quâuis similitudine habitudinum binorum extremorum consistit, sed solùm in temperatâ, mixtâque cum aliquâ dissimilitudine. Vnde rursus effectum est, vt nomen *analogia* non tantùm pro similitudine habitudinum binorum extremorum, sed etiam pro similitudine quorumuis extremorum simplicium accipi soleat, dummodò talis similitudo non pura, & exacta, sed temperata, & mixta cum aliquâ dissimilitudine sit.

458 Secundò notandum est. Ab interpretibus Aristotelis, ab aliisque Logicis communiter multifariam diuidi æquiuoca. Primò in æquiuoca à casu, siue à fortunâ, & in æquiuoca à consilio. Æquiuoca à casu dicuntur, quibus vocabulum æquiuocum casui, & fortuitò impositum est, nullâ eorum consideratione habitâ; nullâque eorum habitudine præbente fundamentum, aut ansam. Hoc pacto sunt æquiuoca homo Francus, & auis prouè significata nomine *Gallus*. Æquiuoca verò à consilio appellantur, quibus ex industriâ ob motiuum aliquod se habens ex parte rerum vocabulum æquiuocum est impositum. Hæc ab aliquibus vniuersaliter appellantur analoga. Ab aliis tamen iterum diuiduntur in purè æquiuoca, & analoga. Appellantur purè æquiuoca, quando motiuum imponendi eis idem vocabulum aliunde quàm ab ipsis desumitur, analoga verò quando ab ipsis. Si quis enim, vel in memoriam sui patris, qui vocabatur Carolus, vel sub spe patrocinij S. Caroli, Carolum iubet filium vocari, tale nomen, inquiunt, purè est æquiuocum, puréque subinde æquiuoca sunt significata eius vel à memoriâ, vel ab spe. Quando verò idē vocabulum pluribus citra vniuocationem imponitur propter aliquam habitudinem inter ipsa repertâ, quæcunque ea sit, analoga, inquiunt, ea sunt, mediumque quoddam inter purè æquiuoca, & vniuoca tenent. Quocirca Rub. *in log. tract. de analog.* & cum eo alij analoga in communi definiunt. *Quorum nomen est commune, ratio verò substantia nomini accommodata neque omnino diuersa, neque omnino eadem.*

Porro analoga sic latè sumpta plerique in tria di- 459
uidunt membra: nempe in analoga secundum inæqualitatem, secundum attributionem, & secundum proportionem. Siue in analoga inæqualitatis, attributionis, & proportionalitatis; paritérque consequenter diuidunt analogiam. Analogiam inæqualitatis dicuntur habere omnia genera, quatenus inæqualiter perficiuntur per differentias. Hæc tamen, inquiunt statim ferè omnes, non est propria analogia: quia non excludit vniuocationem, quam genera habent. Analogiam autem attributionis dicuntur habere illa multa, ad quorum vnum cætera aliquam habitudinem habent, eoque titulo vocabulum eius participant. Sic homo, pulsus, alimentum, pharmacum, & diæta sana dicuntur. Primariò quidem homo, quòd in se sanitatem habet, secundariò verò pulsus, quòd illam indicat; alimentum, quod illam causat; pharmaaum, quòd illam restituit; diæta, quòd illam conseruat. Quoniam autem habitudines plurium ad vnum, à quo vocabulum participant, semper sunt aut effectus ad causam, aut causæ ad effectum in aliquo genere causæ. Idcirco non pauci hanc analogiam attributionis analogiam à causâ vocant, eamque per quatuor genera causarum subdiuidunt; nempe à causâ efficiente, à causâ finali, à materiali, à formali. Analogiam denique proportionalitatis eam dicunt, quam in notatione præcedente nos explicuimus. Qui verò nomine *analogia* similitudinem temperatam, seu mixtam simplicium extremorum, qualem habent homo viuus, & pictus, aliáque huiusmodi non comprehendunt, aliud membrum addunt analogiæ, quam vocant à similitudine, siue similitudinis. Sunt & alij, qui aliud præterea analogiæ membrum adiiciunt ex mixtione analogiæ attributionis, & proportionalitatis consurgens.

Tertiò notandum est Aristotelem analogiam 460
proportionalitatis dumtaxat, quæ sola propriè loquendo, analogia est, agnouisse; atque adeo ea solùm extrema vocasse analoga, quæ propter illam eodem nomine nuncupantur. Ea verò, quæ modò analoga attributionis appellant, ipsum dicta ad vnum, vel ab vno appellare, vt videre est *lib. 4. Metaph. text. 2. & lib. 5. text. 12. & lib. 7. text. 14. & 15. & l. 12 text. 19. 22. & 23. & l. 2. Post. text. 23.*

&

& lib. 1. Eth cap. 6. Vbi ea, quæ dicuntur ad vnum, ab iis, quæ dicuntur secundum analogiam, discriminat, videturque indicare vtraque æquiuoca quædam esse, non tamen à casu. Id, quod supponere videtur. *lib. 7. Physic, cap. 4. text. 31* dum ait. *Equiuocationum autem aliæ nimium distant, aliæ similitudinem quamdam habent, aliæ sunt propinquæ, aut genere, aut similitudine rationis.* Et clariùs *in lib. Prædicam. cap. 1.* Vbi definiens vniuoca, & æquiuoca nullâ speciali mentione, vel distinctione factâ eorum, quæ citra rationem communem eamdem nomenclaturam habent, cuncta hæc sub æquiuocis comprehendisse videtur. Quocirca non abs mente Arist. æquiuoca sumpta vniuersè diuiseris primò in à casu, & à consilio. Secundo, quæ à consilio, in æquiuoca secundum habitudinem ad vnum, & æquiuoca secundum analogiam. Tertiò, quæ secundum habitudinem ad vnum, in secundum habitudinem intrinsecam, & extrinsecam. Hęc namque membra complectuntur homonyma omnia commemorata, & explicata. Si tamen magis tibi arridet consentaneè ad diuisiones Modernorum expositas loqui, loquere iuxta beneplacitum, quia ad rem parum interest. Ego in hypothesi præsenti statuere intendo præter illa, quæ iuxta sententiam omnium vniuoca sunt, cætera quæ eodem vocabulo nuncupantur, siue ea æquiuoca, vniuersè, siue eorum quædam æquiuoca, & cætera analoga appellentur, solum vocabulum, non item rationem, siue conceptum obiectiuum significatum per illud habere communem. 451

Quod imprimis expressè docet Arist. de iis, quæ dicuntur ad vnum, analogáque attributionis à Modernioribus appellantur *lib. 7. Met. text. 14. & 15. & lib. 1. Ethic. cap. 6.* & ferè vbicumque de eis agit, idemque exprimit de analogis propriè dictis, quæ analoga proportionalitatis dicuntur *in dicto cap. 6. lib. 1. Ethic.* & supponit *lib. 5. Metaph. text. 12.* & tenent Caiet. Ferrar. Deza, Perei. Fonsˉ. Vaz, Rub. & alij relati *suprà q. 21.* pro sententiâ negante conceptum communem entis, & aliorum transcendentium, quæ analoga esse supponunt. 452

Deinde probatur ratione: quia conceptus obiectiuus significatus per vocabulum siue æquiuocum, siue analogum non est purè, & exactè similis in singulis analogatis. Igitur neque est adunabilis sub vno conceptu communi. Consequentia constat ex dictis *q. 8.* vbi ostendimus ea dumtaxat sub vnum conceptum communem cadere posse, quæ exactè, & purè similia sunt inter se. Antecedens autem apertè imprimis ex terminis ipsis innotescet per singula quæque analogata discurrenti. Quis enim plane non videt, similitudinem repertam inter risum hominis & risum prati, inter acumen piperis, & acumen gladij, inter pedem animalis, & pedem montis, inter caput hominis, & caput libri, inter aliaque huiusmodi analogata, esse temperatam, mixtámque cum dissimilitudine, non verò puram, & exactam, qualis inter duos calores, duas albedines, duos homines, aliaque eiusmodi extrema vniuoca repetiuntur? Deinde constat: quia audito nomine, quouis ex modis supradictis æquiuoco, aut analogo, vt sunt *sanus, militaris, acutus, suauis*, & similia non statim formamus conceptum rei significatæ, donec scimus, quo sensu à proferente accipitur. *Sanus* quippè dici potest de homine, de pulsu, de cibo, de aere, &c. *militaris* de homine, de equo, de veste, de gladio, &c. *acutus* de homine, de gladio, de allio, de accentu, &c. *Suauis* de cibo, de potu, de musicâ, de vento, &c. Atque ita quousque scimus pro quo ex hisce significatis, quoduis horum nominum sumetur, nominis solùm, non item obiecti significati conceptum formamus, vt experientiâ constat. Formaremus autem, si huiusmodi nomina conceptum vnum suis analogatis communem significarent, vti formamus, quando audimus nomina vniuoca. Hæc satis pro hypothesi datâ. Alia autem, quæ de speciebus analogiæ explicatis ab Auctoribus disputantur, vt parùm vtilia prætermitto; apud illos videri possunt.

Hisque ita suppositis, pergo ad resolutionem quæstionis.

Propositio 1.

Nomen *ens* sumptum tam pro existente, quàm pro potente existere vniuocum est comparatione tum substantiarum, & accidentiũ, tum Dei & creaturarũ, quatenus entia nũcupantur in istâ entis acceptione. 463

Probatur primò: quia nomen *ens* ita vsurpatũ conceptum obiectiuum vnum, communémq; omnibus entibus significat, vt ex dictis *q. 21 prop. 1.* constat, sed nomen vnum conceptum obiectiuum pluribus communem significans eo ipso est vniuocum, si Aristotelicæ vniuocorũ definitioni receptę ab omnibus standum sit, iuxta dicta *hypoth. 1.* Ergo nomẽ *ens* ita vsurpatum comparatione omniũ entiũ vniuocũ est.

Secundò probatur: quia supposito, quòd nomen *ens* sumptũ in acceptione dictâ significat vnum conceptũ obiectiuum omnibus entibus communem, nõ potest esse respectu eorũ aut æquiuocũ, aut analogũ siquidem neque æquiuoca nomina, neque analoga significant vnum conceptum obiectiuum suis æquiuocatis, analogatisque communem, vt *hypoth. 2.* statutum est. Relinquitur ergo vt sit vniuocum, quia nullum restat aliud nominum genus, vt est notum. 464

Opponi tamen potest contrà propositionem primò Aristoteles, qui *lib. 4. Metaph. text. 2. & lib. 7. text. 14. & 15.* fæpeq; alibi nomen *ens* à classe vniuocorũ excludit. Censet enim se habere nomen *ens* ad ens substantiale, & accidentale, sicut se habet nomen *sanum* ad animal sanum, & ad medicinam, vrinam, & cætera, quæ dicuntur sana, respectu quorum certum est nomen *sanum* non esse vniuocũ, sed analogum analogiâ attributionis, iuxta dicta *hypoth. 2.* Quocirca tale etiam nomen *ens* esse S. Th. & cæteri interpretes Aristotelis vnanimiter censuerunt. Respondeo Aristotelem *locis citatis* apertissimè loqui de ente sumpto non pro existente, aut potente existere, vt nos illud sumimus modò, sed pro essente quidpiã (vt sic loquar) de quo nos *prop. 2. & 3.* & de quo proinde S. Th. cæteriq; Peripatetici sẽper loqui cẽsendi sunt. Quare nec Arist. nec S. Th. nec cæteri verè Peripatetici aduersantur propositioni nostræ. 465

Secundò opponunt aliqui: Ratio entis abstracta à Deo, & creaturis, & à substantiâ, & accidentibus priùs est participabilis à Deo, quam à creaturis, & priùs à substantiâ, quàm ab accidentibus: quia Deus priùs habet esse, quàm creaturæ, vtpote earum causa; & substantia priùs habet esse, quàm accidentia, vtpote etiam causa eorum. Creaturæq; subinde à Deo, & accidentia à substantiâ in suo esse dependent: ergo ens provt talem rationem significans de Deo, & creaturis, de substantiâ, & accidentibus non vniuocè, sed analogicè dicitur. Respondeo primò, hoc argumentum, si quid probat, probare vtiq; nullũ ferè nomen esse vniuocum eorũ, quæ citra omnẽ controuersiã vniuoca sunt. Cùm enim inter se substantias, inter corpora, inter viuentia, inter animalia; & inter homines alia sint causæ aliorum, & omnis causa prior naturâ sit, quàm effectus, ratio communis substantiæ, corporis, viuentis, animalis, & hominis 466

priùs à causis, quàm ab effectibus participabilis erit; subindéque nomina hæc tales rationes significantia *substantia, corpus, viuens, animal, homo*, respectu eorum, de quibus dicuntur, non vniuoca, sed analoga erunt. Tantumdemque de similibus citra omne dubium vniuocis erit dicendum; quod est absurdum. Ex quo patet argumentum oppositum nihil probare. Respondeo ergo ad illud, secundò. Rationem entis abstractam à Deo, & creaturis, & à substantiâ, & accidentibus physicè quidē priùs in Deo, quàm in creaturis, & in substantiâ, quàm in accidentibus reperiri, quâ prioritate Deus, quàm creaturæ, & substantia, quàm accidentia prior physicè est: quia talis ratio physicè aliud non est à Deo, & creaturis, & à substantiâ, & accidentibus. Logicè tamen, & metaphysicè consideratam in statu abstractionis, non priùs à Deo, quàm à creaturis, nec priùs à substantiâ, quàm ab accidentibus ex suo intrinseco conceptu participabilem esse: quia in eo statu æquè est indifferens ad cuncta, quibus communis est, vtpotè præcisa in eo statu ab omni eo, quo diuersificatur in singulis; atque adeo à rationibus causæ, & effectus, dependentiæ, & independentiæ &c. Ex quo patet nihil desiderari, quominus *ens* provt talem rationem significans vniuocum sit. Adde. Si cū vnitate obiectiuâ rationis entis stare posset, vt ea priùs à Deo, quàm à creaturis, & à substantiâ, quàm ab accidentibus ex suo intrinseco conceptu participabilis esset; adhuc *ens* respectu eorum vniuocum fore: quia adhuc conueniret illi vniuocorum definitio, sed certè neutiquam potest stare. Fieret enim inde, vt ratio entis in Deo, & creaturis, in substantiâ, & accidentalibus non conciperetur à nobis purè, & exactè similis, provt ad eius adunationem requiritur iuxta doctrinam suprà statutam *quæst.* 8.

467 Eiusdem farinæ est argumentum aliud, quod aliqui faciunt prætendentes rationem entis communem Deo, & creaturis, substantiæ, & accidentibus inæqualiter ab illis participabilem esse, indéque inferentes nomen *ens* illam significans esse analogum. Ex dictis tamen circa præcedens facilè hoc itidem ab vnoquoque & retorquebitur in arguentes, & diluetur: quare in his præstandis non immoror.

468 Quartò obiiciunt alij. Ratio entis transcendit per inclusionem metaphysicam vsque ad vltimas differentias Dei, & creaturarum, substantiarumque, & accidentium: ergo non potest esse simpliciter eadem in istis omnibus, adhuc logicè, vtpotè quorum differentiæ vltimæ diuersissimæ sunt, sed necessariò debet esse partim eadem, partim diuersa: ergo nomen *ens* provt rationem significans non potest esse vniuocum, sed analogum necessariò esse debet. Respondeo primò hoc argumento æquè probari nomen *ens* non posse esse vniuocum respectu substantiarum seorsim, nec respectu viuentium, nec respectu animalium, nec respectu inferiorum cuiusuis cæterorum generum seorsim, vtpote quorum differentiæ vltimæ, quas transcendit ratio entis, diuersissimæ sunt, quod tamen à communi Philosophorum consensu videtur alienum. Respondeo secundò negando rationem entis transcendere per inclusionem metaphysicam vsque ad vltimas differentias eorum, quibus communis est; id enim est falsum, vt constat ex dictis *q.* 20. *propositi.* 12. & 13. quo penitùs argumentum ruit. Respondeo tertiò. Supposito, quòd ratio entis sub vno conceptu obiectiuo omnibus entibus communi sit adunabilis, vt in argumento supponitur, non posse non illam præcisè sumptam in singulis suis inferioribus exactè, & purè similem, atque adeo vniuocam esse, iuxta doctrinam statutam *dictâ q.* 8. Quod si supposità transcendentiâ eius per inclusionem apud me impossibili, in singulis suis inferioribus purè, & exactè similis nequeat euadere, de quo non curo, neutiquam erit sub vno conceptu adunabilis. Cùm tamen adunabilem esse, & Aduersarij fateantur, & suprà à me *q.* 21. *propositi.* 1. absolutè probatum sit. Ex quibus patet argumentum ab ipsis factum nihil præstare contra me.

Quintò obiicitur. Accidētia ex eo præcisè dicuntur entia, quia sunt aliquid substantiæ, quæ per se simpliciter, & propriè est ens, tantumdemque euenit creaturis comparatis cum Deo: ergo ens non vniuocè, sed analogicè dicitur de substantiâ, & accidentibus, de Deóque, & creaturis. Nego antecedens, accepto ente, vt modò illud accipimus, pro existente, aut potente existere. Accidentia quippe per se simpliciter, & propriè existunt, & possunt existere, tametsi cum dependētiâ à substantiâ, tanquàm à suo subiecto, & creaturæ & per se etiam propriè, & simpliciter existunt, possuntque existere, tametsi cum dependentia à Deo, tanquam à suo efficiente; eoque titulo non vero in argumento assignato entia in acceptione dictâ appellantur. Quidni ens ita sumptum de substantiâ, & accidentibus, de Deóque, & creaturis dicetur vniuocè. 469

Propositio 2.

Nomen *ens* immediatè sumptum pro essente quidpiam essentiale, & pro essente quidpiam accidentale non vniuocè; sed analogicè de illis dicitur analogia attributionis, siue, vt loquitur Arist. ad vnum, vel ab vno. 470

Ita sentit ipse Arist. *lib.* 4. *Metaph. cap.* 1. *& lib.* 5. *cap.* 7. *& lib.* 7. *cap.* 1. *sæpeque alibi*, & cum eo S. Th. aliique Peripatetici communiter, & ratio est: quia essenti quidpiam essentiale, seu substantiale, & essenti quidpiam accidentale (quorum primum Arist. ens per se, secundum ens per accidens vocat, vt *suprà* notauimus) provt immediatè cadentibus sub nomen *ens* vna ratio communis non datur, vt *suprà q.* 21. *propositi.* 2. probatum est. Constat autem ex dictis *in hâc q. hypoth.* 1. & 2. nomen significans plura non sub vnâ ratione cunctis communi, sed sub diuersis non vniuocum, sed vel æquiuocum, vel analogum esse. Est autem *ens* ita vsurpatum analogū analogiâ attributionis, siue ad vnum, vel ab vno, quatenus *ens* ita vsurpatum primariò, & per se dicitur de essente quidpiam essentiale, seu substantiale, secundariò autem, & per accidens de essente quidpiam accidentale, eo quòd subiectum, quod ab actu essendi substantiuo, siue identificante dicitur ens primariò, & per se est, siue identificat sibi suam essentiam, siue substantiam. Secundariò autem, & per accidens sibi adiunctum est, siue identificat sibi concretum accidentale ex se ipso, & tali accidente adiuncto coalescens.

Vnde cognosces Arist. locis citatis, vt textus eius præ se ferunt, pro eodē sumere substantiā, & essentiā, cui nomen ens primariò, & per se conuenire cēset propter rationē datam: per accidentia autē, quib. conuenire arbitratur secundariò, & per accidens, dūtaxat intelligere eū cōcreta accidētalia adiectiue, vbi accidentia proptiorum accidentiū per adiectionē ad subiectū funguntur munere. Cæteroquin ipsa accidentia secundū se, & abstractè cōsiderata, quo pacto suā essentiam per se habent, eāque sibi primariò, & per se identificant per actū essendi substantiuū, id- 471

circo

circo inter entia per se, & essentialia, seu substantialia, iuxta mentem Aristotelis censenda sunt. Videantur ad rem plura à nobis dicta *suprà disp. 9. quæst. 1. & 2.*

Propositio 3.

472 Nomen *ens* immediatè sumptum pro essente quidpiam increatum, & pro essente quidpiam creatum non vniuocum, sed analogum est respectu Dei, & creaturarum.

Hoc sensu veniunt mihi intelligendi Auctores, qui absolutè pronunciant nomen *ens* de Deo, & creaturis non vniuocè dici, sed analogicè. Probo autem, propositionem. quia nomen *ens* ita vsurpatum vnam rationem communem Deo, & creaturis significare nequit, iuxta dicta *quæstione vigesimaprima, proposit. 3.* Ergo respectu Dei, & creaturarum vniuocum esse non potest: Erit ergo analogum: quia sicut Deus ab actu essendi, quo sibi identificat suam essentiam increatam, dicitur ens putà increatum; ita creaturæ ab actu essendi, quo sibi identificant suam essentiam creatam, dicuntur entia, putà creata. In quibus extremis quamdam proportionalitatis analogiam cernere est.

Propositio 4.

473 Quodlibet aliorum prædicatorum transcendentium, quæ recensuimus *quæstione vigesima*, nomènque significans illud vniuocum est comparatione eorum, de quibus dicitur.

Quia, vt statuimus *quæstione vigesimaprima, proposit.* 4. quodlibet talium prædicatorum conceptus quidam est obiectiuè vnus, communisque pluribus, per vnumque nomen eisdem etiam commune significatur. Quo nihil ad vniuocationem eius desideratur iuxta definitionem vniuocorum traditam *suprà hypoth. 1.*

474 Ex dictis in hâc, & præcedente quæstione nonnulla consectaria sunt colligenda Priùs tamen est adnotandum nos *dictâ disp. 9. quæst. 1. & 2.* distinctionis gratiâ appellasse ens sumptum pro existente ens existentiale; sumptum verò pro essente quidpiam ens essentiale (provt essentiale existentiali contraponitur) diuidentes hoc cum Arist. in essentiale per se, quale est, quod sibi identificat essentiam per se; & essentiale per accidens, quale est, quod sibi identificat concretum accidentale, iuxta *superiùs* dicta. Et quoniam ens etiam pro potente existere, & pro potente esse quidpiam accipi solet: rursus existentiale in existentiale actuale, & existentiale potentiale diuisimus. Similitérque ens essentiale in actuale, & potentiale. Quibus appellationibus etiam impræsentiarum vtemur distinctionis, & breuitatis gratiâ, in consectariis, quæ sequuntur.

Consectarium 1.

475 Nomen *ens* comparatione entis existentialis, & entis essentialis æquiuocum est.

Quia ens existentiale, & ens essentiale extrema sunt valde inter se dissimilia, in vnumque proinde conceptum obiectiuum per nomen *ens* significabilem non coeunt, sed immediatè, quà dissimilia per nomen *ens* significantur, atque adeo æquiuocè. Quemadmodum actus existendi, qui forma est prioris concreti, & actus essendi quidpiam, qui est forma posterioris, vtpotè valde inter se dissimiles, æquiuocè etiam significantur per verbum *esse*. Quæ omnia ex superiùs dictis satis sunt nota.

Consectarium 2.

Non sen *ens* comparatione entis actualis, & potentialis (tam existentialis, quam essentialis) 476 etiam est æquiuocum, aut analogum.

Quia etiam potentia ad essendum, & actus essendi, quæ talium concretorum sunt formæ, atque adeo & concreta ipsa dissimilia sunt inter se, vt constat; in eamdemque proinde rationem per nomen *ens* significatam non coeunt, sed solo in nomine ipso conueniunt; atque adeo vel æquiuocè, vel analogicè, si ob habitudinem vnius ad aliud ex vno ad aliud nomen extensum est, vt videtur. Hæc etiam ex *suprà* dictis satis nota sunt.

Consectarium 3.

Conceptus obiectiuus significatus per nomen 477 *ens* sumptum vel pro existente, vel pro potente existere, quo pacto vniuocum esse statuimus *propos. 1.* comparatione omnium vel existentium, vel potentium existere verè, & propriè est vniuersalis respectu eorumdem. Proindéque ad aliquam pertinet ex speciebus prædicabilium vniuersalium recensitis *quæst. 7.*

Prima pars huius consectarij inde constat: quia conceptus obiectiuus per nomen vniuocum multis commune significatus; eo ipso est vnus conueniens multis, & prædicabilis de multis, vt constat ex dictis. Quod ipsum est esse illum verè, propriéque vniuersalem. Secunda autem pars constat ex eo, quòd nulla est species vniuersalis, quæ in recensitis *loco citato* comprehensa non sit.

Sed quæris, ad quam speciem vniuersalis perti- 478 neat ens dictum? Respondeo ens sumptum pro potente existere respectu quorumdam suorum inferiorum esse genus; respectu aliorum speciem; & respectu aliorum passionem communem: nempe respectu substantiæ, & accidentis est genus immediatum; respectu hominis, leonis, &c. genus remotissimum: quia de hisce omnibus prædicatur vt pars metaphysica per aliam partem contrahibilis; respectu verò huius, & illius entis, & cæterorum vt sic est species: quia prædicatur de illis, vt de indiuiduis incompletis tanquam essentia integra cõmunis eorum: respectu autem differentiarum substantiæ, & accidentis, hominis, & leonis &c. est passio communis: quia de his prædicatur vt accidens ipsis commune, & necessarium, vtpote, quod non per inclusionem, sed per adiectionem metaphysicam transcendit eiusmodi differentias iuxta doctrinam suprà statutam *q.* 20. Nec nouum est eumdem conceptum obiectiuum multis communem ad plures, diuersasque species vniuersalis, seu prædicabilis pertinere penes diuersa inferiora, subiectaue, ad quæ comparatur. Animal enim respectu huius, & illius animalis est species; respectu huius, & illius hominis est prædicabile mixtum; respectu leonis, & canis est genus; respectu rugibilis, & latrabilis est passio communis &c. De quo *in superioribus* etiam satis est dictum.

Iam verò ens sumptum pro existente actu, si 479 comparetur ad hoc, & illud existens actu, quà tale erit species. Si comparetur ad Deum sumptum secundum se cum præcisione ab existentiâ, passio propria metaphysica erit eius vpotè prædicatum nostro modo concipiendi adiiciens Deo

sic concepto actum existendi ipsi conueniens necessariò. Si verò comparetur ad creaturas similiter secundum se conceptas accidens earum metaphysicum, atque contingens erit, vtpotè quibus contingenter euenit actu existere: quo pacto *disputatione nona, quæstione septima* explicuimus.

Consectarium 4.

480 Cæteraitidem prædicabilia transcendentia, quæ vniuoca esse statuimus *proposit.* 4. vniuersalia propriè sunt, ad suasque species vniuersalis consentaneè ad nuper dicta spectabunt.

Quia de iis omnibus, quod ad rem attinet, perinde ac de prædicabili transcendenti entis nuper exposito philosophandum venit, vt consideranti patebit.

Consectarium 5.

481 Nomen *accidens*, provt id significat, quod alteri adiicitur vt subiecto, vniuocum est respectu omnium accidentium.

Quia in hoc, quod est subiecto adiici omnia accidentia concipiuntur à nobis exactè similia: adeoque sub vno conceptu cunctis communi per nomen *accidens* significabili adunabilia sunt, de factoque adunantur à nobis. Quo nihil desideratur, vt illa in tali conceptu, & nomine conueniant vniuocè. Vnde etsi talis accidentis conceptus transcendens sit, vniuersalis nihilominus propriè est, ad suasque vniuersalis species spectat, quemadmodum de ente, & aliis transcendentibus *consect.* 3. & 4. expositum est.

482 Mitto alia plura, quæ ex dictis facilè ab vnoquoque colligi poterunt. Per ea enim, quæ hucusque sunt tradita, facilè quisque diiudicare poterit, quænam vocabula vniuoca, & quænam æquiuoca, siue analoga dicenda sint; & quomodò quilibet conceptus communes per quævis vocabula vniuoca significati vniuersales sint, ad quasque species vniuersalis pertineant.

Hoc vnum adnoto, quod iam tetigi *quæstione octaua*, persæpe vsu venire, vt nomina, quæ iuxta suam primæuam significationem æquiuoca, vel analoga sunt: eo quòd non ad vnum communem pluribus, sed ad plures, diuersosque conceptus immediatè significandos primitùs sunt imposita, communiter vsurpentur tanquam vniuoca; eo quòd veluti reflexè quodammodò vniuoca facta sunt: nimirum, quia licet primarij conceptus obiectorum, ad quos immediatè significandos imposita sunt, à diuersitate phantasmatum sensibilium, in quibus sunt à nobis concepta talia obiecta, iuxta doctrinam suprà statutam *disputatione secunda, quæstione tertia: & sæpe alibi*, diuersi euaserint; secundarij tamen eorumdem obiectorum conceptus, quos per phantasmata ipsorum nominum solemus formare, exactè similes; atque adeo in vnum adunabiles sunt, de factóque à nobis adunantur, sicque adunati per eadem nomina significandi veniunt. Quo nihil deest, quominus hæc veluti per reflexionem quamdam vniuoca euadant; tametsi directè spectata æquiuoca, vel analoga sint. Taliáque subinde loquendo absolutè dicantur. Ita contingit haud dubiè in istis nominibus *Res, entitas, essentia, quiditas: aliquid, quidpiam, hoc, illud, istud, ipsum, quod*, & cæteris huiusmodi. Imò in plerisque aliis æquiuocis, & analogis ita contingere videtur. 483

TRACTA

TRACTATVS IV.

DE TERMINO, PROPOSITIONE, ATQVE ARGVMENTATIONE,

Deque eorum ſpeciebus, quæ ſunt veluti materiâ, ex quâ omnis ſcientia humana coaleſcit.

IN hoc Tractatu de termino, propoſitione, atque argumentatione tum obiectiuis, tum formalibus, híſque tum mentalibus, tum vocalibus, ſiue ſcriptis agendum nobis eſt: obiectiua enim, & formalia, quod ad rem attinet viciſsim ſibi lucem præſtant. Dicimus autem formalia impræſentiarum tum actus noſtrarum intellectionum, tum voces ſiue prolatas, ſiue ſcriptas ipſis correſpondentes; quæ proinde mentalia, vocaliáque, aut etiam ſcripta diuiduntur: obiectiua autem ſunt ipſi conceptus obiectiui, in quos tendunt, quóſve reſpiciunt, ſeu circa quos verſantur formalia. Porrò in hoc Tractatu, qui bonam partem continet Logicæ, ab innumeris inutilibus controuerſiis, quibus Moderni Logicam implicarunt, omninò abſtinebo. Logica enim vera, & legitima, quam tradere ſtudeo, contentioſa non eſt; ſed certis regulis, & vt plurimùm apertè demonſtratis ſubnixa.

DISPVTATIO XVIII.

De terminis.

QVos terminos nuncupant Logici, dictionibúſque, ſiue vocabulis Grammaticorum correſpondent, veluti prima elementa ſunt, ex quibus omnis ſcientia humana compingitur, ſumpti videlicet tum pro conceptibus formalibus, tum pro obiectiuis: quo pacto hi conducunt ad ſcientiam: tum etiam pro vocibus, quæ eorum loco nobis ſunt. De iſtis igitur eſt diſputatio præſens. 1

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit terminus.

TErminum *voco* cum Ariſt. lib. 2. Prior. cap. 1. *in quem reſoluitur propoſ.* atque adeò, in quem terminatur propoſitionis reſolutio; puta aptitudinaliter, vti plerumque definitiones accipi ſolent. Ab eo quippe videtur terminus dictus, quòd terminat, ſeu quod terminare valet propoſitionis reſolutionem. Eſt autem propoſitio oratio enunciatiua, ſiue ſuaſiua; atque adeo habens veritatem vel falſitatem, prout explicabimus *diſp. ſeq.* Reſolutio verò vniuerſè eſt cuiuſuis totius in ſuas partes diuiſio. Vnde, reſolutio propoſitionis erit diuiſio propoſitionis in ſuas partes. Quare, idem omnino ſunt terminus, & pars aptitudinalis propoſitionis, id eſt habens potentiam, ſeu aptitudi- 2

nem ad componendam propositionem, & consequenter ad terminandam resolutionem eius. Aut certè, vt multas inutiles controuersias, quas hic Recentiores excitant, vno ictu præcidam; terminum ego apello vuiuersè, deincepsque appellabo semper, quamlibet partem aptitudinalem propositionis.

Quamlibet, inquam partem aptitudinalem propositionis logicam, siue cuius dumtaxat apud Logicos habetur ratio: quales sunt ex vocalibus dictiones inter se distinctæ & ex mentalibus conceptus tum formales, tum obiectiui distincti etiam inter se. Quanquam enim dictiones, & consequenter propositiones ex eis compositæ ex litteris insuper, & syllabis componantur: quia tamen compositio hæc non sub logicam; sed sub grammaticam considerationem cadit, ideo litteræ, & syllabæ nec partes logicæ propositionis, nec termini dicendæ veniunt; sed integræ dictiones dumtaxat. Et quamuis conceptus obiectiui sæpe non sint partes re ipsâ, & physicè propositionis obiectiuæ; sed tantùm per rationem nostram, seu logicè; termini nihilominus distincti inter se dicendi veniunt: quia ad id distinctio eorum rationis, seu logica sufficit.

Itaque terminus in vniuersum dicetur quælibet dictio apta ad componendum simul cum aliis propositionem siue vocalem, siue scriptam, & quælibet apprehensio simplex ei correspondens apta ad componendum simul cum aliis propositionem mentalem, quam vocant formalem; & quilibet conceptus obiectiuus correspondens vtique aptus ad componendum simul cum aliis distinctis à se, seu realiter, seu per rationem propositionem obiectiuam. Qui omnes sub Aristotelica termini definitione aptitudinaliter sumptâ comprehenduntur, quæ, vt sic, in hanc recidit, iuxta dicta: *Terminus est pars aptitudinalis propositionis*, nimirum logica, seu cuius consideratio spectat ad logicos, vti explicuimus. Ex quo patet, nullam eiusmodi partem quoquo modo constitutiuam intrinsecè propositionis, siue vt extremum, siue vt copula extremorum, siue aliter quomodolibet à ratione, siue conceptu termini excludi debere.

Iam verò terminus vocalis quælibet dictio est apta componere propositionem provt ore prolata. Terminus verò scriptus eadem dictio provt scripta. Vterque autem (qui vt condistinctus ab obiectiuo significato per illam formalis etiam dici solet) signum quoddam ad placitum est alicuius termini mentalis tum formalis, tum obiectiui, significans scilicet obiectiuum quidem primariò, & directè; formalem autem ipsi correspondentem secundariò, & indirectè; id quod terminus vocalis præstat per se immediatè: Scriptus verò medio vocali, ad quem immediatè significandum est institutus. Quæ omnia, vt perspicua fiant, 8

Noto primò: Signum ab August. *lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 1. & lib. de principiis dialect. cap. 5.* sic definiri. *Signum est, quod se ipsum sensui, & præter se aliquid aliud animo manifestat.* Ex quâ definitione communiter recepta constat, signum aliquid sensibile debere esse, per quod cognitum intellectus ducatur ad cognoscendum aliud. Vnde cognitio ipsa, quæ non provt cognita; sed per se formaliter manifestat obiectum impropriè ab aliquibus appellatur signum formale, appellantibus signum instrumentale id, quod August. definiuit. Et quod dumtaxat loquendo propriè signũ absolutè, & simpliciter videtur dicendum. Tamerſi nonnulli signum latiùs accipiant pro omni eo, quod quoquo modo dicit in alicuius veritatis cognitionem. Quâ acceptione suppositâ, diuisio signi in formale, & instrumentale locum habebit. Verùm in his solùm potest esse dissidium de modo loquendi. Videatur noster Lynce *tom. 1 suæ Philosophiæ, lib. 6. tract. 1. cap. 1. & 2.* 6

Est autem signum in primis triplex. Aliud naturale; aliud ad placitum; aliud ex consuetudine. Naturale est quod naturâ suâ notificat aliud; vt fumus ignem, gemitus dolorem, risus lætitiam, & alia huiusmodi. Ad placitum est, quod ex hominum institutione aliud notificat, vt ramus pro foribus appensus vinum vendibile; sonitus cymbali sacrorum celebrationem; voces, & scripturæ res cognoscendas; & alia id genus. Voces quippè, non naturalia, vt quidam Pythagorici voluerunt; sed ex arbitrio hominum, atque adeò ad placitum signa essererum, certa cæterorum omnium sententia est; cum quo stat earum aliquibus, accepto à rebus significatis aliquo fundamento, fuisse significationem impositam, ob analogiam scilicet quamdam, quam earum sonus cum ipsis rebus habet. De quo videndus Lynce *suprà tract. 2. cap. 2.* Ex consuetudine denique signum dicitur, quòd suppositâ consuetudine oriundâ ab hominum arbitrio aliud notificat quoquo modo; vt mappæ super mensam extensæ prandium mox futurum: & vniuersim quidlibet solitum ab hominibus fieri id, quod ex eo regulariter sequi solet. Deinde, signum ad placitum aliud doctrinale est; aliud artificiale. Doctrinale dicitur, quo vtimur ad manifestandum aliis, quæ interiùs noscimus; & ad doctrinas propterea, seu scientias comparandas subseruit: huius generis sunt voces siue prolatæ, siue scriptæ. Artificiale autem dicitur, quo alterius negotij peragendi admonemur, cuiusmodi sunt ramus appensus, sonitus cymbali, & similia. Relictis ergo cæteris signis, agendóque de solo signo ad placitum doctrinali. 10

Noto secundò: Etsi nonnulli videantur docere, per terminum vocalem ita significari vtrumque mentalem, formalem scilicet, & obiectiuum, vt primariò, & immediatè formalis, secundariò autem

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit terminus.

TErminus sumptus vniuersè, quâ ratione *q. 1.* definitus est, multifariam venit diuidendus, vt sequitur. 5

Diuisio 1.

Primò enim diuiditur terminus in mentalem, vocalem, & scriptum. 6

Mentalis dicitur; qui in mente, siue intellectu nostro suam sedem habet. Hic autem est duplex: alius formalis consistens in apprehensione simplici, quâ intellectus quidlibet apprehendit; alius obiectiuus consistens in obiectiuo conceptu per ipsam apprehensionem simplicem apprehenso. Vterque autem rursùs diuiditur in vltimatum, & non vltimatum. Vltimatus dicitur, qui concipitur de quâuis re significatâ per vocem: non vltimatus, qui concipitur de ipsâ voce significante rem. 7

tem, & mediatè obiectiuus significetur; communem tamen, & veram sententiam esse, vtrumque significari immediatè: Ita tamen, vt obiectiuus primariò, & directè; formalis verò secundariò, & indirectè significetur. Quod certè non ita intelligendum est (sicuti multi intelligunt) vt imponentes significationem vocibus solùm intenderint per eas significare res cognitas, indeque per accidens, & præter intentionem sequatur, vt ipsas etiam cognitiones significent. Hoc enim falsum est. Intenderunt etenim commercium hominum, iuxta Aristotelem in Politicis, Plat. in Cratylo, & omnes, quod maximè in communicatione, & manifestatione cognitionum internarum consistit; sed ita est intelligendum, vt ex primariâ intentione intenderint significare res provt cognitas, quod est intendisse significare vtrumque, res scilicet, & earum internas cognitiones; res tamen directè, cognitiones verò in obliquo, siue de connotato. Quo fit, vt voces diuerso modo res, atque earum cognitiones significent: pro rebúsque subinde, non item pro cognitionibus accipiantur. Quo, quædam sententia manet reiecta, quam Lyncè *supra tract. 2. cap. 3.* conatur contra communem adstruere. Significat itaque terminus vocalis vtrumque mentalem, formalem scilicet, & obiectiuum per se primariò, & directè, quantum est ex parte intentionis significationem eius instituentis: quantum verò est ex parte modi significandi, directè quidem solùm significat obiectiuum; formalem verò ex connotato, siue indirectè, atque ita pro obiectiuo solùm accipitur, siue vsurpatur, siue supponitur. Vtrumque tamen significat modo dicto immediatè, in quo differt à termino scripto. Termini enim scripti, licèt sint pariter instituti, sicut vocales, ad significanda obiecta cognita directè, & cognitiones eorum de connotato, vti explicatum est. Hoc tamen non immediatè; sed mediis ipsis vocalibus præstant, quos immediatè significant, significando eorum syllabas ore prolatas per coniunctionem litterarum, ex quibus constant. Ob id paucis litteris omnia vocabula omnium linguarum scribi possunt mediisque illis per terminos scriptos eis respondentes omnia ipsorum obiecta significari. De quo valde mirati sunt. Sinæ qui cum suis terminis scriptis non immediatè vocales; sed obiecta eorum significarent, tot figuris diuersis ad suas scripturas indigebant, quot erant obiecta significanda per scripturas ipsas. Vnde oriebatur, vt vix posset homo per totam vitam discere integram artem scribendi, isque proinde doctior haberetur, qui plura scribere, eorum depictis figuris sciret. Ob id etiam omnia vocabula omnium linguarum scripta ab iis itidem, qui eorum significationum ignorant, legi possunt. Quo casû legentes scripturam planè sciunt quid termini scripti significent immediatè nempe vocabula, nescientes, quid significent mediatè, nempe obiecta per ipsa vocabula significata. Ex quibus patet, quid, & quà ratione significent termini vocales, & scripti.

11 Porrò termini vocales (tantumdemque de scriptis, suâ seruatâ proportione censendum est) ad duo capita reuocantur, nempe ad Nomen, & Verbum. Nomen, iuxta Arist. lib 1. Periherm. cap. 2. *est vox significatiua ad placitũ sine tempore, cuius nulla pars significat separata.* Per particulam *sine tempore* distinguitur nomen à verbo, iuxta statim dicenda; subsequentium autem sensus est, nullam partem nominis sumptam seorsim significare quidpiam, dum nomen cum aliis componit, præter id, quod omnes significant simul, & indiuisim; id namque proprium est partim cuiusuis vocabuli simplicis logicè, quale nomen est. Vnde, rursùs fit, vt nulla pars nominis, aut cuiusuis vocabuli simplicis logicè significet separata ab aliis, id quod simul, & indiuisim iuncta cum aliis significabat. Vocabulum quippè logicè simplex est, quod simplicem significationem habet, id est, indiuisim conuenientem omnibus syllabis; atque adeò partibus eius, quasi physicis, vt sunt *Homo, Angelus, Lapis*, &c. cùm tamen complexum, siue compositum logicè sit, quod habet significationem compositam: quia coalescit ex pluribus vocabulis seorsim propriam significationem habentibus, ac retinentibus intra complexum ipsum, siue compositum ex illis, vt sunt: *Homo doctus: Angelus fortis: videns lapidem*, & similia: Omitto duas alias particulas, quibus definitionem nominis propositam limitat Aristoteles; quia puto, aptiùs eam absque tali limitatione relinqui, vt omnes dictiones logicè simplices præter verbum, reductæ ad vnum nomen possint sub illâ comprehendi: quò ad nomen, & verbum, provt oportet, omnes vocales termini reducantur compendij simul, & claritatis causâ.

Est autem verbum ex eodem Aristotele suprà 12
cap. 3. *Quod consignificat tempus, cuius nulla pars significat seorsim; & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota.* Dicitur autem verbum consignificare tempus: quia proprium obiectum eius est actus, provt habens actualiter esse in aliquâ differentiâ temporis præsentis, præteriti, aut futuri, provt ex dictis latiùs *suprà distinct. 2. quæst. 4.* præsertim *hypoth. 4.* compertum est, in quo potissimùm discriminatur Verbum à Nomine. Dicitur deinde esse semper notam, siue signum eorum, quæ de altero prædicantur: quia in quavis omnino propositione, potissimum, propriissimumque prædicatum est semper significatum verbi, vt in eâdem etiam *quæst. 4. conclus. 1.* latiùs est explicatum. Nullam autem esse possibilem propositionem vocalem sine verbo, sicut nullum est possibile iudicium, quod non habeat pro obiecto significatum verbi, ex doctrinâ eiusdem quæstionis, quæ ad rem recolenda, palam est. Cæteræ, definitionis particulæ ex se, & ex dictis satis sunt notæ.

Hæc dicta de terminis vocalibus, & scriptis 13
significatiuis, siue aliud à se significantibus, qui propterea propriè sunt signa. Sunt tamen insuper termini dictiones non significatiuæ, siue aliud à se non significantes, quatenus pro se possunt poni in propositione, vt si dicas: *Blitiri est vox.* Quo etiam pacto dictiones significatiuæ pro se in propositione positæ termini sunt, vt si dicas: *Homo est nomen.* De quo iterum redibit sermo, *quæst. 3.*

Diuisio 2.

Terminus vniuersè sumptus in subiectum, & 14
prædicatum propositionis diuiditur.

Quæ diuisio à munere, quod exercet terminus intra propositionem subiecti, aut prædicati desumitur. Est autem subiectum id, de quo aliud, vel affirmatur, vel negatur; prædicatum autem id, quod vel affirmatur, vel negatur de ipso subiecto. Omnis quippe propositio immediatè ex subiecto, & prædicato composita est. Erunt autem subiectum, & prædicatum aut vocalia, aut scripta,

pta, aut mentalia siue formalia, siue obiectiua penes naturam propositionis ex illis compositæ aut vocalis, aut scriptæ, aut mentalis, siue formalis, siue obiectiuæ. Et prædicatum quidem potissimum propositionis vocalis semper est verbum; mentalis autem obiectiuæ significatum verbi, vti dicebam paulò antè. Sicut semper est subiectum potissimum illius quidem nomen, huius autem significatum nominis. Quanquam enim aliquid spectans ad verbum interdum pro subiecto ponatur, vt cum dicimus: *intelligere est bonum*, tunc id non per modum verbi; sed per modum nominis ponitur, vt satis ex se apparet. Nil tamen vetat cum verbo ex parte prædicati poni aliquod, aut aliqua nomina, & cum nomine ex parte subiecti poni aliquod, aut aliqua verba, vt quædam syncategoremata prædicati, & subiecti; sæpè enim subiecto categorematico, quod potissimum subiectum dicimus, & prædicato categorematico, quod potissimum prædicatum vocamus, nonnulla syncategoremata solent apponi, vt iam iam explico. Etenim.

Diuisio 3.

15 Terminus vniuersè etiam sumptus alius categorematicus, & alius syncategorematicus est: quorum primus categorema, secundus syncategorema solet item vocari.

Terminus categorematicus dicitur, qui per se solus potest poni in propositione tanquam subiectum, aut prædicatum eius, vt *homo: Petrus currit, legit*, & similes. Terminus verò syncategorematicus est, qui non per se solus; sed tantùm aliis adiunctus potest poni in propositione ex parte subiecti, aut prædicati, vt *hominis, Petri, velociter, tardè, qui*, & alij huiusmodi; sæpè autem integra aliqua propositio est syncategorema alterius, vt *Petrus, qui currit, mouetur: homo legit librum, quem emit*, &c. Quomodò autem syncategoremata aut ex parte prædicati propositionis posita ipsam propositionem constituant: atque adeò diuersam faciant, sub eiúsque aut affirmationem, aut negationem cadant, ex dictis *disput. 2. quæst. 4. consectar. 5.* sumendum est.

Diuisio 4.

16 Terminus vniuersè etiam sumptus alius est abstractus, alius concretus, alius adiectiuus, alius substantiuus, alius absolutus, alius relatiuus, alius connotatiuus.

Abstractus dicitur ille, qui præ se fert aliquid quasi secundum se præcisè consideratum, vt *potentia, lectio*. Concretus verò ille, qui præ se fert idem vt coniunctum cum alio quopiam, tanquam cum subiecto, vt *potens, legens*. Terminus autem substantiuus est, qui dicit ex æquo, & directè quæcumque dicit, vt *homo* corpus, & animam; *potens* sumptum pro composito ex subiecto, & potentiâ. Adiectiuus autem est, qui dicit vnum in recto, & aliud tanquam adiectum illi in obliquo; *potens* sumptum pro habente potentiam: *legens* sumptum pro exequente lectionem. De quibus plura dicta *suprà disput. 2. q. 4.* præsertim *consect. 3.* videuda sunt. Terminus absolutus est, qui præ se fert aliquid sine respectû ad aliud, vt *homo, Angelus*. Relatiuus, qui cum respectu ad aliud, vt *pater, Dominus*. Connotatiuus denique, qui cum connotatione alterius, vt *coexistens, coniunctus*. De quibus etiam plura *loc. cit. & disputat. 14. quæstione 1.*

Diuisio 5.

Terminus vniuersè etiam sumptus alius est sin- 17
gularis, alius communis, & vterque aut positiuus, aut negatiuus. Communis autem alius est distributus, alius collectiuus, alius vagus, alius indefinitus. Tum alius transcendens; alius non transcendens.

Singularis est, qui solùm conuenit vni indiuiduo, vt *Socrates, hic homo*: Communis, qui conuenit pluribus, vt *homo, animal*. Positiuus, qui aliquid ponit in rebus, vt *Socrates, homo*. Negatiuus, qui aliquid remouet, vt *negatio, cæcitas*. Distributus autem est terminus communis, qui ligno aliquo vniuersali, vel præuiâ negatione affectus, plura, & singula, quibus conuenit diuisiuè, siue distributiuè dicit; ob idque etiam diuisiuus, siue distributiuus vocatur, vt *omnis homo, nullus lapis*, ipseque lapis in hac propositione: *Socrates non est lapis*. Collectiuus verò est, qui, aut nullo signo, aut vniuersali affectus, plura, quibus conuenit, dicit collectiuè, siue indiuisim: vt *multitudo, numerus*, & *omnes Apostoli* in hâc propositione: *Omnes Apostoli sunt duodecim*. Vagus est, qui affectus signo aliquo vago, seu disiunctiuo ea plura, quibus conuenit, dicit vagè, seu sub disiunctione, id est, vnum, vel aliud, vel aliud, &c. omnibus recensitis; vt *Aliquis homo: quoddam animal*, qui etiam terminus particularis, & signum, quo afficitur particulare dici solet à Logicis; cæteríque termini, prout condistincti ab illo, determinati nuncupantur: quia non vagè, sed determinatè dicunt quæcumque dicunt, siue plura sint, siue vnum. Indefinitus denique terminus est, qui, cùm sit communis, nulloque signo affectus indifferens ex modo suo significandi manet, vt modo pro vno, eoque, vel determinato, vel vago; modò pro multis, iisque, vel pluribus, vel paucioribus supponatur, iuxta naturam aliorum terminorum, quibus adiungitur; re tamen ipsâ, & in actu exercito nunquam cum eâ indifferentiâ, atque adeo neque indefinitus existit: huiusmodi sunt *homo, animal*, & cæteri termini communes. *Animal*, enim in hâc propositione: *Aliquis homo est animal*, accipitur pro vno animali vago, quod cum homine ex parte subiecti vagè sumpto identificatur. In hâc verò: *omnis homo est animal* accipitur per quandam distributionem accommodam pro omnibus animalibus, quæ sunt identificata cum hominibus, non item pro reliquis, iuxta dicenda *quæst. 3.* & in hâc: *Nullus lapis est animal* pro omnibus omnino animalibus distributiuè. Pariterque in cæteris. Iam verò terminus transcendens est qui de omnibus partibus seu physicis, seu metaphysicis eorum omnium, quibus conuenit, formaliter dicitur, vt *ens, bonum*: Non transcendens autem, qui non item; vt *viuens, animal*, &c. De quibus omnibus plura *in superioribus disp. 2. q. 3. & disp. 9. q. 2. & disp. 10. q. 2. & disp. 17. q. 20.*

Diuisio 6.

Terminus vniuersè etiam sumptus, alius est sim- 18
plex, siue incomplexus; alius complexus

Simplex est, qui ex aliis terminis non est compositus, tametsi componatur ex partibus, quæ non sunt termini, iuxta ea, quæ *in præcedentibus* diximus.

Com

Complexus verò est, qui ex aliis terminis est compositus quouis modo. Vnde, terminus complexus, & oratio in idem recidunt, quod ad rem attinet. Si tamen oratio sumatur non tòlùm pro aggregato plurium dictionum, vti eam sumpsit Arist. *lib. 1. Periherm. cap. 4.* sed insuper pro aggregato plurium conceptuum, tum obiectiuorũ, tum formalium ipsis dictionibus respondentium, vti sumi impræsentiarum expediet, vt quemadmodum terminus complexus, ita etiam oratio in mentalem vocalem, & scriptum, rursusque mentalis in formalem, & obiectiuam diuidenda veniat, iuxta dicta *diuis. 1.*

Diuisio 7.

19 Terminus vniuersè etiam sumptus, alius primæ, alius secundæ intentionis est.

Terminus primæ intentionis est, qui præ se fert aliquid reale, vt *homo. Angelus, lapis*, &c. Terminus verò secundæ intentionis est, qui præ se fert aliquid rationis, siue ortundum ab intellectu, vt vniuersale, genus, species, &c.

Diuisio 8.

20 Terminus sumptus specialiter pro vocali, atque adeò etiam pro scripto, alius est vniuocus; alius æquiuocus: alius analogus, alius denominatiuus. Tum alius primæ, alius secundæ impositionis. Tum alius finitus, alius infinitus.

De vniuoco, æquiuoco, analogo, & denominatiuo satis est dictum *disp. 17. q. 22.* Terminus primæ impositionis dicitur, qui significat res, vt *homo, lapis*, &c. Secundæ verò impositionis, qui significat voces significantes res, vt *Nomen, Verbum*, &c. Terminus finitus dicitur, qui determinat id, quod significat, vt *Homo, Angelus*. Infinitus autem, qui non determinat id, quod significat, sed id, quod non significat, vt *non Homo, non Angelus*, sumptâ particulâ *non* infinitanter; non verò negatiuè. Priori enim modo sumptâ, *non homo* significat cætera omnia præter hominem: posteriori autem modo sumptâ, *non homo* significabit negationem hominis dumtaxat. Quo secundo modo sumitur semper, quoties iungitur verbo, & negatiuam reddit propositionem, cuius verbum potissimum est prædicatum, iuxta dicta *n. 12.*

Diuisio 9.

21 Termini pluraliter sumpti, alij sunt pertinentes, alij impertinentes. Pertinentes autem alij sequelâ, alij repugnantiâ sunt tales. Rursùs pertinentes sequelâ, alij conuertibiles sunt, alij non conuertibiles.

Hæ locutiones sunt logicorum fundatæ in connexione, oppositionéque terminorum. Quare satius foret eos in connexos, & non connexos in oppositosque, & non oppositos diuidere; diuisâ subinde connexione, oppositioneque eorum in suas species, iuxta dicta à nobis *supra disp. 14.* Etenim pertinentes dicunt, quando ex vno ad alium bene arguitur. Si affirmatiuè quidem, pertinentes sequelâ; vt: *est homo: ergo risibilis*: si negatiuè verò, pertinentes repugnantiâ, vt: *est calidum: ergo non frigidum*. Bonitas autem consequentiæ ab vno ad alterum affirmatiuè in connexione; negatiuè verò in oppositione vnius cum altero fundatur. Vnde, pertinentes repugnantiâ semper sunt mutuò tales: quia oppositio semper est mutua. Pertinentes autem sequelâ aliquando sunt mutuò tales, quo casû dicuntur conuertibiles, aliquando verò non mutuò, quo casu dicuntur non conuertibiles quia connexio aliquando mutua, aliquando non mutua est. Videantur cætera ad rem spectantia cum cæteris connexionis, oppositionísque diuisionibus loco citato. Impertinentes verò terminos appellant Logici, qui inter se, nec connexionem, nec oppositionem habent; proindéque ex vno ad alterum nec affirmatiuè, nec negatiuè licet arguere, vt *album*, & *dulce*.

QVÆSTIO III.

Quid sit suppositio termini: & quotuplex?

SVppositio termini est *acceptio termini pro re, quam significat, aut pro se.* Cùm enim, vt ait Arist *lib. 1. Elench. cap. 1.* res ipsas in disputationem non possimus adducere, vocibus prorebus per ipsas significatis vtimur, vt mediis illis de rebus ipsis disputemus, nisi disputatio sit de vocibus, quo casu voces à nobis pro se ipsis in disputatione accipiuntur. Quod ipsum est eas, aut pro rebus significatis, aut pro se ipsis inter disputandum supponi. Vnde patet, suppositionem termini vocalis dumtaxat affectionem, seu proprietatem esse, 22

Hinc suppositio imprimis diuiditur in materialem, & formalem. Materialis dicitur acceptio termini pro se ipso, vt cum dicimus: *Homo est vox*. Formalis verò acceptio termini pro re, quam significat, vt cùm dicimus: *Homo est animal*. In primâ enim propositione terminus *homo* pro se ipso; in secundâ verò pro re quam significat, capitur. Quod ex diuersitate prædicati ipsi attributi venit diiudicandum. Porrò, suppositio formalis alia propria, est alia; impropria. Propria est vsurpatio termini pro re, ad quam posteà significandam primò est impositus, vt cum dicimus: *Homines rident*. Impropria verò vsurpatio termini pro re, ad quam posteà significandam titulo alicuius habitudinis translatus est, vt cùm dicimus: *Prata rident*. *Ridere* quippè de hominibus propriè; de pratis autem dicitur translatitiè. Rursus, suppositio propria, alia dicitur simplex; & est acceptio termini pro re, vt subest conceptui secundæ intentionis, vt, si dicas: *Animal est genus*. Alia dicitur personalis; & est acceptio termini pro re, vt subest conceptui primæ intentionis, vt, si dicas: *Animal est sensibile*. Quid sit autem conceptus secundæ intentionis: & quid primæ ex dictis *q. 2. diuis. 7.* notum est. 23

Deinde suppositio personalis, alia singularis est: alia cõmunis. Singularis est acceptio termini singularis pro significato singulari. Communis autem acceptio termini communis pro significato communi, iuxta dicta de termino singulari, & communi *q. 2. diuis. 5.* 24

Præterea suppositio communis in distributiuam, copulatam, determinatam, & confusam diuidi solet. Distributiua est acceptio termini communis pro omnibus, & singulis significatis suis sumptis diuisim, vti accipitur terminus *Homo*, cùm dicimus: *omnis homo est risibilis. Nullus homo est lapis*. Quæ rursùs aut est distributiua pars singulis generum, id est, pro singulis significatis indiuiduis, vt in exemplis positis; aut pro generibus singulorum, id est, pro aliquo, vel aliquibus significatis 25

ficatis indiuiduis singulorum generum, quo pacto supponitur distributiuè terminus *Animal*, cùm dicitur: *Omne animal fuit in arcâ Noë*: Quæ vtraque, aut absoluta potest esse, hoc est complectens omnia, quæ distribuit, vti in prioribus exemplis euenit, aut cum exceptione, hoc est, alicuius exceptionem compatiens, vti euenit in posteriore. Copulata autem suppositio est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis collectim, siue indiuisim sumptis. Qualiter accipitur terminus *Apostoli*, cùm dicitur: *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim*. Determinata verò suppositio dicitur à plerisque solet acceptio termini communis pro aliquo ex suis significatis vagè quidem, siue disiunctiuè significato; sed quod re ipsâ determinari, siue signari potest, vt cùm dicimus: *Aliquis homo currit*. Vbi terminus *Homo* pro vno hominum significato indeterminatè, seu vagè accipitur; sed, cui re ipsâ determinatè conuenit currere; réque ipsâ subinde, quis ille sit, cui conuenit currere, determinari potest, atque signari. Hæc tamen suppositio ab aliquibus ob eam indeterminatam, seu vagam termini significationem confusa nuncupatur. Strictiùs tamen ab omnibus dicitur suppositio confusa acceptio termini communis pro significato ita confuso, vt neque determinari, neque signari possit re ipsâ, vt cùm dicimus: *Equus requiritur ad equitandum*. Nulli enim equo determinato conuenit absolutè re verâ requiri ad equitandum, pronulloque subinde equo determinato, & assignabili accipitur terminus equus in dictâ propositione; sed tantùm pro equo sumpto confusè. Quod est suppositionem eius in tali propositione confusam esse. Qualis censetur etiam à multis suppositio prædicati, cuius subiectum affirmatiuè distribuitur, vt prædicati *Animal* in hâc propositione: *Omnes homo est animal*; necnon suppositio subiecti, cuius prædicatum distribuitur affirmatiuè, vt subiecti *homo* in hâc propositione: *homo domat omnia animalia*. ●

26 Ego verò censeo, duplicem suppositionis confusionem debere distingui. Alia enim, quæ confusio communitatis potest vocari, oritur ex vniuersalitate termini non distributi. Quo pacto dicitur supponi confusè prædicatum propositionis vniuersalis affirmatiuæ, vt huius: *Omnis homo est animal*. Et subiectum commune propositionis, cuius prædicatum affirmatiuè distribuitur, vt harum: *Homo omnia animalia domat. Caro arietina vbique terrarum comeditur. Piper venditur Toleti, & Matriti*: & similium. Quo etiam spectat confusio termini communis, cui aduerbia numeralia iunguntur, vt in his. *Ter feci sacrum. Bis legi lectionem*, & similibus. Et vniuersè confusio cuiuslibet termini communis, qui nec sumitur pro vno tantùm inferiori, nec distribuitur pro pluribus. Alia verò, quæ confusio indeterminationis poterit appellari, tunc reperitur, quando terminus communis accipitur pro vno tantùm inferiori, non tamen determinato; sed vago, siue indeterminato. Quæ rursus duplex est. Alia enim est confusio indeterminationis ex parte modi significandi dumtaxat; alia confusio indeterminationis ex parte rei significatæ. Prima inuenitur, vbi terminus communis pro vno inferiore vagè sumpto vsurpatur, quod tamen illi attribuitur, alicui determinato re ipsâ competit, vt cùm dicimus: *Aliquis homo loquitur*, loquente re ipsâ homine aliquo determinato, & assignabili. Secunda verò inuenitur, vbi terminus communis ita pro vno inferiore indeterminatè sumpto vsurpatur, vt id, quod illi attribuitur, nulli determinato, & assignabili conueniat re ipsâ absolutè, vt cùm dicimus: *Aliqua actio requiritur, vt effectus fiat*, nullâ determinatâ actione ad id re ipsâ requisitâ absolutè, sed tantùm vnâ, vel alterâ sub disiunctione. *Vna audiitio Missæ præcepta est*, nullâ determinatâ Missæ auditione re ipsâ præceptâ absolutè. Paritérque in similibus. Quomodo verò in his casibus prædicatum nulli inferiorum subiecti communis re ipsâ conueniens determinatè, & absolutè, eatenus solùm dicatur alicui eorum sub disiunctione, indeterminatéve conuenire, quatenùs cuiuis eorum determinatè, sub conditione tamen negationis aliorum conuenit, ex dictis *disputat. 10. quæstion. 2. & 5.* liquidum est.

Ad sciendum autem, quo ex dictis modis 27
vnusquisque terminus supponatur, istæ regulæ sunto. 1. Quoties subiectum propositionis afficitur signo *nullus* non solùm subiectum ipsum, sed etiam prædicatum distribuitur; & vniuersim negatio quæuis omnes terminos communes aliàs non distributos, quos post se siue immediatè, siue mediatè reperit, distribuit. Sic in hâc propositione. *Non aliquis homo est lapis*: termini *homo*, & *lapis*; & in hâc: *Aliquis homo non est lapis*: terminus *lapis* distributiuè supponuntur. 2. Signum *omnis* terminum, quem afficit immediatè, distribuit; quem verò mediatè, facit supponere confusè confusione communitatis, vt in exemplis *suprà* positis cernere est. 3. Terminus communis sumptus pro collectione omnium, quæ sub se continet indiuisim, supponitur copulatè, siue ex parte subiecti propositionis, siue ex parte prædicati ita sumatur. 4. Signum *Aliquis* vel æquiualens facit supponere confusè confusione indeterminationis solùm ex parte modi significandi terminum communem, quem afficit tam mediate, quàm immediatè, dum nulla præcedit negatio, aut signum distribuens. Sic enim in hâc propositione: *Aliquis homo est animal* supponuntur tam *animal*, quàm *homo*. In his verò: *Aliquis homo non est aliquis lapis*, terminus *lapis* distributiuè supponitur; Et in hâc: *Omnis homo est aliquod animal*, terminus *animal* confusè confusione communitatis, perinde ac si signo *aliquis* non essent affecti. 5. Quando nulli contentorum sub termino communi conuenit determinatè, quod ei attribuitur; sed vni, vel alteri eorum sub disiunctione, tunc talis terminus supponitur confusè confusione indeterminationis ex parte rei significatæ, vt terminus *oculus* in hâc propositione: *oculus requiritur ad videndum*. 6. Termini æquiualentes eodem genere suppositionis supponi censentur, quibusuis demùm signis, aut negationibus afficiantur alij præ aliis. Sunt autem termini æquiualentes, qui idem obiectum significant æquiualentéque faciunt propositiones, quas componunt, iuxta dicenda *infrà disp. 19. q. 2.*

Porro ad resoluendas, ampliúsque subindè ex- 28
plicandas quatuor suppositiones communes commemoratas, totidem Descensus, Ascensúsque connumerantur à Logicis. Nempe copulatiuus, copulatus, disiunctiuus, & disiunctus. Quorum primus, inquiunt, suppositioni distributiuæ correspondet, cique debetur; secundus suppositioni copulatiuæ; tertius suppositioni determinatæ; quartus suppositioni confusæ. Est autem descensus

progressio

progressio à termino communi ad particularia sub eo contenta sufficienter enumerata : ascensus verò vice versâ progressio à particularibus sufficienter enumeratis ad terminum communem. Et quoniam conceptus obiectiuus communis aliud non est re ipsâ à particularibus, quos amplectitur ; atque adeò quidquid realiter illi conuenit, & his conueniat necesse est, atque è conuerso. Idcircò, ascensus, & descensus legitimæ quædam sunt argumentationes.

29 Itaque, bene sic arguitur : *Omnis homo est animal : Ergo hic homo est animal, & hic homo est animal : & hic homo est animal*, &c. aliquis omnibus pariter recensitis : atque item è conuerso. Similiter benè sic arguitur ; *Nullus homo est lapis : Ergo neque hic homo est lapis ; neque hic homo est lapis*, &c. pariter recensendo reliquos omnes atque item è conuerso. Qui sunt descensus, ascensusque copulatiui tum affirmatiui, tum negatiui suppositioni distributiuæ termini *homo* affirmatiuæ, & negatiuæ correspondentes, & debiti. Benè etiam arguitur : *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim : Ergo hic Apostolus, & hic, & hic*, &c. numeratis omnibus, *sunt duodecim* : atque etiam è conuerso. Similiter : *Omnes Apostoli Dei non sunt viginti : Ergo hic Apostolus, & hic*, &c. numeratis omnibus, *non sunt viginti :* atque item è conuerso. Qui sunt descensus, ascensusque copulati tum affirmatiui, tum negatiui suppositioni copulatæ termini *Apostoli* affirmatiuæ, & negatiuæ correspondentes, & debiti. Bene etiam arguitur : *Aliquis homo currit : Ergo, vel hic homo currit, vel hic homo currit*, &c. pariter percurrendo per omnes : atque item è conuerso. Similiter : *Aliquis homo non loquitur : Ergo vel hic homo non loquitur ; vel hic homo non loquitur*, &c. pariter per omnes percurrendo : atque item è conuerso. Qui sunt descensus ; ascensusque disiunctiui affirmatiui, & negatiui respondentes, & debiti suppositioni termini *Aliquis homo*, quam plerique determinatam nonnullis refragantibus, vocant ; & nos suppositionem confusam confusione indeterminationis ex parte dumtaxat modi significandi dicendum censemus. In quibus omnes Logici re ipsâ conspirant. Et merito.

30 Dissentiunt tamen circa descensum, ascensumque, disiunctum, quem plerique indistinctè adscribunt suppositioni confusæ ; negantibus tamen aliis ; eo quòd suppositioni confusæ, quam habet prædicatum propositionis vniuersalis affirmatiuæ, aliisque huiusmodi, non videtur quadrare posse. Quanquam enim bene arguatur : *Aliqua actio requiritur, vt effectus fiat : Ergo, vel hæc actio, vel illa*, numeratis omnibus, *requiritur, vt effectus fiat :* atque item è conuerso ; Qui sunt descensus, ascensúsque disiuncti suppositioni confusæ termini *Actio* correspondentes, & debiti. Ast non benè arguitur. Similiter : *Omnis homo est animal : Ergo omnis homo est hoc animal, vel illud, vel illud*, &c. omnibus recensitis : Quia est antecedens verum, & consequens falsum. Falsum quippe est, omnem hominem esse vnum ex animalibus vage, siue indeterminatè sumptum, quod tale consequens significat. Quocirca, neque è conuerso benè arguitur. Vnde patet, suppositioni confusæ termini *Animal* eiusmodi ascensum, descensumque disiunctum nec conuenire, nec deberi. Ergo, qui duas suppositiones confusas, præter eam, quam determinatam vocant communiter, paulò anteà distinxi, facilè dissidium hoc compono, asserendo, suppositioni confusæ confusione indeterminationis ex parte rei significatæ descensum, ascensumque disiunctum prædictum conuenire, & deberi ; secus suppositioni confusæ confusione communitatis. Pro hâc enim, præter quatuor numeratos, receptosque communiter, alius descensus, ascensusque adstruendus est, qui distributionis accommodæ dici potest. Per quem dumtaxat benè descenditur, aut ascenditur à termino talem suppositionem habente ad inferiori eius, aut è conuerso in hunc modum : *Omnis homo est animal : Ergo omnis homo est hoc animal, & hoc animal, & hoc animal*, &c. omnibus numeratis per distributionem accommodam, ita vt singulis hominibus singula animalia tribuantur. Similiter : *Vbique comeditur panis : Ergo vbique comeditur hic panis*, &c. recensitis omnibus per distributionem accommodam, ita vt singulis locis singuli panes vnicuique suus tribuantur. Pariterque, è conuerso ascendendum ; atque de cæteris huiusmodi philosophandum est.

31 Vnum hic supereſt adnotandum de termino negatiuè distributo, provt communiter vsurpari videtur, nempè non descendi ab eo legitimè per solum descensum copulatiuum ; sed opus esse duos simul descensus coniungere, copulatiuum videlicet, & disiunctum : id, quod etiam, dum ascenditur, seruandum est, ne detur antecedens verum, & consequens falsum, Si enim ita ascendamus : *Hæc actio non requiritur, vt effectus fiat, neque hæc requiritur, neque hæc requiritur, &c. Ergo nulla actio requiritur, vt effectus fiat*, antecedens est verum, & tamen consequens est falsum, iuxta communem sentiendi, & loquendi morem. Sicuti etiam est falsum dicere, nullam esse necessariam Dei gratiam ad consequendam vitam æternam : cùm tamen sit verum dicere, hanc determinatam non esse necessariam, neque illam, neque illam, &c. numeratis omnibus. Ascensus igitur ita faciendus est. Gratia A non est necessaria ad salutem, neque est necessaria gratia B, neque gratia C, rursus neque est necessaria A, vel B, vel C, sub disiunctione : ergo nulla est necessaria gratia ad salutem : paritérque descensus faciendus est Etenim negatio absolutè prolata adeò est malignantis naturæ, vt non solùm soleat negare vnum de alio secundum se spectato ; sed etiam quouis modo comparato cum aliis. Quo fit, vt quidquid negatur de termino distributo, non solùm negetur de singularibus in eo contentis secundum se absolutè conceptis ; sed etiam inter se comparatis per disiunctionem. Hæc dicta loquendo de termino negatiuè distributo, provt communiter videtur sumi pro omnibus scilicet, & singulis in ipso contentis non solùm determinatè ; sed insuper disiunctiuè, disiunctim sumptis. Si enim pro illis determinatè tantùm sumptis sumatur, vt potest, atque etiam interdum solet, tunc illi ascensus, descensúsque copulatiuus tantùm debitus erit.

32 Suppositioni adiungi solent aliæ quædam termini vocalis proprietates : nempe status, ampliatio,

pliatio, restrictio, distractio, alienatio, diminutio; remotio, & appellatio. Quarum omnium explicatio eò tendit, vt innotescat, quo sensu vnusquisque terminus, præsertim communis accipiatur. Hoc tamen sufficienter ex circumstantiis innotescit, quin opus sit tot vocabulis, totque regulis sub eis contentis audientis, siue legentis mentem obruere. Ob id eas omitto apud summulistas videndas.

DISPVTATIO XIX.

De propositionibus.

1 PROPOSITIONES tum obiectiuæ, tum formales, eæque tum mentales, tum vocales, aut ore prolatæ, aut scriptæ, quæ veluti materia sunt, vnæquæque suo modo, ex quâ omnis scientia humana compingitur, materia sunt etiam non ex quâ, sed circa quam disputatio præsens versatur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit propositio; & quotuplex.

2 PRopositio (quam aliqui enunciationem appellant) ex Aristot. *libr. primo, Periherm. capit. quarto*, sic definiri solet: *Est oratio, in quâ verum, vel falsum est.* Tum ex eodem libr. primo, Prior. capit. primo, *Est oratio aliquid affirmans, vel negans.* Meliùs tamen alij, vt fugiant in definiendo disiunctionem distinguentem potiùs species definiti, ipsumve in illas diuidentem, quàm explicantem ipsius naturam talibus speciebus communem, ita definiunt: *Est oratio enuntians aliquid de aliquo*, id est, suadens aliquid de aliquo, siue alicuius de aliquo suasiua ex suo proprio modo tendendi. Hoc namque, & omni propositioni est commune, & eam sufficienter discriminat ab omni non propositione. Ex quibus definitionibus (quarum prima descriptiua, secunda autem, & tertia quiditatiuæ censentur, vnaquæque suo modo) satis superque apparet, quid sit propositio formalis, vocalis, & scripta, aut etiam mentalis. Propositio autem obiectiua aliud non est ab obiecto propositionis formalis.

3 Iam verò propositio, formalis sumpta vniuersè primò diuiditur in affirmatiuam, quæ affirmando ponit aliquid in rebus, vt *Petrus currit*; & negatiuam, quæ remouet aliquid negando, vt *Petrus non legit.* Quarum vtraque rursus, aut erit vera, si sit conformis suo obiecto, aut erit falsa, si sit difformis, iuxta dicta latè de veritate, & falsitate propositionum. tum formalium, tum obiectiuarum *supra disputatione tertia.* Quæ ad rem videnda. Propositionum quippe obiectiuarum aliæ veræ sunt veris formalibus correspondentes; aliæ falsæ correspondentes falsis formalibus: sicut etiam aliæ sunt positiuæ correspondentes formalibus affirmatiuis, aliæ negatiuæ correspondentes negatiuis formalibus.

4 Deinde, propositio formalis sumpta etiam vniuersè in absolutam, seu categoricam, & conditionatam, seu hypotheticam est diuidenda. Prima est, quæ absolutè enuntiat aliquid de aliquo, vt *Petrus currit*: *Petrus non legit.* Secunda, quæ sub aliquâ conditione, siue sub aliquâ factâ hypothesi enunciat aliquid de aliquo, vt, *si Petrus curreret, moueretur: si Petrus non videret, non legeret.* Vtraque autem rursus in simplicem, & complexam diuidenda venit. Simplicem dico, quæ ex pluribus propositionibus non est composita, vt cernitur in exemplis positis. Complexam autem appello, quæ ex pluribus propositionibus composita est, vt cernitur in his: *Petrus currit, & Ioannes ambulat: si Petrus curreret, Petrus moueretur, & Ioannes curreret.* Complexa verò propositio rursus diuiditur à Logicis in copulatiuam, causalem, & rationalem. In multasque alias æquali iure diuidi posset, atque etiam in mixtas ex illis, combinatione factâ. Copulatiua est, quæ plures propositiones, seu categoricas, seu hypotheticas coniungit per particulam *&*, aut æquiualentem, vt in exemplis positis. Disiunctiua, quæ plures pariter disiungit mediâ particulâ *vel*, aut simili, vt *Petrus currit, vel Ioannes legit: Si Petrus curreret, Ioannes gauderet, vel non gauderet.* Causalis est, quæ mediâ particulâ *quia*, vel æquiualente indicat, obiectum vnius propositionis esse causam obiecti alterius, idque, vel categoricè, vel hypotheticè, vt: *Quia Petrus currit, mouetur: Si Petrus curreret, quia curreret, moueretur.* Rationalis denique est, quæ mediâ particulâ *ergo*, vel simili indicat obiectum vnius propositionis sequi ex obiecto alterius; id tamen solùm euenit categoricè, vt, *Petrus currit: ergo mouetur.* Aliæ autem innominatæ diuersæ à prædictis huiusmodi sunt: *Dum Petrus legit, Ioannes audit. Quamdiu Petrus laborat, Ioannes quiescit: Vbi est magister; ibi est discipulus: sicut vnus ambulat, ita, & alter*; Et similes. Adde, hypotheticam propositionem trifariam posse esse complexam; idque, vel copulatiuè, vel disiunctiuè, vel causaliter, vel mixtè. Primo, ex parte conditionati tantùm, vt in exemplis *supra* positis. Secundo, ex parte conditionis tantùm. Tertiò, ex parte vtriusque. Quò hypotheticarum complexarum plurimæ aliæ species pullulant.

5 Scio: Logicos communiter aliter diuidere propositionem in categoricam, & hypotheticam. Eam enim solam categoricam dicunt, quam nos categoricam simplicem appellauimus: sub hypothetica autem comprehendunt tum dictam à nobis simplicem hypotheticam; tum quatuor complexas *supra* relatas coalescentes ex categoricis, copulatiuam scilicet, disiunctiuam, causalem, rationalem. Aliarum autem complexarum mentionem non faciunt. Cæterum diuisioni à nobis factæ prorsùs videtur standum: quia Logici in suâ peccant dupliciter. Primò: quia vocabulo *hypothetica* abutuntur, vtpote, quod solùm dicitur proprie de conditionatâ; secùs de reliquis. Secundò: quia diminutè procedunt,

cùm

cùm tot species propositionis complexæ commemoratas à nobis penitus prætermittant. In quod peccatum non semel incidunt, cùm alias præterea prætermittant propositionum diuisiones.

6 Etenim propositio conditionata, siue hypothetica proprie dicta aliter diuidenda venit in causalem, illatiuam, & purè coniunctiuam, prout *suprà disp. 2. quæst. secunda, diuis. 6.* tactum est. Purè coniunctiua dicitur, quâ enunciatur conditionatum, vt coniunctum cum conditione posita in hypothesi, siue, prout illi subest, vt sic, præscindendo ab omni huius in illud tum influxu, tum connexione. Causalis autem appellatur, quâ enunciatur conditionatum, vt subest conditioni positæ in hypothesi innuendo tacitè conditionem in conditionatum aliquem influxum habere sub hypothesi datâ. Illatiua denique vocatur, quâ enuntiatur conditionatum vt subest conditioni positæ in hypothesi, innuendo etiam tacitè conditionem cum conditionato sub hypothesi datâ connexionem aliquam habere. Vnde patet primò, omnem propositionem conditionatam sensum coniunctiuum, eumque præcipuum, & expressum habere. Causalem verò supra illum tacitè addere sensum causalem. Pariterque illatiua sensum illatiuum. Secundo patet, conditionalem purè coniunctiuam veram esse, eo ipso, quòd verè sit conditionatum ex hypothesi conditionis, vt planè potest, etiamsi conditio neque influat in conditionatum, neque cum eo connexa sit. Causalis tamen, vt vera sit, duo requirit: &, quod verè sit conditionatum ex hypothesi coditionis, & quod conditio in illud influat aliquo modo conducendo ad illius *esse*: Pariterque illatiua duo ad suam veritatem requirit: Et, quod verè sit conditionatum ex hypothesi conditionis, & quòd conditio cum illo ita connexa sit, vt sine illo esse non possit. De hâc tamen diuisione plura dicemus aliàs *in tract. de scientiâ Dei*. Porrò, conditionalis illatiua, vtpotè, quæ assimilatur discursui, tot modis diuidenda venit, quot ipse discursus, cuius differentiæ innumeræ propemodum sunt, vt constat ex diuisionibus eius factis *ibidem diuisione septima*, faciendisque *infra disputatione vigesima*. Qualiter etiam est diuisibilis propositio complexa rationalis, quæ argumentatio, siue discursus formalis est.

7 Propositio autem categorica simplex communiter diuiditur à Logicis in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Vniuersalis dicitur, cuius subiectum est commune signo vniuersali, siue distributiuo affectum, vt: *Omnis homo ambulat: Nullus homo legit*. Particularis, cuius subiectum est commune signo particulari, seu vago affectum, vt: *Quidam homo currit: Aliquis homo non legit*. Indefinita, cuius subiectum est commune nullo signo affectum, vt: *Homo est animal: Homo non legit*. Singularis, cuius subiectum est singulare, vt; *Socrates dicit*, vel commune pronomine demonstratiuo affectum, vt: *Hic homo non loquitur*. Quibus addi posset collectiua, cuius subiectum commune copulatè, siue collectiuè supponitur, *Omnes Apostoli sunt duodecim*. Hæc tamen ad singularem reducitur: quia de singulari quodam aggregato sumpto indiuisim, & determinatè prædicat aliquid. Addenda etiam fortasse alicui videbitur propositio de subiecto confuso confusione indeterminationis ex parte rei, vt: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum*, iuxta dicta *disputatione decima octaua, quæstione tertia*, sed hæc inter categoricas simplices censenda non est: quia æquiualenter est complexa ex duabus, aut pluribus hypotheticis, quibus de singulis extremis subiecti disiuncti, seu vagi determinarè dicitur prædicatum sub conditione defectus aliorum. Hoc pacto; *Dexter oculus est necessarius ad videndum, si non sit sinister; & sinister, si non dexter*, prout constat ex doctrinâ traditâ suprà disputatione decima, quæstione secunda. Propositio autem indefinita talis non est, neque esse potest re verâ, & quoad sensum, iuxta doctrinam traditam *suprà disputatione secunda, quæstione secunda diuisione decima, & quæstione tertia, conclus. quarto*; atque etiam iuxta dicta de termino indefinito *disputat. decima octaua, quæstione secunda, diuis. quinta*. Quocirca, dicitur à Logicis, quando est in materiâ necessariâ, aut remotâ, æquialere vniuersali; Particulari autem, quando est in materiâ contingente. Vnde, solùm venit dicenda indefinita, vel quia ex modo significandi est indifferens, vt pro vnâ, vel pro alterâ vsurpetur; vel quia pro subiecto habet terminum ex præciso suo modo significandi indefinitum, prout *disput. 18. quæst. 2. dicta diuis. 5*. explicuimus. Ex quibus concluditur, omnem propositionem simplicem categoricam ad vniuersalem, particularem, & singularem reuocari In quæ etiam membra venit pariter diuidenda simplex propositio hypothetica. Appello autem semperque appellabo deinceps, vt Logicis morem geram, particularem, quæ de subiecto vago est, tametsi ea potiori iure vaga dicenda esset.

Vnaquæque tamen harum trium in plura in- 8
super membra diuidenda est, quicquid Logici prætermiserint. Quia vnaquæque aut potest esse de prædicato singulari, aut de prædicato communi. Quod si de communi, aut affecto signo distributiuò, eoque, vel affirmatiuò, vt, *omnis*, aut signo particulari, seu vago, vt *aliquis*, aut nullo: atque ita vnaquæque trium quinque sub se complectitur, suntque proinde omnes 15. quarum quælibet, aut affirmatiua, aut negatiua potest esse, quo sunt 30. Quod si quamlibet rursùs diuidas in habentem & non habentem negationem præpositam, erunt omnes 60. Cæterum, quia ex his pleræque sunt aliis æquialêtes, ad 18. omninò inter se non æquialêtes sunt reducendæ. Nempe ad vniuersalem, particularem, & singularem affirmatiuas, & negatiuas, easque, aut de prædicato communi, nullo signo immediatè affecto, vt: *Omnis homo est animal: Nullus homo est animal: Aliquis homo est animal: Aliquis homo non est animal: Socrates est animal: Socrates non est animal*: Aut de prædicato communi signo vniuersali *Omnis* immediatè affecto, vt: *Omnis homo est omne animal: Nullus homo est omne animal: Aliquis homo est omne animal: Aliquis homo non est omne animal: Socrates est omne animal: Socrates nõ est omne animal*. Aut de prædicato singulari, quale erit terminus quiuis singularis, aut communis signo demonstratiuo affectus, vt: *Omnis homo est hoc animal: Nullus homo est hoc animal: Aliquis homo est hoc animal: Aliquis homo non est hoc animal: Socrates est hoc animal: Socrates non est hoc animal*. Imprimis namque nullæ harum 18. sunt æquialentes inter se, vt eas consideranti manifestè apparebit. Deinde reliquarum quamlibet alicui ea-

rum æquiualere facilè ostenditur. Nam iuxta doctrinam certam tradendam *quæstione secunda*, quælibet ex 30. de negatione præuiâ superaddita per ipsam negationem fit æquiualens suæ contradictoriæ, quæ est vna ex aliis 30. vt constat ex adæquatione combinationis. ac diuisionis factæ. Atque ideò 30. de negatione præuiâ superadditâ reiiciuntur. Ex reliquis autem 30. quæ supersunt, sex habentes prædicatum commune affectum immediatè signo particulari *Aliquis*, aliis sex æquiualent, quæ habent prædicatum commune nullo signo affectum: quia quæ præcedunt prædicatum commune, pro eisdem, & eodem modo faciunt illud supponi, siue illud signo particulari *Aliquis*, siue nullo sit immediatè affectum. Ex aliis autem sex de prædicto communi signo vniuersali *Nullus* immediatè affecto, tres affirmatiuæ negatiuis sibi correspondentibus de prædicato communi nullo signo immediatè affecto æquiualent: quia *esse nullum animal* e.g. *& non esse animal* in idem recidit, vt constat. Tres autem negatiuæ affirmatiuis sibi correspondentibus de prædicato communi nullo signo immediatè affecto æquiualent: quia in idem etiam recidit *non esse nullum animal*, *& esse aliquid animal*, vt etiam constat. *Esse autem aliquod animal*, & *esse animal* in idem etiam recidunt, iuxta dicta. Reiectis igitur istis 12. supersunt 18. commemoratæ.

9 Porrò Logici compendij gratiâ vniuersalem affirmatiuam, & negatiuam, particularemque affirmatiuam, & negatiuam de prædicato communi nullo signo immediatè affecto quibusdam litteris designant, atque notificant Primam scilicet littera A, secundam E, tertiam I, quartam O, iuxta vulgares illos versiculos: *Asserit A, negat E, sunt vniuersaliter ambo. Asserit I, negat O, sunt particulariter ambo.* Quo eodem pacto nos illas deinceps designabimus, addemusque pro singulari affirmatiuâ de simili prædicato litteram V. & quia pro negatiuâ deest vocalis, eadem V. cum litterâ n. postposita distinctionis gratiâ subseruiet hoc modo Vn. sex autem sequentes de prædicato communi affecto immediatè signo distributiuo *omnis*, per easdem vocales, eodemque ordine designabimus adiecta ante singulas litteras d. Reliquæ autem sex de prædicato singulari per easdem vocales, & eodem ordine adiecta ante singulas littera t; atque ita pro 18. propositionibus, quo ordine *numero octauo*, sunt recensitæ, hæc 18. signa compendij causâ ponentur à nobis semper deinceps. A. E. I. O. V. Vn. dA. dE. dI. dO. dV. dVn. tA. tE. tI. tO. tV. tVn. Et hæc de categoricis simplicibus possibilibus inter se non æquiualentibus. Totidem autem omninò sunt possibiles simplices hypotheticæ ipsis correspondentes: quia quidquid affirmatur, aut negatur de quolibet absolutè, id ipsum de eodem potest affirmari, aut negari sub aliquâ conditione, siue sub aliquâ factâ hypothesi. Vnde, cùm opus fuerit signis aliquibus eas significare per eadem signa categoricarum, quibus correspondent anteposita singulis littera H, quæ hypothesim denotet, significabuntur.

10 Et quoniam propositiones complexæ ex simplicibus componuntur, conficitur, tot esse propositiones complexas possibiles intra vnumquodque earum genus, quot sunt possibiles collectiones, siue combinationes propositionum simplicium numeratarum. Vnde ex 18. cathegoricis 262. 125, copulatiuæ componi possunt, totidemque disiunctiuæ, &c. quia ex 18. vnitatibus tot collectiones diuersæ confici possunt, iuxta regulas combinationum tradendas *disputatione vigesima nona*, totidémque copulatiuæ, & totidem disiunctiuæ, &c. confici possunt ex 18. hypotheticis. Ex mixtione autem vtrarumque, nimirum ex 36. penè innumerabilis multitudo complexarum intra vnumquodque earum genus consurgit, vt in tabulis tradendis *loco citato* videri poterit. Quid si ipsorum insuper generum complexarum mixtio efficiatur? Et hæc quidem loquendo de combinationibus absque positione, & repetitione. Si namque prædictæ 18. propositiones cum positione, repetitionéque combinentur, longissimè maiores numeri complexarum ex eis possibilium resultabunt. Imò, si absque termino repetitiones fiant, infinita erit earum multitudo possibilis, iuxta dicenda *q* 4.

Diuiditur præterea propositio sumpta vniuersè in necessariam, contingentem, & impossibilem penes necessitatem, contingentiam, & impossibilitatem obiecti, siue obiectiuæ, veritatis enuntiatæ per illam; atque ita plures hinc diuisiones subire potest, penes diuisiones, quas subeunt obiectum necessarium, contingens, & impossibile, siue obiectiua veritas necessaria, contingens, & impossibilis. De quibus *supra quæstione vndecima*. Et quoniam obiectum propositionis materia, circa quam illa versatur, dicitur esse, ideò quando obiectum est necessarium, propositio dicitur esse in materiâ, seu de materiâ necessariâ: In contingente autem, seu de contingente, quando obiectum est contingens. In remotâ autem, seu de remotâ, quando obiectum est impossibile. 11

Amplius diuiditur propositio sumpta vniuersè, in essentialem, in quâ prædicatum est de essentiâ subiecti: & accidentalem, in quâ prædicatum accidentale subiecto est, siue ipsi aliquid adiiciens. Quarum vnaquæque in multas rursùs species diuidi potest, iuxta diuisiones prædicatorum essentialium, & accidentalium factas *supra disputatione decimaseptima* quæ ad rem videndæ. 12

Diuidi etiam solet propositio in directam, & indirectam. Prima dicitur, quæ prædicat actum, siue eius concretum de subiecto, vt *Petrus currit: Petrus est currens*, aut partem de toto, vt: *Homo est animal: Homo est corporeus*. Indirecta verò, quæ vice versâ prædicat subiectum de concreto, aut totum de parte, vt *currens est Petrus: Animal est homo: Corporeus est homo*. Cuius nomenclaturæ ratio est: quia primus modus iudicandi nobis connaturalis; secundus quasi præternaturalis est. Mitto aliam diuisionem propositionis, quâ aliqui eam diuidunt in identicam, & formalem: quia hæc diuisio potiùs sensuum, in quibus propositiones sumi possunt, quàm ipsarum propositionum diuisio est. De quâ nos satis diximus *supra disputatione secunda, quæstione quarta, conclus. 4.* 13

Denique

14 Denique, propositio simplex in modalem, & non modalem, quam de *inesse* vocant, diuidi solet. Modalis est, quæ præ se fert modum, quo prædicatum subiecto conuenit, ipsiue inest, aut non inest, vt: *Petrus necessariò est homo: Ioannes possibiliter currit: Paulus contingenter non loquitur.* De *inesse* autem est, quæ nullum huiusmodi modum præ se fert; sed dumtaxat enuntiat prædicatum inesse, aut non inesse subiecto, vt: *Petrus est homo: Ioannes currit: Paulus non loquitur.* Sunt autem apud logicos celebres quatuor modi constituentes propositiones, quas speciatim vocant modales, de quibusque speciatim differunt, ob idque modi dialectici dici solent, qui quidem, aut per hæc aduerbia *possibiliter*, *impossibiliter*, *necessario*, *contingenter*; aut per hæc nomina *possibile*, *impossibile*, *necesse contingens* significari solent. Potest enim quiuis eorum componere propositionem modalem aut aduerbialiter, quo casu est syncategorema prædicati, vt: *Petrus possibiliter loquitur: Paulus necessariò est homo*, &c. aut nominaliter, quo casu, aut potest poni ex parte subiecti, vt: *Possibile est Petrum loqui: Necesse est Paulum esse hominem*; aut ex parte prædicati, vt: *Petrum loqui est possibile: Paulum esse hominem est necesse.* Oratio autem infinitiui, ex quâ, & ex *modo* coalescit propositio modalis, *dictum* nuncupatur, compositaque subindè ex, *modo*, & *dicto* dicitur esse; atque ita vnaquaque quatuor propositionum modalium ex quatuor prædictis *modis*, sumptis nominaliter, resultantium, in quatuor membra penes affirmationem, & negationem diuidenda venit. Potest enim in eâ aut affirmari *modus*, & *dictum*, vt: *Possibile est Petrum loqui*; aut negari *modus*, & *dictum*, vt: *Non est possibile Petrum non loqui*: aut affirmari *modus*, & negari *dictum*, vt: *Possibile* est *Petrum non loqui*; aut negari *modus*, & affirmari *dictum*, vt *Non* est *possibile Petrum loqui.* Proindeque, ex hac diuisione sexdecim modales resultant. Quarum quælibet rursus in alias quatuor diuidi solet, quo crescunt vsque ad 64. quatenus quælibet potest habere *dictum* aut vniuersale, aut particulare, aut indefinitum, aut singulare, iuxta similem diuisionem propositionis simplicis categoriæ, quæ fieri solet à Logicis, vt vidimus *numer. septimo*, Iuxta diuisionem verò eiusdem factam à nobis *numer. octauo*, quælibet ex dictis sexdecim modalibus de dicto affirmato in nouem alias diuidenda venit, & in totidem quælibet de dicto negato: quia propositiones simplices categoricæ à nobis ibi numeratæ 18 sunt, 9 affirmatiuæ, & 9. negatiuæ.

15 Cæterum: quia quilibet prædictorum *modorum* de obiecto cuiusuis propositionis categoricæ, siue hypotheticæ, siue simplicis, siue compositæ enuntiabile est, cuiuslibet eorum modalis in tot præterea membra diuidi potest, quot sunt propositiones possibiles non modales, iuxta omnes earum diuisiones hactenùs factas: quo in immensum penè augetur eiusmodi modalium numerus. Itaque, modalis cuiuslibet prædictorum modorum aut potest esse de dicto categorico, aut de hypothetico, aut de simplici, aut de complexo, aut de copulatiuo, aut disiunctiuo, aut de causali, &c. eoque tot subeunte differentias, quot sunt eiusmodi propositionum non modalium species, siue membra diuersa, facto discursu per omnes diuisiones earum huc vsque datas. Adde, ex modalibus, aut solis, aut mixtis cum non modalibus omni earum combinatione factâ, innumeras alias propositiones complexas coalescere posse. Aduerto autem hîc, claritatis gratiâ, etsi propositiones non módales, vt condistinctæ à modalibus appellentur de *inesse*; Quoties tamen de quouis propositionum genere absolutè, & sine addito *modalis* fit sermo, hunc semper de non modali venire intelligendum.

Omnes autem diuisiones, quas hactenùs fecimus circa propositionem formalem vniuersè sumptam, circa obiectiuam pariter fieri possunt, factæque sunto: quia vnaquæque propositio obiectiua eandem ac formalis, quam terminat, participat nomenclaturam. 16

Vtrum verò prædictarum diuisionum membra diuidentia omnia, vel aliqua specie diuersa sint inter se, quod à multis hic controuertitur. Ego vno verbo resoluo dicens; eas omnes propositiones, quæ ex modo tendendi in sua obiecta intrinsecè sunt inter se dissimiles, intrinsecè quoque esse inter se specie diuersas; ex diuersitate tamen obiectorum præcisè intrinsecam diuersitatem nequaquam sortiri, iuxta doctrinam vniuersalem de similitudine, ac dissimilitudine actuum traditam *disputat. decimasexta*, Propositiones quippe ex conceptu suo quidam actus sunt ad sua obiecta terminati, vt est notum. 17

Aduerto ad extremum huius quæstionis, materiam propositionis dici ab aliquibus subiectum, & prædicatum eius; formam autem vtriusque copulam. Aliqui verò solum subiectum dicunt materiam, & prædicatum formam. Qui aptiùs mihi videntur loqui, maximè, cùm verbum, quod alij copulam appellant, aut vnicum, aut potissimum prædicatum sit. Ratio autem huius loquutiònis est: quia subiectum, & prædicatum ita se videntur habere in logicis, sicut se habent in Physicis subiectum, & forma. Hæc verò dicta sunt de materiâ ex quâ. Materiam enim circa quam propositionis formalis esse propositionem obiectiuam nemini dubium est. 18

Iam verò quantitas propositionis ea dicitur, quæ eam ad plura extendit obiecta, vel ad pauciora restringit; faciendo videlicet eam aut vniuersalem, aut particularem, au singularem. Qualitas autem propositionis dicitur veritas, aut falsitas eius. Vtrum autem affirmatio, aut negatio, à quâ propositio est aut affirmatiua, aut negatiua, qualitas propositionis, aut potiùs differentia essentialis eius dicenda sit, controuersum est inter Logicos, quibusdam asserentibus primum, quibusdam verò secundum. Quirectiùs sentiunt, & loquuntur.

QVÆSTIO II.

Qua ratione propositiones simplices categoricæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquivalentes.

19 QVid sit, & quotuplex oppositio; quid item, & quotuplex connexio rerum *suprà disp.* 14. expositum est. Suppositâ autem totâ doctrinâ traditâ *ibi*, quæ ad rem recognoscenda est, Præterea est supponendum. Primò: propositiones formales bifariam posse dici inter se oppositas, aut inter se connexas. Primò: quia quoad suam entitatem sunt tales, quidquid sit de earum obiectis. Secundò: quia earum obiecta inter se opposita, aut inter se connexa sunt, quidquid sit de ipsarum entitatibus. Et de priori quidem genere oppositionis, connexionisque entitatiuæ propositionum formalium nihil est, quod in præsenti dicamus, præter vniuersaliter dicta ibi de simili oppositione & connexione aliarum entitatum, seu rerum. De posteriori ergo dumtaxat dicendum nobis est. Quò quidem illæ omnes propositiones sunt oppositæ, quarum obiecta sunt opposita; illæ verò connexæ, quarum obiecta sunt connexa. Æquivalentes autem illæ propositiones dicuntur, quæ vnum, & idem ex parte rerum habent obiectum.

20 Secundò, supponendum est tamquam certum ex dictis latius *loco citato* omnem propositionem ad contradictoriam, & contrariam reduci: Contradictoria est, quæ reperitur inter extrema, quorum vnum est negatio, seu remotio alterius. Contraria autem, quæ reperitur inter extrema, quorum vnum simul cum alio esse non potest; sine ambo sint positiua, siue ambo sint negatiua, siue alterum positiuum, & alterum negatiuum sit. Et extrema quidem contradictionis citra medium opposita sunt, quatenus neque ambo simul esse, neque ambo simul deesse possunt; sed alterum esse, & alterum deesse necesse est, iuxta euidentissimum principium statutum *disp.* 9. *q.* 5. Extrema verò contrarietatis, etsi aliquando etiam sint opposita citra medium ob eamdem rationem, vt sunt similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas, distinctio, & identitas earumdem rerum, aliàque huiusmodi; plerumque tamen medium admittunt: quia licèt simul esse non possunt, possunt tamen simul deesse, atque adeo necesse non est, quod sit alterutrum, vt cernitur in peccato, & gratiâ, in odio, & amore, in assensu, & dissensu, in candore, & nigrore, & similibus. Vnde manifestè consequitur, propositiones contradictorias, & contrarias, quorum obiecta sunt opposita citra medium, nec simul veras, nec simul falsas esse posse: quia earum obiecta nec simul esse, provt ad earum simultaneam veritatem, nec simul deesse, siue non esse, provt ad earum simultaneam falsitatem requirebatur, iuxta doctrinam suprà traditam *disputatione* 3. Propositiones verò contrarias, quarum obiecta opposita medium admittunt, etsi simul veræ esse non possint, quia talia obiecta non possunt simu esse, posse tamen esse simul falsas, quia obiecta ipsa simul deesse, siue simul non esse possunt. Connexio autem obiectorum, & consequenter propositionum tendentium in illa, aut mutua, aut non mutua esse potest, iuxta dicta ibidem.

21 Tertiò, est supponendum etiam vt certum ex demonstratis *disputatione decimaquarta citata quæstione quarta*, vtrumlibet extremorum oppositorum cum alterius contradictorio connexum esse, & extremum connexum cum altero ipsius contradictorio esse oppositum; & extremorum connexorum contradictoria inuersam inter se connexionem habere; & consequenter propositiones tendentes in eiusmodi extrema easdem inter se conditiones, seu proprietates ab ipsis, vt ab obiectis sortiri. Vnde, rursus consequitur, à quovis ex extremis oppositis ad contradictorium alterius legitimè argui; necnon à contradictorio termini, cum quo alter connectitur, ad ipsius connexi cum illo contradictorium. Tantumdémque esse de propositionibus ipsis correspondentibus, siquidem, vt ex se, & ex dictis ibidem, sæpéque aliàs, est notissimum, à connexo ad id, cum quo est connexum illatio legitima est, seu consequentia bona.

22 Quartò est supponendum, in scientiis humanis passim occurrere propositiones aut oppositas, aut connexas, aut æquivalentes inter se ratione materiæ, circa quam versantur, eo quòd earum obiecta ab speciali suâ naturâ habent aut esse opposita, aut connexa, aut re ipsâ vnum, & idem, vt cernere est in his contrariis: *Petrus est in peccato: Petrus est in gratia: Petrus est albus: Petrus est niger.* In his connexis. *Ignis existit: Calor existit. Petrus currit: Petrus potest currere.* Et in his æquivalentibus: *Petrus non habet visum: Petrus est cæcus: Petrus opes habet: Petrus est dives.* In aliisque innumeris similibus. Impræsentiarum tamen in primis agemus de propositionibus oppositis, aut connexis, aut æquivalentibus veluti ratione formæ communis omni omnino materiæ (acturi postmodùm de reliquis) sunt autem tales; quæ habentes eosdem terminos à diuersitate particularum, quibus illi afficiuntur, aut oppositionem, aut connexionem, aut æquivalentiam mutuantur, vt cernitur in his oppositis: *Omnis homo est animal: Nullus homo est animal: Omnis homo est animal: Aliquis homo non est animal.* In his connexis. *Omnis homo est animal: Aliquis homo est animal: Hic homo non est lapis: Aliquis homo non est lapis.* Et in his æquivalentibus: *Non omnis homo est animal: Aliquis homo non est animal: Omnis homo non est lapis: Nullus homo est lapis.* Dicitur autem, quod ad rem attinet, ille terminus idem, qui per eamdem vocem exprimitur, tametsi à particulis, siue aliis terminis, quibus adiungitur, vel secus, modò distributus euadat aut positiue, aut negatiuè, modò particularis, seu vagus, modo indefinitus, modo singularis, vt *Omnis homo: Nullus homo, Non homo: Aliquis homo: Homo: Hic homo*: iuxta dicta *disputatione* 18. *quæstione* 2. *diuis.* 5. modo etiam collectiuus, quamuis collectiuus, quod ad præsens attinet, pro singulari est reputandus: quia propositio ab eo euadens collectiua ad singularem reducitur, vt dicebamus *quæstione* 1. *numero* 7. Censetur item idem terminus cum dictis, qui proprius est obiecti singularis, etsi diuersâ voce exprimatur, vt: *Socrates*, cum *hic homo*, &c. Cæterùm, etsi Logici solùm agant impræsentiarum de oppositione, connexione, & æquivalentiâ propositionum vniuersalium, & particularium, aut etiam interdum singularium de prædicato communi nullo signo immediatè affecto. Quia tamen de cæteris iidem vsque ad 18. numeratis, & suis litteris designatis paulò ante *quæstionem* 1. *numero* 8 debuissent agere; diminutéque proinde in hac parte, & minus scientifi-

cè,

cè, sicut & in aliis multis procedunt; de omnibus illis à nobis agendum est. Vtemur autem pro illis, compendij causâ litteris, quibus à nobis ibi sunt designatæ.

23 Quintò est supponondum. Propositionem vniuersalem, & particularem in ea contentam subalternas à logicis dici: qnia secunda sub prima est. Et primam quidem seorsim subalternantem. Secundam verò subalternatam causa distinctionis appellant. Quoniam autem prima cum secundâ non mutuo est connexa, à primâque subinde ad secundam legitimè arguitur; sed non vice versâ. Quæcumque ex 18. propositionibus commemoratis istam conditionem habuerint, vt vna cum alterâ non mutuo connexa sit, eas nos deinceps subalternas, connexamque subalternantem, & alteram subalternatam itidem nuncupabimus. Subalternatæ autem contrariarum propositionum subcontrariæ dicuntur à Logicis. Eodemque modo à nobis nuncupabuntur. Quando contrariæ quibus subalternantur, quæcumque sint, medium admittunt.

24 Sextò supponendum est tanquam certum, negationem, siue particulam negatiuam ex suâ naturâ sequentes proprietates habere. Primò, omnem terminum communem, quem post se reperit, aut nullo signo, aut particulari tantùm, seu vago affectum distributum reddit. Propterea in his propositionibus: *Petrus non est lapis: Non Petrus est lapis: Non aliquis homo est lapis*, & in similibus: termini omnes communes, quos præcedit negatio, distributiuè supponuntur. Secundò, Omnem terminum communem, quem post se reperit, signo distributiuo affectum, indistributum reddit, atque ita in his propositionibus: *Non omnis homo currit: Nonnullus homo currit: Petrus non est omne animal*, & in aliis huiusmodi termini communes, aliàs à signis sibi præpositis distribuendi, indistributi manent. Tertiò, Vnica negatio (sumpta negatiuè, provt eam hic sumimus semper, non verò infinitanter) vbicumque ponatur, reddit negatiuam propositionem, saltem æquiualenter. Tales enim sunt omnes istæ: *Non omnis homo est lapis: Omnis homo non est lapis: Omnis homo est non lapis*, & similes. Quartò, duæ negationes affirmatiuam faciunt propositionem, vbicumque ponantur, vt in his: *Non omnis homo non est animal: Non omnis homo est non animal: Omnis homo non est non animal.* Quinto, Terminus distributus ab vnâ negatione præuiâ propter alteram subsequentem non redditur indistributus; transit tamen à distributione negatiuâ ad affirmatiuam, vt in his cernitur: *Nullus homo non est animal: Non aliquis homo non est animal: Nullus homo est non animal*, quæ omnes huic æquiualent: *Omnis homo est animal*. Sextò, Terminus ab vnâ negatione præuiâ distribuendus per alteram etiam præuiam indistributus redditur, vt in eisdem exemplis patet, vbi prædicatum *Animal* ab alterâ præuiarum negationum distribuendum, ab vtraque manet indistributum. Septimò, Terminus aliàs à signo præuio distribuendus, & per vnam negationem præpositam indistributus, indistributus nihilominus manet, etsi sequatur alter, vt in his apparet: *Non omnis homo non est animal: Nonnullus homo non est animal.* Octauò, Terminus verò aliàs à signo præuio distribuendus, & per vnam negationem præuiam indistributus, si altera etiam præuia ponatur, distributus efficitur, vt in hâc: *Nullus homo non est omne animal*; quæ huic æquialet: *Omnis homo est omne animal.* Et in hâc: *Aliquis homo non est non omne animal*: æquiualente huic: *Aliquis homo est omne animal.* Et in hac: *Aliquis homo non est nonnullum animal*: æquiualente huic: *Aliquis homo est nullum animal.* Nonò, Tres negationes in propositione negatiuam eam faciunt, sicut, & quiuis alius numerus impar negationum: quatuor autem, sicut & duæ, & quiuis earum numerus par affirmatiuam. Quem autem sensum propositionis faciant negationes plures, quàm duæ, & quos communes terminos distributos, aut indistributos reddant, ex dictis diiudicandum est. Decimò, Negatio, sicut, & quodvis aliud signum terminum singulatem nunquam distribuit: quia terminus singularis prorsùs indistribuibilis est. Terminus, inquam, singularis, vel nomine proprio expressus, vt *Socrates*, vel communi cum signo demonstratiuo vt *hic homo*: Ex his negationum proprietatibus sequentes æquialentiæ, inferuntur, quibus sequentes termini inter se comparati æquiualent. Primò, Non omnis, & Aliquis non. Secundò, Omnis non, & Nullus. Tertiò, Non omnis non, & Aliquis. Quartò. Nonnullus, & Aliquis. Quintò, Nullus non, & Omnis. Sextò, Nonnullus non, & Aliquis non. Septimò, Non aliquis, & Nullus. Octauò, Non aliquis non, & Omnis. Nonò, Non homo, & Nullus homo. Decimò, Non hic homo, & hic homo non.

Propositio 1.

A, & O, atque etiam E, & I contradictoriè, proindéque citra medium oppositæ sunt; atque adeo nec simul veræ, nec simul falsæ possunt esse. 25

Quoniam, qui affirmat de omni idem, quod negat, de aliquo contento sub omni, aut negat de omni idem, quod affirmat de aliquo contento sub omni, idem de eodem simul affirmat, & negat, vt est notissimum. Pro obiectisque subinde habet vtriusque affirmationis, & negationis extrema manifestè opposita tanquam positio, & negatio eiusdem. Quòd autem ea citra medium opposita sint, inde planè conuincitur: quia manifestè est impossibile, tum deficere quidpiam ab omni, quin deficiat ab aliquo; tum non deficere ab aliquo, quin adsit in omni. Hoc autem ipsum est, obiectum affirmationis A non posse deficere, quin adsit obiectum negationis O; & obiectum negationis O non posse deficere, quin adsit obiectum affirmationis A, atque adeo illa, & consequenter ipsæ A. & O oppositionem citra medium habere. Tantumdémque euenit in E & I. quia pariter est manifestè impossibile, tum deficere carentiam cuiuspiam ab omni, quin deficiat ab aliquo; tum non deficere ab aliquo carentiam ipsam, quin adsit in omni. Quod ipsum est etiam, neutrum ex obiectis E, & I deficere posse quin adsit alterum: atque adeo illa, ipsæque subinde E & I oppositæ citra medium esse. Constat itaque, A, & O, atque etiam E, & I oppositionem citra medium habere, quam habent positio, & negatio eiusdem, quo nihil desideratur, vt sint contradictoriè oppositæ; atque adeo, vt neque simul veræ, neque simul falsæ esse possint, iuxta dicta *suppos.* 2.

Propositio 2.

26 A cum I, atque etiam E cum O non mutuò connectuntur. Proindéque ex A ad I, & ex E ad O legitimè arguitur; sed non è conuerso.

Constat id manifestè. Primò: quia I in A continetur, vt pars positiua in toto positiuo, & O in E vt pars negatiua in toto negatiuo. Totum autem cum parte non mutuò connecti, ab illoque proinde ad hanc legitimè argui, non tamen è conuerso; tum ex se, tum ex demonstratis *suprà disp. 9. q. 5.* conspicuum est. Secundò: quia iuxta certissimam logicorum doctrinam statutam *disp. 18. quæst. 3. ex A, & E* ad singula contenta in illis sufficienter enumerata legitimè descenditur. Quod secus fieret, si ex A ad I, & ex E ad O non argueretur legitimè, vt est notissimum, Tum vt ex contentis in A, & E ad ipsas A, & E ascendatur legitimè omnia ea sufficienter enumerata debent assumi. Constat autem, I, & O non dicere omnia contenta in A, & E sufficienter enumerata: non ergo ex I ad A neque ex O ad E arguitur vicissim legitimè. Tertiò: quia, quicquid verè affirmatur; aut negatur de omni, verè affirmatur; aut negatur de quolibet contento sub omni, vt ferunt euidentissima illa principia: *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, quibus ars syllogismorum de medio communi subnititur, vt infrà suo loco videbimus; Cùm tamen non eo ipso affirmetur, aut negetur verè quidpiam de omni quòd verè affirmetur id, aut negetur de aliquo contento sub omni. Hoc autem ipsum est ex A ad I, & ex E ad O, non tamen vice versâ legitimè argui, vt est notum.

27 Ex hâc propositione sequitur primò, A, & E non posse esse veras, quin I, & O sint veræ; alioquin ex illis ad has non argueretur legitimè. Secundò sequitur, si I, & O sint falsæ A quoque, & E necessariò esse falsas. Tum quia à contradictoriis ipsarum I, & O eas falsificantibus ad contradictoria ipsarum A, & E eas pariter falsificantia legitimè arguitur, iuxta principia statuta *suppositione tertiâ*. Tum quia, si existentibus I, & O falsis, A, & E essent veræ, à veritate ipsarum A, & E ad veritatem ipsarum I, & O non argueretur legitimè, contra præcedentem propositionem. Tertiò sequitur, posse I, & O esse veras, quando A, & E sunt falsæ. Si enim id non posset fieri, ex veritate ipsarum I, & O ad veritatem ipsarum A, & E legitimè argueretur, contra præsentem propositionem. A autem, & I, atque etiam E, & O subalternas esse: A quidem, & E subalternantes, I verò, & O subalternatas ex dictis *suppositis. 5.* constat.

Propositio 3.

28 A, & E oppositione contraria admittente medium sunt oppositæ, atque adeò licèt non simul veræ: simul tamen falsæ esse possunt.

Quòd sint oppositæ, proindéque simul veræ non possint esse. inde constat. Primò: quia in obiecto, quod vna affirmat, & quod altera negat, aliqua saltè inuoluuntur opposita tanquam positio; & negatio eiusdem, vt satis ex se est notum. Quod absque oppositione talium obiectorum, atque adeò, & ipsarum propositionum stare non potest, vt etiam constat. Secundò demonstratur: quia si A, & E possent esse simul veræ, ipsis existentibus simul veris, simul etiam essent veræ I, & O: siquidem A: vera esse non potest, quin sit vera I, neque E, quin sit vera O, iuxta dicta propos. 2 atque ita A O, & E I contradictoriæ simul veræ essent contra propos. 1. non posse autem A, & E simul veras esse, & esse oppositas in idem recidit.

Quòd autem earum oppositio medium admittat, 29
atque adeò simul falsæ esse possint, inde constat. Primò: quia prima affirmando ponit in omnibus id, quod secunda negando tollit ab omnibus: fieri autem potest, vt id in aliquibus tantùm sit, atque adeò neque sit in omnibus, neque desit ab omnibus. Quod est inter illarum opposita obiecta medium dari posse, easque subinde ambarum obiectis deficientibus, simul falsas esse. Secundò, id ipsum demonstratur: quia possibile est, vt existente Ivera, A falsa sit, vt propos. 2. demonstratum est: sed existente, I, verâ, necesse est, quòd E contradictoria eius sit falsa, iuxta propos. 2. ergo possibile est, vt existente I verâ, A simul, & E falsæ sint. Posse autem, A, & E simul falsas esse, & oppositionem earum medium admittere, atque adeo contrariam, siue contrarietatis esse, in idem recidit.

Propositio 4.

I, & O simul veræ esse possunt, atque adeò op- 30
positæ propriè non sunt, non possunt tamen esse simul falsæ; quòd earum contradictoriæ oppositæ sunt inter se.

Quòd possint esse simul veræ, atque adeò non sint propriè oppositæ præterquàm ipsâ experientiâ constat in his. *Aliquis homo sedet: Aliquis homo non sedet*, & in similibus, sic demonstratur. Existente A falsâ, O contradictoria eius necessariò erit vera, & existente E falsâ, I contradictoria eius necessariò etiam erit vera, iuxta propos. 1. sed est possibile, A, & E esse simul falsas, iuxta propos. 3. ergo est possibile, I, & O esse simul veras: Quòd autem simul falsæ esse non possint demonstratur ita: Quia existente I falsâ, A necessariò erit falsa; & existente O falsâ, E quoque necessariò erit falsa, iuxta dicta propos. 2. ergo, si I, & O essent simul falsæ, omnes quatuor essent simul falsæ, atque ita A, & O atque etiam E & I contradictoriæ essent simul falsæ, contra propos. 1. Quomodo autem I, & O subcontrariæ dicantur, quatenus sub A, & E contrariè oppositis contentæ, eique subalternatæ sunt, suppos. 3. notatum est.

Ex dictis, & suppositio insuper tanquam certissi- 31
mo principio, quòd omnis propositio necessariò est vera, vel falsa: quia cuiusuis obiectum necessariò est, vel non est; & nulla potest esse vera simul, & falsa. quia nullius obiectum potest simul esse, & non esse, manifestè consequitur, esse necessarium omninò, vt ex quatuor dictis propositionibus A. E. I. O. in omni euentu duæ tantùm sint veræ, & duæ tantùm sint falsæ: quia si plures, quàm duæ essent veræ, nempe tres, aut quatuor, contra propos. 1. darentur duæ saltem contradictoriæ veræ, quæ in quouis earum ternario; atque adeò etiam in quaternariò clauduntur. Si tamè pauciores, quàm duæ, aut earum nullæ essent veræ, reliquæ tres, aut omnes quatuor essent falsæ, atque ita contra eamdem propos. 1. duæ saltem contradictoriæ darentur simul falsæ.

Iam, si quis, quomodò dictæ propositiones com- 32
parentur, , vno aspectû videre velit, aspiciat sequentem typum quadratum.

Subalternans



Propositio 5.

33 Contradictoriæ A O, & E I æquiualentes fiunt, si alterutrius subiecto præponatur negatio: contrariæ autem A E, & subcontrariæ I O si postponatur; subalternæ denique A I, & E O, si vna negatio præponatur; & altera postponatur subiecto vtriusuis. Pro quibus tribus regulis est ille versiculus.

Prà contradic. Post contra. Præ Postque subalter.

Constant autem satis clarè omnes illæ, tum ex naturâ; & proprietatibus negationis expositis suppositione sextâ, ex æquiualentiisque terminorum *ibidem* illatis, tum ex ipso sensu, quem exhibent in quâuis materiâ propositiones iuxta ipsas regulas formatæ, vt quisque exemplis adhibitis poterit facilè deprehendere, ne in re cuique promptâ moremur.

34 Et hæc de oppositione, connexione, & æquialentiâ illarum quatuor, celebriúmque propositionum A E I O, de quibus tractant Logici. Pergo iam ad conficiendam totalem, egregiámque professò Artem omnium 18. propositionum categoricarum simplicium, quas recensuimus, & suis litteris designauimus *q.* 1. oppositionem, connexionem, æquiualentiámque demonstrantem. Pro quo sit.

Propositio 6.

35 V, & Vn contradictoriè opponuntur, atque adeò nec simul veræ, nec simul falsæ possunt esse.

Hæc propositio satis, superque per se manifesta est: quia in nullis propositionibus expressiùs cernitur contradictio, quàm in singularibus affirmatiua, & negatiua eiusdem de eodem. Obiecta quippe harum propositionum; *Socrates est homo: Socrates non est homo* manifestè opponuntur, vt positio; & negatio eiusdem. Manifestè etiam eorum deesse potest; nisi per positionem alterius; atque adeò medium non admittunt. Quo nihil desideratur ad oppositionem earum contradictoriam simultaneæ extremorum veritati, aut falsitati omninò aduersantem, vt ex se, & ex dictis notum est.

Propositio 7.

36 Vnaquæque nouem affirmatiuarum propositionum ex 18. de quibus agimus, inter alias nouem negatiuas habet suam contradictoriam, & vice versâ.

Ex dictis enim in primâ, & sextâ propositione constat primò, tres has propositiones affirmatiuas A. I V. pro contradictoriis habere has tres negatiuas O. E. Vn. Secundò colligitur planè, quas contradictorias habeant sex aliæ affirmatiuæ, quæ supersunt: dA namque pro contradictoriâ habet dO, & dI dE, & dV dVn. Similitérque tA pro contradictoriâ habet tO, & tI. tE, & tV. tVn. eodem enim pacto, quo ostendimus, A, & O, I. & E, atque V, & Vn contradictoriè opponi, facilè ab vnoquoque ostendetur, opponi pariter contradictoriè dA, & dO, dI, & dE, dV, & dVn. necnon tA, & tO, tI, & tE, tV, & tVn. Itaque ex dictis 18 propositionibus nouem affirmatiuæ, & nouem negatiuæ inter se opponuntur contradictoriè, vt indicat sequens tabella.

A	O
I	E
V	Vn
dA	dO
dI	dE
dV	dVn
tA	tO
tI	tE
tV	tVn

Vnde etiam colligitur, singularum propositionum vnicam tantum dari contradictoriam cæteris non æquiualentem. Quòd addo: quia quoties vnius propositionis plures contradictoriæ assignantur, non possunt non omnes illæ inter se æquialentes esse. Cuius ratio conspicua est: quia obiecta contradictoriè opposita præcisè opponuntur tanquam positio, & negatio eiusdem. Vnius autem extremi positiui vnica tàtùm datur negatio, siue veritas negatiua ipsum excludens, siue remouens, & consequenter, vice versâ, vnum extremum positiuum vni tantùm sui negationi oppositum est, vt constat ex doctrinâ traditâ *suprà disp. 9. quæst. 3. & 4.* In quo oppositio contradictoria à contrariâ differt. Potest quippe vnum extremum pluribus singillatim, diuisimque opponi contrariè: quia nihil verat, vnum cum pluribus aliis simul esse non posse. Et quoniam in numero 18 propositionum, de quibus agimus, nullæ dantur in se æquialentes, vt constat ex dictis *q.* 1. conficitur vnamquamque earum vnicam tantùm in ipso numero contradictoriam habere, vt cernitur in tabellâ præmissâ, tametsi plures habeat, contrarias, vt patebit ex demonstrandis. 37

Propositio 8.

Binariorum 153. omnino, qui independenter à repetitione, & positione effici possunt ex 18. propositionibus, de quibus agimus, iuxta combinationum regulas *disp.* 29. tradendas 54. omninò sunt propositionum subalternarum, id est, ita se habentium, vt altera cum alterâ non mutuò connexa sit. 38

Vt propositionem demonstrem, & primùm ostendam, quænam ex prædictis propositionibus seriatim cum aliis sint non mutuò connexæ, sequentem serierum earum tabellam exhibeo.

Tabula

Tabula serierum propositionum non mutuò connexarum

Affirmatiuæ.	*Negatiuæ.*
dA	E
tA	tE
A	dE
V	dVn
I	dO
dA	E
dV	Vn
dI	O
tI	tO
I	dO
dA	E
dV	Vn
tV	tVn
V	dVn
I	dO
dA	E
tA	tE
tV	tVn
tI	tO
I	dO

39 Itaque in primis duabus seriebus dA connectitur non mutuò cum tA & tA cum A, & A cum V, & V cum I. Similiterque E cum tE, & tE cũ dE, & dE cum dVn, & dVn cum dO, & in cæteris pariter. Quod demonstratur per tria certissima principia. Primum est: terminum distributum cum non distributo in ipso contento non mutuò esse connexum, sicut totum cum suâ parte, iuxta dicta *propositione secunda*, vt terminus *Omnis homo* cum quouis horum trium: *Homo: Aliquis homo: Hic homo.* Secundum est: terminum singularem cum suo vago, siue indefinito non mutuò etiam connexum esse, vt: *Hic homo* cum quouis horum duorum: *Homo: Aliquis homo.* Quia necessarium est, vt hic homo sit homo, & aliquis homo, non tamen est necessarium, vt homo, aut aliquis homo sit hic homo: quia potest esse alius. Tertium ex his sequutum est, propositionem habentem terminum distributum, siue ex parte subiecti, siue ex parte prædicati cum propositione habente eumdem terminum non distributum non mutuò connexam esse; quando in cæteris terminis conueniunt. Similiterque propositionem habentem terminum singularem cum habente eumdem particularem, aut indefinitum. Quod etiam manifestum est; quia propositio à connexione, quam sui termini habent cum terminis alterius nequit non eamdem cum illâ connexionem sortiri, quando non est aliquid, quod talem connexionem impediat, vt verè non est, quando conueniunt in cæteris; præter connexos.

40 Et quoniam propositiones omnes propositarum serierum ita se habent, idcircò non mutuò, vti diximus, connexæ sunt. Exempli gratia. Prima propositio primæ seriei: *Omnis homo est omne animal* significata per dA non mutuò est connexa cum secundâ: *omnis homo est hoc animal* significatâ per tA, & secunda cum tertiâ: *Omnis homo est animal* significatâ per A: quia prædicatum *animal* in primâ est distributum, & in secundâ singulare contentum in illo; & in tertiâ indefinitum, cum quo nõ mutuò connectitur singulare. In subiecto autem omnes tres conueniunt. Tertia autem ideo connectitur cum quartâ: *Hic homo est animal* significata per V, & hæc cum quintâ: *Aliquis homo est animal* significata per I, quia subiectum in tertiâ est distributum, in quartâ singulare, & in quintâ particulare, & in prædicato conueniunt. Paritérque de cæteris omnibus censendum est, vt cuique discurrenti per singulas conspicuum fiet, obseruatis proprietatibus negationis traditis suppositione quartâ pro dignoscendâ distributione, aut in distributione terminorum.

Sequitur nunc, vt omnes binarios possibiles pro- 42
positionum non mutuò connexarum, atque adeò subalternarum, ex dictis seriebus, factâ adæquatâ combinatione eliciamus, eosque ob oculos ponamus, vt fit in tabulâ sequente, vbi semper propositio superior connexa, atque adeò subalternans, inferior verò ei correspondens terminans ipsius connexionem, atque adeò subaliernata est.

Tabula binariorum propositionum non mutuò connexarum atque adeo subalternarum

Affirmatiuæ.			*Negatiuæ.*		
A	A	V	E	Vn	E
I	V	I	O	O	Vn
dA	dA	dA	O	E	Vn
A	I	V	dO	dO	dO
dA	dA	dA	dE	dVn	tO
dI	dV	tA	dO	dO	dO
dA	dA	tA	tE	tVn	O
tI	tV	A	dO	dO	tO
tA	tA	tA	E	Vn	tE
I	V	tI	tO	tO	tO
tA	dI	dI	tVn	E	tE
tV	I	tI	tO	dE	dE
dV	dV	dV	E	Vn	dE
I	V	dI	dVn	dVn	dVn
dV	dV	tI	tE	tVn	E
tI	tV	I	dVn	dVn	tE
tV	tV	tV	E	Vn	tE
I	V	tI	tVn	tVn	tVn

Modò adiiciẽda etiã & tabula binariorum, quæ fa- 42
ctâ adæquatâ cõbinatione, nouẽ propositionũ affirmatiuarũ, & nouẽ negatiuarũ. de quib. agimus seorsim, supersunt propositionũ nõ connexarũ inter se, atque adeò absolutè disparatarum: quia neque oppositæ inter se sunt, siquidem ambæ vniuscuiusque binarij aut affirmatiuæ sunt, ant negatiuæ.

Tabula binariorum propositionum disparatarum, id est neque connexarum, neque oppositarum inter se.

Affirmatiuæ.			*Negatiuæ.*		
A	A	A	dE	dVn	tE
dI	dV	tI	O	O	O
A	V	V	tVn	dE	tE
tV	dI	tI	O	Vn	Vn
tA	tA	tV	dE	dVn	dE
dI	dV	dI	tO	tO	tVn

Propositiones autem istorum omnium binatio- 43
rum ita esse disparatas, vt neque connexionem neque,

neque oppositionem vllam inter se habeant, facilè vnusquisque comperiet sigillatim discurrendo per singulos, in quo proindè discursu faciendo opus nō est, vt modò immoremur. Inueniet enim propositiones vniuscuiusque binarij aut absolutè, aut ex aliquâ factâ suppositione posse esse simul veras. Quod ipsum est, eas non esse oppositas. Inueniet item, quo casû prima est vera posse secundam esse falsam; atque etiam vice versâ posse primam esse falsam, quo casu secunda vera est. Quod ipsum est neque primam cum secundâ, neque secundam cum primâ vllam connexionem habere.

44 Iam verò, ex prædictis primò sequitur adnotandum: Ex vtrovis nouenario affirmatiuarum, & negatiuarum propositionum seorsim combinato 36. omninò binarios propositionum resultare, qui numerus ex quatuor nouenariis coalescit. Vnde nota secundò correspondentiam. Tres namque eorum sunt binariorum propositionum non mutuò connexarum, & vnus binariorum propositionum disparatarum; atque ita ex affirmatiuis connexis sunt 27. binarij, & totidem ex negatiuis. Ex affirmatiuis autem disparatis sunt nouem binarij, & totidem ex negatiuis. Tertiò nota aliam correspondentiam; nempe, quoties quævis affirmatiuarum propositionum ponitur in vtràque tabulâ propositâ inter affirmatiuas, toties omnino poni eius contradictoriam inter negatiuas.

45 Habemus itaque ex dictis in hâc, & præcedente propositione primò, ex 18. propositionibus, de quibus agimus, 9. omnino esse binarios contradictoriè oppositarum. & quinam illæ sint. Secundò 27. omninò esse binarios subalternarum affirmatiuarum, & 27. negatiuarum, & quinam illi sint. Tertiò 9. esse binarios affirmatiuarum, & 9. negatiuarum disparatarum inter se. Superest modò demonstrandum, quot, & quinam sint binarij contrariarum: quot, & quinam subcontrariarum; quotque, & quinam disparatarum, quarum altera affirmatiua, & altera negatiua sit, quod egregiâ quidem demonstratione ostendit sequens problema.

Propositio 9.

46 Binariorum 153. qui ex 18. propositionibus; de quibus agimus, effici possunt, demonstrare, quot, & quinam contrariarum, quot, & quinam subcontrariarum, quotque, & quinam disparatarum sint.

Fiat in primis tabula 27. quadratorum pro totidem binariis propositionum subalternarum affirmatiuarum tabulæ præcedentis, acceptoque quovis binario illarum ponatur in duobus primis angulis cuiusque quadrati, itavt subalternans in supetiori angulo collocetur, primáque quadrati dicatur, & subalternata in inferiori, dicatúrque secunda. Earum autem contradictoriæ, quæ in eâdem tabulâ suo ordine positæ sunt ponantur in duobus secundis angulis quadrati inuerso modo, nempe contradictoria subalternantis in inferiori angulo, quæ tertia quadrati dicetur; & contradictoria subalternatæ in superiori, quæ dicetur quarta. Eâ ratione, quâ posuimus in quadrato descripto *propos.* 4. has propositiones A I O E eisdem numeris adnotatas. Hæc namque tabula dabit præter contradictorias, & subalternas iam recensitas, omnes contrarias, & subcontrarias possibiles in Arte istâ.

Tabula exhibens omnes contrarias, & subcontrarias possibiles ex 18. propositionibus, de quibus agimus, vna cum contradictoriis, & subalternis iam recensitis. 47

A	E	A	Vn	V	E
I	O	V	O	I	Vn
dA	O	dA	E	dA	Vn
A	dO	I	dO	V	dO
dA	dE	dA	dVn	dA	tO
dI	dO	dV	dO	tA	dO
dA	tE	dA	tVn	tA	O
tI	dO	tV	dO	A	tO
tA	E	tA	Vn	tA	tE
I	tO	V	tO	tI	tO
tA	tVn	dI	E	dI	tE
tV	tO	I	dE	tI	dE
dV	E	dV	Vn	dV	dE
I	dVn	V	dVn	dI	dVn
dV	tE	dV	tVn	tI	E
tI	dVn	tV	dVn	I	tE
tV	E	tV	Vn	tV	tE
I	tVn	V	tVn	tI	tVn

Quo

48 Quoniam enim prima propositio vniuscuiusque quadrati cum secundâ connexa est, quarta contradictoria secundæ cum tertiâ contradictoriâ primæ pariter erit connexa propter inuersam connexionem, quam habent contradictoria extremorum connexorum, vt suppositione tertiâ statutum est; atque ita quarta, & tertia eodem modo ac prima, & secunda subalternæ erunt. Id, quod etiam ex præcedente tabulâ propositionum subalternarum constat. Et quoniam extremum connexum cum altero ipsius contradictorio est oppositum, vt in eâdem suppositione tertiâ est statutum, & prima cum secundâ connexa est, necessariò consequitur, primam quartæ, quæ est contradictoria secundæ, oppositam esse. Vnde, primò constat, primam, & quartam simul veras esse non posse: quia tales esse non possunt propositiones inter se oppositæ. Deinde id ipsum demonstratur: quia, si prima, & quarta essent simul veræ, secunda, & tertia subalternatæ earum, atque adeo omnes quatuor essent simul veræ, ; atque ita prima, & tertia, secundâque, & quarta, contradictoriæ cùm sint, essent simul veræ, quod est absurdum. Quoniam item existente secundâ verâ, prima falsa esse potest; & existente secundâ verâ quarta contradictoria eius necessariò est falsa, consequitur, primam, & quartam absolutè posse esse simul falsas, vt arguebamus *propos.* 3. Quod ipsum est, primam, & quartam oppositione admittente medium, atque adeo non contradictoriâ; sed contrariâ oppositas esse. Præterea, hoc ipso, quòd prima, & quarta simul falsæ esse possunt, consequens est, vt tertia, & secunda earum contradictoriæ simul veræ esse possint, ne dentur duæ contradictoriæ simul falsæ: quod est impossibile. Denique: quia, si secunda, & tertia essent simul falsæ, prima, & quarta, atque adeò omnes quatuor, subindeque & quæ contradictoriè opponuntur, simul falsæ essent, vt *propos.* 4. arguebamus: consequitur, secundam, & tertiam simul falsas esse non posse: Secunda igitur, & tertia compotes esse simul veræ, & impotes esse simul falsæ subcontrariæ sunt. Constat itaque suppositio, quòd prima, & secunda sint subalternæ, & quod earum contradictoriæ sint tertia, & quarta, prout omnium dictorum quadratorum constructio fert, necessarium omnino esse, vt in quouis eorum quarta, & tertia pariter subalternæ sint. Prima autem, & quarta ita contrariæ, vt possint esse simul falsæ, non verò simul veræ: secunda autem, & tertia ita subcontrariæ, vt possint esse simul veræ; non verò simul falsæ. Quod erat demonstrandum.

49 Fiat deinde similis tabula 9. quadratorum pro totidem propositionibus affirmatiuis in tabulâ præcedente disparatarum positis. Positóque in vnoquoque quadrato binario vno dictarum propositionum, & ex aduerso earum contradictoriis, vti in aliis quadratis nuper expositis factum est. Reliquarum omnium possibilium disparatarum numerus demonstratiuè exhibebitur. Disparatarum, inquam, quæ neque inter se connexæ, neque inter se oppositæ sunt, etiamsi altera affirmatiua, & altera negatiua sit.

Tabula exhibens omnes binarios propositionum disparatarum, qui inter oriundos ex 18. propositionibus, de quibus agimus, possibiles sunt.

A	dE	A	dVn	A	tE
dI	O	dV	O	tI	O
A	tVn	V	dE	V	tE
tV	O	dI	Vn	tI	Vn
tA	dE	tA	dVn	tV	dE
dI	tO	dV	tO	dI	tVn

Posito enim, quod prima, & secunda propositio vniuscuiusque quadrati inter se connexæ non sunt, manifestè sequitur, primò, tertiam, & quartam, quæ sunt illarum contradictoriæ, inter se connexas non esse, (præterquam quòd id etiam constat ex tabulâ disparatarum propositâ *numero* 42.) si enim hæ connexæ essent, & illæ quoque connexæ essent, propter inuersam connexionem, quam necessariò habent contradictoriæ propositionum connexarum, vt *suppos.* 3. statutum est, Secundò sequitur primam, & quartam non esse oppositas: quia, si oppositæ essent, prima, & secunda essent connexæ contra suppositionem; siquidem extremorum oppositorum alterum cum contradictorio alteriùs necessariò connexum est, vt etiam *suppositione tertiâ* est statutum, & quarta, vt in constructione supponitur secundæ contradictoria est. Vnde, tertiò sequitur, secundam, & tertiam non esse subcontrarias tales, vt nequeant esse simul falsæ, cùm possint esse simul veræ. Si enim non possent esse simul falsæ, prima, & quarta, quæ sunt earum contradictoriæ, non possent esse simul veræ, atque adeo oppositæ essent, contra demonstrationem factam. Posito item, quòd prima, & secunda, atque eriam tertia, & quarta vniuscuiusque quadrati non sunt inter se oppositæ, vt *numero* 42. statuimus. Sequitur itidem, primam, & quartam, atque etiam secundam, & tertiam inter se connexas non esse: quia, si essent, prima, & secunda, atque etiam tertia, & quarta essent oppositæ inter se: quia, quod connectitur cum altero, ipsius contradictorio oppositum est, vt *suppositione tertiâ sæpe citatâ* est etiam statutum, & prima tertiæ, secunda autem quartæ contradictoriæ sunt, vt in constructione supponitur. 50

Vnde patet, quatuor binarios propositionum vniuscuiusque ex dictis quadratis primæ videlicet, & secundæ, secundæ, & tertiæ, tertiæ, & quartæ, quartæque, & primæ disparatarum esse, quæ neque inter se connexæ, neque inter se oppositæ sunt, 51

qua

quarum proinde omnes binarij possibiles 36. sunt: 9 ex affirmatiuis, & 9 ex negatiuis, & 18 mixti ex vtrisque,

52 Concluditurque ex 153 binariis, qui ex 18 propositionibus, de quibus agimus, confici possunt: 9 esse propositionum contradictoriarum, quorum est tabula *num.* 36. proposita 27 autem subalternarum affirmantium, & 27 negantium, quos habet tabula proposita *num.* 41. Tum 27. contrariarum, & 27. subcontrariarum, qui ex tabulâ quadratorum datâ *num.* 45. resultant; ac demùm 36. dicti disparatarum, qui omnes iustè componunt dictam summam 153.

Propositio 10.

53 Regulæ datæ propos. 5. ad faciendas æquiualentes, contradictorias, contrarias, subcontrarias, & subalternas, quæ ex his quatuor A E I O combinatis resultant. Eodem modo valent ad faciendas æquialentes contradictorias, contrarias, subcontrarias, & subalternatas, quæ resultant ex his 12. A. E. I. O. dA. dE. dI. dO. tA. tE. tI. tO. inter se combinatis. Non item ad faciendas æquialentes reliquas contentas in tabulâ quadratorum *num.* 47. descriptâ Exceptâ regulâ contradictoriarum, quæ in omnibus contradictoriis valet, cuiusuis generis illæ sint.

Itaque omnes contradictoriæ, siue altera vniuersalis, & altera particularis sit, siue ambæ sint singulares per negationem præpositam alterutri earum fiunt æquialentes: quia negatio præposita affirmatiuæ facit, vt neget, idem, quod negatiua, & præposita negatiuæ facit, vt affirmet idem, quod affirmatiua. Et omnes contrariæ vniuersales, & subcontrariæ particulares, de quocunque illæ sint prædicato per negationem post positam subiecto alterutrius fiunt æquialentes; quia *Omnis non* æquialet *Nullus*, & *Nullus non* æquialet *Omnis*. Tum *Aliquis non* æquialet *Aliquis non*, & *Aliquis non non* æquialet *Aliquis* iuxta dicta *suppositione sextâ*. Similitérque subalternæ, quarum altera vniuersalis, & altera particularis est, per negationem vnam præpositam, & alteram postpositam, subiecto alterutrius fiunt æquialentes, de quocunque illæ sint prædicato: quia *Non omnis non* æquialet *Aliquis* & *Non aliquis non* æquialet *omnis*. Tum *nonnullus non* æquialet *Aliquis non* & *Non Aliquis non non* æquialet *Nullus*. iuxta dicta *ibidem*. Vnde, in prædictis omnibus, de quocunque sint prædicato, locum habet ille versiculus. *Præ contradic. Post contra. Præ, Post que subalter.*

54 At verò cæteræ contrariæ, subcontrariæ, & subalternæ in citatâ tabulâ quadratorum contentæ pariter æquialentes non fiunt, aut per postpositam, aut per præpositam, & postpositam negationem, vt quisque discurrendo per singulas manifestè comperiet. Ratio autem est: quia vim, quam suâ naturâ habet negatio præposita, vel postposita subiectis affectis illis signis *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*, qua ratione in contrariis, subcontrariis, & subalternis prioris generis inter se comparantur, non habet præposita, vel postposita subiectis reliquarum.

Propositio 11.

55 Connexio duarum propositionum tam obiectiuarum, quam formalium, cuiuscunque illæ generis, & in quâcunque materiâ sint, aliarum duarum connexionem, & aliarum contrarietatem, eamque, vel admittentem, vel recusantem medium, & aliarum duarum subcontrarietatem, aut etiam contrarietatem fert secum, atque etiam vice versâ.

Vt hæc propositio, quæ valdè est notanda, faciliùs intelligatur, & planiùs ex præcedentibus, ex quibus sequitur, demonstretur, sint loco propositionum tam obiectiuarum, quàm formalium cuiusuis generis, & materiæ, de quibus agit litteræ sequentis quadrati B. C. D. F. ita vt B. & F. similitérque D, & C contradictoriè oppositæ sint.



Quo posito: Dico primò. Ex eo, quòd B non mutuò connectatur cum D, necessariò sequi, C quoque non mutuò connecti cum F. B que, & C contrariè opponi contrarietate admittente medium, atque adeò B, & C non posse esse simul veras, posse tamen esse simul falsas. D autem, & F. ita esse subcontrarias, vt nequeant esse simul falsæ; possint tamen esse simul veræ. Quæ omnia ex demonstrationibus factis *propos.* 3. 4. & 9. constant. Secundò dico. Ex eo, quòd B, & C contrariæ sint contrarietate admittente medium, necessariò vice versâ sequi, B cum D & C. cum F non mutuò connecti, D que, & F subcontrarias esse modo dicto. Primum constat quia oppositorum extremorum quoduis cum alterius contradictorio connexum est, vt statui suppositione tertiâ. Secùdum verò: quia si D, & F non possent esse simul veræ B, & C non possent esse simul falsæ. Si autem D, & F simul falsæ esse possent, B, & C simul veræ esse possent, vt ex citatis propositionibus constat. Quod tamen vtrumque contra factam suppositionem est. Tertiò dico. Si B. & D connectantur mutuò necessariò sequi, C quoque, & F connecti mutuò propter inuersam connexionem, quam habent cõtradictoria extrẽmorum inter se connexorum: B que, & B contrariè citra medium opponi; proindéque, nec simul veras, nec simul falsas posse esse. Similitérque opponi D, & F. Quod demonstratur: quia, vt constat ex dictis *locis citatis*, hoc ipso, quòd B connectitur cum D huius contradictoriæ C opponitur, & hoc ipso, quòd D vicissim connectitur cum B huius contradictoriæ F opponitur, suntque proinde inter se oppositæ tum B, & C, tum D, & F, atque adeò neutræ esse possunt simul veræ. Vnde, rursus sequitur necessariò neutras posse esse simul falsas. Quia, si B, & C possent esse simul falsæ, D, & F contradictoriæ earum possent esse simul veræ, atque etiam vice versâ, ne possent simul falsæ esse duæ condictoriæ. Concluditur ergo ex eo, quòd B, & D sint mutuò cdnnexæ, necessariò sequi tum C, & D mutuò similiter esse connexas, tum B, & C, atque etiam D, & F oppositas citra medium esse. Quòd autem earum oppositio non contradictoria sit, sed contraria, inde monstratur: quia vnius propositionis vnica tantùm contradictoria datur, eo quòd vnius extremi vnica tantùm datur negatio, vt *suprà propos. 7. num. 37.* statuimus. Cùm ergo B pro contradictoriâ habeat F, nequit etiã habere pro contradictoriâ C, quæ ab F est diuersa. Similiterque cum D habeat pro contradictoriâ C, nequit etiã habere F diuersã, à C. B. ergo, & C, atque etiam D, & F oppositione contrariâ sunt oppositæ citra medium. Quod erat demonstrandũ.

Quartò dico. Ex eo quòd B, & C oppositæ citra medium sint necessariò vice versâ sequi, tum D, & F pariter esse oppositas, quod ex demonstratione iam factâ constat: tum B, & D, atque etiam C, & F mutuò esse connexas. Quod demonstratur: quia, vt constat ex dictis, titulo oppositionis, quam B habet cum C, cum eius contradictoria D necessariò connectitur, & titulo oppositionis, quam D habet cum F, cum eius contradictoria B necessariò connectitur, atque ita B, & D mutuò connexæ sunt necessariò. Tantumdémque venit dicendum de C, & F, vt constat.

56 Ex hâc propositione, quæ vniuersalissima est, sequitur primò, quia omne totum, seu physicum, seu metaphysicum, seu logicum cum suâ parte seu determinatâ, seu vagâ non mutuò est connexarum, vt est notissimum: Contradictorium partis connexum quoque esse non mutuò cum contradictorio totius; & totum contradictorio partis contrarie esse oppositum contrarietate admittente medium, partémque subinde contradictorio totius subcontrariari, & vice versâ. Et consequenter propositiones habentes hæc extrema pro obiectis eadem conditiones subire. Hinc: quia homo est totum physicè compositum ex animâ, & corpore: hæ propositiones sunt subalternæ: *Homo existit: Anima existit*, atque etiam hæ: *Anima non existit: Homo nõ existit*; & hæ contrariæ admittentes medium: *Homo existit: Anima non existit*; hæ verò subcontrariæ: *Anima existit: Homo non existit*. Et, quia homo compositus est metaphysicè ex animali, & rationali, hæ propositiones sunt subalternæ: *Homo existit: Animal existit*, sicut & hæ: *Animal non existit: Homo non existit*. hæ autem contrariæ admittentes medium: *Homo existit: Animal non existit*. Et hæ subcontrariæ: *Animal existit: Homo non existit*. Denique, quia conceptus hic: *omnis homo* est totum compositum logicè ex hominibus indiuiduis, hæ propositiones sunt subalternæ: *Omnis homo existit: Socrates existit*, atque etiam hæ: *Socrates non existit: Aliquis homo non existit*. Hæ autem contrariæ admittentes medium: *Omnis homo existit: Socrates non existit*; & hæ subcontrariæ: *Socrates existit: Aliquis homo non existit*. Quo eodem iure tales sunt omnes quadratorum tabulæ primæ datæ *propos. 9. n. 47.*

57 Secundò sequitur: quia omnis essentia cum omni suâ passione communi est connexa non mutuò, iuxta doctrinam statutam *disp. 17. q. 18.* contradictorium passionis communis cum contradictorio essentiæ connexum quoque non mutuò esse, essentiaque, & contradictorium passionis contrariè cum admissione medij opponi: passionem denique ipsam contradictorio essentiæ subcontrariari. Et consequenter, propositiones habentes hæc extrema pro obiectis eadem conditiones subire. Hinc: quia cuiusvis actus quasi communis passio est potentia, hæ propositiones, *Socrates legit: Socrates potest legere*. Subalternæ sunt, atque etiam hæ: *Socrates non potest legere: Socrates non legit*: hæ autem contrariæ admittentes medium: *Socrates legit: Socrates non potest legere*; & hæ subcontrariæ: *Socrates potest legere: Socrates non legit*. Et idem est de innumeris aliis huiusmodi.

58 Tertio sequitur: quia omnis essentia cum omni suâ propriâ passione, seu proprietate mutuò connexa est iuxta dicta etiam in eâ *quæst. 18. citatâ*, contradictorium proprietatis cum contradictorio essentiæ esse quoque mutuò connexorum, essentiamque, & contradictorium proprietatis contrarie citra medium opponi. Similiterque proprietatem, contradictorium essentiæ, eadémque subinde conditiones sortiri propositiones habentes pro obiectis talia extrema. Hinc, quia risibilitas est proprietas hominis, hæ propositiones mutuò subalternantur: *Petrus est homo: Petrus est risibilis*, tum etiam hæ: *Petrus non est homo: Petrus non est risibilis*; hæ verò contrariè citra medium opponuntur: *Petrus est homo: Petrus non est risibilis*; atque item hæ: *Petrus est risibilis: Petrus non est homo*. In cæterisque innumeris pariter.

Quartò sequitur: quia peccatum, & gratia contrariè cum admissione medij opponuntur, paritérque consequenter propositiones istæ: *Petrus habet gratiam: Petrus habet peccatum*, has inter se subalternas esse: *Petrus habet gratiam: Petrus non habet peccatum*, atque etiam has: *Petrus habet peccatum: Petrus non habet gratiam*; has verò subcontrarias: *Petrus non habet peccatum: Petrus non habet gratiam*. Similitérque venit dicendum de innumeris aliis huiusmodi. 59

Quintò sequitur: quia similitudo, & dissimilitudo contrariè opponuntur citra medium, atque adeò, & hæ propositiones: *Petrus est Paulo similis: Petrus est Paulo dissimilis*: has inter se mutuò connexas, atque adeò mutuò subalternatas esse: *Petrus est Paulo similis: Petrus non est Paulo dissimilis*, sicut etiam has: *Petrus est Paulo dissimilis: Petrus non est Paulo similis*; has verò, sicut & duas priores citra medium esse contrarias: *Petrus non est Paulo dissimilis: Petrus non est Paulo similis*. Paritérque de similibus philosophandum est. 60

Sextò sequitur vniuersè: quot habet vnaquæque propositio subalternatas, siue terminantes suam connexionem, aut immediatam, aut mediatam, tot habere contrarias, & vice versâ quæ quidem contrarię admittentes medium erunt, si connexio non mutua sit; recusantes autem, si mutua. Item, quot habet vnaquæque propositio subalternantes, siue secum connexas non mutuò, tot habere subcontrarias, & vice versâ: quando enim subalternantes mutuò subalternatæ sunt loco subcontrariarum contrariæ recusantes medium succedunt. Quæ omnia ex demonstratis sunt nota. 61

Ex quibus omnibus apparet, quomodò per doctrinam præsentis propositionis certas iam nos, eâsque vniuersalissimas regulas habeamus ad demonstrandas in scientiis humanis ex semel inuentâ connexione aut non mutuâ, aut mutua quorumuis terminorum, siue quarumuis propositionum contrarietates, & subcontrarietates, illasque, vel admittentes, vel recusantes medium; necnon vice versâ, ad demonstrandas connexiones &c. ex semel inuentâ contrarietate. 62

Postremò sequitur ex dictis quoties duæ propositiones nullam inter se connexionem habent, neque earum contradictorias connexionem inter se habere, neque alteram cum alterius contradictoriâ habere contrarietatem vllam, aut subcontrarietatem sicuti vice versâ, quoties duæ propositiones oppositæ inter se non sunt, neque altera cum contradictoriâ alterius est connexa, neque earum contradictoriæ sunt subcontrariæ. Id, quod ex demonstratione factâ *propositione nona*, circa propositiones disparatas etiam est notum. 63

Propositio

Propositio 12.

64 Oppositiones, connexiones, æquiualentiæque propositionum oriundæ à signis afficientibus earum terminos aut affirmatis, aut negatis, perinde nascuntur ab illis, sua seruatâ propositione, siue terminis talibus signis affecti recti seu categorematici, siue obliqui, seu syncategorematici sint.

Ratio huius propositionis est: quia cùm termini etiam obliqui syncategorematici, seu connotati sub enuntiationem etiam propositionis cadant, quâ ratione suprà explicuimus *disput 2. quæst. 4.* consequens est, vt ab illis etiam suo modo ratione signorum, quibus afficiuntur, sortiatur propositionem, atque adeò sensum aut vniuersalem, aut particularem, &c. & consequenter, aut oppositionem, aut cõnexionem, aut æquiualentiam cùm aliis propositionibus in huiusmodi quantitate fundatam. Itaque, sicuti hæ propositiones contradictoriæ sunt: *Omnis homo currit: Aliquis homo non currit*: ita etiam hæ: *Omnis hominis omnis capillus est albus*: *Alicuius hominis aliquis capillus non est albus*: *In omni vrbe venditur piper*: *In aliquâ vrbe non venditur piper*: *Petrus in omni scientiâ est doctus*: *Petrus in aliquâ scientiâ non est doctus*. Et cæteræ huiusmodi. Paritérque de contrariis, subcontrariis, & subalternis, atque etiam de æquiualentibus, iuxta regulas in præcedentibus traditas venit censendum. Semper tamen oportebit attendere, an ratione alicuius tacitè suppositi, siue enuntiati per propositionem ita illa æquiualeat complexæ, aut sensum aliquem implexum habeat, vt expediat priùs eam exponere: Quo de eius cum aliis oppositione, connexione, aut æquiualentiâ tutiùs agatur, iuxta regulas tum pro simplicibus, tum pro complexis traditas, & tradendas.

65 Est tamen aduertendum primò: perinde valere regulas æquiualentiarum, quæ ab adiunctâ particulâ negatiuâ sortiuntur signa aliàs diuersâ, iuxta dicta *quæst. 2. suppositi.* siue talia signa casus obliquos, siue casus rectos afficiant. Itaque negatio præposita signo vniuersali facit illud æquiualere particulari; & è conuerso præposita particulari facit illud æquiualere vniuersali: postposita verò in suâ vi relinquit illa, siue afficiant casus obliquos, siue rectos; ac proinde quando signum aut vniuersale, aut particulare positum est ex parte prædicati alicuius propositionis datæ, vt ipsi assignetur contradictoria, non est mutandum: quia à negatione præpositâ mutatur in propositione negatiuâ, provt oportet ad contradictionem; benè tamen, quando ponitur ex parte subiecti. Sic propositiones istæ: *Piper venditur in omni vrbe*: *Piper non venditur in omni vrbe*: *Petrus est doctus in omni scientiâ*: *Petrus non est doctus in omni scientiâ*, contradictoriè opponuntur absque mutatione signi vniuersalis in particularem, qualiter non opponerentur, si daretur talis mutatio; cùm tamen æquiualentes earum nuper propositæ eo solùm, quòd terminis inuersis ita formatæ sunt, vt signum in negatiuâ negationem præcesserit, eiusmodi vnius signi in aliud mutationem expostularunt, vt contradictoriè opponerentur.

66 Secundò aduertendum est pro tyronibus aliqua esse vocabula, quæ vniuersalitatem, & particularitatem ei correspondentem secum ferunt absque interuentu signorum: *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*; nempe: *Semper*, *Aliquando*, *Vbique*, *Alicubi*, *Vterque*, *Neuter*, *Alter*, vel *Alteruter*, & alia huiusmodi: De quibus, quod attinet ad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam, perinde, ac de terminis affectis signis, *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*, est censendum. Vnde, huic propositioni: *Semper pluit* sic contradicitur: *Aliquando non pluit*. Contrariatur autem sic: *Nunquam pluit*. Et huic: *vterque oculus videt* sic contradicitur: *Alter oculus non videt*. Et sic contrariatur: *Neuter oculus videt*. Istæ similiter sunt contradictoriæ: *Vbique est lux*: *Alicubi non est lux*. Atque etiam hæ, iuxta notationem præcedentem: *Lux est vbique*: *Lux non est vbique*. Et in cæteris pariter.

QVÆSTIO III.

Quâ ratione propositiones simplices hypotheticæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquiualentes?

SVppositâ diuisione propositionis hypotheticæ in causalem, illatiuam, & purè coniunctiuam, traditâ *suprà quæst. 1.* rursùs suppono primò: causalem, & illatiuam, etsi specie tenus sint simplices, quoad sensum tamen propositiones complexas esse: quia causalis duo diuersa enuntiat; expresè quidem *esse* conditionati sub hypothesi conditionis; & tacitè influxum conditionis in ipsum sub eâdem hypothesi; illatiua autem *esse* conditionati expresè, & connexionem conditionis cum ipso tacitè enuntiat sub hypothesi eâdem; cùm tamen purè coniunctiua dumtaxat enuntiet esse conditionati pariter sub conditionis hypothesi, quidquid sit de influxu conditionis in conditionatum, aut de illius cum hoc connexione. Quare, causalis & illatiuâ remissis ad sequentem quæstionem, de solâ purè coniunctiuâ superest agendum in præsente. 67

Suppono secundò: etiam quando conditio aut influit in conditionatum, aut connectitur cum illo re ipsâ posse propositionem hypotheticam habere sensum purè coniunctiuum, de factoque sæpe habere: quia potest tantũ enuntiare, de factoque sæpè enuntiat *esse* conditionati sub hypothesi conditionis; ne tacitè quidem innuendo aut influxum conditionis in conditionatum, aut connexionem illius cum eo, sed prorsùs ab iis præscindendo. In præsenti ergo quæstione de omnibus propositionibus hypotheticis habentibus sensum purè coniunctiuum tractamus, siue conditiones earum re ipsâ influant in conditionatum, aut cum eo connectantur, siue secùs. 68

Suppono tertiò: quando conditio nullo modo influit in conditionatum, nullóve modo ad illud conducit, & nullo item modo cum illo connexa est, tunc propositionem hypotheticam dici de conditione disparatâ, qualis hæc communiter: *Si gallus cantauerit Turca conuertetur*, & aliæ huiusmodi censentur. Est autem controuersum inter Doctores: an propositio hypothetica de conditione disparatâ sensum verè conditionatum, siue hypotheticum ab absoluto, siue categorico condistinctum retinere, & veritatem conditionatam, siue hypotheticam ab absolutâ, siue categoricâ diuersam, per scientiamque conditionatam scibilem habere possit? Et aliqui negant, putantes, quando conditio est disparata, propositionem specie tenus dumtaxat esse conditionatam, re tamen ipsâ in sensu tantùm absoluto posse veritatem habere, coniunctionis scilicet, seu coexistentiæ 69

absolutè in eodem tempore conditionis, & conditionati, ita, quòd sensus illius propositionis *si gallus cantauerit, Turca conuertetur*, sit hic: *Quando gallus cantauerit, Turca conuertetur*; aut alius similis absolutus, in cæterisque huiusmodi pariter. Ego verò cum pluribus aliis censeo, quantumuis cõditio sit disparata modo dicto, propositionem nihilominùs sensum conditionatum retinere, & veritatem conditionatam ab absolutâ diuersam, per scientiamque conditionatam scibilem habere posse: quia nihil est quod vetet, sub quâuis omninò conditione absolutè non iudicatâ; sed positâ tantùm in hypothesi per simpliçem apprehensionem quidlibet aliud hypotheticè iudicare præscindendo per tale iudicium ab absoluto *esse* eius. Pariterque subinde enuntiare illud per propositionem vocalem. Quo casu, talis propositio & sensum conditionatum habebit, & veritatem conditionatam habere poterit de factóque habebit, si sit cum suo obiecto conformis, vt potest. Id, quod manifestè, meiudice, inde confirmatur quia eiusmodi sensus coniunctiuus omni propositioni conditionatæ communis est, per accidensque, & impertinenter se habet ad illum, quod sit conditio disparata, vel secus, quandoquidem, etsi conditio disparata non sit, ille solus reperiri potest, & sæpè solet, vt dictum suppositione secundâ, proindeque cum sensû causali, aut illatiuo accidentariè coniungitur, quando coniungitur, pro arbitrio scilicet enuntiantis aut solum *esse* conditionati sub hypothesi conditionis, aut insuper tacitè influxum, vel connexionem conditionis comparatione conditionati.

70 Fateor tamen cum doctis Recentioribus, hypotheticam de conditione disparatâ in suo signo status conditionati antecedentis ad absolutum nunquam esse veram, nisi quando absoluta ei correspondens in suo signo posteriori est vera. Quia eo ipso, quòd conditio nullatenus influit, conducitve, vt conditionatum sit, æquè est séper verum illud fore, siue ponatur, siue non ponatur conditio, vt satis ex se est notum: si enim nihilo penitùs conducente galli cantu ad Turcæ conuersionem, verum est, Turcam esse conuertendum, si gallus cantauerit, æquè erit id ipsum verum, etiamsi gallus non cantauerit. Atque ita vniuersaliter, quoties conditionatum est verum sub hypothesi conditionis disparatæ, pariter item verũ est sub hypothesi contradictorii talis cõditionis. Hinc autem manifestè consequitur, debere esse quoque illud absolutè verum: quia ex vnâ parte ex duabus conditionibus contradictoriis non potest non altera esse absolutè purificata, vt constat: siquidem ambo extrema contradictionis ab statu absoluto simul abesse est impossibile; ex aliâ verò parte omne verum conditionatè, cuius conditio purificatur, etiam est verum absolutè, vt etiam est notum.

71 Verùm enim verò, doctrina hæc non solùm habet locum in conditionibus disparatis; sed etiam in connexis nihil ad conditionatum conducentibus, qualis est scientia visionis, aut reuelatio, aut actus fidei de existentiâ creaturæ. Quod Recentiores commemorati non aduerterunt. Argumentum enim factum vniuersaliter probat: quoties conditio nihil ad conditionatum conducit, si illud est verum sub hypothesi conditionis, etiam esse verum sub hypothesi contradictorij conditionis, & consequenter absolutè. Posse autem conditionem connexam esse cum conditionato, & nihil ad illius *esse* conducere, in exemplis positis, aliisque eiusmodi palàm est. Vnde manifestè consequitur: quoties conditionatum absolutè non est verum, sub hypothesi conditionis connexi cum illo, & nihil conducentis ad illud, tum illud, tum eius contradictorium, atque adeò duo simul extrema contradictoria esse vera, qualiter vera esse solent sub hypothesi impossibili. In tali enim casu conditio posita in hypothesi impossibilis consequenter, siue ex suppositione est. Sic suppositò, quòd hodie Petrus absolutè non est peccaturus, sub hypothesi, quòd Deus reuelaret, Petrum hodie peccaturum, verum conditionatè est peccaturum illum simul, & non peccaturum; peccaturum, quia reuelatio sine peccato stare non posset, vtpote connexa cum illo; & non peccaturum: quia ille sponte suâ non est peccaturus, & reuelatio posita non magis, quàm non posita conferret ad peccatum, vt ponimus.

De his tamen *in tract. de scientiâ Dei* plura *suo loco* dicẽda sunt. Quomodò autem ex hypothesi absolutè impossibili duo contradictoria verificentur, sequatúrque, aut non sequatur quidlibet *suprà disp.* 11. tractatum est. His positis sit 72

Propositio 1.

Quâ ratione de propositionibus categoricis quoad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam *q.* 2. philosophati sumus, eâdem prorsùs de hypotheticis purè coniunctiuis ipsis categoricis correspondentibus philosophandum est. 73

Ratio est clara. Quia obiecta categoricarum (quæ eadem sunt, atque hypotheticarum ipsis correspondentium, dumtaxatque differunt penes diuersitatem status absoluti, & conditionati) vt habent in vtroque statu idem *esse*, aut *non esse*, siue existentiale, siue quiditatiuum (id namque supponimus, dum loquimur de obiectis hypotheticarum correspondentium categoricis) ita non possunt non habere in vtroque statu eandem oppositionem, connexionem, aut æquiualentiam, vtpote, quæ nihilo differunt realiter ab ipsorum *esse*, aut non *esse*, vt constat. Vnde propositiones ad talia obiecta terminatæ, taleque eorum enunciantes *esse*, aut non *esse*, non possunt non eandem oppositionem, aut connexionem, aut æquiualentiam sortiri, siue terminentur ad illa, prout in statu conditionato, siue prout in statu absoluto. Itaque, vt Petrum existere absolutè, &, Petrum non existere absolutè, contradictoriè opponuntur; ita Petrum existere sub quâuis datâ hypothesi, & Petrum non existere sub eâdem, contradictoriè opponuntur. Et, vt, omnem hominem currere absolutè, & nullum hominem currere absolutè, contrariè opponuntur: ita omnem hominem sub quâuis datâ hypothesi currere, & sub eâdem nullum hominem currere, contrariè opponuntur. Et, vt, omnem hominem legere, & aliquem legere absolutè subalternantur: ita, omnem hominem legere sub quâuis hypothesi, & sub eâdem legere aliquem, subalternantur. Pariterque de cæteris huiusmodi obiectis, deque propositionibus ad illa terminatis venit censendum.

Quæ, cùm ita sint, accipe omnes propositiones categoricas *quæstione secunda*, commemoratas, suisque litteris designatas, earumque singulis, siue singularum litteris adice compendij causâ litteram H. quâ denotes propositionem categoricam in hypotheticam ipsi correspondentem, atque adeò eosdem terminos habentem esse mutatam. Tum, ex totidem, quæ 74

resulta

resultabunt, hypotheticis ita signatis compone totidem typos, tabulasque, atque sunt ibi categoricarum compositæ: habebisque Artem exhibentem oppositionem, connexionem, æquivalentiamque hypotheticarum omnium purè coniunctiuarum, atque adeò simplicium eodem modo demonstrabilem, ac illa categoricarum simplicium demonstrata est. Vt enim sequens quadratum harum quatuor hypotheticarum, exempli gratia. *Si omnis homo vocetur, omnis homo respondebit: Si omnis homo vocetur, aliquis homo respondebit: si omnis homo vocetur, aliquis homo non respondebit: si omnis homo vocetur, nullus homo respondebit*, & omnium eamdem formam habentium in quâcumque materiâ sub his litteris HA HI. HO. HE. subalternationem, subcontrarietatem oppositionemque exhibet. Ita reliquarum omnium similia quadrata exhibebunt. Prima namque propositio, & secunda subalternæ non mutuò sunt. Prima autem, & tertia, atque etiam secunda, & quarta contradictoriæ, vt constat ex dictis; indeque demonstrandum venit, vt de categoricis, quibus correspondent, est demonstratum *q.* 2. quartam, & tertiam subalternari, sicut primam, & secundam: primamque, & quartam esse contrarias cum admissione medij, & consequenter subcontrarias secundam, & tertiam.



75 Quomodò autem tum istæ hypotheticæ, tum cæteræ omnes possibiles æquivalentes reddi possint aut secus, ex dictis *q.* 2. *propos.* 5. & 10. colligendum est.

Propositio 2.

76 Vt propositiones hypotheticæ; de quibus *propos.* 1. eamdem categoricarum, quibus correspondent, oppositionem, connexionem, aut æquivalentiam sortiantur, sub eâdem omnes hypothesi debent esse hypotheticæ.

Ratio generalis est: quia vt in statû absoluto diuersa tempora, diuersa loca, diuersa subiecta, & alia huiusmodi diuersos casus faciunt in ordine ad oppositionem, aut connexionem extremorum: quia, quod habet *esse* in vno tempore, aut loco, aut subiecto, potest non habere *esse* in alio, atque ita extrema opposita, aut connexa respectiuè ad idem tempus, aut spatium locale, aut subiectum; respectiuè ad diuersa possunt non esse opposita, aut connexa. Ita in statu conditionato diuersæ hypotheses faciunt etiam casus diuersos: quia, quod habet *esse* sub vnâ hypothesi, potest illud non habere sub aliâ, & consequenter extrema opposita, aut connexa sub vnâ hypothesi, sub diuersis possunt non esse opposita, aut cõnexa. Hinc autẽ sequitur extrema, quæ quoad aliquod *esse* absolutè opponuntur, aut connectũtur, tametsi non possint nõ etiã opponi, aut cõnecti quoad tale *esse* cõditionatè sub vnâ, eâdemque hypothesi, iuxta dicta *propos.* 1. eo quod sub vnâ, eâdemque hypothesi sic coniunguntur, vt eodem modo sub illâ quoad tale *esse* cõparentur conditionatè, ac comparãtur absolutè; sub diuersis tamen hypothesibus benè posse non opponi, aut connecti: quia sub diuersis hypothesibus quoad tale *esse* non coniuncta; sed quasi separata ponuntur. Paritérque subinde, de extremorum æquivalentia, iuxta regulas *in superioribus* traditas, & in *hâc q. propos.* 1. indicatas, venit censendũ.

Declaremus hæc per exempla. Gratiâ, & peccatũ 77
absolutè opponuntur respectiuè ad idẽ subiectũ, & idem tẽpus: quia nõ possunt existere absolutè in eodẽ subiecto pro eodẽ tempore; atque ita hę propositiones sunt oppositæ, simulque veræ proinde esse nõ possunt: *Petrus nunc habet peccatum: Petrus nunc habet gratiã.* Hinc autẽ necessariò sequitur, vt gratia, & peccatũ respectu eiusdẽ subiecti, & temporis etiam conditionatè opponantur sub eâdem hypothesi; sub diuersis verò non itẽ: quia sub eâdem hypothesi nõ possunt conditionatè existere in eodẽ subiecto pro eodẽ tẽpore: benè tamen sub diuersis, eo quòd, si existerent sub eâdẽ, coniungerẽtur quoad existentiã in eodẽ subiecto pro eodẽ tempore quod eis repugnat: existentia verò sub diuersis non opus est, quòd cõiungãtur. Quõ cessãt repugnantia, atque ita hæ propositiones sunt oppositæ, simulq; veræ proinde esse non possunt: *si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatũ: si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet gratiã*: quia alioquin verificaretur fore, vt Petrus pulsatus nũc cogitatione A, haberet simul nunc peccatũ, & gratiã: Quod repugnat. Hę verò propositiones nõ sunt oppositæ, atque adeo simul veræ esse possunt: *si Petrus nũc pulsaretur cogitatione A, nũc haberet peccatũ: Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione B, nũc haberet gratiam*: Quia benè cõponitur in casũ prioris hypothesis Petrũ peccaturũ, atque ideò amissurũ gratiã. In casu verò posterioris non peccaturum, atque ideò rerenturũ gratiam.

Pari ratione peccatũ, & carentia gratiæ rei pectiuè 78
ad idẽ subiectũ, & idem tẽpus absolutè connectũtur non mutuò: quia nequit peccatũ existere in subiecto, in quo non sit pro eodem tẽpore carentia gratiæ; atq; ita hæ propositiones sunt non mutuò cõnexæ, veritasque prioris subinde infert veritatẽ posterioris: *Petrus nunc habet peccatũ: Petrus nunc caret gratia.* Hinc autẽ necessariò sequitur, vt peccatũ, & carẽtia gratiæ respectu eiusdẽ subiecti, & tẽporis etiã conditionatè connectãtur sub eâdẽ hypothesi; sub diuersis verò non itẽ: quia non potest peccatũ existere cõditionatè in subiecto, quin in eodẽ pro eodẽ tẽpore existat sub eâdẽ hypothesi carentia gratiæ; benè tamen, quin sub diuersâ; atque ita hæ propositiones subalternæ sunt, primâque necessariò infert secundã: *Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatũ: Si Petrus nũc pulsaretur cogitatione A, nũc careret gratiâ.* Nã alioquin Petrus pulsatus nũc cogitatione A, posset habere simul nũc peccatũ, & gratiã. Quod repugnat. Hæ verò propositiones non sunt subalternæ, nec 1. necessariò infert 2. *Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatũ: Si Petrus nũc pulsaretur cogitatione B, nũc careret gratiâ.* Quia benè cohærent in casu prioris hypothesis, Petrũ peccaturũ, subindeque amissurũ gratiã. In casu verò posterioris non peccaturum, subindéque retenturum gratiam. Et consequẽter, primam propositionem veram, secũdam autem falsam esse. Ex quib. venit colligendũ, quomodò de propositionum cõditionalium æquivalentiâ, iuxta regulas nuper cõmemoratas pariter impræsentiarum censendum est. Quo veritas nostræ propositionis perspicuè manet demonstrata, ampliúsque etiam confirmata veritas præcedentis.

Propositio 3.

Quo pacto construenda sit Ars exhibẽs oppositio- 79
nem, & connexionem, aut etiã æquivalẽtiam inter propositiones simplices categoricas, & hypotheticas vicissim cõparatas repertã, demonstratiuè ostẽdere.

Suppono : vti hactenus comparauimus propositiones categoricas cum categoricis , & hypotheticas cum hypotheticis, quod attinet ad oppositionem , connexionem , & æquialentiam; ita venire etiam comparandas categoricas cum hypotheticis, & hypotheticas cũ categoricis. Deinde suppono ex doctrinâ iã statutâ *disp.* 10. *q.* 5. *propos.* 2. omnẽ propositionẽ categoricã cũ aliquâ propositione hypotheticâ, aut cũ aliquibus cõnecti non mutuò: Quia eo ipso, quòd est absolutè verum, quidpiã habere *esse*, non potest non verum fuisse conditionatè, ipsum tale *esse* habiturum sub aliquâ hypothesi ; non tamen vice versâ. Quocircà , status rerum absolutus cum statũ ipsarum conditionato sibi correspondente connexus est ; sed non è conuerso. Vndè, omnis propositio categorica , siue ad statum rerum quidditatiuum , siue ad statum rerum existentialem pertinens connexa est non mutuò cum omni hypotheticâ , quæ sub quâuis hypothesi absolutè purificandâ enuntiat idem ipsum conditionatè , quòd categorica absolutè. Eo enim ipso, quod duo quæpiam absolutè sunt , aut non sunt, conditionatè fuit verum de vnoquoque fore , aut non fore sub hypothesi , quòd alterum esset ; aut non esset, siue talis conditionata veritas de conditione disparatâ, siue de non disparatâ fuerit , quod non interest ad rem, vt constat ex doctrinâ statutâ *suppositione tertiâ*. Sic quia verum absolutè est. *Homo est rationalis* , & *leo rugibilis*, conditionatè quoque est verum, *si homo est rationalis, leo est rugibilis*, & è conuerso. Et quia absolutè est verum. *Homo est rationalis, & risibilis* , conditionatè quoque est verum : *si homo est rationalis, est risibilis*, & vice versâ. Et quia absolutè est verum *Petrus loquitur, & Paulus audit*, necnon : *Deus vocat Petrum , & Petrus respondet*, conditionatè quoque est verum : *si Petrus loquitur, Paulus audit* , necnon : *si Deus vocat Petrum Petrus respondet*. Prætereà omnis propositio quidditatiua categorica cum aliquâ existentiali hypotheticâ est non mutuò connexa, vt in his cernitur: *Homo est rationalis : si homo extiterit, erit rationalis Actio connectitur cum termino : si extiterit actio, existet terminus*. Et in cæteris huiusmodi.

80 Hoc posito, sumatur quæuis propositio categorica ex omnibus recensitis *q.* 2. positaque in primo angulo quadrati ponatur sub ipsâ in secundo quæuis ex hypotheticis , cum quibus illa non mutuò connexa est. Deinde in aliis duobus angulis inuerso ordine ponantur earum contradictoriæ, iuxta regulas in præcedentibus traditas assignatæ vt cernitur in quadrato, sequenti.



Hac namque constructione suppositâ per demonstrationes factas in simili *quæst.* 2. venit pariter demonstrandum , HO, & O eodem modo esse subalternas, atque A, & HA : A verò , & HO contrarias esse contrarietate admittente medium , & consequenter HA, & O subcontrarias esse.

81 Quo eodem pacto, & tabulageneralis quadratorum similium pro omnibus categoricis possibilibus effici posset : &, quod expeditius [illegible] vnicuique categoricæ datæ tum hypothetica, cui contrarietur cum admissione medij; tũ altera, cui subcontrarietur pro natâ occasione poterit designari: Omnis quippe categorica pro contrariâ habet modo dicto hypotheticam contradictoriam hypotheticæ sibi subalternatæ , & pro subcontrariâ hypotheticam subalternatam suæ contradictoriæ, vt constat ex dictis.

82 Pro huiusmodi autem binariis propositionum mixtis , quarum altera categorica , & altera hypothetica est, non est quærenda æquialentia propria: quia status conditionatus , & absolutus, quâ tales, non possunt inter se æquialere propriè ; tametsi interdum possint mutuò connexos esse ratione materiæ, vt sunt status quiditatiuus absolutus, & existentialis conditionatus; quandò , tam propositio conditionata , quàm absoluta eiusdem prædicati, & subiecti connexionem necessariam subiecti cum prædicato præ se fert : quia , quod necessariò subiecto conuenit , in omni statu conuenit illi. Sic se habent propositiones istæ : *Homo necessariò est rationalis : si homo extiterit , necessariò erit rationalis: Homo identificatur cum rationali : si homo extiterit identificabitur cum rationali*, & similes. Quomodo autem , quando duæ quæuis propositiones sunt mutuò connexæ, contradictoria secundæ, & prima citra medium contrariæ sint ; contradictoria autem primæ, & secunda non subcontrariæ; sed contrariæ item sint citra medium , ex dictis *q.* 2. *propos.* 12. constat.

QVÆSTIO IV.

Quâ ratione propositiones complexæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquialentes.

PRo resolutione suppono primò : Omne ab intellectu iudicabile , atque adeò per propositionem enuntiabile, ad tria capita simplicia (vt modò eorum mixtiones omittam) reduci. Aut enim est vnum indiuisim , atque determinatè sumptum , siue illud in se sit quid simplex , siue ex partibus compositum quoquo modo. Aut sunt plura diuisim, siue distributiuè , atque determinatè sumpta. Aut est vnum ex pluribus sumptum vagè , seu (quod in idem recidit) plura sumpta disiunctiuè, siue sub distinctione. Aliud enim genus obiecti ad aliquod ex his tribus non pertinens excogitabile non est, vt cuique consideranti innotescit, constatque ex dictis à nobis *supr. disp.* 2. *q.* 3. *conclus.* 4. Ob id omnis propositio simplex ad singularem correspondentem primo , & vniuersalem correspondentem secundo, & particularem correspondentem tertio reducitur, vt *supra q.* 1. statuimus. 83

Suppono Secundò : propositionem complexam copulatiuam eam esse, quæ ex pluribus simplicibus seu categoricis, seu hypotheticis per particulam &, aut æquialentem copulatis coalescit. Complexam autem disiunctiuam quæ coalescit ex pluribus disiunctis per particulam *vel* , aut similem , vt dictum etiam est , exemplisque explicatum *q.* 1. 84

Suppono tertiò : complexam copulatiuam, quâ talem , simplici vniuersali æquialere enuntianti sub vno conceptu confusè eadem extrema, quæ illa sub pluribus enuntiat distinctè. Est certum : quia perinde est de omnibus , & singulis hominibus distinctè numeratis afferere : *Hic homo loquitur , & hic homo loquitur , & hic homo loquitur* 85

tur, &c. ac asserere de eisdem confusè : *Omnis homo loquitur*, vt est notissimum. Ratio est in promptu: quia vt simplex vniuersalis enuntiat plura distributiuè, atque determinatè sumpta, ita etiam complexa copulatiua enuntiat plura distributiuè, atque determinatè sumpta : Ergo, quando enuntiata ambarum sunt prorsus eadem, non possunt non esse ambæ æquiualentes quoad sensum. Quod enim altera confusè, & altera distinctè illa enuntiet, nequit variare ipsarum sensum, vt notum est.

86 Suppono quartò, complexam disiunctiuam, quâ talem, simplici particulari æquiualere enuntianti sub vno conceptu confusè id ipsum, quod illa enuntiat sub pluribus distinctè. Est etiam certum: quia perinde est dicere distinctè discurrendo per omnes homines *Hic homo loquitur*, *vel hic homo loquitur*, *vel hic homo loquitur*, &c. ac dicere respectiuè ad eosdem: *Aliquis homo loquitur*, vt etiam notissimum est. Etenim, vt simplex particularis enunciat vnum ex pluribus vagè, seu disiunctiuè, ita complexa disiunctiua enuntiat vnum ex pluribus vagè, seu disiunctiuè, nisi, quòd prima confusè, secunda verò distinctè per plura vagantur, siue ea disiungunt: Ergo quando talia plura sunt prorsus eadem, non possunt non ambæ quoad sensum æquiualentes esse.

87 Suppono quintò: complexam copulatiuam, aut purè copulatiuam, aut mixtam cum disiunctiuâ esse posse. Similiterque complexam disiunctiuam, aut purè disiunctiuam, aut mixtam cum copulatiuâ posse esse. Erit copulatiua pura, quæ neque vllam particulam disiunctiuam, neque vllum terminum vagum, seu disiunctum, disiunctiuè suppositum contineat in se. Erit purè disiunctiua, quæ neque vllam particulam coniunctiuam, neque vllum terminum non disiunctum, siue determinatè suppositum in se contineat. Mixta autem ex vtrâque erit, vel ex aliqua, aut aliquibus particulis coniunctiuis, & simul ex aliquâ, aut aliquibus disiunctiuis, vel ex aliquo, aut aliquibus terminis vagis, siue disiunctis, & simul ex aliquo, aut aliquibus determinatis, & non disiunctis composita sit. Vnde, mixtæ in duas classes sunt diuidendæ. Aliæ sunt mixtæ ex copulatiuâ, & disiunctiua formaliter, nimirum, quæ aliquam particulam coniunctiuam, & aliquam item disiunctiuam habent. Aliæ verò sunt mixtæ ex copulatiuâ, & disiunctiuâ tantùm æquiualenter. Videlicet, quæ cùm, aut solùm coniunctiuam, aut solùm disiunctiuam habeant particulam, proindeque formaliter copulatiuæ tantùm, aut disiunctiuæ tantùm sunt? constant tamen ex aliquo, aut aliquibus terminis disjunctis, & simul ex aliquo, aut aliquibus non disiunctis. Exempla vnicuique erunt obuia. Ob id ea omitto.

88 Suppono sextò.: Omnem omnino propositionem complexam, cuiusvis ea generis sit, ad copulatiuam, & disiunctiuam, seu mixtas reduci, alicuiue earum æquiualere: quia nulla est excogitabilis, quæ non enuntiet, aut plura determinatè, & diuisim, siue distributiuè: quo casu erit re ipsâ copulatiua, aut plura sub disiunctione, siue disiunctiuè: quo casu erit disiunctiua: aliud enim genus enuntiandi plura non est, vt constat ex dictis. Sic causalis hæc: *Quia ignis existit existit calor* copulatiua re ipsâ est, siue ei æquiualens, quia tria enuntiat diuisim, & determinatè, nempe ignem existere, & calorem existere, & ignem esse causam caloris; idemque est de aliis huiusmodi. Sic etiam hæc rationalis *Existit ignis: ergo existit calor*: copulatiua re ipsâ est, siue ei æquiualens: quia tria etiam enuntiat diuisim, & determinatè; scilicet, existere ignem, existere calorem, & ignem cum calore connexum esse. Tantumdémque venit dicendum de reliquis similibus. Sic denique aliæ complexæ *suprà quæst. 1. numero 4.* commemoratæ ad copulatiuam reducuntur ob eamdem rationem. Aliæque excogitari poterunt, quæ reducantur ad disiunctiuam.

Vnde suppono septimò, quidquid in sequentibus dixerimus de complexis, copulatiuis & disiunctiuis, pariter intelligendum venire de omnibus omninò aliis propositionibus complexis, cuiusvis generis illæ sint. Oportet tamen vnamquamque imprimis exponere, expositionéque transformare in eam copulatiuam, aut disiunctiuam, ad quam reducitur, vt ita transformatæ clariùs, faciliúsque copulatiuæ, aut disiunctiuæ doctrinæ applicetur. 89

Octauo denique suppono: complexas copulatiuas, & disiunctiuas, ex quibusvis simplicibus commemoratis *quæstione 2. & 3.* compositas per ipsas litteras, quibus simplices ibi à nobis sunt designatæ, deinceps compendij causâ esse pariter designandas, additâ, interpositâque, aut particulâ coniunctiuâ *&*, aut particulâ disiunctiuâ *vel* in hunc modum *A & E* significat complexam copulatiuam ex duabus vniuersalibus categoricis primâ affirmatiuâ, & secundâ negatiuâ compositam: *I, vel I. vel I* disiunctiuam ex tribus particularibus affirmatiuis: *H A, & I, vel V* mixtam ex primâ vniuersali hypotheticâ, & & secundâ particulari tertiâque singulari categoricis affirmatiuis. Similitérque in cæteris. His positis. Sit. 90

Propositio 1.

Datâ quâvis propositione, aut purè copulatiuâ, aut purè disiunctiuâ, aut mixtâ illius contradictoriam assignare. 91

Sumantur, iuxta regulas traditas *quæst. 2. & 3.* contradictoriæ omnium simplicium propositionum, ex quibus complexa data composita est, dispositæque eodem ordine iungantur, aut disiungantur, mutatâ vbique in disiunctiuam particulâ coniunctiuâ repertâ in datâ, & vice versâ, disiunctiuâ in coniunctiuam. Complexa enim, quæ resultabit, erit contradictoria datæ. e. g. huius datæ A, & E. contradictoria est hæc *O, vel I.* & huius datæ, *I, vel I, vel I*, hæc *E, & E, & E.* & huius *H A, & I, vel V*, hæc *H O, vel E, & Vn.* Et in cæteris pariter.

Quod ostenditur primò. Quia simplex vniuersalis, & simplex particularis, quarum prima, aut affirmat determinatè, & distributiuè eadem obiecta, quæ negat secunda vage, seu disiunctiuè, aut negat pariter eadem, quæ affirmat pariter secunda, contradictoriè opponuntur, vt constat ex doctrinâ statutâ *quæst. 2.* sed complexa copulatiua, & complexa disiunctiua simplici vniuersali, & simplici particulari æquiualent, iuxta suppositionem tertiam, & quartam. Ergo quando altera affirmat determinatè, & distributiuè eadem obiecta, quæ negat altera vagè, seu disiunctiuè, vel vice versâ, vti se habent in casu nostræ propositionis, contradictoriè opponantur necesse est. Affirmare autem, aut negare alteram determinatè, 92

& distributiuè eadem obiecta, quæ negat, aut affirmat altera vagè, seu disiunctiuè, in casu nostræ propositionis est manifestum; quia, quæ particula coniunctiua determinatè distribuit in vna, particula disiunctiua vagè disiungitin altera. Idemque præstant aliæ particulæ, quæ faciunt, vt singulæ simplices vnius singulis simplicibus alterius contradictoriè opponantur, iuxta regulas pro eis datas *dictâ quæst.* 2.

93 Secundò ostenditur. Quia sicut simplici vniuersali altera vniuersalis simplex, aut singularis contenta in illâ contrariè tantùm opponi possunt relinquiturque subinde, vt sola particularis possit ei opponi contradictoriè, iuxta dicta *in eâdem quæst.* 2. Ita complexæ copulatiuæ altera complexa copulatiua, aut aliqua pars eius determinata contrariè tantùm possunt opponi, solaque proinde disiunctiua potest illi opponi contradictoriè, & è conuerso, provt nostra propositio fert. Quia sicut se habent ad simplicem vniuersalem altera simplex vniuersalis, & singularis in eâ contenta; ita se habent ad complexam copulatiuam altera complexa copulatiua, & pars determinata eius, vt ex se, & ex dictis satis est notum. Complexam autem disiunctiuam ad complexam copulatiuam se habere, sicut se habet simplex particularis ad simplicem vniuersalem, & vice versâ, iam constat ex dictis.

94 Itaque in doctrina huius propositionis omnes Logici re ipsâ conspirant. Addunt tamen plerique vniuscuiusque propositioni complexæ datæ, seu copulatiuæ seu disiunctiuæ per præpositam negationem non infinitâtem; sed negantem contradici- Quod verum est, quatenus composita ex data, & ex negatione præpositâ æquiualens est contradictoriæ, quam nos ipsius datæ assignauimus: quæ certè magis formalis, magisque ex arte est contradictoria eius. Sic huius copulatiuæ: *Petrus legit, & Paulus audit*, eatenus hæc: *Non Petrus legit, & Paulus audit* contradictoria est, quatenus facit hunc sensum: Non sunt coniuncta re verâ hæc duo; sed alterum saltem eorum deest, atque ita huic æquiualet: *Petrus non legit, vel Paulus non audit*, quæ est illius contradictoria legitima iuxta regulam à nobis traditam. Similiter huius disiunctiuæ: *Petrus legit, vel Paulus scribit*, eatenus hæc: *Non Petrus legit, vel Paulus scribit* contradictoria est, quatenus facit hunc sensum: Neutrum horum duorum re verâ datur, atque adeò huic legitimæ illius contradictoriæ iuxta regulam nostram æquialet: *Nec Petrus legit, nec Paulus scribit.* Et in cæteris pariter.

Propositio 2.

95 Propositio complexa copulatiua, qua talis, cum singulis simplicibus, quas coniungit tum determinatè, tum vagè seu disitnctiuè sumptis, atque adeò cum complexa disiunctiuâ ex eis coalescente; necnon cum ipsarum subalternatis, iuxta regulas subalternarum traditas *quæst.* 2. & 3. connexa est non mutuò. Et consequenter cum complexis tum copulatiuis, tum disiunctiuis coalescentibus ex eiusmodi subalternatis comparatis tum inter se, tum cum ipsis simplicibus, quibus subalternantur, sumptis seorsim. Ac tandem, cum omnibus disiunctiuis coalescentibus ex aliqua ex prædictis, & ex quibusuis aliis propositionibus possibilibus vndecunque desumptis. Complexa verò disiunctiua, quâ talis, cum singulis simplicibus, quas disiungit, seorsim, determinatéque connexa non est: atque adeò neque cum earum subalternatis, si quas habuerint, sumptis similiter; benè tamen cum earum disiunctis, seu cum complexis disiunctiuis ex eis coalescentibus, tum inter se comparatis, tum cum simplicibus ipsis, quibus subalternantur, sumptis seorsim: necnon cum omnibus disiunctiuis coalescentibus ex aliquo ex disiunctis prædictis, & ex quibusuis aliis propositionibus possibilibus vndecunque desumptis.

Octo partes habet hæc propositio, & omnes 96
certissimas. Prima inde constat primò: quia propositio complexa copulatiua comparatione cuiusvis simplicis earum, quas coniungit, vt totum comparatione suæ partis se habet, vt est notissimum. Constat autem, totum cum quauis suarum partium siue determinatè, siue vagè considerată non mutuò connecti: complexa ergo copulatiua cum quâvis dictarum simplicium tum determinatè, tum vagè, seu disiunctiuè sumpta non mutuò est connexa. Secundò: quia complexa copulatiua perinde se habet ad vnamquamque simplicem, ex quâ componitur, sumptam determinatè, & ad earum aliquam sumptam vagè, ac se habet simplex vniuersalis ad singularem, & ad particularem contentam in se; vt ex dictis in præcedentibus liquidum est; sed vniuersalis simplex cum singulari, & particulari in se contentis non mutuò est connexa. vt ex se, & ex statutis *quæst.* 2. est notissimum: ergo complexa copulatiua cum quâvis earum, ex quibus componitur, aut determinatè, aut vagè sumptâ non mutuò connexa est. Vnde etiam constat, quando complexa copulatiua, quâ talis, plures, quàm duas simplices in se continet, cum quâvis aliâ copulatiuâ in se contentâ, compositaque ex illis eodem modo connexam esse.

Hinc secunda, & tertia pars propositionis ma- 97
nifestè sequuntur. Cùm enim simplices componentes copulatiuam cum suis subalternatis sint connexæ non mutuò (eas enim illarum subalternatas nunc dicimus, quæ ipsarum non mutuam terminant connexionem) non potest copulatiua ipsa cum talibus simplicibus connexa non mutuò cum ipsarum subalternatis mediatè non connecti similiter. Et quoniam quodvis coniunctum, quodvisque disiunctum eiusmodi subalternatarum nequit non esse similiter, subalternatum coniuncto dictarum simplicium, quibus illæ sunt seorsim subalternatæ, vt est notissimum; consequens est, vt copulatiua consistens in tali simplicium coniuncto, cum talibus subalternatarum coniunctis, disiunctisque, hoc est, cum copulatiuis, ac disiunctiuis ex eis coalescentibus similiter connexa sit. Vnde tandem patet, copulatiuam ipsam similiter esse connexam cum copulatiuis, & disiunctiuis coalescentibus ex vnâ simplicium, quas in se continet, & ex subalternatis alterius.

Quarta denique propositionis pars, adhuc de 98
copulatiua agens, eaque valde notanda, inde ostenditur. Quia quævis omninò propositio cum disiuncto ex ipsâ; & alia quapiam coalescente est non mutuo connexa. Ob id enim valet benè: *Petrus legit: ergo Petrus legit, vel Paulus currit*: sed non è conuerso. Ob id etiam propositio singularis cum particulari vaganti per omnia singularia sui generis est non mutuò connexa. Ratio autem est clara: quia ad veritatem disiuncti, seu disiunctiuæ propositionis sufficit veritas vnius ex extremis

mis eius, non tamen è conuerso. Vt enim verum sit, Petrum, vel Paulum existere, sat est esse verum, Petrum existere; non tamen è contrà; quia potest esse verum, Petrum, vel Paulum existere, Petro non existere; vt est notum. Itaque ex veritate vnius ex extremis propositionis disjunctiuæ inferri non mutuò veritatem ipsius disjunctiuæ atque adeò quoduis extremorum disiunctiuæ non mutuò cum disiunctiuâ ipsâ connexum esse indubitabile est. Vnde consequenter sequitur, quicquid cum tali extremo non mutuò connectitur, & cum ipsâ disiunctiuâ non mutuò connecti mediatè; atqua adeo, copulatiuam, de quâ tractamus, cum omnibus disiunctiuis coalescentibus tum ex ipsâ, tum ex vnaquaque prædictarum, cum quibus ea non mutuò connexa est, & ex quibusuis aliis vndecumque tractis propositionibus non mutuò connexam esse. Quod erat ostendendum. Ex quâ doctrinâ inferemus postmodùm, omnem propositionem infinitas subalternatas, & consequenter infinitas contrarias, atque etiam subcontrarias habere. Quod est mirabile.

90 Iam, quinta pars propositionis, agens de disiunctiuâ inde ostenditur. Primò: quia complexa disjunctiua, quâ talis, propriè non se gerit vt totum comparatione extremorum suæ disiunctionis. Cùm eò tendat enuntiatio eius, vt adstruat vnicum tantum eorum, quodcunque illud sit; non verò, vt adstruat plura, vel omnia, sicut copulatiua, nullumque subinde titulum habet ad hoc, vt cum talibus extremis seorsim, ac determinatè sumptis, siue cum eorum aliquo connectatur. Secundò: quia simplex particularis, cui complexa disiunctiua æquiualet, iuxta sæpè dicta, cum nulla eatum, quas disiungit, sumpta seorsim, connexa est. Ob idque, quando nullum habet terminum non disiunctum, siue non vagum, vti euenit, quando est de prædicato communi non distributo, nullam subalternatam habet, vt ex subalternatarum simplicium doctrinâ *quæst.* 2. compertum est: Ergo tantumdem est dicendum de ipsâ complexâ disiunctiuâ compertâ cum extremis suæ disiunctionis.

91 Vnde etiam patet, complexam disiunctiuam neque cum subalternatis suorum extremorum seorsim, & determinatè sumptis connexam esse. Quæ pars erat sexta propositionis. Quod tamen cum disiunctis earum, siue cum complexis disiunctiuis ex eis coalescentibus connexa sit, quæ erat pars septima, est manifestum. Quia hoc ipso quòd singula extrema complexæ disiunctiuæ cum singulis suis subalternatis connexa sunt, non potest non talium extremorum disiunctum, in quo consistit ipsa complexa disiunctiua cum talium subalternatarum disiunctis, hoc est, cum complexis disiunctiuis ex eis coalescentibus connexum esse. Manifestum quippe est, si A nequit existere sine C, & B nequit existere sine D, quòd nequeat esse verum, existere A, vel B, quin sit quoquo verum, existere C, vel D. Ex quo etiam apparet, similiter esse connexam dictam complexam disiunctiuam cum disiunctis resultantibus ex vnâ earum simplicium, ex quibus ea constat, & ex subalternatis alterius.

92 Octaua autem, & vltima propositionis pars affirmans, disiunctiuam, de quâ nunc agimus, connexam esse non mutuò cum omnibus disiunctiuis coalescentibus, tum ex ipsâ, tum ex quâuis prædictarum, cum quibus ea connectitur, & ex quibusuis aliis propositionibus possibilibus vndecunque desumptis, per dicta circa partem quartam manet probata. Appell. bo autem deinceps distinctionis gratiâ semiextrinsecas comparatione propositionis, cuius connexionem non mutuam terminant, omnes ea disiunctiuas, quæ in ipsâ quoad omnia sua extrema non continentur. Cæteras verò, quæ continentur, intrinsecas.

Propositio 3.

Quomodò ars exhibens omnes contradictorias, 93
contrarias, subalternas, & subcontrarias quarumuis omninò propositionum complexarum sit construenda, demonstratiuè ostendere.

Sumantur in primis 18 propositiones categoricæ simplices, de quibus *quæst.* 1. & 2. factisque ex illis omnibus combinationibus, seu collectionibus possibilibus absque positione, & repetitione, iuxta regulas tradendas *disput.* 29. dabunt binarios 153. ternarios 816. quaternarios 3060, &c. ita vt omnes collectiones à binario vsque ad octodenarium sint 262143. & ex binariis quidem fiant 153 complexas copulatiuas, particula & interposita totidemque disiunctiuas, interposita particula *vel.* Ex reliquis verò collectionibus, nempe 262143. fiant per solam particulam & repetitam totidem copulatiuas; per solamque particulam *vel* repetitam totidem disiunctiuas; per mixtionem autem ambarum particularum totidem mixtas. Eruntque propositiones complexæ, quæ resultabunt, copulatiuæ quidem formales 262143. & totidem disiunctiuæ formaliter; mixtæ autem formaliter totidem, atque ita omnes 786429.

His ita factis, iungantur huic numero propo- 94
sitionum complexarum ex prædictis 18. simplicibus possibilibus ipse 18 simplices, ex numeroque resultati, nempe 786447. fiant omnes binarij possibiles, qui iuxta combinationum regulas tradendas *disp.* 29. *citata* sunt 309249048681. Ex quibus reiiciendi sunt 153 binarij simplicium, de quibus iam dictum est *quæst.* 2. Reliqui autem, qui, aut vtramque, aut alteram saltem complexam habent, examinandi sunt sigillatim (ponamus nunc, id esse moraliter, practicéque possibile, de quo posteà) & reiectis disparatis, in quibus neutra propositionum cum alterâ connexa, aut opposita est, qui ferè quarta eorum pars erit iuxta propositionem, quam habuerunt binarij propositionum simplicium, de quibus *quæst.* 2. Ex reliquis subalternarum medietas accipienda est, qui erunt ferè 115968393268. totidemque sunt ex illis construenda quadra, vti construximus *quæst.* 2. ex binariis subalternarum simplicium, ita vt in primo vniuscuiusque quadrati anguli, quo ordine ibi sunt numerati, ponatur subalternans, & in secundo subalternata, & in tertio contradictoria subalternantis, & in quarta contradictoria subalternatæ. Quo fiet, vt iuxta demonstrationes traditas *ibi* in vnoquoque quadrato, propositiones quarti, & tertij anguli eodem modo sint subalternæ, ac propositiones primi, & secundi: propositiones autem primi, & quarti contrariæ sint contrarietate admittente medium, & propositiones secundi, & tertij subcontrariæ. Quo pacto constructa erit Ars constans dicto numero quadratorum, exhibensque ex omnibus binariis possibilibus propositionum complexarum, quę ex 18 simplicibus assumptis componi possunt, tum inter

ter se, tum cum ipsis simplicibus comparatarum, quotnam subalternarum, quotnam contrariarum, & quotnam subcontrariarum sunt. Pariterque ex mediocrate binariorum disparatarum, qui fuerant reiecti, totidem componi possunt quadrata, quæ ostendant cæteros binarios disparatarum quoad connexionem, quoad contrarietatem, & quoad subcontrarietatem, vti *quæstion. 2. citata* pro binariis disparatarum simplicium factum à nobis est.

95 Quo eodem pacto venit construenda Ars exhibens omnes binarios possibiles complexarum tum subalternarum, tum contrariarum, tum subcontrariarum, tum disparatarum quoad hæc tria ac denique contradictoriarum, quæ ex 18 propositionibus hypotheticis simplicibus correspondentibus dictis 18 categoricis, iuxta dicta *q.* 3. effici possunt. Tum Ars vtramque comprehendens præstans idem circa binarios complexarum, quæ ex dictis 18 categoricis, & 18 hypotheticis simul sumptis possunt componi. Qui innumeri propemodùm sunt, vt ex dictis colligere est.

96 Et hæc quidem dicta tantum sunt de complexis resultantibus ex combinatione simplicium simpliciore, factâ videlicet independenter ab earum positione, & repetitione. Quia tamen complexæ à varietate non solùm naturæ, sed insuper positionis, atque repetitionis suarum simplicium possunt sortiri varietatem, diuersa quippe est hæc complexa A, & E ab hâc E, & A, & hæc ab ambabus A, & A, si combinatio cuiusuis prædictorum numerorum simplicium cum positione, & repetitione fiat, iuxta regulas huius generis combinationis *disputation. 29.* tradendas, incomparabiliter maior resultabit multitudo complexarum pro materiâ construendarum Arrium modo explicato. Si enim ex 23. litteris Alphabeti isto combinationis genere combinatis omnia vocabula diuersa omnium linguarum totius Vniuersi componuntur; insuperque incomparabiliter plura possent componi. Quot componentur propositiones complexæ ex 36. simplicibus combinatis eodem modo? semper tamen multitudo complexarum resultantium, tametsi immanis, numerus quidam finitus erit, dummodò numerus simplicium componentium vnamquamque complexam non excedat numerum assumptarum pro faciendâ combinatione, vt innotescet ex dicendis *disputat. citata.*

97 Cæterùm: quia natura propositionis complexæ necundè sibi taxat numerum simplicium, ex quibus componenda sit, quia datâ quâuis, alia ex pluribus simplicibus composita dari potest. Hinc nascitur, vt propositiones complexæ possibiles ex quouis numero simplicium cum repetitione componendæ absolutè sint infinitæ. Aliundè autem, sumptâ diuersitate à materiâ, non solùm complexæ; sed simplices etiam propositiones infinitæ sunt, cuiusuis illæ formæ sint, hoc est, siue sint vniuersales, siue particulares, siue singulares, &c. quia obiecta enuntiabilia, siue vniuersaliter, siue particulariter, siue singulariter, &c. absolutè sunt infinita, cum sint omnia entia tum aliquando existentia, tum purè possibilia, tum impossibilia. Vnde etiam sequitur binarios diuersos possibiles tam simplicium, quàm complexarum propositionum, quorum extrema aut contradictoria, aut contraria, aut subalterna, aut subcontraria, aut disparata sunt inter se, infinitos esse absolutè.

Imò, quod mirabilius est, nulla est propositio, 89
siue simplex, siue complexa, quæ non habeat infinities infinitas subalternatas, cum quibus non mutuò connexa est. Tales enim sunt disiunctiuæ tum ex ipsâmet, tum ex quâuis subalternatâ eius, & ex infinitis aliis possibilibus coalescentes iuxta doctrinam demonstratam *propositi. 2.* Et quoniam iuxta demonstrationem sæpè in superioribus factam contradictoria subalternatæ contrariæ est subalternantis; & contradictoria subalternantis subcontrariæ est subalternatæ, conficitur, nullam esse omninò propositionem, quæ non habeat item infinities infinitas contrarias, & cuius contradictoria non habeat infinities infinitas subcontrarias, cùm tamen vnaquæque vnicam dumtaxat habeat contradictoriam, vt *supra iam q. 2.* agendo de simplicibus probatum est, probatione tamen, quæ generalis est etiam pro complexis.

Vnde obiter hoc valdè notandum collige docu- 99
mentum. Datâ quâuis omninò propositione in omni scientiâ humanâ, in promptu est aduertenti inferre ex illâ quascunque voluerit ex infinities infinitis, quas illa habet subalternatas, illatione affirmatiua, atque etiam quascunque voluerit ex infinities infinitis, quas illa habet contrarias, illatione negatiuâ. Id enim pro libito præstare poterit, faciendo pro libito comparationem cum aliis quibusuis propositionibus cogitabilibus.

Quæ omnia, cum ita sint, colligo primo: ab- 100
solutè esse nobis impossibilem Artem singillatim exhibentem omnium propositionum complexarum possibilium vndecunque diuersarum oppositionem, & connexionem; quia sunt, vt vidimus, infinitæ. Impossibilis autem est, saltem humanitùs Ars dans formam materiæ infinitæ, vt constat. Ex reliquis autem Artibus indicatis pleræque saltem, aut certè omnes moraliter, practicéque impossibiles sunt: quia licèt earum materia sit aliqua multitudo complexarum finita ab aliquâ ex combinationibus etiam indicatis oriunda, tam ingens tamen illa est, vt omnium binarios sigillatim examinare, moraliter nobis sit impossibile. Quamuis autem vnam, aut alteram ex breuioribus, confectis tabulis, construere possibile esset; adhuc tamen id plus laboris, & prolixitatis, quàm vtilitatis haberet. Ob id omnes omittimus. Satis enim est, tum ostendisse, quo pacto illæ construi possunt, tum normæ, explique causâ subiectam proponere tabulam quadratorum exhibentem binarios contrariarum, subcontrariarum, & subalternarum, qui iuxta demonstrationes sæpe in præcedentibus factas, resultant ex binariis compositis ex solâ complexâ copulatiuâ A & E, & ex eius subalternatis tum simplicibus, tum copulatiuis, tum disiunctiuis ipsi intrinsecis, hoc est, contentis in illâ, quoad omnia sua extrema, iuxta phrasim suprà statutam *propositi. 2.* sub finem. Pro binariis enim ex illa, & ex omnibus eius subalternatis disiunctiuis semiextrinsecis tabulam quadratorum conficere, præterquam quòd esset valdè prolixum, & superfluum, non solùm moraliter, sed absolutè est impossibile: quia sunt illi infiniti, vt constat ex dictis. Tabula autem est, vt sequitur.

Tabula

Tabula exhibens subalternatas intrinsecas, atque contrarias unius propositionis complexæ A & E una cum subalternantibus, & subcontrariis correspondentibus illis contradictoriæ eius. 101

A & E — Vn V — O vel I	A & E — E I — O vel I	A & E — A O — O vel I
A & E — V Vn — O vel I	A & E — tI tE — O vel I	A & E — tV tVn — O vel I
A & E — tA tO — O vel I	A & E — dI dE — O vel I	A & E — dV dVn — O vel I
A & E — dA dO — O vel I	A & E — O vel A A & O — O vel I	A & E — O vel V A & Vn — O vel I
A & E — O vel tI A & tE — O vel I	A & E — O vel tV A & tVn — O vel I	A & E — O vel tA A & tO — O vel I

A & E

A & E	O vel dI	A & E	O vel dV	A & E	O vel dA		
A & dE	O vel I	A & dVn	O vel I	A & dO	O vel I		
A & E	Vn vel I	A & E	Vn vel A	A & E	Vn vel V		
V & E	O vel I	V & O	O vel I	V & Vn	O vel O		
A & E	Vn vel tI	A & E	Vn vel tV	A & E	Vn vel tA		
V & tE	O vel I	V & tVn	O vel I	V & tO	O vel I		
A & E	Vn vel dI	A & E	Vn vel dV	A & E	Vn vel dA		
V & dE	O vel I	V & dVn	O vel I	V & dO	O vel I		
A & E	E vel I	A & E	E vel A	A & E	E vel V		
I & E	O vel I	I & O	O vel I	I & Vn	O vel I		
A & E	E vel tI	A & E	E vel tV	A & E	E vel tA		
I & tE	O vel I	I & tVn	O vel I	I & tO	O vel I		

A & E	E vel dI	A & E	E vel dV	A & E	E vel dA		
I & dE	O vel I	I & dVn	O vel I	I & dO	O vel I		
A & E	O & I	A & E	O & A	A & E	O & V		
A vel E	O vel I	A vel O	O vel I	A vel Vn	O vel I		
A & E	O & tI	A & E	O & tV	A & E	O & tA		
A vel tE	O vel I	A vel tVn	O vel I	A vel tO	O vel I		
A & E	O & dI	A & E	O & dV	A & E	O & dA		
A vel dE	O vel I	A vel dVn	O vel I	A vel dO	O vel I		
A & E	Vn & I	A & E	Vn & A	A & E	Vn & V		
V vel E	O vel I	V vel O	O vel I	V vel Vn	O vel I		
A & E	Vn & tI	A & E	Vn & tV	A & E	Vn & tA		
V vel tE	O vel I	V vel tVn	O vel I	V vel tO	O vel I		



Vbi vides vnam propositionem complexam copulatiuam A & E subalternatas intrinsecas habere, cum quibus non mutuò connectitur, 63. & consequenter totidem contrarias contrarietate admittente medium. Contradictoriam autem eius O vel I subalternantes habere, quarum non mutuam terminat, connexionem, etiam 63. & totidem subcontrarias illis correspondentes. Et eas quidem omnes ex numero tantùm 18. categoricarum simplicium desumptas esse: ex numero enim tum earundem, tum hypotheticarum simplicium multò plures assumi possent.

Porro, complexam copulatiuam A, & E subalternatam habere subalternatione non mutuâ vnamquamque earum propositionum, quas sub se habet in omnibus quadratis propositis, tum ex doctrinâ subalternarum traditâ *quæst.* 2. tum ex *propos.* 2. huius quæstionis est manifestum, vt cuique consideranti patebit. Suppositâ autem assignatione propositionum iis duabus contradicentium, quæ in aliis duobus angulis cuiusque quadrati inuerso ordine sunt positæ, quam esse legitimam constat ex dictis tum *quæst* 2. tum in præsente propos. 1. supposito item distinctionis gratiâ, quòd in vnoquoque quadrato ipsa copulatiua A & E prima dicatur; secunda autem eius subalternata, & tertia, quæ contradicit primæ; quarta verò, quæ contradicit secundæ, Per demonstrationes factas in simili *quæst.* 2. ad rem que in præsenti applicandas, facilè quisque demonstrabit, in vnoquoque quadratorum propositorum quartam, & tertiam perinde ac primam, & secundam subalternas esse: primam autem, & quartam esse contrarias contrarietate admittente medium, atque adeò posse esse simul falsas, etsi non possint esse simul veræ: secundam denique, & tertiam esse subcontrarias, ita, vt possint esse simul veræ; non verò simul falsæ.

Propositio 4.

De æquiualentiâ complexarum perinde ac de æquiualentia simplicium, quibus ipsæ æquiualent, censendum est.

Atque ita dicendum primò, complexas contradictorias, quæcunque illæ sint, per propositam alteri earum negationem æquiualentes reddi. Hæc enim regula omnibus contradictoriis communis est, iuxta dicta *q.* 2. *propos.* 5. & 10.

Secundò

104 Secundo dicendum, complexas contrarias quando ambæ sunt copulatiuæ, compositæque ex eisdem simplicibus per negationem propositam subiectis simplicium, positamque subinde immediatè ante ipsarum verbum æquiualentes reddi: quia hoc pacto redduntur æquiualentes vniuersales simplices contrariæ, quibus illæ æquiualent, iuxta doctrinam statutam *q. 2. propos. 5. & 10. citatis*. Dico autem, quando ambæ sunt copulatiuæ: quia quando non sunt, vt sæpè fit, per negationem postpositam modo dicto æquiualentes non redduntur; sicut nec simplices, quibus æquiualent; provt dictâ propos. 10. statutum est. Dico etiam, quando ex eisdem simplicibus compositæ sunt: quia, quando sunt compositæ ex diuersis, vt sæpè etiam fit, etsi ambæ sint copulatiuæ, atque adeò aliquibus vniuersalibus simplicibus æquiualentes; sed non iis, quæ per postpositam negationem æquiualentes fiunt, quales dumtaxat sunt vniuersales æquales de eodem subiecto, & prædicato, iuxta dicta *propositionibus citatis*.

105 Vnde, pro subalternis complexis dicendum tertiò, eas tunc solùm per antepositam, postpositamque modo dicto negationem æquiualentes reddi, quando alterâ vniuersali simplici, & altera particulari simplici contenta in illâ (pro quibus solùm hæc regula valet, vt vidimus *loco citato*) æquiualentes sunt; Non verò, quando aliter se habent, vti plerumque fit, aliisque subinde simplicibus subalternis aliquo modo æquiualent. Pro quibus non valet dicta regula, iuxta dicta *propos. 10. sæpe citatâ*.

106 Tandem, dicendum subcontrarias complexas tunc solùm per postpositam negationem modo dicto æquiualentes fieri, quando particularibus simplicibus subcontrariis, pro quibus item dumtaxat valet hæc regula, vt dictum etiam *loco citato*, fuerint æquiualentes; secùs in aliis casibus. In quibus omnibus minutiùs explicandis non oportet morari.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Consectarium 1.

107 Quoniam in omni sygilloſmo legitimo excogitabili antecedens cum consequente connexum est, vt ex sæpè dictis *in superioribus*, dicendisque *in sequentibus* est manifestum; & antecedens quædam est propositio complexa ex duabus composita, necessarium est iuxta dicta: primò, quòd contradictoria conclusionis cum contradictoriâ complexæ, quæ est antecedens, eodem modo connectatur, atque antecedens cum conclusione. Secundò, quòd contradictoria conclusionis, & complexa, quæ est antecedens, contrariè opponatur, aut contrarietate admittente medium, si connexio antecedentis cum conclusione mutua non est; aut contrarietate recusante medium, si est mutua iuxta doctrinam speciatim traditam *q. 2. propos. 11.* Tertiò, quòd conclusio, & contradictoria antecedentis subcontrariæ sint, quando connexio antecedentis cum conclusione est non mutua: Contrariæ verò citra medium, si fuerit mutua, iuxta dicta *ibid.* Idemque consequenter venit dicendum de quâlibet aliâ argumentatione legitima, quæ non sit syllogismus, cuius antecedens, vtpotè ex pluribus propositionibus compositum, propositio complexa sit.

Itaque, si ex syllogismo in *Darij* e. g. antecedens A & I ponatur in primo angulo quadrati; conclusio autem I in secundo, in tertioque, & quarto contradictoriæ ordine inuerso hoc pacto.



Propositiones quarta, & tertia subalternæ erunt, sicut prima; & secunda: Propositiones autem prima, & quarta contrariæ aut admittentes medium, si connexio primæ cum secundâ est non mutua, aut recusantes, si est mutua. Propositiones denique secunda, & tertia subcontrariæ erunt, in primo casu, contrariæ verò citra medium, sicut prima, & quarta in secundo.

Consectarium 2.

Propositiones, quas exponibiles appellant, 108
quales sunt potissimum exclusiuæ, exceptiuæ, & reduplicatiuæ, complexis æquiualent De eatúmque subindè oppositione, connexione, & æquiualentiâ perindè, ac de complexarum censendum est.

Dicuntur propositiones istæ exponibiles, quia per complexas, quibus æquiualent, exponendæ veniunt, tum vt earum sensus clariùs appareat, tum, vt de earum oppositione, connexione, & æquiualentiâ expeditiùs, tutiúsque agatur. Videndum itaque in primis est, quomodò illæ, & per quas complexas exponi debeant, vt inde constare cætera possint. Incipiendo ergo ab exclusiuis.

Suppono: propositiones exclusiuas dici, quæ, 109
aut ex parte subiecti, aut ex parte prædicati signum habent aliquod exclusiuum, vt sunt *tantùm, solùm, dumtaxat, solus*, & similes. Est autem propositio exclusiua habens signum exclusiuum ex parte subiecti, quadruplex. Prima affirmans signum simul, & verbum. Secunda negans vtrumque. Tertia negans signum, & affirmans verbum. Quarta affirmans signum, & negans verbum. Et prima quidem affirmans vtrumque, vt: *Tantùm Petrus legit* copulatiuæ huiusmodi æquiualens est: *Petrus legit, & nullus alius legit*. Quarta item affirmans signum, & negans verbum, vt: *Tantùm Petrus non legit* copulatiuæ etiam huiusmodi æquiualet: *Petrus non legit & cæteri omnes legunt*. In quo conspirant omnes Logici. De secundâ autem, & tertia Recentiores quidam contra communem Logicorum sententiam censent, copulatiuis etiam complexis æquialere. Standum tamen nobis est pro sententiâ communi statuente, æquialere disiunctiuis. Quoniam secunda supra quartam, & tertia supra primam solùm addunt negationem præpositam, contradictoriéque subindè sunt illis oppositæ iuxta Logicorum dogma solemne vniuersaliter statuens vnicuique propositioni per compositam ex ipsâmet, & ex negatione præpositâ contradici. Constat autem ex dictis *in tota hac quæstione*, primæ, & quartæ vtpotè æquialentibus copulatiuis per disiunctiuas, aut disiunctiuis æquialentes dumtaxat contradici posse. Itaque secunda negans vtrumque, vt: *Non tantùm Petrus non legit* disjunctiuæ huiusmodi æquialens est: *Petrus*

legit, vel aliquis alius non legit. Tertia autem negans signum, & affirmans verbum, vt: *Non tantùm Petrus legit* huiusmodi æquiualet disiunctiuæ: *Petrus non legit, vel aliquis alius legit.*

110 Ex quibus patet, primam, & tertiam cum suis æquiualentibus, atque etiam secundam & quartam cum suis contradictoriè opponi. Primam autem, & secundam, atque etiam quartam, & tertiam subalternas esse. Primam verò, & quartam contrarias, secundamque, & tertiam subcontrarias.

111 Pariter, propositio exclusiua habens ex parte prædicati signum exclusiuum aut signum solum, aut verbum solum, aut neutrum, aut vtrumque potest negatione affectum habere. Tamersi interdum paulò aliter, quàm in casu præcedente sit exponibilis. Sit itaque prima neutrum negans hæc: *Apostoli sunt tantùm duodecim*, cui copulatiua æquiualet: *Apostoli sunt duodecim, & non sunt plures.* Sit secunda negans vtrumque subalternata primæ hæc: *Apostoli non sunt non tantùm duodecim*, seu, quæ eiusdem est sensus hæc: *Non Apostoli sunt non tantùm duodecim*, cui hæc æquiualet disiunctiua: *Apostoli non sunt duodecim, vel non sunt plures.* Sit tertia negans solum verbum contradictoria primæ, & subcontraria secundæ hæc: *Apostoli non sunt tantùm duodecim*, seu, quæ eiusdem est sensus hæc: *Non Apostoli sunt tantùm duodecim*, cui hæc disiunctiua est æquialens: *Apostoli non sunt duodecim, vel sunt plures.* Sit denique quarta negans solum signum contraria primæ, contradictoria secundæ, & subalternans tertiæ hæc: *Apostoli sunt non tantùm duodecim*, cui hæc copulatiua æquiualet: *Apostoli sunt duodecim, & sunt plures.*

112 Iam verò propositio exceptiua ea dicitur, quæ signo aliquo exceptiuo constat, vt sunt: *Præter, Nisi*, & similia. Debet autem, vt aptè, & propriè propositio sit exceptiua, primò, id, à quo fit exceptio, verè dici de eo, quod excipitur. Secundò, id, à quo fit exceptio, notari signo vniuersali. Defectu enim primi inepta hæc exceptiua est: *Omnis homo præter brutum est rationalis*; defectu verò secundi hæc est impropria: *Aliquis Rex præter Cræsum fuit dives.* Hæc autem habens vtramque conditionem apta subinde, & propria erit: *Omne animal præter hominem est irrationale*; aliæque huiusmodi. De quibus solùm agitur in præsenti.

113 Igitur, propositio exceptiua aut affirmat signum exceptiuum, & verbum, aut vtrumque negat; aut negat signum, & affirmat verbum; aut affirmat signum, & negat verbum. Quarum vnaquæque per aliquam complexam exponenda venit, vt sequitur. Sit enim prima affirmans vtrumque hæc: *Omnis homo præter Petrum loquitur*, cui hæc copulatiua æquiualet: *Omnis homo distinctus à Petro loquitur, & Petrus non loquitur.* Sit Secunda negans vtrumque subalternata primæ hæc: *Non omnis homo præter Petrum non loquitur*, cui hæc æquiualet disiunctiua: *Aliquis homo distinctus à Petro loquitur, vel non loquitur.* Sit tertia negans signum, & affirmans verbum contradictoria primæ, & subcontraria secundæ: *Non omnis homo præter Petrum loquitur*, cui hæc disiunctiua æquialens est: *Aliquis homo distinctus à Petro non loquitur, vel Petrus loquitur.* Sit denique quarta affirmans signum, & negans verbum contraria primæ, contradictoria secundæ, & subalternans tertiæ hæc: *Omnis homo præter Petrum non loquitur*, quæ eumdem sensum habet cum hâc: *Nullus homo præter Petrum loquitur.* Et vtrique æquialent hæ duæ eiusdem etiam sensus: *Omnis homo distinctus à Petro non loquitur, & Petrus loquitur: Nullus homo distinctus à Petro loquitur, & Petrus loquitur.*

Denique, propositio reduplicatiua ea dicitur, 114
quæ signo aliquo reduplicatiuo constat, vt sunt: *Quatenus, in quantum, provt*, & similia. Quæ item est quadruplex, scilicet aut affirmans signum; & verbum, aut negans vtrumque, aut negans signum, & affirmans verbum, aut affirmans signum, & negans verbum. Et vnaquæque per complexam aliquam exponenda venit, vt sequitur. Sit namque prima affirmans vtrumque hæc: *Petrus quatenus animal sentit*, cui hæc copulatiua æquialet: *Petrus sentit, & in eo ratio sentiendi est animalitas.* Sit secunda negans vtrumque subalternata primæ: *Petrus non quatenus animal non sentit*, cui æquialet hæc disiunctiua: *Petrus sentit, vel in eo ratio non sentiendi non est animalitas* Sit tertia negans signum, & affirmans verbum contradictoria primæ, & subcontraria secundæ hæc: *Petrus non quatenus animal sentit*, cui hæc æquialet disiunctiua: *Petrus non sentit, vel in eo ratio sentiendi non est animalitas.* Sit denique quarta affirmans signum, & negans verbum contraria primæ, contradictoria secundæ, & subalternans tertiæ hæc: *Petrus quatenus animal non sentit*, cui hæc copulatiua æquialet: *Petrus non sentit, & in eo ratio non sentiendi est animalitas.*

Consectarium 3.

Propositiones hypotheticæ causales & illatiuæ complexis æquialent; perindéque subinde de illis, ac de complexis philosophandum est, quod attinet ad earum oppositionem, connexionem, & æquialentiam. 115

Dicitur enim hypothetica causalis, quæ præter *esse* conditionati expressè enuntiatum sub hypothesi conditionis tacitè insuper enuntiat influxum, siue conducentiam conditionis in ipsum *esse* conditionati. Illatiua verò, quæ pariter præter dictum *esse* connexionem conditionis cum conditionato enuntiat, provt alias iam q. 1. atque etiam 3. notatum est.

Potest autem hypothetica causalis, vt ab eâ 116
incipiamus, quadruplex esse. Prima affirmans conditionem, & conditionatum. Secunda negans vtrumque. Tertia negans conditionem, & affirmans conditionatum. Quarta affirmans conditionem, & negans conditionatum. De quibus suo ordine, quod ad præsens attinet, vt sequitur, censendum est. Sit namque prima affirmans vtrumque hæc: *Si Petrus vocetur, consentiet*, cui hæc copulatiua æquialet: *Si Petrus vocetur, consentiet, & vocatio influet in eius consensum.* Sit secunda negans vtrumque, atque ita subalternata primæ hæc: *Non si Petrus vocetur, non consentiet*, cui hæc disiunctiua est æquialens: *Si Petrus vocetur, vel consentiet, vel vocatio in eius non consensum non influet.* Sit tertia negans conditionem, & affirmans conditionatum contradictoria primæ, & subcontraria secundæ hæc: *Non si Petrus consentiet*, cui hæc disiunctiua est æquialens: *Si Petrus vocetur, vel non consentiet, vel vocatio in eius consensum*

non

non influet. sit denique quarta affirmans conditionem, & negans conditionatum contraria primæ, contradictoria secundæ, & subalternans tertiæ: *si Petrus vocetur, non consentiet*, cuius æquiualens hæc copulatiua est: *si Petrus vocetur non consentiet, & vocatio in eius non consensum influet.*

117 Eodemque penitus modo de hypothetica illatiuâ philosophandum est, nisi, quòd hanc loco influxus conditionis in conditionatum, connexionem illius cum hoc tacitè enuntiare, est supponendum.

Consectarium 4.

118 Propositio de subiecto confuso confusione indeterminationis ex parte rei significatæ, complexæ ex conditionatis æquiualet. Tutiusque subinde, & clarius de illâ tanquam de complexâ, quod attinet ad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam agetur.

Quænam sit eiusmodi propositio, ex dictis *disp.* 18. *q.* 3. constat. Pro exemplo sit hæc: *Aliqua actio requiritur ad existentiam effectus*: id est, ita hæc actio, vel illa, vel alia requiritur sub disiunctione, vt nulla earum requiratur determinatè. Quam quidem propositionem æquiualere copulatiuæ complexæ ex conditionatis asserentibus de vnâquâque actione disiuncti esse determinatè requisitam ad existentiam effectus sub hypothesi, quod cæteræ desint, ex doctrinâ traditâ *suprà disp.* 10. *q.* 2. & 5. compertum est. Quocirca, de illâ perinde, ac de eiusmodi complexâ venit impræsentiarum philosophandum, iuxta regulas complexarum in præcedentibus traditas. Quod satis fuerit aduertisse, ne diutius, quam oportet, in his moremur.

Consectarium 5.

119 De propositionibus alioquin simplicibus habentibus tamen subiectum, aut prædicatum, vel copulatum vel disiunctum, perindè ac de complexis, quibus correspondent, quod attinet ad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam, philosophandum est.

Quoniam perindè est dicere: *Petrus, & Paulus loquuntur: Petrus loquitur, & deambulat: Petrus, vel Paulus currit: Petrus, vel currit, vel quiescit*; ac dicere: *Petrus loquitur, & Paulus loquitur: Petrus loquitur, & Petrus ambulat: Petrus currit, vel Paulus currit: Petrus currit, vel Petrus quiescit.* Perindèque propterea de prioribus, ac de posterioribus propositionibus, de cæterisque eiusmodi iuxta regulas complexarum in præcedentibus traditas est in præsenti philosophandum, vt est notissimum.

Consectarium 6.

120 De propositionibus siue complexis, siue simplicibus habentibus terminos numeri pluralis eodem modo est philosophandum, ac de habentibus terminos numeri singularis, quoad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam, quando habent vtræque eumdem sensum, vt sæpè fit; secus quando diuersos.

Est certum: nec aliam, præter exempla, exigit probationem. Itaque: quia hæc propositio: *omnes homines currunt*, eumdem habet sensum, atque hæc: *omnis homo currit*, sicut huic, ita, & illi per hanc contradicitur: *Aliquis homo non currit*; non verò per hanc: *Aliqui homines non currunt*, vtpote, quæ simul falsa cum illâ esse potest: quia illi est contraria contrarietate admittente medium. Paritérque est censendum de similibus, & sua proportione seruatâ, de complexis ex eis compositis, iuxta regulas complexarum in præcedentibus datas. Quoniam verò hæc: *Omnes Apostoli sunt duodecim non* eundem sensum habet, atque hæc: *Omnis Apostolus est duodecim*: quia in primâ subiectum sumitur pro collectione Apostolorum sumptâ indiuisim: in secundâ pro omnibus, & singulis Apostolis diuisim, siue distributiuè sumptis; & ideò prima vera est, & secunda falsa. Idcircò, & si primæ rectè contradicatur per hanc: *Omnes Apostoli non sunt duodecim*: quia eius subiectum perinde se habet, ac singulare, vt notauimus alibi. Secundæ verò non bene per hanc contradicitur: *Omnis Apostolus non est duodecim*: quia eius subiectum est vniuersale, & vniuersalis non contradicit vniuersali, vt sæpè vidimus. Sed per hanc: *Aliquis Apostolus non est duodecim.* Similitérque dicendum est de similibus, & suo etiam modo de complexis ex eis compositis.

QVÆSTIO V.

Qua ratione propositiones modales oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquiualentes.

SVppono primò: in hâc quæstione solùm esse sermonem de propositionibus modalibus compositis ex his modis dialecticis nominaliter sumptis: *Possibile: Impossibile*; *Necesse: Contingens*; & ex oratione infinitiui, quæ *dictum* appellatur; & alicui propositioni non modali, quæ de *inesse* dicitur, correspondet, eamdemque proindè naturam, materiam, quantitatem, & qualitatem cum illâ habet, vt in his cernitur: *Possibile est Petrum loqui: Impossibile est, aliquem hominem non esse animal: Necesse est, omne animal viuere: Contingens est, nullum hominem currere.* Quarum prima est de dicto singulari affirmato. Secunda de dicto particulari negato. Tertia de dicto vniuersali affirmato. Quarta de dicto vniuersali negato similibus propositionibus de *inesse* correspondentibus. De quo plura sunt dicta *suprà q.* 1. *n.* 10. 121

Suppono secundò: vnamquamque quatuor modalium ex quatuor prædictis *modis* constantium in quatuor membra dissecari. Potest enim esse aut de affirmato *modo*: simul, & *dicto*, vt: *Possibile est Petrum loqui*, aut de negato vtroque, vt: *Non est possibile, Petrum non loqui*; aut de affirmato *modo*, & negato *dicto*, vt *Possibile est Petrum non loqui*, aut de negato *modo*, & affirmato *dicto*, vt *Non est possibile Petrum loqui*; atque ita ex hac diuisione sexdecim modales resultant. Quarum quælibet rursus in alias quatuor diuidi solet à Logicis, quo crescunt vsque ad 64. quatenus quælibet potest habere *dictum*, aut vniuersale, aut particulare, aut indefinitum, aut singulare, iuxta similem diuisionem propositionis simplicis categoricæ, quæ ab ipsis fieri solet. Cæterum, quia quilibet prædictorum *modorum* de obiecto cuiusuis omninò propositionis, siue categoricæ, siue hypotheticæ, siue simplicis, siue complexæ enuntiabile est, vt est notum cuiuslibet eorum modalis in tot præterea membra diuidi potest, quot sunt propositiones possibiles nõ modales, iuxta omnes earum diuisiones in *præcedentibus quæstionibus* factas quo penè in immensum augetur huiusmodi modalium numerus. 122

Itaque modalis cuiuslibet prædictorum *modorum*, aut potest esse de dicto categorico, aut de hypothetico, aut de simplici, aut de complexo, aut de copulatiuo, aut de disiunctiuo &c. circa quod plura etiam diximus *quæst.* 1. *num.* 10.

123 Suppono tertiò: Communiter docere Logicos in ordine ad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam modum *Necesse*, æquiualere signo *Omnis*, & modum *Impossibile* signo *Nullus* & modum *Possibile* signo *Aliquis*, iuxta vulgares illos eorum versus.

Omnis necesse valet, impossibile nullus
Possibile quidam, quidam non possibile non.

In quibus de modo *Contingens* tacent: quia in Arte modalium, quam ipsi construunt, pro eodem vsurpant *Contingens* in eadem ve significatione, ac *Possibile*, vt mox videbimus. Inducti autem sunt logici ad id docendum, quòd deprehenderint *Necesse*, & *impossibile* contrarie cum admissione medij opponi, sicut *Omnis*, & *nullus*: *necesseque*, & *possibile*, atque etiam *impossibile*, & *possibile non* subalternari non mutuo, sicut *omnis* & *aliquis*, atque etiam *nullus*, & *aliquis non*. Hinc dicunt, *Necesse*, & *impossibile* modos vniuersales esse; propositionesque modales vniuersales constituere: *Possibile* autem, & *possibile non* modos esse particulares constituentes propositiones modales particulares, eo quòd duo priores omnem differentiam temporis amplectuntur; duo verò posteriores non item: quia necessarium, & impossibile quoad *esse*, aut *non esse*, semper est tale; possibile verò quoad *esse*, aut *non esse* non semper; sed aliquando tale est. Cæterùm tam in doctrina, quàm in ratione eius decepti haud dubie logici sunt. In ratione quidem: quia *Necesse*, & *impossibile* ad plures differentias temporis, quàm *possibile* nequaquam extenduntur; siquidem multa sunt necessaria, aut impossibilia pro aliqua temporis differentia, quæ pro aliis talia non sunt; & pleraque sunt possibilia pro omni indifferentia temporis etsi sint aliqua pro vna tantùm, vt, me non peccare, quamdiu dormio, necesse, peccareque impossibile est; secus, dum vigilo; & pleraſque creaturas pro omni tempore existere possibile est. In doctrina autem: quia contrarietas admittens medium, & subalternatio non mutua vniuersalitati, & particularitati signorum, ac propositionum alligatæ non sunt; quandoquidem etiam in propositionibus singularibus reperiri possunt, vt constat ex demonstratis *quæst.* 2. in talibusque quadratorum ibi propositis *propos.* 9. videri potest; Atque ita, ex eo quòd *Necesse*, *Impossibile*, & *Possibile* contrarietatem admittentem medium, & subalternationem non mutuam inter se habeant, provt dictum est, male inferunt Logici, duos priores modos vniuersales esse, tertium autem particularem.

Suppono quartò: vt vnicuique propositioni 124
modali sua contradictoria, contraria, subalterna, subcontraria, aut æquiualens assignetur, Artem quamdam excogitasse logicos, quam construunt in hunc modum. Supponũt primò: modalem affirmantem *modum* simul, & *dictum* significare per A, negantem autem vtrumque per V. affirmantem verò *modum*, & negantem *dictum*, per E; negantem denique *modum*, & affirmantem *dictum*, per I, pro quo afferunt versum illum.

E dictum negat, Iqæ modum, nihil A; sed V. totum.

Ex his autem vocabulis quatuor dictiones componunt, nempe: *Purpurea*, *Iliace*, *Amabimus*, *Edentuli*: rursusque supponunt, in prima syllaba vniuscuiusque dictionis constituendam esse modalem de *possibile*, in secunda modalem de *contingens* sumpto pro eodem ac *possibile*. (Sed impertinenter, vt dicam postmodum;) in tertia modalem de *impossibile*; in quarta modalem de *necesse*, attenta semper significatione vocalis, cui vnusquisque modus respondet, vt sciatur, vtrum *modus* vel *dictum*, vel vtrumque sit negandum, vel neutrum. Quibus suppositis, omnes modales in quauis dictione constitutas, dicunt, euadere inter se æquiualentes; comparatas verò cum modalibus aliarum dictionum ita se habere. Quæ in *purpurea*, & *iliace*, sunt contrariæ. Quæ in *amabimus*, & *edentuli* subcontrariæ. Quæ in *purpurea*, & *amabimus*, atque etiam, quæ in *iliace*, & *edentuli* subalternæ. Quæ denique in *purpurea*, & *edentuli*, atque etiam quæ in *iliace*, & *amabimus* contradictoriæ, prout exhibet sequens typus, quo suam logici Artem exponunt.

Pur



115 Cæterùm in ista Logicorum arte defectus multos ego reperio. Primus est. Quòd impertinenter, vt paulò antea insinuaui, ponitur in ea propositio modalis de *Contingens*, sumpto pro eodem ac *Possibile*. Tum quia *Contingens* (cuius est non ad vnum præcisè, vt *Possibile*; sed ad vtrumuis contradictionis extremum potentiam adstruere, iuxta mox dicenda) à propria ad impropriam significationem transfertur inutiliter. Tum quia perinde est, ac bis repetere *Possibile* superuacaneè. Ob id in singulis prædictis dictionibus eadem vocalis bis repetitur pro iis duobus modis, ac si esset idem bis positus. Hic tamen defectus facile posset corrigi, subrogatis pro ipsis actionibus aliis, in quibus altera tantùm earum vocalium, quæ superflue duplicantur, remaneret, cæteris in eisdem locis relictis; cuiusmodi esse possent hæ: *Crumena, itaque, dabitur, censui*. Quo in singulis quadratis typis propositi tres tantum modales ponerentur, sublata ab omnibus modali de *contingens*, quæ in sensu, quo accipitur, superfluit.

116 Vnde apertius detegeretur secundus, & peior defectus quem habet hæc ars. Quòd scilicet de *contingens* in sua propria significatione vsurpato, deque modalibus ex eo compositis nihil dicit, cum tamen illæ comparatæ cum aliis suas item oppositiones, connexiones, aut etiam æquiualentias habeant, easque non minùs; sed fortasse magis, quam cætera scitu dignas.

117 Tertius defectus valde notandus, istius Artis est. Quòd facit æquiualentes propositiones modales, quæ propriè æquiualentes non sunt; sed mutuo inter se connexæ, quod est valde diuersum, eo quòd non vnum, & idem ex parte rerum obiectum habent; sed diuersa mutuo inter se connexa. Vnde consequenter contradictorias facit propositiones, quæ verè non contradictorie; sed contrarie, citra medium tamen sunt oppositæ; eoque iure nec simul veræ possunt esse, nec simul fallæ. Quod forsitan Logicos fefellit. e.g. duæ posteriores primi quadrati, nempe: *Impossibile est, Petrum non loqui: Necesse est Petrum loqui*, non sunt æquiualentes proprie; sed mutuo connexæ, quia ex parte rerum non idem obiectum; sed diuersa mutuo inter se connexa habent, nimirum carentiam potentiæ Petri ad non loquendum, & potentiam eiusdem ad loquendum cum loquutione connexam. Secunda autem earumdem, & prima tertij quadrati, scilicet: *Possibile est Petrum non loqui*, quæ contradictoriæ asseruntur, non sunt contradictoriæ; sed contrariæ citra medium: quia vtriusque obiectum ex parte rerum est quid positiuum, prioris nimirum, vt dictum est, potentia Petri ad loquendum cum loquutione connexa; posterioris verò potentia eiusdem ad non loquendum; nemo autem dixerit, duo extrema positiua contradictorie opponi quantumuis ea nec simul esse possint, nec simul deesse. Quemadmodum hæ duæ propositiones: *Deus intuetur Petrum existere. Deus intuetur Petrum non existere*, prædictis similes non sunt contradictoriæ: quia earum obiecta sunt duæ scientiæ Dei positiuæ,

altera de existentia, & altera de non existentia Petri; sed contrariæ, sicut & earum obiecta contraria, non verò contradictoria sunt, vt est notissimum. Et tamen ita citra medium opponuntur, vt nec simul veræ, nec simul falsæ possint esse, eo quòd nequeunt ambæ illæ scientiæ simul à Deo deficere, sicut nec simul in eo esse: quia earum obiecta nec simul deficere possunt, nec simul esse.

128 Quartus defectus huiusmodi Artis est. Quòd prout iacet, solùm habet locum in modalibus de dicto singulari; non item in modalibus de dicto vniuersali, aut particulari, aut de aliis cæteris correspondentibus cæteris omnibus propositionibus, iuxta dicta *suppositione secunda*: sæpe enim eius regulæ deprehenduntur fallaces, si alia dicta loco singularium ponatur. e. g. si in duabus posterioribus propositionibus primi, & in prima tertij quadrati loco dicti singularis ponatur particulare hoc pacto: *Impossibile est aliquod animal non esse hominem: Necesse est aliquod animal esse hominem: Possibile est aliquod animal non esse hominem.* Prima erit falsa, & secunda vera, cum tamen ponantur æquialentes: secunda autem, & tertia simul veræ erunt, cum tamen ponantur contradictoriæ. E conuerso autem eueniet, si loco signi *Aliquod* ponatur *Omne*: quia tunc prima erit vera, & aliæ duæ simul falsæ. Scio, aliquos recentiores hunc artis defectum aduertisse, tentasseque illum quibusdam documentis supplere. Sed vix, aut ne vix quidem id fieri posse per generalem aliquam, & fixam regulam inde colligitur: quia modales contradictoriæ, & contrariæ connexæ mutuo, & æquiualentes, quas hæc ars miscet, & confundit, vt vidimus, diuersas sibi vendicant regulas.

129 Quintus huius artis defectus est. Quòd non circumferatur demonstrata ex certis, fixisque principiis, & fundamentis. Vnde, tentando speciales singularum modalium naturas per earum applicationem ad varias materias potius, quam deducendo regulas eius, quales quales sunt, ex vniuersalibus principiis videtur constructa.

130 Sextus denique defectus huius Artis est. Quòd circa assumptum sibi præfixum exhibendi scilicet oppositiones, connexiones, & æquiualentias propositionum modalium ex supradictis quatuor modis componibilium valde diminutè procedit. Cum incomparabiliter plura sint, quæ ad rem tacet, quàm quæ dicit, vt apparebit ex dicendis.

131 Igitur, vt Artem vniuersalem, legitimam, & valde egregiam ex pluribus specialioribus coalescentem, quæ pro exhibenda omnium modalium oppositione, connexione, & æquiualentia possibilis est, construamus per diuersas propositiones oportebit nobis procedere, quarum, pleræque quasi practicæ sint, ad instar mathematicorum problematum, quemadmodum sequitur.

Propositio 1.

132 Quod sibi velint quatuor modi Dialectici: *Possibile, Contingens, Impossibile*, & *Necesse* imprimis statuere.

Dico: *Possibile* potentiam adstruit ad vnum ex duobus quibusque contradictionis extremis cum præcisione ab altero. *Contingens* verò potentiam adstruit ad vtrumuis contradictionis extremum sumptum seorsim. *Impossibile* autem potentiam demit ab vno contradictionis extremo præcise; sed consequenter siue illatiue adstruit illam ad alterum: quia nequit deficere simul potentia ad ambo contradictionis extrema, eo ipso, quòd ambo ipsa nequeunt simul deficere. *Necesse* denique potentiam adstruit ad vnum contradictionis extremum ita cum eo connexam, vt consequenter, siue illatiue ad alterum potentiam demat. Quæ omnia tum ex se satis sunt cunctis nota, tum ex doctrina late tradita *supra disputat.* 11. vnicuique eam recolenti notiora fient.

Propositio 2.

Quomodo deinceps compendij causa singulæ modales per litteras significandæ sint statuere. 133

Dico: *Modi* earum hoc pacto significabuntur: *Possibile*. per P. *Contingens* per C. *Impossibile*, ob repugnantiam, quam præ se fert, per R. *Necesse* autem per N. quæ quidem litteræ sine additamento significabunt modos istos affirmatos. Addita verò ante vnamquamquam, *n.* parua, significabunt eosdem negatos. *Dicta* verò per easdem litteras significabuntur, per quas in præcedentibus quæstionibus significatæ sunt propositiones de *inesse*, siue simplices, æque aut categoricæ, aut hypotheticæ, siue complexæ, quibus illa correspondent. e.g. hæc modalis: *Possibile est omnem hominem loqui* Sic denotabitur PA. hæc verò: *Non est contingens aliquem hominem loqui*, hoc n C I. Hæc autem: *Impossibile est Petrum non loqui*, hoc R V n. & hæc: *Non est necesse nullum hominem loqui*, hoc. n N E. cæteræque similiter.

Propositio 3.

Quotnam possibiles sint artes speciales vniuersalem componentes pro exhibenda demonstratiue oppositione, & connexione, aut etiam æquiualentia omnium modalium propositionum ex quatuor modis prædictis componibilium determinare. 134

Vt id præstem, noto, duas quasque propositiones modales, quarum oppositio, & connexio, aut etiam æquiualentia venanda est, aut posse habere vnum, & idem omnino *dictum*, siue affirmatum, siue negatum; aut posse habere duo *dicta* aliqua ratione diuersa, vnamquamque suum. Quòd se habeant duo, aut posse illa inter se esse contradictoria, aut contraria recusantia medium; aut contraria admittentia medium, aut connexa, siue subalterna mutuò; aut connexa, siue subalterna non mutuò; aut subcontraria, aut disparata. Quæ sunt omnes comparationes, quod ad rem attinet, possibiles. A quibus vltima dempta modalium de *dictis* disparatis, quæ eo ipso nec oppositionem, nec connexionem inter se habent. Supersunt septem comparationes, penes quas totidem artes pro intento proposito sunt possibiles. Prima modalium habentium idem *dictum*. Secunda modalium habentium *dicta* contradictoria. Tertia modalium habentium *dicta* contraria citra medium. Quarta modalium habentium *dicta* contraria cum admissione medij. Quinta modalium habentium *dicta* mutuò connexa. Sexta modalium habentium *dicta* non mutuo connexa. Septima modalium habentium *dicta* subcontraria. Ex quibus Ars totalis de oppositione, & connexione, aut etiam æquiualentia modalium coalescit. Et de quibus in sequentibus, quo ordine sunt hic numeratæ, agendum nobis est.

Agemus

Agemus autem in earum singulis in primis de oppositione, & connexione modalium, quæ passiones earum sunt maioris momenti, dicturi posteà generatim de earum æquiualentiâ, quæ minoris momenti est, sub finem quæstionis.

Propositio 4.

135 Datâ quâlibet propositione modali, quænam sit eius contradictoria, vniuersaliter statuere.

Vt id præstem suppono primò: propositionem modalem de *modo* nominaliter sumpto, de quâ tractamus, aut posse habere *modum* ex parte subiecti, & *dictum* ex parte prædicati, aut vice versâ, vt *suprà* iam notatum est *quæst.* 1. *num.* 10. Et quandò habet *modum* ex parte subiecti, vt: *Possibile est omnem hominem loqui*, hunc sensum facere: Potentia datur ad hoc vt omnis homo loquatur, siue ad omnis hominis loquutionem. Quando verò ponitur ex parte prædicati, vt: *Omnem hominem loqui est possibile*, facere hunc sensum. Ad hoc vt omnis homo loquatur, siue ad omnis hominis loquutionem datur potentia. Vnde constat, modalem de *dicto* vniuersali, siue vniuersali æquiualente, & modalem de *dicto* particulari, siue particulari æquiualente perinde se habere, ac propositionem habentem terminum aliquem signo vniuersali, aut particulari affectum vel ex parte subiecti, quando *dictum* se habet ex parte subiecti; vel ex parte prædicati, quando *dictum* se habet ex parte prædicati.

136 Suppono secundò ex generali doctrinâ datâ *q.* 2. *propos.* 1. & 2. sæpeque aliàs tactâ, aut tanquam certissimâ suppositâ: quando signum vniuersale, aut aliquid ei æquiualens positum est ex parte subiecti in quâuis propositione datâ, in eius contradictoriâ debere poni loco illius particulare, aut quid æquiualens: quandò verò positum est ex parte prædicati in datâ, immutatum in contradictoriâ debere persistere formaliter: quia in primo casu negatio propositionis negatiuæ post signum posita illud non immutat. In secundo verò casu negatio anteposita æquiualenter mutat illud de vniuersali in particulare, & vice versâ.

137 Ex his planè constat: quandò propositiones modales habent *dicta* ex parte subiecti, si in vnâ sit *dictum* vniuersale, aut æquiualens, in alterâ debere esse particulare, aut æquiualens, vt contradictoriè opponantur: quando verò habent *dicta* posita ex parte prædicati, quæcunque demum illa sint, immutata debere persistere formaliter in vtrâque contradictoriâ: quia à negatione præuiâ negatiuæ æquiualenter mutatur, quando opus est, de vniuersali in particularem; vel è conuerso, provt ad contradictionem requiritur.

138 Et quoniam nos in totâ istâ Arte pro exemplis vtimur semper modalibus habentibus *modum* ex parte subiecti, & *dictum* ex parte prædicati, quæ planiores sunt, & vsitatiores, idcircò in totâ istâ Arte propositiones contradictoriæ inuariatum semper habebunt *dictum*, quodcunque illud sit, habentes dumtaxat variatum modum penes affirmationem, & negationem. E. g. sicut istæ: PA. n PA. atque istæ CE. n CE. atque istæ RI. n RI. atque istæ NO. n NO. sic cæteræ quæque omnes contradictoriæ designabuntur.

Propositio 5.

Artem primam modalium de eodem *dicto* ea- 139
rum omnium oppositionem, & connexionem exhibentem demonstratiuè construere.

Accipiantur quatuor supradicti modi semel affirmati, & iterum negati hoc pacto: P. C. R. N. nP. nC. nR. nN. factáque omnium octo adæquatâ combinatione, iuxta regulas tradendas *disp.* 29. absque positione, & repetitione. (Nam hic repetitio eiusdem modi, aut diuersitas positionis duorum circa idem *dictum*, inutilis est, vt ex se patet) 28. omninò binarij resultabunt, quibus adiuncto quovis omnino *dicto*, siue categorico simplici, siue hypothetico, siue quoquo modo complexo aut copulatiuo, aut disiunctiuo, iuxta diuisiones in præcedentibus factas circa correspondentes propositiones de *inesse*, totidem habebuntur binarij propositionum modalium de eodem *dicto*. In quibus sigillatim examinatis 10. reperientur modalium non mutuò connexarum, non mutuóque subinde subalternarum; & duo prorsus æquiualentium. Ex quibus acceptâ medietate, modalium, ex quibus constant, non mutua connexio, æquiualentiaque demonstretur. Ea enim demonstrata, reliquorum omnium binariorum, totiusque huius Artis dabit demonstrationem.

Demonstratio autem dictæ medietatis, hoc 140
est, sex eiusmodi binariorum per totidem principia fit in hunc modum 1. *Contingens* cum *Possibile* respectiuè ad idem *dictum* non mutuò connectitur. Quia, quod est contingens eo ipso est possibile; quod verò est possibile, non eo ipso est contingens, quia potest esse necessarium, vt est notissimum. 2. *Necesse* cum *Possibile* respectiuè ad idem *dictum* pariter est non mutuò connexum, ob proportionalem rationem. 3. *Impossibile* cum *Non contingens* respectiuè ad idem *dictum* non mutuò connectitur. Quia: quod est impossibile, eo ipso non est contingens; quod verò non est contingens, non eo ipso est impossibile: quia potest esse necessarium, vt constat. 4. *Necesse* cum *non contingens* respectiuè ad idem *dictum* pariter est non mutuò connexum, ob proportionalem rationem. 5. *Necesse* cum *Non impossibile* respectiuè ad idem *dictum* non mutuò connectitur. Constat ex princ. 2 Quia *Non impossibile* & *Possibile* prorsùs æquiualent, vt ex se patet. 6. *Possibile*, & *Non impossibile* æquiualentes modi sunt, vt etiam constat.

His statutis, adiunctoque exempli gratiâ sin- 141
gulis modis *dicto* A. fiat tabula sex quadratorum pro sex binariis modorum, atque adeò modalium demonstratis; ita vt in primo angulo superiori vniuscuiusque quadrati ponatur modalis subalternans, in secundo, qui est sub primo, subalternata, in tertio, qui est alter duorum inferiorum, contradictoria subalternantis (iuxta regulam assignandi contradictorias modalium propositione 4. præmissam;) & in quarto, qui est alter duorum superiorum, contradictoria subalternatæ, vti factum est in simili quæst. 2. 3. & 4. hoc pacto.



Hoc ita facto. Dico primò: in singulis quinque priorum quadratorum quartam modalem contradictoriam secundæ perinde esse non mutuò connexam cum tertia contradictoria primæ, atque prima connexa est non mutuò cum secundâ, iuxta principia statuta nuper; atque ita non posse esse primam veram. quin secunda sit vera, nec posse esse secundam falsam, quin prima sit falsa, posseque esse secundam veram, quin prima sit vera. Tantumdemque esse de quartâ, & tertiâ inter se collatis. Secundò dico, primam, & quartam contrariè opponi contrarietate admittente medium, atque adeò etsi non possint esse simul veræ, posse tamen esse simul falsas. Tertiò dico, secundam, & tertiam ita esse subcontrarias, vt nequeant esse simul falsæ, etsi esse possint simul veræ. Quæ omnia per demonstrationes factas in simili *quæst.2.propos.9.* constant. Quæ ab vnoquoque in præsenti applicandæ sunt, ne inutiliter repetantur. Denique dico: primam modalem sexti, & vltimi quadrati prorsùs æquiualere secundæ, atque adeò etiam quartam; & tertiam æquiualentes pariter esse inter se. Quo fit, vt non solùm prima, & tertia, atque secunda, & quarta; sed etiam prima & quarta, atque secunda, & tertia contradictoriè inter se opponantur, vt ex ipsis earum terminis est manifestum.

142 Ex quibus apparet, quo pacto omnes modales omnium 28. binariorum ex 8 assumptis modalibus resultantium inter se comparentur quoad oppositionem, & connexionem exceptis quatuor duorum binariorum, quæ vtpote inter se æquiualentes nec oppositionem inter se, nec propriam connexionem habent. Sex enim quadrata proposita omnes dictos 28 binarios continent: quia vnumquodque continet sex; atque adeò omnes 36. à quibus si demas 8. contradictoriarum, qui repetuntur, eo quòd vnumquodque quadratum habet duos contradictoriarum binarios ex constructione, & binarij diuersi contradictoriarum ex 8. propositionibus possibiles duntaxat sunt quatuor, supersunt dicti 28.

Vt autem pro exemplo *dictum* vniuersale affirmatiuum in omnibus modalibus posuimus, quodlibet aliud possibile loco eius poni potest, Vnde etiam patet, Artem hanc intra suum genus vniuersalissimam esse. Iam, quo pacto modales in eâ contentæ aut contradictoriæ, aut contrariæ, aut subalternæ, aut subcontrariæ æquiualentes reddi possint, vel secùs ad finem huius quæstionis *propos.* 12. dicemus.

Propositio 6.

Artem secundam modalium de *dictis* contra- 143
dictoriè oppositis earum omnium oppositionem, & connexionem exhibentem demonstratiuè construere.

Accipiantur idem octo modi, qui in præcedente; fiatque eorum adæquata combinatio, iuxta regulas tradendas *disput.* 29. sine positione quidem (quia differentia positionis modorum comparatione extremorum contradictionis, ad quæ sunt comparandi, non interest; quandoquidem quoad oppositionem talia extrema inuicem inter se referuntur eodem modo, tametsi vnum positiuum, & alterum negatiuum sit) cum repetitione tamen: quia idem modus ad ambo extrema contradictionis comparari potest, & debet: constabitque per factam sic combinationem ex prædictis octo modis 36. omninò binarios confici, quorum singulis duo quæque *dicta* contradictoriè inter se opposita adiungenda veniunt vnum vni, & alterum alteri *modo* vniuscuiusque binarij. Quo totidem resultabunt binarij propositionum modalium de *dictis* contradictoriè oppositis. In quibus sigillatim examinatis sex reperientur modalium connexarum mutuò, & 14. connexarum non mutuò. Ex quibus assumptâ medietate 3. scilicet prioris generis, & 7. posterioris eorum connexio est demonstranda, vt inde ad cæterorum totiùs huius Artis binariorum demonstrationem fiat progressio, sicut in Arte præcedente.

Demonstratio autem huiusmodi per totidem 144
principia sequentia sic fiet. 1. Quâ ratione vnum ex extremis contradictionis est necessarium; alterum impossibile esse debet; & è conuerso: atque adeò necessitas vnius, & impossibilitas alterius mutuò connexæ sunt. 2. Quâ ratione vnum ex extremis contradictionis est contingens, & alterum debet esse contingens; atque ita contingentia

vnius

vnius cum alterius contingentiâ mutuò connectitur. Constant hæc duo, tum ex se, tum ex *propos.* 12. & 13. demonstratis *disp.* 8. *quæst.* 4. 3. Quâ ratione vnum extremum contradictionis necessarium est, alterum non possibile est, & vice versâ; atque adeò necessitas vnius cum non possibilitate alterius mutuò connexa est. Constat ex 1. quia non possibile, & impossibile prorsùs æquiualent, vt patet. 4. Quandò, vnum contradictionis extremum contingens est, alterum eo ipso est possibile (quia eo ipso est contingens, iuxta princip. 2. & omne contingens est possibile, vt ex se, & ex propos. 9. demonstrata disp. 11. quæst. 5. constat;) sed non è conuerso: quia non eo ipso, quòd vnum extremum contradictionis est possibile, est alterum contingens, cùm possit impossibile esse, vt constat. vndè, contingentia vnius cum possibilitate alterius non mutuò connectitur. 5. Quando vnum contradictionis extremum est impossibile, alterum est eo ipso possibile (quia est necessarium per princ. 1. & omne necessarium est possibile, vt ex se, & ex propos. 8. citatæ quæstionis notum est); non tamen vice versâ: quia potest vnum contradictionis extremum possibile esse, quin alterum sit impossibile, si sit contingens, vt est notissimum. Vnde impossibilitas vnius cum possibilitate alterius non mutuò connectitur. 6. Non possibilitas vnius extremi contradictionis cum possibilitate alterius non mutuò connectitur. 7. Impossibilitas vnius extremi contradictionis cum non impossibilitate alterius non mutuò connectitur. Hæc duo constant ex 5. Siquidem non possibilitas, & impossibilitas, atque etiam non impossibilitas, & possibilitas prorsùs æquiualent, vt patet. 8. Quandò vnum extremum contradictionis est impossibile, alterum eo ipso est non contingens (quia est necessarium per princip. 1. & necessarium, qua tale non est contingens, vt constat ex se, & ex propos. 12. quæstionis citatæ;) sed non è conuerso: quia potest vnum extremum contradictionis esse non contingens, quin alterum sit impossibile, si sit necessarium, vt ex se, & ex dictis est clarum. Vnde impossibilitas vnius cum non contingentia alterius non mutuò connectitur. 9. Quando vnum extremum contradictionis est necessarium, alterum eo ipso non est contingens (quia est impossibile per princip. 1. & impossibile, quâ tale, non est contingens, vt constat ex se, & ex propos. 13. dictæ q.) Non tamen è contrà: quia potest vnum extremum contradictionis esse non contingens, quin alterum sit necessarium, si sit impossibile, vt patet. Vndè, necessitas vnius cum non contingentiâ alterius non mutuo est connexa. 10. Quando vnum vnum extremum contradictionis est necessarium, alterum eo ipso est non necessarium (quia est impossibile per princip. 1. & impossibile, qua tale non est necessarium, vt patet ex se, & ex propos. 11. q. citatæ); sed non vice versâ: quia potest vnum extremum contradictionis esse non necessarium, quin alterum sit necessarium, si sit contingens, vt etiam est notum ex se, & ex dictis.

His ita statutis sint *dicta* contradictoriè oppo- 145
sita singulis modorum binariis addenda ad componendas modales propositiones, e.g. hæc A. O. fiatque imprimis tabella trium quadratorum pro tribus binariis modalium mutuò connexarum (quæ erit prima pars huius Artis) eodem pacto, ordine, & formâ ac facta est tabula Artis præcedentis, quæ talis erit.



Qua facta. Dico primo. Qua ratione prima, & secunda propositio vniuscuiusque quadrati sunt mutuò connexæ, vt ex tribus prioribus principiis num. 144. demonstratis constat, eâdem esse mutuò connexas quartam contradictoriam secundæ, & tertiam contradictoriam primæ; atque ita, nec primam posse esse veram, aut falsam, quin sit vera, aut falsa secunda: nec secundam, quin prima: idemque esse de quarta, & tertia collatis inter se. Secundò dico: primam, & quartam, atque etiam secundam, & tertiam contrariè citra medium opponi, atque adeò nec simul veras, nec simul falsas posse esse. Quæ omnia ex demonstratione factâ vniuersè quæstione secunda, propos. 11. pro tertiâ parte propositionis manifesta sunt, quæ ad rem ab vnoquoque applicanda, nobis verò modò non repetenda est.

Iam, pro septem binariis modalium non 146
mutuò connexarum fiat totidem quadratorum tabula eâdem ratione, quâ facta est tabula Artis præcedentis. Quæ Artis, de quâ modò agimus secunda pars erit in hunc modum.



RA



146 Quâ tabulâ factâ, dico primò: ſicut prima modalis vniuſcuiuſque quadrati non mutuò cum ſecundâ connexa eſt iuxta ſeptem principia poſtrema num. 144. demonſtrata, ita quartam cum tertiâ non mutuò connexam eſſe: conditionéſque ſubinde habere vtraſque propoſitionum non mutuò ſubalternarum ſæpè in præcedentibus repetitas. Secundò dico: primam & quartam contrarias eſſe cum admiſſione medij, & conſequenter ſecundam, & tertiam ſubcontrarias eſſe cum ſuis conditionibus, ſeu proprietatibus, provt ex demonſtrationibus factis q. 2. propoſit. 3. 4. & 9. hûc applicandis conſpicuum eſt.

147 Ex quibus apparet, binarios modalium in totâ iſtâ Arte contentos 44. eſſe: quia decem quadrata habent 60. ex quibus detractis 16. repetitarum contradictoriarum remanent 44. vndè ſupra 36. quos facta combinatio dedit, 8. ſuperadduntur ex totidem binatiis eumdem modum repetentibus, repetitè etiam enaſcentium notabili cum correſpondentia. Vt autem pro exemplo poſuimus dicta contradictoria A. O. quælibet omninò alia contradictoria excogitabilia loco eorum poni poterunt, cùm opus fuerit. De æquivalentia autem poſſibili omnium modalium huius Artis inferiùs propoſit. 12. dicetur.

Propoſitio 7.

148 Ars tertia modalium de dictis contrariè citra medium oppoſitis, earum omnium oppoſitionem, & connexionem exhibens eadem prorsùs eſt, ac præcedens modalium de dictis contradictoriè oppoſitis, mutatis dumtaxat ipſis dictis contradictoriis in dicta citra medium contraria.

Conſtat hæc propoſitio. Primò: quia, cùm dicta contraria citra medium, & dicta contradictoria in hoc conſpirent, quòd neque ſimul eſſe, neque ſimul deeſſe poſſint, non poſſunt non ex vtriſque modales eamdem prorsùs oppoſitionem, atque connexionem ſortiri, vt ſatis ex ſe eſt notum. Secundò: quia, cùm contradictorium vnius ex contrariis citra medium cum altero mutuò connexum ſit, vt conſtat, non poteſt non quodvis ex contrariis citra medium eodem modo ad alterum comparari quoad poſſibilitatem, contingentiam, impoſſibilitatem, & neceſſitatem, atque cum ſuo contradictorio. Quoad hæc enim, quæ mutuò connectuntur, perinde ſe habent, ac ſi eſſent vnum, & idem, vt ſatis exſe apparet, clariúſque apparebit ex dicendis propoſitione 9. Tertiò: quia decem principia num. 144. demonſtrata, in quibus fundauimus Artem præteritam modalium de dictis contradictoriis eodem modo locum habent in modalibus de dictis contrariis citra medium, vt diſcurrenti per illa conſpicuum fie

Hoc poſito mutemus dicta contradictoria il- 149
lius Artis in hæc contraria citra medium, e. g. *Similitudinem Petri cum Paulo exiſtere: Diſſimilitudinem Petri cum Paulo exiſtere* per has duas litteras deſignanda S.D. factiſque eiſdem duabus tabulis, altera pro primâ & alterâ pro ſecundâ parte huius Artis, nihil deſiderabitur, nam cætera inde petenda ſunt, & huc applicanda.

Pro parte prima huius Artis correſpondente parti primæ præcedentis.



pro

latius *disput. 4. quæst. 1.* ex duplici capite oriri posse, vt actus sine formidine oppositâ ab intellectu humano eliciatur. Primo, quia id exposcunt, merita fundamentorum, quæ ad illum eliciendum extant reuera. Secundo: quia intellectus illum eliciens parum consideratè & parum circumspectè procedit, atque adeo, aut præ ignauia non percipit, aut præ socordia non aduertit, aut aliunde non attendit ad illa, vnde formido excitanda erat. Et quidem in primo casu actus à formidine immunis propriè & strictè dicitur certus certitudine subiectiua. In secundo verò minus propriè, minusque strictè. Quocirca de hæreticis, qui secundo modo intrepidè, & sine formidine suis erroribus adhærescunt, multi Theologi censent eos non tam certos, quàm pertinaces in talibus erroribus dicendos esse. Vnde tandem colligitur certitudinem subiectiuam propriam & strictam, & euidentiam intellectionis in idem recidere, vt ex hic dictis, ex dictisque *q. citatâ* liquidum fit.

7 Noto secundò necessitatem veritatis actus intellectionis, in quo consistit certitudo formalis eius, ex triplici capite nasci posse. Primò, ex natura, obiecti, quod in se necessarium est, & indefectibile, secundò, ex natura ipsius actus, qui cum obiecto suapte essentia connexus est. Tertiò, ex natura principiorum actus, quibus repugnat actum falsum elicere. Quo iure Recentiores quidam totidem membra certitudinis formalis ponunt, vocantes extrinsecam eam, quæ ex natura obiecti, aut etiam principiorum promanat; intrinsecam verò eam, quæ ex natura ipsius actus. Verumtamen, quia accidentaria videtur esse tendentiæ actus necessitas veritatis ex solius obiecti necessitate orta; eo quod per locum intrinsecum actus eodem modo tenderet in obiectum, etiamsi per impossibile tale obiectum non esset: certitudo autem formalis ex naturâ actus potissimum est desumendâ. Idcirco ego nullatenus dicerem certum formaliter adhuc extrinsecè eum actum, cuius veritatis necessitas ex necessitate duntaxat solius obiecti proueniret. Aptius fortasse dicitur actus certus, quando nascitur ex principiis ex se determinatis ad actum verum: quo pacto certitudinem formalem exponit Petr. Hurt. *disp. 8. de Anim. sect. 1.* Non tamen videtur negandum, actum connexum cum suo obiecto certum quoque esse formaliter; qualiacumque demum sint principia, vnde ille oritur. Quando verò vtrumque concurrit, nempe & principia actus ad actum verum suâ naturâ determinata esse, & actum ipsum suâ etiam naturâ esse cum obiecto connexum, tunc absque omni dubio apud omnes dicitur actus certus formaliter. Quo pacto, actus fidei diuinæ, actus scientiæ Dei, & similes, sine controuersia, actus certi veniunt ab omnibus appellandi. In quibus omnibus nullum litigium potest esse nisi de nomine.

Diuisio 2.

8 Certitudo formalis intellectionis alia metaphysica, alia physica, alia moralis est.

Quoniam connexio actus cum suo obiecto, siue necessitas veritatis, in quâ consistit certitudo formalis; alia physica, alia moralis esse potest, iuxta diuisionem connexionis traditam *suprà disput. 2. q. 5. hypoth. 2.* tradendamque iterum *infra disp. 14.* quæ eadem necessitatis quoque est: cum omnis necessitas in connexione quadam posita sit, vt explico *infra suo loco.* Porro, tunc veritas actus est necessaria metaphysicè, quando nulla omnino potentia potest actui deesse. Tunc verò est necessaria physicè, quando naturaliter non potest deesse actui, estò supernaturaliter possit. Tunc denique est necessaria moraliter, quando non potest moraliter actui deficere, tametsi possit tum metaphysicè tum physicè. Dicitur autem non posse veritas moraliter actui deficere, quando actus eiusmodi est, vt sub eadem rerum ac circunstantiarum peristasi aut semper, aut fere semper, aut plerumque veritas illi adest. Vnde necessitas moralis in vniuersum varios gradus habere potest, qui ad tres insinuatos possunt reduci, eritque supremus, quando id, quod dicitur necessarium moraliter, estò deesse possit simpliciter, omnino semper adest; medius autem, quando adest fere semper, & infimus, quando plerumque. De quo videnda plura dicta *locis citatis.*

Diuisio 3.

Certitudo subiectiua actus intellectionis in phy- 9
sicam etiam, & moralem diuidenda venit; aliter tamen vsurpatis his vocibus, quam diuisione præcedente.

Certitudo enim subiectiua, quæ in immunitate ab oppositâ formidine, vt diximus, posita est, tunc dicitur physica; quando omnem omnino formidinem etiam physicam remouet; moralis verò nuncupatur; quando formidinem prudentem, non verò physicam excludit. Sic actus, quo credo Romam esse, aut totum esse maius sua parte certus est physicè subiectiuè: quia nullam omnino secum formidinem aduersam admittit; actus verò, quo iudico fidei articulos esse reuelatos à Deo, subiectiuè est certus moraliter: quia licet physicam formidinem secum compati possit; prudentem tamen & cordatam non potest.

Ex quibus patet primò, bene posse esse actum 10
aliquem certum formaliter certitudine physicâ, & metaphysicâ; qui tamen subiectiuè sit certus non physicâ certitudine, sed tantum morali. Talis namque est sæpe actus fidei diuinæ; qui prudentem solum formidinem, non verò physicam excludens, necessitate nihilominus metaphysicâ verus est; sicut è contra potest accidere, vt actus aliquis sit certus formaliter morali tantùm certitudine; eo quod morali dumtaxat necessitate est verus: & tamen subiectiuè sit certus certitudine physicâ; eo quòd omnem prorsus formidinem etiam physicam pellit. Talis enim actus est, quo credo Romam esse. Paritérque tot fere modis, quibus diuersa ista certitudinum genera, earumque carentiæ possunt inter se combinari, iuxta combinationum regulas tradendas alibi in eodem actu sic combinata coniungi possunt, vt consideranti apparebit. Nec enim omnes combinationes modò percurrere, atque examinare opus est.

Secundo patet certitudinem subiectiuam mo- 11
ralem, & physicam in idem recidere cum euidentiâ morali & physicâ secundæ acceptionis expositâ *suprà disputatione 4. quæst. 2. diuis. 2.* cum tamen certitudo formalis metaphysica, physica, & moralis non ita coincidat cum euidentiâ metaphysicâ, physicâ, & morali primæ acceptionis ibidem explicatâ à nobis *diuis. 1.* vt apparebit conferenti definitiones earum traditas *ibi, & in præsenti.*

Diuisio 4.

Denique certitudo sumpta vniuersè in certitu- 12
dinem obiectiuam, & certitudinem formalem

diuidi potest, latius formali accepta, quam hactenus.

Certitudo quippe obiectiua ea est, quæ obiecto intellectionis tribuitur: nam, vt id, quod per actum verum est cognoscibile, verum obiectiuè appellatur, & id, quod est cognoscibile per actum euidentem, euidens dicitur obiectiuè; ita quoque, quod est cognoscibile per actum certum, obiectiuè certum vocatur. Tótque modis certum vocari potest, quot modis iuxta dicta certus est actus, per quem cognoscibile est. Certitudo verò formalis, prout obiectiuæ contraponitur, omnem certitudinem ex parte intellectus se habentem, & hucusque à nobis expositam comprehendit, nempe certitudinem subiectiuam, & aliam formalem à subiectiuâ condistinctam.

QVÆSTIO II.

Quænam insuper de certitudine intellectionis humanæ restant dicenda?

13 REspondeo vno verbo. Eadem fermè, quæ de euidentiâ *disputatione* 4. sunt dicta; sed multò breuius, vt apparet, propositionibus sequentibus.

Propositio 1.

14 Certitudo tum formalis, tum subiectiua soli iudicio tum formali, tum virtuali conuenit; non item simplici apprehensioni.

Quia per apprehensionem simplicem nullatenus dicimur certi de obiecto apprehenso, nec ipsa vllomodo solet certa appellari. Hæc namque appellatio soli adaptatur cognitioni, qua aliquid, loquendo absolutè, dicimur cognoscere, intelligere, aut scire; quale dumtaxat est iudicium aut formale, aut virtuale; non item simplex apprehensio. Quid sit autem iudicium virtuale satis in superioribus exposuimus. Vide dicta in simili *disput.* 4. *quæst.* 1. *propos.* 2. Addéque, vt ibi propositiones vocales iudiciis respondentes, etiam iuxta communem vsum, certas solere nuncupari; secus simplices voces, aut quæstiones correspondentes apprehensionibus simplicibus.

15 Ex quibus collige in omnibus iudiciis, ex quibus subordinatis discursus humanus coalescit, posse inueniri certitudinem; è quorum numero est iudicium, in quo illatio nititur, quodque plerumque est virtuale de connexione antecedentis cum consequente. Quocirca ratione certitudinis talis iudicij illatio ipsa certa dici solet, & esse; idque certitudine tum subiectiua, tum formali à subiectiuâ condistincta, qualis dicto iudicio, sicut & cuiuis alij potest competere. Vnde etiam patet, quo sensu ratione illationis & ipsi discursui possit, & soleat certitudo adaptari. Solemus quippe interdum dicere discursum nostrum, certum esse, hoc ipso quod est certa illatio, qua inferimus consequens ex antecedente. Quæ omnia ex dictis de naturâ nostri discursus *disp.* 2. *q.* 5. satis cuique conspicua erunt.

16 Itaque certitudo tum subiectiua, tum formalis in omni iudicio inueniri potest, tam quod ex terminis apprehensis capitur, & principium dicitur; quam quod ex aliis colligitur, & dicitur conclusio; quam, quod pro obiecto habet connexionem antecedentis obiectiui cum consequente. In quo, vel nititur, vel consistit illatio, ad quæ tria capita omnia iudicia humana reduci possunt: Vnde tandem infertur in omnibus pariter aliis iudiciis intuentium eiusmodi certitudines posse quoque inueniri.

Propositio 2.

Certitudo sumpta vniuersè è genere est eorum 17
prædicatorum, quæ suscipere dicuntur magis, & minus, prout iam iam explico speciatim.

Primum enim ex obiectis à nobis cognoscibilibus alia aliis certiora sunt sua obiectiua certitudine comparatione nostri: quia alia certius à nobis, quàm alia sunt cognoscibilia, quemadmodum & alia sunt aliis euidentiora: quia & alia euidentiùs à nobis, quàm alia cognoscibilia sunt. Cæteroquin si ad intellectum diuinum obiecta vera comparentur, omnia æquè certa, sicut & æque euidentia dicenda sunt: quia omnia summâ certitudine, summâque euidentiâ cognoscibilia sunt à Deo. comparata tamen ad cæteros intellectus creatos, aut æqualem, aut inæqualem certitudinem, euidentiamque obiectiuam habere dicentur, iuxta mensuram principiorum, siue fundamentorum, quæ ad illa cognoscenda habuerint intellectus, ad quos comparantur, vt per ipsos cognoscibilia. Quæ omnia ex definitione datâ certitudinis obiectiuæ comperta sunt.

Deinde certitudo subiectiua per exclusionem 18
formidinis superius definita ita magis & minus suscipit, vt data quauis, alia maior excogitari possit, & dari, quanquam enim actus omnem formidinem excludens in excludenda de facto formidine ab alio superari non possit: quia maior exclusio formidinis, quam exclusio omnis formidinis non potest dari; hoc tamen ipso, quod claritas, aut perfectio intrinseca actus incompatibilis cum formidine possit esse maior, & maior sine termino; vt verè potest; dato quouis actu, alius minus obnoxius formidini, seu magis illi repugnans dabilis est: qui subinde magis certus iure dici potest, & solet certitudine subiectiuâ.

Præterea certitudo formalis à subiectiuâ con- 19
distincta, quam in necessitate veritatis actus posuimus, magis & minus etiam suscipit secundum omnes suos gradus, nimirum siue ea sit metaphysica, siue physica, siue moralis. Quoniam omnis necessitas non solum moralis, de quâ non est dubium, sed etiam physica & metaphysica adeo magis & minus suscipit, vt datâ quâuis citra infinitam, alia sit dabilis, maior & maior sine termino, vt ex professo ostendam *infra disput.* 11. vbi ad rem plura.

Propositio 3.

Certitudo subiectiua, & falsitas in eodem iudicio 20
humano bene cohærere possunt, sæpèque de facto cohærent. Certitudo verò formalis, quo pacto est veritatis necessitas, eo dumtaxat, & non aliter repugnat falsitati.

Prima propositionis pars inde constat, quia sæpe sæpius absque vlla formidine, absque vllaque hæsitatione iudicamus obiectum, certíque subinde de illo sumus certitudine subiectiua; quod tamen postea deprehendimus falsum fuisse. Falsitas enim obiectiua sæpissimè ob apparentiam fundamentorum verisimilior est, quàm veritas comparatione nostri; atque

atque adeo etiam valens in nobis procreare iudicium subiectiuè, certum, hoc est, exemptum siue immune à formidine opposita.

21 Secunda verò propositionis pars sola sui explicatione firmatur. Etenim, cum certitudo formalis, aut metaphysica, aut physica, aut moralis esse possit, vt constat ex dictis, iuxta totidem gradus possibiles necessitatis veritatis. Si fuerit metaphysica cum falsitate eiusdem actus nullomodo componi poterit: quia actus necessario verus necessitate metaphysicâ, nulla potentia potest esse non verus, atque adeo falsus, vt constat. Si verò fuerit physica, physicè quidem non poterit cum falsitate eiusdem actus coniungi; poterit tamen metaphysicè: quia, quod solum physicè, seu naturaliter est impossibile, metaphysicè est possibile; vt etiam est notum. Si denique fuerit moralis; moraliter solum erit falsitati repugnans: non item metaphysicè, & physicè: quia, quod moraliter tantùm impossibile est, metaphysicè nihilominus, atque etiam physicè est possibile, vt cunctis similiter patet.

Propositio 4.

22 Idem iudicium comparatione eiusdem obiecti neutiquam potest esse certum, & simul incertum in eodem genere.

Quia certitudo, & incertitudo eiusdem generis in eodem actu, & comparatione eiusdem obiecti contradictoriè opponuntur, vt ex dictis satis est notum. Dico autem *in eodem genere*, quia certitudo vnius generis cum incertitudine alterius bene possunt in eodem actu coniungi respectiuè ad idem obiectum; videlicet idem actus respectu eiusdem obiecti bene potest esse certus subiectiuè, & incertus formaliter; aut vice versâ. Tum potest esse certus moraliter, incertúsque physicè, *&c.*

23 Casu verò, quòd per eumdem actum duo obiecta cognoscantur distinctè, tunc ille dici poterit certus comparatione vnius obiecti, & incertus comparatione alterius, quando immunitas à formidine, aut à falsitate, in quâ consistit certitudo, ex eo præcisè, & formaliter, competit actui, quòd respicit vnum obiectum, non item, quod respicit alterum; eo quod per locum intrinsecum verum est, fore vt talis actus nihilominus talem immunitatem haberet, estò ille per impossibile vnum obiectum respiceret, & non alterum, iuxta doctrinam vniuersalen tradendam *suo loco.*

Propositio 5.

24 Duo actus intellectus eiusdem obiecti, quorum alter certus sit, & alter incertus etiam in eodem genere, bene possunt in eodem intellectu simul existere.

Hæc propositio satis constat ex doctrinâ stabilitâ *disput. 4. quæst. 5.* per totam. Nam vt ex ibi dictis liquet, actus fidei Diuinæ, & actus fidei humanæ eiusdem obiecti in eodem intellectu bene, cohærent; & tamen primus certus est certitudine formali metaphysicâ, quam non habet secundus, ob idque est incertus in tali genere. Similiter actus fidei diuinæ, & actus scientiæ de eodem obiecto bene possunt coniungi, quorum primus subiectiuè est incertus, loquendo physicè; quo genere est certus secundus. Recole doctrinam eius quæstionis; multáque alia inde exempla in rem præsentem poteris aggregare.

Propositio 6.

Duo motiua, quorum alterum certitudinis, & 25
alterum oppositæ incertitudinis seorsim ferax sit; bene possunt ad eumdem actum simul concurrere. Qui tamen simpliciter, & absolutè certus, non item incertus dicetur.

Prior pars propositionis ex dictis *disput. 4. quæst. 6.* satis est nota. Posterior autem inde probanda venit: quia vbi actus semel est certus, simpliciter, & absolutè dicitur talis; nequit autem non esse certus actus proueniens à motiuo seorsim feraci certitudinis, tametsi simul à motiuo non ita feraci proueniat, vt satis, superque notum fit ex doctrinâ datâ in simili *q.* citatâ, quæ ad rem præsentem non repetenda, sed recolenda est. Et hæc satis de certitudine, atque oppositâ incertitudine.

DISPVTATIO VI.

De probabilitate, oppositáque improbabilitate humanæ intellectionis.

PROBABILITAS, oppositáque 1
improbabilitas soli iudicio vel formali, vel virtuali potest competere; non item apprehensioni simplici, vt apud omnes est certissimum, & ex dicendis apparebit. Iudicium autem incertum, & consequenter aut probabile, aut improbabile, opinio dicitur vniuersè. Quocirca perinde erit differere de opinione (de quâ fere Doctores differunt) ac de iudicio probabili, aut improbabili. A probabilitate autem opinionis, siue iudicij obiectum per illud iudicabile probabile dicitur; sicut à veritate, certitudine, aut euidentiâ iudicij obiectum per illud iudicabile dicitur verum, certum, aut euidens, vt ex *superiùs* dictis liquidum est. Vnde patet probabilitatem in vniuersum, de quâ à nobis sermo suscipitur, duplicem esse, formalé scilicet, quæ iudicio, seu opinioni competit, & obiectiuâ, quæ competit obiecto iudicabili Paritérq; de improbabilitate oppositâ dictum esto.

QVÆSTIO I.

Quid sit opinio probabilis. Et quid improbabilis?

OPinio probabilis iuxta communem Auctorum 2
sensum ea est, *quæ in re incertâ graui nititur fundamento.* In hanc enim definitionem recidunt. aliæ, quas afferunt. Salas 1.2. *Tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 5. Azor *lib.* 2. *cap.* 17. §. *His igitur.* Soar. *Tract.* 3. *d.* 12. *sec.* 6. Th. Sanc. *l.* 1. *sum. c.* 9. *n.* 6. Filliuc. *Tract.* 21. *c.* 4. *n.* 133. Ioan. San. *in selectis d.* 44. *n.* 61. *&* 62. *& d.* 29. *n.* 7. Palao, *T.* 1. *disp.* 2. *pun.* 1. Layman. *lib.* 1. *T.* 1. *n.* 6. Gasp. Hur. *Tract. de Bonit. & mal. disput.* 4. *c.* 5. *diff.* 15. cum Vasquez. Mont. & Gr. & aliis. Quò etiam spectat definitio, quam Arist. habet *lib.* 1. *Top. cap.* 1. Nam, quæ omnibus aut sapientibus videntur vera, ea vtique graui & prudenti fundamento non carent. Voco autem fundamentum in vniuersum,

quidquid inducit intellectum ad iudicandum siue id sint termini ipsi sic, vel aliter apprehensi, quando propositio obiectiua est immediata, seu per se nota; siue sint alia principia, vnde propositio deducitur, quando ea mediata est, seu nota per aliud, siue sit authoritas, testimoniúmve alienum, propter quod creditur propositio, quando eam alij testantur, seu proferunt serio, & ex animo. Ex quibus aliena authoritas seu testimonium fundamentum extrinsecum; cætera autem omnia intrinseca dici solent communiter; à nobisque etiam distinctionis gratiâ dicentur. Tametsi, vt *alibi* notauimus, & horum multa alio sensu extrinseca sint. Graue autem siue prudens fundamentum vocatur, quod tanti ponderis est, vt in eo prudens quisque possit inniti sine vlla leuitatis, aut imprudentiæ nota. Quanquam enim intellectus humanus ne ex imperio quidem voluntatis sine omni prorsus fundamento iudicare possit obiectum; at fundamenta quædam adeo sunt leuia, vt sine temeritatis notâ nemo prudens eis possit fidere ad suum exhibendum iudicium; tametsi sufficientia sint ad illud eliciendum physicè, temerè, & imprudenter.

3 Sed dicet aliquis. Posito quouis fundamento, siue pro altera tantùm, siue pro vtraque parte contradictionis, manet intellectus humanus determinatus quoad speciem ad assensum, vel ad dissensum, vel ad carentiam vtriusque iudicij: quia neque physicè iudicare potest, nisi id, ad quod inclinatur fundamento vrgentiori: ergo fundamentum sufficiens ad iudicandum physicè leue & imprudens esse non potest: quia si non habet oppositum, iudicium certum causat, in quo non potest esse imprudentia: si autem habet oppositum, illi præponderat, eligiturque sine libertate; quo aditus imprudentiæ præcluditur. Admisso modo antecedente, quod multi negant, & de quo nos agemus *infrà disput.* 7. Nego consequentiam. Ad probationem dico, in re incertâ, de qua tractamus, semper superesse libertatem quoad exercitium ad sulpendendum omne iudicium, vt fatentur omnes; atque adeo posse esse imprudentiam in exercitio iudicandi, quando ob fundamenti leuitatem, etsi alias physicè sufficientis, erat à iudicio abstinendum. Adde etsi fundamentum ex se sit physicè insufficiens ac' iudicandum; ex nimia tamen intellectus adhæsione, intentaque plus æquo imaginatione posse quoad apparentiam, atque adeo delusoriè sufficiens reddi; maximè si accedat aliqua passio animi, aut nimia affectio voluntatis ad tale iudicium: mirum est enim, quibus fucis passiones animi colorant obiecta, quantísque incrementis exaggerant fundamenta eorum, quæ cupimus, vt aliter nobis videantur, quàm verè sint. Augere igitur hisce mediis fundamenta assentiendi aliàs leuissima, quis non videat munus esse imprudentiæ? Ex quo patet, quomodo stantibus fundamentis oppositis, possit imprudenter augeri, quod ex se leuius est, altero grauiori demisso, seu diminuto, vt intellectus physicè, & imprudenter inniti possit fundamento leuiori; etiamsi vera sit opinio, quam prætendebat argumentum.

4 Fundamenta ergo, quæ probè, sinceréque spectata leuiora sunt, quam vt prudens quisque possit eis fidere ad iudicandum, ea dicimus insufficientia ad faciendam opinionem probabilem, atque adeo etiam ad reddendum probabile obiectum iudicandum ex illis, proindéque tum iudicium, tum obiectum improbabile erit quod talibus fundamentis subnixum, siue suffultum est. Dicitur autem obiectum probabile, vel improbabile ab eis fundamentis dumtaxat, quæ ab hominibus detecta sunt; non itidem ab illis, quæ latent adhuc. Alioquin nullum obiectum decurlu temporis per nouam inuentionem fundamentorum ex probabili posset fieri improbabile, aut vice versa, quod tamen est falsum, vt ex dicendis apparebit.

Vnde patet probabilitatem, quemadmodum & 5
certitudinem, atque euidentiam obiectorum respectiuè ad intellectus pensandam esse. Sæpe enim fit, vt respectu vnius, aut alterius, aut aliquorum intellectuum obiectum aliquod sit probabile, quod tamen respectu aliorum improbabile est: eo quòd illis, non verò his fundamenta idonea suppetunt, siue detecta sunt, quibus ad tale obiectum prudenter iudicandum possunt inniti. Ex quo rursus fit, illud obiectum simpliciter, & absolute probabile venire dicendum, quod omnibus, aut plerisque communiter tale est; eo quod omnibus, aut plerisque communiter ad tale obiectum iudicandum notescunt grauia fundamenta.

Cæterùm animaduertere oportet, non solùm 6
opinionem, iudiciumve obiecti probabilis, sed quouis omnino iudicium prudens probabile iam vulgo appellari; sicut improbabile contrà, quod imprudens est. Quocirca, claritatis gratiâ, triplex est distinguenda acceptio iudicij probabilis aut improbabilis. Si enim iudicium sit prudens, & de obiecto probabili, ex obiecto, & ex modo tendendi, atque adeo simpliciter probabile dicendum est. Quo etiam pacto dicetur improbabile iudicium quod fuerit imprudens, & de obiecto improbabili. Si verò iudicium sit imprudens, & de obiecto probabili; id probabile erit, & improbabile secundum quid; nempe probabile tantùm ex obiecto, & improbabile tantùm ex modo tendendi; sicut è conuerso iudicium prudens de obiecto improbabili erit probabile ex modo tendendi, & improbabile ex obiecto; atque adeo etiam probabile, & improbabile secundum quid.

Illud autem iudicium prudens vocatur, quod 7
non concipitur ab intellectu sine diligentiâ præuiâ ad indagandam veritatem adhibitâ, quæ iure optimo pro qualitate materię, & omnibus circumstantiis pensatis temporis, loci, personæ, finis, *&c.* idonea, & sufficiens, iuxta prudentiæ regulas, censeatur. Cùm enim veritatis inuentio plurimum pendeat ex attentâ rei consideratione, ex sedulâ terminorum, circumstantiarúmque omnium circumspectione, ex sagacique principiorum, aliorúmque fundamentorum inuestigatione, & collatione; prudentia dictat, non statim fidendum esse iis fundamentis iudicandi, quæ primò se se cum obiecto solent offerri: sed oportere antequam feratur iudicium, & ea examinare, & alia quærere, prout materiæ grauitas postulauerit. Quò enim materia grauior est, pluríque interest in ea non errare, eo maior diligentia quærendi veritatem adhiberi debet, vt iudicium prudens euadat, cęteris paribus ex parte, aliarum circumstantiarum. Quâ de causâ censeo in re purè philosophicâ minus studij requiri ad opinandum prudenter, quàm in re Theologicâ, & in re purè speculatiuâ, quàm in re practicâ: quia error Theologicus peior est, quàm philosophicus: errórq; speculatiuus minoris, quàm practicus interest; cũ practicus geminetur in opere, iis autem qui fundamenta rei intrinseca discutere non valent, extrinseca adeunda sunt: debent enim ab aliis quærere veritatem, quam plene non noscunt.

Quomodo

Quomodo autem intellectus in istâ rerum discussione ab arbitrio voluntatis pendere possit, *disp.* 7. examinabitur.

8 Iam vero illud omni iudicio probabili commune est, admittere scilicet secum formidinem siue suspicionem oppositam, prudentem quoque & rationabilem: in eo enim à iudicio moraliter certo discriminatur: quia hoc, etsi admittat formidinem physicam, aut ex subreptione ortam, aut temerè conceptam; prudentem tamen formidinem non admittit. Quo etiam pacto obiectum certum moraliter à probabili differt: quia, hoc cum prudente formidine; illud verò sine ea iudicabile est. Quid verò sit formido, & suspicio iam supra *disput. 2. quæst. 2. diuis. 12.* explicauimus. Dicitur autem formido prudens quemadmodum & alia iudicia, vel, quia maturè concipitur, vel quia nititur fundamento idoneo ad formidandum, vel propter vtrumque.

QVÆSTIO II.

Quid requiratur & sufficiat vt opinio aliqua sit probabilis.

9 DIximus *quæst. præced.* Opinionem probabilem esse, *quæ in re incerta graui nititur fundamento.* Restabat modo examinandum vniuersim, quodnam fundamentum reputandum sit graue, atque adeo sufficiens, vt opinio illi subnixa probabilis habenda sit. Sed certe in hac re regula generalis præscribi non potest: est enim materia prudentialis; quæ fere arbitrio prudentum relinquenda est. Id tantùm in vniuersum dici potest, quod *quæst. præced.* tetigimus, fundamentum graue ad iudicandum illud dici in præsenti, quod tanto pondere inclinat, ex se intellectum ad ferendum iudicium, vt spectato modo connaturali iudicandi, in rebus obscuris, & incertis, prudens quisque sine vllâ leuitatis, aut imprudentiæ notâ innitens tali fundamento iudicare possit. Quod autem fundamentum eiusmodi sit, & quod non item eorum, quæ appellantur intrinseca, non potest non relinqui omnino prudentum arbitrio. Quod verò attinet ad fundamenta extrinseca, qualis est Doctorum authoritas, omnes supponunt, authoritatem multorum, eorúmque grauium Doctorum in eamdem opinionem conspirantium sufficiens fundamentum esse, vt ea probabilis habeatur. Difficultas est, vtrum authoritas vnius dumtaxat, aut alterius Doctoris faciat opinionem probabilem.

10 Angel. Sylvest. Nauar. Valent. & Sa, quos refert, & sequitur Thom. Sanch. *in sum. lib. 1. capite 9. numero. 7.* absolutè docent authoritatem vnius Doctoris probi & docti reddere opinionem probabilem. Consentiunt Filliuc. *Tract. 21. capite 4. num. 134.* Layman. *lib. 1. Tract. 1. capite 5. num. 6.* & Ioann. Sanch. *in select. disput. 44. numero 61.* Fauet Sanct. Thom. *quodlib. 3. artic. 10.* docens posse discipulum in rebus moris amplecti opinionem magistri. Quod etiam tradit Azor *libro 2. capite 17. q. 4.* citans Abbat. Innoc. & Sylvest. sufficere autem vnius Doctoris grauis dictum, si firma ratione muniatur ad faciendam opinionem probabilem, etiam contra communem, docet Palao *Tract. 1. disput. 2. punc. 1.* referens pro eâdem sectentiâ Vasquez 1.2. *disput. 62. num. 12.* Thom. Sanc. *supra. num. 9.* & Villal. *in sum. Tract. 1. diff. 4. num. 17.* Idem docet Gran. 1. 2. *Contr. 3. tract. 12. disput. 4. sec. 1.* referens Azor *supra quæst. 6.* Quorum nonnulli quasdam limitationes addunt, de quibus infra. Addit Ioan. Sanc. fore opinionem probabilem, etsi illam nullus affirmet, dummodo, qui suscitat eam sit vir doctus, & probabilibus rationibus incedat. Pro quo refert Vasquez, Villal. Azor, & Sa *supra.* Sed verò immerito sine distinctione aliqui ex relatis Auctoribus adducuntur pro sententiâ propositâ. Nam P. Vasquez citatus à Palao *num. illo* 12. non dicit opinionem vnius Doctoris absolutè probabilem esse, sed tantùm esse probabilem comparatione opinantis: postmodum enim *num. 17.* subiungit, opinionem vnius tantum Doctoris non esse censendam probabilem ad hoc, vt alij contra sententiam propriam eam sequantur: & Azor *loco citato* etiam agit de opinione probabili tantum respectu opinantis: dixerat enim *capite 16. quæst. 6.* passim & crebrò non licere vti opinione vnius classici Doctoris contra communem, etsi aliquando liceat. Oportet ergo hæc, & alia multa distinguere impræsentiarum. Procedamus paulatim.

Propositio 1.

Quotiescumque opinio vnius auctoris nititur 11
fundamento graui, probabilis absolutè censenda est; siue sit contra communem, siue non item, idque non tam propter Doctoris auctoritatem, quàm propter intrinsecum fundamentum, quod Doctor ipse adinuenit, atque produxit.

Hoc sibi voluit Ioan. Sanc. cum dixit opinionem nixam rationibus probabilibus, etsi à nemine affirmaretur, fore probabilem, consentiúntque suprà relati AA. Ratio autem huius propositionis conspicua est: quia opinio absolutè probabilis est, quæ graui fundamento nititur, vt ex definitione data, communiterque recepta constat. Sed ponimus dictam opinionem tale fundamentum habere. Ergo. Porro posse inueniri à viro docto fundamentum idoneum ad obiecti probabilitatem, non solum quando rem edisserit ab aliis intactam, aut à paucis excogitatam, de quo non est dubium; sed etiam quando in re communi contra sententiam receptam agit; inde profectò constat: quia vt fusè demonstro *suo loco*, ea est natura scientiæ humanæ, vt non possit non in dies augeri, aliis atque aliis veritatibus denuo repertis, quæ vel prioribus Doctoribus ignotæ, vel etiam ab eis repudiatæ fuerant. Id, quod satis superque testatur ipsa sæculorum experientia. Quot enim veritates tempore D. Th. Bonau. vt omittam alias, contra communem etiam, & tunc receptam sententiam elucidatæ sunt? Certè Ecclesia quotidie illuminatur, vt bene Glossa *in cap. Ad nostram, de consuetud. verb.* interdumque reuelatur minori, quod maior nescit, vt bene probat textus D. August. *in cap. si habes 24. q. 3.* & textus D. Hiero. *in cap. esto subiecta 95. dist. ante finem.*

Neque necesse est ad probabilitatem supradictæ 12
opinionis, quod eam auctor ex professo tractauerit, quidquid dicat Palao *n. 5.* contra Ioan. Sanc. *n. 62.* Sat enim erit eam obiter indicare, vel perfunctoriè tradere; dummodo fundamentum producatur, cui illa nititur: quia talis opinionis probabilitas non pendet ab auctoritate tradentis, sed tantum à fundamento graui, intrinsecoque, quod secum fert.

Addo tamen fieri posse, vt opinio leuius funda- 13
mentum

mentum habeat intrinsecum, quam vt probabilis censeri possit, seu refragante sententia opposita communi, seu non refragante; & tamen sit probabilis ab adiuncta authoritate Doctoris eam proferentis, quamuis hæc etiam seorsim sumpta ad talem probabilitatem non esset sufficiens, iuxta dicenda *propos. seq.* quia, quæ seorsim sumpta leuiora videntur, coniuncta possunt habere pondus sufficiens ad constituendam probabilem opinionem.

Propositio 2.

14 Auctoritas vnius viri grauis & docti præcisa ab aliis fundamentis sufficiens non est ad faciendam opinionem probabilem contra sententiam multorum ingenio & eruditione parium : nedum contra sententiam communem omnium.

In hoc casu intelligo habere locum limitationes, quas adducunt Azor *cap. illo* 16. *q.* 16. Vasquez. *n.* 17. Thom. San. *num.* 9. Palao *n.* 3. & alij. Ratio est, quia auctoritas vnius, pluribus ei æqualibus contradicentibus, leuius fundamentum est, quam vt homines prudentes illi fidere possint, atque adeo non est sufficiens ad faciendum obiectum probabile. Quemadmodum enim testimonium vnius testis apud prudentes non facit fidem, quando alij multi æque digni fide testantur oppositum ; ita authoritas vnius doctoris parui apud prudentes habenda est, quando alij multi refragantur æqualiter docti.

15 Hinc sequitur quantumuis homo aliorum opinionem discusserit, eiusque fundamenta expenderit, & argumenta soluerit ; si tamen nihil pro parte aduersa fundamenti attulerit, sed illi dumtaxat adhæserit, quod vel principia, vel illationes aliorum aliter sibi videantur ; opinionem huius imprudentem, & improbabilem esse : atque adeo illam non solum ab aliis non posse tutò amplecti ; sed ne ipsi quidem opinanti prodesse, quominus temerè non procedat. Est enim genus quoddam temeritatis, putare hominem se melius penetrare, & callere, quam alij ingenio & doctrina pares eadem prorsus fundamenta, quæ omnes inspexerunt æquè accuratè. Addiderim tamen neminem obligatum esse ad discutienda fundamenta singularis opinionis alterius, qui alias communiter pius & doctus reputatur ; sed tuto posse vnumquemque etiam doctum ob illius authoritatem in praxi talem opinionem amplecti, si alias non habet prudentem rationem dubitandi eam esse improbabilem : quia credendum non est talem hominem sine graui fundamento contra communem opinari.

16 Si tamen esset vir insignis litteraturæ longè cæteros antecellens ingenij perspicacia, consiliique, ac iudicij maturitate : haud dubiè auctoritas huius præcisa ab aliis fundamentis faceret opinionem probabilem contra communem in re maturè ab illo, & ex professo examinata. Quo certè videtur respexisse Arist. *lib.* 1. *Topic. capite* 1. cum dixit. Probabilia esse, quæ videntur vel plurimis sapientibus, *vel iis, quorum spectata est, & perspecta sapientia, & qui hoc nomine clari atque illustres sunt.* Vnius enim horum iudicio in penetranda veritate, eruendaque ex eisdem fundamentis, & terminis non minus deferendum est, quam reliquorum cumulo, quorum plerique reliquos instar auium insequi solent ; sicuti vnicus probatissimus testis non propterea fidem prorsus amittit, quòd plurimi contradicant minoris notæ.

Propositio 3.

17 Auctoritas vnius viri grauis & docti præcisa ab aliis fundamentis sufficiens est ad faciendam opinionem probabilem in materia ab aliis doctoribus non agitata. Cuius probabilitas eò vsque tantùm durabit donec ab aliis multis æqualiter doctis vnanimi consensu contradicatur.

Ita fere sentit Gran. suprà, & docti Recentiores. Ratio prioris partis propositionis est, quam tradit Thom. Sanc. cum aliis *sup. num.* 7. quia auctoritas vnius Doctoris grauis & pij non est leue, sed graue fundamentum, puta quando multi æqualis authoritatis non contradicunt, vt in præsenti casu fit ; & ipse non obiter, & aliud agens, sed ex professo rem edisserens, suam sententiam pronunciauerit. Quo pacto doctrinam hanc limitant alij ex supra relatis. Secunda autem pars propositionis constat ex *propos.* 2. quia contradicentibus multis æqualis authoritatis, præcisa auctoritas vnius sine alio fundamento rei intrinseco parui momenti est ad faciendum obiectum probabile.

18 Et quoniam casus singulares, qui frequenter à Doctoribus deciduntur, hoc ipso, quòd sunt singulares, vt plurimum non sunt ab aliis examinati ; ideo in his auctoritas sola vnius viri docti absque alio omnino fundamento facit resolutionem probabilem, donec ea à multis paris doctrinæ vnanimiter contradicatur.

19 Ex dictis in hisce tribus propositionibus nonnulla consectariâ elicienda sunt. Sit primum. Idem obiectum decursu temporis ex improbabili posse reddi probabile, & vice versa. Possunt enim fundamenta idonea ad vtrumque, quæ antea latebant, studio hominum detegi, & euulgari. Tum in iis, quæ sunt iuris positiui quotidie adduntur nouæ leges, ac decreta, quæ cuncta immutant. Imo vero tempus ipsum, immutata materia, ius ipsum naturale, quodammodo variare solet ; qualiter ex variatione pretij rerum possunt obligationes, regulæque iustitiæ variari.

20 Hinc rursus fit, in suscipiendis opinionibus Scriptorum, eorum maxime, qui antiquiores sunt, magnum delectum habendum esse : quia sæpe potest euenire, vt opinio in libris scripta, quæ olim probabilis erat, iam reddita sit improbabilis ; vel quia decretum aliquod postea in ea materia editum est, vel quia aliud fundamentum, quod antiquiores non viderunt, est à iunioribus productum ; cum quo iam illorum opinio subsistere non potest. Ita Vasquez *supra numero.* 18. Thom. Sanch. *numero.* 11. Villal. *diff. 6. numero.* 1. Addit Layman. *numero 6.* referens Sanct. Thom. Nauar. Sylu. Sa. Vasquez & Th. Sanc. sententiam ab aliquibus inuentam, quam alij postea examinantes tanquam improbabilem communi calculo reiecerunt ob noua fundamenta adducta, improbabilem omnino censendam esse. Hâc de causâ pro seligendis opinionibus Neotericorum libris plurimum deferendum est, quando ij viri spectatæ sapientiæ, ac fidæ eruditionis sunt.

21 In quouis autem libro siue antiquiorum, siue iuniorum iis maximè fidendum est, quæ ex professo tractant auctores ; nam quæ obiter & perfunctoriè attinguntur, parum auctoritatis habent, vt ad faciendam opinionem probabilem conducere possint ; nisi in eo casu dumtaxat, vbi ob solum

lum fundamentum intrinsecum independenter ab auctoritate Doctoris sint probabilia.

22 Deinde ex dictis est inferendum opinionem singularis Doctoris, quæ non ita probabilis est, vt ab aliis tuto possit amplecti; neque respectu ipsius opinantis posse esse probabilem; in quo dissentio à P. Vasq. *suprà* relato: quia fundamentum, quod respectu aliorum leue censetur, etiam censendum est leue respectu opinantis. De quo plura sunt dicta à nobis *tract. de conscientia*.

23 Præterea ex dictis infertur, auctoritatem vnius Doctoris in iis casibus, in quibus valet ad faciendam opinionem probabilem, æque valere, siue materia, de qua agitur, sit iuris naturalis, siue diuini, siue humani: quia auctoritas vnius Doctoris in casibus dictis pro quauis harum materierum est fundamentum graue. Ita docent Th. Sanch. & Gran. contra Adrian. & Cordub. asserentes singularem Doctorem in materia tantùm iuris humani posse opinari probabiliter.

24 Rogabit aliquis ad extremum. Vtrum obiectum non solum fiat probabile ob authoritatem Doctorum, quando ipsi affirmant, id esse verum; sed etiam quando affirmant id esse probabile. Respondeo in tali casu ob auctoritatem Doctorum quoad probabilitatem tantùm fieri obiectum probabile, non quoad veritatem. Hæc tamen quasi reflexa probabilitas in ordine ad praxim moralem directæ æquialet, si spectetur, vt circunstantia actus humani; secus si vt ratio assentiendi respectu operantis, iuxta doctrinam fusè traditam *tract. de conscientia*.

QVÆSTIO III.

Quænam opinio probabilior censenda sit, & præferenda aliis?

25 SVppono primò posse obiectum aliquod probabile esse pro vtraque parte contradictionis; imo sæpissime sunt huiusmodi: quia habent pro vtraque parte fundamentum graue, quo ad opinandum prudenter intellectus hominum possit inniti. Sed dices. Fundamenta opposita qualia sunt, quæ extant pro ambabus contradictionis partibus, vicissim se debilitant, atque destruunt, adeo vt ne physice quidem possit intellectus assentiri, nisi illi parti dumtaxat, pro qua adest fundamentum excedens. Ergo impossibile est, vt adsit pro vtraq; parte contradictionis fundamentum sufficiens ad physicè assentiendum, nedum ad prudenter opinandum. Admisso toto antecedente, de quo *disput. seq.* nego consequentiam: quia vt sunt hominum intellectus diuersi, fundamentum, quod in conspectu oppositi nequit hunc intellectum mouere, alios multos mouere poterit ad assentiendum physicè; atque adeo etiam ad assentiendum prudenter, si illud non sit leue, sed graue. Addo quemcumque intellectum posse plerumque quoduis ex oppositis fundamentis sibi propositis augere, aut confirmare pro libito ad illud se inclinando maiore attentione, accuratiorique consideratione, vt *q. 1.* notabam. Quo fiet vt ei innitens iudicare physicè valeat; atque adeo etiam prudenter, seu probabiliter, quoties tale fundamentum ex se iudicio prudentum non fuerit leue.

26 Suppono secundò, posse obiectum aliquod esse probabile pro altera dumtaxat parte contradictionis. Quidquid recentiores aliqui contradicant aduersus communem sententiam, & experientiam, quam recte supponit Gasp. Hurt. *disput. de consc. diff. 15.* Quia potest pro altera tantùm contradictionis parte esse fundamentum graue sufficiens ad opinandum circa tale obiectum. Nec refert opinionem probabilem admittere secum formidinem, aut suspicionem prudentem partis aduersæ: nam ad prudenter formidandum, vel suspicandum minus requiritur, quàm ad opinandum prudenter; ac proinde fieri poterit, vt fundamentum alterius partis contradictionis leuius sit, quam vt opinionem probabilem valeat fundare: & sit idoneum ad fundandam prudentem suspicionem. Et certè passim accurrunt, si quis aduertat, opiniones non certæ, sed probabiles tantum circa alteram contradictionis partem; cum tamen circa residuam probabilis opinio non sit. Illud est certum in hac re, non posse pro vna parte contradictionis esse certitudinem obiectiuam, & pro altera probabilitatem: quia certitudo obiectiua ne ad formidandum quidem de opposito relinquit fundamentum prudens.

Ex dictis constat, posse etiam inueniri obiectum, 27
quod pro neutra parte contradictionis sit probabile, etiamsi habeat pro vtraque fundamentum aliquod sufficiens ad suspicandum, vel dubitandum. Et quod est pro vtraque parte probabile; aut æque probabile pro vtraque, aut probabilius pro alterâ posse esse. Vnde tandem colligitur posse dari opinionem falsam, quæ sit probabilis, & veram, quæ sit improbabilis, & quæ ex duabus contradictoriis probabilibus falsa est, eam posse probabiliorem esse, quàm, quæ est vera. His positis

Nauarr. *in sum. cap. 27. num. 189.* Thom. Sanch. 28
lib. 3. de matr. disp. 44. num. 2. Azor. *lib. 2. cap. 10. q. 2. & 4.* Villal. *in sum. tract. 1. diff. 4. n. 2.* & Ioan. Sanc. *disp. 44. n. 68.* quos refert & sequitur Palao *tract. 1. disp. 2. punct. 1.* docent opinionem probabiliorem eam esse, quæ firmiori, & efficaciori fundamento fulcitur: non, quæ à pluribus Doctoribus defenditur. Probant ex Text. *in l. 1. §. Neque. C. de veteri iure enucleando.* Ibi. *Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius est iudicari debet: Cum possit vnius forsan & deterioris sententia, & multos & maiores aliqua in parte superare.* Addit tamen Palao, regulariter loquendo, eam sententiam probabiliorem iudicandam esse, quæ à pluribus defenditur, & à doctioribus. Palaum sequuntur recentiores, qui addunt opinionis probabilitatem non crescere ex multitudine Doctorum, qui illius fundamenta non discusserunt; sed bona priorum fide eam sequuntur, vt sæpe accidit, teste Azor *cap. 16. quæst. 1.* Vasq. *disput. 62. num. 13.* Thom. Sanch. *in sum. lib. 1. cap. 9. num. 9.* Villal. *tract. 1. diff. 4. num. 16.* & Ioan. Sanch. *disp. 29. n. 7.*

Propositio 1.

Ea opinio magis probabilis censeri debet, quæ 29
grauiori nititur fundamento; siue illud sit intrinsecum, siue extrinsecum, siue conflatum ex vtroque.

Quoniam probabilis opinio est, quæ habet fundamentum graue iuxta definitionem: ergo probabilior erit, quæ grauius fundamentum habet. Fundamenta autem probabiliter opinandi non solum ex intrinsecis opinantis principiis, sed etiam ex auctoritate doctorum extrinseca desumitur, vt constat ex dictis *q. præced.* & fatentur omnes. Vnde non solum intrinseca, sed etiam extrinseca fundamenta debent attendi ad pensandam probabilitatem cuiusque opinionis.

50 Hinc si fundamenta intrinseca duarum opinionum sint paria, ea erit altera probabilior, quæ maiori Doctorum auctoritate fulcita sit; quantitas autem auctoritatis non solum iuxta multitudinem, sed etiam iuxta qualitatem auctorum est ponderanda. Pauci enim grauiores, atque doctiores viri maiorem præstant auctoritatem, quam plures minus docti, & qui rem ex instituto examinarunt, longe in auctoritate præcedunt eos, qui in aliorum fide procedunt. Tametsi & ij quoque suam portionem auctoritatis addunt, vel ex eo saltem, quod subscribentes aliis, eorum auctoritatem adaugent. Quo iure cùm doctus aliquis casum conscientiæ examinauit, atque resoluit: aliique, vt sæpe accidit, ducti auctoritate prioris, re prorsus inauditâ subscribunt; nonnihil conferunt nihilominus ad probabilitatem resolutionis; quatenus ea sua confidentia auctoritatem resoluentis confirmant. Itaque auctoritas multorum, cæteris paribus, semper maiorem facit probabilitatem opinionum: atque adeo illa magni facienda est, etiamsi plus fundamentis rei intrinsecis, quam extrinsecæ auctoritati sit deferendum, quando hæc duo inter se comparantur. Quæ autem opinio, pensatis omnibus, extrinsecis videlicet, & intrinsecis fundamentis, grauiori fundamento adæquato niti censenda sit, vt eo nomine probabilior dicatur, arbitrio prudentum relinquitur.

51 Illud tamen in vniuersum præscribi potest, opinionem communem vt plurimum singulari præferendam esse tanquam probabiliorem, vt rectè docet Azor *suprà cap. 13. & cap. 16. quæst. 4.* necnon Henr. & Villal. apud Palao *num. 11.* Quia auctoritas communis multum præponderat: nisi quando opinio singularis validissimo fundamento intrinseco nititur denuo reperto contra cõmunem. Dicitur autem communis opinio, quæ communi calculo eorum, qui de ea materia tractant, firmata est; sicuti in re Theologica, quæ communiter amplectitur à Theologis; in re legali, quæ communiter à Iurisperitis recepta est, &c. Oportet tamen, vt multitudo Doctorum faciat opinionem communem, quod omnes tractent eam rem ex professo, vt bene notarunt Menoch. Alciat. Nauarr. Azor & Ioann. Sanch. apud Palao *suprà num. 10.* Tum requiritur, vt ij Doctores non quasi ex necessitate contra reliquos eam opinionem sequantur, eo quod sunt vni cuidam Magistro addicti, qui illam docuit; quia sic singularem tantum opinionem eius Magistri confirmabunt, non verò facient opinionem communem, vt notauit Azor *suprà* cum Nauarr. Decio, Alex. & aliis. Potest autem opinio, quæ antiquitus fuit communis, quia à plerisque eius temporis amplexabatur, iam non esse communis inter Doctores alterius seculi. Tum quæ est communis in vna prouincia, potest esse in alia non communis. Vtrum autem, quando ambæ opiniones contradictoriæ pro se multos auctores habent, debeant ambæ communes appellari; vel tantum ea, quæ habet plures, quæstio erit de nomine. Certè si morem loquendi spectemus, quæcumque opinio multos habet pro se, communis dici solet, etsi pro opposita sint plures. Videatur Azor *cap. illo 13.*

52 Ex his rursus efficitur, cæteris paribus, ex parte intrinseci fundamenti, eo probabiliorem esse sententiam, quo antiquior est; imo vt nouiores sententiæ contra antiquarum auctoritatem præualere possint, longè firmiora intrinseca fundamenta debent habere, vt suppleatur à ratione, quod illis deest ab auctoritate. Vt vel hinc constet, quàm cautè sit contrauenièdum prisci Doctoribus in iis, quæ per longum tempus pacificè in scholis recepta sunt. Deinde eorum opiniones, qui magis ex professo rem tractant, probabiliores sunt reputandæ, vt imprimum, quam opiniones aliorum, ad quorum institutum non adeo res attinent. Quocirca, vt bene notat Azor *cap. 17. q. 3.* in re Theologica, & quæ ad conscientiæ forum pertinet, maxime si stetur intra ius naturale, opiniones Theologorum omnino sunt præferendæ sententiis Iurisconsultorum. E contra tamen in re spectante ad forum externum Iurisperiti Theologis anteponendi sunt. Cùm tamen in iis, quæ pertinent ad ius canonicum, parumque concernunt ius naturale, vt sunt censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ, non minus fortasse auctoritatis habeant Iuristæ, quàm Theologi.

Præterea quædam aliapræbet monita pro delectu 53
opinionum Azor *lib. 2. cap. 9. & seqq.* Primum, eam omnino sententiam contrà quoscumque Doctores præferendam esse, quæ vel expresse constat ex fide, vel ei maximè accedit, quod est certissimum: quia contra huiusmodi sententiam nihil potest esse probabile. Secundum, sententiam, quæ magis nititur sensu, & intelligentia legis & iuris, aut consuetudine, & vsu magis probatur, aliis anteponendam esse. Tertium, in odiosis benigniorem sententiam amplectendam, iuxta illam regulam iuris. *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Quartum: opinionem tutiorem vt plurimum anteferendam, cæteris paribus. Quintum. Si cætera sint paria, eam opinionem deligendam, quæ magis fauet Religioni, pietati, & iuri. Tum, quæ in causa matrimoniali plus fauet matrimonio, & in materia voti, iuramenti, & vltimæ voluntatis, quæ vouentibus, iurantibus, & testatoribus fauorabilior est. Ac denique, quæ viduis, pupillis, peregrinis, & aliis huiusmodi patrocinatur. Hæc latè, & eruditè multis exemplis illustrat Azor.

Propositio 2.

Ad pensandam probabilitatem cuiusque sententiæ oriundam ab auctoritate Doctorum, sedulo est animaduertendum, num talis sententia à Doctoribus absolutè, & ex animo, asseueranterque omnino; aut aliter prolata sit.

Sæpissimè enim vsu venit in rebus obscuris, vt 54
Doctores non omnino assertiuè, sed vacillanter, dubitatiuè, suspensiuè, disputatiuè, problematicè, per quamdã condescendẽtiam, aut ex hypothesi loquantur. Quibus in casibus eorum auctoritas non opinionem, sed suspicionem, formidinem, aut dubitationem probabilem circa rem propositam facit. Vniuersaliter enim, quoties verba Doctorum firmum iudicium non ostentant de obiecto proposito, sed tantum dubitationem, hæsitationem, suspicionem, aut formidinem circa illud, compertum est propter eorum auctoritatem tale obiectum non euadere absolutè probabile, hoc est, probabiliter iudicabile. Tametsi euadat tale, de quo prudenter, seu probabiliter dubitari, seu formidari, vel suspicari possit.

Ex quo patet, quàm cautè procedendum sit, 55
quamque fœdè, & periculosè multi errent in censendis probabilibus quibusque sententiis eo solum nomine, quod illæ à viris grauibus, & doctis, quoquo modo prolatæ sunt; cum tamen ad modum eas proferendi solerter imprimis sit attendendũ, vt tuto iudicari possit, num illæ propter talem auctoritatem probabiles absolutè sint habendæ, vel secus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Vtrum omnis opinio speculatiuè probabilis, practice quoque probabilis censenda sit?

36 SOlent frequenter Authores de rebus moralibus tractantes appellare opiniones aliquas speculatiuè tantum probabiles, quas tamen ad praxim docent minime deducendas, vtpote practicè improbabiles, aut minus tutas. Quo nomine multi Iurisperiti; vt testatur Ioan. Sanch. *in select. disp. 44. n. 63.* à praxi relegant opiniones Duareni, Cuiacij, Donelli, Antonij Fabri, & aliorum, quas tamen theoricè probabiles, aut etiam veras arbitrantur. Ipse verò Sanch. hunc morem loquendi vehementer reprobat *ibidem*, & *disp. 54. n. 11.* ratus, esse omnino imperceptibile, quod opinio aliqua sit speculatiuè probabilis, & in praxi tuto amplexari non possit: cùm probabilitas practica oriatur ab speculatiua, ab eaque solum differat, tanquam effectus à sua causa.

Propositio vnica.

37 Communis Auctorum loquutio in bono sensu vsurpata, quidquid reclamet Sanc. verissima est, & retinenda.

Quia sunt nonnullæ opiniones probabiles, quæ ratione materiæ ad praxim sine peccato difficillimè reduci possunt: quo fit, vt eas practicare tutum non sit; etiamsi illæ in se spectatæ non solum probabiles, sed verissimæ sint ac certissimæ: eo videlicet, quod actus humani, quos approbant dictæ opiniones, etsi secundum se spectati sint liciti, & honesti, moraliter tamen vix est possibile quod exequutioni mandentur, quin alij actus illiciti intermisceantur, aut ipsimet deprauentur aliqua circunstantia. Probabile est, actus quosdam habitos inter marem & fœminam non ob veneream delectationem, sed ob naturalem aliam, qualis ex tactu corporum leuium, læuiúmve inanimatorum accipi solet, non esse inhonestos, sed licitos; quia tamen moraliter saltem est impossibile, vt in huiusmodi tactibus delectatio venerea non misceatur; ideo in praxi vt periculosa reprobatur talis opinio. Probabile est virum nobilem licitè posse alium occidere, à quo per iniuriam susceptam alapam, si occisio fiat in conflictu, vel mox in fugâ, ex intentione depellendi iniuriam, siue non omnino amittendi honorem; sed quia vix est possibile, vt in eiusmodi occisione non misceatur affectus vindictæ, idcirco talis opinio iure reprobatur in praxi, tanquam periculosa nimis, aut practicè improbabilis.

38 Itaque opinio, quæ speculatiuè probabilis est, reducta ad praxim non potest non esse probabilis, si, qua ratione concipitur licitus actus per ipsam opinionem, eadem mandetur exequutioni. Quo sensu verum habet doctrina Sanch. Idem namque est fundamentum opinionis semper, siue eius obiectum perueniat ad exequutionem, siue non perueniat. Verum, quia sæpe est moraliter impossibile, vt actus fiat qualiter per opinionem putatur licitus, vt vidimus, ideo multæ opiniones dicuntur practicè improbabiles, siue non tutæ; quia propter periculum peccandi non licet in praxi illas amplecti, siue se eis tutari.

QVÆSTIO V.

Quousque liceat ex antecedente certo, aut probabili elicere conclusionem probabilem?

MOs satis frequens est Theologorum, dum probabiles aliorum sententias de falsitate conantur arguere, absurda aliqua contra fidem ex illis deducere, & quidem per illationes satis probabiles. Sic nostri Doctores in materia de auxilijs ex probabili Thomistarum doctrinâ inferunt satis probabiliter non esse in nobis libertatem, quod tamen est hæreticum, & omnino impossibile. Sic etiam in materia de Trinitate ex probabili Scotistarum sententia de distinctione ex naturâ rei inferunt reliqui probabiliter absurda varia contra fidem prorsus improbabilia, atque ita pariter passim in aliis materiis. Ex quibus casibus apertè constat posse ex antecedenti probabili per probabilem illationem inferri conclusionem improbabilem. Quod multi non animaduertentes monstrosas quasdam opiniones in rebus moralibus confingunt, easque vt probabiles venditant non sine magno morum dispendio, quod ex probatis Doctorum sententiis per probabilem illationem sibi decerptæ videantur: cum tamen illæ omni prorsus probabilitate destitutæ sint. Cæterùm, quia huiusmodi certissimæ veritatis causa, vel ratio à priori non obuia est, non absre fuerit in præsenti eam indagare: ex illáque certas regulas statuere, quibus in eruendis conclusionibus probabilibus ex alio quopiam antecedente tutò procedere possimus. 39

Suppono primò: propositionem obiectiuam, aut per se solum, aut per aliud solum, aut per se simul, & per aliud posse esse notam, seu noscibilem: quod si per aliud, aut per vnum tantum, aut per plura, vt latius *infrà suo loco* monstro, hinc sequitur propositionem per se solum notam ex solis terminis posse esse probabilem: quia non habet aliud fundamentum, vnde cognoscatur. Erit autem huiusmodi, quando termini ipsi eo vsque suam connexionem siue conuenientiam ostentent, vt censeantur graue fundamentum præbere ad iudicandum illam. Propositio verò per se simul & per aliud nota, cum habeat duplex fundamentum, aut propter vtrumlibet seorsim potest esse probabilis: quo casu propter vtrumque simul duplo probabilis erit; aut propter alterum ab altero seiunctum, sed non è conuerso; quo etiam casu magis erit probabilis propter vtrũque simul, aut denique propter neutrum seorsim, bene tamen propter vtrumque copulatim. Eodémque pacto res se potest habere in propositione per aliud tantum nota, quando hæc non per vnum quid solum, sed per plura cognoscibilis est: potest enim probabilis euadere propter quoduis eorum seorsim, vel propter aliquid, vel aliqua, sed non propter reliqua, vel propter nullum ab aliis seiunctum, sed bene propter omnia simul, vt ex dicendis apparebit. 40

Suppono secundò, id, quod iam tetigi *quæst. 2.* fundamentum ex se sufficiens ad faciendam propositionem probabilem ab oppositio fundamento sæpe insufficiens reddi; quia id, quod seorsim sumptum fundamentum graue videtur, vt prudens quisque de obiecto iudicare possit in conspectu oppositi adiuncti, vt leuius, & parui momenti, aut etiam nullius æstimatur, quod quidem duobus modis potest 41

accidere

accidere primò. Si per fundamentum oppositum altera pars contradictionis certa efficiatur. Secundò si efficiatur tantum probabilis : fieri enim posse vt pars vna contradictionis sit tantùm probabilis, cum altera sit improbabilis *q.* 3. dictum est.

41 Suppono tertio fundamentum vnicum illationis, qua intellectus humanus vnum ex alio quopiam inferre dicitur, connexionem esse antecedentis cum consequente ; propterea enim intellectus ex vno iudicato ad iudicandum aliud inducitur : quia videt primum cum secundo connexum esse. Illatio autem non est actus aliquis peculiaris nostri intellectus, sed denominatio quædam resultans ex iudiciis, quibus conflatur discursus noster : conclusio namque, siue consequens eatenus tantùm ex antecedente dicitur inferri, quatenus intellectus iudicans antecedens, iudicat simul, seu formaliter, seu virtualiter antecedens cum consequenti connexum esse (id est non posse esse sine illo) indéque inducitur ad iudicandum consequens. Hinc fit illationem eatenus dumtaxat vocari probabilem, aut improbabilem, aut euidentem, quatenus connexio antecedentis cum consequente, in qua ipsa fundatur, aut probabiliter, aut improbabiliter, aut euidenter percipitur ab inferente. Quamuis enim intellectus ad inferendum consequens non ex solo iudicio dictæ connexionis, sed ex iudicio etiam ipsius antecedentis moueatur : vtrumque enim est causa adæquata iudicij consequentis ; illatio tamen à solo iudicio connexionis, vtpote magis immediato, denominari solet talis, aut talis, atque ita licet iudicium antecedentis sit falsum, & improbabile ; si tamen ex suppositione antecedentis connexio eius cum consequente sit euidens, illatio euidens appellatur ; eius enim natura attenditur veluti hypotheticè, ex suppositione antecedentis.

42 Suppono quartò antecedens, vnde aliud quidpiam infertur, aut simplex posse esse, aut complexum ; simplex est, quod nullis partibus constat per se seorsim iudicabilibus ; complexum, quod constat partibus huiusmodi. Quod rursus duplex est. Alterum, cuius partes collectiuè solùm, & indiuisim conducunt ad inferendum consequens ; eo quod connexio, cui illatio nititur, partium collectioni indiuisibiliter conuenit, quin aliqua earum seorsim, & secundum se aliquid talis connexionis habeat cum consequenti. Hoc pacto præmissæ obiectiuæ syllogismi ad assensum consequentis conducunt, vtpote, quæ indiuisim sumptæ sunt connexæ cum consequente, non item sumptæ seorsim, siue distributiuè. Alterum antecedens complexum est, cuius partes diuisim, seu distributiuè conducunt ad inferendum consequens ; eo quod quælibet seorsim aliquam connexionem habet cum consequente. Hac ratione solent concurrere plura testimonia, plura indicia, plures coniecturæ, aliaque huiusmodi motiua ad faciendam fidem obiecti, quod ex illis tanquam ex quodam antecedente deducitur per illationem. Vocabo autem, distinctionis gratia, antecedens complexum prioris generis impartibile, posterioris verò partibile.

43 Suppono quintò, antecedens quoduis quoad duo posse esse certum, seu euidens, probabile, vel improbabile, nempe quoad suum esse, seu existere, & quoad sui connexionem cum consequente. Fieri autem potest, vt sit tale quoad primum, non item quoad secundum, vel vice versâ.

4 Suppono sextò, vt antecedens complexum seu improbabile, seu partibile quoad proprium esse sit probabile non satis esse, quod singulæ partes eius probabiles sint secundum se, sed oportere insuper, quod sit probabilis earumdem partium coniunctio, seu coexistentia. Fieri namque potest, vt omnes partes alicuius coniuncti seorsim spectatæ probabiles sint, & tamen coniunctum eorum sit improbabile, vt videre est in extremis contradictoriis, quæ passim seorsim sumpta probabilia cernuntur ; cum tamen eorum coniunctum manifestè sit improbabile : cuius ratio est, quia ad affirmandum, quòd existit quoduis dictorum extremorum seorsim, grauia suppetunt fundamenta ; cùm tamen ne leuissimum quidem possit suppetere ad affirmandum, quod ambo simul existunt : eo quod huiusmodi coexistentiam esse impossibilem euidentissimum est. Duo igitur requiruntur, vt antecedens complexum probabile sit, quoad existentiam, & quod omnes eius partes secundum se probabiles sint, & quod earum coexistentia sit etiam probabilis : coexistentia enim partium improbabilis esse potest, vt vidimus, etiamsi omnes partes seorsim existant probabiliter. Si verò alicuius partis existentia sit improbabilis, nequaquam potest esse probabilis existentia totius, siue omnium partium coexistentia, quantumuis reliquæ partes euidenter existant. Cuius ratio demonstrans est ; quia cum sit euidens non esse totum, vbi deest aliqua pars, hoc ipso quod non est probabilis existentia vnius partis, neutiquam potest esse probabilis existentia totius ; quare nequeunt esse fundamenta idonea ad iudicandum existere totum, vbi desunt ad iudicandum existere omnes partes eius. Vnde manifestè consequitur ad hoc, vt antecedens complexum quoad existentiam euidens sit, multò potiori iure requiri prædicta duo : nempe, & quod sit euidens coexistentia omnium partium, & quòd singulæ partes secundum se sint quoque euidentes quoad existentiam. Tantumdémque de certitudine dicendum est, sicut etiam de veritate.

Suppono septimò, bifariam posse consequens in- 45
ferri ex antecedente ; absolutè, scilicet, & conditionatè ; vt inferatur absolutè duo sunt ex parte antecedentis iudicanda absolutè, nempe existentia antecedentis, & connexio eius cum consequente, quouis enim horum duorum deficiente, siue non iudicato, nullatenus potest consequens inferri absolutè. Vnde apparet hæc duo ad iudicium absolutum consequentis indiuisim concurrere, neque alterum sine altero posse quidquam præstare ad tale iudicium concipiendum. Vt verò consequens conditionatè ex antecedente inferatur, vt summum connexio condionata huius cum illo est iudicanda. Existentia enim sat est ponatur in hypothesi, vt cùm dicimus ; *Si Sol luceret, dies esset.*

Suppono octauò : fundamenta, quæ faciunt cer- 46
tam, aut probabilem tum existentiam absolutam antecedentis, tum connexionem eius cum consequente, non posse non facere quoque certam, aut probabilem existentiam absolutam ipsius consequentis, cum sit euidentissimum non posse existere absolutè antecedens connexum cum consequente, quin absolutè existat consequens. Oportet tamen, vt id ita fiat, quando antecedens est impartibile, quod sit illud certum, aut probabile, non solum quoad omnes partes, ex quibus coalescit, seorsim sumptas, sed etiam quoad coexistentiam omnium earum. Tum vt sit certum aut probabile non solùm quoad existentiam propriam, & quoad connexionem cum consequente seorsim, & secundum se spectatas, sed quoad coniunctum ex vtraque indiuisim ; alioquin consequens vi antecedentis, certum

aut

aut probabile non euadet, , quantumuis aut partes antecedentis, aut existentia, & connexio eius seorsim sumptæ sint certæ, aut probabiles. Cuius ratio ex dictis in promptu est, quia vt sit certum, vel probabile consequens vi antecedentis, id ipsum ex quo illud infertur, debet esse certum aut probabile,non aliud quidpiam, vt notum est. Consequens autem,de quo agimus, non ex partibus antecedentis impartibilis, aut ex eius existentia, vel connexione sumptis seorsim, sed ex horum omnium aggregato infertur: id ergo totum collectiuè atque indiuisim certum, aut probabile debet esse, vt consequens euadat tale; nec satis est, vt sint certa, & probabilia seorsim singula,ex quibus coalescit eiusmodi aggregatum; vtpote ex quibus spectatis seorsim, siue diuisim nullatenus infertur consequens dictum.

47 Oportet tamen adnotare,hoc certitudinem à probabilitate differrre; quod probabilitas partium bene potest componi cum improbabilitate totius, vt cernitur in duobus contradictoriis probabilibus, quorum coniunctum est improbabile, prout *suprà num.* 44. dicebamus. At verò certitudo partium cum incertitudine totius componi non potest. Imo totum ex duabus partibus coalescens nequit esse improbabile, quando altera earum certa, & altera probabilis est. Bene tamen si ex pluribus probabilibus, quantumuis etiam ex aliqua, aut aliquibus certis constet. Demonstremus cuncta suo ordine, supponendo duo principia, quæ sæpe in superioribus statuimus. Primum quando vnum ex duobus extremis contradictionis est certum,alterum necessario esse improbabile, neque probabile esse posse, nedum etiam certum. Secundum quando vnum ex dictis extremis est probabile, alterum quoque probabile esse posse.

48 Vnde sic primò. Sint partes certæ seorsim A. B. Dico coexistentiam ambarum non posse esse incertam, hoc est, aut probabilem tantùm aut improbabilem, sed certam quoque esse debere. Si enim talis coexistentia posset esse probabilis; & eius defectus posset item esse probabilis, iuxta principium secundum. Sed non potest: ergo. Probo minorem. Quia nequit esse probabilis defectus coexistentiæ duarum dictarum partiũ,ni sit probabile aut vtramque, aut alteram determinatè, aut alterutram sub disiunctione deficere, vt constat. Sed nequit esse probabile aut vtramque, aut alteram determinatè deficere; quando certum est, vt supponitur,vnamquamque earum determinatè existere, seu non deficere. Ita enim fieret, vt ex duobus contradictoriis alterum certum,& alterum probabile esset contra principium primum, vt etiam constat. Nec potest esse probabile deficere alterutram sub disiunctione,quia cum sit certum, si quæ deficit, non esse A;quia certum est ipsum A existere, vt supponitur; relinquitur fore probabile deficere B.idemque contra principium primum absurdum sequitur; quandoquidem etiam est certum ipsum B. existere, vt supponitur. Stantibus igitur certis A. B. seorsim, nequit earum coexistentia esse tantum probabilis, quod erat primum demonstrandum. Ex quo satis apparet multo minus talem coexistentiam in tali casu posse esse improbabilem. Sed demonstratur id insuper eodem pacto. Quia si talis coexistentia posset esse improbabilis, eius defectus posset esse non solum probabilis, sed certus, fieretque iuxta argumentationem factam, vt ex duobus contradictoriis alterum certum, & alterum non iam solum probabile,sed certum quoque posset esse,quod magis adhuc repugnat principio primo. Concluditur ergo certitudinem partium cum incertitudine totius componi non posse. Sed quando omnes partes seorsim acceptæ sunt certæ, & totam eorum collectionẽ, seu coexistentiam certam esse debere.

Hinc ad secundum. Sit pars A certa, & pars B. 49
probabilis. Dico existentiam ambarum neutiquam posse esse improbabilem, sed probabilem esse debere. Nam si talis coexistentia posset esse improbabilis, eius defectus posset esse certus, iuxta principium primum. Sed non potest: ergo. Probo minorem. Quia si defectus talis coexistentiæ esset certus, certum esset aut vtramque, aut alteram dictarum partium determinatè, aut alterutram sub distinctione deficere. Sed nequit esse certum aut vtramque, aut alteram determinatè deficere,supposito,quòd altera certò,& altera probabiliter existit: quia sequeretur contra principium primum ex duobus extremis contradictionis alterum certum,& alterum, aut etiam certum,aut probabile esse, vt arguebamus in simili *num. præced.* Tum neque potest esse certum deficere alterutram sub disiunctione. Quia cum sit certum, si quæ deficit, non esse A, quia ponitur A certò existere, relinquitur fore certum deficere B. & sequitur idem absurdum cùm sit probabile, vt etiam ponitur ipsum B. existere. Stat igitur si pars A certa, & pars B. probabilis sit, vtriusque coexistentiam, seu totum coalescens ex vtraque præcisè, nequaquam posse esse improbabile, sed probabile esse debere.

Non sic res se habet, vt sæpe diximus, quando 50
ambæ partes totius seorsim sunt tantùm probabiles: tunc enim bene potest totum esse improbabile: Quo casu defectus eius, seu coexistentiæ partium poterit esse certus, quin aliquod sequatur absurdum. Quia vt talis defectus sit certus, sat est quod sit certum deficere alterutram partium sub disiunctione. Quod autem sit certum alterutram sub disiunctione deficere, non potest facere, quod sit certum alteram defi cere determinatè,quando de neutra determinate est certum existere, vti euenit in præsenti: quo nulli absurdo locus datur; sicuti in præcedentibus casibus. Id quod in duobus contradictoriis seorsim probabilibus cernitur, quorum alterutrum sub disiunctione deficere certissimum est.

Quod si coniunctum ex duabus partibus seorsim 51
probabilibus potest improbabile esse quoties duæ partes cuiusuis totius sumptæ seorsim fuerint probabiles, quantumuis alia, vel aliæ in eodem toto sint certæ, integrum totum poterit improbabile esse. Quod erat vltimum demonstrandum. Quoniam coniunctum ex illis duabus partibus probabilibus, quod est pars quædam maior talis totius, improbabile poterit esse: quo casu totum, quoque improbabile erit. Siquidem nequit non esse improbabile totum, cuius aliqua pars est improbabilis, vt *suprà num.* 44. statutum est. Id quod etiam perspicuè apparet, si coniuncto improbabili duorum contradictoriorum seorsim probabilium aliquam, aut aliquas partes certas adiungas: totum enim, seu aggregatum ex his omnibus resultans indiuisim acceptum manifestè est impossibile, atque adeo improbabile, hoc ipso quod coniunctum ex duplici contradictorio inclusum in illo impossibile manifestè, subindeque improbabile est.

Præterea oportet adnotare, quando antecedens 5.
est partibile,vt consequens euadat certum aut probabile, sat esse, quod aliqua pars eius sit certa, aut probabilis: quia cùm quælibet seorsim conducat

ad

ad inferendum consequens, certitudo, aut probabilitas cuiuslibet sufficit ad faciendum consequens certum, aut probabile: dummodo coniunctum ex existentia talis partis, & ex connexione eius cum consequeute certum sit, au probabile, hoc enim semper est necessarium; quia existentia antecedentis, & eius connexio cum consequente semper concurrunt collectiuè ad inferendum consequens, nec diuisiuè possunt concurrere. Addo tamen certitudinem, aut probabilitatem consequentis oriundam ab integro antecedẽte partibili maiorem esse, quàm oriundam à singulis partibus seorsim. Quia licet antecedens partibile non sit certius quoad existentiam, quo plures partes habet, eo quòd existentia rerum, sicut & essentia non suscipit magis, & minus, quoad connexionem termini cum consequente certius euadet, quo plures partes habet, quia connexio totius eo firmior, & maior est, eoque manifestius se prodit, quo plures sunt connexiones partium, ex quibus coalescit: ob id enim, quo plura ad idem testandum testimonia concurrunt, eo difficilius est ea esse fallacia, eoque subinde certius ea vera esse. Vnde rursus efficitur fieri posse, & sæpe de facto contingere, vt nulla pars antecedentis partibilis seorsim accepta sit certa, aut probabilis quoad connexionem cum consequente, & tamen aggregatum omnium certum aut probabile sit; certumque proinde, ac probabile faciat consequens ipsum. Passim enim videmus plura testimonia, aut plura indicia simul accepta fidem obiecti facere, illud reddendo probabile, aut etiam moraliter certum, quod non valebant præstare singula seorsim sumpta.

53 Hæc dicta de consequente absoluto. De conditionato dico vno verbo. Vt illud certum sit, aut probabile, sat esse, si connexio antecedentis cum illo certa, aut probabilis appareat, quodcumque demum sit tale antecedens; ipsum enim antecedens quoad existentiam, nec certum, nec probabile debet esse: quia ad inferendum consequens conditionatum opus non est quod antecedens iudicetur, sed tantum quod supponatur in hypothesi; id quod cuilibet conceptui obiectiuo quantumuis carenti fundamento, imo & quantumuis manifestè impossibili potest competere, vt notum est. Itaque vt sit certum conditionatè vi illationis extiturum calorem, si ignis extiterit, sat est quod ignis secundum se certo appareat cum calore connexus, quantumuis sit improbabile, aut etiam impossibile extiturum ignem.

54 Suppono nonò quoties antecedens, aut eius connexio cum consequente, aut coniunctum ex his duobus improbabile est, non posse non ipsum consequens euadere improbabile, quantum est ex vi illationis ex tali antecedente: quia ex fundamento improbabili non potest aliquod obiectum euadere probabile, vt est notissimum: antecedens autem cũ suâ connexione fundamentum immediatum est consequentis, vt liquet ex dictis. Tum fundamenta, quæ proximè non valent facere probabile antecedens cum sua connexione, minus valebunt remotè facere probabile consequens, vt etiam notum est. Dixi verò, quantum est ex vi illationis ex tali antecedenti, quia in hac quæstione tantum est sermo de probabilitate, aut euidentia consequentis oriunda vi illationis ex antecedente. Quidquid sit de euidentia, aut probabilitate, quam forsan aliquando ipsum consequens habebit ab aliis fundamentis.

55 Suppono decimò. Ex contradictorio consequentis eodem omnino modo sequi contradictorium antecedentis, atque ex antecedente sequitur consequens: quia, qua ratione antecedens connectitur cum consequente, eadem prorsus negatio consequentis cum negatione antecedentis connexa est. Vnde, si consequens infertur ex antecedenti, euidenter ex contradictorio consequentis infertur etiam euidenter contradictorium antecedentis, paritérque si probabiliter, aut improbabiliter.

Ex his certissimis principiis facile erit præsen- 56
tem quæstionem resoluere demonstratiuè, quoad omnes casus in ea contentos. Agetur autem in primis de consequente conditionato. Deinde de absoluto illato ex antecedente tum impartibili, tum partibili. In præsenti autem quidquid diximus, aut dicemus de certitudine, pariter de euidentia est intelligendum, & è conuerso; quia de vtraque est idem, quod ad rem attinet. Certitudinem autem, aut euidentiam vniuersaliter accipimus, prout moralem, physicam, & metaphysicam comprehendit.

Propositio 1.

Ex quouis omnino antecedente apprehenso in 57
hypothesi per euidentem illationem consequens conditionatum euidens infertur, probabile autem per probabilem, & improbabile per improbabilem.

Ratio ex dictis est clara: quia data hypothesi, quod existat antecedens connexum cum consequente, manifestum est non posse non existere consequens: ergo quoties tali hypothesi facta connexio antecedentis cum consequente euidens, aut probabilis est, non potest non euadere euidens, aut probabilis existentia hypothetica ipsius consequentis, iuxta dicta *num. 53*. Quæ quidem existentia è contra improbabilis erit, quantum est ex vi illationis, iuxta doctrinam suppositionis 9. quando improbabilis fuerit dicta connexio, vtpotè, quæ sola integra ratio, seu fundamentum est suprà hypothesim inferendi consequens dictum, vt etiam constat ex dictis *eodem num. 53*.

Propositio 2.

Ex antecedente improbabili, si sit impartibile, 58
consequens probabile inferri nequit, quantumuis illatio sit euidens.

Sermo est iam in hac & consequentibus propositionibus de consequente absoluto absolutè illato ex antecedente. Probatur autem facile propositio ex principiis iactis: quia quoties antecedens est improbabile quoad existentiam, quantumuis illud sit euidens quoad connexionem cum consequente, in qua illatio nititur, nequibit non esse improbabile coniunctum ex ipsa existentia, & connexione, iuxta doctrinam suppositionis 6. Sed quod infert consequens absolutum non est existentia antecedentis, aut eius connexio cum ipso consequente seorsim, sed coniunctum ex vtraque indiuisim, iuxta suppositionem 8. ergo quoties ob improbabilitatem existentiæ antecedentis, tale coniunctum est improbabile, non potest non consequens item improbabile euadere, iuxta suppositionem 9.

Quo eodem argumento monstratur, quoties il- 59
latio est improbabilis, quantumuis antecedens sit euidens, non posse non consequens itidem euadere improbabile.

Quod si ex antecedente improbabili per euiden- 60
tem illationem, aut ex antecedente euidente per illationem

illationem improbabilem non potest non euadere consequens improbabile, à fortiori non poterit non euadere tale ex antecedente improbabili per illationem probabilem, vel improbabilem, & ex antecedente probabili per illationem improbabilem.

61 Quoniam autem antecedens improbabile, quando est complexum, improbabile potest esse, quantumuis omnes eius partes seorsim sumptæ sint probabiles, vt verè possunt esse iuxta doctrinam *suppositionis 6.* apertè ex præsenti propositione sequitur fieri posse, vt conclusio euidenter illata ex pluribus opinionibus probabilibus improbabilis prorsus euadat: quod fiet quando ex illis indiuisim sumptis infertur, & earum collatio sumpta indiuisim est improbabilis; tametsi singulæ seorsim probabiles sint. Hoc pacto ex opinione Scotica de distinctione formali ex natura rei, & ex alia satis communi, quæ probabiles sunt, euidenter infertur conclusio hæretica, & consequenter improbabilis. Scotistæ enim asserunt diuina attributa inter se, & ab essentia Dei distingui formaliter ex natura rei. Reliqui Theologi asseuerant, quamlibet veram distinctionem à nostro intellectu non dependentem non posse non facere pluralitatem simpliciter realem. Ex quibus duabus probabilibus assertionibus collectiuè sumptis manifestè sequitur in Deo præter personarum pluralitatem, aliam pluralitatem esse simpliciter realem. Quod est hæreticum. Passimque huiusmodi exempla in scientiis humanis occurrunt.

62 Agimus autè in casu propositionis de antecedente impartibili, siue incõplexo, siue cõplexo. Quia quãdo est complexum partibile, etsi illud collectiuè sumptum sit quoad existentiam improbabile, bene poterit consequens ex illo illatum probabile euadere, si aliqua pars eius probabilis sit; eo quod partes huiusmodi, antecedentis non collectiuè, sed diuisiuè concurrunt ad inferendum consequens; vnitisque subinde probabilitas ad consequentis probabilitatem potest sufficere, iuxta dicta *n.* 52.

Propositio 3.

63 Ex antecedente certo, seu euidenti tam partibili quam impartibili per euidẽtem illationẽ non potest non semper inferri consequens euidens, seu certum.

Hæc propositio vel ex ipsis terminis est nota; quia quoties est certum antecedens existere, & illud cum consequenti connecti, ex se apparet, non posse non etiam cõsequens certum euadere. Sed insuper probari potest: quia quoties coniunctum ex existentia antecedentis, & ex eius cõnexione cum consequente euidens est, non potest non ipsum consequens euidens esse, iuxta doctrinam statutam *suppo.* 8. Sed quoties partes coniuncti sunt certæ aut euidentes, non potest non esse certum, aut euidens coniunctum, iuxta ibidem adnotata *n.* 48. ergo quoties antecedens quoad existentiam est certum, atque etiam quoad connexionem cum consequente, non potest non consequens ipsum certum euadere.

Propositio 4.

64 Ex antecedenti probabili tam partibili, quàm impartibili per probabilem illationem, aut improbabile consequens, aut probabile inferri potest; de factoque infertur sæpe sæpius.

Demonstratur ex fundamentis suprà iactis: quia fieri potest, vt tam existentia antecedentis, quam eius connexio cum consequente seorsim sumptæ sint probabiles, & nihilominus coniunctum ex vtraque sit improbabile, iuxta doctrinam *suppositionis 6.* Sed quando tale coniunctum est improbabile non potest non consequens ex illo euadere improbabile iuxta doctrinam *suppositionis 9.* ergo. Deinde fieri potest, vt non solum existentia antecedentis, & eius connexio cum consequente seorsim probabiles sint, verum etiam coniunctum ex vtraque, vt constat, (quippe probabilitas partium non aduersatur probabilitati totius, tametsi eam necessario non inferat) sed quando coniunctum ex existentia antecedentis, & connexione eius cum consequente est probabile, non potest non euadere probabile consequens, iuxta doctrinam *suppositionis 8.* ergo. Vnde patet quando ex antecedente probabili per probabilem illationem consequens inferatur probabile; & quando non item, sed improbabile. Etenim ex prædeterminatione Thomistica, cuius existentia est probabilis per probabilem illationem infertur negatio nostræ libertatis, quæ negatio est improbabilis; quia quamuis existentia prædeterminationis, & connexio eius cum negatione libertatis seorsim sumptæ sint probabiles, coniunctum tamen earum prorsus improbabile est. E contra verò sæpissimè accidit in scientiis humanis, vt ex antecedente probabili per probabilem illationem euadat consequens probabile: quia non solum existentia antecedentis, & eius connexio cum consequente seorsim, sed coniunctum ex vtraque probabile est. Adde, etsi huiusmodi coniunctum aliàs esset probabile, ab oppositio fundamento superueniente improbabile reddi posse, iuxta *suppositionem 2.* quo casu consequens ex illo deductum reddetur pariter improbabile. Sed hoc commune est omni obiecto, quod à fundamentis superuenientibus ex probabili redditur improbabile.

65 Et quoniam antecedens partibile quoad sui connexionem cum consequente, bene potest esse probabile, etsi omnes eius partes seorsim quoad talem connexionem sint improbabiles, iuxta doctrinam statutam *n.* 52. Sequitur planè etsi omnes partes talis antecedentis sumptæ seorsim quoad connexionem cum consequente improbabiles sint; posse nihilominus consequens ex integro antecedente illatum probabile euadere.

66 Verùm contra propositionem nostram potest opponi. Ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis: ergo quando contradictorium consequentis est certum, contradictorium antecedentis est quoque certum, atque adeo ipsum antecedens nequit esse probabile: ergo nunquam ex antecedente probabili potest inferri consequens improbabile, cuius contradictorum sit certum. Distinguo antecedens; ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis eo modo, quo ex antecedente sequitur consequens, concedo: aliter nego; & nego vtramque consequentiam: recole decimam suppositionem *n.* 55. Cùm igitur in casu propositionis ex antecedente probabili sequatur probabiliter consequens, ex contradictorio consequentis sequetur tantùm probabiliter contradictorium antecedentis; atque ita quantumuis sit certum contradictorium consequentis, contradictorium antecedentis erit tantùm probabile, vtpote illatum ex illo tantùm probabiliter, iuxta doctrinam propositionis sequentis. Quo supereſt locus, vt antecedens sit probabile, vti in casu propositionis supponitur.

Propositio 5.

67 Ex antecedente certo, vel euidente, quodcumq; illud sit, per probabilem illationem consequens probabile inferri potest. Improbabile verò minimè, sicut neque certum, vel euidens.

Prima pars propositionis constat ex præcedente. Nam si per illationem probabilem potest consequens probabile inferri ex antecedente probabili, multo melius inferri poterit ex euidenti, aut certo: & ratio est, quia quando existentia antecedentis est certa, & eius connexio cum consequente probabilis, coniunctum ex vtraque bene potest esse probabile, iuxta doctrinam præmissam *n.* 49. quoties autem coniunctum ex existentia antecedentis, & connexione eius cum consequente probabile est, consequens euadit probabile, iuxta *suppositionem* 8.

68 Secunda pars propositionis à priori ostenditur: quia vt vidimus dict. n. 49. coniunctum ex duabus partibus, quarum altera certa, & altera probabilis est, nequit esse improbabile, sed probabile debet esse. Igitur quando existentia antecedentis est certa, & eius connnexio cum consequenti probabilis, vt in nostro casu, nequit coniunctum ex vtraque non esse probabile; & consequenter consequens ex tali coniuncto non potest euadere improbabile, iuxta doctrinam *suppositionis* 8. sed demonstramus insuper eamdem propositionis partem pulchra demonstratione. Si consequens possit esse improbabile, in casu posito contradictorium consequentis poterit esse certum: sed repugnat in casu posito contradictorium consequentis esse certum: ergo & repugnat consequens esse improbabile. Maior est notissima, & consequentia necessaria: probo minorem. Certissimum est tria hæc simul coniungi non posse, nempe quod existat antecedens, & quod illud sit verè connexum cum consequente, & quod consequens non existat, seu quod existat eius contradictorium: igitur quoties fuerit certum duo horum existere, certum quoque erit tertium deesse: est clarum, quia quoties certo constat duo aliqua, vel plura esse incompatibilia ex positione certa vnius extremi arguitur citra omne dubium defectus alterius. Sed in casu propositionis existentia antecedentis est certa: ergo si ponatur etiam certa existentia contradictorij consequentis, non poterit non esse certus defectus connexionis antecedentis cum consequenti, atque adeo talis connexio non poterit esse probabilis, subindeque neque illatio fundata in illa contra suppositionem casus. Stante igitur antecedente certo, & illatione probabili, vti supponitur in casu, repugnat prorsus, quod sit certum contradictorium consequentis, atque adeo & quod ipsum consequens sit improbabile, quod erat demonstrandum.

69 Iam verò tertia pars propositionis conspicua est: quia nisi coniunctum ex existentia antecedentis, & ex connexione eius cum consequente sit certum, consequens nequit certum euadere, iuxta doctrinam *suppositionis* 8. tale autem coniunctum in casu propositionis certum non est, iuxta dicta n. 44. eo quod altera pars eius certa non est, sed tantùm probabilis.

Propositio 6.

70 Ex antecedente probabili, quodcunque illud sit, per euidentem illationem consequens probabile inferri potest. Improbabile non item, sicut neque euidens.

Prima propositionis pars ex *propositione* 4. etiam est nota: quia si ex antecedente probabili consequens probabile potest deduci per probabilem illationem, multo melius poterit per euidentem. Pro quo eadem ratio militat, quam adduximus pro prima parte propositionis præcedentis. Secunda etiam pars huius proinde ac secunda præcedentis demonstranda venit. Tum quia coniunctum ex existentia probabili antecedentis, & ex connexione euidente eius cum consequente nequit euadere improbabile, vt caueat consequens improbabile. Tum quia in præsenti casu æquè, ac in præcedente, non potest contradictorium consequentis certum esse, quin antecedens sit improbabile contra suppositionem casus, prout ibi argumentati sumus; & consequens nequit esse improbabile, nisi cum ipso sit compatibilis certitudo contradictorij. Iam tertia pars huius propositionis perinde etiam, ac tertia præcedentis probanda est.

Ex quibus patet discrimen inter casum *propositionis* 4. & casus 5. & 6. nam in his ex eo quod ponatur certum contradictorium conclusionis, destruitur casus, vt vidimus, in illo verò non item; quia in illo posita certitudine contradictorij consequentis, cum tam existentia antecedentis, quam eius connexio cum consequente maneant incerta, neutrius eorum determinatè deducitur certus defectus, sed alterutrius tantùm sub disiunctione, cum quo componitur optimè, vt vtrumque maneat probabile, sicut cum necessario defectu alterutrius ex duobus contradictoriis componitur optimè probabilitas vtriusque. Etenim cum certò constet, vt dicebamus existentiam antecedentis, & connexionem eius cum consequente, & contradictorium consequentis simul cenſistere non posse, quando duo horum ponuntur certa, non potest non esse certus determinatè defectus residui: quando verò vnum tantum ponitur certum, alterutrius residuorum sub disiunctione erit certus defectus: quo locus supererit, vt ambo permaneant probabilia determinatè. Vnde obiter colligo non posse eumdem intellectum iudicare existere antecedens, & connexionem eius cum consequente, & iudicare simul non existere consequens, quia euidens est tria hæc simul cohærere non posse. Ex quo rursus infertur virum Catholicum, qui certo tenet in nobis esse libertatem, ne probabiliter quidem posse iudicare simul dari in nobis physicam prædeterminationem, & eam libertati aduersari; etiamsi vtrumque seorsim probabile sit, à quolibetque subinde intellectu seorsim iudicabile: quemadmodum sæpe etiam duo contradictoria seorsim probabilia, atque iudicabilia sunt, & tamen vtrique simul nemo assentiri potest. 71

Ex dictis colligitur consentaneè ad ea, quæ inferebamus *numer.* 65. etsi omnes partes antecedentis partibilis quoad connexionem cum consequente, seorsim sint incertæ, aut etiam improbabiles, posse totum antecedens quoad connexionem esse euidens; atque adeo consequens posse euadere probabile, aut etiam euidens, si sit euidens tale antecedens etiam quoad existentiam. 72

Liquet igitur ex dictis in tota quæstione, quando ex antecedente certo, aut probabili fas sit inferre cancluſionem probabilem; & quando non item. Sed solum restat adnotandum, quæcunque de probabilitate sunt dicta, æquè esse vera, siue probabi- 73

litas

litas oriatur ex fundamentis rei intrinsecis : siue ex extrinseca Doctorum auctoritate, quia de vtraque probabilitate est eadem impræsentiarum ratio.

74 Multa hic sequebantur dicenda de vsu opinionum probabilium in ordine ad mores : quæ tamen & aliena sunt à præsenti instituto, & à principiis ab ipso quoque alienis dependent. Ob id ea nunc prætermitto, videnda in nostro opusculo *de Conscientia*. Vbi de illis fusè.

DISPVTATIO VII.

De dependentia à voluntate intellectionis humanæ.

1 NOn potest hæc disputatio præmitti : conducit enim non parum ad institutum præsentis operis bene noscere, quo pacto intellectus in suis actibus imperio voluntatis subditus sit.

QVÆSTIO I.

Qua ratione intellectus in suis actibus eliciendis subdatur dominio voluntatis?

2 PRo exacta huius quæstionis resolutione nonnullæ imprimis hypotheses præmittendæ sunt.

Hypothesis 1.

3 Nullus est actus voluntatis, qui ab aliqua intellectione non pendeat. Intellectio autem ad actum voluntatis non effectiuè, sed illuminatiuè concurrit.

Prima pars apud omnes est in confesso, iuxta illud axioma satis vulgatum. *Nihil volitum, quin præcognitum.* Et constat manifesta experientia. Apertè enim experimur nihil nos posse velle, aut nolle, quod prius non cognoscamus. Ratione autem potest probari. Primò, quia voluntas per affectum non potest ferri intentionaliter nisi in obiectum sibi intentionaliter præsens, quemadmodum agens physicum, nisi in passum sibi physicè præsens nullatenus suam actionem potest inducere. Sed nequit voluntas facere sibi præsens obiectum, cum potius in illud feratur, quàm illud ad se trahat suapte natura : ergo debet illi fieri præsens per intellectum, cuius muneris est obiectum repræsentare, & trahere. Indiget igitur voluntas intellectione obiecti præuia, vt circa illud per affectum possit versari. Secundò, quia voluntas, nisi mota ab obiecto, in suos actus prodire nequit. Ab obiecto autem moueri nequit, nisi media ipsius cognitione. Cum ab illo non quidem physicè; sed intentionaliter, atque adeo quasi moraliter moueatur. Ob id enim bonum, & malum non provt physicè existentia, sed prout intentionaliter præsentia, seu apparentia obiecta motiua sunt voluntatis. Et quidem esse possibilem potentiam cæcam, quæ sine alterius ductamine nequeat suis actibus incedere, plusquam euidens est. Talem autem esse voluntatem cum intellectu comparatam nemini est dubium. In quo proinde amplius non oportet morari.

Secunda autem pars hypothesis non adeo est certa. Nam licet eam plerique teneant, vt sunt Scot. *in 2. dist. 25. q. 1.* Capreol. *ibid. q. 1.* Ferrar. *lib. 1. contra Gent. cap. 44.* Vasq. *1. 2. disp. 36. cap. 3.* Soar. *ibi. disp. 6. sect. 6.* Mont. *disp. 13. q. 4.* Gasp. Hurt. *disp. 3. de actib. diff. 9.* Petr. Hurt. *disp. 14. de anim. sect. 6.* Arriag. *disp. 7. de anim. n. 50. & 55.* & alij Recentiores communiter. Oppositum tamen tenet Salas *1. 2. tractat. 1. disputat. 5. section. 3.* cum Greg. Gab. Ocha. Caiet. Conr. & aliis à se, & pro se relatis. 4

Probatur tamen nihilominus primò : quia non sunt multiplicãdæ rerum virtutes, & influxus absq; necessitate aliqua, aut congruentia, seu vtilitate. Sed nulla est necessitas, neque congruentia, aut vtilitas tribuendi nostris intellectionibus virtutem effectiuam, influxumque in actus nostræ voluntatis : ergo talis virtus, & influxus neganda sunt. Secundò : quia potius sunt multæ congruentiæ ad asserendum nostram intellectionem aliter, quàm effectiuè concurrere ; nimirum illuminando voluntatem, & quasi ostendendo ei viam, per quam ambulet, & proponendo obiectum, in quod tendat. Primum enim hic modus concurrendi nullibi in natura rerum reperitur, præterquam in cognitione respectu actus potentiæ appetentis : congruum autem est vt natura hoc genere cõducentiæ non sit orbata. Accedit analogia cum rebus moralibus, seu humanis, quam res physicæ, vt implurimum seruare solent. In illis enim hoc genus cõcurrendi reperitur, vt patet, dum vnus homo consilio, præcepto, exhortatione, aut ductu alium hominem iuuare solet ad aliquid patrandum. Deinde natura voluntatis ea est, vt per modum cuiusdam ponderis in suum obiectum feratur medio suo effectu. Ergo sicut physicum pondus absq; effectiuo concursu alterius causæ particularis fertur in centrum ; ita expedire videtur, vt voluntas absque effectiuo concursu cognitionis se demittat in obiectum. Præterea cognitio approximatio quædam est intentionalis, qua obiectum, tanquam materia approximatur voluntati, tanquam efficienti. Ergo quemadmodũ approximatio physica & localis subiecti, & efficientis congruentissimè ab omnibus ponitur vt conditio, non verò vt principium effectus. Sic pariter de cognitione philosophandum est. Et quidem nihil aptius inter conditiones causandi, non verò inter causas censetur, quam id, quod per modum approximationis qualibet ratione se habet. Denique certum est apud omnes obiectum cognitum ad actus etiam voluntatis concurrere, non quidem physicè efficiendo, cum sæpe illud physicè non existat, sed intentionaliter mouendo media sui cognitione. Igitur neque cognitio physicè efficiendo concurrit, sed tantùm illuminando, dirigendo, seu proponendo obiectum, in quod voluntas per suum actum à se sola causatum physicè mouenda est. Postremò si cognitio physicè influeret in actum voluntatis, quoties variaretur cognitio, penes maiorem, aut minorem obiecti expressionem, aut aliter, & ipse quoque actus voluntatis, & eius actio variaretur. Hoc autem falsum censendum est : tum quia sine necessitate non sunt tot actus, aut actiones multiplicandæ : tum quia talis multiplicatio aliena ab experientia videtur. Mitto alias rationes, quibus Vasq. probat assumptum : quia mihi inefficaces sunt. 5

Sed obiiciunt aduersarij primò Aristot. *lib. 3. de anim. text. 55.* Vbi asserit primum mouens 6

immotum esse ipsum amabile, mouens autem motum esse appetitum: ergo sentit cognitionem, aut obiectum cognitum efficienter mouere voluntatem; sicuti ipsa voluntas efficienter mouet se ipsam. Nego consequentiam: quia ad veritatem verborum Philosophi satis est motio intentionalis, qua obiectum repræsentatum dicitur voluntatem mouere, quatenus eam allicit: & inuitat ad eliciendum actum. Præterquam quod Arist. non de cognitione, sed de obiecto dumtaxat loquitur, de quo certum est apud omnes non mouere physicè voluntatem, sed intentionaliter tantum.

7 Secundò opponunt August. qui passim in *lib. de Trinit.* Sed potissimum *lib.* 15. *cap.* 25. & 26. docet, amorem procedere à scientia, & notitia. Quo etiam modo loquendi vtuntur Bern. *lib. de interiori domo cap.* 68. & Richard de S. Vict. *tract. de contemp. mundi part.* 1. *cap.* 20. Ergo ex sententia horum Patrum notitia, seu cognitio ad amorem efficienter concurrit. Nego consequentiam: quia Patres prædicti tantùm denotant, cognitionem aliquo pacto concurrere ad existentiam amoris. Quod verum est, vt constat ex dictis.

8 Tertiò obiiciunt. Affectus voluntatis quoad specificationem habet aliquam causam efficientem, cum verè sit effectus quidam: sed non aliam, quam intellectum, siue eius cognitionem, à qua determinatur voluntas, quoad specificationem sui actus, vt docet S. Th. 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 1. Ergo: Respondeo, affectum voluntatis ab ipsa, & ab obiecto specificari, aut etiam à modo tendendi sibi proprio. Cognitionem autem eatenus determinare voluntatem ad hanc speciem actus, potius, quam aliam, quatenus ei hoc proponit obiectum, potius quam aliud, aut hoc potius, quam alio modo proponit. Quod tantum voluit S. Th. loco citato. Et quidem à nobis S. Th. stare apertè cernitur in loco ipso relato; clare tamen 1 *part. q.* 27. *art.* 4. & *q.* 82. *art.* 4. & *quæst.* 22. *de verit. art.* 12.

9 Quartò obiiciunt. Intellectio inducit, & inclinat voluntatem ad affectum. Ergo causat efficienter affectum. Concesso antecedente, distinguo consequens. Efficienter moraliter admitto: physicè nego.

10 Quintò, Verbum diuinum est principium productiuum amoris notionalis, siue Spiritus sancti. Ergo etiam verbum nostrum creatum, siue cognitio erit principium actiuum affectus voluntatis. Concesso antecedente, nego consequentiam. Quia Verbum diuinum vtpote eiusdem naturæ & essentiæ cum Patre, habet etiam eamdem virtutem productiuam amoris notionalis, quam habet pater. At verbum creatum, sicut non participat eamdem naturam, quam habet intelligens, à quo profertur, ita neque habet virtutem amoris, quam habet ipse intelligens per voluntatem. Aliaque multa sunt discrimina de quibus alibi.

11 Sextò denique obiicitur. Intellectus iuuatur alio comprincipio efficiente, nimirum specie impressa ad eliciendam intellectionem. Ergo & voluntas pariter iuuanda erit cognitione, vt principio efficiente. Concesso antecedente, nego consequentiam. Quoniam ad tribuendum concursum effectiuum speciei impressæ comparatione cognitionis, aliæ sunt coniecturæ, & congruentiæ, quæ in cognitione non reperiuntur, quasque tetigimus *suprà disp.* 1. *quæst.* 2. *num.* 204. Eæ autem congruentiæ, ob quas efficientiam cognitioni negamus, non inueniuntur in specie: quia species neque est illuminatio formalis potentiæ ad cuius actum concurrit; neque est propositio obiecti; neque approximatio eius intentionalis. Neque intellectus se gerit vt pondus, sicut voluntas, sed potius vt concipiens, quo iure semine obiecti, qualis est species, eget ad concipiendum suos cõceptus; proprium est autem seminis concurrere effectiuè ad fœtum. Ex quibus patet iure optimo cognitioni efficientiam negari in affectum voluntatis, quæ conceditur speciei impressæ in actum intellectus.

Hypothesis 2.

Intellectus noster in multis suarum operationum 12
voluntati subditus est.

Ita sentiunt omnes Philosophi, atque Theologi; & est certissimum, cum vel ipsa experientia monstret persæpe homines voluntarie cogitare, quæ cogitant, concipereque, quæ concipiunt, aut etiam iudicare, quæ iudicant. Alioquin nulla eis cogitatio, nulla conceptio, nullum iudicium imputabilia essent aut ad pœnam, aut ad præmium. Quod est absurdum.

Et quidem ad eliciendum actum fidei diuinæ in- 13
tellectum à voluntate pendere, eiusque indigere iuuamine, constanter asseuerant omnes Theologi. Exprimuntque August. *tractat.* 26. *in Ioann.* dum ait. *Multa potest homo facere non volens, credere autem non potest nisi volens.* Et Bernar. lib. 5. de consid. cap. 6. vbi habet. *Fides est voluntaria quædam, & certa prælibatio nondum propalatæ veritatis.* Id, quod etiam supponitur in Concilio Arausicano 2. *can.* 5. & deducitur ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. & ex Script. *ad Rom.* 1. *Actor.* 6. & 2. *ad Corinth.* 10. Neque sufficit ad actum fidei eliciendum, quod voluntas permissiuè se habeat, sed positiuo imperio opus est, vt contra Scot. *in* 3. *dist.* 25. *quæst.* 2. & contra Henr. *quodl.* 5. *quæst.* 21. docent communiter Theologi; atque ex citatis locis colligitur. Itaque proposito sufficienter obiecto credibili, indifferens manet intellectus ad credendum, & non credendum, aut etiam ad discredendum, donec per voluntatis imperium determinatur, vt colligitur ex Script. *Act.* 17. & 18. *Marc. vltim.* aliisque ex locis. Imperium autem voluntatis imprimis requiritur ad credendam fide humana existentiam reuelationis, in quo Theologi conspirant: an verò insuper ad fidem ipsam diuinam de obiecto reuelato aliud imperium requiratur, sub controuersia est. Negant Scot. *in* 3. *dist. inct.* 25. *quæst.* 2. & Vasq. *in manuscriptis quæst.* 4. *art.* 2. Affirmant Gasp. Hurt. *disputat.* 4. *de fide diff.* 2. & alij. De quo nos *infrà.*

Hypothesis 3.

Intellectus noster in aliquibus suarum operatio- 14
num non dependet, neque dependere potest à voluntate.

Est certum, quia cum voluntas nostra, vtpote cæca, nullam intellectus operationem possit sua volitione imperare, quin illam præconcipiat, seu præcognoscat, iuxta doctrinam *hypoth.* 1. ne progressus infinitus sequatur, necessarium omnino est, quod in vnoquoque negotio, siue materia dentur aliquæ cogitationes, seu cognitiones primæ, quibus intellectus voluntatem præueniat, quæque subinde neutiquam voluntariæ sint, seu dependentes à voluntate, vt perspicuè docet Arist. *lib.* 7. *Ethic.* sub finem, & cum eo S. Th. 1 *p. q.* 82. *art.* 4. & omnes Theologi vnanimiter.

Hypothe

Hypothesis 4.

15 Intellectus noster quoad eos actus,in quibus voluntati subiicitur,non vno dumtaxat,sed multis modis potest ab illa dependere.

Primum enim bifariam potest voluntas ad actum intellectus concurrere, nempe aut causando illum, seu faciendo, quòd ille existat; aut permittendo illum, seu non impediendo, cum posset. Eisdemque ferè modis potest concurrere ad carentiam actus. Causat voluntas actum intellectus, seu facit, quod existat ille,imprimis per imperium efficax eius;quod nihil est aliud, quam volitio efficax, qua vult voluntas, vt talis actus intellectus existat. Tale autem imperium,sicut & cætera huiusmodi, non physicè, sed quasi moraliter influere in actum imperatum, excitando scilicet,siue mouendo potentiam eius,vt physicè illum efficiat, alibi à nobis ex professo probandum est. In quod ferè faciunt omnia, quæ adduximus *hypoth.* 1. ad probandum concursum quasi moralem cognitionis in actum voluntatis. Itaque quemadmodum homo volens efficaciter ambulare potentiam ambulatiuã voluntati subditam mouet, vt ea ambulationem physicè efficiat;sicque imperio suæ voluntatis dicitur homo ambulationem causare, faceréve, quod existat illa;ita homo volens efficaciter intelligere, potentiam intellectiuam voluntati subditam mouet ad physicè eliciendam intellectionem;sicque dicitur suo imperio intellectionem ipsam causare,seu facere,quod illa existat. Deinde, quoties ex intellectione imperata alia, vel alia, vel plures connaturaliter sequuntur,& has quoque dicitur voluntas causare mediatè, dum imperat illam; præsertim si præuidit aliquo modo reliquas ex imperata sequendas fore, quæ præuiso necessaria est omnino, vt illæ sint voluntariæ, atque imputabiles voluntati vt constat.

16 Iam verò tunc voluntas intellectionis actum permittit, quando potens impedire existentiam eius per positionem alicuius impedimenti,illam non impedit sciens, & prudens, hoc est prænoscens actum extiturum, si non impediatur: est autem impedimentum actus intellectus, tum alius actus intellectus, aut illi oppositus, aut cum illo incompatibilis quoquomodo. Tum actus voluntatis illi repugnans, vt nolitio efficax eius, aut volitio carentiæ ipsius. Tum denique quidlibet aliud cum tali actu in rerum natura simul non componibile.

17 Carentiam autem actus dicitur causare voluntas, quando illam vult efficaciter,aut aliud quid à se dependens, ferensque secum annexam talem carentiam. Permittere verò carentiam ipsam dicenda est, quando potens illam è medio tollere per positionem alicuius non compatibilis cum ea, illud non ponit nihilominus sciens, & prudens.

18 Porro, quæ positiuè causat voluntas, ea vtique tam necessario, quàm libere potest causare. Quæ verò dumtaxat permittit, libere tantum potest permittere,quia permissio secum fert libertatem impediendi, quod de facto non impeditur, cum ille dicatur permittere, qui potens impedire non impedit.

19 Vtrum autem tam id, quod voluntas permittit, quam id quod causat libere, sit ipsi voluntarium,& imputabile; pendet ex aliis principiis tradendis suo loco. Id certum modò; causationem liberam semper voluntati imputari: permissionem autem tunc saltem, quando obligationem habet non permittendi.

Hypothesis 5.

Intellectus noster ne physicè quidem potest aliquid iudicare, quantumuis accedat voluntatis imperium,nisi adillud iudicandum habeat fundamentum sufficiens. 20

Est certum, traditumque ab Arist.*lib.3.de anim. cap.* 3. ob id enim ego non possum iudicare modò adhuc ex voluntatis imperio, aut esse parem, aut esse imparem numerum stellarum:quia ad neutrum iudicandum habeo sufficiens fundamentum. Dicitur autem fundamentum sufficiens ad iudicandum obiectum, quod ita est ex se notificatiuum eius, vt illo posito intellectus adiutus saltem voluntatis imperio in iudicium talis obiecti prodire possit.

Fundamentum autem ad iudicandum obiectum, 21
siue propositionem obiectiuam in vniuersum, aut sunt termini ipsi apprehensi, cum propositio est immediata,seu per se nota; aut est aliud quid prius iudicatum;cum propositio est mediata, seu nota per aliud, vt sæpe sæpius notauimus, atque notabimus in hoc opere.

Hypothesis 6.

Bifariam potest esse potentia determinata ad 22
actum,nempe quoad speciem,& quoad exercitium. Totidemq; modis potest esse ad actum indifferens.

Dicitur determinata ad actum quoad speciem, quãdo tantum potest elicere actum talis speciei,non verò actum alterius, præsertim oppositæ. Quoad exercitium autem determinata dicitur esse, quando ab exercitio actus abstinere non potest. Vnde indifferens quoad speciem erit quando actus plurium specierum etiam oppositarum potest elicere. Indifferens autem quoad exercitium, quando & actum elicere,& eum omittere,seu non elicere potens est.

Hypothesis 7.

Multa eorum, quæ in superioribus de intelle- 23
ctione humana exposuimus, in præsenti sunt supponenda: atque adeo etiam, si fuerit opus, recolenda.

Nimirum, quod intellectio humana in simplicem apprehensionem, iudicium,& discursum diuiditur. Quod apprehensionum simplicium aliæ primariæ sunt, aliæ secundariæ; & ex vtrisque quædam sensionibus gignuntur, quædam nascuntur ab speciebus in memoria asseruatis: ex secundariis autem aliæ memoratiuæ sunt, aliæ non item. Tum apprehensio simplex,aut constitutiua hypothesis, aut non constitutiua esse potest, &c. Quòd iudicium aut euidens, aut non euidens esse potest. Euidens autem, aut physicè, quia omnem formidinem excludit; aut moraliter: quia solum excludit prudentem. Non euidens etiam, aut excludens casu formidinem defectu aduertentiæ examinis; aut non excludens. Quod iudicium insuper aut certum potest esse, aut incertum. Certitudo autem illius aut potest esse subiectiua consistens in immunitate à formidine; eaque sicut euidentia, vel moralis, vel physica: aut potest esse formalis consistens in necessitate veritatis; eaque vel metaphysica, vel physica, vel moralis. Iudicium autem incertum, aut probabile, aut improbabile potest esse. Quod in discursu illatio, quæ vel consistit, vel nititur in iudicio, plerumque tacito de connexione

antecedentis cum consequente, totidem modis potest esse euidens, aut non euidens: certa aut incerta, probabilis, aut improbabilis. Et alia huiusmodi.

Progressio ad resolutionem quæstionis.

Propositio 1.

24 Præter primas apprehensiones, in quibus intellectus præuenit voluntatem, iuxta doctrinam *hypothes.* 3. in plerisque reliquis intellectus voluntati subditus est.

Hæc propositio satis est certa, cunctisque vel experientia ipsa satis est nota; vt tamen distinctius notescat. Animaduertere oportet. Primam siue primariam cuiusque obiecti apprehensionem sub libertatem voluntatis non posse cadere, quia, vt eam voluntas causaret liberè proximè, vel remotè, deberet illam præcognoscere, & consequenter obiectum eius. Vnde ea & esset prima: quia supponimus, & non esset prima, quia alia eiusdem obiecti præcederet. Quod est absurdum. Dico *sub libertatem voluntatis*: quia sub aliquam causalitatem remotam voluntatis, ipsi tamen non liberam, quia non præuisam, primariæ multorum obiectorum apprehensiones cadere possunt, & sæpe cadunt. Vt quando voluntas liberè applicat intellectum ad cogitandum de aliquo obiecto, indeque excitatur ille ad concipiendum alia, quæ nunquam eo vsque venerant in mentem cogitantis.

25 Iam verò acquisita naturaliter quouis ex dictis modis prima cuiusque obiecti apprehensione, mox excitari solet intellectus ad concipiendum quasi reflexè, tale obiectum cognoscibile, aut speculabile esse distinctius, & clarius, ex qua conceptione moueri potest voluntas ad applicandum intellectum, vt de tali obiecto distinctius cogitet, aut vt discurrat circa illud. Tum excitari solet frequenter conceptus vniuersalis, siue confusus, quo tale obiectum concipitur vt habens aliquas proprietates, seu affectiones ab intellectu vestigabiles; vel vt habens aliquas partes, seu species ab intellectu distinguibiles. Vnde voluntas sufficienter manet instructa vt intellectum moueat ad vestigandas obiecti affectiones; aut ad diuidendum illud in suas quasque partes. Semel autem applicato intellectu ad speculandum obiectum, siue ad consultandum de illo, affatim excitantur naturaliter species aliorum obiectorum, quæ vel sub priore continentur, vel ad eum pertinent quoquo modo, cum eoque affinitatem aliquam, vel analogiam, vel oppositionem habent: quæ quidem per cognitionem primam, aut nullo modo, aut sub conceptu tantum confuso voluntati innotuerant.

26 Sed dubitari potest, an vt voluntas efficaciter velit, quod intellectus attentius, distinctiusve concipiat obiectum, vel, quòd speculetur, siue discurrat circa illud, sufficiat simplex apprehensio, vel prærequiratur iudicium de possibilitate, ac bonitate talium actuum. Duplex ad rem sententia est in materia de actibus humanis. Prima asserentium voluntatem bene posse ferri efficaciter in obiectum simpliciter tantum apprehensum. Secunda, quæ mihi magis arridet, id negantium, prærequirentiúmque iudicium de obiecto ad hoc, vt voluntas efficaciter, seu per effectum efficacem versetur circa illud. De quo in ea materia. Igitur in præsenti, iuxta primam sententiam, bene poterit voluntas imperare efficaciter quemlibet actum intellectus ducta simplici apprehensione de tali actu. Iuxta secundam verò non item, sed iudicium de illo prærequiretur. Quod si sit primum in sua serie, exemptum prorsus ab opposita formidine debebit esse, vt concipiatur ab intellectu naturaliter absque indigentia alterius imperij, iuxta dicenda postmodum. Alioquin nullum esset iudicium primum, in infinitumque abiretur in serie iudiciorum, & imperiorum.

Propositio 2.

Vt intellectus determinetur quoad exercitium ad quoduis iudicium physicè incertum subiectiuè, imperio efficaci indiget voluntatis. 27

Ita videntur sentire Doctores communiter: & probatur primò: quia non alia de causa ad actum fidei diuinæ prærequiritur pius voluntatis affectus, qui imperium ipsum efficax est, vel de ipso actu fidei, vel de iudicio præuio reuelationis, vel de vtroque, iuxta doctrinam statutam *hypothes.* 2. nisi quia huiusmodi iudicia incerta sunt physicè subiectiuè; tametsi sint certa moraliter, eo quod formidinem oppositam physicam secum compati possunt, etsi prudentem & cordatam non compatiantur. Ergo tantumdem censendum est, & sæpe multò potiori iure, de aliis iudiciis physicè incertis subiectiuè.

Secundò: quia sicut voluntas se habet circa bonum & malum, ita fermè intellectus se habet circa verum, & falsum. Ergo quemadmodum apparentibus in obiecto ratione boni, & ratione mali indifferens manet voluntas ad illud volendum, & non volendum: eo quod ratio boni proposita ad volitionem inclinat, ab eademque declinat, siue retardat ratio mali etiam proposita. Ita pariter propositis fundamentis ex se sufficientibus, altero ad assentiendum obiecto taquam vero; & altero ad dissentiendum eidem tanquam falso, aut saltem ad formidandum de illo, indifferens manet intellectus ad assentiendum, & non assentiendum: eo quod fundamentum ad assentiendum ad assensum inclinat; ab eodemque declinat, siue retardat fundamentum ad dissentiendum, atque etiam affine ei, in eamdemq; partem vergens fundamentum ad formidandū. Hoc differunt voluntas, & intellectus, quod illa vtpote potentia libera se ipsam potest pro arbitratu determinare ad eliciendam, vel omittendam volitionem. Intellectus verò vtpote potentia non libera extrinseco aliquo, præuioque determinatiuo eget in casu posito ad assentiendum obiecto, vel non assentiendum. Quod aliud esse non potest præter imperium voluntatis, aut eius carentiam. Concluditur ergo huius modi imperio egere intellectum, vt ad quoduis iudicium physicè incertum subiectiuè determinetur, quale est quodcumque fertur in obiectum habens pro parte opposita fundamentum ex se sufficiens aut ad dissensum, aut ad formidinem ipsi iudicio oppositam. Paritérque ad omittendum tale iudicium talis imperij voluntatis carentia indigere. 28

Tertiò probari potest propositio ab experientia ipsa. Experimur enim, quoties obiectum obscurum, & incertum est & nihilominus fundamentum extat sufficiens ad ei assentiendum, pro libito nos illi assentire, aut non assentire: ob id enim narranti aliquid aut credimus, aut non credimes pro nostro arbitratu; 29

bitratu ; sæpeque ex indiciis iudicamus mores, vel facta aliorum non sine scrupulo conscientiæ de iustitia, aut iniustitia talis iudicij, quod illud citra dubium liberum nobis,& imputabile credamus,*&c.*

30 Ex quibus omnibus apparet in iudiciis quoquo modo nobis incertis intellectum nostrum directè dominio voluntatis subditum esse quoad exercitium. Vtrum autem etiam quoad specificationem subdatur,ita vt penes arbitrium voluntatis sit,quod intellectus assentiatur, aut dissentiatur positiuè obiecto proposito, prout voluntas elegerit,stantibus & inuariatis fundamentis ex se sufficientibus pro vtraque parte contradictionis ex dicendis *quæst.* 3. constabit.

Propositio 3.

31 Ad iudicia physicè certa subiectiuè exemptaque proinde ab omni formidine citra omne voluntatis immediatum imperium est intellectus determinatus tam quoad exercitium, quam quoad speciem. Tametsi ea à voluntate prout permittente, aut etiam prout causante remote pendere possint.

Et primum , quòd ad eiusmodi iudicia per sola eorum fundamenta semel proposita determinetur intellectus quoad speciem,inde planè conuincitur , quod intellectus nulla potentia potest absque fundamento sufficiente quidpiam iudicare , vt statuimus *hypoth.* 5. Sed quando adest in mente fundamentum ad eliciendum assensum physicè certum subiectiuè de obiecto , nullum adest fundamentum ad formidandum in oppositum , nedum ad dissentiendum , vt constat : Alioquin assensus non esset sic certus ; nec prorsus exemptus ab omni formidine,vt ponimus. Ergo impossibile est, rebus sic positis, vt intellectus dissentiat obiecto , cui assensu physicè certo subiectiue assentire potest. Quod est esse eum determinatum quoad speciem ad assentiendum obiecto , adeo vt nullo voluntatis conatu possit ille ad dissentiendum tali obiecto moueri.

32 Quod autem ad prædicta iudicia sit intellectus determinatus etiam quoad exercitium independenter ab omni voluntatis imperio,imprimis experientia ipsa videtur constare : sæpè enim experimur non posse nos non assentire obiecto proposito.Quis enim cohibeat assensum, ne iudicet se legere hanc scripturam, se eam videre , *&c.* Si termini talis iudicij ei proponantur? Tum qui propter scrupulum, metumque incidendi in iudicium temerarium aduersus proximum, abstinere se satagit à iudicando, sæpe experitur,adeo esse vrgentia fundamenta,quæ occurrunt alicuius iudicij, vt nequeat eis propositis ab assensu abstinere ; quantumuis voluntas reluctetur. Ergo ad huiusmodi iudicia physicè certa subiectiuè independenter à voluntatis imperio est intellectus determinatus quoad exercitium. Id quod probatur insuper à priori , quia quoties intellectus, vrgente aliquo fundamento,inclinatur in assensum alicuius obiecti, & nihil est , quo retardetur à tali assensu,quia nihil est, quo inclinetur in dissensum, aut in formidinem oppositam, nequit non manere absque indifferentia,atque adeo determinatus ad talem assensum. Sed quoties assensus est dicto modo certus,res ita se habet : quia tunc est assensus sic certus , quando cum fundamento inclinante ad illum nullum aliud est intellectui propositum,quo in partem oppositam inclinetur ad dissentiendum aut formidandum. Ergo.Et confirmatur à simili voluntatis, quæ nulla apparente ratione mali,qua retardetur ab amore boni propositi necessitata , atque adeo prædeterminata quoad exercitium prorumpit in talem amorem, vti fatentur omnes , & in motibus primò primis cernere est. Ergo tantumdem est dicendum de nostro intellectu , quoties non est, quod illum retardet ab assensu obiecti propositi , vt in casu, quem versamus contingit.

Iam verò,quòd dicta iudicia physicè certa subiecti- 33
uè à voluntatis permissione possint in sua existentia pendere, inde venit probandum, quia voluntas sæpè potest eiusmodi iudicia impedire,& consequenter etiam permittere , non impediendo quando potest. Cùm enim intellectus ex sua natura virtutis limitatæ sit ; etiamsi possit aliquos simul actus habere,non potest tamen simul habere quamlibet actuũ multitudinem , vt constat experientia. Quo fit, vt stantibus in intellectu aliquibus actibus , alij cum illis nequeant componi : eo quod mens omnes simul amplecti nequit. Vnde passim obuenit , vt noua accedente cogitatione,ab antiqua auertamur,neque in vtraque simul possimus persistere,quantumuis id conemur. Igitur quamquam, vt ego autumo, ex suppositione,quod intellectus sufficienter habet proposita fundamenta iudicij physicè certi subiectiuè,nullatenus potest voluntas illud impedire,quantumuis conetur intrudere aliquem actum incompatibilem cum illo, eo quòd tali facta suppositione, vt nequit voluntas , iuxta experientiam, per nolitionem efficacem de tali iudicio,aut pei volitionem efficacem de carentia eius directè illud impedire, ita nec videtur posse indirectè per intrusionem cogitationis à tali iudicio auertentis , quandoquidem nihil est magis positum in potestate voluntatis,nec magis oppositum dicto iudicio,quam nolitio efficax eius , aut efficax volitio carentiæ ipsius. Attamen quia talem suppositionem potest impedire voluntas faciendo per intrusionem cogitationis alienæ,quod intellectus aut non cogitet de fundamentis dicti iudicij,aut non tam expressè,clarè,& distinctè,quam opus est, illa concipiat, idque cum sufficiente præuisione de carentia dicti iudicij ex tali impedimento remotè sequenda , idcirco dicimus à voluntatis permissione posse eiusmodi iudicium sæpe pendere, quatenus voluntas sæpe potest intellectum auertere à sufficiente propositione fundamentorum eius per intrusionem cogitationis incompatibilis cum illa,& cum sufficiente præuisione saltem confusa de carentia ipsius iudicij sequenda.

Quòd denique huiusmodi certa iudicia à volun- 34
tate non solùm vt permittente,sed etiam vt causante illa remotè,pendere possint,inde probatur planè: quia voluntas imperio suo potest applicare intellectum proximè,vel remotè,aut ad cogitanda absolutè,aut ad expressius concipienda fundamenta talium iudiciorũ,à quibus semel sufficienter conceptis,siue propositis illa necessario prouenient , idque cum sufficiente præuisione saltem confusa de existentia ipsorum ex eiusmodi applicatione remotè prouentura,iuxta doctrinam propositionis primæ. Quibus integra propositio præsens manet probata.

Ex ea autem & præcedente colligitur primò, 35
iudicia physicè euidentia , id est , nulli formidini etiam physicæ obnoxia , dominio voluntatis non subiacere directè & proximè. Tametsi interdum remotè ab arbitrio voluntatis , seu permittentis, seu causantis pendere possint in sua existentia, prout nuper expositum est. Id quod etiam est dicendum ob eamdem rationem de iudiciis non euidentibus , quæ non titulo claritatis suæ , sed titulo inaduertentiæ intellectus, nimiæ adhæsionis , subreptionis , aut alio quouis ab omni prorsus formi-

dine exempti sunt. Hæc enim etiam comprehendimus in superioribus sub nomine iudicij physicè certi subiectiuè. Tametsi ea non ita proprie certa dicantur, vt *suprà disp.* 5. notauimus.

36 Secundò colligitur. Iudicia moraliter euidentia, vel certa, id est, prudentem solum, & cordatam formidinem, non verò physicam excludentia, directè, & immediatè subiecta esse imperio voluntatis. Ea enim sub nomine iudicij physicè incerti subiectiuè, de quo egimus *propos.* 2. comprehensa sunt. Quo iure iudicium, quo credimus res nostræ fidei à Deo reuelatas esse, arbitrio subiacet voluntatis. Tametsi illud moraliter euidens, moraliterque certum sit, vt vnanimiter docent Theologi in materia *de fide*.

37 Quod si iudicia euidentia, & certa moraliter, libertati voluntatis sunt subiecta immediatè, quòd physicæ saltem formidini obnoxia nihilominus sunt, potiori iure cætera quæque iudicia probabilia, & improbabilia obnoxia quoque saltem formidini physicæ, libertati voluntatis immediatè subiecta erunt.

38 Tertiò colligitur. De illatione nostri discursus perinde quod ad rem attinet, ac de iudicio philosophandum esse: illatio enim aut incerta physicè subiectiuè, aut certa physicè subiectiuè itidem esse potest penes incertitudinem, certitudinemve iudicij expressi, vel taciti de connexione antecedentis cum consequente, in quo illa vel consistit vel nititur, vt sæpe notauimus. Vnde illatio aut immediatè potest esse subiecta voluntatis arbitrio, aut tantum remotè, quemadmodum dictum iudicium, vel quod ad ipsum attinet. De quo nonnihil amplius dicemus. *quæst. seq.*

QVÆSTIO II.

Vtrum assensus antecedentis ad assensum consequentis determinet, siue necessitet?

39 SVpposita diuisione necessitatis, seu determinationis in quoad speciem, & quoad exercitium, quam *quæst.* 1. *hypoth.* 6. præmisimus. Communis Doctorum sententia est intellectum nostrum posito assensu antecedentis ad assensum consequentis, qui conclusio dicitur, necessitari quoad speciem, adeo vt nullatenus ei dissentire possit. Ita Rub. *libr.* 1. *Post. capite* 1. *quæst.* 8. *numero* 88. & cæteri mox referendi.

40 De necessitate quoad exercitium est controuersia. Ipse enim Rub. *num.* 93. docet, cognito antecedente, adhuc manere libertatem ad assentiendum, aut non assentiendum consequenti, quam dicit esse sententiam S. Th. 1. 2. *quæst.* 17. *artic.* 6. *in corp.* At verò Conimb. *lib.* 1. *Post. capite* 1. *q.* 4. *art.* 4. docent, posito assensu antecedentis ita necessitari intellectum ad assensum consequentis quoad exercitium, vt voluntas talem assensum directè impedire non possit; bene tamè indirectè diuertendo intellectum, aut nimiùm alteri cogitationi affigendo. Quam dicunt esse sententiam omnium grauium authorum. Pro eaque referunt Arist. *lib.* 7. *Eth. capite* 3. S. Th. 1. *part. quæst.* 82. *art.* 2. & 1. 2. *quæst.* 13. *art.* 6. Caiet. Duran. Henr. Soncin. & Fons. *lib.* 6. *capite* 1. *quæst.* 4. *sect.* 4. Quam eamdem sententiam sequuntur Pet. Hurt. *disp.* 7. *de Anim. sect.* 4. Arriag. *disp.* 15. *logi. sect.* 6. Oniel. *disp.* 9. *logi. pun.* 4. & alij Recentiores.

Pro distinctiore resolutione suppono breuiter nonnulla sæpe iam in superioribus commemorata, & commemoranda in sequentibus. Nempe propositionem obiectiuam aut per se, aut per aliud posse esse notam. Si sit per se nota, eaque certa physicè certitudine subiectiua per idoneam apprehensionem terminorum, quæ eo ipso sit sufficiens propositio fundamentorum talis propositionis, adeo necessitatur intellectus ad iudicandum illam, vt tali fundamentorum propositione supposita, nullatenus possit à voluntate tale iudicium impediri adhuc indirectè; etsi possit impedita dicta suppositione, vt constat ex doctrina data *quæst.* 1. *propos.* 3. Quod si propositio per se nota, sit physicè incerta subiectiuè, adhuc supposita idonea terminorum apprehensione, atque adeo facta fundamentorum propositione sufficiente, manebit intellectus indifferens quoad exercitium ad iudicandum illam, impericque subinde directo voluntatis, vt determinetur, egebit, vt ex doctrina etiam statuta *quæst.* 1. *propositio* 2. liquet. 41

Si verò sit propositio nota per aliud, id est, noscibilis ex antecedente præiudicato vt connexo cum consequente, id variis modis potest accidere: vel enim tam iudicium de antecedente vnum, vel mutiplex, quàm iudicium plerumque tacitum de connexione antecedentis cum consequente est certum physicè subiectiuè, vel vtrumque est incertum etiam physicè, & subiectiuè. Vel alterum est certum pariter, & alterum incertum, vel vice versa? In quocumque horum casuum, qui iudicat antecedens, ibique sistit, non iudicata saltem tacitè seu virtualiter connexione antecedentis cum consequente, necunde obligatur, siue necessitatur ad iudicandum consequens: quia iudicium de antecedente seorsim à iudicio de connexione antecedentis cum consequente, nullatenus infert iudicium de consequente: quia neque est fundamentum sufficiens ad iudicandum consequens. In quo casu si loquatur Rub. doctrina eius indubitata erit, nec cadens sub controuersiam præsentem. Difficultas enim impræsentiarum est. 42

Vtrum in quolibet dictorum casuum iudicans antecedens, & simul iudicans illud cum consequente connexum esse, adeo necessitetur inde ad iudicandum consequens, vt suppositis illis iudiciis, ab hoc abstinere non possit.

Propositio 1.

Qui cum certitudine physica, & subiectiua iudicat antecedens, & eius connexionem cum consequente, necessitatus inde manet ad iudicandum consequens, adeo vt suppositis illis iudiciis, hoc, ne indirectè quidem, possit à voluntate impediri. 43

Quoniam in tali casu iudicium de consequente non potest non esse certum physicè certitudine subiectiua, qualia sunt iudicia de antecedente, & de connexione eius cum ipso consequente: in quibus, vel in eorum obiectis prout sic iudicatis nititur tanquam in proprio fundamento iudicium ipsum de consequente. Constat autem ex dictis *quæst.* 1. *propos.* 3. ex suppositione fundamenti rite & sufficienter propositi iudicij physicè certi certitudine subiectiua ne indirectè quidem posse voluntatem efficere, vt intellectus non prodeat in tale iudicium, etsi possit antecedenter ad eam suppositionem impediendo ipsum fundamentum, siue propositionem eius. Igitur in casu posito iudicium de consequente, ex suppositione iudiciorum de antecedente, & connexione eius omnino ineuitabile est. Tametsi voluntas

luntas antecedenter possit eam suppositionem tollere, seu impedire aliò diuertendo intellectum à cogitatione antecedentis, aut connexionis eius. Sicque indirectè, & remotè efficere, vt non existat iudicium ipsum de consequente.

Propositio 2.

44 Qui cum incertitudine physica, & subiectiua iudicat antecedens, aut eius connexionem cum consequente, aut vtrumque, indifferens remanet adhuc ad iudicandum consequens, imperióque subinde voluntatis indiget, vt iudicet illud.

Quoniam in tribus hisce casibus iudicium de consequente incertum est physicè, & subiectiue incertitudine oriunda à fundamento, in quo illud nititur. Repugnat quippe manifestè consequens vi antecedentis esse certum, quando vel antecedens ipsum, vel connexio eius cum consequente, vel vtrumque est incertum, sed ad iudicium incertum physicè, & subiectiue ex vi fundamentorum eius præcisè non determinatur intellectus quoad exercitium, nisi imperium voluntatis accedat, per quod determinetur, vt constat ex doctrina statuta *quæst. 1. propos. 2.* Ergo qui cum incertitudine physica, & subiectiua iudicat antecedens, aut eius connexionem cum consequente, aut vtrumque, indifferens remanet adhuc ad iudicandum consequens; imperioque subinde voluntatis indiget, vt iudicet illud.

45 Dices: ex suppositione, quod antecedens & connexio eius cum consequente sunt vera, certissimum iuxta atque euidentissimum est consequens esse verum. Ergo qui quomodolibet iudicat antecedens, & connexionem eius cum consequente, necessitatus inde manet ad iudicandum consequens. Concesso antecedente, nego consequentiam. Esse namque consequens certissimè verum ex suppositione quod antecedens, & eius connexio cum consequente sint vera, dumtaxat efficit quod consequès iudicari possit ex hypothesi antecedentis iudicio quodam conditionato, siue hypothetico. De quo modò non agimus; ad quodque proinde supposito eius fundamento rite proposito, nulla manet in iudicante libertas. Non verò itidem, quod iudicium absolutum de eodem consequente, de quo tractamus, à dominio voluntatis adhuc directo exemptum sit. Vt enim tale iudicium semper manet incertum; eo quod coniunctum ex antecedente & connexione eius cum consequente, in quo prout absolutè iudicato tanquam in proprio fundamento nititur, incertum est; ita etiam semper manet subiectum dominio immediato, atque directo voluntatis; sicut & alia quæque iudicia incerta. Et hæc satis de præsente quæstione.

QVÆSTIO III.

Vtrum stantibus pro vtraque parte contradictionis fundamentis inclinantibus ad eius iudicium, penes arbitrium hominis sit iudicare vtramuis.

46 SVppono vt certum apud omnes eumdem intellectum humanum neutiquam posse iudicare simul vtramque partem contradictionis. Atque adeo nec posse (quod in idem recidit) assentire simul, & dissentire eidem obiecto. Ratio est, quia licet possit adesse fundamentum sufficiens ad iudicandum alterutram contradictionis partem seorsim: de quo postea; ad iudicandum tamen vtramque simul nullatenus potest adesse: eo quod euidentissimum cunctis est vtramque partem contradictionis simul veram esse non posse.

Vnde obiter colliges: cur assensus, & dissensus 47
de eodem obiecto simul in eodem intellectu coniungi non possint; oppositique proinde sint actus, vt apud omnes est in confesso. Inde enim nascitur, quod intellectus absque sufficiente fundamento non potest quidpiam iudicare, vt *superius quæst. 1. hypoth. 5.* statuimus. Si autem coniunctum extremorum contradictionis iudicaret assentiendo simul, & dissentiendo eidem obiecto, id vtique sine sufficiente fundamento iudicaret, cum ad tale quid iudicandum nullatenus possit habere fundamentum sufficiens propter euidentiam oppositam, vt dictum est.

Suppono secundò: quoties fundamenta existentia 48
pro vtraque parte cõtradictionis inæqualiter ad iudicium inclinant, illo, quod præponderat alteri, bene posse intellectum saltem ex voluntatis imperio moueri ad iudicium eius partis, vt experientia passim ostendit, atque ita illud ipsum sufficiens ex se fundamentum esse ad talem partem iudicandam.

Difficultas est, an etiam possit intellectus ex vo- 49
luntatis imperio moueri illo, quod minus ponderat, minusque quàm alterum inclinat ad eam partem iudicandam, in quam inclinat. Tum an possit moueri alterutro, quando ambo inclinant æqualiter.

Suppono tertiò. Plerumque posse intellectum 50
in casu quæstionis ex voluntatis imperio facere, vt fundamentum, quod aut æqualiter, aut minus quàm alterum inclinabat ad iudicandum, iam magis inclinet, atque adeo sufficiens ex se citra dubium ad iudicandum euadat; nempe aut applicando attentionem ad eam partem, & remouendo ab opposita, atque adeo exaggerando, expressiusque, & melius concipiendo momenta eius partis, quasi despectis, & reiectis, minusue expressè conceptis momentis alterius, aut facto discursu subsidij aliquid attrahendo pro parte illa contra oppositam à coniecturis denuo inuentis. Aut aliter. Pro quo multum facit voluntatis affectus ad talem partem iudicandam propensæ. Quo pacto euenit sæpissimè, vt iudicemus, quod volumus, quando materia incerta est. Quæ etiam frequenti experientia conspicua sunt.

Difficultas igitur tandem est, an inuariatis, & 51
prorsus eodem modo se habentibus fundamentis pro vtraque parte contradictionis aut æqualiter, aut inæqualiter inclinantibus ad iudicium, intellectus humanus possit pro voluntatis electione vtramuis seorsim iudicare? Quæ difficultas in eam recidit. An pro ambabus partibus contradictionis possint esse simul fundamenta sufficientia ex se ad iudicandum siue ea æqualia, siue inæqualia sint quoad inclinationem? Tum etiam in eam. An intellectus humanus in rebus incertis fundamentorum præsentium, prout iacent, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad speciem sit liber, adeo vt non solùm possit iudicare, aut non iudicare alteram partem contradictionis; sed etiam possit iudicare vnam vel alteram, prout voluntati libitum fuerit?

Propositio 1.

51 Existimo sæpe esse pro ambabus partibus contradictionis fundamenta ex se sufficientia ad iudicandum illas seorsim, siue illa sint inæqualiter, siue æqualiter inclinantia ad iudicium. Atque adeo intellectum nostrum circa extrema contradictionis ex vi fundamentorum, prout iacent, sæpe esse liberum ad iudicandum non solum quoad exercitium, sed etiam quoad speciem; subindeque in talibus casibus penes arbitrium voluntatis esse, vtramuis partem contradictionis iudicare absque vlla varietate fundamentorum.

52 Moueor primò: quia id satis videtur experientia testari sæpe enim experimur haud dubiè nos circa duo extrema contradictoria proposita deliberare, nullaque facta fundamentorum varietate alterutrius iudicium pro nostro arbitratu deligere. Quod certè, in seligendis opinionibus, suppositis, immutatisque fundamentis earum vsuenire sæpe videtur. Quandoquidem sæpe eam, quam elegeramus, opposita electa, reiicimus; non quod illarum fundamenta aliter nobis modò quam antea compareant; sed quod motiuum aliquod occurrit extrinsecum, aut aliter pro solo arbitratu volumus mutare electionem.

53 Secundò. Quia quoties ex parte obiecti voluntatis apparet ratio boni inclinans ad volitionem eius, & ratio mali inclinans ad oppositam nolitionem, siue huiusmodi inclinationes sint æquales, siue inæquales, indifferens manet proximè, & immediatè voluntas ad volendum, vel nolendum tale obiectum, prout sibi libuerit, vt certa iam apud nostros omnes contra Vasquez, & paucos suos sententia fert in materia de libertate. Ergo pariter est philosophandum de intellectu ad assensum, & dissensum eiusdem obiecti diuersis, oppositisque fundamentis siue æqualiter, siue inæqualiter inclinato. In hoc enim intellectus & voluntas similiter procul dubio sunt, nisi quod indifferentia intellectus ab oppositis inclinationibus nascens non ab intellectu, vt pote potentia non libera, sed à voluntate determinanda venit; cum tamen indifferentia voluntatis à voluntate ipsa, vtpote potentia libera determinetur. Quod argumentum apprime ea omnia corroborant, quæ suo loco congerimus contra Vasquez censentem ad eum solum actum ex duobus oppositis esse voluntatem nostram proximè liberam, ad quem magis inclinatur, siue viuacius excitatur per intellectum. De quo ibi.

54 Tertiò. Quia nisi doctrina propositionis vera esset, nunquam homo esset immediatè, & proximè liber ad eligendam alterutram ex duabus opinionibus probabilibus, & oppositis. Quod tamen & praxi, & rationi videtur refragari. Tum temere, & illicitè iudicans de moribus proximi etsi posset à tali iudicio nihil iudicando abstinere; nunquam tamen esset proximè liber ad concipiendum de dictis moribus iudicium oppositum. Quod tamen durum, & absurdum videtur.

Quartò denique propositio probatur: quia ni- 55
hil est alicuius momenti, quod contra illam possit oppoui. Si quid enim, maximè illud. Quod homo non potest simul assentire, & dissentire eidem obiecto. Videtur autem perinde esse, assentire modo illi, & dissentire postmodum, stantibus semper, & inuariatis eisdem fundamentis. Verumtamen hoc momenti non est: quia pariter non potest homo simul velle, & nolle efficaciter idem obiectum; & tamen illud potest modo velle efficaciter; & postmodum efficaciter nolle, stantibus, & inuariatis eisdem motiuis, vt communis fere omnium sententia fert. Igitur non est perinde assentire modò obiecto, & dissentire postmodum; aut illud velle modò, & postmodum nolle; atque assentire illi simul, & dissentire; aut illud simul velle & nolle, quantumuis eadem semper fundamenta motiuaue inuariata persistant.

Propositio 2.

Stantibus pro vtraque parte contradictionis 56
fundamentis inclinantibus ad eius iudicium non semper est penes arbitrium hominis iudicare vtramuis.

Ratio est: quia inclinatio fundamenti ad iudicium certam quantitatem debet attingere, vt illud ex se sufficiens ad iudicandum faciat, citra quam vtique non faciet. Ob id enim sæpè ad aliquam partem contradictionis ita inclinamur, vt licet compotes simus formidare, aut suspicari de illa, compotes tamen iudicare non simus ex vi talis inclinationis.

Itaque inclinatio fundamenti stantis pro aliquâ 57
parte contradictionis aut tam exigua potest esse, vt ad iudicium de tali parte mouere cum effectu non possit; aut tantæ quantitatis, vt ad iudicium quidem mouere possit, non tamen ad iudicium probabile, & prudens; sed ad imprudens, & improbabile: aut tantę quantitatis, seu ponderis, vt ad iudicium probabile, & prudens, incertum tamen mouere valeat: aut denique tam eximia esse potest, vt secum inclinationem oppositam non compatiens, ad iudicium physicè certum subiectiuè, aut etiam physicè euidens de facto moueat. Quæ omnia ex dictis in superioribus satis apertè colliguntur, ac conspiciuntur.

TRACTATVS

TRACTATVS III.

DE OBIECTO INTELLECTIONIS humanæ.

1 QVAMQVAM *de obiecto intellectionis humanæ multa sparsim in superioribus dicta sunt, multò tamen plura dicenda restant, adeò vt hic Tractatus non possit non esse cæteris longior. Oportet enim in eo aliquot disputationes ex vniuersaliore Metaphysicæ parte, quam Primam Philosophiam dicunt, petitas inferere; vtpote, quarum doctrina tum ad ea, quæ deinceps statuenda sunt, tum ad præsentis operis integritatem, & perfectionem omninò necessaria videtur. Sunt autem disputationes de Actu, & potentiâ in vniuersum: de Ente, Essentiâ, & Existentiâ: de statibus rerum: de Ente possibili, impossibili, necessario, & contingente: de Distinctione, & identitate: de Connexione, & oppositione, &c.*

DISPVTATIO VIII.

De obiecto humanæ intellectionis. Et primum de actu obiectiuo in vniuersum.

QVONIAM actus obiectiuus, qualis per omne verbum significatur potissimum nostri intellectus obiectum est, vtpote in quem vnicè tendit potissima eius operatio nempe iudicium, iuxta doctrinam supra statutam *disp. 2. q. 4.* ab eo duximus exordiendum. Etsi enim disputatio de illo bona ex parte sit metaphysica, aliena ab hoc loco non est, tum quia bona etiam ex parte præsentis instituti est propria; tum maximè quia ad cæteras, quæ deinceps sequentur valde est prærequisita.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit obiectum humanæ intellectionis in vniuersum?

2 SErmo est de intellectione, quam intellectus humanus pro statu præsenti, quoquo modo potest habere oriundam ab speciebus sensibilium, per quas intelligit quæcumque ab ipso pro statu isto veniunt intelligenda, vt *supra disputatione 1. quæst. 1.* statutum est.

Propositio 1.

Omne verum obiectuum, quod Deus intelligit, 3
ab intellectu humano suo modo intelligibile est pro statu præsenti.

Ita omnes. Et ratione probari potest. Quia hoc ipso quod intellectus humanus cognoscit aliqua, quorum non habet proprias species, vtendo ad id speciebus alienis, quas habet acquisitas per sensus, vt experientia monstrat, conficitur, cætera cuncta pariter per species alienas posse ab illo cognosci: quia de omnibus est eadē ratio. Si tamen ad omnia cognoscenda principia habere possit idonea, per quæ ad specierum alienarum vsum pro cognoscendis omnibus possit induci; qualia potest habere quidem. Quia nihil est pro quo nequeat saltem habere testimonium Dei; aut aliud quodpiam sufficientissimum principium ad cognoscendum illud. Et sane sub conceptus vniuersales, quos intellectus humanus format, teste experientia, omnia verè intelligibilia cadere, manifestum est. Ea enim cuncta comprehendunt conceptus entis veri, entis intelligibilis, & cæteri huiusmodi.

Ex quo patet, omnia omnino possibilia, & im- 4
possibilia ab intellectu humano intelligi posse, quia in omnibus sunt veritates obiectiuæ intelligibiles à Deo seu per assensum, seu per dissensum, vt est certiss.

certissimum. Addo tamen hoc ipso, quod intellectus humanus cognoscit per species alienas, qualiter Deus non potest, multas posse illum excogitare chymeras, quæ in mentem Dei non possunt cadere formaliter, sed æquivalenter dumtaxat, vt *infra disput.* 11. exponemus.

Propositio 2.

5 Non solum vera, sed falsa etiam sunt ab intellectu humano intelligibilia.

Quatenus ille perinde ac vera falsa etiam iudicare potest deceptus, vt est notissimum. In quo ab intellectu diuino differt, qui falsa hoc pacto iudicare non potest: quia nullomodo potest decipi. Tametsi de illis quasi reflexè iudicet falsa esse, quia hoc est verum.

6 Porro intellectus noster, sicut & quiuis alius, non tangit obiectum quoduis eorum, quæ cognoscere potest, sub ratione veri formaliter siue falsi, sed materialiter id, quod verum, aut falsum est quamuis etiam formalem denominationem veri & falsi cognoscat oriundam à cognitione possibili eius, quod verum aut falsum dicitur, iuxta dicta *suprà disput. 3. quæst. 7.* In quo nulla controuersia, quæ de re sit existere potest.

7 Esse autem ab intellectu nostro aut verè, aut falsè iudicabilia obiecta tum per assensum siue iudicium affirmatiuum; tum per dissensum, siue iudicium negatiuum indubitatum omnino est. Quomodo autem per iudicium negatiuum non in carentiam rei negatæ per modum accessus, sed in rem ipsam per modum recessus tendat intellectus humanus, sicut etiam diuinus. Quomodo item carentiæ, seu negationes rerum nihil sint in se cognoscibile. Tametsi à nobis in substitutis alienis ad instar entium cognoscantur superius *disp. 1. quæst. 4. proposit. 4.* expoluimus explicaturi amplius & probaturi *disput. 9. quæst. 3.*

QVÆSTIO II.

Quid sit actus in vniuersum?

8 Actum appellant vniuersim Philosophi, præsertim antiquiores, quidquid significatur per verbum, & per tempora coniugatur. Estque propriissimum obiectum humani iudicij, vt *supra disp. 2. q. 4.* statutum est. Ea quippe est, vt ibi dicebam, mira intellectus nostri proprietas pro statu præsenti, vt nihil omnino iudicare possit absque duobus saltè terminis, siue conceptibus obiectiuis, quorum alter verbo, alter nomini, siue verbi suppositio, vt vocant Grammatici, correspondeat. Dicitur autem conceptus significatus per verbum actus: quia non potest non à nobis concipi instar cuiusdam exercitij actualis alterius conceptus respondentis verbi suppositio, quem Logici & Metaphysici subiectum dicunt. Vnde actus per verbum significatus è genere relationum, siue respectuum est. Respicit enim, & subiectum, cuius est actus, & terminum, circa quem per talem actum ipsum subiectum exercetur. Exemplo sit actus, quo dicitur voluntas amare bonum: ille enim & significatur per verbum *amo*, & est exercitium, quo voluntas se se circa bonum exercet, & ex suo conceptu respicit tum voluntatem, cuius est actus, tum etiam bonum, circa quod est. Idemque reperitur in omni actu, qui per quoduis verbum significatur, ex proprio conceptu. Nam omnes similem sibi vendicant conceptum obiectiuum in mente nostra; cum omnes eodem modo concipiantur; sicut eodem significantur, atque coniugantur per verba. 9

Hinc primò fit, omnem actum significabilem per verbum, distinctum esse ex suo conceptu à subiecto, cuius est exercitium, & à termino circa quem versatur, vt non possit non concipi à nobis quasi adhærescens ipsi subiecto, ipsumve tangens intrinsece seu immediatè: quia nihil exerceri concipitur per aliquid à se loco dissitum. Terminum verò nihil vetat eminus respici per actum, vt cernere licet in actu videndi parietem procul positum. 10

Secundò fit, non aliter concipi à nobis (idque ex necessitate naturæ pro statu præsenti) distinctos à subiecto, & à termino actus cum vtroque identificatos realiter, quam qui reipsa ab vtroque distincti sunt: quia modus concipiendi, & iudicandi vtrosque idem in nobis est, vt dicebam; atque ita congenitus nostro intellectui pro hoc statu, vt nullatenus pro arbitrio possit esse alius & alius. Itaque cum dico Deum posse existere, aut Deum existere, non minus mihi sunt diuersi conceptus obiectiui, Deus, potentia ad existendum, & existentia, quam cùm dico Deum producere creaturam, sunt mihi diuersi conceptus, Deus, productio creaturæ, vt ipsa creatura. Nec minus mihi apparet Deus in priori casu quasi se exercens per actum primum potentiæ ad existendum, aut per secundum existentiæ, tanquam subiectum quoddam eius, quam apparet in posteriori quasi se exercens per actum productionis creaturæ, & vt eius subiectum: subiectum quippe actus appellamus in vniuersum id, cui actus siue primus, siue secundus, iuxta diuisionem postea tradendam, velut exercitium quoddam eius per iudicium tribuitur: est enim sermo de subiecto prædicationis. 11

Vnde fit tertiò: quando id, quod significatur per verbum subiectoque prædicationis per nostrum iudicium tribuitur, reuera & physicè non est actus eius, eo quod vel est quid identificatum, vel quid ex parte saltem extrinsecum ipsi, iuxta dicenda postmodum, non posse non talem euadere per nostram rationem; per quam proinde relatio erit: cum omnis actus ex proprio conceptu respectus quidam sit, vt diximus. Per quod iam patet, vnde suam ducat originem copiosa illa relationum rationis seges, quas antiquiores scholastici passim, & non parum vnanimiter adstruunt, dum proprios rerum, siue essentiarum perscrutantur conceptus, constituentes videlicet formaliter per relationem rationis identitatem, bonitatem, decretum Dei, omnipotentiam, malitiam peccati, & alia id genus. De quibus omnibus plura sunt dicta *quæst. illa 4. citata.* Cæterum, quo pacto huiusmodi respectus rationis fictitij non sint, sed suppositicij; ex dictis *disput. 2. quæst. 3. sect. 7.* notum est: Constabitque amplius ex dicendis. *disp. 12.* Quomodo autem actus, eiusque subiectum, aut terminus conceptus sint ex parte obiecti distincti, præcisique per rationem nostram etiam quando in se realiter sunt indistincti ex dicendis *disp. 10. quæst. 9.* compertum fiet. 12

Igitur actus in vniuersum formaliter, & prout à nobis concipitur, ita describi potest. *Est conceptus obiectiuus significabilis per verbum, tanquam exercitium quoddam alterius conceptus.* Conceptus autem obiectiuus, cuius actus est exercitium; subiectum actus appellatur: id verò, circa quod per actum ipsius subiectum exercetur, vel circa quod

actus

actus versatur, vel in quod tendit, terminus ipsius actus vocandus venit vniuersim, vt constat ex dictis. Ex quibus etiam patet actum ex proprio conceptu veluti quemdam modum esse seipso immediatè affixum subiecto, cuius actus est, siue illud immediatè tangentem, seque etiam ipso respicientem terminum, circa quem versatur.

13 Ex quo tandem colligitur, reliquas formas, quæ non se ipsis immediatè, sed media vnione superaddita, aut media receptione subiectum informant, vel ipsi adhærent, aut inhærent, improprie, & translatitiè tantum vocari actus, vel quod fundamentum præbent, vt actus aliquis formalis, & proprius subiecto, cui insunt, ab intellectu tribuatur, vel quod dum subiectum eis vnitur, aut illas recipit, verè exercetur circa illas per actum proprium vnionis, aut receptionis earum, ad talemve actum proprium secundum de actu primo, siue de potentia reducitur. Crediderim autem eiusmodi formas non ideo dictas actus ab Aristot. quod per illas actuatur subiectum, seu de potentia ad actum reducitur, vt vulgo circumfertur inter modernos; sed quod subiecto præbent potentiam, quæ quidam actus primus est, ad exercendas aliquas operationes ipsorum proprias. Ob id enim definiens Philosophus animam, quæ è genere talium formarum est, dixit *lib. 2. de Anim. cap. 1.* text. 6. *Anima primus est actus, perfectioque corporis naturalis potentia vitam habentis.*

14 Substantia autem simplex, qualis est Angelus, propterea dumtaxat actus subsistens ad distinctionem actus informantis vocari solet: quia non est potentia perfectibilis intrinsecè per aliam substantiam, vti materia prima rerum corporearum per formam perfectibilis est, & idcirco absolutè potentia dicitur. Quo iure Deus etiam similiter actus purissimus appellatur: quia per nihil aliud sibi accrescens perfectibilis est. Verùm huiusmodi loquutiones minus propriè nomen actus vsurpant, vt patet ex dictis.

15 Porro actus quilibet propriè dictus, de quo hic tractamus, trifariam à nobis concipi solet. Primò vt exercitium actuale subiecti: qua ratione significatur per verbum. Secundò cum abstractione quadam: quo pacto significatur per nomen verbale: tertiò vt compositum cum subiecto: quo modo per participium verbi significatur; & in concreto sumi dicitur, iuxta latius dicta *disput. 2. quæst. 4. Sect. 3.*

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit actus?

16 QVot sunt conceptuum obiectiuorum significabilium per verba diuersa genera; tot genera diuersa sunt actuum, vt constat ex dictis *q. 2.* omnes tamen ad quædam certa capita sunt in præsenti reuocandi.

Diuisio 1.

17 Et primum actus vniuersalissimè sumptus in physicum, & metaphysicum est diuidendus. Deinde Physicus in intrinsecum per adhæsionem: extrinsecum, & semiextrinsecum. Metaphysicus autem in intrinsecum per identitatem, & semiextrinsecum.

Actum physicum voco illum; qui physicè est superadditus subiecto, cuius actus est, ab eoque subinde adæquatè distinctus physicè. Metaphysicum autem eum appello, qui per rationem nostram dumtaxat est superadditus suo subiecto, cum eoque proinde reipsa idem est saltem inadæquatè. Deinde Physicum intrinsecum per adhæsionem dico illum actum, qui re ipsa formalis est, per eúmque subinde re ipsa formaliter exercetur subiectum, tanquam per quoddã exercitium formale realiter sibi adiunctum seu adhærescens, se verò tangens intrinsecè, seu immediatè. Tales sunt actio respectu agẽtis, passio respectu passi, vnio respectu extremi vniti, & vniuersim omnis modus realis significabilis per verbum respectu rei, cuius est modus. Actus autem physicus, aut extrinsecus, aut semiextrinsecus per adhæsionem ille dicendus venit, qui cum per rationem nostram dumtaxat sit actus formalis, à fundamentis tamen desumitur distinctis adæquatè à subiecto, quorum aut omnia, aut aliqua ipsi subiecto non adhærent. Prioris exemplum sint actus, quo paries videri dicitur, & quoduis obiectum cognosci; actus quo voces significare dicuntur; & similes. Posterioris autem exemplum sint actus, quo vnus homo dicitur cum altero colloqui, aut contrahere, aut concurrere, actus quo sensus aliquis externus honestè operari dicitur, aut peccare, & cæteri huiusmodi.

Iam verò actus metaphysicus (qui re ipsa nunquam 18
potest esse formalis; sed tantùm fundamentalis, dumtaxátque subinde est formalis per rationẽ nostram, vt patet) tunc dicitur intrinsecus per identitatem, quando adæquatè est identificatus re ipsa cum subiecto, cuius est actus, vtpote formalitas quędam eius per modum actus, seu exercitij à nobis concepta. Tunc verò dicitur semiextrinsecus, quando fundamẽta, vnde sumitur, partim sunt identificata, & partim distincta re ipsa à subiecto, cuius est actus. Prioris generis sunt potentia, qua Deus dicitur posse intelligere, aut posse existere, & ipse actus tum intelligendi, tum existendi. Identitas, qua dicitur animal identificari cum rationali, & alij actus huiusmodi. Posterioris autẽ generis sunt omnes actus, qui interueniũt in denominationibus semiextrinsecis desumptis tum à natura subiecti denominati, tum ab aliis fundamentis extrinsecis, & cæteri huiusmodi, vt cum dicimus. Petrum assimilari Ioanni. Ioannem distingui à Petro. Peccatum dissonare rationi. Ignem applicatum ligno posse illud comburere, *&c.*

Porrò subiectum, cui conuenit actus physicus, 19
physicum subiectum dicetur cum latitudine loquendo. (Nunc enim non agimus solum de subiecto physico pressius accepto, quale dicitur subiectum receptionis comparatione formæ receptæ) Metaphysicum autem subiectum appellabitur illud, cui conuenit actus metaphysicus. Pariterque terminus prioris actus terminus physicus, posterioris verò terminus metaphysicus dici poterit.

Obseruandum tamen est primò, vt rectè de acti- 20
bus, & cum distinctione loquamur, solum actum physicum intrinsecum per adhæsionem esse actum formaliter non tantum in mente nostra obiectiuè, sed etiam in se à parte rei. Cæteros verò seu physicos, seu metaphysicos dumtaxat esse actus formaliter, prout sunt obiectiuè in mente nostra. Quocirca bifariam possumus de illis loqui, siue illos accipere. Etenim quilibet eorum aut potest accipi formaliter, pro conceptu scilicet formalis in superioribus exposito, quem nos eius formamus, quemque in mente nostra sortitur: quo pacto exercitium quoddã subiecti circat terminum est, atque adeò respectus quidã rationis non fictus, sed suppositicius, iuxta doctrinam statutam *d. 2. q. 3. Conf. 7.* Aut potest accipi realiter, seu fundamentaliter, pro obiecto scilicet, seu conceptu reali cognito à nobis sub dicto formali conceptu. Quo pacto, si sit metaphysicus intrinsecus,

formalitas erit identificata realiter, cum subiecto, cui attribuitur. Si verò sit aut metaphysicus semiextrinsecus, aut physicus, vel extrinsecus, vel semiextrinsecus aggregatum quoddam erit conceptuum realiter inter se distinctorum: qui omnes fundamenta appellantur denominationis, aut semiextrinsecæ, aut extrinsecæ quæ per huiusmodi actum, seu per concretum eius subiecto denominato dicitur tribui. Quæ quidem fundamenta, si vnum subiectum denominatum excipias, indirectè, seu in obliquo accipiuntur, seu concipiuntur: cum tamen subiectum ipsum directè seu in recto capiatur, seu
21 concipiatur.

Secundò obseruandum est aggregatum eiusmodi fundamentorum, ex quibus istud denominationum, siue actuum genus resultat, à nostróve intellectu desumitur, quod proinde conceptum realem, seu fundamentalem eorum formali contrapositum dicimus; etsi aliquando coalescat ex pluribus entibus sumptis secundum totum quod ipsa sunt à parte rei; plerumque tamen non ex pluribus integris entibus, sed ex pluribus eorum formalitatibus ab aliis eorumdem præcisis obiectiue coalescit. Quando autem ex pluribus integris entibus, & quando ex pluribus plurium entium formalitatibus tanquam à suo fundamento sumatur actus ex natura principiorum determinantium intellectam ad talem actum cognoscendum diiudicandum est, iuxta doctrinam
22 generalem statutam *disput. 2. quæst. 3.*

Denique quoniam per actum subiectum denominari dicitur, ipseque actus vniuersè subiecti denominatio appellatur, præsertim quando in concreto adiectiuo sumitur, iuxta doctrinam suprà statutum *disp. 2. quæst. 4.* quot modis actus ipse diuiditur, totidem denominatio diuidi solet. Atque ita iuxta diuisionem datam alia erit denominatio physica, alia metaphysica, & physica alia intrinseca, alia semiextrinseca, alia extrinseca per adhæsionem. Metaphysica autem alia intrinseca, alia semiextrinseca per identitatem. Paritérque iuxta diuisiones sequentes actus poterit vnusquisque, prout sibi placuerit, denominationem diuidere.

Diuisio 2.

23 Deinde actus seu physicus, seu metaphysicus in rectum, & circularem diuidendus est.

Rectum appello eum, per quem subiectum exercetur circa aliud quidpiam à se distinctum. Circularem verò eum, per quem subiectum exercetur circa seipsum. Pro exemplo prioris ex physicis sint actio, passio, vnio, & cæteri huiusmodi. Ex metaphysicis potentia, dissonantia, conuenientia vnius cum alio, vel ad aliud, & similes. Pro exemplo autem posterioris ex physicis sit cognitio, qua intellectus cognoscit se ipsum; amor, quo voluntas se amat, & subsistentia, qua substantia in se ipsa subsistit. Ex metaphysicis identitas, siue actus essendi, quo vnumquodque asseritur esse ipsummet, conueniencia, qua vnumquodque sibi ipsi conueniens, seu bonum dicitur. Ex quo patet eiusdem ad seipsum bene posse esse relationem, siue respectum non solum ratione nostra, sed etiam reipsa. Quidquid vulgò in oppositum dici soleat.

Diuisio 3.

24 Præterea actus vniuersim acceptus in actum primum, & actum secundum diuiditur celebri diuisione.

Vocatur autem actus primus ille, qui per verbum *posse* significatur, & in abstracto per nomen verbale *potentia* dicitur. Actus verò secundus est quilibet alius per aliud quoduis verbum significatus. Idcircò autem potentia optimo iure vocatur actus primus; quia & est actus significabilis per verbum, & cæteros omnes actus aliorum verborum antecellit; qui subinde vocantur actus secundi. Etenim vbicumque est aliquis actus reliquorum, ibi præsto adest potentia siue actus primus illi respondens. Nam, qui videt, potest videre, qui cognoscit potest cognoscere; qui currit, potest currere; qui existit, potest existere; qui vnitur, potest vniri; qui producitur, potest produci, *&c.* Vnde illud vulgare axioma emanauit. *Ab actu ad potentiam bona est consequentia:* hoc est, ab actu secundo ad actum primum. Omnis enim actus secundus essentialiter connectitur cum actu primo; neque sine ipso potest consistere; non tamen è conuerso. Quo fit, vt actus primus in quantum actus primus prior natura sit, quàm secundus, ob idque primus appellatur tum prioritate inconnexionis non mutuæ secundum seriem connexionis, tum prioritate quadam rationis secundum seriem originis, prout infrà suo loco monstrabimus.

Rogabis, qua ratione actus primus, seu potentia 25
definiri possit? Respondeo strictè loquendo indefinibilem esse iuxta doctrinam terminorum definibilium, indefinibiliúmque suo loco tradendam: quia est terminus omnium notissimus: atque adeo amplius non potest explicari, quàm si dicamus, *Potentia est, qua vnumquodque posse aliquem actum dicitur.* Aduertere tamen hic oportet nomine *actus* absolutè, & sine addito pronuntiato tantùm intelligi actum secundum. Potentia enim numquam per nomen *actus* absque additamento *primus* significatur. Hinc.

Diuisio 4.

Actus alius venit dicendus possibilis, alius im- 26
possibilis, alius necessarius, alius contingens subiecto, cuius actus concipitur. Idque vel simpliciter, & sine addito, vel cum addito *naturaliter*, aut *moraliter*.

Ille actus simpliciter est possibilis suo subiecto, ad quem in subiecto ipso datur potentia aliqua: impossibilis verò simpliciter, ad quem datur omnino nulla. Simpliciter necessarius, ad cuius contradictorium nulla datur omnino: & simpliciter contingens, ad quem, & ad eius contradictorium seorsim aliqua datur. (Dicuntur autem actus contradictorij ij, quorum alter negatio alterius est) actus verò naturaliter possibilis subiecto est, ad quem subiectum habet potentiam naturalem, id est, consentaneam iuri naturæ, valentemque citra miraculum exercere ipsum actum. Naturaliter impossibilis, ad quem non datur in subiecto talis potentia. Naturaliter necessarius, ad cuius contradictorium non datur. Et naturaliter contingens, ad quem, & ad eius contradictorium seorsim datur. Denique ille actus moraliter possibilis subiecto est, ad quem subiectum non solùm simpliciter, & naturaliter, sed insuper prout res moraliter, & humano modo solent contingere, potentiam habet. Impossibilis autem moraliter, ad quem in subiecto non est eiusmodi potentia. Necessarius moraliter, ad cuius contradictorium non est. Et contingens moraliter, ad quem, & ad contradictorium seorsim est Hinc rursus.

Diui

Diuisio 5.

27 Tum potentia, tum impotentia, à quibus actus appellatur, euaditque possibilis aut impossibilis, aut necessarius, aut contingens, alia est metaphysica, alia physica, alia moralis sumptis his vocibus *metaphysica*, & *physica* aliter quàm suprà *diuis. 1.*

Ea potentia, aut impotentia subiecti dicitur metaphysica, à qua actus simpliciter euadit aut possibilis, aut impossibilis, aut necessarius, aut contingens ipsi subiecto, iuxta dicta *diuis.* 4. Ea autem dicitur physica, à qua actus naturaliter talis euadit. Ea denique moralis, à qua actus euadit talis moraliter: vnde consequenter ipsa possibilitas, aut impossibiliras, aut necessitas, aut contingentia actus, alia metaphysica, alia physica, alia moralis venit dicenda: ipseque actus rursus aut metaphysicè, aut physicè, aut moraliter possibilis; similiterque vel impossibilis, vel necessarius, vel contingens.

28 Vnde præterea subiectum actus ab eisdem terminis aut potens, aut impotens, aut necessitatus, aut indifferens ad actum ipsum denominatur, sua seruata praportione. Idque vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter. Insuper neutraliter dici solet passim; tale subiectum per talem actum exerceri, aut possibile, aut impossibile, aut necessarium, aut contingens esse. Idque vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter: vt possibile est metaphysicè existere secundum mundum: impossibile Deum mori: necesse, seu necessarium Deum existere. Contingens existere Petrum. Possibile est physicè Petrum mori. Impossibile Petrum volare: necessarium ignem calefacere: contingens Petrum se occidere. Possibile est moraliter Petrum loqui. Impossibile Petrum se occidere: necessarium Petrum se amare. Contingens Petrum sedere, *&c.*

29 Speciatim verò subiectum, cui actus existendi est possibilis, aut impossibilis, aut necessarius, aut contigens, adiectiue, & absolutè appellari solet possibile, aut impossibile, aut necessarium, aut contingens. Idque etiam vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter: sic dicitur absolutè tale ens est possibile, aut est impossibile, aut est necessarium, aut est contingens, hoc ipso, quod tali enti est possibilis, aut impossibilis, aut necessarius, aut contingens actus existendi: hanc enim iste actus præ cæteris prærogatiuam habet. A potentiis enim, aut impotentiis cæteris quibusque actibus respondentibus non denominatur subiectum absolutè possibile, aut impossibile, aut necessarium, aut contingens, quemadmodum à potentia, aut impotentia ad existendum; tametsi denominetur potens aut impotens, aut necessitatum, aut indifferens ad tales actus, neutraliterque dicatur, vt notatum est, tale subiectum per tales actus exerceri possibile, aut impossibile, aut necessarium, aut contingens esse.

30 Porro subiectum actus, cui actus necessarius atque adeo ei necessario annexus est, quodque subinde ad actum ipsum necessitatū dicitur, cum eodē etiam dicitur connecti, siue cōnexum esse, id est, veluti colligatum ipsi iuxta dicenda generatim de connexione rerum infra suo loco. Connexio autem huiusmodi penes naturam necessitatis aut metaphysica, aut physica, aut moralis erit iuxta dicta. Subiectum autem actus, cui actus impossibilis est, cum contradictorio ipsius actus connexum erit iuxta dicenda etiā ibidem; idque similiter vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter. Quoties autem subiectum cum aliquo actu connexum est, & cum potentia ad talem actum eodem modo connexum est, siquidem actus sine potentia nequit subiecto conuenire; neque subiectum potest absque potentia ad actum per actum ipsum exerceri. Sed de his *infrà* plura.

Aduertendum tamen hîc est vnicam potentiam 31
ad existendum, quam vnumquodque subiectum potens existere habet, inter omnes cæteras, vulgo potentiam logicam dici. Huius tamen appellationis neque necessitatem, neque fundamentum idoneum video. Quocirca huiusmodi nomenclatura reiecta, nunquam ego talem potentiam logicam nuncupabo, nisi referendo aliorum loquendi modum, sed vel metaphysicam, vel physicam, vel moralem iuxta traditam diuisionem: potest enim illa, sicut & pleræque aliæ intra suum genus tres eas differentias subire, vt satis ex se notum est.

Diuisio 6.

Actus primus, siue potentia in vniuersum in 32
actum primum proximum, & in actum primum remotum; siue in potentiam proximam, & remotam celebri etiam diuisione diuiditur.

Potentia proxima, quæ etiam immediata venit dicenda, ea est, ad quam immediatè sequitur actus secundus, cuius est potentia; vel certè ea, cuius terminus immediatus est actus secundus talis potentiæ proprius. (Potentia quippe, seu actus primus circa actum secundum, vt circa terminum versatur, perinde atque actus secundus circa alium terminum versari solet: vt ex superius dictis constat.) Potentia autem remota, siue mediata est illa, quæ non immediatè, sed mediatè versatur circa actum illum, cuius potentia remota dicitur; aliis videlicet actibus, potentii que interpositis. Concipienda itaque est series quædam extensa potentiarum, & actuum sibi continuo quodam ordine succedentium, quo pacto aliæ quæque res secundum seriem ordinatæ singulæ singulis succedunt in ea serie, quam componunt, iuxta doctrinam vniuersalem ordinum *inferius suo loco* tradendam. Ita quidem vt prima potentia seriei (supponamus nunc dari primam, de quo postea immediatè terminetur ad sum proprium actum, & ex hoc, aut eius termino, aut vtroque resultet constituta secunda potentia qua etiam terminatur ad proprium actum; & ex hoc rursus, vel termino eius, vel vtroque resultet tertia potentia, quæ pariter ad ad suum actum terminata progignat quartam, & ita deinceps. Dicimus ergo potentiam quamlibet dictarum comparatione proprij actus proximam, siue immediatam esse: remotam verò siue mediatam comparatione actuum reliquorum ei succedentium: nimirum primam comparatione actuum secundæ, tertiæ, & quartæ; & secundam comparatione actuum tertiæ, & quartæ, & tertiam comparatione actus quartæ. Vnde eo magis remota potentia erit, quò longior fuerit series, seu pars seriei, actuum, & potentiarum interuenientium ab illa ad actum, comparatione cuius remota dicitur, vt constat.

Porro potentia proxima, & remota aut possunt 33
esse adæquate inter se distinctæ, vt si entitas A. producat terminum B; & entitas B se sola producat terminum C. quo casu entitas B. seorsim ab A. erit potentia proxima actus productionis termini C. cuius A. erit potentia remota seorsim pariter à B. Aut possunt esse inadæquatè solùm distinctæ inter se, vt si A. producat B. rursúsque A. & B. simul producant C. tunc enim A. &. B. constituent potentiam proximam actus productionis termini C. cuius

C. cuius A. solum erat potentia remota. Et hoc secundo modo substantia quælibet creata, quæ aliquibus indiget accidentibus, aut conditionibus ad operandum, potentia remota appellatur talis operationis, quatenus seipsa potest cum talibus accidentibus, vel conditionibus coniungi, quibus positis per eorum consortium reddetur proximè potens ad operandum: eiusmodi quippe præuia coniunctio quidam actus interpositus seu intermedius est significabilis per verbum, vt patet.

34 Obseruare tamen oportet, illam potentiam tantùm solere dici remotã comparatione alicuius actus, quę denomina taliquo modo propriũ subiectum potens causare illam, nempe remotè, vti euenit in exemplis propositis. Quod ferè euenit quoties ex potentiis, & actibus eiusdẽ generis series componitur; non verò itidem quãdo coalescit ex potentiis, & actibus diuersorum generum. Auus enim potens remotè dicitur causare nepotem, & ex eo quod potest proximè causare filiũ, qui poterit proximè causare ipsum nepotem; sicuti causa causæ cõmuniter dici solet causa causati, nempe remota. Non tamen dicitur pater potens remotè Romam ire, & Papam videre, ibique vxorẽ ducere, *&c.* Ex eo quod proximè potest causare filium, qui poterit proximè ea cuncta præstare. Similitérq; ferme contingit in similibus casibus.

Diuisio 7.

35 Amplius actus vniuersè sumptus diuiditur in positiuum, & negatiuum.

Actus positiuus est, qui ex conceptu suo aliquid in rerum natura ponit. Negatiuus autem, qui non ponit, sed potiùs aufert, siue remouet. Appello enim actum negatiuum negationem, seu carentiam cuiuslibet actus, qui quidpiam positiuum reipsa est. Quanquam enim negatio, seu carentia actus à parte rei prorsus sit nihil, vt constabit ex dicendis *disp. 9. q. 3.* Quia tamen ea à nobis concipitur, vt aliquid cum fundamento subsistente, de eaque vt sic, ac si esset actualis quædam remotio actus philosophamur; & quidem vere per quamdam æquiualentiam, vt explicabimus *ibid.* idcirco illam non absiure inter actus recensemus, & actum negatiuum, contra ponendo illum positiuo, appellamus. Itaque negationem, siue carentiam cuiuslibet actus, siue secundi, siue primi, actum negatiuum dicimus vniuersè.

36 Duo tamen sunt adnotanda. Primum, non solũ ad actum secundum positiuum, sed etiam ad carentiam cuiuslibet actus, quam actum negatiuum vocamus, potentiam positiuam dari, quando id, quod potest carere actu, est quid positiuũ, vtpote quod à suamet entitate positiua potissimũ denominatur potens illo carere: estò in tali denominatione negatio insuper, seu potius non esse alicuius quandoq; ex connotato inuoluatur. Potentia enim, cuius fundamẽtum potissimum atq; directum est positiuum, positiua dicitur absolutè: tametsi aliquod eius fundamẽtum obliquũ ex cõnotato complens illam sit negatiuum, vt patet in potentia proxima ad amorem voluntatis creatæ quę ab omnibus positiua censetur, etsi cõpleatur ex, cõnotato, vt verè completur per carentiam prędeterminationis ad odium, siue per non existentiam eius. Vnde colliges carentiam, seu negationẽ potentiæ positiuæ inter actus secundos negatiuos venire recensendã, etsi sit carentia actus primi: tum quia ad ipsam datur in subiecto carente alius actus primus, siue potentia: tũ quia ea per verbũ *carere, seu negare*, non per verbũ *posse* significatur: solus autẽ significatus per verbũ *posse* est actus primus, vt cõstat ex dictis.

Vnde secundum notandum sequitur: etsi carentia 37
actus bene actus negatiuus vocetur, carentiam tamẽ potentiæ non bene dictam iri impotentiam negatiuam. Tum quia carentia potentiæ inter actus secundos negatiuos censetur, vt diximus, quocirca potius actus negatiuus, quam potentia negatiua dicenda venit. Tum quia nomen potentiæ negatiuæ illi potentiæ est reseruandum, quæ cùm ex suo conceptu potentia sit, quid tamen negatiuum est, qualis est potentia, quæ negationibus tanquam subiectis à nobis tribui solet, dum illas potentes concipimus ad existendum, ad coëxistendum aliis ad terminandam sui cognitionem, *&c.*

Diuisio 8.

Diuiditur etiam actus tam primus, quàm secundus 38
in actum actiuum, & actum passiuum.

Actus secundus actiuus generali appellatione appellatur quicumque significatur per verbum actiuum. Passiuus autem quicumque per passiuum. Actus verò primus, seu potentia, iuxta hanc appellationem, actiua venit nuncupanda, quoties est potentia ad actum secundum actiuum: passiua autem quoties est potentia ad passiuum. Strictius tamen solet sumi actus actiuus pro actione, quam vocant de prædicamento actionis: passiuus autem actus pro passione de prædicamento passionis, media qua in subiecto recipitur terminus per actionem productus. Et consequenter eiusmodi actuum potentiæ strictius etiam per denominationem sumptam ab ipsis actiua, & passiua appellantur. Porro actus actiuus iuxta priorem acceptionem actio grammaticalis vocari consueuit, passiuus autem passio grammaticalis. Cum tamen iuxta acceptionem posteriorem actio & passio physica nuncupentur.

Mitto alias diuisiones, quæ in actum insuper im- 39
mediatè cadere possent; aptius tamen cadent mediatè, dum alios terminos transcendentes, sub quibus actus continetur, in sequentibus diuidamus.

QVÆSTIO IV.

Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur.

CVm materia huius disputationis ad Metaphy- 40
sicam bona ex parte pertineat, oportet ex terminis eius nonnullas propositiones elicere tum per se notas; tum demonstratas iuxta methodum præstitutam in præfatione ad lectorem.

Porrò principia scientiarum, quæ ad Metaphysi- 41
cam pertinent, ex terminisque subinde ad Metaphysicam spectantibus componuntur, ad duo capita reuocantur, nimirum ad definitiones, quibus scientiæ termini definiuntur, seu explicantur, & axiomata, quæ à propositionibus per se notis talis scientiæ nihilo differunt. De quo plura inferius suo loco. Igitur, quod ad præsentem disputationem attinet. Cum terminorum eius definitiones in duabus præcedentibus quæstionibus satis supérque sint expositæ, sequitur vt in præsente imprimis propositiones per se notas, siue axiomata maioris momenti pertinentia ad eosdem terminos exhibeamus. postmodúmque ex vtrisque principiis aliquas propositiones per aliud notas maioris momenti itidem demonstremus.

Propo

Propositio 1.

42 Ex duobus actibus contradictoriis, alterum conuenire subiecto, & alterum non conuenire necesse est. Atque adeo vtrumque simul subiecto conuenire, aut vtrumque non conuenire, impossibile est.

Hæc propositio in illa recidit celebratissima axiomata. *Impossibile est aliquid simul esse, & non esse. Aut simul neque esse, neque non esse. Necesseque proinde est quodlibet esse, vel non esse. Tum vel deesse, vel non deesse.* Nisi quod impræsentiarum loquendo formaliter vniuersalius profertur, quatenus scilicet non solum in actu essendi aut substantiuo, siue identificante, aut existentiali, & in eius contradictorio reperitur; Sed etiam in omnibus omninò aliis actibus cum suis contradictoriis collatis. Dico tamen, *loquendo formaliter*: quia cum omnis affirmatio, aut negatio cuiuslibet actus de suo subiecto æquiualenter possit reduci ad vnam affirmationem, aut negationem actus essendi substantiui siue identificantis, quem significat verbum *esse* substantiuè vsurpatum, iuxta dicta *disputatione 2. quæst. 4. consect. 1.* sub illis axiomatibus. *Impossibile est aliquid simul esse, & non esse*, &c. sumpto *esse* substantiuè æquiualenter continetur hæc propositio, quam nos modò circa actum in vniuersum, & eius contradictorium proferimus. Quocirca quidquid pro maiore eius intelligentia notandum erat, cùm sermo nobis sit de illis *disp. 9. q. 5.* notabitur.

Propositio 2.

43 Omnis actus suopte conceptu, & essentia alicuius subiecti ad aliquem terminum, siue circa aliquem terminum actus est.

Sermo est de actu sumpto formaliter: quo pacto nequit non esse ex conceptu suo exercitium quoddam alicuius subiecti ad aliquem, seu circa aliquem terminum, vt constat ex dictis *quæst. 1.* Fieri tamen potest vt idem actus aut vnius dumtaxat, aut plurium subiectorum sit actus, atque adeo exercitium: tum aut circa vnum solum terminum, aut circa plures. Quia tamen id semper habet ex suo conceptu, & essentia; indefectibiliter habet. Proindéque impossibile est, vt vnus & idem actus formalis modò sit plurium subiectorum actus, modò vnius tantùm, vel vice versâ; aut modo ad plures, modò ad vnicum terminum, vel è conuerso terminetur: sicut impossibile est vt idem actus modo huius, modo alterius subiecti, aut modo ad hunc, modo ad alterum terminum actus sit. Id namque esset mutare essentiam, quod repugnat.

44 Rogas, an actus hoc ipso, quod alicuius subiecti ad aliquem terminum suapte naturâ sit actus, cum tali subiecto, aut tali termino suapte natura necessario connexus sit? Respondeo esse connexum cum essentiâ, seu quiditate subiecti, & termini, secus cum existentia. Primum constat, quia nequit quidpiam suapte essentiâ esse actus huius subiecti ad hunc terminum præ cæteris, quin hoc subiectum, & hic terminus talem essentiam habeant distinctam à cæteris. Si enim hoc subiectum, & hic terminus aliud quid essent ab eo, quod sunt, actus non huius subiecti ad hunc terminũ, sed illius ad alium esset actus suapte essentiâ: aliamque subinde essentiam ab ea, quam habet, haberet. Quod est impossibile. Secundũ autem constat: quia esse actum naturâ suâ alicuius subiecti ad aliquem terminum actum, tantũ sonat, esse illum conceptum respectiuũ, seu relatiuum, tum ad subiectum, tum ad terminum. Sunt autem multæ relationes cum eis conceptibus, ad quo se habent prout existentibus nullo modo connexæ, vt ex dicendis *suo loco* constabit. Et in præsenti constat primò in actu cognitionis falsæ, qui respectiuus est ad obiectum, tanquam ad terminum; & tamen sine obiectiuo ipso potest existere, & existit. A quo rursus tale obiectum cognosci dicitur actu quodam cognitionis passiuæ, cuius subiectum ipsum obiectum est: quo fit, vt talis actus sine subiecto detur, quod per illum exerceri concipitur. Tantumdemque censeo de actu quo aliquid falsò apprehensum amatur à voluntate, quóque voluntas amat illud. Secundò actus, quo Petrus dicitur in hoc instanti mori, seu corrumpi, seu desinere esse, in hoc instanti, datur sine subiecto, cum quo proinde prout in hoc instanti existenti connexus non est; tametsi suopte conceptu sit actus eius. Tertiò actus, quo vnumquodque non existens dicitur existentia carere, sine suo subiecto, atque etiam sine suo termino est: non ergo cum illis prout existentibus connectitur; potius illis necessario opponitur. Quartò actus oppositionis, quo alterum oppositorum alteri opponi dicitur, sine suo termino est, imo cum illo nequit esse. Et idem est de actibus primis, siue potentiis prædictis actibus secundis correspondentibus. Obiectum quippe non existens dicitur nihilominus posse amari à voluntate. Et Petrus in instanti, in quo moritur, & desinit esse, dicitur etiam posse mori, & desinere esse, & quo tempore vnumquodque caret existentiâ, dicitur illa posse carere, *&c.* Aliique multi sunt huiusce modi actus tum secundi, tum primi, qui cum suo subiecto, aut termino prout existentibus connexi non sunt.

Ex quo patet ex præciso conceptu actus nullum 45
actum esse connexum cum suo subiecto, aut cum suo termino prout existentibus. Tametsi multi ex speciali, & proprio conceptu aut cum subiecto, aut cum termino, aut cum vtroque prout existente connexi sint. Ita enim productio tum cum principio producente tanquam cum subiecto, tum cum termino producto connexa est per suam essentiam, & cognitio essentialiter vera cum intellectu cognoscente, & cum obiecto cognito, *&c.*

Rogas secundo. An quando actus non est à parte 46
rei formalis, aliquod saltem ex fundamentis realibus, vnde ille ab intellectu nostro sumitur, formalisque concipitur, iuxta dicta *q. 2. &. 3.* debeat esse quid respectiuum naturâ suâ ad subiectum, aut ad terminum? Respondeo non debere, vt patet in actu metaphysico adæquatè intrinseco, in multisque intrinsecis inadæquatè, & in multis actibus physicis adæquatè extrinsecis. Itaque sæpissimè sortitur actus suum conceptum respectiuum ad subiectum, & terminum ab intellectu nostro dumtaxat, quin vllum ex fundamentis, vnde ille sumitur, re ipsâ respectiuum sit ad tale subiectum, talemque terminum. Vide id in actibus, quibus Deus dicitur posse intelligere, & intelligere se ipsum; & vnus homo posse assimilari, & assimilari alteri; posseque distingui, & distingui ab altero, possèque comitari, & comitati alterum; aliisque huiusmodi.

Rogas denique tertiò: an quando actus reip- 47
sa non formalis essentialiter cum subiecto, aut termino connexus est, possit ab intellectu nostro dumtaxat talem connexionem sortiri, an illam ab aliquo ex fundamentis; vnde sumitur, sortiri debeat? Respondeo debere: quia non censetur, nec dicitur conceptus essentialiter connexus cum alio quopiam, ille qui re ipsâ talis non est, estò fortasse

ab intellectu connexus fictitiè concipiatur, quamuis censeatur, dicaturque, conceptus essentialiter respectiuus, qui talis intellectui apparet, etsi realiter non sit talis. Atque ita licet actus possit habere suopte conceptu, & essentiâ esse respectiuum ad subiectum, & terminum per nostrum intellectum dumtaxat citra omnem huiusmodi respectum fundamentorum, vnde sumitur; nequit tamen, iuxta communem loquendi morem esse essentialiter connexum cum subiecto, aut termino per nostrum intellectum dumtaxat, nisi reipsa aliquod ex fundamentis, vnde sumitur, cum tali subiecto, aut termino essentialiter connexum sit. Itaque tunc solum actus dicitur essentialiter cum suo subiecto, aut cum suo termino connexus, quando in conceptu suo reali aliquid includit connexum essentialiter cum tali subiecto, aut tali termino, à quo conceptus ipse realis, siue aggregatum fundamentorum, vnde conceptus eius formalis sumitur, indiuisim acceptum, cum tali subiecto, aut tali termino connexum euadit.

Propositio 3.

48 Impossibile est subiectum se exercere per actum, quin sit potens proximè se exercere per illum, vel aliter. Omnis actus cum aliquâ potentiâ proximâ sibi in eodem subiecto correspondente est essentialiter connexus.

Hinc ortum duxit vulgatum illud, ab omnibusque receptum effatum. *Ab actu ad potentiam bona est consequentia.* Atque ita huiusmodi consequentiæ siue illationes apud omnes sunt euidentes. Legit: ergo potest legere. Exiſtit: ergo potest existere. Cognoscitur: ergo potest cognosci. Caret pecunis: ergo potest carere. Si vocetur, consentiet: ergo si vocetur, poterit consentire, *&c.* Est tamen aduertendum potentiam sui proximam, quam euidenter infert omnis actus secundus, hanc determinatam, à qua de facto manat non esse, sed hanc, vel aliam sub disiunctione, siue aliquam vagè. Quia ex suppositione actus solum fit euidens, dari in subiecto aliquam potentiam proximam ad illum, siue sit hæc, siue illa. Quo fit, vt idem numero actus sæpe à distinctis potentiis proximis possit indifferenter oriri, vt constabit ex dicendis *quæst. 5.*

49 Itaque omnis actus secundus, quâ ratione subiecto conuenit, eâdem infert necessariò aliquam potentiam proximam sibi correspondentem eidem subiecto conuenire, siue cum tali potentiâ proximâ prout tali subiecto conueniente essentialiter connexus est. Impossibile quippe est subiectum se exercere per actum, quin sit potens se exercere per illum, vt præsens propositio fert.

Vnde colliges primò actum cum potentiâ connecti prout denominante subiectũ proxime potens ad actũ ipsum, quæ denominatio plerumque ad statum existentialem, interdum tamen ad solum statum quiditatiuum spectat. Quo fit vt actus non semper sit connexus cum suâ potentiâ proximâ prout existente. Sed sæpe cum illâ prout conueniente suo subiecto infra statum solum quiditatiuum.

50 Secundò colliges, quando subiectum non habens esse denominatur per actum, concipiturve nihilominus seſe exercens per illum, non posse non etiam denominari per potentiam tali actui correspondentem, concipive seſe per illam simul exercens siue hæc denominatio ad statum existentialem, siue ad solum quiditatiuum pertineat.

52 Tertiò colliges actum & potentiam proximam ad actum, siue correspondentem actui, quam ipse actus infert, eiusdem omnino subiecti esse: quia eiusdem subiecti est exerceri per actum, & posse exerceri per illum, vt patet.

Quartò colliges. Quoties potentia proxima ad 53
actum ex proprio, & speciali conceptu cum suo subiecto prout existente connexa est, iuxta dicta *propoſit. 2.* non posse non actum ipsum connexum cum tali potentiâ prout exiſtente, & cum eodem subiecto prout existente saltem mediatè connexum esse, vt patet.

Propositio 4.

Nulla potentia ex præciso conceptu potentiæ 54
cum suo actu connexa est. Sunt tamen multæ, quæ ex specialioribus suis actibus connectuntur.

Prior pars constat: quia potentia libera, & cæteræ indifferentes ad actum, & ad carentiam actus, conceptum potentiæ participant omnibus potentiis communem; & nihilominus cum suis actibus non connectuntur. Secunda autem pars etiam constat, quia potentia, quâ Pater æternus potest Filium producere, potentia, qua Deus potest intelligere, potentia, qua causa prædeterminata potest causare, & cæteræ huius modi cum suis actibus connectuntur.

Propositio 5.

Omnis potentia remota comparatione vnius 55
actus necessario debet esse proxima comparatione alterius.

Siquidem ea est potentia remota comparatione alicuius actus, quæ non per se, sed per intermediam aliam potentiam versatur circa illum: eatenusque circa illum versari dicitur, quatenus versatur circa actum proprium, ex quo ille cum sua potentia, & si quæ alia antecedunt, sequenda veniunt, iuxta dicta *quæst. 3. diuiſ. 6.* id namque est commune omni seriei, vbi plura continuato quodam ordine sibi succedunt, vt non possit non esse immediatè tale comparatione vnius illud, quod est mediate, seu remotè tale comparatione alterius, vt patet in serie connexorum, in serie causarum, in serie durationum, *&c.* Vnde patet de essentia potentiæ remotæ esse vt ab illa ad actum, ad quem remotè comparatur, series continua sit potentiarum & actuum alternatiuè ordinatorum, ita vt singulæ potentiæ proximæ sint respectu singulorum actuum sibi immediatè succedentium in tali serie; remote autem respectu aliorum succedentium sibi mediatè. Omnis quippe series comparandorum remotè, & proximè continua necessario esse debet, & ex se constat: aliàs cessabit comparatio. Recole dicta *loco citato.*

Adnotare tamen oportet seriem potentiarum, 56
& actuum interdum intra eumdem statum, intra eamdémque mensuram temporis claudi, ita vt potentiæ & actus simul in eodem statu, in eodemque tempore exiſtant; interdum verò per status diuersos, per diuersasque temporis mensuras extendi, ita vt potentiæ in vno, actus autem in alio aut statu, aut tempore reperiantur. Quod rursus bifariam potest accidere. Primò quidem si potentia seorsim in vno statu, vel temporis instanti reperta, in alio insuper simul cum actu reperiatur. Secundo si potentia, & actus adeo sibi diuersos status, diuersaue tempora vendicent, vt neutiquam in eodem coniungi possint. E. g. si Deus ignem producat in instanti A, à quo in eodem instanti procedat calor, qui immutet sensum animalis, suique progignat

sensa

sensationem in eodem instanti, tota hæc series potentiarum, & actuum in eodem statu existentiali, & absoluto, in eademque temporis mensura simul existet. Si verò ignis potens ex conceptu suo obiectiuo existere, & causare calorem, existat in instanti A, calorémque in instanti B. causet, hæc series potentiarum, & actuum, per diuersos status, per diuersaque instantia temporis extensa erit; ita tamen vt substantia ignis, quæ secundum se præesse potentia remota est productionis caloris, prius in statu quidditatiuo absque omni actu, deinde in statu existentiali cum actu existendi præcisè, postmodum cum actu durandi in instanti A, denique cum actu durandi in instanti B, ac demum cum actu producendi calorem in eodem instanti coniuncta sit. Tandem potentia proxima, quam ignis prout existens in instanti A habere dicitur ad existendum, aut ad carendum existentiâ in instanti sequenti B, seriem constituit cum ipso actu existendi, aut carendi existentia in instanti B, ita per instantia diuersa extensam, vt talis potentia cum tali actu neutiquam in eodem instanti coniungi possint: quia duratio ignis correspondens instanti A (quæ intrinsecè ad talem potentiam spectat, vt videbimus *propos.* 7.) & duratio eiusdem correspondens instanti B, quæ est eius actus, non possunt eidem instanti correspondere, vt constat; similiter potentia quam ignis ex suo conceptu obiectiuo præcise habet ad carendum existentiâ, & ipse carendi actus, ita ad diuersos status spectant, vt in eodem simul esse non possint.

Propositio 6.

57 Ex suppositione, quod aliquis actus conueniat subiecto, non potest ei non conuenire.

Hæc propositio, siue axioma in illud satis vulgatum datum per verbum *esse* recidit. *Quodlibet ex suppositione, quod est, necesse est esse*, de quo *infrà disp. 9. quæst. 5.* Estque certissimum. Nam si facta & retenta suppositione, quod aliquis actus subiecto conuenit, ipsi posset non conuenire; eidem subiecto simul posset conuenire, & non conuenire contra *propos.* 1.

Propositio 7.

58 Ad præteritum non datur potentia.

Hoc axioma ab omnibus est receptissimum; sed non est ab omnibus eadem ratione intellectum. Philosophi, Theologiq; antiquiores ita exponunt, vt sensus sit, iam nunc, siue in præsenti instanti impossibile esse absolutè, & citra omnem suppositionem vt præteritum non fuerit præteritum, atque adeo vt non extiterit, quod antea extitit, aut extiterit, quod non extitit. Videantur S. Thom. 1. *part. q. 25. art. 4.* & *ibi* omnes eius interpretes. Aristot. *lib. 6. Ethic. cap. 2.* apud quem illud Agathonis effatum. *Hoc etiam ipse Deus, soloque carere videtur, infectum vt faciat, quod factum est, atque perfectum.* August. *libr. 26. contra Faustum cap. 5.* Hieron. *in Epist. ad Eustochium, quæ est 22. de custodia virginitatis*, & refertur *in cap. si Paulus 32. quæst. 32.* Anselm. *tract. de concordia libertatis cum præscientia cap. 1.* Petr. Damianus *epist. 4. de omnipotentia Dei cap. 4. & 8. in tom. 3. Bibliot.* & alij. Sunt tamen multi præsertim ex Recentioribus, qui putant, eatenus ad præteritum non dari potentiam, quatenus ex suppositione, quod est præteritum, non potest non esse præteritum: quo iure de potentia ad præsens, & ad futurum perinde censent philosophandum; præsens quippe ex suppositione, quod est præsens, nequit non esse præsens; & futurum ex suppositione, quod est futurum, nequit non esse futurum, iuxta *propos. 6.*

Ego verò cum communi antiquiorum censeo 59
aliter de impotentia ad præteritum, atque de impotentiâ ad præsens, & ad futurum philosophandum esse: idque axioma propositum sibi velle, quod citra dubium speciali quadam ratione negat potentiam ad præteritum, qua potentia ad præsens, & ad futurum negari non potest. Sensus itaque Axiomatis est. Nullam dari de præsenti potentiam, quæ de præsenti talis sit proxime, vel remote ad coniungendum suum actum seu positiuum, seu negatiuum cum tempore præterito, idque etiam præscindendo ab eo, quòd talis actus sit, aut non sit præteritus; cum tamen detur de præsenti potentiâ, quæ de præsenti talis sit proximè, vel remotè ad coniungendum suum actum seu positiuum, seu negatiuum cum tempore præsenti præscindendo ab eo, quod actus sit, aut non sit in tali tempore. Tum etiam potentia, quæ talis sit pariter de præsenti ad coniungendum suum actum cum tempore futuro. Etenim cum tempus præteritum nullatenus reuerti possit; tempus autem præsens iam adsit; & futurum possit accedere, consequens est, vt potentia præsens prout talis nequaquam queat aut actum, aut eius carentiam ponere in tempore præterito; bene tamen in præsente, quod adest, & in futuro, cum accesserit.

Dices: sæpe datur de præsenti potentiâ, per 60
quam fuit positus, aut impeditus, ponibilisve aut impedibilis actus in tempore præterito: ergo sæpe datur de præsenti potentiâ ad ponendum, aut impediendum actum in tempore præterito: potentia enim, per quam potuit poni, vel impediri actus in tempore præterito, ipsissima est potentia ad ponendum, aut impediendum actum in tali tempore. e. g. Potentia, qua Deus creauit, potuitque non creare Angelum in tempore præterito, eadem est, quam modo habet (in Deo quippe successu temporis non variatur, nec mutatur potentia, vt constat, aliàs esset mutabilis) sed per eiusmodi potentiam potuit Deus in tempore præterito creare, & non creare Angelum in tali tempore, siquidem in eo illum creauit liberè: igitur & modo potest illum in tali tempore creare, vel non creare, quia posse Deum id de præsenti, & de præsenti ad id habere potentiam, idem omnino est. Igitur Deus modo potest pro arbitrio suo creare, vel non creare Angelum, in tempore præterito. Igitur falsum est ad præteritum non dari potentiam, prout à nobis asseritur.

Respondeo potentiam, quâ Deus creauit, & po- 61
tuit non creare Angelum in tempore præterito (& idem est de cæteris huiusmodi) bifariam posse considerari. Primò secundum se cum præcisione ab existentiâ siue duratione præsenti: secundo prout de præsenti existentem, siue durantem. Considerata primo modo facit quidem Deum secundum se, siue ex conceptu suo potentem saltem remotè ad creandum Angelum, in tempore, quo fuit creatus, quodque modo iam est præteritum, quia huiusmodi potentia vt sic cum tali tempore est coniungibilis ex suo conceptu, cum quo coniuncta proxima euasit respectu talis creationis. Per illam tamen vt sic Deus non fit de præsenti absolutè potens ad creandum Angelum in dicto tempore: quia Deus de præsenti solum dicitur absolutè potens per po-

tentiam, quam de præsenti habet vt talem, hoc est, vt existentem de præsenti, & per prædictam, vt de præsenti existentem (quæ est secunda consideratio eius) potius redditur Deus impotens ad Angeli creationem præteritam, vtpote, quæ per existentiam præsentem à ratione potentiæ exuitur comparatione creationis præteritæ. Deus namque prout existens hodie impotens est vt coniungatur cum tempore præterito, eo quod tempus præteritum nullatenus reuerti potest; & consequenter vt Angelum in tali tempore creet: absque coniunctione enim sui per coexistentiam cum quouis tempore Deus non potest in eodem quidpiam producere, vt est notum; siquidem Deus, & quæuis alia causa in eo solum tempore, in quo actu existit, potest actu operari, non in aliis, in quibus actu non existit. Eadem enim necessitate requiritur existentia in aliquo tempore ad operandum in eodem, ac requiritur existentia absolutè ad operandum absolute, vt constat. Ex quibus omnibus patet solutio ad argumentum factum.

62 Inferet tamen aliquis. Ergo nec habet Deus hodie potentiam ad aliquid producendum in tempore futuro: quia nec cum tempore futuro est coniungibilis prout hodie existens: quandoquidem hodierna eius duratio nullatenus cum tempore futuro coniungibilis est. Nego consequentiam. Ad probationem autem dico, sat esse, quod Deus secundum se cum tempore futuro sit coniungibilis, & quod hodierna eius duratio in sequentes possit desinere, cum illisque subinde remotè, vel proximè quodammodo sit coniungibilis, atque coniuncta, seu colligata, non quidem quoad existentiam, sed quoad successionem. His enim positis de Deo etiam prout existente hodie est verum, posse cras existere transeundo ab hodiernâ ad crastinam durationem, & consequenter ad reliquas omnes subsequentes. Quod est esse eum quoad existentiam coniungibilem cum toto tempore futuro, atque adeo compotem media tali coniunctione in illo operari, etiam suppositione facta, quod hodie existit. Cum tamen tali facta suppositione nullatenus sit coniungibilis quoad existentiam cum tempore præterito, & consequenter nec compos vllomodo in illo operari: eo quod à duratione hodierna ad hesternam, ad reliquásque iam præteritas nullatenus transire potest, eo ipso, quod illæ suapte essentia iam hodie nullatenus redire possunt siue reuerti.

63 Itaque in serie temporis essentialiter successiui accipe tria instantia A,B,C, quorum B sit præsens, A præteritum, & C. futurum. Certè hoc ipso, quod existente B, iam A desiuit esse, C. verò nondum fuit; desinente autem B. necessariò succedet, habebitque existentiam C. A verò iterato existere, B. desinente, est impossibile. Verum est dicere de B. in C. posse desinere, secus in A, atque adeo existente B, verum quoque est absolutè dicere posse C. existere, secus posse existere A. Proindeque B possibilitas quædam est, siue potentia, vt existat C. proxima quidem respectu ipsius C. remota autem respectu instantium subsequentium; non item vt existat A, aut cætera instantia præterita. Vnde quando ens alias ex se potens existere in aliis instantibus, existit in instanti B. verũ est dicere de illo etiam prout in eo instanti existente, siue durante, posse existere in instanti C. & in reliquis subsequendis; secus in instanti A, & in aliis præteritis, quia cum duratio eius correspondens instanti B. in subsequentes durationes possit desinere; non item in præcedentes, iuxta nuper dicta, consequens est vt tale ens amissa tali duratione ad subsequentes, non item ad præcedentes transire possit; cum totóque subinde tempore subsequente, non item cum præcedente coniungi, mediaque huiusmodi coniunctione in illo; non in hoc operari, aut quemuis actum exercere. Quod est eiusmodi ens prout durans in instanti præsenti, præsentive eius duratione suppositа, ad futurum habere potentiam, ad præteritum verò minime; potentiamque proinde huiusmodi per ipsam præsentem durationem intrinsecè constitui, vt constat ex dictis.

Contra quæ tamen adhuc potest opponi primo. 64
Nulla potẽtia Dei potest successu temporis variari; alioquin Deus esset mutabilis; ergo omnis potentia Dei ab omni tempore præscindit, per nullúmque proinde tempus constitui potest, & cum omni potest coniungi; & consequenter in quocumque tempore existat Deus, tam ad præteritum, quàm ad præsens, futurúmque potentiam habebit. Respondeo nullam quidem potentiam Dei ipsi adæquatè intrinsecam posse successu temporis variari; bene tamen aliquam ipsi partim extrinsecam. Nec ob id Deum esse mutabilem: quia per extrinsecas variationes Deus non mutatur; dummodo, quæ adæquatè sunt ipsi intrinseca, immutata semper persistant, vt verè persistunt. Itaque potentia, qua Deus proxime potens fit ad producendam creaturam in instãti A, per coexistentiam cum tali instanti extrinseco Deo completur; & idem est de potentia proxima Dei ad producendam creaturam in singulis aliis instantibus. Nihil autem vetat huiusmodi potentias proximas pro varietate instantium extrinsecorum Deo, quibus complentur, successu temporis variari, vt pluribus exponemus *suo loco*.

Secundo opponi potest. Dum homo liberè ope- 65
ratur potens operationem omittere, potentiam habet ad faciendũ mediâ omissione operationis, quod non præextiterit ab æterno præscientia Dei de operatione. Igitur falsum est ad præteritum non dari potentiam. Respondeo potentiam, quam habet homo ad faciendum, quod ab æterno, seu toto tempore antecedente non præextiterit, atque etiam, quòd præextiterit præscientia Dei de sua libera operatione, non esse potentiam ad præteritum, sed ad præsens, à quo tanquam à termino connexionis pependit præteritum; eatenus enim dumtaxat dicitur homo posse facere, quod non præextiterit, vel, quod præextiterit in toto tempore præterito præscientia Dei, quatenus potest, de præsenti ponere, vel non ponere actum, à quo tanquam à termino connexionis futuro ita pependit in suo esse actus talis præscientiæ, vt nisi ille à sua potentia futurus esset, nullatenus hic à sua posset præexistere. Itaque dum negamus dari ad præteritum potentiam, solùm negamus, per potentiam præsentem, vt talem posse proximè, vel remotè exerceri aliquem actum in tempore præterito, proxime quoque, vel remote oriundum ab ipsa potentia. Non tamen negamus, neque negari potest, sæpe duas potentias distinctas diuersis temporibus respondentes, ita quoad exercitium suorum actuum esse connexas, vt altera nequeat in suo tempore suum exequi actum, nisi altera suum quoque exequatur in suo: quo casu, quæ posterior est tempore, eatenus dicitur posse facere, quod præexiterit, vel non præextiterit in tempore præcedente actus alterius, quatenus in tempore suo exequi potest, vel omittere proprium, cum quo

prout

prout futuro alter quoadexistentiam in suo tempore prætento connexus fuit.

Propositio 8.

66 Impossibile est actum deficere, quin vel totus ipse, vel aliqua pars eius deficiat.

Hæc propositio, hocve axioma certissimum iuxta, atque euidentissimum aliis quibusque conceptibus obiectiuis, essentiisve commune est. De quo proinde iterum erit sermo *infrà disput. 9. quæst. 5.* Etenim si conceptus realis actu, de quo potissimum hic est sermo, quid simplex est, id quidem deficere nequit, quin deficiat totum ipsum, vt patet. Si verò quid cõpositum, coalescensve ex partibus sit, aliquiqua pars intrinseca eius debet necessariò deficere, ad hoc vt ipse deficiat, vt est etiam notissimum. Alioquin permanente tota essentia actus, quæ in aggregato omnium suarum partium consistit, posset actus ipse deficere, quod patet chymæricum esse. Appello autem partem actus impræsentiarum omne illud, quod quomodo intrinsecè constituit ipsum.

Propositio 9.

67 Aliqui actus aliquibus subiectis sunt impossibiles; & aliqui actus aliquibus subiectis sunt necessarij; & aliqui actus aliquibus subiectis sunt contingentes.

Quia aliqua sunt subiecta, quæ nullam habent potentiam ad aliquos actus, & aliqua sunt subiecta, quæ ita comparantur ad aliquos actus, vt ad eorum contradictorios nullam potentiam habeant; & aliqua sunt subiecta, quæ ita comparantur ad aliquos actus, vt ad eos, & ad eorum contradictorios seorsim exercendos potentiam habeant, vt est certissimum, iuxta atque euidentissimum cunctis. Hoc autem ipsum est primos actus primis subiectis esse impossibiles, & secundos secundis necessarios, & tertios tertiis contingentes, iuxta definitiones traditas *q. 3. diuis. 4.*

68 Hinc (quod in idem recidit, iuxta dicta *in eadem q. diuis. 5.*) Aliqua subiecta sunt impotentia ad aliquos actus, & aliqua subiecta sunt necessitata ad aliquos actus, & aliqua subiecta sunt indifferentia ad aliquos actus, id est, habentia potentiam ad illos, & ad eorum contradictorios seorsim.

69 Et quoniam potentiæ, à quarum positione, aut defectu ista subiecta, & isti actus istas denominationes sortiuntur, iuxta dicta *ibidem*, aut proximæ, aut remotæ esse possunt, iuxta *diuis. 6. eiusdem q.* conficitur quædam dictorum subiectorum ad quosdam dictorum actuum remotè, & quædam ad quosdam proximè esse aut impotentia, aut necessitata, aut indifferentia. Pariterque quosdam dictorum actuum quibusdam dictorum subiectorum remotè, & quosdam quibusdam proximè esse aut impossibiles, aut necessarios, aut contingentes. Ita quidem vt illud subiectum dicatur remotè impotens ad actum, quod nec remotam, nec proximam potentiam ad actum habet; illud verò proximè, quod caret proxima, habeat, aut non habeat remotam. Et illud subiectum dicatur necessitatum remotè ad actum, quod nec remotam, nec proximam potentiam habet ad eius contradictorium; illud verò proximè, quod caret proxima, habeat, aut non habeat remotam. Et illud subiectum indifferens remotè ad actum dicatur, quod ita est potens ad actum, & ad eius contradictorium seorsim, vt ad alterum horum extremorum remotè tantùm potens sit (ad vtrumque enim esse non potest, vt vidimus) illud verò proximè, quod ad vtrumque seorsim est proximè potens. Paritérque loquendum est de impossibilitate, necessitate, & contingentia actuum comparatione subiectorum.

Rursus quoniam potentiæ prædictæ aut possunt 70
esse metaphysicæ, aut physicæ, aut morales, iuxta *diuis. 5. eiusdem q.* Conficitur itidem quædam dictorum subiectorum ad quosdam dictorum actuum metaphysicè, & quædam ad quosdam physicè, & quædam ad quosdam moraliter esse aut impotentia, aut necessitata, aut indifferentia. Pariterque quosdam dictorum actuum, quibusdam dictorum subiectorum metaphysicè, & quosdam quibusdam physicè, & quosdam quibusdam moraliter esse aut impossibiles, aut necessarios, aut contingentes. Quinam autem actus, & quænam subiecta talia dicantur ex definitionibus traditis *diuis. 4. & 5. citatis* compertum est.

Propositio 10.

Actus subiecto necessarius, aut impossibilis me- 71
taphysicè, nequit non esse etiam eidem necessarius, aut impossibilis physicè. Tum, qui physicè talis est, nequit non & moraliter talis esse; sed non vice versa. Actus verò subiecto contingens moraliter nequit non esse eidem contingens physicè. Tum, qui physicè talis est, nequit non & metaphysicè talis esse; sed non è conuerso.

Hæc propositio ex definitionibus expositis *q. 3. diuis. 4. & 5.* satis conspicua est. Constat enim ex illis necessitatem, impossibilitatemque metaphysicam indispensabiliter ferre secum physicam, & physicam moralem, non tamen è contrà. Contingentiam verò moralem indispensabiliter etiam supponere physicam, & physicam metaphysicam; sed non è conuerso.

Hinc (quod in idem recidit, iuxta dicta *ibidem*) 72
subiectum impotens, aut necessitatum ad actum metaphysicè, non potest non esse etiam impotens, aut necessitatum physice ad illum, & impotens, aut necessitatum physice, non potest non esse etiam tale moraliter; sed non è conuerso. Potest namque subiectum esse impotens, aut necessitatum ad actum moraliter, quin tale sit physice, aut metaphysice, & potest tale physice esse, quin sit metaphysice. Subiectum verò indifferens ad actum moraliter, nequit non eo ipso esse ad illum indifferens physice; & indifferens physice nequit non esse etiam metaphysicè. Non tamen è contra, quia potest esse indifferens metaphysice, quin physice, & moraliter sit, & potest physice, quin sit moraliter. Quæ omnia ex ipsis terminis, prout loco citato sunt exposita, manifestissima sunt apud omnes.

Propositio 11.

Omnis actus relate ad quoduis subiectum aut 73
est illi necessarius, aut impossibilis, au contingens. Tum omne subiectum relate ad quemuis actum aut est necessitatum, aut impotens, aut indifferens ad illum.

Nam vel subiectum habet potentiam tum ad actum, tum ad eius contradictorium seorsim, & sic actus est contingens subiecto, subiectumque indifferens ad illum. Vel subiectum neque habet potentiam ad actum, neque ad eius contradictorium, & hic casus est impossibilis, vt mox demonstrabitur;

bitur ; vel ſubiectum habet potentiam ad actum, & non ad eius contradictorium, & ſic actus eſt neceſſarius ſubiecto , ſubiectúmque eſt ad illum neceſſitatum , vel ſubiectum habet potentiam ad contradictorium actus , & non ad actum , & ſic actus eſt impoſſibilis ſubiecto. Alius autem caſus excogitabilis non eſt , vt patet. Igitur omnis actus , &c. Quod erat demonſtrandum.

74 Eſt autem propoſitio vniuerſaliter vera intra omne genus neceſſitatis , impoſſibilitatis , & contingentiæ actuum, neceſſitatiſve, impotentiæ, indifferentiæque ſubiectorum, proximæ ſcilicet,& remotæ, metaphyſicæque , phyſicæ , & moralis. Intra quoduis enim horum generum ſeorſum à reliquis demonſtratio facta habet locum, vt cuique diſcurrenti per ſingula conſpicuum fiet. Eſt namque omnis actus relatè ad quoduis ſubiectum,aut ei neceſſarius , aut impoſſibilis , aut contingens proximè. Tum aut ei neceſſarius, aut impoſſibilis , aut contingens metaphyſice. Tum aut ei neceſſarius , aut impoſsibilis , aut contingens moraliter ; & in cæteris pariter , propter factam , faciendámque in ſingulis demonſtrationem, ſeruata proportione ſingulis debita.

Propoſitio 12.

75 Quoties ex duobus actibus contradictoriis alter eſt ſubiecto impoſſibilis , alter eidem ſubiecto neceſſarius eſt ; & è conuerſo.

Quia ex duobus actibus contradictoriis alterum conuenire ſubiecto , & alterum non conuenire neceſſe eſt , iuxta *propoſ.* 1. Igitur ſi alter ſubiecto conuenit neceſſario, alter neceſſario non conuenit; hoc autem ipſum eſt eſſe illum ſubiecto impoſſibilem, vt patet. Tum ſi alter ſubiecto neceſſario non conuenit, eique proinde eſt impoſſibilis, neceſſario conuenit alter , quod ipſum eſt eſſe illum ſubiecto neceſſarium. Quoties ergo ex duobus, &c. Quod erat demonſtrandum ; vel aliter. Si contradictorium actus ſubiecto impoſsibilis , ipſi ſubiecto neceſſarium non eſſet,aut eſſet impoſsibile,aut contingens, iuxta *propoſ.* 11. At neque eſſe poteſt impoſsibile, quia iam vtrumque extremum contradictionis eſſet ſubiecto impoſsibile , atque adeo ſimul ei non conueniens contra *propoſ.* 1. Neque eſſe poteſt contingens , quia actus non eſſet ſubiecto impoſsibilis , ſed etiam contingens contra ſuppoſitionem; relinquitur ergo vt ſit neceſſarium. Pariterque demonſtrandum venit eſſe ſubiecto impoſsibile contradictorium actus eidem ſubiecto neceſſarij.

76 Hinc (quod in idem recidit.) Quoties ſubiectum ad alterum ex actibu; contradictoriis impotens eſt, ad alterum neceſsitatum eſt,& è contra.

77 Eſt autem propoſitio vniuerſaliter vera intra quoduis genus impoſsibilitatis , neceſsitatiſque ſeorſim à reliquis , proximæ ſcilicet & remotæ, metaphyſicæque , phyſicæ , & moralis , vt dictum *propoſ.* 11.

Propoſitio 13.

78 Quoties ex duobus actibus contradictoriis alter eſt ſubiecto contingens , & alter quoque contingens eſt.

Quia ille actus eſt ſubiecto contingens,ad quem, & ad eius contradictorium ſeorſim datur in ſubiecto potentia, iuxta definitionem datam *q. 3. diuiſ.* 4. Ergo ab eiſdem ſubiecti potentiis euadunt æque contingentes ambo actus contradictorij, atque adeò non poſſunt non ambo eſſe ei contingentes , ſi alteruter contingens eſt. Et verò ſi contradictorium actus ſubiecto contingentis non eſſet contingens ipſi ſubiecto,aut eſſet illi neceſſarium,aut impoſſibile , iuxta *propoſit.* 11. indeque iuxta *propoſitionem* 12. fieret , vt actus , cuius illud eſt contradictorium , aut eſſet ſubiecto impoſſibilis , aut neceſſarius;cùm tamen ponatur ei contingens. Quod eſt chymericum.

Hinc(quod in idem recidit.)Quoties ſubiectum ad 79
alterum ex actibus contradictoriis indifferens eſt;ad alterum quoque eſt indifferens.

Eſtque propoſitio vera vniuerſe intrà quoduis 80
genus contingentiæ actuum, indifferentiæque ſubiectorum, proximæ ſcilicet,& remotæ, metaphyſicæque,phyſicæ, & moralis.

Propoſitio 14.

Subiectum neceſſitatum ad actum ſeu connexum 81
cum illo, & ad potentiam proximam actus neceſſitatum, ſeu cum illa connexum eſt.

Quoniam actus abſque potentia proxima ſibi in ſubiecto correſpondente ſtare non poteſt,iuxta *propoſit.* 3. Ergo ſubiectum impotens ſtare ſine actu, quale eſt,quod ad actum neceſſitatum,ſeu cum illo connexum eſt,conſequenter eſt impotens ſtare ſine tali potentia proxima ; quod ipſum eſt,eſſe neceſſitatum ad illum,ſeu cum illa connexum.

Eſt autem propoſitio vera intra quoduis genus 82
neceſſitatis, ſeu connexionis metaphyſicæ , phyſicæ , vel moralis , prout *in præcedentibus* dictum eſt.

Propoſitio 15.

Subiectum neceſſitatum ad contradictorium actus, 83
ſeu connexum cum illo,& ad potentiam proximam ipſius contradictorij neceſſitatum , ſeu connexum cum illâ eſt.

Demonſtratio huius eadem eſt , quæ præcedentis.

Propoſitio 16.

Subiectum , cui repugnat potentia proxima ad 84
actum , & ipſe actus repugnat. Tum , cui repugnat potentia proxima ad contradictorium actus , & ipſum repugnat contradictorium.

Quia cùm neuter actus ex duobus quibuſque contradictoriis poſſit ſubiecto conuenire, non habenti potentiam proximam ad ipſum , iuxta *propoſit.* 3. conſequitur planè , vt , cui ſubiecto repugnat potentia proxima ad quemuis actum ex duobus quibuſque contradictoriis , & ipſe actus repugnet.

Propoſitio 17.

Subiectum impotens proximè ad aliquem actum, 85
nequit non eſſe ſimul proxime potens ad actum contradictorium.

Quia ſubiectum carens potentia proxima ad aliquem actum , non poteſt non carere itidem tali actu , vtpote , qui abſque potentia proxima ſibi in ſubiecto ſuo correſpondente ſtare non poteſt,iuxta *propoſ.* 3. Sed ſubiectum carens aliquo actu , nequit non habere ſimul actum contradictorium , ſiue ſe exercere per illum , vtpote, quod ambobus actibus contradictoriis ſimul carere nequit, iuxta *propoſ.* 1.

&

& actus contradictorius absque potentia proximâ sibi in tali subiecto correspondente nequit stare iuxta dictam *propositi. 3.* Ergo de primo ad vltimum subiectum impotens proximè ad aliquem actum, seu carens potentia proxima ad illum, nequit non esse simul proximè potens ad actum contradictorium. Quod erat probandum.

86 Ex hac propositione constat primò, impotentiam proximam subiecti, siue carentiam potentiæ proximæ eius ad quemuis ex duobus actibus contradictoriis necessariò connexam esse cum potentia proxima ad alterum.

87 Secundò constat carentiam cuiusuis ex actibus contradictoriis cum potentia proxima ad alterum, hoc est, ad carentiam ipsam necessariò quoque connexam esse.

88 Est autem propositio vniuersaliter vera intra quoduis genus seorsim potentiæ, & impotentiæ proximæ ad actum; metaphysicæ, scilicet, physicæ, vel moralis. Quemadmodum & præcedentes, & quæ sequuntur pariter veræ sunt. Quod dictum hinc estò pro illis, ne toties repetatur.

Propositio 18.

89 Omne subiectum necessario est proximè potens ad alterum ex duobus quibusque actibus contradictoriis.

Quia omni subiecto necessario conuenit alterum ex duobus quibusque actibus contradictoriis, cùm nequeat simul carere vtroque, iuxta *propositi. 1.* Sed nequit vllus actus conuenire subiecto, quin sit subiectum proximè potens actum ipsum iuxta *propositi. 3.* Ergo omne subiectum necessario est proximè potens alterum ex duobus quibusque actibus contradictoriis.

Propositio 19.

90 Subiectum remote tantum potens actum, eo ipso est proximè potens contradictorium eius.

Quia subiectum remote tantum potens actum eo ipso caret potentia proxima ad illum. Sed carentia potentiæ proximæ ad actum necessario infert potentiam proximam ad eius contradictorium, iuxta *propositi. 17.* Ergo subiectum remote tantum potens actum, eo ipso est proximè potens contradictorium eius.

Propositio 20.

91 Impossibile est vt subiectum aliquod remote tantum potens sit ad vtrumque contradictionis extremum, siue ad vtrumque ex duobus quibusque actibus contradictorie oppositis.

Hæc propositio ex 18. & 19. constat apertè.

Propositio 21.

92 Subiectum necessitatum ad actum nequit non esse potens ad illum.

Quia quoties subiectum est necessitatum ad actum, ad eius contradictorium est impotens, iuxta *propositi. 12.* Sed subiectum impotens ad contradictorium actus nequit non esse potens ad actum ipsum, iuxta *propositi. 17.* Ergo subiectum necessitatum ad actum nequit non esse potens ad illum. Vel aliter, subiectum necessitatum ad actum nequit stare sine illo, cum sit connexum cum illo, iuxta definitiones traditas *q. 3. diuis. 5.* Sed actus nequit stare sine potentia proxima ad se in ipso subiecto, iuxta *propositi. 3.* Ergo.

Propositio 22.

93 Subiectum esse potens, & impotens simul ad eumdem actum impossibile est.

Quia conueniret, & simul non conueniret illi idem actus primus, seu potentia, contra *propos. 1.*

Propositio 23.

94 Subiectum esse necessitatum & impotens simul ad eumdem actum impossibile est.

Quia cùm subiectum necessitatum ad actum nequeat non esse potens ad illud, iuxta *propositi. 21.* Si subiectum necessitatum ad actum impotens simul ad illum esset, potens simul, & impotens esset ad illum, contra *propositi. 22.*

Propositio 24.

95 Subiectum esse indifferens, & simul necessitatum, aut impotens ad eumdem actum impossibile est.

Quia cùm esse indifferens sit esse potens ad vtrumque actum contradictorium seorsim, iuxtà definitionem traditam *q. 3. diuis. 5.* Si simul esset indifferens, & impotens ad alterum, simul esset potens, & impotens ad eumdem, contra *propositi. 22.* Et cùm nequeat subiectum esse necessitatum ad actum, quin sit impotens ad eius contradictorium, iuxta *propositi. 12.* Si simul esset indifferens, & necessitatum ad eumdem actum, simul esset potens, & impotens ad idem eius contradictorium, contra eamdem *propositi. 22.*

Propositio 25.

96 Subiectum esse impotens simul ad vtrumque actum contradictorium impossibile est.

Tum quia nequit non esse proximè potens ad alterum, iuxta *propositi. 18.* Tum quia quoties est impotens ad vnum, nequit non esse necessitatum ad alterum, iuxta *propositi. 12.* Ad hoc autem simul necessitatum, & impotens esse non potest, iuxta *propositi. 23.* Tum denique, quia si esset impotens ad vtrumque, careret vtroque, contra *propos. 1.* Cum nequeat non carere eo, ad quem est impotens, iuxta *propositi. 3.*

Propositio 26.

97 Subiectum esse necessitatum simul ad vtrumque actum contradictorium impossibile est.

Quia cùm subiectum necessitatum ad vnũ actum sit impotens ad eius contradictorium, iuxta *propositi. 12.* Si subiectum esset necessitatum simul ad vtrumque actum contradictorium, sequeretur primò esse etiam simul impotens ad vtrumque, contra *prop. 25.* Secundò esse simul necessitatum, & impotens comparatione vniuscuiusq; contra *propositi. 23.* Tertiò carere vtroque, & habere simul vtrumque contra *propositi. 1.*

Propositio 27.

98 Subiectum esse indifferens ad vnum actum, & simul necesitatum, aut impotens ad eius contradictorium, impossibile est.

Quia

Quia cùm esse indifferens ad vnum actum sit esse potens ad vtrumque contradictorium seorsim, iuxta definitionem traditam *q. 3. dinis. 5.* Si simul esset indifferens ad vnum, & impotens ad eius contradictorium, simul respectu huius esset potens, & impotens contra *proposit. 22.* & cùm subiectum necessitatum ad vnum ex actibus contradictoriis nequeat non esse ad alterum impotens, iuxta *proposit. 12.* Si subiectum ad vnum eorum esset necessitatum, ad alterumque indifferens, ad hoc similiter esset simul potens, & impotens, contra eamdem *proposit. 22.*

Propositio 28.

99 Subiectum esse necessitatum ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, & simul potens ad alterum impossibile est.

Quia cùm subiectum necessitatum ad vnum nequeat non esse ad alterum impotens, iuxta *prop. 12.* Si subiectum necessitatum ad vnum esset simul potens ad alterum; simul esset potens, & impotens ad eumdem contra *proposit. 22.*

Propositio 29.

100 Id quo præcisè deficiente, & cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus, deficit actus, aut est actus ipse, aut aliqua pars eius, quidve constituens ipsum intrinsecè.

Appello enim partem actus, quidquid constituit ipsum intrinsece. Vtque propositionem demonstrem, pono id, ad cuius solius defectum deficit actus esse A, & arguo sic primò. Impossibile est actum deficere, quin vel ipse totus, vel aliqua pars eius deficiat, iuxta *proposit. 8.* Sed deficiente A præcisè, & cæteris omnibus permanentibus, deficit actus, vt supponimus. Ergo A, vel est actus ipse, vel pars eius. Alioquin deficeret actus, quin, vel ipse totus, vel pars eius deficeret, contra proposit. ipsam. Secundò aliter. Si A non esset vel actus ipse, vel pars eius, & solo A deficiente deficeret actus, vt supponitur, fieret vt deficiente solo A non deficeret solum A, contra *proposit. 1.* Siquidem deficiente solo A, deficeret aliud insuper ab ipso A adæquate distinctum, nimirum actus ipse, qui deficit deficiente A.

101 Multa vtilia valde consectaria possent ex hac proposit. inferri, quæ tamen commodiùs inferentur *infrà disp. 9. q. 5. prop. 19.* in qua hæc continentur. Quod enim in hac circa actum speciatim statuitur, circa quamuis omnino essentiam vniuersalissime est verum, vt ibi videbimus, & ex demonstratione facta satis perspicuum est. Quare ea pro potentia, & impotentia, & necessitate, & indifferentia subiecti ad actum, aliisque huius quæstionis tesminis facta estò.

Propositio 30.

102 Quoties deficit constitutiuum intrinsecum actus, cuiuluisve essentiæ vniuerse, necesse omnino est actum, siue essentiam deficere.

Hæc propositio veluti conuersa est præcedentis; ad materiamque potius spectat disputationis sequentis; oportuit tamen modo eam per modum lemmatis pro aliquibus, quæ sequuntur, assumere. Demonstratur autem apertè; quia essentia quæuis ab aggregato omnium eorum, ex quibus intrinsecè constituitur, distincta non est; constat autem non posse non aggregatum deficere, cuius aliqua pars deficit intrinsecè constitutiua eius iuxta iterum dicenda *ibi q. 5.*

Propositio 31.

Positio cuiusuis ex extremis contradictionis alterius est formalis defectus, & è conuerso cuiusuis defectus alterius est formalis positio. 103

Hoc etiam principium apud omnes certissimum per modum lemmatis assumo ad demonstranda, quæ sequentur. De quo *disp. 9. q. 5.* iterum vt in proprio loco erit sermo. Dicuntur autem extrema contradictionis, seu contradictoria negatio obiectiua, & id, quod per eam negatur.

Propositio 32.

Indifferentia proxima subiecti ad actum per defectum vnius dumtaxat ex duabus potentiis proximis, in quibus consistit, potest deficere; non item per defectum ambarum. 104

Quia subiectum ambabus dictis potentiis carere non potest; sed altera necessario debet ei conuenire, iuxta *proposit. 18.*

Propositio 33.

Contradictorium eius, ad cuius solius positionem deficit indifferentia proxima subiecti ad actum, intrinsecum constitutiuum talis indifferentiæ est. 105

Quia indifferentiam proximam deficere ad illius solius positionem, & deficere ad defectum solius contradictorij eius, idé omnino est, cum idem prorsus sit ipsum poni, & eius contradictorium deficere, iuxta *proposit. 31.* Sed id, ad cuius solius defectum deficit indifferentia proxima, intrinsecum constitutiuum est eius, iuxta *proposit. 29.* Ergo contradictorium eius ad cuius solius positionem deficit indifferentia proxima dicta, intrinsecum constitutiuum talis indifferentiæ est.

Ex hac propositione inferemus *suo loco.* Contradictorium eius, ad cuius solius positionem deficit libertas voluntatis ad aliquem actum, intrinsecum constitutiuum esse talis libertatis, quippe libertas voluntatis ad aliquem actum nihil est aliud ab indifferentia proxima eius ad talem actum, iuxta dicenda *ibidem.* 106

Propositio 34.

Contradictorium potentiæ proximæ subiecti ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, intrinsecum constitutiuum est necessitatis subiecti ad alterum. 107

Quia id, ad cuius solius defectum deficit talis necessitas, intrinsecum constitutiuum est eius, iuxta *proposit. 29.* Sed ad defectum solius dicti contradictorij deficit talis necessitas, siquidem deficit ad positionem solius potentiæ, cuius est illud cõtradictorium, cùm sit impossibile subiectum esse potens ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, & simul necessitatum ad alterum, iuxta *proposit. 28.* Idemque prorsus sint positio solius dictæ potentiæ, & defectus solius contradictorij eius, iuxta *propos. 31.* Igitur contradictorium potentiæ proximæ subiecti ad vnum ex duobus actibus contradictoriis intrinsecum constitutiuum est necessitatis subiecti ad alterum. Quod erat ostendendum.

Ex

108 Ex hac propositione infertur potentiam subiecti ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, & necessitatem subiecti ad alterum per duo extrema contradictoria constitui intrinsece; atque ita ratione illorum contradictorie opponi. Quo eodem iure contradictorie etiam opponitur necessitas subiecti ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, & indifferentia subiecti ad alterum; siquidem necessitas ad vnum ratione potentiæ ad alterum constitutiuæ indifferentiæ ad vtrumque opponitur ipsi indifferentiæ. Quo rursus fit, vt necessitas ad vnum ex actibus contradictoriis, & indifferentia ad eumdem contradictorie itidem opponatur.

109 Vnde etiam inferam *suo loco*, libertatem voluntatis ad aliquem actum consistentem in indifferentia proxima ad illum, & necessitatem voluntatis ad eumdem actum, aut ad eius contradictorium contradictorie opponi.

110 Plures aliæ propositiones ex hisce demonstrandæ, ex terminisque huius disputationis componendæ possent istis attexi. Sed nec vacat, nec opus est plures modo contingere; id alij ad harum normam præstare poterunt. Nósque in sequentibus disputationibus nonnullas alias exhibebimus ad istos etiam terminos, simul & alios spectantes.

QVÆSTIO V.

Quænam sint requisita intrinsece ad conceptum actus primi, siue potentiæ proximæ?

111 QVia multum ad multa intelligenda interest probe habere perspectum, quænam intrinsece constituant essentiam potentiæ, de intrinseco constitutiuo eius oportet speciatim *in hac q.* quædã statuere. Et quoniam nulla est potentia remota comparatione alicuius actus, quæ non sit proxima respectu alterius, vt vidimus *q. 4. prop. 5.* sat fuerit de potentia proxima agere, vt simul veniat intelligẽdum, quid sit dicendum de remota: præsertim cum sola proxima sit, quæ simpliciter, & absolute loquendo nomen potentiæ promeretur. Siquidem id solum dicitur vnumquodq; simpliciter, & absolute posse, ad quod potentiam proximam habet: id enim, ad quod habet tantum remotam, dumtaxat potest ex hypothesi, quod accedant cætera, quæ desiderantur ad proximam.

112 Suppono ergo primò, vix esse vllam potentiã proximam, qui sit actus primus reipsa formalis, id est, se habens à parte rei (sicut concipitur à nobis) vt exercitium quoddã subiecti circa terminum distinctum ab vtroque realiter iuxta diuisionem actus physici, & metaphysici, quam posuimus primo loco *q. 3.* quia vix est vlla potentia proxima, quæ partim saltẽ non sit identificata realiter cum subiecto, quod denominat potens. Omnes itaque, aut fere omnes potentiæ proximæ, actus primi metaphysici sunt.

113 Suppono secundò. Etsi nonnullæ potentiæ proximæ sint actus primi metaphysici intrinseci id est, re ipsa identificatæ adæquate cum subiecto, quod denominant potens; pleraſque tamen esse actus primos metaphysicos semiextrinsecos, id est, partim cum subiecto potente, partim cum aliis fundamentis distinctis ab illo identificatos realiter, iuxta diuisionem etiam traditam *ibi* actus metaphysici in intrinsecum, & semiextrinsecum. Prioris generis est potentia proxima, quam habet Deus ad cognoscendum & amandum, quæ à parte rei adæquate est identificata cum ipso, & aliæ huiusmodi. Posterioris autem, quam habet quæuis causa creata ad causandum, quæ præter entitatem causæ, accidentia, conditiones, & alia iuuamina ex parte talis entitatis requisita ad causandum inuoluit in suo conceptu reali. Aliæque similes.

Suppono tertiò. Quæstionem præsentem non es- 114
se de conceptu formali, sed de conceptu reali potentiæ proximæ. De conceptu enim formali constat ex dictis *q. 2. & 3.* esse eum actum quemdam primum, quo veluti exercitio quodam interposito, subiectum potens circa actum secundum, vt circa terminum, dum ipsum dicitur posse, exerceri concipitur. De conceptu verò reali, quem sub huiusmodi formali prætendit intelligere, & vere intelligit intellectus noster; éstque re ipsa, vel aliqua realis entitas, vel aliqua realis formalitas, vel aggregatum plurium entitatum, vel plurium formalitatum, etiam *loco citato* explicuimus. Quærimus per quid constituatur intrinsece, quænámve ad eius constitutionem intrinsece requisita sint.

Vnde suppono quartò bifariam posse esse aliquid 115
requisitum ad conceptum realem potentiæ proximæ: primò extrinsece, vt terminus connexionis eius, aut alicuius in eo inclusi. Secundò intrinsece, vt quid intrinsece componens, constituénsque eius essentiam.

Suppono quintò. Quoties potentia proxima ad 116
actum secundum est actus primus metaphysicus semiextrinsecus, pluresque subinde entitates, aut plurium entitatum formalitates inuoluit in suo conceptu reali, talem conceptum non dicere eas omnes ex æquo, & directe, sed aliquam, aut aliquas directe, siue in recto, & cæteras oblique, siue in obliquo, vt vniuersim etiam notauimus *loco supra citato*. Quæ autem oblique dicuntur in tali conceptu, non ob id desinunt ad illum pertinere intrinsece tanquã quædam constitutiua essentiæ eius. Ea quippe est talis conceptus essentia dicere aliquid, aut aliqua tantum in recto, & cætera in obliquo. Quo iure essentia per accidens, ensque per accidens appellatur, vt pluribus dicemus *infra disp. 9. q. 2.* His positis sit.

Propositio 1.

Id, quo præcise deficiente, & cæteris omnibus per 117
possibile, aut impossibile permanentibus, subiectum non est absolute, & simpliciter, atque adeo proxime potens actum, ad potentiam proximam talis subiecti ad talem actum intrinsece requisitum est.

Hæc propositio ex *proposit. 29. q. 4.* demonstranda facile venit: quia id, ex cuius præciso defectu deficit quiuis actus, vel est ipse actus, vel pars eius, vt ibi demonstratum est. Ergo id, ex cuius præciso defectu deficit potentia proxima subiecti ad actum (quæ quidam actus primus est) aut est ipsa potentia proxima, aut pars eius. Ergo est, quid intrinsece requisitum ad talem potentiam. Vtraque consequentia est euidens. Pergo. Sed deficere potentiam proximam subiecti ad actum, & subiectum non esse proxime potens actum, idem omnino est, vt constat. Ergo id, ex cuius præciso defectu, seu quo præcise deficiente (cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus) subiectum non est proxime potens actum, ad potentiam proximam talis subiecti ad talem actum intrinsece requisitum est. Quod erat demonstrandum.

Propositio 2.

118 Nulla potentia proxima includit in suo conceptu prout existentem, siue exercitum actum, cuius potentia proxima est. Nullusque subinde actus inquantum existens, siue exercitus ad conceptum suæ potentiæ est intrinsecè requisitus.

Si sermo in hac propositione sit de conceptibus, prout talibus potentiæ proximæ, & actus eius ex dictis *q. 2. & 3.* manifesta est. Cum enim, vt *ibi* monstrauimus, omnis actus, prout à nobis concipitur, sit exercitium quoddam alicuius subiecti circa aliquem terminũ, proindeque suopte conceptu tum à subiecto, tũ à termino adæquatè distinctus sit. Aliundéque omnis actus primus, siue potẽtia pro termino habeat actum secundũ correspondentem sibi prout exercitum, quia ad illum prout sic potentia est. Consequitur plane omnem potentiam ex suo conceptu formali adæquatè distinctam esse à suo actu prout exercito; atque adeo nullam potentiam proximam includere in suo conceptu formali actum suum prout exercitum. Quod confirmari potest primò; quia vel experientia ipsa videtur satis, superque notum, potentiam proximam, & actum, vt duo quædam distincta adæquatè ex parte obiecti nobis repræsentari. Secundò, quia nulla est potentia proxima, quam non possimus affirmare aut iudicare de suo subiecto præcisè, quin tali affirmatione, aut iudicio affirmemus, aut iudicemus ipsius actum, vt etiam constat experientia: ergo nulla est potentia proxima, quæ in suo conceptu formali claudat suum actum.

119 Cæterum in propositione non solum de conceptibus formalibus, sed etiam de realibus, siue fundamentalibus potentiæ, & actus sermo est. Dicimus itaque nullam potentiam proximam in vllo suo conceptu, aut formali, aut reali, siue fundamentali includere suum actum prout existentem, seu exercitum, Quod quidem ex terminorum apprehensione videtur omnibus satis notum omnes quippe, veluti quodam naturæ instinctu, semel termini apprehensis, sentire videmur, actum, & potentiam duo quæpiam esse ad inuicem adæquatè distincta, & se excludentia in ratione obiectorum. Et sane eo ipso quod omnis potentia proxima ita sit ex suo conceptu formali à suo actu prout exercito adæquatè distincta, vt per iudicium nostrum, per vocesque illi respondentes seorsim possit de subiecto affirmari, quin eius actus affirmetur; non possunt non quæuis potentia proxima, & eius actus, vt minimum esse duæ formalitates mutuo inter se distinctæ adæquatè, qua ratione formalitates distinguuntur inter se vt est notum. Quod satis est, vt conceptus obiectiui potentiæ proximæ, & actus non solum formales, sed etiam reales, siue fundamentales mutuo se excludant in ratione obiectorum, tametsi reipsa sint identificati; vt sæpe sunt, quando actus est metaphysicus, præsertim intrinsecus. Cum enim conceptus actus, quem vocamus realem, siue fundamentalem, vt condistinctum à formali, sæpe constat in vna, vel pluribus formalitatibus realibus, prout ab aliis, cum quibus sunt idem, præcisis; quà ratione *q. 3. diuis.* 1. statuimus, vt potentia à suo conceptu reali dicatur excludere actum, satis est, quòd excludat illum, vt vna realis formalitas à se excludit aliam, nimirum per rationem nostram, siue exclusione metaphysica. Neque amplius in præsenti propos. loquendo vniuersim intendimus.

120 Addendum tamen est, loquendo speciatim, tanquam prorsus indubitabile, quando potentia proxima est libera, aut actus alio quoquo modo est ipsi contingens realiter, non posse non conceptum realem eius excludere actum prout exercitum reali exclusione; quandoquidem talis conceptus realiter sine actu potest existere. Quin etiam quoties actus est physicus quantumuis ille necessarius, annexúsque potentiæ sit, physicè etiam citra dubium existit extra conceptum realem eius: quia, quod actus metaphysicus metaphysicè, id est, per nostram rationem habet, id habet haud dubiè actus physicus, quicumque ille sit, physicè, seu à parte rei; nimirum extra conceptum realem suæ potentiæ proximæ existere vt terminus, aliunde iam adæquate constitutus, per illam respectus.

121 Ex quibus vniuersaliter colligo omnem actum metaphysicum siue primum, siue secundum extra conceptum formalem, atque etiam realem, siue fundamentalem esse tum subiecti, cuius est actus, tum termini, circa quem versatur: quia omnis actus metaphysicus & concipitur vt exercitium subiecti, circa terminum distinctum ab vtroque adæquatè, & saltem est vna, vel plures formalitates reales à formalitate subiecti, & à formalitate termini distinctæ adæquatè, vt minimum per rationem nostram, seu metaphysicè, quod ad rẽ sufficit iuxta dicta. Quemadmodum omnis actus secundus physicus, & si quis est primus huius generis, extra formalem, realemque conceptum est, tum subiecti, cuius est actus, tum termini, circa quem versatur: quia & concipitur, & est reipsa exercitium subiecti circa terminum distinctum ab vtroque adæquatè.

122 Obiici tamen contra propositionem potest. Sæpe tribuitur subiecto potentia proxima ad actum, ex suppositione ipsius actus: ergo non semper existit actus extra conceptum suæ potentiæ. Consequentia est bona: quia id, ex cuius suppositione datur potentia proxima, nequit non ad conceptum realem eius intrinsecè requisitum esse. Antecedens autem probatur: quia Petrus e. g. non solum est proximè potens ad existendum, ad iudicandum, ad coëxistendum alteri enti ad se illi vniendum &c. cum præcisione ab istis actibus, sed etiam ex eorum suppositione; Imo potentia, quam ad eiusmodi actus ex eorum suppositione habet, necessitas ad ipsos est ex suppositione cum ipsis cõnexa essentialiter, qualis non est potentia, quam ad eosdem præscindentem ab ipsis habet: Quod argumento etiam est potentiam ad actum ex actus suppositione oriundam ipsum in suo conceptu reali includere; siquidem aliunde, quam à tali inclusione non potest tali potentiæ prouenire connexio essentialis cum actu, quando cætera, ex quibus illa coalescit, omnino ab ipso actu sunt absoluta, vt euenit quando actus est liber.

123 Respondeo potentiam, quæ vnicuique subiecto ex suppositione alicuius actus ad eumdem actum videtur attribui, re verâ non esse ad eumdem, sed ad distinctum metaphysicè. Actus enim, in cuius suppositione fundatur, & actus, ad quem terminatur potentia, quam subiecto attribuimus, semper sunt formalitates distinctæ, & mutuo se excludentes ratione nostrâ: quippe qui eo, quem pro statu præsenti habemus, modo intelligẽdi in præscindendis formalitatibus potentiarum, & actuum eiusdem, vel eorumdem entium in infinitum progredi possumus cum fundamentõ sufficiente in entibus ipsis, vt pluribus exponemus infra suo loco. Itaque actus existendi, ad quem concipitur Petrus primo potens existere, & actus existendi, ad quem

quem ex illius suppositione rursus potens existere concipitur, distincti adæquatè sunt per rationem nostram, ita tamen vt secundus ex primo necessario sequutus, ipsive annexus concipiatur cum fundamento in re. Similiter actus iudicandi, ad quem primò Petrus proximè potens apprehenditur, & actus iudicandi, ad quem ex illius suppositione iterum concipitur potens, distincti adæquate sunt metaphysicè, quasi accrescente secundo primo per nostram rationem, vt necessaria passione eius, &c. Quemadmodum dum de existentia ipsa actuali, vt de subiecto affirmamus existere; de vnione vniri, de iudicio iudicare obiectum, &c. actus talibus subiectis attributi, ab eis distincti, eisque superadditi concipiuntur, vt necessariæ eorum, ac metaphysicæ passiones in ipsorum subiectorum essentiis fundatæ. Cum sit necesse existere in rerum natura id, per quod aliud redditur existens in rerum natura; vniri extremo id, per quod aliud vnitur eidem extremo; iudicare obiectum id, per quod redditur aliud iudicans obiectum ipsum, &c. Ex quibus patet nullam potentiam proximam suum proprium actum vt exercitum includere in conceptu suo, atque adeo nullum actum, vt exercitum ad suam proximam potentiam intrinsecè requisitum esse. Loquutus autem semper sum de actu prout exercito, aut existente, quia censeo actum prout possibilem, seu potius possibilitatem eius in conceptu potentiæ proximæ, cuius ille est actus, includi vt vnum ex necessariis constitutiuis eius, vt probabo *prop. 6.* Porro plures actus vt existentes ad suas proximas potentias extrinsecè requisitas esse, quatenus plures potentiæ proximæ cum suis actibus prout existentibus connexæ sunt, indubitatum prorsus est.

Propositio 3.

124 Quæcumque ex parte subiecti ad exercendum actum sunt requisita, intrinsecè requisita sunt, vt illud proximè potens ad actum reddatur; secus, quæ ex parte subiecti ad exercitiū actus non requirūtur.

Vtraque pars propositionis est certa. Prima autem ostenditur. Quia deficiente aliquo ex parte subiecti requisito ad exercitium actus, nequit intelligi subiectum absolutè, & simpliciter, atque adeo proximè potens ad exercendum actum; siquidem ad exercitium actus id dicitur ex parte subiecti requiri, quod per modum conditionis, vel comprincipij, seu consubiecti, vel aliter complet facultatem eius, aut quoquo modo expeditam reddit ad tale exercitium. Et satis constat, quousque facultas subiecti ad actum completa est, & expedita, neutiquam posse illud intelligi proximè potens actum ipsum. Sed id, quo præcisè deficiente, subiectum non est proximè potens actum ad potentiam proximam talis subiecti, ad talem actum intrinsecè requisitum est, iuxta *propos.* 1. Ergo.

125 Secunda autem pars inde constat, quia semel completa, & expedita facultate subiecti per ea omnia, quæ ex parte eius ad exercitium actus sunt requisita (quæcumque demum alia desint) nihil desideratur, quominus sit subiectum proximè potens ipsum actum; siquidem esse illud proximè potens actum, & habere iam illud omnia, quæ ex parte sui requiruntur ad exercendum actum, in idem recidit, vt satis ex se est notum.

Propositio 4.

126 Quoties plura subiecta ad eumdem actum concurrunt, nequit vnum ad talem actum potentiam proximam habere, quin reliqua simul ad eundem habeant potentiam proximam.

E. g. cùm plures causæ physicæ concurrunt ad eamdem actionem, vt concurrunt Deus, & creatura; habitus charitatis, & voluntas; species impressa, & intellectus; quodlibet agens in passò, & passum ipsum, aliæque huiusmodi, necessariò debent omnes simul potentes proximè esse ad illam. Ratio est conspicua, quia nulla eiusmodi causarum potest se sola talem actum elicere, hoc ipso, quod ille indiuisim est actus omnium, vt est notum: ergo quousq; omnes possint proximè, nulla proximè potest. Confirmatur primò: quia nulla talium causarū, deficientibus reliquis, est proximè potens elicere actum, vt constat. Ergo neque erit eis non habentibus pariter potentiam proximam ad ipsum: deficiente enim potentia proxima earum, perinde se habent ac si non existerent in ordine ad exercitium actus; siquidem hoc non minus cum eorum potentia proxima, quam cum earum existentia connexū est, iuxta *prop. 3. q. 4.* Confirmatur secundò. Quia actus non est possibilis proximè, donec omnes causæ physicæ, atq; adeo essentiales eius proximè sint potentes illum elicere, vt patet: aliàs si ante potentiam proximam alicuius, proximè esset actus possibilis, talis etiā esset ante potentiam proximam omnium, quod constat falsum esse: quia non est maior ratio vnius, quam aliarum, cùm æquè depēdeat ab omnibus. Ergo neq; aliqua talium causarum est proximè potens ad talem actum, donec sint reliquæ. Potentia enim proxima causæ, & possibilitas proxima actus vicissim referuntur. Cōfirmatur tertiò, quia omnes prædictæ causæ cum suis requisitis componunt adæquatam virtutem, à qua immediatè procedit actus. Ergo potentia proxima cuiuslibet adeo ad potentiam proximam reliquarum requiritur, vt omnes vicissim se se includāt in conceptu reali vnius potentiæ proximæ totalis, à qua singulæ denominantur potentes proximè talem actū. Confirmatur quartò: quia approximatio agentis ad passum intrinsecè est requisita ad potentiam proximam agentis, vt iure apud omnes est in confesso; siquidē, deficiente approximatione, agens absolute, & simpliciter non est potens agere in passo: ergo multò magis erit ad illam intrinsecè requisitum passum ipsum, propter quod agens approximationem exposcit. Sed non passum nudum, qua ratione nequit iuuare agens: ergo vestitum omnibus requisitis, vt proximè dicatur potens ad illud iuuādum. Et quidem, si quæuis conditio ex parte causæ requisita ad causandum ad potentiam proximam causæ spectat intrinsecè, vt apud omnes est certum, & ex doctrina generali *prop. 3.* cōstat, quanto magis concausa physica ad eamdem potentiam proximam spectabit intrinsecè, cuius iuuamine non minus, imo magis indiget causa, quam iuuamine conditionis; siquidem hoc à Deo sæpe potest miraculosè suppleri, illud verò non item?

Porrò, quæ de pluribus causis physicis, e.g. dicta 127
sunt, pariter de pluribus quibusque aliis subiectis ad eundem actum concurrentibus venit intelligendum. Ex quibus liquet, quoties plura subiecta ad eumdem actum concurrunt in conceptu reali potentiæ proximæ cuiuslibet reliqua omnia cum suis potentiis proximis claudi.

Propositio 5.

Vnum ex requisitis intrinsecè ad conceptum rea- 128
lem cuiusuis potentiæ proximæ actus, ipsius actus possibilitas est; siue sit, siue non sit subiectum actus cum tali possibilitate connexum.

E. g. Potentia proxima causæ ad producendum effectum, possibilitatem talis productionis includit in suo conceptu reali, siue cum tali possibilitate sit essentialiter connexa entitas causæ, siue secus. Et quidem casu quod talis connexio desit, vt iuxta plerosque in causa prima, & iuxta plures etiam in secunda, in aliisque huiusmodi subiectis actuum deest, propositio mihi certa est, quidquid in oppositum sentiat Ouied. *controuers. 7. Physic. punct. 2.* Nam sublata possibilitate sola causationis effectus, nullatenus potest causa intelligi proxime potens causare illum absolutè, & simpliciter, vt est notissimum: quia ad impossibile non datur potentia absoluta, & proxima, vt constat. Sed id, quo solo sublato, subiectum non est proxime potens actum, ad potentiam proximam talis subiecti ad talem actum intrinsecè requisitum est, iuxta *propos. 1.* Ergo possibilitas causationis effectus intrinsece requisita est ad potentiam proximam causæ. Vel aliter. Vt causa euadat absolute, & proxime potens causare effectum citra controuersiam indiget aliquo modo possibilitate talis causationis; sed non indiget illa tanquam termino extrinseco connexionis, vt ponimus. Ergo indiget illa tanquam constitutiuo intrinseco. Quia quoties quæuis essentia indiget aliquo ad existendum; & non vt termino extrinseco alicuius connexionis, quam cum eo habeat, non potest indigere illo vt constitutiuo intrinseco sui, vt vniuerse demonstratur *infrà disput. 9. quæst. 5. propos. 3.*

129 Confirmatur primò. Quia si deficeret possibilitas alicuius creaturæ, Deus non esset proxime potens illam causare; sicut modo non est proxime potens causare chymæram; & tamen nihil in tali casu de intrinseca virtute diuinæ omnipotentiæ deficeret, iuxta sententiam, in qua procedimus. Similiter, si chymæra aliqua redderetur possibilis, confestim, absque accremento virtutis intrinsecæ, esset Deus iuxta eamdem sententiam æque potens illam causare, ac potens est causare modo quamuis creaturam. Ergo præcisus defectus possibilitatis creaturæ facit vt in Deo non sit potentia proxima ad eam causandam, præcisaque talis possibilitatis positio facit vt sit. Quod est eiusmodi possibilitatem ad talem proximam potentiam intrinsecè requisitam esse, iuxta doctrinam suprà statutam *propos. 1. citata.* Iam, quod Deus modo neutiquam habeat potentiam proximam simpliciter & absolutè talem, de qua tractamus, ad causandam chymæram (quidquid sit de potentia, quasi conditionata, quam ab aliquibus habere dicitur ad eam causandam casu, quòd possibilis esset) subindéque neque eam haberet ad causandam creaturam redditam impossibilem, indubitabile prorsus est; alioquin plenam libertatem haberet Deus modo ad decernendam absolute, & efficaciter existentiam chymæræ, ipsique esset imputabile, quod non decerneret de facto. Quod est ridiculum.

130 Confirmatur secundò: quia communi existimatione sicut denominatio visi includit visionem actualem, ita denominatio visibilis includit visionem possibilem: eo videlicet, quòd obiectum visum neque connectitur per suam essentiam cum possibilitate visionis; nec sine possibilitate visionis potest visibile esse, seu potens videri absolute. Ergo casu, quòd causa, aut quoduis omnino subiectum cum possibilitate sui actus connexum non sit, non potest non in eius potentia ad talem actum talis possibilitas claudi.

131 Hinc pergo ad probandam positionem, etiam pro casu, quod entitas causæ, alteriúsve cuiusvis subiecti cum possibilitate sui actus connexa sit contra eumdem Ouied. *suprà*, necnon Pet. Hurt. & Arriaga sentientes pro tali casu oppositum. Illum *disp. 8. physic. sect. 2. subsect. 2.* hunc. *disp. 7. Phys. sect. 2. subsect. 2.* Probo autem primò: quia licet entitas causæ connexa sit cum possibilitate effectus, semper manet per locum intrinsecum verum, deficiēte sola possibilitate effectus, & persistente nihilominus per impossibile entitate causæ, non fore illam potentem proxime illum causare. Quod sufficit, vt possibilitas effectus, seu causationis eius ad potentiam proximam causæ intrinsecè, & necessario pertinere dicatur, iuxtà doctrinam eamdem *prop. 1.* Quomodo autem ex hypothesi impossibili non sequatur per locum intrinsecum vtrumque cuiusuis contradictionis extremum, vtiliterq; subinde ex illa sæpe arguatur, (vti nos in præsenti) ad rerum essentias perscrutandas, ex dicendis *disp. 11.* compertum fiet. Secundò probo: quia quoties aliqua denominatio ex genere suo est semiextrinseca includens scilicet in suo conceptu reali aliquid subiecto denominato extrinsecum, non definit talis esse, neque illud includere; tametsi in aliquo casu subiectum cum tali extrinseco connexum sit, vt patet in denominatione dissimilis, qua denominatur creatura dissimilis Deo, nec minus in suo conceptu reali includit ipsum Deum, quam si creatura cum illo connexa non esset. Sed denominatio potentis proxime actum semiextrinseca subiecto est, actúsque possibilitatem includit in suo conceptu reali, quando cum tali possibilitate subiectum connexum non est, vt paulo antea probauimus. Ergo tantumdem est dicendum, etiam si ponatur connexum, vt modo contendimus.

Deniq; probari potest propositio vniersè: quia 132
quoties duo subiecta per eūdem actum exercentur, potentia proxima vnius subiecti ad talem actum nequit constare sine potentia proxima alterius, imo illam ambibit in se, vt *propos. 4.* probatum est. Sed causa, & effectus exercentur per eundem actū, quo causa causat, & effectus causatur: ergo causa nequit esse proxime potens causare effectum, quin effectus proxime possit causari à causa; tum potentia proxima causæ claudit potentiā proximam effectus, & vice versa. Ast possibilitas effectus ad potentiam proximam eius intrinsece pertinet: quia posse causari cadit supra possibile. Ergo possibilitas effectus intrinsece etiam pertinet ad potentiam proximam causæ. Idemq; argumentum effici potest circa possibilitatem ipsius causationis, quia causa ob eamdem rationem nequit exercere causationem effectus; donec causatio à causa exerceri possit; causatio autem exerceri nequit à causa, donec possibilis sit, vt constat. Quod autem de potentia causæ ad causationem dictum est, pariter habet locum in reliquis omnibus potentiis respectu suorum actuum.

Dices. Causatio effectus actualis absque potentia 133
proxima causæ actualiter existente cōsistere nequit. Ergo potentia proxima causæ per possibilitatē causationis, quæ non est quid actu existens, nequit constitui: repugnat enim actu existere aliquod totum, cuius omnia constitutiua non sunt actu existentia. Respondeo, vt potentia proxima causæ, quæ denominatio quædam est semiextrinseca, dicatur actu existere, sat esse, quod existat actu id, quod conceptus eius realis dicit in recto, quin opus sit, quod existant omnia, quæ dicit in obliquo, è quorum numero est possibilitas causationis. Quod aliis huiusmodi denominationibus commune est, vt *infrà suo loco* videbimus. Neque est

necesse

necesse, vt omnia, quæ quoquo modo iuuant causam physicam ad exercitium causationis, aut quoduis aliud subiectum ad exercitium actus, intrinsecè que subinde pertinent ad potentiam proximam eius, actu existentia sint absolutè, dum actus absolutè existit. Sunt enim aliqua, quæ citra absolutam existentiam è suo statu iuuare possunt, aut per modum causæ intentionalis; quo pacto iuuant finis, & alia obiecta; aut per modum conditionis; quo pacto iuuant possibilitas actus, negatio impedimenti ad ipsum, quæ nihil est existens; & alia huiusmodi. De quo plura *suo loco*.

134 Ex dictis infero primò, omnipotentiam diuinam prout existentem intrinsecè requisitam esse ad potentiam proximam cuiusuis actus; tum quia nequit non esse ea vnum ex subiectis ad eum concurrentibus; tum quia in possibilitate proxima eius intrinsecè clauditur, vt *suo loco* exponemus. Secundò infero non solam possibilitatem actus remotam, sed etiam proximam, quæ præter omnipotentiam includit in suo conceptu decretum Dei de existentia actus, in huius potentia proxima intrinsecè claudi: quia subiectum nequit esse potens proximè actum, donec actus proximè possibilis sit. Tertiò infero ad potentiam proximam actus prout exercendi in aliquo temporis instanti determinato, insuper requiri possibilitatem proximam durationis actus pro tali instanti; quæ mea quidem sententia, donec ipsum instans accedat, non adest: quia consistit in existentia sine contradictione conditionata talis durationis, quæ sicut & existentia ipsius durationis absoluta tali instanti per essentiam affixa est, vt vberius est explicandum, ac probandum *suo loco*.

Propositio 6.

135 Ex eo quod aliquid sit requisitum ex parte actus, vt terminus conuexionis eius, non sit esse illud requisitum intrinsecè ad potentiam proximam actus. Vnde hæc plenè constituta, & existens potest intelligi independenter ab existentia eiusmodi termini.

Hæc propositio potissimum fundamentum est totius doctrinæ de libertate à nobis exhibendæ *infrà suo loco*. Quocirca veritas eius sedulo est animaduertenda, & diligenter obseruanda. Probatur autem primò. Quia effectus per actionem productus essentialiter est requisitus ex parte actionis vt terminus connexionis eius, siquidem actio sine effectu per eam producto nullatenus potest existere, vt apud omnes in confesso, & satis ex se euidens est; & tamen certissimum etiam est apud omnes, effectum per actionem productum ad potentiam proximam, qua causa talem actionem potest elicere, intrinsecè non pertinere. Alioquin nullus effectus esset ab aliqua causa liberè producibilis: quia in nulla causa potentia proxima ad producendum effectum esset compatibilis cum carentia effectus, prout ad eius libertatem requiritur. Tum effectus simul esset prior, & posterior natura sua productione, & se ipso secundum idem esse physicum, & in eadem serie originis. Quæ sunt absurda. Igitur terminus connexionis actus requisitus ad existentiam eius, non eo ipso est requisitus intrinsecè ad potentiam proximam actus.

136 Secundò nihil magis est requisitum ad existentiam cuiusuis actus, quam ipsemet: cum prorsus repugnet actum existere sine se ipso. Et tamen nullus actus ad suam potentiam proximam intrinsecè spectat; actumque liberum speciatim extrà conceptum eius esse, certò certius est, vt statuimus *propos.* 2. Ergo titulo requisiti ad existentiam actus præcise nihil est, quod ad potentiam proximam eius intrinsecè pertineat.

Tertiò. Ponamus causam proximè liberam ad duos actus vicissim inter se connexos. Quod citra dubium est possibile. Compertum est alterum eorum actuum ad potentiam proximam alterius intrinsecè non pertinere. Alioquin causa ad neutrum maneret libera contra suppositionem: quia potentia proxima ad alterutrum connexa esset cum illo essentialiter ratione alterius, quo constitueretur intrinsecè. Tum si alteruter eorum actuum includeretur in potentia proxima alterius, sequeretur primo eos mutuo se ipsos causare secundum existentiam physicam in eodem genere causæ. Quod constat impossibile esse. Secundo sequeretur potentiam proximam ad coniunctum vtriusque actus ipsum coniunctum claudere in suo conceptu, quod etiam repugnat: quia omnis potentia præsertim libera adæquate debet esse distincta ab actu, cuius est potentia, vt dicebamus nuper. Tertiò sequeretur coniunctum vtriusque actus non fore possibile proximè donec existeret: quia neuter eorum ante existentiam alterius proximè possibilis esset. Quod etiam est absurdum. Simile argumentum conficies, si ponas actum liberum vnius causæ cum actu libero alterius connecti mutuo, aut saltem non mutuo, provt sæpe euenit de facto, vt cernere est in prædefinitione Dei libera de actu humano, in actu fidei libero de eodem, in aliisque huiusmodi. 137

Quartò. Si requisitum ad existentiam actus eo ipso pertineret intrinsecè ad potentiam proximam eius; contradictorium actus oppositi pariter pertineret: quia ad existentiam actus non minus est requisitum contradictorium actus oppositi, quam est quilibet alius terminus connexionis eius, vt constat (quidquid sit contradictorium actus oppositi, iuxta diuersas sententias de negationibus *disp. 9. q. 3.* exhibendas.) Hinc autem plane fieret, vt tolleretur è medio omnis libertas contrarietatis tam à diuina, quam à creata voluntate: quia nulla voluntas posset esse proximè libera ad eliciendam volitionem, vel nolitionem oppositam pro arbitrio suo. Quod est absurdum. Probo conspicue: quia potentia proxima ad volitionem, & potentia proxima ad nolitionem, in quibus consistit ea libertas, absque negatione nolitionis, quâ constitueretur prima, & absque negatione volitionis, quâ constitueretur secunda, consistere non possent, vt constat. Quo fieret, vt dum voluntas eliceret volitionem, non posset non defectu negationis huius carere potentia proxima ad nolitionē, & vice versa, dum eliceret nolitionem, non posset non carere pariter potentia proxima ad volitionem. Nunquamque subinde eliceret volitionem potens elicere nolitionem, vel è conuerso. Quod est in nullo euentu fore illam proximè liberam ad eligendam pro arbitratu volitionem, vel nolitionem. Clarius. Potestas, siue libertas proxima ad eligendum inter volitionem, & nolitionem absque omissione, seu negatione amborum actuum simul in voluntate existente constare non posset, iuxta dicta: ergo casu, quòd voluntas alterutrum eorum eliceret, tali libertate careret; & consequenter etiam casu, quòd omitteret ambos: quia eo etiam casu non haberet potentiam proximam ad vtrumuis compatibilem cum vtrouis, qualis debet esse libertas ad eligendum inter illos, vt est notissimum. 138

139 Vlterius. Si ad potentiam proximam actus intrinsecè esset requisita negatio actus oppositi, alia insuper non minora sequerentur absurda. Primum. Dum Deus elicit volitionem, nullatenus esse ipsi liberam negationē nolitionis oppositæ, nequit enim esse ipsi libera libertate mediata, scilicet media volitione, quam elicit; siquidem hanc naturæ prioritate præcedit, vtpote pertinens intrinsecè ad potentiam proximam eius. Sed neque libertate immediata, siquidem ad nolitionem, cuius ea est negatio, Deus in eo casu potentiam proximam non habet defectu negationis volitionis intrinsece requisitæ ad talem potentiam; subindeque ad impediendam illam per ipsam nolitionem impotens est. Si dicatur posse Deum liberè omittere volitionem, quam elicit, sicque per eius omissionem constituere potentiam proximam ad nolitionem, quæ sibi deerat; alia inde absurda proueniunt. Vel enim omittit purè volitionem, non elicita nolitione contraria, vel, hac elicita, non purè. Si hoc secundum: ergo omittit liberè volitionem sine libertate ad eam omittendam, qua nequit non in tali casu carere defectu negationis nolitionis ad illam intrinsece requisitæ. Si autem dicatur primum. Ergo Deus liberè simul, & non liberè omittit purè vtrumque actum. Liberè: quia ponitur, omissionem volitionis liberam esse, per eamque reddi etiam liberam omissionem nolitionis oppositæ. Non liberè verò, quia repugnat liberè nasci à voluntate omissionem ratione libertatis ab omissione ipsa oriundæ, post ipsamque exercitam aduenientis: casu autem, quod Deus omitteret vtrumque actum liberè, omissio volitionis constitueret voluntatem diuinam proxime liberam ad omissionem nolitionis; & vice versa, omissio nolitionis ad omissionem volitionis. Quæuisque talium omissionum subinde prius natura esset, quam esset in voluntate sua libertas constituta per alteram; atque ita vtrauis ratione libertatis à se oriundæ, & post se exercitam aduenientis libera esset. Tum mutuo se vicissim causarent; liberè quidem, quia libertas constituta per vnam præcederet alteram, & simul non liberè: quia alterutram antecedenter exercitam sequeretur eius libertas. Quæ omnia contradictione sunt plena. Eademque pariter absurda in voluntate creata possunt inferri, dum ea sufficiente cognitione non caret ad eliciendos actus oppositos, vti nunquam caret diuina.

140 Quintò deniq; probatur propositio à priori. Quia quod ex parte actus ad eius existentiam est requisitum, non eo ipso est requisitum ex parte subiecti ad ipsum actum exercendum: fieri enim potest, vt aliquid ex parte actus requiratur ad existentiam, quin requiratur ex parte subiecti ad actus exercitium: id autem quod ex parte subiecti ad exercitium actus requisitum non est, neque vt subiectum euadat proximè potens actum est intrinsecè requisitum, vt statuimus *prop.* 3. sine illoque existente proinde potentiam proximam ad actum adæquatè constitutam, & existentem potest subiectum ipsum habere. Tunc autem aliquid ex parte solius actus præcisè, non item ex parte subiecti ad exercitium actus est requisitum, quando illud eiusmodi est, vt verum sit per locum intrinsecum, fore vt subiectum nihilominus ad actum sine illo exercendum proximè potens esset casu quod actus sine illo posset existere. Sicut è contrà: tunc aliquid ex parte subiecti, non verò ex parte actus requiritur ad ipsius actus exercitium, quando verum est per locum intrinsecum, fore vt eo deficiente nullatenus maneret subiectum proximè potens actum, quantumuis actus sine illo existere posset. Ex parte autem vtriusque, tunc aliquid requisitum erit, quando, eo deficiente, neque subiectum exercere actum, neq; actus existere poterit in quauis hypothesi impossibili. Nos quippe discrimina huiusmodi requisitorum, aliter quàm per huiusmodi veritates conditionatas de conditione impossibili, neque deprehendere possumus, neque explicare; cum tamen videntes intuitiue in ipsis rerum naturis inspiciant illa, atque discernant.

Stat itaque terminum connexionis actus requisi- 141
tum ad existentiam eius bene posse ad potentiam proximam actus intrinsecè requisitum non esse, ita vt potentia non minus possit intelligi constituta, & existens ante existentiam talis termini, quam ante existentiam ipsius actus cum ipso termino connexi. Sed dubitari tamen potest an vt causa actus (subiecto) sit proxime potens respectu actus, necesse sit, quod causa etiam termini sit proxime potens respectu termini? Respondeo id non esse necessarium, sed sufficere quod sit possibilis potentia proxima, sine qua terminus esse nequit. Nam causa actus, vt sit ad illum proxime potens, non magis eget potentia proxima ad terminum, cum quo actus connectitur, quam termino ipso; cum propter terminū dumtaxat poscat potentiam proximam eius; sed non eget termino vt existente, sed tantùm vt possibili, prout opus est, vt actus cum eo cōnexus sit possibilis, vti ex dictis liquidum est. Ergo neque eget potentia proxima ad terminum vt existente, sed tantum vt possibili. Patet id in actu imperante connexo cum actu imperato, tanquā cum quodam termino. Nam causa imperans proxime impotēs est respectu actus imperantis antequam causa, cui imperatur, sit proximè potens respectu actus imperati: siquidem potentia proxima ad actum imperatum per ipsum imperantem completur. Et vniuersim, quoties potentia proxima termini dependet in sua existentia ab actu connexo cum termino, potentia proxima ad actum bene constare potest independenter ab existentia potentiæ proximæ ad terminum. Ponamus enim causam actus illum libere omittere, tunc certè non existet potentia proxima ad terminum constituenda per existentiam actus, & tamen existet potentia proxima ad actum constituens libertatem proximam ad actum ipsum. Quod si potentia proxima ad actum sine potentia proxima ad terminū constare potest, quando hæc per actum ipsum completur, ab eoque subinde dependet, etiam quando dependet constare poterit: quia potentia ad actum non magis requirit potentiam proximam ad terminum pro vno casu, quam pro aliis; sicuti non magis requirit terminum ipsum; vtpote cum quo æquè pro omnibus casibus connectitur actus, vt supponimus. Igitur quia terminus, de quo loquimur, tantum requiritur propter actum, & potentia proxima ad terminum propter ipsum terminum; sicut ad potentiam proximam actus non existentia, sed tantum possibilitas actus requiritur: ita ad eamdem potentiam non existentia, sed tantum possibilitas requiritur tum termini, tum potentiæ eius. Hoc tamen discrimine, quod possibilitas actus intrinsecè pertinet ad potentiam proximam eius, vt *propos.* 5. statuimus; possibilitas verò termini, & potentiæ eius tantum requiritur ad illam extrinsecè, quatenus pariter requiritur ad possibilitatem actus, vt terminus connexionis eius. Sed notare tamen oportet obiter actum posse connecti cum termino, vel prout existente in eadem mensura temporis, in qua existit ipse actus,

vel

vel prout existente in diuersâ siue præteritâ, siue futurâ. Tum vel prout existente in eodem signo naturæ secundum ordinem originis, siue causalitatis, in quo actus existit; vel prout existente in diuerso siue priori, siue posteriori. Tum denique vel prout existente in eodem statu cum actu, vel prout in diuerso iuxta varietatem statuum entium *infrà disp.* 10. exhibendam. De quibus omnibus speciatim plura *suis locis* dicenda venient.

143 Opponet tamen aliquis contra dicta: vt causa sit proximè potens respectu actus, necesse est, quod omnes causæ physicæ ad eumdem actum concurrentes sint quoque proximè potentes ad illum, iuxta doctrinam stabilitam *propos.* 4. Ergo vt causa actus sit proximè potens ad actum, necesse etiam erit, quod causa termini, cum quo actus connectitur, sit proximè potens ad terminum. Nego consequentiam: quia potentia proxima comprincipij ad eumdem actum concurrentis requiritur ex parte causæ ad exercitium talis actus: potentia verò proxima termini, cum quo actus connectitur, non requiritur ex parte causæ, sed ex parte ipsius actus, sicut requiritur ipse terminus. Vnde sicut potentia proxima adactum non claudit in se terminum; ita nec claudit potentiam proximam ad terminum. Deinde quando plures causæ influunt in eumdem actum, omnes se vicissim adiuuant ad illum eliciendum: causa verò termini, cum quo actus connectitur, non magis influit in actum, quam ipse terminus; atque adeo causam actus ad actum eliciendum proprie non iuuat. Ecquis enim dicat, Antchristum prout peccaturum in sua differentia temporis, propriè adiuuare modo meum intellectum ad eliciendum actum fidei connexum cum suo peccato? Ex quibus omnibus apparet de potentia proxima ad terminum, cum quo actus connectitur, de reliquisque ab ipso termino requisitis eodem modo philosophandum esse in ordine ad potentiam proximam actus: omnia enim hæc cum ipso termino extra conceptum realem talis potentiæ sunt, vt vidimus, sicut & actus ipse.

Propositio 7.

144 Ad potentiam proximam actus omnimodis adæquatam & plenam intrinsecè requisitū est, quòd sit verum conditionatè, extiturum sine contradictione terminum connexionis actus, si existat actus ipse.

Hæc etiam propositio eximij est momenti ad materiam de libertate: Itaque licet existentia absoluta termini connexionis actus ad potentiam proximam actus requisita non sit, prout euicimus, *propos.* 6. attamen vt talis potentia sit omnino adæquata & plena, intrinsecè requisita est ad illam conditionata veritas de existentiâ sine contradictione talis termini sub conditione existentiæ actus. Nam hoc ipso quod actus nequit existere sine termino, potentia proxima actus nequit esse omnino adæquata, tali veritate seclusâ; sed inadæquata est quodammodo; quatenus scilicet potentia proxima actus, & potentia proxima termini simul acceptæ proximè, & absolutè possunt exequi actum & terminum. Potentia verò proxima actus sumpta seorsim, dumtaxat potest exequi actum veluti sub conditione, quod potentia proxima termini exequatur terminum: quod ipsum est esse eam veluti inadæquatam, donec sit verum extiturum siue contradictione terminum, si existat actus.

145 Probemus id, exempli, & claritatis gratia, in causis liberis actus, & termini: primò quia eo ipso quod nequit actus sine termino existere independenter à nutu causæ liberæ termini actus à suâ causâ poni non potest, atque adeo hæc plenum, & adæquatum dominium actus non habet, quousque in suâ manu habet nutum causæ termini, qualiter habere censetur, cum primum est verum ponendum a suâ causâ sine contradictione terminum, si ponatur actus à suâ.

Secundò: quia si causa termini liberè omittat illum 146
ponere, quo casu causa actus erat positura actum, si poneretur terminus, causæ actus nullomodo est imputabilis omissio actus: quia in tali casu non stat per ipsam, quod actus non ponatur: ergo in tali casu causa actus non habet adæquatam dominium, atque adeo neque adæquatam potentiam proximam actus, alioquin ei imputaretur actus omissio. Si verò è contra verum sit ponendum sine contradictione à suâ causâ terminum, si ponatur actus à suâ, & hæc nihilominus actum omittat; tunc actus omissio soli imputabitur causæ actus: quia in tali casu per ipsam solam stat quod actus non ponatur. Igitur per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus completur in causâ actus adæquatum dominium, & consequenter adæquata potentia proxima eius.

Tertiò. Tunc censetur quis habere in suâ plenâ 147
& adæquatâ potestate consequutionem finis, cum verum est, præstanda cum effectu ab aliis cætera ad illam necessaria, casu quod ille præstet omnia, quæ dependent ab ipso. Tunc verò secus, quando id non est verum, vt constat. Ergo tunc causa libera actus in suâ plenâ potestate habet eius exequutionem, cum verum, est ponendum sine contradictione ab aliâ terminum necessarium ad actum casu quod actus ipse ponatur à suâ.

Quartò. Cum terminus connexionis actus à so- 148
lâ causâ actus dependet (vti dependet effectus à sola causa actionis, media qua fit) idcirco talis causa plenè, & adæquatè est potens ponere actum, quantumuis hic sine termino poni non possit, quia positio actus infallibiliter fert secum positionem termini; alioquin certè non futura adæquatè potens, si positio actus infallibiliter secum non ferret positionem termini, sed hoc ipso, quod est verum, ponendum sine contradictione terminum, si ponatur actus, positio actus infallibiliter fert secum positionem termini, à quâcumque ille causa ponendus sit; secus si id verum non est. Ergo veritas conditionata de existentia sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus, plenè & adæquatè potentem constituit causam actus ad ipsum ponendum. Imo verò causa etiam se sola ponens actum, & medio ipso terminum; ideo antequam actum ponat, est potens adæquatè illum ponere, quia licet actus nequeat sine termino existere, talis tamen ille est ex suo conceptu, vt si ponatur, necessariò feret secum terminum ipsum. Quod ipsum est, talem etiam causam plenè & adæquatè constitui potentem ponere talem actum per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini sub conditione eius.

Quintò: sublatâ dictâ veritate solâ, & cæteris 149
omnibus permanentibus causa actus sumpta seorsim simpliciter, & absolutè est impotens ponere actum: ergo potentia reddens causam simpliciter, & absolutè potentem ponere actum, qualis est plena, & adæquata, intrinsecè ad suam constitutionem requirit talem veritatem. Consequentia est euidens ex doctrina *propos.* 1. Antecedens proba-

tur planè, quia causa simpliciter & absolutè est impotens ad ponendam chymeram, sed positio actus, dicta veritate sublatâ, est chymera: quia si eâ veritate sublatâ existeret actus, actu existente, aut non existeret terminus connexionis eius, aut non existeret sine contradictione, quorum vtrumque est chymera, vt constat. Ergo.

150 Hinc sextò à priori. Quia sicut possibilitas actus ita est conditio ex parte causæ requisita ad actum ponendum, vt potentiam proximam eius constituat intrinsecè, vti *proposit.* 5. probatum est; sic veritas conditionata de existentiâ sine contradictione termini connexionis actus sub conditione existentiæ actus ita est conditio ex parte causæ requisita ad actum ponendum, vt proximâ quoque, & adæquatam potentiam eius constituat intrinsecè. Quandoquidem tali veritate sublatâ non minus redditur actus respectu causæ sumptæ seorsim impossibilis; quàm sublatâ possibilitate ipsius actus redderetur. Iam verò, quòd potentia proxima, & adæquata causæ per prædictam veritatem conditionatam, etsi hæc nihil absolutè ponat in esse, constitui possit, maiorem difficultatem non habet, quàm quod per possibilitatem actus in quadam etiam veritate conditionatâ consistentem possit constitui. De quo iam actum est *propos.* 5. *citatâ.*

151 Stet ergo firmum potentiam proximam plenam omnino, & adæquatâ actus connexi cum alio quopiam termino per veritatem conditionatam compleri constituique intrinsecè de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus. Dico *sine contradictione:* quia ex hypothesi, quod existat actus connexus cum termino, semper, & necessario sequitur, atque adeo semper, & necessario est verum existere terminum. Quod tamen sub tali hypothesi sit verum existere terminum sine contradictione, aut cum illa, id pendet ex nutu, & determinatione causæ, à qua est oriunda liberè positio termini; quando ea ab aliquâ libertate est oriunda distincta à libertate actus. Supposito enim, quod per positionem actus non sit tollenda libertas ad terminum, quando causa termini aliàs pro suo arbitratu est positura terminum, verũ est sine contradictione terminũ ex hypothesi, quod existat actus; secus quando aliàs causa termini liberè, se ad non ponendum illum est determinatura e. g. casu quòd Petrus aliàs est liberè peccaturus in instanti A. verum est. Si extiterit reuelatio diuina de peccato Petri pro instanti A, existet peccatum ipsum sine contradictione. Casu verò quòd Petrus aliàs non est peccaturus liberè pro instanti A, sub hypothesi reuelationis diuinæ de peccato Petri pro instanti A, duo contradictoria erunt vera, nempe & peccaturum Petrum pro instanti A, quia id infert essentialiter reuelatio, & non peccaturum, quia Petrus pro tali instanti nutu suo non est peccaturus. Nec mirum, cum in tali casu hypothesis sit impossibilis consequenter. Verùm de hoc puncto vberior sermo habendus suo loco est. Hic solùm restat aduertendum. Quod diximus e. g. de actu causæ liberæ relatè ad terminum connexionis, etiam à causâ libera oriundum, pariter in omnibus actibus quorumuis subiectorum respectiuè ad quosuis terminos habere locum.

152 Itaque ex dictis in hac, & præcedente propositione concluditur, veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini connexionis actus sub conditione ipsius non solum requisitam esse, sed etiam esse sufficientem, si cætera adsint ad constituendam potentiam adæquatam proximam actus. Quod insuper confirmari potest: quia nequit non esse sufficienter constituta potentia plena, & adæquata proxima actus, quando ipsi est proximè possibilis actus adæquatè, & plenè: nequit autem non esse talis quando verum est ipsum absque vlla contradictione extiturum, si hic, & nunc existat. Quod nequit verum non esse, quando, stantibus cæteris requisitis, verum est extiturum sine contradictione terminum, si existat actus ipse.

Propositio 8.

Ad potentiam proximam actus bene potest esse 153
aliquid requisitum extrinsecè, vt terminus connexionis eius, quin ad eamdem vt constitutiuum eius extrinsecè requisitum sit.

Est certum: quia sicut cætera cuiuslibet generis entia cum alio quopiam ad suam essentiam intrinsece non pertinente possunt esse connexa: ita potentia proxima ad actum cum alio quopiam potest connexa esse, quod in suo conceptu essentiali intrinsecè non includatur. Tum sicut aliquid requisitum ad existentiam actus potest nullomodo proximè in actum influere, atque ita extra potentiam proximam actus esse, vti *proposit. 6.* statutum est, ita aliquid requisitum ad existentiam potentiæ proximæ actus potest nullomodo proximè in actum influere; sicque ad ipsam potentiam proximam actus intrinsecè non pertinere. Id quod veluti à posteriori constat etiam apertè: quia quando potentia proxima ad actum, cum actu ipso connexa est, actus ad existentiam eius est requisitus; & tamen actus nec clauditur intrinsecè in conceptu reali talis potentiæ, iuxta doctrinam statutam *proposit* 2. nec vllomodo in seipsum influit, vt est notissimum.

Ex hâc certissimâ veritate manifestè refutandi 154
veniunt quidam Recentiores dicentes principia conseruatiua causæ ad actum primum proximum eius intrinsecè spectare vt conditiones requisitæ ad causandum: quia, inquiunt, non minus est necessarium, vt causa producat effectum, quòd causa conseruetur à suis principiis, quàm quòd sit approximata ad passum, instructaque cæteris conditionibus, sine quibus causare nequit. Etenim hoc contra communem Philosophorum consensum, siue existimationẽ est. Quis enim hactenus putauit causas remotas quantumuis ad existentiam proximæ requisitas cum hac immediatè concurrere ad eius effectum causandum, adhuc vt conditiones? Quàm autem id sit falsum constat ex dictis: quia quod requiritur præcisè vt existat causa, qualiter solum requiruntur principia conseruatiua eius, non eo ipso simul cum causa influit immediatè in effectũ, ipsamve aliquo modo iuuat ad influendum. Alias Deus per decretũ quo conseruat voluntatẽ creatam, influeret cum illa ad peccatũ ad illudque eam iuuaret, quod est absurdum. Tum simul cum actu fidei de Deo vt infinitè sapiente omne ens existens, possibile, & impossibile concurreret immediatè ad actum charitatis oriundum à tali actu fidei. Quod est ridiculum. Quandoquidem titulo connexionis essentialis, quam talis actus fidei habet cum sapientiâ diuinâ, & media illa cum omni ente cognito à Deo, non minus est omne ens requisitum ad existentiam ipsius actus, quàm quæuis causa conseruatiua eius. Porrò principia cõseruatiua causæ solùm requiri, vt ipsa existat, & ab Aduersariis supponitur, & ex se satis notum est. Si enim causa à se ipsa posset existere, ad nihil vtique indigeret principiis conseruatiuis sui, quà talibus; eisque subinde deficientibus, æque illa

per

per locum intrinsecum proximè potens ad operandum existere posset, ac modo. Quod argumento est, talia principia ad potentiam proximè operatiuam eius intrinsecè non pertinere, vt dicebamus in simili *propos.* 6. Et confirmari potest ex dictis: quia si essentia causæ, & quælibet alia essentia creata à suo conceptu reali excludit, nec potest non excludere omnia principia conseruatiua sui quantumuis illis indigeat ad existendum, cur essentia potentiæ proximæ ad operandum, quam causa habet, non excludet pariter à suo conceptu reali omnia principia conseruatiua sui (è quorum numero sunt conseruatiua causæ) quantumuis ilis indigeat ad existendum?

155 Quod si principia remota actus titulo talium ad potentiam proximam eius intrinsecè non pertinent, meréque remote subinde manent, etiamsi ad existentiã talis potentiæ, alicuiusve in illa inclusi sint requisita, multo minus pertinebunt, quando requisita non sunt, vt sæpe contingit. De quo, supposità doctrinâ traditâ, nullum est dubium. Alioquin nullum principium remotum actus esset possibile; quod simul proximum non esset. Quod quam sit absurdum, & ex ipsis terminis, & ex *superius* dictis satis est notum.

Propositio 9.

156 Potentia proxima actus ad actum ipsum prout existentem intrinsecè requisita non est. Extrinsecè verò aut requisita, aut non requisita esse potest.

Prior propositionis pars inde constat: quia potentia proxima, & actus inquantum existens conceptus sunt inuicem se excludentes, prout *suprà propos.* 2. statutum est. Posterior autem inde, qui actus aut connexus, aut non connexus cum potentiâ proximâ, à quâ procedit, potest existere. Cæterum, omissâ priori parte, quæ ex doctrinâ propositionis citatæ satis est nota. Pro maiori posterioris intelligentiâ notandum est, etsi possit euenire, sæpeque eueniat, vt actus cum eâ numero potentiâ proximâ, à quâ procedit, seu cuius est actus connexus sit, vt cernere est in actibus existendi, subsistendi, durandi, aliisque huiusmodi, qui suopte conceptu cum his indiuiduis subiectis, sub indiuidúisque conditionibus, ac circumstantiis connexi sunt, attamen etiam euenire potest, sæpeque euenit, vt actus non cum eâdem numero potentiâ proximâ, à quâ est, bene tamen cum aliquâ talis speciei connexus suâ naturâ sit. Sic enim volitio obiecti A. necessario posscit oriri à potentiâ proximâ voluntatis constitutâ per cognitionem aliquam obiecti A. sed non ab ea, à qua de facto oritur, constitutâ per talem numero cognitionem. Et productio caloris in ligno ab aliqua potentia proxima huius ignis constituta per aliquam approximationem ad tale lignum petit nasci; non tamen à constitutâ per hanc numero approximationem. Pariterque in similibus. Nihilominus vtriusque huiusce generis actus cum sua proxima potentia connexos absolutè vocamus: qui vel cum hac, aut alia simili ita connexi sunt, vt si hæc deficeret, esse non possent, nisi alia similis supplens eius vicem accederet. Sunt enim aliæ potentiæ proximæ adeò non requisitæ ad actum, in quē influunt de facto, à nobísque subinde absolutè non requisitæ nuncupatæ, vt licet desint, nihilque vice earum accedat subiecto actus, adhuc tamen manere illud potest, sæpéque manet proximè potens actum ipsum. Talis est potentia constituta per imperium, quo voluntas aliquem actum inperat, illumque medio imperio causat: cum tamen ad causandum eumdem per se immediatè præscindendo à tali imperio, ac proinde secluso, sit proximè potens, & cæteræ huiusmodi constitutæ per aliquid de facto adiuuans subiectum ad exercitium actus; cum tamen ad tale exercitium nullatenus sit requisitum. 157

Ex quibus patet præterea, quæ ex parte subiecti ad exercitium actus sunt requisita, intrinsecéque subinde constituunt potentiam proximã requisitam ad actum, iuxta doctrinam *propos.* 3. alia, quæ ex parte subiecti etiam se habent, ipsumque quoquo modo iuuant ad exercitium actus, ad potentiam proximam actus non requisitam ad actum ipsum intrinsecè spectare, ad illámque proinde intrinsecè requisita esse. Hæc satis pro præsente quæstione.

DISPVTATIO IX.

De ente, essentiâ, & existentiâ, atque de opposito Non ente.

QVANQVAM hæc disputatio ad Metaphysicam fere pertineat; oportuit tamen hue inferere illam: tum quia termini eius inter obiecta intellectionis humanæ, de quibus agimus, primum sibi post terminos disputationis præcedentis vẽdicant locum. Tum maximè, quia tractatio eorum eximiè confert ad ea, quæ in sequentibus sunt dicenda, ex dictisque in præcedentibus naturaliter fluit. Erit autẽm sermo in præsenti *disp.* de Ente, Essentiâ & Existẽtiâr ealibus. Non verò de ente, Essentiâ, & Existentiâ rationis. De quibus *d.* 12. Tum sermo erit de Non ente sumpto pro negatione, siue carentiâ Entis. Non verò sumpto (vt sumi solet) pro Ente chymerico, siue impossibili. De quo. *Disp.* 11.

QVÆSTIO I.

Quid sit Ens, quid Essentia, quid existentia in vniuersum?

SVppono primò ex dictis *disputatione* 8. *quæst.* 1. illum conceptum obiectiuum dici actum in vniuersum, qui significatur per verbum, & per tempora coniugatur; à nobisque instar cuiusdam exercitij alicuius subiecti circa aliquem terminum concipitur. Estque propriissimum obiectum iudicij nostri: per quod indispensabiliter ipsi subiecto affirmatione tribuitur, negatione detrahitur. De quo *ibi* plura. 2

Suppono secundò, vnicum actum significatum per verbum *posse* actum primum vocari: quòd cæteros omnes per alia verba significabiles præcedit. Qui subinde actus secundi veniunt dicendi, vti etiam *disp.* 8. *q.* 2. *dimis.* 3. exposuimus; nec sine primo dari possunt, iuxta *propos.* 3. statutam *dicta disp.* 8. *q.* 3. 3

Suppono tertiò, omnem omnino actum tribus modis à nobis concipi posse, ac frequentissimè solere. Primò vt exercitium actuale subiecti; qua ratione significatur per verbum. Secundò cum abstractione quadam: quo pacto significatur per nomen verbale. Tertiò vt compositum cum subiecto: quo modo per participium verbi significatur, & in concreto sumi dicitur, prout latius explicatum est *supra disp.* 2. *quæst.* 4. *Consect.* 3. 4

Suppono

5 Suppono quartò. Concretum quodlibet ex subiecto, & actu, siue ex subiecto, & formâ coalescens bifariam vsurpari posse; adiectiuè videlicet & substantiuè. Adiectiuè dicetur accipi, quando subiectum directè significatur, & concipitur; actus autem, siue forma obliquè, seu ex connotato: substantiuè autem, quando vtrumque ex equo, & directè. Et concretum quidem adiectiuè sumptum semper de subiecto verificatur: substantiuè verò sumptum non item. Et quod euenit in concretis physicis coalescentibus ex subiecto, & formâ realiter inter se distinctis, seruatâ proportione, euenit etiam in concretis metaphysicis, quorum subiectum, & forma solâ ratione distinguuntur, vti latius etiam *ibidem* est explicatum.

6 His vniuersè suppositis, ad rem iam propius accedendo, suppono quinto, Verbum *esse*, sicut & alia verba, suum quoque actum significare; vsurpatur tamen dupliciter, & satis æquiuocè. Primò ad significandum actum essendi, quo vnumquodque dicitur esse, existerevè in natura rerum. Secundò ad significandum actum essendi, quo vnumquodque dicitur esse quidpiam, siue idem esse cum quopiam. Ex quibus duobus actibus primus existentia dicitur in abstracto: secundus verò strictè loquendo essentia in abstracto dici deberet, & ab identitate non differt, vt diserte docuit August. *lib. 12. de ciuit. Dei cap. 2.* inquiens *sicut ab eo, quod est sapere, vocatur sapientia, sic ab eo, quod est esse, vocatur essentia, nouo quodam nomine, sed iam nostris temporibus vsitato.* Et quoniam essentia, & substantia pro eodem solent vsurpari, idcirco verbum *esse* verbum substantiuum vocatur, in posteriori scilicet acceptione; non item in priori, in quâ sicut & cætera verba, adiectiuum venit dicendum. Hinc fit vt concretum *ens*, quod participium est verbi *esse*, bifariam etiam accipiatur. Primò pro eo, cuius abstractum est actus existendi. Secundò pro eo, cuius abstractum est actus essendi quidpiam, identitasve cum quopiam in vniuersum.

7 Cæterum supponendum est sexto; quanquam nomen verbale *essentia* in suâ primæuâ, & rigorosâ ethymologiâ actum essendi quidpiam siue identitatem significet; Iam tamen in istâ acceptione non vsurpari. Neque enim nomine essentiæ actum essendi quidpiam præcisè sumptum, sed id totum, quod vnumquodque ex suo conceptu obiectiuo intrinsecè est, intelligimus, prout subest ipsi actui. In quâ acceptione proinde essentiam deinceps accipiemus. Eâ quippe suppositâ (cum essentia cuiuscumque subiecti nihil sit aliud à subiecto ipso, quatenus per verbum *esse* substantiuum est de se ipso prædicabile, seu potius quatenus secum ipso est idem per actum essendi, quem significat tale verbum, & ab identitate non differt) factum est, vt quoties in prædicatione factâ per verbum substantiuum *esse* ex parte prælicati nihil adiicitur subiecto, sed ipsum subiectum, aut aliqua pars eius repetitur, tunc talis prælicatio essentialis, taleque prædicatum subiecto essentiale dicitur, vt tota quidem subiecti essentia, quando subiectum totum repetitur, vt si dicas. *Homo est homo* vel. *Homo est animal rationale* vt pars verò essentiæ subiecti, quando repetitur pars eius, vt si dicas. *Homo est animal*, vel *Homo est rationalis*. Quando tamen ex parte prædicati aliquid subiecto adiicitur, tunc prælicatio accidentalis, ipsumque prædicatum subiecto accidentale appellatur. Vt cum dicimus. *Homo est albus* vel *Homo est risibilis*. Adiicitur enim albedo, vel risibilitas ex parte prædicati in obliquo, quæ nullomodo erat posita ex parte subiecti. Ob idque concreta *albus, risibilis*, adiectiua, siue adiectiuè sumpta dicuntur iuxta *suppositionem* 4. Et hinc orta est diuisio prædicatorum, siue prædicabilium essentialium, accidentaliumque, quam *infra disp.* 17. exhibebimus.

Quæ cùm ita sint, consequitur primo. Actum 8
essendi quidpiam, qui est ipsa identitas, & per verbum *esse* prout est substantiuum significatur, etiamsi per se & ab intrinseco consideratus absolutè, & semper actus substantiuus vocari possit, eo quòd identitas semper censetur per se pertinere ad substantiam, & essentiam rei identificatæ, vtpotè, quæ vt subest tali actui, essentia dicitur. Per accidens tamen, & ab extrinseco actum adiectiuum, accidentalemque dici posse, quando identificat subiecto prædicatum adiectiuum ipsi subiecto accidentale. Nihilominus vt illum ab actu existendi, siue existentiâ discriminemus (qui per se, ex suóque intrinseco conceptu est adiectiuus, sicut & cæteri omnes actus per omnia alia verba significati) actum substantiuum siue identificantem, aut etiam essentialem loquendo absolutè, appellabimus, siue ille quidpiam essentiale, siue quidpiam accidentale subiecto identificet.

Secundò consequitur *Ens* sumptum pro essente 9
quidpiam, vt ita loquar, quo pacto est concretum ex subiecto, & actu essendi substantiuo, siue identificante, ens essentiale dici posse vniuersè, atque adeo debere, vt ab ente existentiali discriminetur, quod est concretum ex subiecto, & ex actu essendi adiectiuo, nimirum existentia. Diceturque ens per se, quando eius forma fuerit actus essendi identificans subiecto essentiam per se. Ens vero per accidens, quando eius forma fuerit actus essendi identificans subiecto aut prædicatum accidentale, aut essentiam per accidens, iuxta doctrinam ex Arist. tradendam *q.* 2. Itaque ens aliud existentiale, & aliud essentiale, prout explicauimus, distinctionis gratiâ, est dicendum.

Quoniam verò quidquid absolutè est quouis ex 10
dictis modis nequit non habere absolutè potentiam ad essendum, iuxta *suppositionem* 2. vsu venit inter Philosophos, vt concretum *ens* non solũ accipiatur pro eo quod est, sed etiam pro eo quod potest esse. Cum tamen hoc potius potens esse; quàm ens deberet appellari satiusque proinde erit ad distinctionem ens sumptum pro potente esse, vocare ens in actu primo, seu potentiale; ens verò sumptum pro eo quod est, ens in actu secundo, seu actuale, Quæ sunt appellationes propriæ actuum huiusmodi concretorum, vt constat. Itaque ens tam existentiale, quam essentiale aliud potentiale, & aliud actuale est.

Ex quibus omnibus iã apparet, quid sit ens, quid 11
essentia, & quid existẽtia ex suo cõceptu. Existentia enim est actus, quo vnumquodque in naturâ rerum esse, seu existere dicitur. Essentia, vt primitus vsurpabatur, actus erat, quo vnumquodque dicitur esse quidpiam, seu esse identificatum cum quopiam; vt verò eam iam vsurpamus: Essentia est id totum, quod vnumquodque ex suo conceptu obiectiuo intrinsecè est. Ens existentiale actuale est id, quod actualiter existit. Potentiale quod potest existere. Ens essentiale actuale, quod est quidpiam, siue quod est idem cum quopiam. Potentiale, quod id ipsum potest. Nec amplius, aut melius termini isti sunt explicabiles; cùm sint primi, & per se notissimi; eoque iure indefinibiles in rigore, iuxta doctrinam vniuersalem terminorum

definibi

definibilium, & non definibilium alibi tradendam à nobis. Vnde infero contra nonnullos, quos tacito nomine refert Ouied. *contro.* 1. *Metaph. punct.* 1. malè ab eis definiri, seu explicari ens existentiale potentiale, quod solum videntur agnoscere, per oppositionem cum chymerâ. Non hoc est explicare habitum per ordinem ad carentiam sui; cum tamen è contra fieri debeat; eo quod carentia non est cognoscibilis nisi per ordinem ad habitum, quem ipsa remouet. Chymera quippe à negatione potentiæ ad existendum habet esse chymæram: atque adeo per oppositionem cum potente existere, quod est ens existentiale potentiale, est cognoscibilis, seu explicabilis. De quo plura *infra suo loco.*

21 Obseruandum tamen est primò. Essentiam vniuscuiusq; rei, prout iam ab omnibus vsurpatur, aliis præterea nominibus solere indigitari. Dicitur enim quiditas rei, quia ad quæstionem. *Quid res est* per illam respondetur. Dicitur rei substantia, quia & per se stare, & cæteris conceptibus, qui illi quoquo modo accrescunt, siue adiiciuntur, aliquatenus substare concipitur. Dicitur forma: quia ab illa habet res, quod sit talis, in talive specie, & non in aliâ. Dicitur denique natura: quia est veluti principium, & radix omnium operationum, omniumve actuum, qui vel sunt quidam motus eius aut actiui, aut passiui; vel instar talium concipiuntur ex proprio actus conceptu. Natura quippe propriè sumpta nihil est aliud, quàm principium, & causa motus, & quietis eius in quo est, vti definit Arist. *lib.* 2. *Physic. cap.* 1. & *lib.* 5. *Metaph. cap.* 4.

13 Secundò obseruandum est subiectum concreti entis, quouis ex dictis modis accepti, *rem* antiquitùs nuncupari. Iam tamen vulgo nomen *res* pro totâ entitate cuiusuis entis, prout physicè iacet, sumi solet. Vtrouis tamen modo acceptum æquiuocum nomen est: quia ad plura dissimilia vt talia significanda accipitur. De quo plura dicemus *infrà disputatione* 17.

14 Tertiò obseruandum est, nomen *Entitas* ex suâ primæuâ etymologiâ actum essendi essentialem, siue identitatem significare, vtpotè quod abstractum quoddam entis essentialiter sumpti est. Iam tamen pro totâ & integrâ re solet sumi communiter. Sicque propterea expediet, vt semper à nobis sumatur.

15 Quartò obseruandum est particulam *aliquid* iuxta suam primæuam etymologiam significare *aliad quid*, siue distinctum à reliquis. Communiter tamen non ita accipitur; sed pro quâuis re quâuisque rei formalitate, & vniuersè pro quouis omnino ente, quauisve essentia conceptibili. Quo etiam sensu vsurpantur particulæ *quidpiam*, *quiduis*, & aliæ æquiualentes.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit ens? quotuplex essentia? & quotuplex existentia?

16 SVppositis variis acceptionibus entis expositis *quæst.* 1. Noto. Cùm ens quouis ex illis modis sumptum concretum quoddam sit metaphysicum coalescens ex subiecto tanquam ex materia, & ex actu tanquam ex forma, iuxta dicta *disputatione* 2. *quæst.* 4. *Conclus.* 3. ex vtroque capite posse illud diuidi imprimis potest in ens conditionatum, & absolutum. Tum in ens determinatum, & vagum. Ac rursus eorum quoduis in ens præteritum, præsens, & futurum, *&c.* Quia quilibet actus constituens ens siue secundus, siue primus, siue existentialis, siue essentialis, aut conditionatus, aut absolutus, aut determinatus, aut vagus: aut præsens, aut præteritus, aut futurus, *&c.* considerari potest. Verum de hisce membris diuidentibus multa *in sequentibus* sunt dicenda. Quò illa propterea explicanda, atque definienda remittimus. Patétque quotuplex sit existentia, & quotuplex etiam essentia sumpta pro identitate, pro actúve essendi substantiuo, seu essentiali.

Deinde ens essentiale ratione formæ in ens per 17
se, & ens per accidens est diuidendum iuxta doctrinam traditam ab Arist. *lib.* 5. *Metaph. cap.* 6. & 7. & *lib.* 7. *cap.* 1. Ens per se illud dicendum est, quod per se, & ratione sui habet esse id, quod est. Per accidens verò, quod id habet ratione alterius conceptus sibi adiacentis. Vnde ens per accidens, vt constat ex Arist. loco citato, dumtaxat est concretum, ex subiecto & actu, seu formâ adiectiuè vsurpatum; id est, sumpto subiecto in recto, & forma in obliquo. Reliqui enim omnes conceptus, qui substantiuè vsurpantur, sumptis directè, & ex æquo omnibus ex quibus coalescunt, non possunt non esse entia per se, quicumque illi sint, siue compositi, siue simplices. Cuius doctrinæ ratio ea est, quam iam *quæst.* 1. tetigimus. Quia nimirum, quando concretum adiectiuè sumptum prædicatur aut de se toto, aut de subiecto, actus essendi, qui interponitur, dumtaxat identificat ea, quæ directè accipiuntur, nempe subiectum ipsimet. Vnde quidquid aliud dicitur esse subiectum præter se ipsum, id accidentarium est ipsi: atque adeo ipsum per accidens tale quid est. Vide id in hac prædicatione *Petrus est albus.* vbi verbum *est* tantum identificat Petro ipsam Petri substantiam, quam confusè, directè tamen dicit conceptus *albus*, connotata in obliquo albedine. Quo fit, vt Petrus per accidens sit tale ens, nempe ens album. Tantumdemque euenit, quod ad rem attinet, cum prædicamus *album est album*, accepto hoc concreto adiectiuè: quia vt sic etiam denominatio talis entis oriunda ab actu essendi tale quid, cum sit denominatio identificati cum tali quopiam, dumtaxat conuenit per se subiecto concreti directe sumpto: cui accidentarium est, quod sit tale ens album. Quando verò ambo prædicationis termini substantiuè accipiuntur; atque ita quidquid est in prædicato ex æquo per actum essendi identificatur subiecto; tunc ens ex tali actu coalescens nequit non esse ens per se, quantumuis sit aggregatum ex multis casu concurrentibus: quia verè subiectum prædicationis per se, & ratione sui est totum id, quod dicitur esse, quodque ex parte prædicati se habet.

Ex quibus apparet. Quoties in prædicatione fa- 18
cta per verbum substantiuum *esse* ponitur ex parte prædicati concretum quoduis adiectiuum, tunc subiectum ab actu essendi per tale verbum significatum euadere ens per accidens; siue tale prædicatum sit tali subiecto accidentale, vt quando subiectum prædicationis est nudum subiectum concreti, veluti cum dicimus *Petrus est albus*, siue sit essentiale, vt quando subiectum prædicationis est totum ipsum concretum, veluti cum dicimus *album est album* adiectiuè: quo casu, cùm ex parte prædicati nihil adiiciatur non positum ex parte subiecti, prædicatio essentialis est; sed de essentiâ per accidens, qualis tunc est essentia subiecti, iuxta statim dicenda.

Super

19 Supereſt tamen animaduertendum. Quando concretum adiectiuum phyſicum eſt ; eo quod ſubiectum, & forma phyſicè inter ſe diſtinguuntur , vti euenit in exemplo propoſito : tunc illud ens phyſicè per accidens dicendum eſſe. Quando verò concretum eſt metaphyſicum ; eo quod ſubiectum & forma ſumpta adæquatè ſolâ ratione diſtinguuntur: tunc illud ens metaphyſicè per accidens debere appellari. In his enim ſemper ſeruatâ propoſitione debet procedi.

20 Ex his gradum facio ad explicandum, quotuplex ſit eſſentia ſumpta , vt iam communiter ſumitur, pro eo, quod vnumquodque intrinſecè eſt,& adæquatè ex ſuo conceptu obiectiuo , ſiue pro eo quod vnumquodque in eſſentiali prædicatione adæquatè ſibi identificat , ſiue coniungit per actum eſſendi eſſentialem. Etenim, vt iam ex *infrà diſput. 17. dicendis num.7.* notaui. In prædicatione factâ per verbum *eſſe* ſubſtantiuè ſumptum , tunc prædicatum ipſiſſima eſt eſſentia ſubiecti , quando vel ſub eodem, vel ſub diuerſis terminis illud integrè repetit, nihil addendo,aut detrahendo. Si enim aliquid addit,aut eſt paſſio ſubiecti, aut accidens. Si detrahit, repetendo ſolum partem ſubiecti,aut eſt genus, aut differentia, au prædicabile innominatum , vel mixtum. De quo *ibi* plura.

21 Igitur eſſentia ſic vſurpata in quatuor omnino membra diuidenda eſt. Nimirum in eſſentiam phyſicam, metaphyſicam , tranſcendentalem,& Logicam. Quarum vnaquæque rurſus in eſſentiam per ſe , quæ propriùs eſſentia nuncupatur ; & in eſſentiam per accidens, quæ minus proprie eſſentia dicitur,diuidi poterit. Eſſentia per ſe phyſica rei complectitur quidquid realiter eſt ipſa res independenter à noſtris conceptibus, & præciſionibus, ſiue ſit res metaphyſicè ſolum conpoſita ex formalitatibus ſolâ ratione noſtra diſtinctis, ſiue inſuper ex partibus diſtinctis phyſicè. Vtroque enim caſu nulla omnino erit formalitas,aut pars rei,quæ non pertineat intrinſecè ad eſſentiam phyſicam eius. Quoniam res , prout phyſicè iacet, aliud non eſt ab aggregato omnium ſuarum formalitatum,& partium: per ſéque ſubinde illud totum identificat ſibi.Eſſentia verò per accidens phyſica ea eſt, quam habere dicitur concretum adiectiuum phyſicum, dum illud integrum de ſe ipſo prædicatur ; vt ſi dicamus. *album eſt album.* In tali enim prædicatione dumtaxat identificatur per ſe ſubiectum phyſicum albedinis ſibi ipſi, quod ſolum ſumitur in recto ; per accidens verò intrat prædicationem forma, vtpote connotata in obliquo. Propter quod etiam ſubiectum formæ in quouis concreto adiectiuo phyſico eſſentia phyſica per ſe talis concreti dici poterit : quia videlicet illud ſolum ſibi per ſe identificatur, hoc ipſo, quod illum ſolum de ſeipſo prædicatur directè per verbum ſubſtantiuum *eſſe*. Tum etiam quia forma huiuſmodi concreti non poteſt non eſſe affectio phyſica ſubiecti , cuius forma eſt , de ipſo tanquam de eſſentia denunciabilis aut demonſtrabilis, per modum accidentis eius,vel per modum paſſionis.

22 Quo eodem iure factum eſt,vt etiam in concretis metaphyſicis adiectiuis ſubiectum dumtaxat formarum eſſentia per ſe metaphyſica eorum veniat appellandum,vt optimè appellant quicumque bene ſentiunt & loquuntur de eſſentiis rerum. Quia illud ſolum eſt in iſtis concretis, quod prædicatur de ſe directè per verbum ſubſtantiuum *eſt* , quando concreta prædicantur, & conſequenter , quod ſibi ipſi identificatur per ſe , prout ad eſſentiam per ſe requiritur. Tum etiam , quia formæ omnes , ſiue actus talis ſubiecti non poſſunt non eſſe paſſiones, vel accidentia metaphyſica , quæ de ipſo tanquam de eſſentiâ aut demonſtrari poſſint , aut enuntiari. Etenim vt ex dictis *diſput. 2.quæſt.4.* liquido apparet,huiuſmodi concreta metaphyſica ex ſubiecto,& actu coaleſcunt,quibus intellectus noſter eget ad iudicandum,etiam quando iudicat de re id,quod realiter eſt idem cum illa. In quâlibet autem re reali vnum tantum concipit intellectus ſubiectum radicale omnium actuum , quos ei per varia iudicia attribuit. Neque à multitudine ſubiectorum , ſed tantùm à multitudine actuum, ſiue formarum prouenit, vt eadem res plures formalitates etiam concretè ſumptas habeat, vt homo formalitates viuentis,ſenſibilis,rationalis,*&c.* quarum quælibet ſubiectum omnibus commune dicit in recto,actum verò, ſeu formam propriam in obliquo ; & ideo vna de alterâ ratione ſubiecti vtrique communis vere prædicatur in ſenſu formali , vt animal de rationali, aut è contra ; qualiter vnus actus abſtractè ſumptus de altero , aut de ſubiecto prædicari non poteſt ; vt animalitas , quæ eſt potentia viuendi , & ſentiendi , de rationalitate, quæ eſt potentia ratiocinandi. Vnde iuxta ordinarium , & naturalem modum noſtrum res concipiendi, ſolum ſubiectum metaphyſicum in ſingulis rebus à nobis conceptum prædicatur ſubſtantiuè de ipſâ re,reliquæ autem omnes formalitates adiectiuè. De quibus plura in *eâ quæſt.4.* citatâ.

23 Ex quo manifeſtè conſequitur ſolum prædictum ſubiectum eſſe eſſentiam rei metaphyſicam propriè , & per ſe loquendo : reliquas autem formalitates , aut eſſe paſſiones eius , aut accidentia metaphyſica veluti oriunda à tali ſubiecto vel radicata in ipſo. Id quod exinde confirmatur : quia primus conceptus , quem de vnaquâque re formamus , conceptus dicti ſubiecti eſt : quandoquidem de illo prius apprehenſo iudicamus cæteros omnes, quos ſubinde diſcurſu, aut aliter rei conuenire deprehendimus.Compertum eſt autem eſſentiam metaphyſicam rei , illum rei conceptum dici debere, qui cæterorum primus, ac veluti principium,& radix eorum eſt. Cum enim reliqui primo accedant, & adiiciantur,non poſſunt non illi omnes eſſe primi affectiones, atque adeo vel paſſiones eius, vel accidentia ; qualis non poteſt eſſe primus reſpectu alicuius aliorum : quare neque ille poteſt non eſſe eſſentia ; neque aliorum aliquis eſſentia eſſe poteſt ; quandoquidem nullus eſt poſſibilis conceptus rei, qui vel non ſit eſſentia eius , vel affectio eſſentiæ.

24 Exemplo doctrinam hanc illuſtremus.Cernit quis eminus rem quandam, de eâque per viſum apprehenſa , vt de ſubiecto quodam iudicat exiſtere ſeu eſſe exiſtens.Deinde iudicat poſſe moueri. Poſtmodum poſſe ſentire. Denique poſſe ratiocinari. Et poſtremo poſſe ridere. En eidem ſubiecto principiò apprehenſo attribuit homo per iudicium omnes hos actus , nimirum actum exiſtentiæ ; actum potentiæ ad ſe mouendum ; actum potentiæ ad ſentiendum ; actum potentiæ ad ratiocinandum, & actum potentiæ ad ridendum. Ex quibus totidem concreta metaphyſica emergunt , vnicum idem ſubiectum dumtaxat habentia , nempe ens ſeu exiſtens , mobile , ſenſitiuum , rationale, riſibile. Quod quidem ſubiectum vnicum primum & radicale eſſentia metaphyſica eſt talis rei , cuius accidens metaphyſicum eſt exiſtentia , paſſiones autem metaphyſicæ communes ſunt tres potentiæ priores ad ſe mouendum , ad ſentiendum,

&

& ad ratiocinandum: quia in duabus conspirat talis res cum brutis, & in tertiâ cum Angelis. Vltima denique potentia ad ridendum proprietas metaphysica est eius: quia soli homini, ad cuius speciem ea res pertinet, conuenit potentia ad ridendum. De quo iterum. Vide dicta *locis citatis*.

25 Hæc de essentia metaphysica rerum propria, & per se. Essentia autem metaphysica minus propria, & per accidens, quoduis concretum metaphysicum adiectiuè sumptum dici poterit, quatenus de se ipso adæquatè per verbum substantiuum *esse* prædicabile est, iuxta ea, quæ in simili diximus *n.* 21. *de essentiâ per accidens physica.*

26 Iam vero essentia transcendentalis ea dicitur, quæ non solum in singulis rebus, sed in singulis etiam rerum formalitatibus, siue conceptibus obiectiuis reperitur. Nullus quippe est excogitabilis in rebus conceptus obiectiuus, qui non sit ipsemet essentialiter; atque adeo, qui non habeat propriam essentiam, etiam vt ab aliis præcisus, cum essentia nihil sit aliud, quàm id, quod quidlibet essentialiter est in se. Vnde essentia transcendentalis partim coincidit cũ physicâ & metaphysica; partim ad plura, quàm illa extenditur. Nã physica solum reperitur in singulis rebus realibus integrè acceptis. Metaphysica in singulis insuper concretis metaphysicis. Transcendentalis verò in singulis præterea rerum, & concretorum formalitatibus etiam abstractis. Quo iure transcendentalis dicitur. Erit autem talis per se, si conceptus, quibus conuenit, aut sunt abstracta, aut concreta substantiua. Per accidens autem, si concreta adiectiua, vt satis ex *superius* dictis liquidum est.

27 Denique essentia logica ea dicenda est, quæ ex genere, & ex differentiâ componitur. Erit autem illa talis per accidens, si reperiatur in concretis adiectiuis tam physicis, quàm metaphysicis iuxta *superius* dicta. Per se autem si in abstractis, aut etiam in concretis substantiuis. Vtrum autem in istis omnibus genus & differentia ad componendam essentiam logicam reperiri valeant, & quâ ratione, & an essentia physica, metaphysica, & transcendentalis compositionem etiam logicam ex genere & differentiâ aliquo modo subire possint, aut etiam debeant, alterius est considerationis. De quâ *suo loco* Id modo certum independenter ab huiusmodi compositione, & præscindendo ab illâ, optimè consistere posse harum trium essentiarum conceptus, vt ex eorum explicatione satis, superque notum est.

28 Superest dicendum de diuisionibus, quas ens ratione materiæ potest subire. Quæ quidem tã multæ sunt, vt omnes illas recensere, prorsus sit impossibile. Cum enim nulla res sit excogitabilis, aut existens, aut possibilis, quæ non sit ens, nulla erunt omnino genera, aut species rerum tum existentium, tũ possibiliũ, in quas ens in sit diuisibile vel immediatè, vel mediatè. Quare impræsentiarum reliquis omnibus prætermissis, de quibusdam tantum vniuersalioribus diuisionibus, per quas ens aut immediatè, aut propè immediate diuiditur, mentionem aliquam tametsi leuem facere non fuerit abs re.

29 Primò igitur diuiditur Ens in increatum, & creatum, siue in ens à se, & ens ab alio, hoc est in Deum & creaturas, quâcumque demum ratione conceptus entis Deo, & creaturis communis sit, seu analogice, seu vniuocè. De quo *infrà suo loco*.

30 Secundò Ens in decem genera, quæ prædicamenta vocant, ab Arist. diuisum est, & ab aliis. Hæc sunt substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, vbi, quando, situs, habere verum, vtrum exacta sit hæc diuisio, & quâ ratione, quod multi late controuertunt, alibi à nobis determinatur. Vbi ea non immediata, sed mediata esse decernitur. Siquidem ens primò in substantiam, & accidens. Deinde accidens in illa nouem diuidendum venit. De singulis verò membris diuidentibus huiusmodi diuisionis entis propriis in locis agitur.

Tertiò, ens vniuersè sumptum in ens relatum & 31
absolutum diuidi potest. In ens compositum & simplex. In ens spirituale, & corporeum. In ens supernaturale, & naturale. In ens necessarium & contingens. Aliisque huiusmodi diuisionibus. Quibus etiam essentia vniuersè sumpta, aut etiam existentia diuidi potest. Sed de iis etiam suis propriis locis agendum ex professo est.

QVÆSTIO III.

Quid sit negatio entis in vniuersum.

DVobus imprimis modis solet vsurpari negatio. 32
Primò pro negatiua propositione vocali affirmatiuæ oppositæ, atque etiam pro iudicio mentis illi correspondente. Secundò pro remotione ipsa, siue carentia entis, quam eiusmodi propositio, iudiciumque sua negatione prætendunt. Ex quibus, distinctionis gratia, prima negatio actualis, secunda negatio obiectiua dicetur. Sed quoniam negatio obiectiua generatim sumpta deinde in negationem sumptam specialius (quæ etiam distinctionis gratia pura negatio nuncupabitur) & in priuationem diuidi solet, quarum prima carentia formæ in subiecto inepto, secunda carentia formæ in subiecto apto definiuntur, iuxta *inferius* dicenda, scire opus est de negatione obiectiuâ entis in vniuersum, prout negationem puram, & priuationem comprehendit, sermonem nobis esse *in præsenti q.*

Circa quam prima sententia est. Negationem 33
entis aliquid esse reuerâ existens, consistensque in natura rerum, non quidem positiuum, sed negatiuum, ab omnique subinde ente positiuo distinctum, per quod positum nihilominus verè, existensque in naturâ rerum ab ipsâ naturâ rerum remouetur ens positiuum, cuius illud ex suo conceptu, & essentia remotio, siue negatio est. Itaque iuxta hanc sententiam negatio entis, quid reale negatiuum est enti oppositum verè, & realiter existens: atque adeo incipiens esse, dum ens, cui opponitur, desinit esse, & desinens esse, dum ens, cui opponitur, esse incipit; suamque proinde essentiam, atque existentiam obiectiuè veram, affirmatinéque iudicabilem etiam à Deo, nec solum ab intellectu nostro confictam, habet. Sic tenent Conimb. *lib.* 1. *Physic. cap. vlt. q.* 7. *art.* 1. Rub. *in logic. tract. de Entis rationis n.* 13. & *lib.* 1. *Physic. Tract.* 5. *q.* 1. Soar. *disp.* 54. *Metaph. sect.* 4. & 5. Pert. Hurt. *disp.* 3. *Phys. sec.* 2. & *disp.* 9. *Metaph.* §. 66. & 72. Arriaga. *disp.* 2. *Physic. sect.* 12. & *disp.* 6. *Metaph. sec.* 5. Quied. *contr.* 12. *Metaph. pun.* 4. & plerique alij, præsertim Recentiores passim. Quorum vnanimis persuasio est, negationem aliquid negatiuum esse ab omni ente positiuo distinctum, & reuera existens modo dicto. Tametsi interdum dum exactiùs conceptum negationis fatagunt explicare, id videantur negare subindicantes negationem nihil omnino esse reuera. Nonnulli tamen ex auctoribus

huius sententiæ eã sequuntur dumtaxat, quod attinet ad negationes entium possibilium; de negationibus enim entium impossibiliũ, seu chymerarũ censent, nihil omnino esse ab entibus positiuis distinctũ.

34 Secunda sententia est asserentium nihil omnino posse existere vllomodo in rerum naturâ, quod ens positiuum non sit; atque adeo omnem negationem entis verè à parte rei existentem, siue quâ verè aliquod ens aut possibile, aut impossibile remouetur, in aliquo ente positiuo necessariò consistere. Ita olim opinati sunt aliqui, quos refert Rub. *suprà*, & modo etiam opinantur multi perdocti Recentiores. Qui tamen bipartiti sunt in istâ sententiâ explicanda. Alij enim censent negationem obiectiuam formalem in impedimento positiuo entis negati, seu remoti consistere, quod impedimentum sæpe erit aliquid creatum, plerumque tamen aliquod decretum efficax Dei. Alij huiusmodi impedimentum entis negati negationem obiectiuam fundamentalem dicunt esse; formalem verò ipsum ens negatum, prout connotans tale impedimentum, aut etiam iudicium negatiuum, per quod, tali impedimento supposito, proximè negabile est. Quocirca inquiunt negatio formaliter est ens negabile proximè. Itaque vtrique isti Recentiores impedimentum positiuum entis negati ad essentiam negationis eius exposcunt adeò, vt prorsus sit impossibile, tale ens, non esse reuera, nisi aliud quidpiam positiuum reuera existat ipsi essentialiter oppositum, siue hoc sit aliquid creatum, siue aliquod decretum Dei, differunt tamen quod priores hoc ipsum impedimentum dicunt esse formaliter & directè negationẽ seu remotionem entis negati. Posteriores verò censent illud ad talem negationem ex connotato solùm spectare.

35 Tertia sententia aliorum est, qui absolutè pronunciant negationem entis in vniuersum à parte rei penitus esse nihil, proindeque à parte rei nullum omnino habere esse, seu negatiuum, seu positiuum; sed tantum in mente nostra obiectiuè; atque ita prout à nobis concipitur, tantum esse ens rationis. Huius sententiæ sunt Gabr. *in* 1 *dist.* 24 *q.* 1. *dub.* 3. Soncin. *lib.* 6 *Metaph. q.* 18. *& lib.* 10. *q.* 15 Aureol. *in* 1. *dist.* 36. *art.* 2. Sot. *lib.* 1. *Phys. q.* 8. Fonſ. *lib.* 4. *Metaph. cap.* 2. *in Comm. litt.* E. cum Albert. & S. Th. ad eum locum. Zachar. Pascualigus *tom.* 2. *Metaph. disp.* 65. *sec.* 2. *n.* 8. *& sec.* 5. *n.* 3. *& disp.* 76. *sec.* 2. Pro quâ sententiâ haud dubiè videtur stare S. Th. tum *loco citato* à Fonſ. nempe *lib.* 4. *Metaph. lect.* 1. *&* 2. tum *quæstio.* 21. *de vertit. art.* 1. *& quæst.* 1. *de malo art.* 1. *ad vlt. & sæpe alibi*, vbi aut dicit expresè negationem & priuationem dumtaxat esse entia rationis in mente obiectiuè existentia, non item re ipsâ; aut plane supponit, vel insinuat eas à parte rei nihil omnino existens esse. Quod etiam docet August. *in lib. de Genes. ad litt. cap.* 5. dicens. *Non enim Deus feciſſe tenebras dictum eſt; quoniam ſpecies ipſas Deus fecit, non priuationes, quæ ad nihilum pertinent.* Stare etiam videntur pro hac sententia plerique antiquiores, dum inter species entis rationis negationem & priuationem absolutè recensent, diuidentes illud absolutè in relationem, priuationem, & negationem cum S. Th. *dicta q.* 21. *de verit. art.* 1. *& in* 1. *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 3. *& dist.* 19. *quæst.* 1. Quæ diuisio desumpta est ex Arist. *lib.* 4 *Metaph. cap.* 1. iuncto quod dicit *lib.* 5. *cap.* 7. *&* 15.

Propositio 1.

36 Nulla negatio est quid existens à parte rei suâ qualemcũque habens essentiam ab omni ente positiuo distinctã ante omnem nostri intellectus operationẽ.

Hæc propositio directè opponitur sententiæ primo locò relatæ. Probatur autem primò; quia si negatio esset aliquid à parte rei vere consistens, vt ponitur ab Auctoribus dictæ sententiæ, negatio re verâ esset ens positiuum ab omni ente positiuo distinctum, quod est contradictio in ipsis terminis. Esse quippe conceptum aliquem ens positiuum nihil est aliud, quam esse quid positum, vel ponibile per existentiam à parte rei. Ob id namque secundum omnes conceptus entis positiui à conceptu potentis existere, vel actu existentis nihilo differt; Siquidem ens concretum est aut ex actu essendi, aut ex potentiâ ad essendum, & ex subiecto, quod actu est, aut potest esse prout est explicatum *q.* 1. si igitur negatio re verâ quid est aut actu existens, aut potens existere, nihil in eâ potest desiderari, quominus sit reuera ens positiuum, aliundeque ponitur ab omni ente positiuo distincta: ergo. 37

Dices, ideo negationem non esse ens positiuum, tametsi reuera ponatur per sui existentiam à parte rei: quia per suam essentiam amplius non habet, quam esse meram remotionem entis positiui. Sed contra primò, quia eo ipso, quod negatio per sui existentiam ponatur in rerum natura, nequit non habere alia prædicata propria entium positiuorum, præterquam esse remotionem entis positiui; aliundeque prædicatum hoc obstare non potest, quominus ea dicatur esse ens positiuum: ergo non est cur excludatur à classe entium positiuorum. Consequentia est bona. Probo antecedens. Nam eo ipso, quod negatio ponatur existens, imprimis nequit non habere prædicatum existentis, & prædicatum potentis existere, quæ sunt prædicata constitutiua entis positiui, vt iam diximus. Deinde nequit non vel existere per se, quod est prædicatum constituiuum substantiæ, vel existere in alio, quod est prædicatum constitutiuum accidentis. Præterea nequit non esse aut quid aliquo modo impenetrabile cũ alienis corporibus, quod est prædicatum entium corporeorum, aut quid nullomodo impenetrabile cum corpore; quod est prædicatum entium spiritualium. Denique nequit non esse quid simile, vel dissimile aliis rebus, aut negationibus; quid eis æquale, vel inæquale; quid illis commodum, vel incommodum, vtile, vel inutile; quæ sunt prædicata entium relatiuorum *&c.* Iam quod prædicatum remotionis, in quo potissimũ negatio consistere dicitur, non obstet, quominus ea sit ens positiuum; ex ipsâ Aduersariorum doctrinâ constat, apud quos vt negatio est actualis remotio entis, ita etiam ens est actualis remotio negationis. Nec est, cur ex duobus extremis inuicem se formaliter remouentibus alterum non sit ens præ altero titulo talis remotionis præcisè. Vnde secundam impugnationem solutionis datæ desumo. Nam semel statuto, quod negatio suam habet essentiam ponibilem per existentiam in rerum naturâ; nulla suppetere potest aduersariis idonea ratio cur ex duobus extremis contradictionis alterum præ altero dicatur esse ens positiuum. Etenim si negatio vnionis e.g. remotio est per suam essentiã ipsius vnionis, etiã vnio per suam essentiã est remotio ipsius negationis: & si vnio alia habet prædicata essentialia præterquã esse remotionem ipsius negationis; etiam negatio, vt vidimus, habet alia prædicata essentialia præterquã esse remotionẽ ipsius vnionis; & si vnio quædã relatio est ponibilis per existentiã in rerum naturâ; etiam negatio est quædã relatio ponibilis per existentiam in rerum natura. Cur ergo vnio præ sua negatione dicenda est ens positiuum, potiusquam vice versâ?

Hinc ad probandam secundò propositionem per- 38

go.

go. Nam semel statuto, quod negatio ponitur à parte rei per sui existentiam, non potest non illa poni vel à se, vel ab alio, vt est notissimum. Ast à se poni, quando est contingens, prorsus est impossibile; quia nihil potest sibi ipsi dare, aut à se ipso accipere esse, quod contingenter accipit, qualecunque demum illud sit, vt fert axioma notissimum iuxta, ac receptissimum in materiâ de causis. Igitur ponitur ab alio: ab alioque subinde accipit esse, & existere, quod habet, qualecunque sit illud. Ergo infinitæ negationes contingentes, quæ veræ ab æterno extiterunt, iuxta sententiam aduersariorum, à Deo acceperunt suum esse, & existere. Ab sese enim vicissim, aut aliæ ab aliis cum progressu infinito accipere non potuerunt, vt etiam constat ex principiis notis, receptisque in materiâ de causis. Ergo infinitæ negationes contingentes ab æterno sunt factæ à Deo: siquidem accipere aliquid ab alio suum esse, & existere, ab eoque fieri in idem recidit manifeste. Ergo Deus ab æterno produxit infinitas veras essentias à se realiter distinctas. Quod plane videtur absurdum Catholico dogmati contradicens. Quod si negationes contingentes entium videlicet contingentium suum qualecunque esse à Deo tanquam à causa debent accipere. Tantumdem consequenter venit dicendum de negationibus necessariis entium impossibilium, quas veras itidem, & ratas essentias, atque existentias habere plerique ex aduersariis concedunt; nec sine apertâ inconsequentiâ negare possunt. Dici enim nequit, nisi chymæricè, & ridiculè has negationes habere suum esse à se, sicuti habet Deus, vt ex dicendis apparebit. Ex hoc autem aliud absurdum sequitur. Deum nimirum non vtcunque; sed necessario, & absque omni libertate produxisse ab æterno, esseque in æternum conseruaturum infinitas essentias à parte rei distinctas à se. Quod est cõtra aliud dogma catholicum de libertate, quam Deus habet in cunctis, quæ producit ad extra.

39 Tertiò probatur propositio. Quia negationi, vt ponitur ab aduersariis, omnes proprietates entis positiui conueniunt. Igitur non est quid distinctum ab omni ente positiuo: consequentia est bona. Probo antecedens: quia hoc ipso quod negatio suam qualemcumque essentiam, & existentiam habet, non test non esse illa, vel vna, vel plures; non potest non esse ab aliis distincta; non potest non esse vera, id est, per iudicium affirmatiuum iudicabilis etiam à Deo talique iudicio conformis; non potest non esse bona, æstimabilisque subinde, & amabilis; idque multis, variisque titulis, sicut cætera entia. Quinimo negationes entium impossibilium perfectionem habebunt ex suo genere infinitam, vtpotè nulli entium positiuorum, præterquã vni Deo, quadrantem, nimirum necessitatem omnimodam essendi, & existendi. Quod quis non reputet absurdum?

40 Quartò probatur propositio, quia ex oppositâ sententiâ nonnulla sequuntur, quæ in Philosophiâ iure reputantur absurda. Imprimis enim quando aliquod ens corrumpitur, quæro. Aut negatio succedens illi est eadem numero per quam ipsum toto tempore antecedente ad suam existentiam non extitit, aut est alia distincta numero à priore? si primũ? Ergo de facto idem numero existens semel corruptum naturaliter reproducitur. Quod communiter reputatur absurdum. Si secundum. Ergo negatio pullulans, quando ens corrumpitur, tunc primo incipit existere, ab æternoque subinde non extitit per aliam negationem sui, dataque fuit ab æterno negatio quædam negationis. Quod etiam absurdum reputatur. Deinde ex sententiâ oppositâ sequitur non solum vnum, sed infinities infinita dari infinita multitudinis de facto existentia in naturâ rerum, totidẽ enim sunt entia non existentia, possibilia & impossibilia; quorum subinde iuxtà Aduersarios totidem negationes existunt reipsa de facto. Hoc autem esse absurdum in Philosophiâ constat: quia licet multi opinentur esse possibile infinitum actu productum; omnes tamen negant illud dari de facto ducti argumẽtis, quæ citra dubium de infinitis negationũ idem probant, ac de infinitis entium, posito quod negationes sint tales, quales ponuntur ab aduersariis. Deniq; quis non censeat absurdum, tot mundos negatiuos, seu negationibus constantes de facto existere, quot sunt possibiles positiui de facto non facti? Quis non censeat ridiculum, vnumquodq; ens existens tot negationibus sibi re vera inhærẽtibus onustũ esse, quot sibi sunt possibiles, atque etiã impossibiles positiuæ inhæsiones, quorumcumq; aliorum entium possibilium, impossibiliũ que? quæ quidẽ negationes infinities sunt infinitæ, vt constat. Mitto alia huiusmodi.

Proboque quintò propositionem ab aliis absur- 41
dis, quæ in Theologiâ ex oppositâ sententiâ sequi videntur. Primum est. Deum omnimodis necessitatũ esse ad ponendas & conseruandas in rerum natura infinitas essentias à se realiter distinctas, aut saltem ad eas non auferendas siue vitandas, quandoquidem nullam negationem necessariam entium impossibilium vitare potest; ex duobus autem quibusque contradictionis extremis contingentibus, alterutrum, ponere, aut saltem sustinere tenetur, neque vtrumque simul potest vitare. Quod certè dominio diuino plane videtur derogare. Si enim dominium diuinum apertè esset limitatum, & imperfectum, casu quod Deus nulla potentia vitare posset existentiam cuiusuis entis à se distincti, quo pacto non erit limitatum, & imperfectum, si nulla potentia vitare potest existentiam infinitarum negationum, infinitorúmque disiunctorum ex negatione & ente oppositorum, quandoquidem negatio ex suo genere quid imperfectius est quouis ente, maiorẽque imperfectionem dominij arguit non posse illud prævalere cõtra aliquid debilius, & imperfectius, quàm non posse prævalere contra aliquid perfectius & robustius? Hinc consequẽs est secũdum absurdum. Quoniam necessitas existentiæ negationis, aut alterius partis disiuncti ex negatione, & ente, planè etiam derogat omni potentiæ diuinæ; nam quæ infinitudo omnipotentiæ est, quæ ab vniuersitate rerum infinitas debiles valde, & imperfectas essentias nequit excludere, easve existẽtia priuare? Aut quo pacto est omnipotens ille, qui à talium essentiarum consortio se non potest eximere? Tertiò absurdum est dicere, Deum non posse vitam agere solum, & absque comitatu tot vmbratilium existentium, eiusmodique subinde comitatum per suam essentiã exposcere, veluti ipsius ad vitam transigendam indigum, vt ex vberius dicendis *suo loco de independentia & sufficientia Dei* constabit. Hoc autem in sententiâ oppositâ necessariò dicendũ est. Quartò. Absurdum est etiam concedere Deum necessitatum esse ad amandum tot obiecta imperfectionibus scatentiâ, quot sunt vel entia possibilia, vel ipsorum contradictoria. Quod etiam ab aduersariis est necessario concedendum. Siquidem Deus nequit non ponere existens alterutrum ex duobus quibusque extremis contradictionis, & neutrum aliter quam medio actu voluntatis ponere potest. Quinto ex ipsis terminis apparet satis clarè esse absurdum dicere, vt est ab aduersariis dicendum, aliquid perfectionis finitæ, quale est omne

à Deo distinctum, absolutam necessitatem habere existendi: quia absoluta necessitas existendi vim infinitè resistitiuam non existentiæ, meritúmque infinitum existendi præ se fert, quod soli perfectioni infinitæ potest competere. Ob id omnis perfectio finita habens eo ipso sibi admixtam imperfectionem, necessario debet esse contingens, quia partim meretur titulo perfectionis, & partim titulo imperfectionis demeretur existere. Vnde rursus infertur; si negatio nullam perfectionem dicit ex suo conceptu, vt aduersarij censent eo ipso nullum eam meritum existendi habere, & consequenter penitus esse nihil. Sit denique sextum absurdum ex sententia aduersa sequutum, Deum infinitas essentias à se distinctas intrinsecè sibi inhærentes de facto habere, quales sunt negationes omnium accidentium, inhærentiarumque eorum, quæ Deus vtpotè sibi repugnantia reuera non habet in se intrinsecè: idem quippè est iuxta aduersarios, non habere in se Deum intrinsecè talia accidentia, & inhærentias, atque habere intrinsecè in se negationes eorum. Mitto alia.

42 Et probo sextò propositionem: quia nihil est adstruendum existens in natura rerum sine vrgente necessitate, vt commune Philosophorum principium est. Sed nulla est necessitas, imo est opposita impossibilitas, ad adstruendum tot existentia ab entibus positiuis distincta, quot sunt entia, quæ non existunt, qualiter adstruunt aduersarij, vt ex dictis, & dicendis perspicuum fiet. Ergo.

43 Septimò. Quo fundamento asseritur negationem existentiæ cuiusuis entis esse quid existens re ipsâ ab omni ente positiuo distinctum, eodem consequenter est asserendum negationem identitatis vniuscuiusque entis cum alio esse quid etiam existens re ipsa ab omni ente positiuo distinctum. Quandoquidem non minus est vera hæc propositio negatiua. *Petrus non est Paulus*, quàm hæc. *Petrus non existit.* sed secundum sine idoneo fundamento asseritur, quia prorsus est falsum: ergo nec primum est asserendum. Probo minorem: quia si negatio identitatis vniuscuiusque entis cum alio quid esset existens ab omni ente positiuo distinctum, illud quidem nulla ratione esset cognoscibile à Deo, vt constat ex doctrinâ tactâ *disputatione 2. quæstio 3.* tradendaque ex professo *infra disputatione 11.* At hoc manifestè est absurdum. Ergo. Hæc satis. Pergo.

Propositio 2.

44 Negatio entis obiectiua neutiquam consistit formaliter in positiuo impedimento entis negati ipsi essentialiter oppositio.

Hæc propositio est contra Auctores priori loco relatos *supra* pro secundâ sententiâ. Probatur autem primò auctoritate Aristotelis, & omnium Philosophorum, & Theologorum diuidentium hactenus oppositionem in contrariam, contradictoriam, priuatiuam, & relatiuam; atque adeo sententiam contrariam à contradictoriâ diuersam esse; quod in aduersariorum sententiâ locum non habet; siquidem apud eos oppositio inter ens, & eius negationem, quæ est contradictoria, aliud non est ab oppositione inter duo entia, quorum vnum impedit alterum, quæ est oppositio contraria.

45 Secundò probatur: quia vel ex ipsis terminis videtur notum hoc quod est secundum mundum non existere, diuersum quid esse formaliter ab eo quod est existere positiuè aliud quidpiam, quandoquidem independenter ab eo quod existat aliud quidpiam, vel secus, talisque existentiæ prorsus immemores negare possumus, sæpeque de facto negamus existere secundum mundum. Ego profectò nunquam credam idem esse in rustico homine, aut etiam in sapiente credere non esse secundum mundum, ac credere esse positiuam nolitionem in Deo de secundi mundi existentiâ, quæ est eius positiuum impedimentum.

Tertiò: hæc propositio planè videtur certa, & 46
euidens. *Si nullus actus Dei liber existeret, nulla existeret creatura.* Ergo creaturam non existere, non est formaliter existere aliquid incompatibile cum creatura. Probo consequentiam: quia casu quod nullus actus Dei liber existeret, nihil existeret cum creatura incompatibile, cum constet omnia Dei necessaria cum illa compati; & tamen tunc, vt propositio data in exemplum fert, verè creatura non existeret. Dices talem propositionem esse de hypothesi obiectiuâ impossibili, ex quâ subinde sequitur simul non fore creaturam & fore. Sed contra: quia ex tali hypothesi, licet sit impossibilis, non sequitur per locum, vt aiunt, intrinsecum, fore creaturam, sed tantum non fore: cum certum sit creaturam absque omni actu libero Dei simpliciter esse non posse: vnde ex tali hypothesi, quātumuis impossibili optimè arguitur ad propositum, optimèque probatur conceptum negationis creaturæ à conceptu impedimenti positiui ipsi creaturæ oppositi diuersum esse iuxta vniuersalem regulam bene, & vtiliter arguendi ab impossibili hypothesi, quam *infra suo loco* exhibebimus. Dices aliter, hypothesim propositionis datæ in exemplum inuoluere contradictionem in terminis: quia cum vnus actus liber voluntatis diuinæ non possit deficere, nisi per positionem alterius, supponere nullum existere est simul supponere existere omnes, qui sunt non existentia aliorum. Sed contra iterum primo, quia petis principium. Ego enim contendo nullum actum diuinum esse formaliter non existentiam alterius; aliundeque ex ipsis terminis videtur notum hypothesim actualem de non existentia omnium nullatenus esse hypothesim de existentia alicuius: quia omnes penitus illa excludit, neque vllum adstruit, vt iam iam monstro. Contra enim est secundò, quod iuxta meam & Recentiorum, cum quibus ago, sententiam, sicut per iudicium negatiuum, quod quidam recessus est ab obiecto negato, siue quædam actualis remotio eius, nihil omnino obiecti iudicati adstruitur, sed totum penitus excluditur, & remouetur; Ita per actualem hypothesim negatiuam, quæ pariter per modum recessus, seu remotionis versatur circa suum obiectum, nihil omnino illius adstruitur, siue positiuè supponitur, sed totum penitus suppositiuè remouetur. Ergo per hypothesim propositionis datæ in exemplum, quæ negatiua est, ita supponitur, nullum actum liberum Dei existere omnium omnino remouendo existentiam, vt minimè simul adstruatur existentia alicuius: ergo talis hypothesis nullatenus inuoluit contradictionem in terminis, etiam si nullus actus Dei liber possit deficere, nisi existente oppositō; à quo præscindit dicta hypothesis. Nec dici potest non posse intellectum per hypothesim negatiuam remouere suppositiuè omnes actus Dei liberos, nisi adstruendo simul suppositiuè omnes per hypothesim positiuam, hoc ipso quod nullus reuerâ potest deficere, ni ponatur eius oppositū. Nam hoc apertè est contra experientiam, & contra rationem: Contra experientiam quidem: quia quisque experitur posse se interius per actus intellectus, sicut & exterius

exterius per voces facere hypothesim negatiuam de non existentiâ omnium actuum Dei, quin simul faciat positiuam de eorumdem, aut aliquorum existentiâ. Contra rationem autem, quia cum hypotheses à quouis intellectu oriundæ ex sua natura sint præcisiuæ vnius obiecti ab alio, saltem quando ea realiter inter se distinguuntur, vt est notissimum, nihil est quod vetare possit fieri hypothesim negatiuam de quouis obiecto, quin fiat positiua de oppositо; vel vice versâ; stat ergo per veritatem conditionatam in exemplum adductam bene propositionem nostram probari, etiam si eius hypothesis obiectiua sit impossibilis.

47 Quartò probatur propositio: quia quàm euidens est ens creatum aliquo alio à se distincto ad existendum indigere, tam euidens esse videtur ad non existendum penitus indigere nullo: imò quo magis indiget alio ente, vt existat, eominus vt non existat, indiget illo: quia certius, firmiúsque non existet non existente, quàm existente eo, quo indiget ad existendum. Vnde licet nullum ens creatum possit de facto non existere, quin existat aliquid positiuum ipsi essentialiter oppositum, quia vt minimum debet existere in Deo iudicium essentialiter verum de talis entis non existentia, cum quo eius existentia compati nequit; attamen ad talis entis non existentiam, necunde tale positiuum requirebatur: quia quantum ex parte sui est, æque tale ens non existeret, imo magis firmiter, magisque necessariò non existeret, si omne aliud ens positiuum, ipseque Deus per impossibile deficerent, iuxta argumentum numeri præcedentis. Ex quo patet non existere ens diuersũ quid esse ab existere impedimentum positiuum eius.

48 Quintò vnius entis communi conceptione omnium vnica tantùm datur negatio. Sed si negatio entis esset impedimentum positiuum entis negati, sæpe darentur plures negationes eiusdem entis, quia sæpe dantur plura eiusmodi entis negati impedimenta. Ergo.

49 Sextò. Si negatio esset impedimentum positiuum actus negati, negatio plerumque aut semper esset quid melius & amabilius, quàm ens negatum, quia plerumque, aut semper esset aliquis actus diuinus. Tum, qui odio haberet alicuius entis negationem, plerumque, aut semper odio haberet aliquem actum voluntatis diuinæ, vnde etiam contra rationem, aut etiam illicitè existentia entis, præ non existentiâ eius appeteretur. Eoque magis æstimabilis, ac amabilis esset etiam à Deo negatio cuiusuis actus honesti creati, quàm actus ipse, quò magis est æstimabilis, & amabilis actus diuinus quam creatus. Quemadmodum etiam negatio cuiusuis boni physici melior, & amabilior esset, quam ipsum bonum. Quæ omnia, & alia plura similia, quæ ex sententia aduersa sequuntur, apertè videntur absurda.

50 Septimò Hæc propositio. *Quolibet est vel non est* plane est euidentior quam hæc. *Quodlibet est, vel aliquod eius impedimentum positiuum.* Tum prima à nemine est negabilis. Secunda ab omnibus, qui puras omissiones admittunt, sæpe negatur. Igitur non habent ambæ idem obiectum, vt tenet sententia, quam impugnamus. Et confirmari potest: quia hæc propositio *Deus est, vel non est*, ex terminis est euidentissima, sed talis non est hæc. *Vel Deus, vel aliud ens ipsi oppositum est*, vt constat. Ergo.

Octauò. Negatio non est cõceptibilis à nobis sine ente negato. Sed impedimentum positiuum est conceptibile à nobis sine ente impedito: ergo negatio ex suo conceptu formali non est positiuum impedimentum ipsius entis negati. Confirmatur: quia negatio ex suo conceptu mera remotio est entis negati, tale autem non est impedimentum positiuum eius, vt constat. Imo neque videtur intelligibile quomodò verum ens positiuum sit remotio alterius formalis tituli oppositionis, quam habet cum illo, cum valde diuersi conceptus sint, non posse vnum coexistere alteri, & esse ipsam non existentiã eius.

Nonò. Deus omnem actum suæ voluntatis liberum potuit per puram omissionem omittere: ergo potuerunt cuncta creabilia non esse citra omne impedimentum positiuum, per quod remouerentur ab esse, atque adeo negatio entium nullatenus in eorum impedimento positiuo consistit. Consequentia est bona: quia positâ purâ omissione omnium actuũ liberorum voluntatis diuinæ, ex vnâ parte mundus verè non existeret, ex aliâ nihil positiuum existeret essentialiter incompatibile cum existentiâ eius præter actum scientiæ absolutæ resultantis in intellectu diuino de ipsius non existentiâ; talem autem actum fore negationem mundi dici non potest: quia intellectus diuinus, vtpotè potentia non libera illum concipere non posset, nisi determinatus à non existentiâ mundi aliunde suppositâ vt à veritate obiectiuâ: quocirca per eiusmodi actum neutiquam impediretur, remoueretúrve mundi existentia, sed aliunde iam per puram omissionem non posita, excluſâque supponeretur, vt est notissimum. Firmúmque stat proinde citra omne impedimentum positiuum remouens existentiam mundi mundum non fore casu quod Deus circa eius creationem purè omnissiuè se habuisset. Potuisse autem sic se habere, quod est antecedens facti argumenti, ex professo probandum est *in Tract. de volunt.* Probationum capita succinctè recensita sunt. Primum, quod non minus spectat ad perfectionem libertatis, ac dominij Dei posse abstinere ab omni actu voluntatis interno, quàm ab omni externo omnipotentiæ, qui versatur quoquo modo circa creaturas. Secundum: quia id etiam spectat ad perfectionem honestatis diuinorum actuum: essent quippe singuli mĩnus honesti moraliter, si Deus non posset omnes simul omittere: quia aut tota singulorum honestas, si ponantur honesti æqualiter, aut saltem pars, si inæqualiter, non esset libera imputabiliter. Tertium, quia necunde potest necessitari Deus ad volendum, aut nolendum creaturas; cum horum tam bonitas, quam malitia simpliciter finita sit, & non pura, sed mixta. Quartum: quia si Deus esset necessitatus ab intrinseco ad volendum, aut nolendum efficaciter, directéque creaturas, vel reflexè volitionem, aut nolitionem efficacem eorum, esset per essentiam connexus cum possibilitate creaturarum, quam actus isti suapte essentiâ supponunt. Quod tamen ei repugnat, vt constabit ex dicendis *Tract. de scient.* Mitto alia *ad citatum locum.* 51

Decimo. Longè certius, & communius apud Auctores est, posse voluntatem creatam purè omissiuè se habere circa suos actus liberos. Quàm autem id verum sit, ex dicendis à me latè *in eodem Tract. de voluntate* constabit. Quibus modo suppositis, plane sequitur; posse aliquod ens non esse in rerum natura absque impedimento vllo ipsum positiuè excludente. Si enim posito ex parte Dei decreto tantum indifferente concurrendi cum voluntate creatâ ad actũ, vel omissionem actus, ipsa purè actum omittat, remera non existet actus, quin aliquid in rerũ natura existat cum actu ipso incompatibile præter scientiam Dei absolutam de eius non existentiâ, quæ impedimentum esse nequit excludens existentiam actus, vt dictum est *numero præced.* 52

54 Vndecimo denique probatur propositio nostra. Quia quoties ens aliquod antea existens citra omnis contrarij exigentiam in tempore corrumpitur à Deo, ab eo vtique tempore incipit tale ens non existere; à quo tamen nullum omnino incipit positiuum impedimẽtum eius: quia nihil extra Deum, quod tali enti sit contrarium incipit ex tunc esse vt supponimus: nolitio autem diuina de talis entis existentiâ non incipit ab eo tempore esse, quia fuit ab æterno: ergo negatio talis entis in nullo impedimento positiuo oppositio ipsi enti consistit. Confirmatur, & declaratur. Ponamúsque, quo plus se vis argumenti explicet, Deum corrumpere in instanti B. totum mundum, qui vsque ad instans antecedens A inclusiue extitisset; proindeque in instanti B. nullũ omnino ens positiuum præter Deum cum suis decretis existere, talem enim casum esse simpliciter possibilem indubitabile est. Tum sic. Mundum non esse, incipit in instanti B; nihil positiuum incipit in instanti B: ergo mundum non esse non est aliquid positiuum. Syllogismus est in *Baroco* secundæ figuræ. Maior est euidens: quia incipere mundum non esse in instanti B, seu, quod idem est, incipere in instanti B, hoc quod est mundum non esse, nihil est aliud, quam mundum extitisse in instanti A, & non existere in instanti B, quod vtrumque ponimus in casu. Minor etiam est certa: quia iuxta ipsam casus suppositionem nihil omnino positiuum distinctum à Deo cum suis decretis incipit esse in instanti B, quod non fuerit in instanti A; multo autem minus in instanti B incipit esse aut Deus, aut vllum eius decretum: quia quia omnia fuerunt ab æterno. Igitur consequentia negari non potest.

55 Respondebit aliquis decretum Dei de non existentia mundi pro instanti B. non vtcunque esse impedimentum excludens mundum ipsum, sed vt coniunctum cũ ipso instanti B, siue vt existẽs: vt sic autẽ, in ipso instãti incipere esse, etsi entitatiuè ab æterno exiterit. Atque adeo incipere mundum non existere in instanti B. idem esse formaliter ac incipere in instanti B tale decretum, prout ipsi instanti coëxistens. Quo inconcussa videtur stare sententia opposita. Nam licet instans B. de quo est sermo in casu argumenti, nihil reale sit absolutè existens, quia est instans temporis imaginarij; est tamen aliquid possibile, quale est tempus ipsum imaginarium, capacitas scilicet, seu possibilitas instantis realis. Quod satis videtur vt decretum Dei supradictum per correspondentiam cum tali instanti euadat impedimentum existentiæ mundi, atque adeo negatio eius. Cæterum solutio hæc, & si in sententia mea possit habere locum, qui compono tempus imaginarium ex quibusdam possibilitatibus durationum successiuè fluentibus, vt exponam suo loco. At in sententiâ Recentiorum, cum quibus ago, locum non habet. Apud eos enim nulla entium possibilitas potest esse successiuè fluens: quia omnis omnino est identificata cum Deo. Quocirca in eorum sententiâ non video qui possit argumentum factum dissolui.

Propositio 3.

56 Negatio entis in ipso ente negato inquantum proximè negabili non consistit; vti dicebant Recentiores *suprà* secundo loco relati pro secundâ sententiâ.

Duo enim continebat eorum sententia. Alterum. Ad hoc vt ens non existens proximè negabile sit, & consequenter vt negatio formalis eius subsistat, necessariũ esse, quod aliud quidpiam positiuũ tali enti oppositum, ipsumque impediẽs reipsâ existat Alterum semel tali impedimento existente, quod negationem fundamentalem vocabant, formalis negationis conceptum in recto dicere ens ipsum negatum, in obliquo autem dictum impedimentum, aut etiam iudicium seu actuale, seu possibile, à quibus illud negabile proximè euadit, siue denominatur. Ex quibus duobus primum, quod difficultatem de re, & maioris momenti habet, abundè est iam confutatum *propos*it. 2. secundum autem, cuius controuersia & parui momenti, & ferme de solo modo loquendi est, inde vno verbo confutatur: quia nomine negationis nemo hactenus ens negatum, sed potius conceptum quemdam obiectiuum ipsi enti negato oppositum intellexit. De quo conceptu controuertimus in tota præsente quæstione, an sit aliquid habens esse reipsâ; idque an mere negatiuum, an positiuum an potius re ipsâ sit prorsus nihil, solumque in nostra imaginatione, siue apprehensione habens esse.

Verum quidem est iudicium negatiuum (quo 57
solo ab intuentibus potest iudicare ens non esse) dumtaxat habere pro obiecto ens ipsum negatum; in quod par modum cuiusdam recessus, seu potius remotionis tendit, vt ostendimus *disp.* 8. *q.* 4. *propos*it 4. vt tamen tale iudicium sit verum, reipsâ tale obiectum debet esse remotum, seu non habens esse physicè, prout iudicium ipsum prætendit. Inde enim fiet vt verè illud sit negabile iudicio negatiuo; ad hoc tamen vt tale sit, non est necesse, quod existat re ipsâ aliud quidpiam ipsum impediens: quia citra omne impedimentum sibi oppositum potest ens verè non existere, atque adeo ens verè negabile esse, iuxta doctrinam statutam *propos*it. 2. vnde si nomine negationis veritatem obiectiuam iudicij negatiui significaremus; quærenti, quid esset negatio, bene responderetur esse ens reipsa remotum, seu non habens esse, & consequenter verè negabile iudicio negatiuo. Nec amplius videntur intendere Recentiores, cum quibus agimus. Cæterum, quia nos per aliud quid ab ente negato distinctum imaginamur illud obiectiue excludi, seu remoueri; atque ita modò per iudicium negatiuum propriè iudicamus ens non esse; modò per affirmatiuum æquiualenter, sed minus propriè esse carentiam, seu negationem, seu remotionem eius, idcircò nomine negationis, remotionis, seu carentiæ, aut etiam nomine non entis, non quidem ipsum ens negatum, aut prout non habens reipsâ esse, aut prout verè ab intellectu negabile, sed id per quod nos apprehendimus illud obiectiuè negari, seu remoueri significamus. De quo *in præsente q.* quærimus, quodnam sit?

Id supereſt notandum, ſtando rigori ſermonis, 58
per verba negatiua noſtris iudiciis negatiuis correſpondentia, vt *non exiſtit*, *non eſt*, *non legit* &c. obiectum ipſum negatum, non quidem vt negabile formaliter, ſed ſecundum ſe præciſè ſignificari ſignificatione quadam receſſiua, ſeu remotiua, ſimilique in modo tendendi iudicio negatiuo, cui talis ſignificatio reſpondet. Per verba autem affirmatiua dictis negatiuis æquiualentia, vt *deeſt*, *caret*, *deficit* &c. illum conceptum obiectiuum ſignificari poſitiuè, per quem nos tanquam per extremum oppoſitum imaginamur obiectum negabile remoueri, excludi, aut deſinere eſſe, idemque poportione ſeruata dicendum venit de nominibus eiuſmodi verbis ſeu negatiuis, ſeu poſitiuis annexis, vt *non exiſtens*; *non exiſtentia*, *carens*, *carentia* &c.

Quare,

Quare, si quis diceret non ens vniuerse loquendo esse ipsum ens negatum; negationem verò entis esse id, quo à nobis ens obiectiue negari, siue remoueri concipitur, non parum apte loqueretur. Quia tamen in communi vsu non ens, & negatio entis pro eodem vsurpantur, pro eodem & nos vsurpabimus, nisi pro rei declaratione aliud quandoque expediat.

Propositio 4.

59 Negatio obiectiua formalis re vera nihil omnino est extra intellectum humanum eam ac si esset aliquid concipientem, cum fundamento tamen ex parte rerum, quando cum veritate concipitur.

In hãc propositionem conueniunt omnes Doctores *supra* pro tertia sententia relati. Eaque iam satis, superque probata manet per præcedentes propositiones. Si enim negatio obiectiua formalis neque est aliquid negatiuum ab omni ente positiuo distinctum, vt *propos.* 1. probatum est, neque est aliquid positiuum distinctum ab ente negato, ipsique oppositum, vt ex *propos.* 2. constat. Neque est ipsum ens negatum, prout constat ex 3. plane conficitur penitus esse nihil extra intellectum nostrum, eam ac si esset aliquid concipientem.

60 Sed quodnam est fundamentum ex parte rerum requisitum ad hoc vt cum veritate concipiatur negatio. Dico, quod vere non sit illa res, cuius negatio esse concipitur. Si quæras: quid sit talem rem vere non esse. Dico ex terminis id esse notissimum, neque clarioribus terminis explicabile; siue sit sermo de non esse rem existentialiter, siue de non esse rem essentialiter, siue quidditatiue. Vt enim quærenti. Quid sit Petrum existere, aut Petrum esse Petrum? iure respondetur: id esse ex terminis notissimum, neque clarioribus terminis explicabile, vtpote quod ex terminis primis, atque indefinibilibus constat, iuxta generalem definiendi doctrinam à nobis *suo loco* tradendam, ita quærenti. Quid sit Petrum non existere, aut Petrum non esse Ioannem? Pariter vtique est respondendum ob eamdem rationem. Sat sit scire Petrum non existere non esse dari quidpiam in statu existentiali, sed potius non dari. Sicut Petrum non esse Ioannem, non est dari quidpiam in statu quidditatiuo præter Petrum & Ioannem, sed potius non dari. Vtrum autem per negationem identitatis inter Petrum & Ioannem, aliasque huiusmodi vere remoueatur aliquid in se conceptibile ab statu quidditatiuo, vti per negationem existentiæ Petri, & aliarum rerum vere res ipsæ remouentur ab statu existentiali. Et quo pacto inter se differant hæ negationes, *inferius disp.* 10. & 11. explicabimus: postquam de natura huiusmodi statuum egerimus.

61 Rogabis præterea. An negatio obiectiua formalis sit ens rationis fictum, vel dumtaxat suppositicium. Dico dumtaxat esse suppositicium. Quia licet re ipsa sit prorsus nihil, intellectus tamen noster, dum eam per phantasma substitutum positiuè cognoscit, aliud cognoscere non prætendit præter ipsam negationis nihileitatem, atque adeo non fingit. Potest quippe intellectus noster id, quod in se re vera est nihil, & consequenter in se nullatenus cognoscibile, in substituto alieno cognoscere, hoc est, in phantasmate sensibili pro ipso nihilo subrogato: quo casu eum aliud à nihilo ipso in tali phantasmate non cognoscat re vera non fingit; quia eius cognitio æquiualenter habet obiectum verum, hoc ipso, quod æquiualenter est idem respectu nostri intellectus iudicare, à parte rei non esse aliquid per iudicium negatiuum, seu recessiuum, quale habent etiam intuentes, ac iudicare à parte rei esse nihil, per iudicium affirmatiuum, quale intuentes, & quicumque per species proprias intelligunt, nullatenus possunt habere. De quo plura *suo loco*.

Diluuntur argumenta contraria.

Contra doctrinam stabilitam in præcedentibus 62
propositionibus multa opponi possunt. Sit primum. A parte rei vere dantur cæcitas in homine cæco; Tenebræ in aëre tenebroso; negatio identitatis inter entia distincta; aliæque huiusmodi negationes. A parte rei etiam re vera extitit ab æterno negatio mundi, hoc ipso quod mundus existere cœpit in tempore. Tum Aristot. *lib.* 1. *Phys. cap.* 3. priuationem posuit principium generationis naturalis. Igitur falsum est negationem à parte rei penitus esse nihil. Respondeo propositiones, quibus eiusmodi negationes dari à parte rei affirmantur, æquiualenter esse veras, non quia negationes affirmatæ, vere sint aliquid à parte rei: sunt enim, vt ostendimus, omnino nihil: sed quia æquiualenter est idem comparatione nostri intellectus affirmare dari à parte rei tales negationes, quadamtenus illas adstruendo iudicio affirmatiuo; atque negare dari à parte rei entia, quæ negant illa excludendo, seu remouendo iudicio negatiuo: est autem verissimum in homine, quem cæcum vocamus, à parte rei non esse visum, in aëre, quem tenebrosum dicimus, à parte rei non esse lucem: inter entia distincta à parte rei non esse identitatem, &c. Non esse autem à parte rei eiusmodi entia, non est esse à parte rei aliquid, sed potius non esse, seu esse nihil, vt ex terminis est notissimum, iuxta paulo ante dicta. Ex quo patet quam verum sit mundum ab æterno non fuisse, quin ab æterno extiterit aliquid re vera, in quo constiterit negatio eius. Ad Aristotelis testimonium respondeo eatenus illum inter principia generationis priuationem connumerasse *loco citato*, quatenus verum est ex non igne fieri ignem, ex non planta fieri plantam, &c. Sicut est verum ex non musico fieri musicum, ex frigido calidum, &c. vt ibi latius explicauimus. Hoc autem semper manet verum, quantumuis sit nihil priuatio formæ per generationem productæ. Quid namque id interest vt subiectum per solam acquisitionem formæ, qua antea carebat, dicatur ex non habente formam transire in habens formam? Ex quo patet mutationem ex priuatione ad habitum à parte rei non esse transitum de vno extremo habente aliquod esse ad aliud, sed tantum de non esse habitus ad ipsius esse; quod idem est, atque esse transitum de nihilo ad aliquid.

Secundum argumentum sit. Quando incipit non 63
existere aliquid, quod antea existebat, vere incipit esse in rerum natura variatio: vere enim minuitur vniuersitas rerum; incipitque esse pars solum eius totius, quod antea erat; atque adeo verus transitus datur ab hoc quod est totum existere ad hoc quod est existere solam partem. Ergo quando incipit non existere aliquid, vere incipit existere negatio eius, quæ subinde aliquam existentiam habet, neque est merum nihil. Confirmatur: quia in instanti, in quo primo creatus est mundus, vere fuit destructa negatio eius; siquidem mundus vere de non esse ad esse transiuit. Ergo. Respondeo ad argumentum, quando incipit non existere aliquid, quod antea existebat, esse quidem in rerum natura

variationem , non quod ponatur existens aliquid , quod antea, non erat , sed quod ab existere remouetur aliquid , quod antea existebat : variatio quippe tam potest accidere per non existentiam eius , quod existebat , hoc est, per reductionem ad nihilum eius,quod erat aliquid, quam per existentiam eius , quod non existebat , siue per reductionem ad aliquid eius quod erat nihil : vnde fit primo in casu posito minui vniuersitatem rerum,inciperéque existere solam partem totius , quod existebat antea, reuera non esse quidpiam poni, inciperéque denuo esse,sed potius tolli, incipereque denuo non esse , nihilo prorsus denuo posito , aut esse incipiente. Fit secundo transitum illum ab existentia totius ad solius partis existentiam re verâ non esse transitum ab aliquo ad aliquid,sed potius ab aliquo ad nihil : qui proinde desitio potius quàm transitus dicendus est : quia incipere aliquid non esse, quod erat , imaginarie tantum est transire de non esse ad esse : reuera enim ad nihil transit , sed penitus desinit esse. Ad confirmationem respondeo : per creationem mundi nihil omnino fuisse destructum, quod anteà esset negatio eius : quia transisse mundum de non esse ad esse,non est transisse de aliquo ad aliquid , sed de nihilo ad aliquid , vt constat ex dictis.

64 Tertium argumentum. Hoc iudicium est verum, atque conforme cum suo obiecto. *Mundus non extitit ab æterno.* Ergo ab æterno fuit reuera eius obiectum:ergo negatio mundi reuera extitit ab æterno:ergo non fuit panitus nihil. Et confirmatur:quia hoc iudicium *Negatio Mundi, fuit ab æterno* communiter reputatur verum. Concesso antecedente argumenti,nego consequentiam : quia vt iudicium negatiuum de non existentiâ mundi ab æterno sit verum , & conforme suo obiecto , tantum requiritur vt verè ab æterno mundus non fuerit. Hoc autem non est aliquid ab æterno fuisse,sed potius non fuisse , & penitus fuisse nihil , vt sæpe dictum est. Iudicium quippe negatiuum nõ tendit in suum obiectum illud adstruendo , seu affirmando,sed potius illud remouendo , & negando : quocirca tunc est suo obiecto conforme , quando obiectum verè non est , vti per ipsum iudicatur non esse. De quo plura *supra disp.2.q.4.proposit.4.* Ad confirmationem respondeo iudicium affirmatiuum de æternâ existentiâ negationis Mundi,communiter reputari verum: quia communiter reputatur æquiualens iudicio negatiuo de non existentia Mundi ab æterno , cùm concipiatur à nobis communiter vice iudicij negatiui ad eamdem ipsius veritatem obiectiuam iudicandam , licet diuerso modo. Cæteroquin si quis per tale iudicium velit, negationem mundi , cuius æternam existentiam affirmat aliquid reuera ab æterno fuisse , aut ab omni positiuo distinctum,aut cum aliquo positiuo identificatum , vt sic eiusmodi iudicium falsum euadet , vt ex dictis hactenus liquet.

65 Quartum argumentum sæpe Deus eligit negationem alicuius entis vt vtilem ad aliquem finem. Negat enim reprobis auxilia efficacia , vt *ostendat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ,quæ præparauit in gloriam*, ad Rom. 9. sæpe vult , aut detestatur alicui subiecto , quod amat , aliquam negationem, eo quod illam tali subiecto commodam , aut incommodam videt:procurat enim sæpe,vt sui amici careant bonis temporalibus , de eorumque inopia, quemadmodum,& de peccatorum defectu gaudet,dolens quodammodo vice versa de defectu virtutum sæpe etiam Deus,& nos amamus ,aut odio habemus aliquid , quod à carentia alicuius amabile illud,aut odibile euadit.Cum constet euadere quoduis subiectum bonum à carentia formæ , quæ illud redderet malum , contraque malum euadere à carentia formæ,quæ illud redderet bonum. Peccatum etiam puræ omissionis , si est possibile, vt nos putamus , odibile est à Deo , & à nobis. Ergo falsum est huiusmodi negationes , siue carentias penitus esse nihil;alioquin illæ nec amabiles , nec odibiles, nec cognoscibiles à Deo essent , vt constat.

66 Vt argumentum hoc luculentius dissoluam , aduerto primò , nos quidem , qui titulo cognoscendi per species alienas concipimus negationes vt aliquid, cum verè sint nihil, bene posse circa illas ita conceptas directè , & positiuè per actus voluntatis tum prosequutionis , seu volitionis, tum etiam,fugæ , seu nolitionis versari. Et quoniam sicut in nobis idem est per æquiualentiam per iudicium affirmatiuum intellectus prosequi negationem , atque per iudicium negatiuum fugere ab ente negato, vt paulo antea notabamus , ita pariter idem est per æquiualentiam per volitionem voluntatis prosequi negationem , ac fugere per nolitionem ab ente negato , idcirco mori nostro assuefacti perinde de diuinis actibus,ac de nostris loqui solemus respectiuè ad negationes , & ad entia negata , veræque absolutè sunt loquutiones;tametsi in Deo verè non dentur formaliter illi actus , quos per illas adstruimus: quia saltem dantur æquiualenter in aliis, quos verè Deus habet. Itaque quotiescunque dicitur Deus per aliquem actum voluntatis circa aliquam negationem versari , per æquiualentiam dumtaxat potest esse vera loquutio : quia Deus circa negationem per se spectatam nullum omnino actum aut intellectus,aut voluntatis habere potest, cum ea per se spectata à parte rei prorsus sit nihil. Hoc tamen ipso quod Deus per actum oppositum circa ens negatum versetur, perinde se habet æquialenter , ac si versaretur circa negationem per actum , quem ipsi attribuimus ; proindeque in tali casu loquutio nostra per æquiualentiam est vera. 67

Aduerto secundò.Quemadmodum entia positiua passim redduntur amabilia, vel odibilia ab existentiâ alicuius circumstantiæ ratione sui non amabilis, vel non odibilis , vt est notissimum , & *in Tract. de voluntate* affatim ostendemus ; ita etiam passim reddi amabilia , vel odibilia à defectu alicuius circumstantiæ ; tametsi huiusmodi defectus vtpote nihil ratione sui nec sit amabilis , nec odibilis. Vide primum in pœnis damnati , quæ specialem amabilitatem contrahunt ab eius peccato respectu Dei,à quo tamen peccatum ipsum amabile non est ; nec non in actione peccaminosâ , quæ specialem odibilitatem contrahit ab extrinsecâ libertate , quâ fit;cum tamen libertas ipsa odibilis non sit in se. Secundum autem cernere poteris tum in iusto , qui specialiter est amabilis, quod caret peccato ; tum in peccatore , qui specialiter est odibilis,quod caret iustitiâ, quin sit per se præcisè amabilis carentia peccati,aut odibilis carentia iustitiæ. De quibus plura *in dicto Tract.* 68

Hinc ad argumentum factum respondeo facile. Deum nunquam eligere positiuè,nec posse aliquam negationem vt vtilem ad aliquem finem si quando autem dicitur illam eligere,quia ex intentione talis finis verè non ponit rẽ negatam,per æquiualentiam tantum esse verũ eiusmodi dictum quia perinde est æquiualenter,nolle Deũ,vt existat aliquid,ne impediméto sit illud fini præintento;ac esset velle vt existeret negatio eius ad obtinendum media illa ipsum

præin

præintentum finem, casu quod negatio esset aliquid vt medium vtile ad talem finem elegibile à Deo : Adde, quoties in scripturis sacris dicitur Deus rem aliquam non facere, vt aliquem finem obtineat, neutiquam per tale dictum significari habere Deum volitionem de negatione talis rei, sed potius nolitionem de re ipsâ, quam verè habet ab intentione talis finis oriundam. Vnde etiam dico nullam Deum negationem velle vel nolle, vt commodam, vel incommodam subiecto, quod amat, sed tantum nolle rem negatam, quod recidit in idem æquialenter. Ens verò quod à negatione alicuius circumstantiæ, seu potius à non existentia eius redditur amabile, aut odibile, bene potest Deus amare, aut odisse per actum connotantem circumstantiam ipsam, vt non existentem; quemadmodum amat, aut odit per actum connotantem circumstantiam vt existentem ens, quod ab existentia eius amabile, aut odibile euadit, vt *in Tract. de voluntate* latius etiam dicemus. Cumque peccatum puræ omissionis, si datur in potentiâ proximâ, ad ponendum, vel non ponendum actum præceptum, prout illud non ponente consistat; hoc ipso quod Deus oderit talem potentiam proximam prout non ponentem talem actum, per odium scilicet suâ naturâ connotantem ipsius actus non existentiam, peccatum omissionis odio habebit, vt pluribus eriam explicabimus *in dicto Tract.*

69 Ex his alio argumento occurres, quod à præceptis de rebus non efficiendis siue de eorum negationibus desumi posset. Talia enim præcepta, si sint humana, bene possunt circa negationes versari, præcipiendo illas positiuè eo ipso quod positiuè potest homo eas amare, vel odisse; æquialenter tamen erunt semper talia præcepta rerum negatarum prohibitiua. Si verò præcepta sint diuina, nullatenus poterunt esse positiuè præceptiua negationum, sed tantùm prohibitiua rerum negatarum, quod in idem recidit. Quæ omnia satis superque constant ex dictis.

70 Postremò denique contra sententiam nostram potest sic argui. Oppositio contradictoria, quæ datur inter ens negatum, & negationem, vera oppositio est, imo omnium potissima : ergo inter duo saltem extrema vera versari debet, absque duobus enim saltem veris extremis nulla potest oppositio vera constare : ergo negatio enti negato contradictoriè, & verè opposita non potest non esse aliquid verum, siue illud sit quid positiuum, aut complexum, aut simplex, siue quid distinctum realiter ab omni ente positiuo. Respondeo oppositionem contradictoriam obiectiuam (nam actus etiam affirmans, & actus negans idem obiectum dicuntur contradictoriè opponi; de quorum tamen oppositione nulla in præsenti est difficultas) nostro modo concipiendi versari inter duo extrema distincta, quod sufficit vt ea sub aliquem conceptum formalem communem aliis oppositionibus cadat, iuxta doctrinam vniuersalem de conuenientia plurium sub eumdem conceptum tradendam *disputatione* 17. re tamen ipsâ non inter vnum & aliud extremum, sed inter esse, & non esse eiusdem versari. Hoc tamen, licet tollat, quod ea conueniat in conceptu oppositionis rali cum aliis oppositionibus, quæ versantur inter extrema distincta, iuxta dicenda etiam *loco citato*, non tamen tollit, quod ea in suo genere sit vera & stricta, imo & omnium potissima oppositio: quia nihil est magis oppositum, aut repugnans enti, magisve incompatibile cum ipso, quam non ens, seu nihil, vt constat. Itaque maximè omniũ sunt oppositа esse, & non esse, non tamen tanquam vnum & aliud, sed tanquam vnum, & purum nihil. Ex quo patet de conceptu reali omnis oppositionis non esse, quod ea versetur inter extrema distincta, licet id sit de conceptu formali omnis oppositionis, prout à nobis omnis oppositio concipitur.

QVÆSTIO IV.

Quotuplex sit negatio?

QVamquam negatio à parte rei prorsus sit nihil, vt ostensum *q.* 3. quia tamen illa à nobis concipitur vt aliquid, ad variasque res comparata varios conceptus cum fundamento in rebus ipsis subire potest, non inutiliter in præsenti quæstione illam vt sic molimur diuidere in ea, quæ habere potest, membra magis vniuersalia. Et quoniam id, cui immediatè, & formaliter concipitur negatio opponi, est actus significabilis per verbum, circa quem iudicium negatiuum per modum recessus, siue remotionis versatur, vt ex dictis in superioribus satis est notum, per comparationem imprimis ad eiusmodi actum, ad eiusque subiectum, & terminum venit negatio diuidenda. Sit igitur 71

Diuisio 1.

Negationum alia est negatio actus contingentis, alia actus impossibilis, alia actus necessarii subiecto, cuius actus concipitur. 72

Ex quibus subinde prima contingens. Secunda necessaria. Tertia impossibilis erit ipsi subiecto, cuius actum remouet, & cui vice ipsius actus conuenire concipitur, vt est notum. Tum consentaneè ad phrasim communem prima loquendo vniuersè priuatio dicetur, quia est remotio formæ (qualis est omnis actus) à subiecto apto, siue compote ad illam habendam. Secunda autem negatio pura; quia est remotio formæ à subiecto inepto, impotéve ad habendam illam. Tertia negatio impossibilis, quo sufficienter ab aliis discriminabitur.

Diuisio 2.

Insuper tamen quæuis dictarum negationum aut concipitur conuenire subiecto, cuius actum remouet, prout actu existenti. Aut subiecto, cuius actum remouet, considerato secundum se quiditatiuè. 73

Et negatio quidem subiecto contingens, si conuenit ei prout existenti, strictius solet appellari priuatio, latius verò si conuenit ei considerato secundum se. Negatio verò subiecto necessaria, vtrouis modo illi conueniat, strictè videtur communiter dici pura negatio. Sicut etiam negatio subiecto impossibilis strictè talis nuncupabitur, vtrouis ex dictis modis subiectum ipsum sese habeat.

Ex his perspicies negationem, quâ quodlibet ens, aliàs contingens, de facto non existit priuationem latiori quodam modo venire appellandam: quia est negatio tali enti secundum se considerato contingens, vtpotè remouens existentiam, siue actum existendi ei possibilem; negationem verò, qua quodlibet ens iam existens actu aliquo siue forma sibi possibili carere dicitur, priuationem strictiori modo dici debere. Negationem autem, qua quodlibet ens siue existens, siue non existens dicitur non esse aliud quidpiam, estque subinde negatio actus 74

essendi

essendi aliud, siue identitatis cum illo tali enti penitus impossibilis. Tum negationem, qua quæuis chymera dicitur non existens, aut non potens existere: Tum negationes, quibus Deus non peccat. Homo non volat: lapis non intelligit, & cæteras omnes huiusmodi, quæ à subiectis, quibus conueniunt, remouent actus eis impossibiles, negationes puras in vniuersum, satisque stricte nuncupari. Denique negationes, quibus Deum non existere hominem non esse rationalem, lapidem non esse possibilem, aliaque huiusmodi figmenta concipi possunt, negationes esse impossibiles.

Diuisio 3.

Amplius verò priuatio strictiori modo sumpta, vti diximus, pro carentia actus, seu formæ in subiecto apto illam prout existente, in alia membra diuidi solet, iuxta Aristotel. *lib. 5. Metaphysic. cap. 22.*

75 Primò enim dici solet priuatio, licet valde improprie (proprius enim diceretur pura negatio) quæ remouet actum, seu formam à subiecto capaci illius tantum secundum prædicatum valde commune. Vt si planta (quod est exemplum Aristot.) priuata oculis dicatur, quod ex præciso prædicato viuentis ei non repugnat illos habere. Secundò minus improprie priuatio dicitur, quæ remouet formam à subiecto capaci illius præcise secundum prædicatum genericum speciei atomæ proximum. Vt si talpa cæcus, siue oculis priuatus dicatur, quod ex prædicato animalis bene posset habere illos. Tertiò solet, & magis proprie dici priuatio, quæ remouet formam à subiecto capaci illius ex prædicato specifico, non verò pro tali tempore, pro talive peristasi circumstantiarum, vt si puer recens natus priuatus dentibus dicatur. Quartò magis adhuc proprie, frequenterque priuatio dicitur, quæ à subiecto vndequaque illius capaci remouet formam, non tamen ipsi subiecto debitã, vt quando aër priuatus lumine appellatur. Quintò denique propriissime omnium nuncupatur priuatio, quæ remouet formam subiecto debitam debito aliquo vel naturali, vel morali. Quo pacto carentia fragiditatis debitæ in aqua, omissio actus præcepti in homine, aliæque huiusmodi propriissimè priuationes erunt. Præterea ex eodem Arist. *suprà*, priuationum alia est totalis, quæ totam, integramve formam à subiecto capaci remouet. Alia partialis; quæ partem solum formæ remouet, alia parte relicta.

76 Ex dictis colligo primò. Eatenus solum dici posse priuationem suscipere posse magis, & minus; quatenus, plus aut minus de forma aliàs diuisibili potest per illam remoueri à subiecto. Nisi quis velit priuationem aliàs æqualis formæ maiorem aut minorem vocare penes maius, vel minus debitum, quo debita est subiecto forma, qua priuat. Quæ tamen loquutio impropria erit.

77 Colligo secundò. Quo sensu dici soleat communiter dari medium inter priuationem, & habitum; secus inter negationem, & rem negatam (appellant autem impræsentiarum habitum id, quod per priuationem, aut etiam per negationem excluditur; quasi haberetur, ea sublata. Etenim cum priuatio vt talis connotet in subiecto, cuius habitum seu potius actum remouet, capacitatem ad illum; sæpe fit vt defectu capacitatis connotatæ neque priuatio, neque habitus, seu actus per illam exclusus conueniat alteri subiecto. Ob id enim dicitur verè lapidem neque esse cæcum, neque habentem visum, quia de conceptu cæci, supra carentiam visus, est capacitas habendi illum, quam non habet lapis. Quod est inter priuationem & habitum dari medium. Ast cum negatio sumpta vniuersè ab huiusmodi præscindat connotationibus, ea necessario, vel res negata debet citra vllum medium vbique dari, cum sit formaliter idem alicubi non esse rem negatam, & esse ibidem eius negationem, qua ratione negatio à nobis esse concipitur sumpta vniuersè pro mera carentia entis, siue non esse eius. Quod addo: quia si sermo sit de pura negatione contraposita priuationi, non minus inter illam, & rem negatam, quàm inter priuationem, & habitum poterit dari medium: siquidem negatio pura vt talis in subiecto, cuius actum remouet, connotat ineptitudinem ad illum, vt priuatio connotat aptitudinem. Quocirca sicut verum est lapidem neque priuatum esse visu, neque visum habere; ita erit verum hominem cæcum neque esse purè negatum visu, neque visum habere: quia sicut de conceptu priuati visu est capacitas visum habendi, qualem non habet lapis: ita de conceptu pure negati visu est incapacitas habendi visum, qualem non habet homo cœcus. Hinc fit inter priuationem & actum, quo priuat non dari medium relatè ad subiectum, respectu cuius est priuatio; sed tantùm relatè ad aliud, respectu cuius talis non est, vt satis ex dictis est notum. Tantumdemque dicendum venit de negatione pura vt tali.

Collige tertiò: etiam respectu subiectorum im- 78
possibilium aliquam priuationem latius acceptam dari posse, quidquid nonnulli contradicant: talis enim erit negatio actus, quo non cognoscuntur, aut non amantur talia subiecta, cum tamen possent.

Collige quartò, ibidem omnino esse quamlibet 79
negationem per conceptionem nostram, vbi esset actus per eam negatus, nempe in eodem subiecto, in eodem loco, in eodem tempore, in eodem statu, &c. quia concipitur vt remotio formalis actus loco eius prorsus succedens. Re enim ipsa inde remouetur actus, vbi non esse dicitur. Ibidemque propterea, iuxta modum concipiendi nostrum, loco eius poni debet ipsius negatio. Hoc tamen dictum dumtaxat sit de negatione actus, cui conuenit seipso immediate esse ibi, vbi non esse dicitur; vndeque propterea re ipsa per sui non esse remouetur. Actus enim, cui conuenit non se ipso immediate, sed medio alio actu esse alicubi: bene potest ibi non esse actu intermedio deficiente: quin ibi sit eius negatio. Sic enim cognitio existens Madriti, & non Romæ, ita deest à Roma per solum defectum præsentiæ, qua Romæ esse posset, vt nequeat dici esse Romæ negatio existentiæ eius; bene tamen negatio præsentiæ, quam posset ibi habere. Verùm de his propriis in locis plura speciatim dicenda sunt.

Postremò ex dictis in hac & præcedente quæ- 80
stione colligitur, quotiescumque de negationibus rerum occurrit sermo, connaturalius, accommodatiúsque ad modum nostrum concipiendi, atque adeo explicatius dici quidquid circa eas dicere oportet, si de eis tanquam de aliquibus conceptibus verum & reale esse negatiuum habentibus, quo pacto à nobis concipiuntur, loquamur; tametsi in se re ipsa prorsus sint nihil; in seque proinde ab intuentibus non sint conceptibiles. Ob id cum loquimur de contradictoriis, vt de duobus extremis mutuo se se formaliter excludentibus loquimur, quorum alterum est negatio, alterum res negata; & consequenter perinde apud nos est dicere, rem non esse,

&

& esse eius negationem; sicque passim dicimus existere negationem rei, vbi res negata non existit, nimirum in tali tempore, in tali loco, in tali subiecto, &c. iuxta dicta *num. præcedente*. Sic chymærarum impossibilium necessarias dicimus negationes; è contra verò rerum necessariarum impossibiles negationes vocamus. Et vniuersim, quoties rigorose loquendo aliquid erat rebus negandum enunciatione negatiua, seu remotiua, toties illius negatio eis indiscriminatim solet attribui enunciatione affirmatiua, seu positiua. Qui omnes nihilominus loquendi modi per æquiualentiã sunt veri, vt ex dictis liquidum est. Ob id claritatis, & aliis morem gerendi gratia, eisdem nos indiscriminatim in nostris operibus vtemur, nisi aliud materia postulauerit. Hinc protestantes per illos nos doctrinæ statutæ *quæst. præcedente*, ne minimum quidem intendere derogare,

QVÆSTIO V.

Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur tum inter se tum cum terminis præcedentis collatis?

81 QVia materia præsentis disputationis fere metaphysica est, vt principio dicebam, oportuit quæstionem hanc instituere, iuxta methodum præstitutam in præfatione ad lectorem. Cui respondetur; propositiones, quas inquirit, esse sequentes.

Propositio 1.

82 Impossibile est aliquid simul esse, & non esse. Impossibile est etiam aliquid simul neque esse, neque non esse. Tum necesse est quodlibet aut esse, aut non esse. Necesse est etiam quodlibet aut deesse, aut non deesse (sumpto *deesse* pro *non esse*.

Coniungo sub vna propositione hæc quatuor principia. Tum quia in idem fere recidunt æquialenter. Tum quia ad explicandam eorum naturam oportet illa inuicem comparare. Primum tradit Aristotel. *lib. 4. Metaph. cap. 3. text. 8.* his verbis *Idem enim simul esse, & non esse in eodem secundum idem est impossibile.* Additque esse omnium principiorum firmissimum, atque certissimum. Atque omnes demonstrantes in illud tandem suas propositiones deducere, vtpote quod omnium dignitatum seu principiorum principium est. Tertium tradit *in eodem lib. cap. 7. text. 27.* dum ait. *Verum neque inter contradictiones quidquam medium esse contingit. Sed necessarium aut dicere, aut negare vnum de vnoquoque.* Quorum amborum mentionem etiam facit *lib. 1. post. cap. 8. text. 26. & 27.* his ferme verbis. *Impossibile est idem simul affirmari, & negari de eodem. Necesse est idem affirmari, vel negari de eodem.* Secundum autem, & quartum principium in primo, & tertio continetur, vt iam expono.

83 Etenim huiusmodi principia in natura extremorum contradictionis, qua talium, fundantur immediatè; eorúmque subinde immediatas, atque per se notissimas proprietates enunciant. Dicuntur autem extrema contradictionis, seu contradictoria negatio obiectiua, & id quod per illam negatur, seu remouetur, iuxta doctrinam statutam *quæst. 3. & 4.* præsertim *num. 70. & 80.* Quæ quidem extrema ita iuxta *ibidem* dicta opponuntur, vt quoduis eorum æquiualenter, nostroque modo concipiendi suapte natura & essentia sit formalis exclusio, ablatio, siue remotio alterius, & consequenter cuiusuis exclusio, ablatio siue remotio alterius sit formalis positio. Hinc autem fit primò quòd nequeat vnum contradictionis extremum esse, quin desit alterum, atque adeo, quod nequeant ambo simul esse, & consequenter, quòd *sit impossibile aliquid simul esse & non esse* prout fert primum principium. Aliquid namque simul esse, & non esse, esset simul esse ambo contradictionis extrema. Secundò fit, quod nequeat deesse vnum cõtradictionis extremum, quin sit alterum. Atque adeo quod nequeant ambo simul deesse, & consequenter, *quod sit impossibile aliquid simul neque esse neque non esse*, prout fert principium secundum. Aliquid namque simul neque esse, neque non esse, esset simul deesse ambo contradictionis extrema. Tertiò fit, quod nequeat non esse contradictorium positiuum, si deest negatiuum, & vice versa. Atque adeo, quod sit necesse alterutrum eorum esse. Et consequenter, (quod est idem) quod *sit necesse quodlibet aut esse, aut non esse*, prout fert principium tertium. Quartò fit quod nequeat non deesse contradictorium positiuum, si est negatiuum, & vice versa, atque adeo quod sit necesse alterutrum eorum deesse. Et consequenter (quod est idem) quod sit necesse *quodlibet aut non esse, aut non non esse*, prout fert principium quartum. Vnde apparet quatuor proposita principia aliter sic breuius efferri posse. *Impossibile est, vtrumque contradictorium simul esse. Impossibile est vtrumque contradictorium simul deesse. Necesse est alterutrum contradictorium esse. Necesse est alterutrum contradictorium deesse.*

Quæ cùm ita sint colligo primò. Duo priora 84
principia, quamuis formaliter sint duo: quatenus tam ex parte intellectionum nõstrarum, quam ex parte conceptuum obiectiuorum diuersitatem habent. Equiualenter tamen esse vnum & idem, quatenus veritas obiectiua per vtrumque enunciata vna est, & eadem à parte rei. Differunt enim tantùm sicut differũt propositio affirmatiua vnius extremi contradictionis, & negatiua alterius. De quibus æquiualenter esse eamdem ex dictis *quæst. 3.* constat. Etenim cum positio vnius extremi contradictionis sit ablatio alterius, & è conuerso, vt dictum est, qui vtrumque simul adstruit, eo ipso aufert simul vtrumque atque ita hæ propositiones. *Vtrumque contradictorium est. Neutrum contradictorium est*, & similes, æquiualentes sunt. Quo fit, vt duo priora dicta principia æquiualentia, vel (quod est idem) vnum æquiualenter sint. Tantumdemque eodem iure venit dicendum de duobus posterioribus inter se comparatis. De eis nihilominus ob diuersitatem, quam habent formalem, tanquam de distinctis, quoties opus fuerit loquemur.

Secundò colligo. Duo priora dicta principia 85
magis distingui à duobus posterioribus, & vice versa, quam inter se: quia duo priora veritatem quamdam negatiuam enunciant, nempe impotentiam subiecti ad vtrumque contradictorium. Duo verò posteriora veritatem quandam positiuam, nempe necessitatem subiecti ad alterutrum contradictorium. Adeo tamen euidenter, & immediatè hæ duæ veritates mutuo se inferunt, mutuóve inter se

connectun

connectuntur, vt alterutra in alterâ contineri virtualiter dici possit loquendo logicè. Ex eo enim quod subiectum est impotens ad habendum vtrumque contradictorium, confestim fit esse necessitatum ad carendum alterutro, & vice versâ. Pariterque ex eo quod sit impotens ad carendum vtroque sequitur necessitatum esse ad habendum alterutrum, & è conuerso. Quomodo autem ista principia simultanea inter se sint, etiamsi alia positiua sint & alia negatiua ex dicendis postmodum apparebit.

86 Tertiò colligo, aliud principium, quod *suprà* addidit Arist. nempe *impossibile est dari medium inter duo contradictoria.* in illud secundum recidere. *Impossibile est vtrumque contradictorium simul deesse.* Quia non posse dari medium inter duo contradictoria idem est, ac non posse vtrumque simul ita deficere, vt detur aliud quidpiam loco vtriusque.

87 Adnotare tamen oportet. Tametsi dicta principia sumpta absolutè, seu prout in statu absoluto, verissima iuxta, atque euidentissima sint. At si sumantur conditionatè, seu prout in statu conditionato, sæpissimè falsificari nisi eis aliquid adiiciatur, quo, & in tali quoque statu, atque adeo prorsus vniuersaliter vera sint. Quamquam enim verissimum sit, loquendo absolutè, non posse vtrumque contradictorium aut simul esse, aut simul deesse. Necesséque subinde esse vt sit vnum, & desit alterum. Falsum tamen id ipsum est, loquendo ex hypothesi, quod esset, aut quòd deesset, vtrumque, quia vere, si esset vtrumque, esset vtrumque, & posset esse, veréque si deesset vtrumque deesset, vtrumque, & posset deesse. Subindéque verè etiam, non esset necesse, vt esset vnum, & deesset alterum, si aut esset vtrumque, aut deesset vtrumque. Ratio autem est, quia licet quoduis ex contradictoriis suopte conceptu sit formalis exclusio alterius: atque adeo non possit non excludere illud etiam in statu conditionato, & consequenter ex vi positionis vnius sequatur necessario in omni statu defectus alterius, aliunde tamen in statu conditionato potest etiam necessario sequi ex vi hypothesis eiusdem positio, atque adeo esse conditionatè verum illud simul esse, & non esse. Vide id hâc propositione absque omni dubio verissima. *Si simul existerent duo contradictoria, simul existerent duo contradictoria.* Quanquam enim ex vi existentiæ conditionatæ vnius contradictorij sequatur non existentia conditionata alterius, indeq; præcisè propositio adstruens vtriusque existentiam videatur falsificari; aliunde tamen ex vi hypothesis adstruitur existentia eiusdem, quo fit, vt talis propositio simpliciter, & vndequaque sit vera. Itaque verum est simpliciter extiturum vtrumque contradictorium vtrumque existeret Tametsi etiam sit verum neutrum contradictorium extiturum, si vtrumque existeret, quia quoduis ex se excluderet alterum. Nec mirum cum existere vtrumque, & neutrum existere idem ex parte obiecti sit, vt constat ex dictis. Tantumdémque dicendum est de quâuis aliâ propositione conditionatâ, quæ sub conditione impossibili verè affirmat fore simul duo contradictoria, qualis est. *Si existeret secundus Deus, existerent duo contradictoria,* & similes.

88 Igitur vt prædicta principia vniuersaliter valeant etiam pro statu conditionato aliqua particula exceptiua adiicienda est, quæ omnimodis excludat veritatem obiectiuam alterius contradictorij in consortio alterius. Si enim dicas. *Impossibile est idem simul esse, & non esse simpliciter.* Vt sensus sit. Impossibile est idem ita esse, vt ex nullo capite sit verum non esse; & simul ita non esse, vt ex nullo capite sit verum esse. Tunc tale principium pro statu etiam conditionato erit verissimum, atque certissimum: quia verissimè, atque certissimè est impossibile ita esse aliquid conditionatè, vt ex nullo capite sit verum non esse, & simul ita non esse, vt ex nullo capite sit verum esse. Inde enim fieret, vt tale obiectum conditionatum absolutè esset simul verum, & non verum, id est absolutè affirmabile, & non affirmabile verè, atque ideo simul à Deo iudicabile, & non iudicabile, quod verissimè, atque certissimè impossibile est. Paritérque philosophandum est de aliis principiis. Videantur ad rem dicta *suprà disp. 3. quæst. 4.*

Hîc dubitant aliqui an principium illud. *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Verè sit primum omnium principiorum, in quod tandem demonstrationes omnium scientiarum deducantur, vt dixit Arist. *libro 4. Metaph. cap. 3. citato.* Negat nonnulli apud Soar. *disputatione 3. Metaph. sect. 3.* censentes esse primum alterum. *Necesse est quodlibet aut esse, aut non esse,* eo quod hoc affirmatiuum est; illud negatiuum, & omnis negatio supponit prædicatum positiuum, in quo fundetur. Soar. verò distinguens duplex genus demonstrationum ostensiuum scilicet, & deducens ad impossibile dicit in priori genere non esse dictum principium totius Metaphysicæ, nedum omnium scientiarum primum. Benè tamen in posteriori. cui ego quoad hanc secundam partem consentio; eo quod omnis demonstratio cuiusuis scientiæ deducens ad impossibile vsque ad principium dictum deducatur, necesse est; Siquidem id solùm est simpliciter impossibile, quod secum fert duo extrema contradictoria, vt demonstrabitur *inferius disputatione* 11. Quoad primam verò partem dico intra genus demonstrationum ostensiuum dictum principium non esse prioritate principij primum totius metaphysicæ, nedum omnium scientiarum: quia non omnes, imò pauciſsimæ demonstrationes ostensiuæ metaphysicæ resoluuntur in illud. Esse tamen vnum ex primis totius Metaphysicæ prioritate vniuersalitatis, vtpote, quod de subiecto vniuersaliſsimo omnium, quale est quidlibet conceptibile, siue possibile, siue impossibile, vnam ex primis eius proprietatibus prædicat, nempe esse impotens ad subeunda simul duo extrema contradictoria, hoc est, ad se exercendum simul per duos actus contradictorios, quæ proprietas in naturâ potiſsimùm ipsorum contradictoriorum fundatur, eorumdemque subinde etiam proprietas est: ab eisdem enim fundamentis denominantur immediatè subiectum quidem impotens ad sufferenda simul duo contradictoria, & ipsa contradictoria impotentia ad conueniendum simul subiecto. In quibus eisdem fundamentis nititur immediatè principium alterum positiuum, quo prædicatur de eodem subiecto, necessitatum esse ad alterutrum ex extremis contradictoriis, de quouisque horum necessitatum esse ad conueniendum subiecto ex hypothesi defectus alterius. Vnde patet duo ille principia. *Impossibile est idem simul esse, & non esse. Necesse est quodlibet aut esse, aut non esse,* quibus alia duo principia æquiualentia sunt, immediatè nasci ex essentiâ contradictoriorum extremorum relatè ad subiectum, cuius actus sunt ipsa extrema; atque ita etsi sit alterum positiuum, & alterum negatiuum, neu- 89

trum

trum prius altero, sed inuicem simultanea esse., & consequenter vtrumque ex primis totius Metaphysicæ prioritate vniuersalitatis, vtpotè, quæ subiecto conueniũt vniuersalissimo omniũ iuxta nuper dicta.

90 In istis autem duobus principiis illa alia duo logicorum fundantur *Impossibile est duas propositiones contradictorias aut simul veras, aut simul falsas esse. Necesse est, vt ex duabus propositionibus contradictoriis altera vera sit, & altera falsa.* Quod apud omnes in confesso, & ex dictis à nobis *suprà disp. 3. q. 5.* conspicuum est.

Propositio 2.

91 Positio cuiusuis ex extremis contradictoriis suopte conceptu formalis est alterius exclusio, siue defectus, siue remotio. Et è conuersò, cuiusuis exclusio, siue defectus, siue remotio formalis est alterius positio.

Dicuntur autem extrema contradictionis, seu extrema contradictoria, vt nuper notaui, negatio obiectiua, & id, quod per illam negatur. Quo tamen pacto talia ea sint (vt in propositione asseritur) per quamdam solum æquiualentiam, & nostro modo concipiendi; eo quod extremum negatiuum à parte rei prorsus est nihil, eiusque veritas obiectiua potius in non positione, quàm in positione alicuius stat, ex dictis *in superioribus* præsertim *num.* 70. 80. & 83. constat, quæ ad rem recolenda. Quomodò etiam pleraque extrema apud nos contradictoria, ex parte rerum fundamentaliter tantùm contradictoria sint, non formaliter, quatenus fundamenta eorum ex parte rerum entia sunt purè positiua, positiuè solùm ab intuentibus cognoscibilia, non verò entia, & negationes, quæ tum positiuè, tum negatiuè ab intuentibus etiam cognoscibilia sunt, ex dicendis *infrà disp.* 11. constabit. Impræsentiarum verò de omnibus est idem censendum, ob omnium, quod ad rem attinet, æquiualentiam.

Propositio 3.

92 Quodlibet ex suppositione, quòd est, necesse est esse. Tum quolibet ex suppositione, quòd non est, necesse est non esse.

Hæc propositio duo proposita principia continens, axioma est non minus celebre, nec minus per se euidens, quàm prima; insuperque demonstrari per illam potest. Nam si factâ, & retentâ suppositione, quòd quidpiam est, non esset, aut, quod quidpiam non est, esset. Id simul esset, & non esset contra dictam *propos.* 1. sequuntur autem ex duobus istis principiis hæc alia duo. *Ex suppositione, quòd aliquid est, impossibile est non esse. Ex suppositione, quòd aliquid non est, impossibile est esse.*

Propositio 4.

93 Essentia composita, & aggregatum omnium partium, exquibus componitur, idem omninò sunt.

Hæc propositio apud omnes est certissima, satisque euidens ex ipsis terminis. Sed est notandum essentiam compositam bifariam vsurpari posse, substantiuè scilicet, & adiectiuè. Substantiuè dicitur accipi, quando omnes ex æquo partes eius directè, & in recto accipiuntur. Adiectiuè verò, quando aliqua pars eius directè, & in recto, reliquæ autem indirectè, & in obliquo, siue de connotato accipiuntur; & priori quidem modo sumpta dicitur essentia per se (qualis est semper essentia simplex, seu non composita) posteriori modo sumpta dicitur essentia per se aliud non est ab aggregato omnium suarum partium substantiuè sumptarum essentia autem per accidens aliud non est ab aggregato omnium suarum partium sumptarum adiectiuè. Quo fit, vt essentia sumpta vniuersè, & aggregatum omnium partium, ex quibus ea componitur, idem omninò sint, vt propositio nostra fert. Appello autem partem essentiæ omne illud, quod quoquo modo intrinsecè constituit ipsam.

Propositio 5.

Essentia composita aut ex partibus habentibus 94
esse in eodem tertio, aut ex partibus habentibus *esse* in diuersis considerari potest composita.

Sermo est in propositione de omni essentiâ compositâ, siue ea sit essentia per se, siue essentia per accidens, iuxta dicta *propos.* 4. Est autem propositio certissima: quia essentiam compositam dicimus vniuersè aggregatum quoduis ex partibus quoquo modo coalescens. Compertum est autem considerari posse aggregatum coalescens ex partibus aut habentibus *esse* in eodem tertio, hoc est, in eodem statu, in eodem tempore, in eodem loco, in eodem subiecto, & si quæ sunt alia, in quibus essentiæ esse, siue habere *esse* dicuntur; aut habentibus *esse* in diuersis, vt si vna pars in statu tantùm quiditatiuo habeat *esse*, alia in statu existentiali. Tum vna in hoc tempore, alia in illo; vna in isto loco, alia in alio &c.

Propositio 6.

Quoties subiectum prædicationis est aliqua es- 95
sentia per se composita, omnibus partibus eius ex æquo tribuitur prædicatum, cùm prædicatio est affirmatiua, pariterque detrahitur, cùm est negatiua, non verò aliquibus, aut alicui tantùm præ aliis; idque, siue tales partes distributiuè, siue collectiuè capiantur.

Hæc propositio ab experientiâ est euidens bene obseruanti modum, quem nos iudicandi & prædicandi habemus; rationéque insuper manifesta monstratur experientia supposita. Certum namque est nos modum quemdam fixum habere apprehendendi, atque significandi subiectum, vt ei possimus per iudicium perque externam enunciationem tribuere, vel detrahere prædicatum, qui quidem modus est apprehendendi, & significandi subiectum directe, & in recto, vt aiunt, prout experientia monstrat. Deinde est certum, quoties modo isto, nimirum directe, & in recto plura ex æquo apprehendimus, significamusve ex parte subiecti, proindeque subiectum prædicationis est aggregatum plurium dicens ex æquo illa omnia directè, & in recto non posse nos aliquibus eorum præ cæteris tribuere, vel detrahere prædicatum, aut iudicio, aut enuntiatione, sed omnibus necessario, vel nullis tribuendum, aut detrahendum esse; idque, siue ea distributiuè, siue collectiuè capiantur. Ratio est aperta: quia cùm omnia, & singula eodem omninò modo suppositа sint prædicato, non est cur aliquibus præ alis tribuatur, vel detrahatur prædicatum aut iudicio, aut enuntiatione. Deinde experientia conuincit. Si enim

semel ita iudices, aut enuncies : *Omnis homo currit*, aut, *collectio omnium hominum existit*, tribuendo scilicet cursum omnibus hominibus distributiuè, aut existentiam omnibus collectiuè, vel ita. *Omnis homo non currit*, aut *collectio omniũ hominum non currit*, *non existit*, detrahendo currum omnibus hominibus distributiuè, aut existentiam omnibus collectiuè, neutiquam tibi integrum erit eadem semper apprehensione, aut significatione subiecti retenta, aliquibus tantùm hominibus præ aliis cursum, aut existentiam tribuere, valde trahere iudicio, vel enuntiatione : alioquin hæc propositio : *Omnis homo currit*, nullatenus eius significatione variata, modò de omnibus hominibus, modo de aliquibus tantùm cursum affirmaret. Pariterque negaret hæc *Omnis homo non currit*, similiterque hæc, *collectio hominum existit*, modò de tota hominum collectione, modò de parte eius dumtaxat affirmaret existentiam ; hæcque negaret, *Collectio omnium hominum non existit* citra omnem omnino variationem significationum suarum, quod patet impossibile esse.

96 Ex his propositio venit sic demonstrãda. Essentia per se composita aggregatum quoddam est plurium partium dicens ex æquo illas omnes directè, & in recto, atque adeò substantiuè, vt constat ex eius definitione tradita *q.2.* Sed quoties subiectum prædicationis est aggregatum plurium dicens ex æquo illa omnia directè, & in recto, non potest non omnibus illis ex æquo tribui prædicatum, aut detrahi iudicio, vel enuntiatione, idque siue distributiuè illæ, siue collectiuè capiantur ; aliquibus enim præ aliis, aut tribui, aut detrahi est impossibile, iuxta modum, quem nos habemus intelligendi, vt *num. præced.* statutum est. Igitur quoties subiectum prædicationis, &c. Quod erat ostendum.

97 Habet autem propositio locum, vt in ea dixi, tam pro casu, quo partes essentiæ compositæ, positæque pro subiecto prædicationis accipiuntur distributiuè, quàm pro casu quo collectiuè. Quod vt clariùs notescat, supponendum est primò. Tunc partes subiecti compositi sumi distributiuè, quando prædicatum ita illis omnibus per affirmationem tribuitur, aut per negationem detrahitur, vt etiam singulis, cuilibétque illarum seorsim tribuatur, aut detrahatur. Tunc verò sumuntur collectiuè, quando prædicatum integræ illarum collectioni, siue aggregato ita tribuitur, aut detrahitur omninò indiuisim, vt non tribuatur, aut detrahatur singulis, vel earum vlli seorsim. Qui proinde duplex modus sumendi partes subiecti compositi distributiuè, & collectiuè dumtaxat habet locum, quando illud est essentia per se ; siquidem quando est essentia per accidens non omnibus partibus eius, sed vni tantùm, connotatis reliquis, tribuitur, detrahitúrve prædicatum, vt videbimus *propos. seq.*

98 Secundò supponendum est, esse aliqua prædicata, quæ ita conueniunt re vera omnibus, & singulis partibus essentiæ per se compositæ distributiuè sumptis, vt non conueniant eisdem collectiuè sumptis, hoc est essentiæ ipsi sumptæ indiuisim. Et esse alia, quæ vice versa, ita conueniunt essentiæ sumptæ indiuisim, vt non conueniant singulis partibus eius distributiuè sumptis. Prædicatum prioris generis est, *esse quid componens talem essentiam*, quod conuenit omnibus, & singulis partibus eius distributiuè sumptis, ipsi verò essentiæ collectim, siue indiuisim sumptæ minimè, vt constat. Prædicatum verò posterioris generis est, *esse quid compositum ex omnibus talibus partibus*, quod totu essentiæ indiuisim conuenit, secus singulis eius partibus diuisim, siue seorsim, vt etiam constat. Aliáque plura sunt huiusmodi.

Tertiò supponendum est, esse alia prædicata 99
præterea, quæ si conueniant omnibus, & singulis partibus essentiæ per se compositæ sumptis distributiue, non possunt non conuenire item essentiæ ipsi sumptæ indiuisim, atque etiam è conuerso. Tale est prædicatum existendi. Repugnat enim manifeste existere omnes, & singulas partes essentiæ, quin existat ipsa essentia ; atque etiam è conuerso repugnat existere essentiam, quin existant omnes, & singulæ partes eius. Alia verò sunt prædicata, quæ si conueniant omnibus partibus distributiue sumptis, essentiæ per se compositæ non possunt essentiæ ipsi sumptæ indiuisim non conuenire ; sed non vice versa. Tale est prædicatum potentis deficere. Repugnat enim aperte posse deficere omnes partes alicuius essentiæ, quin possit essentia ipsa deficere. At essentiam aliquam posse deficere, quin omnes partes eius possint deficere possibile est. Talis namque est essentia aggregati ex Deo, & creaturis, vt constat. Denique excogitari possunt prædicta alia (quo fiat combinatio adæquate) quæ si conueniant alicui essentiæ per se compositæ sumptæ indiuisim, non possint non omnibus partibus eius distributiue sumptis non conuenire. Non tamen è contra. Sed hoc prædicatorum genus non videtur possibile.

Itaque combinatio sic adæquate fieri potest. Præ- 100
dicatorum absolutorum quædam conueniunt essentiæ simul, & eius partibus ; quædam nec essentiæ, nec partibus ; quædam essentiæ, & non partibus ; quædam partibus, & non essentiæ. Prædicatorum verò quasi ex hypothesi ; quædam si conueniunt partibus, nequeunt non conuenire essentiæ, atq ; etiam è conuerso : quædam, si conueniunt partibus, nequeunt non conuenire essentiæ, non tamen è conuerso ; quædam, si cõueniunt essentiæ, nequeunt non conuenire partibus, non tamen è conuerso. Ad discernendum autem huiusmodi prædicatorum genera regula certa generalis facile præscribi non potest. Quare eorum natura, essentiæque item, & partium eius naturis, ad quas comparantur, probe perspectis, quænam huius, & quænam alterius sint generis diiudicandum est. Quod sæpè nos præstabimus *in seq.*

Propositio 7.

Quoties subiectum prædicationis est aliqua es- 101
sentia per accidẽs ei soli parti, quam dicit directe & in recto, tribuitur prædicatum affirmatione, detrahiturque negatione, connotatis tamen per prædicatum cæteris talis essentiæ partibus quoad idem *esse*, secundum quod illæ in ipsa essentia connotantur, siue indirecte, & in obliquo dicuntur.

Consonat hæc propositio doctrinæ traditæ *suprà disput. 2. quæst. 4. conclus. 5.* quæ ad rem recognoscenda est, probandaque venit potissimum ab experientia ipsa. Experimur enim apertè ei soli parti subiecti, quæ sumitur directe, & in recto, tribui prædicatum affirmatione, & detrahi negatione. Si namque dicas, *Leo Petri currit*, non Petro sumpto in obliquo, sed leoni sumpto in recto tribuis actum currendi, eidemque detrahis, si dicas, *Petrus legens Romæ librũ est homo* nec lectioni cadenti obliq; sub conceptũ *legens* nec libro, nec Romæ sumptis etiam oblique, sed soli Petro sumpto in recto tribuis actum essendi homo, & in cæteris pariter. Ob id apud

Gramma

Grammaticos suppositum verbi semper ponitur in nominatiuo, qui est casus rectus. Constat autem apud Grammaticos de solo supposito verbi dici ipsum verbum; atque adeò apud Logicos de solo subiecto directo respondente supposito venire dicendum prædicatum respondens verbo, iuxta dicta in *eâ q. 4 Sect. 1.* Quæ omnia notissima sunt.

102 Cùm igitur essentia per accidens aggregatum quoddam sit plurium partium dicens directè, siue in recto vnam earum, & cæteras indirectè, siue in obliquo, atque adeò adiectiuè, iuxta definitionem traditam *q. 2.* planè consequitur; quoties subiectum prædicationis est aliqua essentia per accidens, ei soli parti, quam dicit directè, & in recto, tribui prædicatum affirmatione, & detrahi negatione, quæ nostræ propositionis prima pars est.

103 Secunda autem. Connotari scilicet per prædicatum cæteras talis essentiæ partes, quoad idem *esse*, secundum quod illæ in ipsâ essentiâ connotantur, siue indirectè, & in obliquo dicuntur, inde planè monstranda venit: quia cùm prædicatum (vtpotè, quod est actus subiecti, aut actum subiecti includit in se, iuxta dicta in *eo Sect. 1. super citato* nõ possit non connotare subiectum ipsum quoad *esse* saltem eius quiditatiuum, vt constat ex doctrinâ statutâ *disp. 8. q. 4. proposit. 2.* nec potest non connotare terminos alios per ipsum subiectum connotatos. Connotatio quippè coniunctio quædam est extremi connotantis cum connotato; repugnat autem primum coniunctum esse cum secundo prout coniuncto cum tertio, quin primum etiam sit coniunctum cum tertio, vt est notissimum.

104 Hinc autem fit primò, non posse nos affirmare expressè, & formaliter prædicatum de subiecto prout connotante terminos alios, siue prout subest illis, quin simul eâdem affirmatione affirmemus tacitè, & virtualiter terminos ipsos connotatos, quoad illud ipsum eorum *esse*, secundum quod sunt connotati. Quoniam, qui expressè, & formaliter affirmat, quodpiam habere *esse* coniunctum cum *esse* alterius, consequenter affirmat tacitè, & virtualiter, & alterum habere *esse*.

105 Secundò fit benè posse nos negare expressè, & formaliter prædicatum de subiecto prout connotante terminos alios, quin tacitè, & virtualiter negemus terminos ipsos quoad *esse*, secundum quod sunt connotati. Quia, qui negat expressè, & formaliter quidpiam habere *esse* coniunctum cum *esse* alterius, non eo ipso negat tacitè, & virtualiter hoc alterum habere *esse*, quandoquidem dumtaxat negat coniunctionem extremi connotantis cũ connotato, quæ tam per defectum vnius, quàm per defectum alterius potest deesse. Vide hæc duo consectaria fusius monstrata, & explicata, exemplisque illustrata *suprà disp. 2. q. 4. consect. 5. citato.*

106 Ex quibus, & ex præsente propositione, præter alia, quæ ibi intulimus, multa pro variis materiis scitu digna, & necessaria sequuntur breuiter inferenda. Sit primum. Ex eo quòd actus conueniat subiecto, & ei tribuatur prout connotanti alios terminos, non sequi vt conueniat pariter, & tribuatur ipsis terminis, tametsi non possit non illos connotare, aut respicere. Sic materia prout habens tales dispositiones vnitur formæ, cui nõ vniuntur dispositiones ipsæ etsi ab vnione supponantur, atque ita connotentur. Sic agens physicè elicit actionem prout excitatum, seu motum aliquâ præuiâ motione physicâ, vel morali, quæ tamen motio actionem non elicit physicè, etsi per illã cõnotetur; & in cæteris pariter.

107 Hinc secundò sequitur sæpè esse verum amari, aut odio haberi quidpiam prout subest aliquibus circunstantiis, siue prout illas connotans, quin verum sit amari, aut odio haberi circunstantias ipsas; tametsi nequeat non esse verum eas connotari, atque adeò respici per actum amoris vel odij. 108

Vnde sequitur tertiò verissimum esse à Deo odio haberi peccatum, tametsi Deus neutiquàm oderit libertatem pertinentem intrinsecè ad conceptum realem peccati; pertinet enim ad illum in obliquo, & ex connotato, perindeque propterea est peccatum à Deo odio haberi, atque à Deo odio haberi actionem prauam prout, connotantem libertatem, 109 siue prout subest illi.

Quartò sequitur sæpè esse verum vnum extremum connotare aliud, atque adeò cum illo esse coniunctum, siue simul cum illo habere *esse*, quin ambo simul sint, siue habeant *esse* in eodem tertio, hoc est, in eodem statu, vel tempore, vel loco, vel subiecto &c. sed in diuersis; eo quod alterum non vtcunque, sed prout habens *esse* in vno tertio connotat alterum prout habens esse in alio vnde rursus fit, vt extremum connotans verè dicatur habere in eo tertio, in quo habet *esse*, denominationem oriundam ab extremo connotato, tametsi hoc non habeat *esse* simul cum illo in eodem tertio: quoniam habere extremum connotans ibi talem denominationem, siue appellari, euadereque, siue esse ibi tale, vel tale à consortio extremi connotati, nihil est aliud, quàm habere ibi illud suum *esse* prout connotans extremum alterum, quatenus habens alibi suum; seu, quod in idem recidit, nihil est aliud, quàm habere 110 illud ibi suũ *esse*, habente extremo, altero alibi suum.

Sic scientia diuina de obiecto futuro ab æterno dicitur esse vera, tametsi denominatio veræ intrinsecè claudat in suo conceptu reali, de connotato tamen, & in obliquo futurum obiectum: quia esse eam ab æterno veram, aliud non est, quàm eam existere ab æterno, extituro eius obiecto in suâ differentiâ temporis. Sic etiam, & ob eamdem rationem hodie vere est propositio de obiecto contingente posteà futuro. Sic hodiè est homo dignus pœnâ à peccato anteà commisso, tametsi denominatio digni pœnâ in suo conceptu reali obliquè includat ipsum peccatum, quod hodie iam non est: quia esse hominem hodie dignũ pœnâ, re ipsâ non est aliud, quàm illud hodiè habere *esse*, cùm anteà peccauerit. Sic hodiè dies hodiernus est prior, quàm crastinus, etsi in denominatione prioris de connotato inuoluatur crastinus dies, ob eamdem rationem. Sic hodiè est Matriti Petrus coniux Mariæ à contractu in alio tempore, in alioque loco celebrato. sic Ioannes est Toleti Episcopus hodiè ab electione suâ factâ Romæ anno præterito. Passimque similia exempla occurrunt sexcenta, vt cunctis notissimum est.

Quam doctrinam satis profectò pertiam, & no- 111 tam: quia quidam Recentiores ex nostris non benè aduertunt extraneo, nec parum ab omnium communi opiniòne alieno philosophandi modo hasce omnes denominationes adiectiuas, siue essẽtias per accidens extraneis cõstitutiuis componere, solicitè satagunt, & anxiè, veraque earũ constitutiua obliqua ab illis remouent contra existimationem communem. Quo verum sit omnes earum partes intrinsecas idem, siue in eodem tertio esse, in quo illæ de suis subiectis verificantur, quasi illæ compositæ essent ex suis partibus non adiectiuè, & vt essentiæ quædam per accidens, sed substantiuè, & vt essentiæ quædam per se, quarum est proprium omnes omninò suas partes secum in eodem tertio, vbi esse dicuntur, semper habere, iuxta statim dicenda.

Propositio 8.

112 Vbicunque est aliqua res, ibidem esse eius essentiam necesse est, & vice versâ. Et vndecunque deest aliqua res, inde deesse essentiam eius necesse est, & vice versâ.

Dico *vbicunque* & *vndecunque*, sumptis his vocabulis latè pro quouis tertio, in quo res, earumque essentiæ dicuntur esse, vt est status, tempus, locus, subiectum &c. Quo etiam pacto hæc, & similia aduerbia deinceps vlurpabo compendij causâ: igitur propositio sic intellecta certissima est: quia cum res, & eius essentia sint prorsus idem, iuxta definitiones statutas *suprà q.* 1. & 2. si alicubi esset aliqua res, & ibi non esset eius essentia, vel vice versâ, ibi vtique esset simul ipsa res, & non esset contra *propos.* 1. Et si alicundè deesset aliqua res, & inde non deesset eius essentia, vel vice versâ: inde vtique simul deesset, & non deesset ipsa res, contra eamdem propositionem primam. Est autem sermo in propositione de essentiâ vnicuique rei proportionatâ, de quâ absolutè verum est idem esse cum illâ, nempe de essentiâ per se, si res sit ens per se, seu quidpiam substantiuè sumptum; & de essentiâ per accidens, si res sit ens per accidens, seu quidpiam sumptum adiectiuè, iuxta dicta in præcedentibus.

Propositio 9.

113 Impossibile est aliquam essentiam compositam habere *esse*, quin omnes, & singulæ partes eius habeant *esse*, & è conuerso: Impossibile est omnes, & singulas partes essentiæ compositæ habere *esse*, quin habeat *esse* essentia ipsa.

Hæc propositio ex terminis ipsis est satis euidens quia prædicatum habendi *esse*, siue essendi euidenter est de genere eorum, quæ non possunt conuenire essentiæ compositæ, quin omnibus, & singulis partibus eius conueniant, & vice versâ, iuxta dicta *propos.* 6. *sub finem.* Sed declarari insuper potest, atque etiam demonstrari. Et primum quoad primam partem: quia dum pars essentiæ non habet esse, nihil aliud præter residuum ex pertinentibus intrinsecè ad talem essentiam potest habere esse, quandoquidem illa ex solâ eâ parte, quæ non habet *esse*, ex talique residuo consideratur composita. At tale residuum non est essentia, cùm sit ab eâ distinctum vt quid inclusum ab includente, vt est notissimum: ergo dum pars essentiæ non habet *esse*, nequit essentia habere *esse* Fieret enim, vt dum pars essentiæ non habet *esse*, nihil & simul aliquid ex pertinentibus intrinsecè ad talem essentiam haberet *esse* præter dictum residuum, contra *propos.* 1. siquidem essentia & est aliquid distinctum à dicto residuo, & est aliquid ex pertineniibus intrinsecè ad se. Concluditur ergo essentiam compositam neutiquàm posse habere *esse*, dum aliqua pars eius *esse* non habet, atque adeò, quin habeant *esse* omnes, & singulæ. Breuius aliter. Impossibile est, aliquod totum habere *esse* sine suis partibus. Vt per se est notissimum. Ergo & aliquam essentiam compositam habere *esse* sine suis. Quæ erat prima pars ostendenda propositionis.

114 Secunda autem sic ostenditur: quia habentibus *esse* omnibus partibus essentiæ non potest quidpiam deficere, seu non habere *esse*, nisi hoc ab omnibus illis, & singulis adæquatè distinctum sit vt est notissimum. Si enim illis omnibus permanentibus, aliquid inadæquatè saltem identificatum cum aliquâ earum deficeret hæc simul deficeret, & non deficeret, contra *propos.* 1. sed essentia non est quidpiam adæquatè distinctum ab omnibus, & singulis suis partibus, vt constat: ergo eis omnibus permanentibus, siue habentibus *esse* ipsam deficere, siue non habere *esse* impossibile est.

Porrò hæc propositio non solùm in essentiâ per se compositâ, sed etiam in essentiâ per accidens locũ habet. Quia licèt hæc alicubi possit habere *esse*, quin habeant ibidem *esse* omnes partes eius, iuxta dicta *propos.* 7. & postmodùm iterùm dicenda *propos.* 11. At absolutè loquendo, vt loquimur in præsente propositione, nullatenus potest essentia per accidens habere *esse*, quin omnes itẽ partes eius *esse* habeãt, & vice versâ. Quandoquidèm etiam essentia per accidens in suo conceptu adæquato, atque, adeò in suo *esse* omnium suarum partium *esse* complectitur, non quidem directè, vti essentia per se, sed partim directè, & partim de connotato, atque adeò ad suam obiectiuam veritatem omnium etiã suarum partium veritatem obiectiuam exposcit, vt planè constat ex dictis *propos.* 7. 115

Propositio 10.

Impossibile est aliquam essentiam per se compositam aliculi habere *esse*, quin omnes, & singulæ partes ibidem habeant *esse*, & vice versâ. 116

Hæc propositio præterquàm quòd etiam ex terminis est euidens, eodem insuper modo venit demonstranda, ac præcedens, cuius proinde demõstratio facilè ei ab vnoquoque applicari poterit, ne à nobis repetatur.

Itaque nequit essentia per se composita esse in aliquo statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto &c. quin in eodem sint omnes, & singulæ partes eius; & è conuerso: nequeunt omnes, & singulæ partes essentiæ per se cõpositæ esse in aliquo statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto &c. quin in eodem sit ipsa essentia. 117

Propositio 11.

Essentia per accidens benè potest habere *esse*, siue esse alicubi, quin sint, siue habeant *esse* ibi omnes partes eius. Non tamen e conuerso. 118

Prior pars propositionis inde monstratur: quia essentia per accidens ibi cum veritate dicitur esse, vbi est ea pars, quam illa dicit directè; tametsi non sint ibidem cæteræ partes, quas dicit de connotato, vti *propos.* 7. ostensum est. Ergo benè potest essentia per accidens esse, siue habere esse alicubi, quin ibi sint, siue habeant esse omnes partes eius.

Secunda autem pars ostenditur: quia si omnes partes essentiæ per accidens alicubi, siue in eodem tertio sunt, non potest nõ esse ibi ea pars, quã illa dicit directè, vt est notũ sed vbi est ea pars, quã dicit directè essentia per accidens, ibi esse ipsam essentiam necesse est, vt constat etiam ex dictis *propos.* 7. Ergo nequit fieri, vt omnes partes essentiæ per accidens alicubi, siue in eodem tertio sint, quin sit ibidem ipsa essentia. 119

Itaque benè potest cum veritate dici, passimque dicitur essentia per accidens esse in aliquo statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto, &c. in quo non sunt omnes partes eius; oportet tamen illas esse in eo statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto, in quo connotatur, prout multis exemplis est comprobatum dicta *propos.* 7. Si verò omnes partes essentiæ per accidens sunt in eodem statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto, &c. planum est non posse ipsam essentiam non esse in eodem. 120

Propositio

Propositio 12.

121 Impossibile est aliquam essentiam deficere, siue non habere *esse*, quin vel ipsa tota, vel aliqua pars eius deficiat, siue non habeat *esse*.

Hæc propositio vniuersalissima est, in omniq; essentia locũ habet, & demonstratur facilè. Quoniam vel est essentia simplex, vel composita ex partibus? Si simplex, impossibile est eam deficere, quin tota ipsa deficiat, vt patet; aliàs deficeret simul, & non deficeret contra *prop.* 1. Si composita; aliqua saltem pars eius deficere debet, vt deficiat ipsa. Alioquin habentibus *esse* omnibus, & singulis partibus eius; atque adeo non deficientibus, ipsa non haberet *esse*, atque adeo deficeret contra *prop.* 9.

Propositio 13.

122 Quoties aliqua pars essentiæ compositæ deficit, siue non habet *esse*, & ipsam essentiam deficere, siue non habere *esse* necesse est.

Est clarum: Quia si deficiente aliquâ parte essentiæ compositæ, essentia ipsa non deficeret, fieret, vt talis essentia composita haberet *esse*, quin omnes, & singulæ partes eius haberent esse contra *prop.* 9.

123 Quod si ad defectum vel vnius tantum partis essentiæ compositæ deficere ipsam essentiam, necesse est, potiori iure necesse erit, deficere ad defectum plurium, aut omnium, vt constat.

Propositio 14.

124 Impossibile est aliquam essentiam per se compositam alicubi non habere esse, siue inde deficere, quin vel ipsa tota, vel aliqua pars eius ibidem non habeat *esse*, siue inde deficiat.

Quoniam alioquin habentibus ibi *esse*, atque adeo inde non deficientibus omnibus, & singulis partibus essentiæ per se compositæ, ibidem non haberet *esse*, atque adeo inde deficeret essentia ipsa contra *prop.* 10.

Propositio 15.

125 Quoties aliqua pas essentiæ per se compositæ alicubi non habet *esse*, atque adeo inde deficit, & ipsam essentiam ibidem non habere *esse*, indidémque deficere, necesse est.

Fieret enim ex oppositio, vt aliqua essentia per se composita alicubi haberet *esse*, quin ibidem haberent *esse* omnes, & singulæ partes eius, contra *propositi.* 10.

126 Vnde patet potiori iure necesse esse, vt inde deficiat essentia per se composita, vnde deficiunt aut plures, aut omnes partes eius.

Propositio 16.

127 Vt aliqua essentia per accidens cum veritate dicatur alicunde deficere, non est necesse, vt aliqua pars eius deficiat indidem.

Dummodo enim aliqua pars eius deficiat alicunde, inde vbi diceretur ea esse, dicetur deficere. Sic propositio affirmans obiectum aliquod cras extiturum, hodie non erit vera, hodieque proinde deficiet veritas eius, ex eo præcisè, quod tale obiectum non sit cras extiturum, quantumuis hodie nihil deficiat eorum, quæ existerent hodie si illa esset vera. Recognosce doctrinam traditam *propositi.* 7. 9. & 11.

Propositio 17.

Vndecumque deficiat aliqua pars essentiæ per accidens, necesse est ipsam essentiam absolutè deficere. 128

Supponitur enim talem partem prout habentem *esse* ibi, vnde deficit, pertinere ad talem essentiam; atque ita in ordine ad illam componendam absolutè deficere, eo ipso, quòd inde deficit, etsi permaneat alibi. Constat autem ex *propositi.* 13. quoties aliqua pars essentiæ compositæ deficit absolutè loquendo, non posse non etiam deficere essentiam ipsam.

Propositio 18.

Quoties partes essentiæ per se compositæ in diuersis tertiis habent *esse*, iuxta doctrinam statutam *propositi.* 5. neque in eorum vllo, neque in illis omnibus, aut in aliquibus distributiue sumptis habet *esse* talis essentia sumpta indiuisim. Habet tamen illa *esse* in omnibus per quamdam distributionem accommodam. 129

Prior pars propositionis inde monstratur: quia ex oppositio fieret, vt essentia per se composita alicubi haberet *esse*, vbi omnes, & singulæ partes eius *esse* non habent contra *propositi.* 10. Posterior autem pars inde constat: quia habere *esse* talem essentiam in omnibus prædictis tertiis per quamdam distributionem accommodam, nihil est aliud, quam partes eius ita esse distributas per talia tertia, vt singulæ in singulis, siue vnaquæque in suo diuerso à reliquis habeant esse.

Ex hac propositione sequitur primò eiusmodi essentiam indiuisim sumptam in nullo tertio, atque adeo nullibi habere *esse*, loquendo cum rigore: quia nullum est tertium, in quo tota illa habeat *esse*. Absolutè tamen loquendo alicubi dicitur esse, quatenus per sui distributionem accommodam in omnibus illis tertiis est, in quibus sunt distributæ omnes partes eius. 130

Secundò sequitur; quoties eiusmodi essentia deficit ad defectum alicuius partis sui, iuxta *propositi.* 13. ita eam deficere, vt necvnde indiuisim sumpta deficiat rigorosè loquendo, tametsi alicunde deficiat ea pars, ad cuius defectum illa deficit: quia, quod nullibi esset, si esset, necvnde deficit, si deficit, sub eodem rigore sermonis. Absolutè tamen loquendo alicundè dicitur deficere, quando deficit, nimirum ab aggregato eorum tertiorum sumpto indiuisim, in quo per distributionem accommodam suarum partium esset, si esset. 131

Propositio 19.

Id, quo præcisè deficiente, & cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus, deficit quælibet essentia, aut est essentia ipsa, aut aliqua pars eius ipsam intrinsece constituens. 132

Vt hanc propositionem demonstrem, pono id, ad cuius solius defectum essentia deficit, esse A. Et arguo sic primò. Impossibile est essentiam deficere, quin, vel ipsa tota, vel aliqua pars eius deficiat, iuxta *propositi.* 12. Sed deficiente A præcisè, & cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus, deficit essentia, vt supponimus: ergo A, vel est essentia ipsa, vel pars eius. Alioquin deficeret essentia, quin vel ipsa tota, vel pars eius deficeret, contra eamdem *propositi.* 12. Secundò

aliter. Si A non esset,vel essentia ipsa,vel pars eius (quo casu necessario esset A aliquid adæquatè distinctum ab ipsa essentia, vt constat) & nihilominus solo A deficiente, deficeret essentia, vt supponitur, fieret vt deficiente solo A, non deficeret solum A contra *propos.* 1. Siquidem deficiente solo A, deficeret insuper aliud ab ipso A adæquatè distinctum, nimirum ipsa essentia, quæ deficit, vti supponitur, deficiente A.

133 Ex hac propositione sequitur primò demonstratiuè; falsam esse doctrinam illam, quam de connotatis appellant, quorumdam Doctorum dicentium in denominationibus, quas nos semiextrinsecas per identitatem vocamus,iuxta dicta *disp.*8.*q.*3.*diuis.*1. formam denominantem adæquatè esse identificatam cum subiecto;indigere tamen eam extrinseca aliqua conditione,vt ipsi suum præbeat effectũ formalem, quin vllomodo talis conditio ad talem effectum formalem, ad talemve denominationem pertineat intrinsecè. e. g. entitatem A per relationem similitudinis sibi adæquatè identificatam reddi, seu denominari similem entitati B, dummodo tamen existat ipsa entitas B,& non aliter,quin sit propterea entitas B aliquid intrinsecè pertinens ad talem denominationem, sed tantùm conditio quædam merè extrinseca,extrinseceque requisita,vt ipsa denominatio existat. Ita etiam dicunt decretum, quo Deus decreuit dare existentiam Antichristo futuro, & scientiam, qua illum futurum videt, adæquatè esse identificatam cum Deo, indigere tamen tanquam extrinseca conditione,quòd sit Antichristus futurus ad hoc,vt denominet Deum decernẽtem,& cognoscentem fore Antichristum;pariterque passim in similibus philosophantur. Verùm,quàm sit falsa hæc doctrina ex propositione demonstrata plane conuincitur.Si enim sola entitate B deficiente,in exemplo priori, & cæteris cunctis permanentibus, deficit essentia denominationis, qua entitas A reddebatur similis ipsi B,non potest non,iuxta dictam propositionem, entitas B intrinsecè pertinere ad talem essentiam,vt quædam pars intrinseca eius. Tantumdemque dicendum venit in posteriori exemplo, & in quibusque aliis similibus.

134 Secundò sequitur vniuersè, quoties quæuis essentia indiget aliquo ad existendum, & non vt termino extrinseco alicuius connexionis, quam cum eo habeat, non posse non indigere illo, vt constitutiuo intrinseco sui: quia nequit tunc non esse verum, eo præcisè deficiente, talem essentiam defecturam. Est clarum: quia id quo essentia indiget ad existendum necessario debet esse aut constitutiuum, aut non constitutiuum essentiæ: iuxta *propos.* 1. Sed non est non constitutiuum in casu, in quo loquimur: quia esset terminus extrinsecus alicuius connexionis essentiæ,quem casus ipse excludit. Igitur est constitutiuum; atque adeo eo præcisè deficiente, essentia deficeret. Vnde iterum redargui possunt connotatores commemorati: quia conditio illa,quam pro denominationibus semiintrinsecis extrinsecam ponunt,nullius connexionis eiusmodi denominationum est extrinsecus terminus; siquidem permanentibus cæteris omnibus,ipsa præcisè potest absolutè deficere. Terminus autem extrinsecus connexionis absque defectu alterius entis à se distincti deficere nequit,vt constat,constabitque ampliùs ex dicendis *disp.*14.

135 Tertiò spèciatim sequitur contra quosdam Thomistas è numero connotatorum: quia materia, & forma possunt existere,quin existat compositum,siue physicum,vt homo,siue morale,vt sacramentum, non posse non in tali composito includi id,ex cuius solius defectu deficit illud, materia, & forma persistentibus; & ipsi extrinsecam tantùm conditionem ad compositi existentiam appellant. Quod aliter sic demonstrari potest. Existentibus materia, & forma præcisè, existunt duo, & non existit compositum:ergo compositum aliquid ampliùs est intrinsecè, quàm hæc duo. Sed,quod est intrinsecè plus, quàm duo, vt minimum debet esse intrinsecè tria. Ergo compositum vt minimum est intrinsecè tria. Et consequenter id,quod ad complendum ternarium deest, & cuius solius defectu deest compositum,nequit non esse vnum ex constitutiuis intrinsecis ipsius compositi. Deinde aliter demonstratur id ipsum. Compositum seu physicum, seu morale nihil aliud claudit intrinsecè præter materiã,& formam, iuxta aduersarios: ergo aggregatum coalescens ex solis materia, & forma idem est atque aggregatum omnium partium intrinsecè constituentium compositum. Est clarum:ergo quæcunque alia deficiant, impossibile est deficere essentiam compositi, existẽtibus materia, & forma, prout Aduersarij ipsi prætendunt. Nam vbicunque est aggregatum omnium partium,ex quibus quæuis essentia composita est,ibi sit ipsa essentia necesse est,iuxta *propsit.*10. Hisce duabus arguendi formis venit etiam propositio data vniuersaliter demonstranda pro casibus,in quibus essentia,de qua in illa est sermo, ex partibus composita sit.

Ex quibus patet contra Doctores commemoratos 136
intentionem ministri intrinsecè ad essentiam sacramenti spectare: quia ea sola deficiente, non est sacramentum,& aliquod genus vnionis à materia, & forma distinctum ad essentiam compositi physici: quia existentibus materia,& forma hominis absque omni vnione ab illis distincta, non existit homo. Patet similiter contra Scotistas confessionem pœnitentis, doloremq; eius de peccatis ad sacramentum Pœnitentiæ intrinsecè spectare: quia deficiente confessione,aut dolore,& cæteris omnibus existentibus, tale sacramentum non existit. Pariterque in similibus philosophandum est.

Propositio 20.

Contradictorium eius, ad cuius solius positio- 137
nem essentia deficit, aut est essentia ipsa, aut pars eius.

Quia deficere essentiam ad illius solius positionem, & deficere ad defectum solius contradictorij eius,idem omnino est, cùm idem prorsus sit ipsum poni, & eius contradictorium deficere, iuxta *propsit.*2. Sed id, ad cuius solius defectum essentia deficit, aut est essentia ipsa aut pars eius, iuxta *propos.*19. Ergo contradictorium eius, ad cuius solius positionem essentia deficit, aut est essentia ipsa, aut pars eius.

Propositio 21.

Quidquid habet *esse*, quale est omne ens, aut à 138
se ipso habet illud, aut ab alio tanquam à principio efficienti habet acceptum.

Est clarum. Quoniam habens quidpiam aut à se ipso,aut ab alio habeat necesse est. Habens autem *esse* ab alio aliter,quàm vt à causa efficiente,perque effectionẽ sui habere non potest.Ob id enim quidpiã de non esse ad esse trãsire aliter,quàm per sui effectionẽ impossibile est;vt ex se euidentissimè patet. Dicitur autem causa efficiens principium influens

esse

esse in effectum, siue illi per affectionem dans *esse*. *Esse* verò, quod omne ens habere dicitur, aliud est essentiale, à quo vnumquodque dicitur esse id, quod de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo est; aliud existentiale, à quo vnumquodque dicitur esse, existereue in naturâ rerum. Quorum primum omnibus entibus etiam non existentibus conuenit in statu rerum quiditatiuo, siue obiectiuo; secundum solis existentibus in statu rerum existentiali. Et quidem *esse* existentiale nullũ ens habet à se prætervnũ Deum optimum maximum, sed cuncta illud habent acceptum ab aliquâ causâ efficiente, secundum fidem. *Esse* verò essentiale quodammodò dicuntur habere à se, siue de suo cuncta entia intra statum quiditatiuum, seu obiectiuum, qui ab existentiâ eorum præscindit, prout *infra disp.* 10. explicabimus.

139 Porrò idem ens habere *esse* à se, & simul ab alio impossibile est: quia illud ens dicitur habere *esse* à se, quod non habet tale *esse* acceptum ab alio. Illud verò dicitur habere *esse* ab alio, quod tale *esse* habet ab alio acceptum. Habere autem idem ens aliquod *esse* simul acceptum, & non acceptum ab alio, planè est impossibile, iuxta *propos.* 1. Ex quibus patet primò idem ens quoad idem sui *esse* nullatenus posse esse simul ens à se, & ens ab alio. Secundò patet omne ens à se, quâ tale esse ens non factum: quia omne ens à se, quâ tale *esse* habet non acceptum ab alio, omne autem ens factum, quâ tale *esse* habet acceptum ab efficiente; siquidem efficiens quidpiam illi dat *esse* per effectionem, vt constat ex dictis. Tertiò patet omne ens ab alio, quâ tale, ab eo esse factum, à quo est, quia ab eo habet *esse* acceptum; aliter autem, quàm per effectionem habere non potest, vt statuimus.

140 Hæc propositio cum suâ explicatione, aliæque nonnullæ ex sequentibus ex parte saltem pertinent ad alias materias; oportet tamen eas per modum quorumdam lemmatum hîc assumere pro aliis ex eis in sequentibus demonstrandis.

Propositio 22.

141 Aliquod ens se ipsum facere, sibiue ipsi per effectionem dare *esse* impossibile est.

Hoc est principium ex terminis ipsis satis euidens, ampliúsque declaratur. Primò: quia cum *esse* in eo, quod facit suâ naturâ præsupponatur ad facere, in eo autem, quod fit, postponatur, vt satis itidem ex terminis notum est; si aliquid faceret se ipsum, id quidem priùs esset, quàm esset, quæ est contradictio in ipsis terminis. Secundò: quia si quid per effectionem daret sibi *esse*, priùs daret, quàm haberet, quod dabat; & ita daret, quod non habebat, quod pariter est implicatorium.

Propositio 23.

142 Integrum aggregatum entium ab aliquo constitutiuo sui fieri, aut ipsum facere impossibile etiam est.

Quia si integrum aggregatum entium ab aliquâ parte constitutiuâ sui fieret, aut ipsam faceret, talis pars à se ipsâ fieret, & se ipsam faceret contra *propos.* 22. esset enim causa effectiua partialis sui, vt constat. De hoc tamen plura *infrà* explicatius.

Propositio 24.

143 Principium effectiuum, seu productiuum, & id, quod ab illo fit, seu producitur, realiter inter se distingui necesse est.

Si enim possent esse idem; idem posset esse principium effectiuum, seu productiuum sui; atque adeò idem à se ipso fieri posset, seu produci contrà *propos.* 22.

Propositio 25.

Quidquid existit, aut semper extitit, aut aliquan- 144
do cæpit existere.

Hæc propositio ex terminis est satis euidens: quia existere aliquid, & neque semper extitisse, neque vnquam cæpisse existere euidenter est impossibile. Etenim omne existens in aliquo tempore existere siue finito, siue infinito necesse est. Repugnat enim quidpiam existere, & nunquam, siue in nullo tempore, siue extra omne tempus existere: quia nihil est extra existentialiter, cum tempus, quod imaginarium appellant, necessariò complectatur suâ amplitudine omnia existentia, vt lumine naturæ est notum. Vel ergo id, quod existit, existit in tempore finito, vel in tempore infinito à parte ante? si in infinito semper extitit: si in finito, aliquando cœpit existere, vt est notissimum. Igitur quidquid existit, aut semper extitit, aut aliquando cœpit existere, vt propositio nostra fert.

Sed demonstremus eam insuper, vt firmior eua- 145
dat, suppositis duobus principiis, altero certo secundum fidem; altero & fide etiam certo, & lumine naturæ noto. Primum est. Deum titulo suæ æternitatis necessariò existere in omni tempore. Secundum est. Deum cæteris omnibus existentibus necessariò coëxistere: tum quia æternus, tum quia dans illis existentiam per effectionem. Nullum enim efficiens posse operari quidpiam extra tempus, in quo est existens, euidenter est notum, iuxta dicenda *infrà propos.* 30. Ex quibus sic propositio ostenditur. Id, quod existit, aut est ipse Deus, & sic semper extitit, vt constat; aut est quid factum à Deo, & sic nequit non coëxistere Deo, id est, simul cum Deo existere in eodem tempore. Vel ergo tale tempus est infinitum à parte ante, & sic semper extitit, vel finito, & sic aliquando cœpit existere. Quod erat ostendendum.

Propositio 26.

Quidquid denuò incipit existere, ab alio fiat ne- 146
cesse est.

Quia, quod modò incipit existere, cum anteà non exstitisset, modò incipit habere *esse* existentiale, quod non habebat, modóque subindè accipit *esse*, quo anteà carebat; accipere autem *esse* existentiale, & fieri, idem omninò est, cùm sit compertum non posse quidpiam transire de non esse ad esse, nisi per aliquod genus effectionis, qua fiat, iuxta *propos.* 21. At idem à se ipso fieri impossibile est, iuxta *propos.* 22. Ergo, quod denuò incipit esse, ab alio fiat necesse est.

Propositio 27.

Quod semper, & ad æterno extitit, nec vnquam 147
incepit existere, ab alio quopiam factum esse necesse non est.

Quia esse, quo nunquam caruit, de suo, & per essentiam potuit habere, quin illud per sui effectionem acciperet; necesseque proinde non est ab alio quopiam factum esse. Hoc autem pacto solus Deus

optimus maximus semper, & ab æterno fuit, iuxta fidem.

148 Si quid tamen aliud ita semper, & ab æterno extitisset, nec vnquam incœpisset in tempore, vt *esse* existentiale per sui effectionem haberet acceptum; id certè non posset non ab alio quopiam esse factum, cùm sit vniuersè impossibile aliquid à se ipso fieri, iuxta *proposit.* 22.

Propositio 28.

149 Omne existens non factum ab alio, à seque proinde habens existere, iuxta *proposit.* 21. semper, atque adeò ab æterno extitisse necesse est.

Quoniam si non extitisset semper, cœpisset aliquando existere, iuxta *proposit.* 25. si autem cœpisset aliquando existere, ab alio esset factum, iuxta *proposit.* 26. & simul, vti supponitur, non esset factum ab alio, contra *proposit.* 1.

Propositio 29.

150 Quòd aliqua duo, vel plura se mutuò efficiant, siue producant physicè secundum idem sui *esse* impossibile est.

Hæc propositio principium est etiam satis euidens, & receptum ab omnibus, ex aliisque iam statutis facilè sequitur. Etenim si A primò efficeret B, à quo vicissim primò fieret, A certè seipsum efficeret saltem mediatè. Tum A daret *esse* B, antequam haberet *esse* ab illo; atque adeò daret; quod non habebat. Esset etiam A, & simul non esset prius naturâ suâ, quàm B, & è conuerso: quia A prius esset, quàm B, & simul posterius in eadem serie, & secundum idem, quæ manifestè sunt opposita. Vnde etiam fieret vt A, prius esset se ipso quoad primum sui *esse*, atque ita prius esset, quàm esset. Aggregatum denique ex A, & B, seipsum primò transferre posset de non esse ad esse, atque ita sibi ipsi dare *esse*, quod non haberet, siue antequam haberet, denuóque subinde posset incipere existere, quin fieret ab alio quopiam. Quæ omnia contra *proposit.* 22. & 26. sunt & manifestè impossibilia.

151 Quod autem dicimus de repugnantia mutuæ effectionis, seu productionis physicæ secundum primum, & idem factorum *esse*, vniuersaliter est verum, siue ea sit immediata, vt in exemplo proposito de A, & B, siue sit mediata, seu remota, vt si fingamus A producere B, & B producere C, & C producere D, & D producere ipsum A. Quippe eadem absurda, eædemque repugnantiæ cernuntur in mutuâ effectione mediatâ, atque in immediatâ, imò apertiùs in illa apparent. Plus enim videtur repugnare, quòd nascantur ex A tria entia B, C, D. proposito ordine, antequam A accipiat primum esse à D; quàm, quòd nascatur solum B, & consequenter, quod A tantò antequam habeat, det, quod non habet ipsi B, & quod cùm sit tantò antè priusquàm D, sit nihilominus posterius ipso D, &c. Itaque siue sit mediata, siue immediata, repugnat prorsus effectio mutua plurium entium secundum idem sui *esse*.

152 Quod addo: quia mutua plurium entium causalitas secundum diuersas existentias eorum, ita vt vnumquodque secundùm alteram existentiam causet, & secundum alteram diuersam causetur, non est vnde repugnet: quia diuersæ eiusdem entis existentiæ, diuersis, quod ab rem attinet, æquiualent entibus. Propterea mutua causalitas intentionalis, aut partim intentionalis, & partim physica non repugnat, vt in fine, & mediis cernere licet; finis enim prout apprehensus, & amatus est causa mediorum, à quibus vicissim causatur. Quælibet etiam duo, vel plura entia prout apprehensa possunt se mutuò causare quoad existentiam physicam: quia nimirum, quod intentionaliter causat, non influit secundum existentiam physicam in id, à quo talem existentiam accipit, sed secundum existentiam obiectiuam, quam non accipit ab illo. Similiter non repugnat mutua causalitas physica plurium entium secundum existentias physicas eatenùs inter se diuersas, quatenus diuersis temporibus correspondentes sunt. Si enim ignis A primò producat ignem B, intereaque ignis A, permanente B, nihil vetat, quòd ignis A ab igne B reproduci possit, accipereque subinde secundum *esse* ab eodem, cui communicauit primum. Pariterque suppositò, quòd omnia, quæ fiunt, indigent causa conseruante, & perseuerent; si ignis A conseruatus ab alio quopiam primò producat ignem B, benè poterit ignis B postmodum conseruatus ab alio conseruare ignem A, tametsi pro eâdem temporis mensurâ mutuò nequeant se conseruare, sicut neque primò producere.

Propositio 30.

Ens non existens, dum non existit, alteri enti dare existentiam, siue illud facere impossibile est. 153

Hæc propositio cunctis est euidens, omninóque certa ex ipsis terminis; & confirmari potest primò: quia in omni ente prius est esse, quàm operari: ergo impossibile est quidpiam operari, dum non est. Secundò: quia nullum ens potest dare alteri, quod in se nullomodò habet. Sed ens non existens nec formaliter, nec eminenter habet in se existentiam alterius: quia dum non existit, nihil prorsus existentialiter habet in se: ergo ens non existens alteri enti existentiam dare non potest. Tertiò quia si ens non existens alteri posset dare existentiam per effectionem, nihil vetaret, quominùs duo entia mutuò se se possent efficere secundum idem *esse* contrà *proposit.* 29. Imò idem se ipsum posset facere quoad primum *esse*, contra *proposit.* 22. Siquidem repugnantia horum duorum inde tandem ducit originem, quod *esse* ad facere necessariò præsupponendum est, vt cuique perpendenti patebit.

Ex hâc propositione constat causam efficientem, 154
& eius effectum in eâdem temporis mensurâ debere necessariò coexistere, nec esse possibile vt effectus accipiat existere in aliquo tempore à causâ non existente in eodem, quantumuis ea existat in alio antecedente, vel subsequente, vt suprà etiam obiter est statutum *proposit.* 25.

Cum quo stat posse esse aliquid requisitum, vt 155
sit causa efficiens proximè potens ad producendum physicè effectum, & consequenter conducens per modum conditionis, aut aliter, vt talis causa tali effectui det existentiam physicam, quin sit existens in eâdem temporis mensurâ, in quo coëxistunt causa, & effectus: eo quòd non prout existens in eâ temporis mensurâ, sed aliter est requisitum, conducensque ad eiusmodi munera. Sic possibilitas intrinseca effectus, quæ ab eius existentiâ præscindit ad dicta munera est requisita, conducensque, vt ex dictis *disput.* 8. *quæst.* 5. *proposit.* 5. constat. Sic veritas conditionata de existentiâ termini connexionis effectus sub conditione ipsius effectus, iuxta dicta in *eâdem quæst.* 5. *proposit.* 7. E. g. vt intellectus humanus sit proximè potens in hoc instanti ad eliciendum actum fidei

fidei diuinæ de existentiâ futurâ Anti-Christi, & consequenter vt illum eliciat de facto, duo sunt requisita. Primum, quòd talis actus fidei ex suo conceptu sit possibilis, siue nullam secum ferens contradictionem. Secundum, quòd sit verum saltem sub conditione ipsius actus Anti-Christum esse futurum in suâ temporis mensurâ. Absque quouis enim horum duorum non esset potens intellectus humanus elicere talem actum fidei in hoc instanti, cùm tamen neutrum eorum sit quidpiam in eodem instanti existens. Quæ etiam duo pariter fuerunt requisita, atque adeò conducentia vt Deus esset proximè potens ad reuelandum, vtque reuelaret de facto fore Anti-Christum. Similiter bonitas finis cras producendi, quid requisitum est, & conducens, vt Deus hodie, vel homo producat medium ad obtinendum cras talem finem & tamen talis bonitas hodiè existens non est: si enim finis de suo bonus non esset, Deus, vel homo non iudicaret esse eum talem; proindeque nec per iudicium de bonitate eius ad ipsum desiderandum, & procurandum moueretur.

156 Præterea. Vt Deus, vel homo sit hodiè proximè potens punire delictum, quid requisitum est, & conducens ipsum delictum præxtitisse; quod tamen hodiè iam existens non est. Et vniuersè terminus connexionis cuiuslibet constitutiui potentiæ proximæ causæ ad effectum, quid requisitum est, & conducens vt existat talis potentia proxima, & consequenter vt existat effectus; & nihilominùs talis terminus sæpè non est quid existens pro tempore, quo effectus producitur, vt cernere est, quando per actum fidei diuinæ de obiecto futuro, aut præterito, aut purè possibili connexum cum obiecto ipso fit proximè potens voluntas ad eliciendum actum amoris, timoris, aut spei, in aliisque huiusmodi casibus. Denique vt mobile producat præsentiam sui nunc in hoc spatio, requisitum est, & conducens, quod fuerit illud præsens tempore immediate antecedente in spatio huic immediato, quæ tamen præsentia præterita iam non existit nûc. Itaq; posse esse aliquid requisitum, atque adeò conducens per modum conditionis, aut aliter, vt causa det existentiam effectui, quin sit coexistens causæ, & effectui, quando est requisitum, & conducens secundùm aliquod sui *esse* diuersum à coexistentiali cum causâ, & effectu; dubitandum non est. Tametsi causa efficiens effectum, atque ita illi dans existentiam necessariò debeat esse coëxistens illi in eâdem mensurâ temporis, in quo efficit ipsum, vt propositio data postulat.

Propositio 31.

157 Omne ens existens ab alio aliquâ causâ effectiuâ sui indiget ad sui existentiam prout sibi coexistente.

Quia nullum ens existens ab alio potest existere aliter, quàm per sui effectionem, iuxta *propos.* 21. Per sui autem effectionem non potest ens aliquod sibi ipsi dare existentiam, sed illam ab alio necessariò debet accipere, iuxta *propos.* 22. At ab alio non coëxistente sibi nequit accipere, iuxta *propos.* 29. Ergo omne ens existens ab alio ad sui existentiam aliquâ causâ effectiuâ indiget, prout sibi coëxistente.

Propositio 32.

158 Nullum ens non existens ad non existendũ indiget causâ effectiuâ sui non existere, siue suæ negationis.

Hæc propositio satis superque videtur euidens & ferè ab omnibus, ni fallor vt talis recipietur. Ob id eam inter euidentes enumero, tametsi nequeat non dissidere à singulariſſimâ illâ opinione vnius, aut alterius Recentioris ponentis negationes entium formaliter in impedimentis positiuis eorum, de quâ nobis actum est *suprà quæst.* 3. Probari autem potest primò: quia ex hypothesi, quòd deficeret omnis causa effectiua per locum intrinsecum, sequitur fore, vt omne ens non existens necessariò non existeret absque causâ effectiuâ. Tantùm abest, vt illâ indigeat ad non existendum.

159 Secundò: quia vt ens aliquod existentiam non habeat, vtque subinde vniuersitas existentium non habeat illud, non opus est, quòd quidpiam detur aut ipsi enti, aut vniuersitati existentium, sed potiùs, quòd non detur, vt patet. Ad non dandum autem non est opus datore, cùm potius ibi non datio certior sit, vbi nullus dator existit: ergo vt ens aliquod existentiam non habeat, non opus est causâ effectiuâ, quæ munus datoris exerceat comparatione effectus. Similiter, vt aliquod ens non existat in rerum naturâ non opus est, quòd quidpiam existens in rerum naturâ ponatur, sed potius, quòd non ponatur, seu quòd ponatur nihil, vt abundè ostensum est *suprà quæst.* 3. ad nihil autem ponendum nullo ponente opus est, vt constat. Ergo. Similiter, vt aliquod ens non existat, non opus est, quòd fiat quidpiam, sed potiùs, quòd non fiat. Vbi autem nullo opus est facto, neque opus est vllo factore, siue efficiente, vt constat: ergo.

160 Tertiò respectu non existentiæ, seu negationis entis, nulla causæ effectio est possibilis: quia impossibile est causam efficere, & nihil efficere: non existentia autem, seu negatio entis prorsus est nihil, vt *quæst.* 3. *citatâ* monstratum est: ergo respectu non existentiæ; seu negationis entis nulla effectio necessaria esse potest, cùm certum sit necessarium esse non posse, quod est impossibile, sublata autem necessitate effectionis respectu non existentiæ, seu negationis entis, & quòd è medio tollatur respectu eiusdem necessitatis causæ effectiuæ necesse est, vt constat.

161 Quartò. Nullum ens distinctum à Deo indiget ad suam non existentiam causa effectiua creata, siquidem absque omni causa effectiua creata verè non extitit ab æterno omne ens distinctum à Deo, vt fide sanctum est: sed neque indiget causa effectiua increata, nimirum ipso Deo prout efficiente: ergo absolutè nullum ens distinctum à Deo indiget ad suam non existentiam causa effectiua. Cætera constant. Minor ostenditur ab absurdo: quia si Deus ab æterno aliquam exercuisset effectionem circa non existentiam, seu negationem omnium aliorum entium, cùm effectio suopte conceptu absque termino per ipsam facto stare non possit, vt est notum, sequeretur tot Deum ab æterno fecisse effectus, quot fuerunt ab æterno negationes aliorum omnium entium. Quod tamen contra fidem est, iuxta quam nihil Deus ab æterno fecit verè, & realiter, sed cuncta in tempore.

162 Ex his concluditur nullum ens, quoad suam non existentiam, & consequenter nullam entis negationẽ, quoad suam obiectiuam veritatem (quæ à nobis tanquam quid positiuè existens concipitur, cùm nihil prorsus tale sit, iuxta dicta *quæst.* 3.) aut aliqua effectiuâ causa indigere, aut ab aliqua causa effectiua posse effectiuè dependere. Cum quo stat negationes entium possibilium, quoad suam obiectiuam veritatem, atque adeò quoad existentiam, quam

nos

nos illis, iuxta dicta loco citato, per quandam æqui-
ualentiam tribuimus, à causâ permissiua sui depen-
dere posse. Dico autè causam permissiuam eam, quæ
cùm possit tales negationes impedire per positionē
entium illis oppositorum non impedit. Quo pacto
Deus ab æterno fuit causa permissiua negationum
omnium entium possibilium, quatenus eas non im-
pediuit, cùm posset per effectionem ipsorum en-
tium. Quod tamen non faciendo quidpiam, sed
potius nihil faciendo cùm posset, subindeque liberè
præstitit.

163 Cæterum, quia causa libera affectu efficaci potest
aut velle, quòd existat negatio, aut nolle, quòd exi-
stat ens illi oppositum, quæ duo æquiualentia sunt;
scire opus est in tali casu eiusmodi causam non tam
permissiuè, quàm positiuè dici in talem negation-
nem influere loquendo moraliter. Quocirca duplici-
cem ad rem permissionem oportet distinguere,
physicam vnam, moralem alteram. Permissio physi-
ca interuenit, quando causa eatenus solùm influit in
id, quod dicitur permittere, quatenus illud non im-
pedit, cùm posset per positionē oppositi vltra quod
permissio moralis exposcit, vt causa non velit dire-
ctè, & efficaciter, vt illud sit, quâ ratione est. Dum
enim vult directè, & efficaciter vt sit illud, non tam
permissiuè, quàm positiuè censetur in illud influere,
loquendo moraliter, tametsi non det illi existentiam,
eo quod illud accipiendi ab alio existentiam inca-
pax est. Igitur, quod statuimus est negationes entium
aliter quàm per sui physicam permissionem à causa
dependere non posse. Tametsi permissio earum
physica, interdum sit etiam moralis; interdum non
item, iuxta dicta. Quo casu per sui moralem positio-
nem non quidem effectiuam, sed affectiuam dicen-
tur à causa dependere.

164 Quod si negationum entium nulla causa effecti-
ua datur, aut dabilis est; nec dabitur causa materia-
lis, seu receptiua: quia causa materialis non aliter
causat effectum, quàm recipiendo illum ab efficien-
te, huiusque actionem sustentando. De causa autem
formali positiua certum est nullatenus dari respectu
negationum: quia nulla negatio est quid composi-
tum ex positiua forma, vt constat. Causam autem
finalem eatenus solùm potest habere negatio, qua-
tenus causa influens in illam, aut purè permissiue,
aut physice permissiue, & moraliter positiue, prout
explicuimus, ex aliquo fine id præstare potest. Tunc
enim talis finis quodammodo etiam dicetur concur-
rere ad existentiam negationis.

165 Vnde tandem consequitur, quando negatio, nec
permissiuè quidem dependet ab aliquo ente, eo
quod nullum ens est potens ad impediendam illam
per positionem oppositi, vti euenit negationibus
chymærarum impossibilium, tunc illam nullam
omninò habere causam sui.

Propositio 33.

166 Quoties pars essentiæ compositæ sine alio quo-
piam esse non potest; & ipsa essentia sine eodem
esse non potest.

Demonstratur facilè: quia essentia composita
non potest esse sine sua parte, iuxta *propos.* 9. Ergo
de primo ad vltimum nec poterit esse sine eo, sine
quo sua pars esse non potest. Vel aliter. Si essentia
composita potest esse sine eo, sine quo pars sua esse
nequit: ponamus esse, fietque vt pars inclusa in ta-
li essentia, atque adeò simul habens *esse* cum illâ sine
eo sit, sine quo non potest esse, quod est impossibi-
le. Conuenit namque actus subiecto non habenti
potentiam ad ipsum actum contra *propos.* 3. sta-
tutam *disputatione* 8. *quæst.* 4.

Ex hac propositione constat: quoties pars essen- 166
tiæ compositæ non potest sine alio quopiam exi-
stere, nec posse sine eodem existere essentiâ ipsam.

Propositio 34.

Quoties pars essentiæ compositæ sine aliqua cau- 168
sa effectiua sui non potest existere, neque essentia
ipsa potest existere sine eadem, Idque tanquam sine
causa pariter sui effectiua.

Prior pars propositionis constat ex præcedente.
Neque vlla eget demonstratione. Posterior autem
inde monstratur, quia omnis causa afficiens partem
ex qua, suppositis reliquis, resultat totum, eo ipso di-
citur facere totum. Sic enim homo dicitur produce-
re hominem, etsi producat solam vnionem, ex quâ
suppositâ materia, & anima resultat homo. Sic Ar-
tifex dicitur facere statuam, licèt non faciat mate-
riam eius, quia facit aliquid, ex quo, suppositis reli-
quis, resultat statua. Sic homo facit peccatum, quia
ponit aliquid, ex quo, suppositis reliquis fundamen-
tis ab ipso non factis, resultat peccatum. Et in cæte-
ris, quæ valde sunt obuia similiter.

Ex hac propositione constat. Quoties pars essen- 169
tiæ compositæ aliqua causa effectiua sui eget ad
existendum, eadem causa effectiua sui egere ad exi-
stendum essentiam ipsam. Idem namque est posse
quidpiam existere sine causa effectiua sui, & illa ad
existendum egere, vt est notum.

Propositio 35.

Quoties pars essentię compositæ facta est, & ipsam 170
essentiam ratione talis partis factam esse necesse est.

Hæc propositio adeò est ex præcedente mani-
festa, vt nullâ egeat demonstratione.

Propositio 36.

Quoties omnes, & singulæ partes essentiæ com- 171
positæ causa sui effectiua egent ad existendum, non
potest non essentia ipsa eadem causa effectiua sui
egere ad existendum.

Hæc propositio ex *propos.* 34. sequitur manife-
stè. Si enim essentia composita nequit non indige-
re ad existendum eadem causa effectiua sui, qua in-
diget ad existendum pars aliqua eius, vt ibi demon-
stratum est; potiore iure nequibit indigere ad exi-
stendum eadem causa effectiua sui, qua indigent ad
existendum omnes, & singulæ partes eius: vt est
notissimum.

Ex hac propositione constat; quoties omnes, & 172
singulæ partes essentiæ compositæ totidem causis
mutuò diuersis egent ad existendum; eisdem omni-
bus egere ad existendum essentiam ipsam.

Propositio 37.

Quoties omnes, & singulæ partes essentiæ com- 173
positæ sunt factæ; & ipsam essentiam esse factam
necesse est.

Hæc sequitur ex 35. Si enim essentia composita
nequit non esse facta, quoties vel vna pars eius est
facta: Potiori iure nequibit non esse facta, quoties
omnes, & singulæ partes eius sunt factæ. Vt est
notissimum.

Propo

Propositio 38.

174 Essentia composita, cuius non omnes partes sunt factæ intra se ipsam habere potest causam sui effectiuam, quin egeat vlla causa effectiua existente extra se.

Pars enim non facta factarum, atque adeo essentiæ ratione illarum poterit causa effectiua esse, quin alia opus sit existente extra essentiam ipsam. Ita enim essentia aggregati coalescentis ex Deo, & creaturis ab ipso Deo, qui pars est eius, vnice facta est, quatenus ex creaturis à solo Deo factis, supposito ipso Deo à nulla alia causa facto, talis essentia resultauit. Quæ omnia ex se, & ex *præcedentibus* satis superque nota sunt.

Propositio 39.

175 Essentia composita, cuius omnes partes sunt factæ, neutiquam potest intra se ipsam habere causam sui effectiuam, quin egeat aliqua causa effectiua extra se ipsam existente.

Est clarum. Quia posito, quòd omnes partes essentiæ compositæ sunt factæ, & consequenter, quod ipsa essentia etiam est facta, iuxta *posit.* 37. Si nullam ea causam sui effectiuam extra se habeat, sed prorsus sit facta à causa existente intra se, sequitur planè huiusmodi causam intrinsecè componentem essentiam, eatenúsque facientem ipsam essentiam, quatenus facit residuum, cum quo illam componit, aut esse factam à se ipsa, aut à residuo, quod ipsa facit. Quod vtrumque repugnat, vt constat ex *posit.* 22. & 29. *suprà* statutis.

176 Distinctius. Si omnes partes essentiæ compositæ sunt factæ à causa existente non extra, sed intra essentiam ipsam, & ipsa essentia ab eadem causa erit facta, iuxta *prop.* 36. & 37. Tum sic. Causa efficiens omnes partes, & ratione illarum essentiam, aut est aliqua tantùm pars, aut aliquæ, aut omnes? Si aliqua tantùm; ea faciendo omnes se ipsam faciat necesse est, vt constat. Si aliquæ, aut omnes, vel illæ similiter facient se ipsas, vel mutuo, vicissimque se se facient. Quod vtrumque est impossibile, vt dictum est. Aliter enim huiusmodi effectio non potest peragi, vt est notissimum.

177 Ex hac propositione inferemus suo loco progressum infinitum causarum, quarum vna sit facta ab alia, & hæc ab alia, & ita deinceps absque vlla, quæ sit omnium prima, omnino impossibilem esse: quia essentia aggregati omnium eiusmodi causarum quædam essentia est composita, & facta, cuius omnes partes sunt factæ, non habens extra se causam sui, sed prorsus intra se. Quæ essentia propterea non potest non esse chymærica, iuxta præsentem propositionem.

178 Deinde inferemus item suo loco progressum infinitum generationum, vt modo eueniunt; ita vt hoc genitum ab hoc generante nascatur, & hoc ab illo, & illud ab alio, & ita deinceps; quin detur vllum generans, quod sit primum, etiam impossibilem esse. Tametsi Deus ad omnes huiusmodi generationes vt causa vniuersalis dicatur concurrere, & esse extra cumulum huiuscemodi generatorum, & generantium: quia etiam vt sic talis cumulus causam factiuam sui partialem habebit intra se, eamque actione generatiua factam ab aliquo existente intra ipsum cumulum; quæ proinde causa actione generatiua aut à se ipsa, aut ab aliquo à se genito facta erit; quorum vtrumque est impossibile, vt dictum est. An autem Arist. huiusce generis, an alterius seriem generationum à parte ante æternam concesserit, *ibidem* decernemus.

Propositio 40.

Subiectum necessitatum ad actum negatiuum 179
nulla ratione influit in existentiam eius.

Non enim influit in existentiam eius vt causa effectiua: quia negatio, qualis est actus negatiuus nec habet, nec habere potest causam sui effectiuam iuxta *propos.* 32. Neque influit in existentiam eius vt causa permissiua: quia tunc solùm est subiectum causa permissiua sui actus, quando illum non impedit, cùm possit per positionem actus contradictorij. Subiectum autem necessitatum ad actum negatiuum eo ipso est impotens ad ponendum contradictorium eius. Neque influit in existentiam eius vt causa materialis, seu receptiua: quia, quod est incapax causæ effectiuæ, & materialis, seu receptiuæ incapax est, vt constat ex dictis in ea *propos.* 32. *sub finem.* Nec influit in existentiam eius, vt causa formalis, vt etiam constat ex dictis *ibi.* Vt causa autem finalis influere nequit prout existés, quo pacto de illo sermo est: quia finis non provt existens, sed prout intentus influit in id, in quod ex illius intentione influit intendens aut effectiuè, aut permissiuè. Concluditur ergo, subiectum necessitatum ad actum negatiuum nulla ratione influere in existentiam eius. Quod etat ostendendum.

Id, quod etiam apertè constat ex omnium com- 180
muni æstimatione. Nemo enim hactenus attribuit existentiã actus negatiui subiecto necessitato ad illum, vt principio influenti in eam aliquomodo. Ob id etsi ego verissimè dicor modo non producere Angelum, aut alterum mundum, aut chymæram, atque adeo carere productione à me oriunda Angeli, aut alterius mundi, aut chymæræ; nullatenus tamen dicor esse causa talis carentiæ, siue vt existat talis carentia, vt dicerer sanè, si ita non producerem Angelum, aut alterum mundum, aut chymæram, vt possem producere. Eo enim casu causa prrmissiua essem talis non productionis, siue carentiæ productionis.

Ex hac propositione sequitur subiectum necessi- 181
tatum ad actum negatiuum, quatenus tale nullum genus prioritatis habere comparatione illius, præterquam dignitatis, seu perfectionis entitatiuæ. Quia tale subiectum tali actu non est prius prioritate causæ, aut positiue influentis, aut permissiue, iuxta dicta. Neque est prius prioritate temporis, cum talis actus, extiterit ab æterno, qua ratione per æquiualentiam à nobis existere dicitur, iuxta doctrinam statutam *propos.* 32. Neque est prius prioritate inconnexionis non mutuæ, siquidem connexus ponitur cum actu ipso, eo ipso, quod ad illum necessitatum ponitur. Aliud autem genus prioritatis non est, quæ propriè prioritas sit iuxta dicenda *infrà disp.* 15.

Vnde aliud sequitur valde notandum. Quoties 182
voluntas ad aliquem actum negatiuum necessitata est, huiusmodi necessitatem propriè non esse antecedentem: quia non est necessitas habens prioritatem aliquam respectu talis actus præter prioritatem dignitatis, de qua hic non curatur. Atque ita necessitatē libertati oppositam non semper esse antecedentem proprie loquēdo, vt vulgo putatur. Tametsi semper sit antecedens, sumpto hoc vocabulo latè, & improprie pro necessitate ineuitabili, seu inimpedibili per libertatem. De quo plura *suo loco.*

Sufficiant

183 Sufficiántque modò propositiones istæ. Plures enim elicient alij ex terminis huius disputationis; & nos etiam in sequentibus eliciemus.

QVÆSTIO VI.

Vtrum essentia, & existentia distinguantur inter se? Et qua ratione?

184 NOn agimus in hâc quæstione de essentiâ, & existentia Dei; acturi *suo loco* sed de essentia, & existentiâ creaturarum. Circa quam.

185 Prima sententia est essentiam creatam realiter à suâ existentia distingui tanquam ab aliquo sibi realiter superaddito, quo existens redditur. Ita vnanimiter Thomistæ Caiet. Ferrar. Capreol. Soncin. Sot. Bann. & alij apud Soar. *tom. 2. Metaph. disput. 31. sect. 1.* omnésque Recentiores, Quam sententiam insuper amplexi sunt P. Molin. *1. p. quæst. 13. art. 4. disputatione 2.* & P. Albertin. *de prædicam. subst. disp. 2. quæst. 1.*

186 Secunda sententia est Scot. *in 3. dist. 6. quæst. 1.* & discipulorum eius communiter. Necnon P. Fons. *tom. 1. Metaph. lib. 4. cap. 2. quæst. 4. sect. 1.* asserentium essentiam creatam, non quidem realiter, sed formaliter ex naturâ rei à sua existentia distingui.

187 Tertia sententia est essentiam creatam, & existentiam nullâ omninò distinctione reali, aut formali ex naturâ rei distingui; sed à parte rei idem omninò esse. Ita Soar. *suprà*, Vasquez *1. p. disput. 179. n. 6.* Valent. *disput. 1. quæst. 3. punc. 4.* Pereir. *lib. 6. Phys. cap. 4.* Rub. *lib. 1. Physic. Tract. 1. quæst. 4* Alarc. *Tract. 6. disputatione 1. cap. 2.* Petr. Hurt. *disputatione 8. Metaph. sect. 4.* Arriag. *disputatione 2. Metaph. sect. 3.* Ouied. *contr. 2. Metaph. pun. 2.* & apud eos alij plures. Qui omnes aut docent, aut supponunt essentiam creatam per nostram rationem à sua existentia distingui. Quod à nullo Theologorum negari testatur Soar. *suprà sect. 6. n. 16.* An verò distinctio hæc præcisiua sit formalitatum ex parte obiecti, vti supponunt antiquiores plerique; vel tantùm ex parte actus se habeat, Recentiores vertunt in dubium. Ex quibus Hurt. Arriag. Ouied. *suprà*, & alij censent, esto inter alias formalitates præcisio obiectiua sit admittenda inter essentiam tamen, & existentiam, solam formalem debere admitti ex parte actus, non ex parte obiecti se habentem. Nescio tamen, cur in eâ hypothesi non ponunt præcisionem obiectiuâ non mutuam inter essentiam, & existentiam, vti eam ponunt inter ens, & suas differentias, inter omniaque prædicata trâscendentia, & subiecta, quæ dicuntur transcendere, vt suo loco notabimus. Existentia quippe prædicatum trâscendens est comparatione existétium. Alij verò Recentiores absolutè opinantur inter essentiam, & existentiam præcisionẽ obiectiuam, eamq; mutuam dari oriundam ab intellectu nostro pro statu præsenti; vti vniuersa fermè Antiquitas citra dubiũ est opinata.

Propositio 1.

188 Existentia non aliquid distinctũ realiter ab essentia, eique re ipsa superadditũ, vt Thomistæ autumãt.

Probatur primò generali ratione: quia non sunt superaddendæ entitates sine necessitate: sed sine entitate sibi realiter superaddita potest quæuis essentia existere, vt ex dicendis constabit. Ergo.

Secundò: quia si essentia realiter distincta esset ab existentia, realiter quoque priùs naturâ esset, quàm illa: quia vel esset causa eius materialis, seu receptiua, vt communiter Aduersarij concedunt, vel existẽtia modus esset essentiæ non mutuò cum illa connexus, eoque titulo aliter, quàm effectus posterior natura, quam illa, iuxta generalem doctrinam ordinũ, tradendam à nobis *infrà suo loco*: ergo in priori ante existentiam se ipsa existeret essentia (Siquidem esse vnum prius, quam aliud realiter, habereque *esse*, seu *existere* prius, quàm illud idem omninò est.) Vt quid ergo noua existentia superadueniens, postquàm iam independenter ab illâ existit essentia? 189

Tertiò probatur: quia essentia existens aut producitur vt condistincta ab existentia superaddita, per seque terminat productionem, aut non? Si non: ergo nihil est actu, & extra causas; sed manet intra ipsas purè possibilis, atque adeo non est existens, contra suppositionem. Etenim, quidquid est ens actu (vno Deo excepto) ab alio est productum, per séque subinde terminat productionem, vt constat. Si verò essentia vt condistincta ab existentia superaddita terminat, per se productionem: ergo vt condistincta ab existentia superaddita, atque adeò præscindendo ab illa, est extra causas: productio quippe extrahit à causa rem productam: ergo vt condistincta, & præcisa ab existentia superaddita est existens: quia esse extra causas, & existere in idem recidunt: ergo existentia superaddita superuacanea est. Confirmatur, & declaratur: quia effectus productus non solùm accipit à causa per productionem existentiam essentię suæ superadditam; sed etiam & potiori iure ipsam essentiam: accipit enim à causa totum, quod est à parte rei, nec posset talem existentiam accipere sine essentia, cuius ea est modus: ergo effectus productus re ipsa habet extra causas tum essentiam, tum existentiã superadditam; illam quidã per identitatem; hanc per inhæsionem, siue adhæsionem. Sed habere à parte rei essentiã suam extra causas est formaliter existere à parte rei: ergo effectus productus antecedẽter, independẽterve à superaddita existẽtia, seu præscindendo ab illa, se ipsa existit à parte rei. Superfluè igitur vt existat, ei talis existentia adiungitur. 190

Quartò probatur propositio. Quia ens in actu constituitur tale per existentiam, vt fatentur omnes. Vel ergo effectus productus vt condistinctus ab existentia superaddita est ens in actu; vel solùm in potentia? Si tantùm in potentia? Ergo est quid purè possibile, neque datur à parte rei, quãdo datur existentia eius, suamque terminat productionem, quod est chymericum. Si autem vt condistinctus ab existentia superaddita, & præscindendo ab illa est ens in actu. Igitur ea secluſa manet existens actu. Ea ergo prorsus redundat. Nec dici potest in eo signo præcisionis, neque esse ens in potentia, neque ens in actu: quia nequit non habere in eo signo suam essentiam (cùm sit impossibile quidpiã aut esse, aut concipi alicubi sine se ipso) vel ergo illã habet actualiter; & ita erit ens in actu, vel illam habet tantùm possibiliter; & ita erit ens in potentia. Alius autem modus habendi essentiam non est, quod ad rem attinet, vt constat. 191

Quintò probatur. Essentia existens prout condistincta ab existentia superaddita terminat actum scientiæ Dei, distinctum saltem ratione nostra ab actu, quem terminat ipsa existentia; siquidem distinctorum obiectorum distinctos nos actus concipimus in scientia diuina. Vel ergo actus ille est simplicis intelligentiæ; & sic essentia per eum cognita purè erit possibilis, cùm tamen ponatur existens, quod est contradictio: Vel est visionis; & sic essentia per eum 192

cognita,

cognita, vt cõdistincta ab existentiâ superadditâ per se ipsam exit existens. Existentia ergo superaddita superflua est. Simile argumentum fieri potest de gaudio, quo Deus de essentiâ existente gaudet haud dubiè, prout condistinctâ à superadditâ existentiâ.

193 Sextò denique propositio nostra probatur efficacissimè. Quia omnia argumenta, quibus contendunt Thomistæ præfati existentiam esse aliquid reale realiter ab essentiâ distinctum, pariter probant, si quid probant, ipsius existentiæ dandam esse aliam distinctam, & huius tertiam, & sic in infinitum, qui processus implicatorius est, vt constat. Ratio est clara: quia illa existentia superaddita habet suam essentiam indifferentem, vt sit, aut non sit extra causas, à Deoque potest vel produci, vel non produci, vt aduersarij fatentur, omninoque tenentur fateri, ne Deum aliquâ obligent necessitate producendi creaturã. Ergo aut essentia existentiæ eget aliâ existentiâ, vt determinetur ad existendum, aut reliquæ essentiæ illâ non egent. Nec valet respondere existentiam esse rationem existendi, & ideò non egere alia existentiâ: id, quod non habent reliquæ essentiæ. Quoniam si esse rationem existendi benè potest componi cum indifferentiâ dictâ, quam habet existentia vt sit, aut non sit extra causas; etiam ego dicam, quamuis essentiam esse rationem existendi comparatione sui, cùm id non tollat indifferentiam, quam habet ad existendum, & non existendum. Idemque argumentum potest desumi à coniuncto ex essentiâ, & existentiâ superadditâ sumpto indiuisim.

194 Huiusmodi argumentis conuictus Thomista quidam apud Hurt. *suprà* §. 43. & apud Arriag. *n.* 65. fatetur essentiam productam habere quidem ante existentiam superadditam *esse* actuale, & extra causas; hanc tamen nihilominùs illi adiungi vt complementum quoddam. Cæterùm, quàm sine idoneo fundamento Auctor iste aliam confingens valdè diuersam, sententiam deserat suorum vnanimiter requirentium superadditam existentiam, adhoc vt essentia actu sit extra causas, benè ibi Hurt. prosequitur In quo propterea ne immoremur.

195 Verùm contra propositionem statutam multa pro sententiâ Thomisticâ obiici solent. Sit primum. Si essentia non distingueretur realiter ab existentiâ, sequeretur existentiam esse prædicatum essentiale cuiuslibet entis singularis: ergo quodlibet existeret essentialiter, vti existit Deus: ergo non posset non existere, sicuti non potest non esse id, quod essentialiter est. Confirmatur primò. Hæc propositio fuit ab æterno vera, *Petrus est rationalis*, eo quòd rationalitas est prædicatũ indistinctum à Petro, ob idq; ei essentialis. Ergo etiam hæc fuisset ab æterno vera, *Petrus est existens* ob eamdem rationẽ, si existentia Petri realiter est ipse Petrus, Petrúsque subindè absolutè, extitit ab æterno, quod est absurdũ. Confirmatur secundò. Quidquid est idem cum ente singulari est de essentiâ eius saltem physicâ, de eóque proinde dicitur essentialiter: sed enti creato existenti accidentale est existere; cùm solus Deus existat essentialiter: ergo ab ente creato existente realiter est distinctum ipsum existere. Confirmatur tertiò. Quælibet creatura est indifferens ad existendum, & non existendum ergo existere distinguitur à creaturâ re ipsâ. Neque enim fieri potest vt aliquid sit indifferens ad id, quod secum est idem, & ad carentiam eius. Confirmatur quartò. Essentia Petri modò existens est eadem prorsus numero cum essentiâ eiusdem Petri, quæ ad æterno fuit purè possibilis, quia quidquid actu est, purè possibile fuit primum: sed quando erat purè possibilis non concipiebatur ex parte obiecti existentia exercita Petri, tota omninò essentia cõcepta, potiùs concipiebatur talis essentia vt non existẽs: ergo existẽtia exercita Petri non potest nõ esse aliquid ab esẽtia Petri distinctũ.

Omnia hæc argumenta optimè à nostris Doctoribus in ipsos retorquentur Thomistas: quippè, quæ eodẽ modo probant existentiam superadditam, quã ipsi adstruunt, & quædam etiam essentia est, debere per aliam secundam superadditam existentiam existere, & hãc per tertiam, & sic deinceps in infinitũ, quod tamen est absurdum. Etenim existentia illa, si est suum existere, essentialiter existet, atque adeò ab æterno. Tum non erit illi accidẽtale esse, & non esse, quod repugnat creaturæ. Neque erit illa indifferens ad existendum, & non existendum; neque esse poterit, aut concipi purè possibilis absque exercitio existendi, &c. Quæ omnia enti creato impossibilia sunt. Pariterque in coniuncto ex essentia, & existentia superadditâ sumpto indiuisim locum habent. Ex quo patet argumenta prædicta ad rem inefficacia esse, & ab Aduersariis etiam necessariò soluenda. 196

Igitur ad primum respondeo, existentiam prædicatum accidentale, & contingens esse essentiæ creatæ; non quia ei contingenter accidat vt quid realiter superadditum (vt sic enim ei persistenti in eodem statu citra omnem variationem intrinsecam posset existentia deficere, vti possunt alia omnia accidentia ei contingenter superaddita titulo talium, quod est absurdum) sed quia essentia ipsa cum sua existentia contingenter ponitur in rerum vniuersitate, illique proindè accidit, seu contingit; contingenterque transfertur de non esse ad esse, in esseque recepto durat. Vnde existentia non accidens prædicamentale, sed tantùm prædicabile est essentiæ creatæ, cui propterea identitas cum illa non obstat. Eatenus enim existentia vt accidens dictæ essentiæ concipitur, quatenus hæc considerata secundum se in statu quiditatiuo, seu obiectiuo, qui ab existentiali præscindit de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo indifferens est ad existendum, & non existendum. In quo differt ab essentia diuinâ, quæ de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo omninò est ad existendum determinata, nullaque ratione subinde ab statu existentiali, vti creata, potest deficere. Vide dicenda fusius de huiusmodi statibus *infrà disp.* 10. Sed dices. Non potest non essentia creata esse determinata de suo ad id, quod secum idem est: ergo si suum existere est idem cum illa, non potest non esse de suo determinata ad existendum, perinde atque essentia diuina. Distinguo antecedens: Non potest non esse essentia creata determinata de suo intra statum quiditatiuum, à quo ea nequit deficere, ad id, quod secũ idem est, concedo; intra statum existentialem, à quo ea deficere potest, differens eo ipso à diuinâ, nego; & nego consequentiam. Itaque status quiditatiuus essentiæ creatæ non est connexus cum existentiali, sicut status quiditatiuus essentiæ diuinæ. Atque adeò licèt essentia creata nequeat non esse suum existere in statu quiditatiuo, inde non fit debere esse suum existere in statu existentiali, vt debet essentia diuina: quia essentia creata cum omnibus, quæ secum sunt idem ab statu existentiali potest deficere, diuina non item. Quod ipsum est, essentiam creatam posse simpliciter non existere: diuinam non item. 197

Ad primã confirmationem respondeo, hanc propositionem, *Petrus est rationalis*, in sensu merè quiditatiuo, seu obiectiuo, atque adeò præscindente ab existentiali, fuisse ab æterno verã, quatenus verè ab æterno dici potuit, Petrum ex suo conceptu obiectiuo idem esse cum rationali. Quo pacto si proferretur hæc propositio, *Petrus est existẽs*, vt sensus esset, Petrum ex conceptu suo obiectiuo esse idem cũ suâ 198

existentia, etiam fuisset vera ab æterno. Prolata tamen, vt semper solet, in sensu existentiali, ponente scilicet Petrum cum suâ existentiâ in statu existentiali, neutiquam fuit ab æterno vera, qualis nec fuisset illa, *Petrus est rationalis*, si in eodem sensu proferretur. Ex quo patet identitatem prædicati, & subiecti non facere, quòd propositio in rebus creatis sit de materiâ necessariâ; atque adeò vera ab æterno, nisi ea in sensu quiditatiuo præscindente ab existentiali sumatur; sumptis videlicet eius terminis, prout in statu quiditatiuo, seu obiectiuo cum præcisione ab existentiali.

199 Ad secundã confirmationẽ iam cõstat ex dictis, quo pacto existẽtia possit esse accidens prædicabile, contingensque essentiæ creatæ tametsi sit idem cum illa.

200 Ad tertiam etiam ex dictis constat, posse optimè creaturam indifferentem esse de suo ad existendum. & non existendum, id est, ad essendum & non essendum in statu existentiali, quantumuis ea cum suâ existentiâ idem re ipsâ sit.

201 Ad quartam deniquè, concedo maiorem, nempè existentiam Petri existentis eamdem esse, quæ fuit ab æterno purè possibilis; & distinguo minorem. Sed quando erat purè possibilis non concipiebatur ex parte obiecti cum existẽtiâ exercitâ, sed potiùs sine illa à præscindentibus obiectiuè vnam formalitatem ab aliâ, quales nos sumus pro hoc statu concedo: à non præscindentibus obiectiuè vnam formalitatem ab aliâ, quales sunt, qui intuitiuè, seu per species proprias cognoscunt, subdistinguo. Non concipiebatur ex parte obiecti cum existentiâ exercitâ, sed potiùs sine illâ in statu existentiali, concedo; in statu purè obiectiuo, seu quiditatiuo, nego; & nego consequentiam. Lege dicenda circa *propos.* 5. quæ, vt hanc solutionem percalleas, lucem præstabunt.

202 Deinde contra propositionem statutam ita obiici solet. Nulla creatura est actus purus, quia id est proprium Dei: ergo omnis creatura est composita ex potentiâ, & actu: sed non est excogitabilis compositio ex potentiâ, & actu communis omni creaturæ, præterquam ex existentiâ, & essentiâ. Ergo. Concedo nullam creaturam esse actum purum, quatenùs actus purus naturam dicit non perfectibilem ab extrinseco, vtpote habentem de suo omnem perfectionem formaliter, aut eminẽter, qualis est solus Deus; nego tamen hinc sequi, omnem creaturã debere esse compositam ex potentiâ, & actu: vt sic enim ipsa potentia, & ipse actus vtpote creaturæ deberent rursus ex potentiâ, & actu componi, abireturque in infinitum, quod est absurdum. Solùm ergo sequitur de ratione creaturæ esse, limitatam perfectionẽ habere, eamq; acceptã ab extrinseco per sui productionem, atque adeò per quemdam transitum de potentiâ ad actum, qui absque existentiâ superadditâ fit, vt constat ex dictis.

203 Tertiò obiicitur. *Esse* creaturæ est *esse* receptum, aliàs non esset limitatum; ergo *esse* creaturæ, nempe existentia recipitur in eius essentiâ, quia aliud non est, in quo recipiatur. Respondeo *esse* creaturæ receptum esse à principio effectiuo, indeque limitatum, quatenùs principium efficiens dicitur dare *esse* creaturæ ipsamque creaturã ab illo sanm *esse* recipere. Non est tamen de ratione creaturæ habere *esse* in se, vt in causâ materiali receptum; alioquin ipsum *esse* siue existentia titulo creaturæ, in se quoque haberet *esse* receptum, & abiremus in infinitum, quod est absurdum.

204 Quartò. Essentia creaturæ est separabilis ab existentiâ, siquidem potest non esse existens: ergo distinguitur ab illâ. Distinguo antecedens: Essentia creaturæ est separabilis ab existentiâ, separatione strictâ, nego antecedens: separatione latâ, quâ vnumquodque dici potest separari à se ipso per sui corruptionem, quo solùm pacto potest essentia non esse existens, concedo; & nego consequentiam.

Quintò obiicitur. Existere Petrum hodiè non est 205
existere cras: ergo existentia Petri hodierna, & crastina non sunt idem: at essentia Petri eadem est hodiè, quæ cras: igitur existentia Petri distinguitur ab eius essentiâ. Hoc argumentum probat existentiam Petri intrinsecè esse successiuam, atque adeo singulis instantibus habere Petrum existentiam diuersam; pariterque probari potest Petrum per existentias distinctas existere in singulis locis, quando mouetur; siquidem existere Petrum in vno loco non est existere in alio. Quæ tamen existentiarum multiplicatio aliena prorsus esse videtur à mente Thomistarum. Respondeo ergo existere Petrum hodiè, præter existentiam Petri ab eius essentiâ indistinctam dicere durationem hodiernam, sicut existere Petrum in hoc loco, præter eamdem existentiam ab essentiâ indistinctam dicit præsentiam Petri in hoc loco. Duratio autem hodierna Petri à duratione crastina distincta est; vel propter connotationem, quam inuoluit desumptam à idistincto tempore extrinseco, vt multi opinantur; vel quia duratio modus quidam est superadditus rei existenti essentialiter successiuus, vt ego cum aliis opinor: quemadmodum præsentia in communi sententiâ modus quidam est superadditus rei existenti pro locorum diuersitate diuersus. Malè ergo ex eo quòd existere Petrum hodiè non sit existere cras, infertur existentiam, quam Petrus hodiè habet, ab existentiâ, quam cràs habebit distinctam esse; maléque propterea inde deducitur Petri existentiam ab eius essentiâ distingui.

Sextò obiicitur. Scientia simplicis intelligentiæ, 206
& scientia visionis distinguuntur in Deo, quia prima est de veritatibus necessariis, vt *homo est possibilis*: secunda de contingentibus, vt *homo existit*. Primaque subinde circà rerum essentias; secunda circà existentias versatur: sed non potest idem obiectum simul necessarium esse, & contingens: ergo nec possunt rerum essentiæ non esse distinctæ ab existentiis. Hoc argumẽtum, sicut & cætera, in ipsis existentiis infringitur. Quæ tum per scientiam simplicis intelligentiæ in quantum possibiles, quo pacto veritatis sunt necessariæ; tum per scientiam visionis in quantum existẽtes, quo pacto veritatis sunt contingentis, cognoscuntur à Deo; cum tamen per se ipsas, & non per alias existẽtias distinctas, à suâ essentiâ existant. Ad illud ergo, concessa maiore, distinguo minorem. Non potest idem obiectum simul necessarium esse, & contingens secundum eamdem considerationem, concedo: secundũ diuersas, nego; & nego cõsequentiam. Itaque nihil vetat eumdem hominem per se ipsum necessarium esse in essendo id, quod ex suo, conceptu obiectiuo est; & esse contingentem in existendo, sub prioreque consideratione proinde terminare scientiam Dei necessariã, qualis est simplicis intelligẽtiæ, & sub posteriori contingentẽ, qualis est visionis. Vide ad rem plura *inferius loco citato.*

Septimò obiicitur. Multa sunt, quæ connectuntur 207
cum aliis vt possibilibus, & non vt existentibus: ergo possibile ratione existentiæ superuenientis est distinctum ab existente. Primò retorqueo argumentum. Idem est connecti cum aliis vt possibilibus, & non vt existentibus, ac connecti cum eorum existentiâ vt possibili, & non vt existente: ergo existentia possibilis ratione alterius existentiæ superuenientis distinguitur ab existente, & sic in infinitum. Secũdò, concesso antecedente, nego consequentiam quia licèt possibile, & existẽs entitatiuè sunt prorsus

idem,

idem, ratione tamen diuersorum statuum diuersas veritates obiectiuas sortiuntur, quarum vna bene potest terminare respectum, quem non terminat altera, sicut & scientiam. Circa quod vide etiam dicenda *ibidem*. Mitto alia leuiora, quæ ex dictis facile quisque diluet.

208 Opponitur tandem S. Th. qui 1. *p. quæst. 3. art. 4. & lib. 2. contra Gent. cap. 52. & opusc. de ente. & essentia cap. 5. & lib. 4. Metaph. lec. 2. aliisque in locis* aperte, pro aduersariorum sententia stare videtur. Cæterum satis appositè exponi potest Doctor Angelicus de distinctione essentiæ creatæ ab existentia in tempore, hoc est, à duratione, quâ ea in tempore existere, siue durare dicitur: hæc enim in mea, multorumque sententia, modus quidē est realiter superadditus essentiæ existenti per quem ea determinatur ad existendum in hoc potiùs tempore, quàm in alio, sicut iuxta opinionem communē per præsentiam, tanquam per modum superadditum determinatur ad existendum in hoc loco potiùs, quàm in alio. De quo ex professo agendum suo loco. Et quidem Molin. noster, qui 1. *p. q. 3. art. 4. disp. 2.* existentiam censet realiter distingui ab essentia, §. *His ita constitutis*, probat existentiam, & durationem omninò esse idem, & hanc esse sententiam S. Th. & communem affirmat Valent. 1. *p. disp. 1. q. 10. pun. 1.*

Propositio 2.

209 Essentia creata à sua existentia formaliter ex naturâ rei distincta non est.

Hæc propositio est contra Scotistas, perspicuéque constabit ex infrà dicendis *disp. 13. quæst. 5.* vbi distinctionem formalem ex naturâ rei, quam adstruūt Scotistę inter formalitates identificatas realiter, quales essentia, & existentia sunt apud ipsos, tanquā penitus impossibilem latè, & efficaciter refutabimus. Vide *ibi* scripta, & applica propositioni præsenti.

Propositio 3.

210 Essentia creata, & existentia neque virtualiter distinguuntur à parte rei in ordine ad subeunda sine contradictione prędicata contradictoria, vti à plerisque Theologis distingui dicuntur essentia, & Personalitates diuinæ.

Quoniam huiusmodi distinctio in rebus creatis nullatenus est admittenda, vt apparebit ex dicendis *dicta disputatione 13. quæst. 6.*

Propositio 4.

211 Essentia creata, & existentia per nostrā rationem distinguūtur, & quidem vt duæ eiusdē rei formalitates ex parte obiecti, & mutuò præcisæ ab intellectu nostro. Præcisio quippè obiectiua non mutua omnino impossibilis est.

Hæc propositio est contra Hurt. Arriag. & Ouied. citatos suprà. Eam tamen præter nobiles Recentiores tenuit haud dubiè vniuersa Antiquitas, quæ solam distinctionem rationis ex parte obiecti se habentem, & consequenter mutuò præcisiuam agnouit, vt ostendunt, quæ latè scribemus *infrà d. 13. q. 9. & seqq.* vbi propositionem hanc tum sub vniuersali doctrinā, tum sub specialiori, tum etiam in particulari affatim comprobabimus.

Propositio 5.

212 Ab iis, qui cognoscunt intuitiuè, siue per propias species, nullam distinctionem rationis sub-

ire possunt essentia creata, & existentia.

Quia, quæ realiter sunt idem vt sunt essentia, & existentia, iuxta doctrinam *propos. 1.* iis qui cognoscunt per proprias species nullatenus possunt apparere distincta aliquâ distinctione rationis, vti nobis cognoscentibus per alienas apparent, prout latè etiā probabimus loco nuper citato. Vnde probatio huius propositionis pariter atque præcedentis petenda est.

Inferet aliquis: ergo qui cognoscunt intuitiuè, non 213
poterunt iudicare veritates necessarias, vt *homo est animal*, cum præcisione ab existentia, Quod est absurdum. Fieret enim inde, vt de solis rebus actu existentibus possent ij iudicare, non item de purè possibilibus, nec de conditionatè futuris. Distinguo illatum: Qui cognoscunt intuitiuè nō poterunt iudicare veritates necessarias cum præcisione ab existentia, tanquā à quadam formalitate non cognita per actū, quo cognoscunt essentiā, concedo. Tanquā ab statu existentiali, vbi quoad nihil sui cognoscuntur veritates prædictæ, nego. Quo cessat absurdum propositū, & propositio nostra firma consistit. Id enim non est cognosci ab intuentibus essentiā, ne cognitā per eumdem actum existentia identificata cum illa, vti cognoscitur à nobis; quod eis possibile negamus; sed cognosci totum, quod re ipsa est essentia in vno statu, & non in alio ab illo diuerso; quod eis possibile concedimus. Qomodo autem status quiditatiuus, in quo veritates necessariæ prædictæ cognoscuntur ab intuentibus, atque etiam à nobis diuersus sit ab existentiali *inferius disp. 10. quæst. 1.* declarabimus.

Hinc fit. Nos tùm vtroque modo commemorato, 214
tùm altero solo posse præscindere essentiam ab existentia, cùm tamen cognoscentes intuitiuè altero tantùm modo possint, vt dictum est. Præscindimus nos vtroque modo, cum de aliquâ essentia purè possibili verè sic iudicamus, *hæc essentia est essentia*. Nam tale iudicium nullatenus tangit existentiam cum tali essentia identificatam; atque ita essentiam ipsam ab illa vt à quadam formalitate præscindit; tum de illa iudicat, prout in statu quidditatiuo, & non prout in statu existentiali quod est etiam illam ab statu existentiali præscindere, solo autem posteriore modo præscindimus nos cùm de aliquâ existentia purè possibili, aut de concreto ex illa & subiecto verè sic iudicamus, *hæc existentia est existentia*: aut, *hoc existens est existens*, putà ex conceptu suo obiectiuo. Cōstat enim per huiusmodi actus nos non præscindere ab existentia, vt à formalitate per eos non tacta; quandoquidem expresse illa per eos attingitur. Cùm tamen prorsus præscindamus ab statu existentiali iudicantes solùm, quid sit de suo ea existentia, aut id existens in statu quiditatiuo, seu obiectiuo. Igitur, qui intuitiuè cognoscunt hoc posteriori modo, dumtaxat iudicant de rebus non existentibus cum præcisione ab existentia, siue ab statu existentiali. Apprehendunt enim eas quoad omnia, quæ re ipsâ sunt, citra omnem præcisionem formalitatum, atque adeò sicuti à parte rei essent, si existerent; de illisque sic apprehensis vnico simplici intuitu iudicant, quidquid illis conuenit prout in statu quiditatiuo, nihil de eisdem iudicando, prout in statu existentiali; vnicoque subinde iudicio de vnaquaque re sic concepta iudicant omnes veritates, quæ cum illa sunt idem, & ei conueniunt in illo statu, quæque à nobis vtpotè formalitates, præscindentibus iudicandæ pluribus veniunt, è quibus vna est illa, quæ in nobis respondet his verbis, *hæc existentia est existentia*; aut, *hoc existens est existens*, scilicet ex conceptu suo obiectiuo.

Adde nos etiam passim præscindere essentiam ab 115

existentia,vt à formalitate, ab statu existentiali non præscindentes, nimirum cùm iudicamus de rebus existere, quod cognoscentes intuitiuè præstare nequeunt : veritas enim obiectiua correspondens his verbis, *Petrus existit*,composita est apud nos ex duplici formalitate obiectiue præcisa,ex essentia scilicet Petri,& existentia eius,apud illos verò minimè; sed ipsa est simplex entitas Petri existentis,sicuti est à parte rei. Imò verò quotiescunque nos iudicamus de aliquo,quòd existit, non possumus non obiectiuè præscindere existentiam à subiecto existenti, quantumuis ex parte ipsius subiecti expresè existentiam concipiamus. Sic cùm iudicamus, *existentia existit*; aut *existens existit*. existentia posita ex parte prædicati formalitas est ratione nostra distincta ab existentia posita ex parte subiecti, & ei superaddita; ob idque propositiones istæ accidentales sunt de accidenti prædicabili metaphysico, vtpote, quarum prædicatum aliquid adiicit subiecto, iuxta doctrinam tradendam *infrà.d.* 17. Nec terreat te, quòd iuxta hanc doctrinam progressus infinitus formalitatum videtur necessariò admittendus:nos enim lubentes illum admittimus in formalitatibus transcendentibus,qualis est formalitas existentiæ. Putamus enim connaturalissimum esse modo, quem iudicandi habemus, prorsusque immunem ab omni incommodo, cùm syncategorematicè tantùm, non item categorematicè sit infinitus; De quo non semel *in sequentibus* sermo redidit.

216 Hinc vnum colliges notandum. Si hæc propositio, *existens est existens*, sumatur in sensu quiditatiuo,vt sub istis terminis solet, eam quidem essentialem esse,& necessariæ veritatis, atque ita eius prædicatum nihil subiecto adiicit, sed illud repetit, formalitásque proinde existentiæ posita ex parte prædicati in concreto eadem est omninò, quæ pariter posita est ex parte subiecti. Si verò dicta propositio in sensu existẽtiali sumatur,vt potest, ita quod huic ōminò æquiualeat,quę in tali sensu sumi solet,*existens existit*;tunc quidem formalitas existentiæ posita ex parte prædicati in concreto distincta erit ab eâ,quæ pariter posita est ex parte subiecti,& ei superadiecta.Quo fiet,vt propositio,& sit accidentalis, vtpotè,cuius prædicatum aliquid adiicit subiecto,& sit veritatis contingentis,vtpote,quia existẽtia creata, de quâ tractamus, accidens contingens censetur subiecti existentis,prout *suprà proposit.* 1.explicatum est,Pariterque de similibus propositionibus philosophandum est; solerterque attendendum semper, an propositio in sensu quiditatiuo; an in sensu existentiali sumatur : pleræq; enim possunt sumi in vtrouis, iuxta intentionẽ proferentis;tametsi paucæ sint dubij sensus,si termini iuxta communem vsum,& non aliter accipiãtur.Etenim hęc propositio,*homo est rationalis*, iuxta communem vsum in sensu quiditatiuo sumitur,quo pacto necessariæ,æternæque veritatis est. Nil tamen vetat sumi eam à proferente in sensu existentiali, vt sensus sit,*homo existentialiter, seu in statu existentiali,est rationalis*;quo pacto contingentis,temporariæque veritatis erit,è contrà verò hæc propositio, *homo est existens*, iuxta communem terminorum vsum,sensum existentialem habet, de materiáque contingente subinde est. Si tamen velit illam proferens,vt sit eius sensus,*homo existens ex conceptu suo obiectiuo est existens, siue idem cum suâ existentiâ*, sensum habebit quiditatiuum, atque materiam necessariam;similitérque de similibus ratiocinandum est.

DISPVTATIO X.

De variis statibus entium, seu rerum atque; adeò obiectorum intellectus humani.

HÆc disputatio, tametsi etiam bona 1
ex parte sit metaphysica, propius accedit nihilominus ad præsens propositum, vbi de obiectis intellectus humani,qua talibus potissimùm agitur. Etenim status rerum dicitur impræsentiarum ille modus essendi earum, ratione cuius aliqua veritas obiectiua de ipsis scibilis, siue iudicabilis est. Vnde, quot fuerint rerum modi essendi diuersi, ratione quorum diuersæ de eisdem veritates obiectiuæ scibiles, siue iudicabiles fuerint, totidem rerum status recensendi erunt; censeri autem possunt hoc pacto. Primus est status essentiæ, seu quiditatis rerum,qui status earum quiditatiuus,siue obiectiuus appellatur.Secundus status existentiæ, seu actualitatis rerum, qui non abs iure status earum existentialis dicetur. Vterque autem rursus aut est status absolutus,aut status conditionatus.Absolutus in quo vnumquodque aut est absolutè id quod est;aut absolutè existit. Conditionatus in quo vnũquodq; aut est quod est;aut existit non absolutè,sed sub cõditione aliqua,siue hypothesi.Præterea status absolutus,aut etiam conditionatus,quicumque ille sit in statum determinatum, & vagum, seu disiunctiuum diuidi potest. Determinatus est in quo res determinatè aut est id, quod est,aut existit. Vagus in quo sub aliqua disiunctione. Denique status existentialis,quicunque etiam sit,in statum præsentiæ,præteritionis, futuritionisque diuiditur iuxta tres differentias temporis, præsentis, præteriti, & futuri in quibus res potest existere. Igitur de omnibus hisce rerum statibus impræsentiarum tractandum est.

QVÆSTIO I.

Quid sit status rerum existentialis. Quid status quiditatiuus, seu obiectiuus. Quid status conditionatus Quid absolutus, Et quotuplex?

COmplector sub hac vnâ quæstione hos omnes 2
status compendij causâ;tum quia ex mutuâ eorum comparatione meliùs vniuscuiusque quiditas innotescet; tum quia eorum aliqui aut confunduntur, pro eodemque reputantur apud Auctores; aut eodem prorsus modo explicantur,siue constituuntur.

Status existentialis rerum ille modus essendi 3
est, quem habere dicuntur dum actualiter existunt existentia reali. Quid autem sit res actualiter existere existentia reali aut, in quo id consistat,adeò est ex terminis ipsis cunctis notissimum, vt ampliùs per clariores terminos explicare nec necessarium sit,nec possibile.Existentia quippe rerum realis, & actualis, prout ad hunc pertinet statum, siue

siue ipsum constituit, ex terminis primis, & notissimis, atque adeò indefinibilibus est, iuxta doctrinam generalem definiendi tradendam *disp. 25. vt suprà etiam disp. 9. quæst. 1.* notatum est. Itaque status existentialis rerum nihil est aliud ab ipsis rebus prout actualiter existentibus, in quo puncto Doctores omnes citra omnem controuersiam conueniunt. Hæc dicta de statu existentiali absoluto, in quo illæ res esse dicuntur, quæ simpliciter, & absolutè, nullâque hypothesi facta existunt in aliquâ temporis differentia. Ad quemque subinde spectat omnes veritates obiectiuę, existentiales, & absolutę.

4 Datur tamen insuper status existentialis conditionatus, ad quem non absoluta existentia rerum; sed tantùm conditionata pertinet. Estque ille propterea, in quo omnes veritates conditionatæ existentiales esse dicuntur, siue illæ sint necessariæ, vt *Si Petrus existeret sine contradictione existeret*; siue sint contingentes, vt *Si Petrus vocaretur responderet*; siue illæ rebus alias absolutè existentibus conueniant, siue conueniant rebus absolutè non existentibus. Præscindit quippe status iste conditionatus ab absoluta existentia rerum; proindéque tam rebus absolutè non existentibus, quàm absolutè existentibus communis est. In quo tamen ille consistat, controuersum est apud Auctores vt statim videbimus.

5 Porrò status existentialis, tam absolutus, quàm conditionatus in necessarium, & contingentem est diuidendus. Necessarius est ille ad quem pertinent veritates existentiales necessariæ. Contingens autem ad quem veritates existentiales contingentes spectant, prout ampliùs explicabitur in *seqq.*

6 Status autem quiditatiuus rerum dicitur ille, in quo veritates obiectiuæ quiditatiuæ, & necessariæ censentur esse, quæ omnibus rebus etiam non existentibus competunt, atque adeò æternæ, incorruptibilésque appellantur. Est duplex, quemadmodũ existentialis sed vterque necessarius. Alius absolutus, ad quem pertinent veritates quiditatiuæ absolutæ, & necessariæ, vt *Homo est animal rationale: Homo est risibilis, secundus Deus est chymera.* Alius conditionatus, ad quem pertinent veritates quiditatiuæ conditionatæ & necessariæ vt, *Si aliquid est homo est animal. Si quid fuerit triangulus habebit tres angulos æquales duobus rectis. Si Angelus esset homo, esset risibilis.* Tametsi nomine status quiditatiui solum absolutum videantur intelligere Auctores confundentes cõditionatum cum conditionato existentiali. abs iure tamen, vt ex se patet, ampliúsque ex dicendis patebit. Dicuntur autem veritates pertinentes ad huiusmodi statum quiditatiuæ, ipseque status quiditatiuus, non quia omnes sint de prædicato essentiali, seu quiditatiuo subiecti, plereque enim sunt de passione eius aut propria, aut communi; sed quia omnes fert secum annexas subiecti quiditas, seu essentia; cum earum prædicatum vel sit tota ipsa essentia, aut pars eius, vel aliqua passio eiusdem propria, aut communis. Quod plenius vt percalleas, lege doctrinam prædicabilium tradendam à nobis *infrà disp. 17. q. 7.* Cæterum in quo huiusmodi status consistat, etiam sub controuersia est.

7 Etenim, vt hinc exordiamur, ingenioſi quidam Recentiores enixè contendunt, statum quiditatiuum rerum nihil à Deo distinctum esse; sed quid omninò cum Deo identificatum solum quippe Deũ posse esse constitutiuum omnium veritatum necessariarum, quæ pertinent ad talem statum, atque adeò verificatiuum omnium propositionum, quæ de materia necessaria, & sempiternæ veritatis dicuntur. Idemque censent de omni statu conditionato etiam existentiali, deque veritatibus ad illum spectantibus, à quibus conditionatæ propositiones euadunt veræ. Opinantur namque vniuersè, nullam omninò assignari posse veritatem obiectiuam re ipsa distinctam à Deo, præterquam rerum absolutè existentium in aliqua differentia temporis. Non negant hi Recentiores, imò expresè fatentur res, quæ obiectiuè veræ dicuntur distingui à Deo, putant tamen eas secundum se præcisè spectatas nullum penitus habere esse nullamque proinde iudicabilem veritatem ante absolutam sui existentiam: denominari tamen ante eam veras obiectiuè denominatione purè extrinseca ab entitate vera & necessaria Dei veluti à quadam forma: (quemadmodum existentia salutis non extiturę desiderata denominatur à desiderio sui,) à talique forma proindè habere illud *esse* sibi quidem omnino extrinsecum, & identificatum cum Deo, atque adeò necessarium, & sempiternum, ratione cuius terminant propositiones, atque iudicia vera, quæ necessariæ, & sempiternæ veritatis dicuntur. Deum enim per suam essentiam antecedenter ad omnipotentiam, & scientiam ipsissimam talium veritatum necessitatem esse. Hoc pacto dicunt possibilitatem possibilium realiter esse idem cum Deo, similitérque futuritionem conditionatam conditionatè futurorum; necnon impossibilitatem, seu repugnantiam impossibilium, & vniuersè omnem veritatem obiectiuam independentem ab absoluta existentia rerum, omnemque statum ab hisce veritatibus indistinctum; tametsi subiecta denominata extrinsecè possibilia, aut sub conditione futura, aut repugnantia, aut alio quouis modo vera re ipsa à Deo distincta sint. Adeóque cogitatione ista præfati Recentiores abrepti sunt, vt consequenter; sed nescio an satis tutò, affirmauerint futuritionem etiam conditionatam contingentium, pro quibus cognoscendis in Deo scientia illa celebris conditionata adstruitur contingens item, seu defectibilis, quã nostra schola mediam vocat, realiter omninò esse idem cum ipsa scientia indistincta à Deo. Nullámque subinde esse veritatem obiectiuam ex parte rerum extra diuinum intellectum, per quam ille determinetur ad talem scientiam, sed ipsum à semetipso per scientiam, ipsam determinari. Quod certè ante hos Recentiores prorsus fuit inauditum.

Sit secunda sententia aliorum, qui existimarunt 8
statum rerum quiditatiuum per simplicem apprehensionem earumdem diuinam, aut etiam creatam constitui, ratione cuius illæ ita existunt intentionaliter, seu obiectiuè in mente eas apprehendentis tanquàm in quodam statu (quidquid sit de earum existentia aut non existentia reali) vt de eis prout sic omnes ipsarũ veritates quiditatiuę ab eisdem indistinctæ sint iudicabiles. Ob idque huiusmodi statum tum obiectiuum, tum quiditatiuum vocari. De statu verò conditionato existentiali dicebant isti, illum ex parte conditionis esse obiectiuum, constituique per apprehensionem constituentem hypothesim, ex parte verò conditionati prorsus esse reale, quia semel per intellectum factâ hypothesi, quòd quidpiam existat, realiter ei coexisterent illa, quæ verè extitura dicuntur sub tali hypothesi.

Sit tertia sententia eorum, qui supponunt, 9
aut exprimunt statum quiditatiuum à conditionato existentiali nullatenus esse diuersum. Quid verò sit status conditionatus existentialis, aut in quo consistat, tanquam quid satis ex se notum inexplicatum relinquunt. Huius sententiæ sunt qui

semper propositiones quiditatiuas per existentiales conditionatas declarant, quasi vtrarumque sensus sit idem, vt hanc: *Homo est rationalis*, per hanc: *Homo erit rationalis, si extiterit*; aut *Homo esset rationalis si existeret*. Ita Soar. *disp.* 31. *Metaph. sect.* 12. *n.* 45. Arriag. Ripal. & alij referendi *disp.* 11. *q.* 1. qui possibilitatem intrinsecam cuiusuis rei in hac veritate conditionata ponunt: *si talis res extiterit, sine contradictione existet.*

10 Quarta sententia est, asserentium, res omnes independenter à sua absoluta existentia habere de suo suam essentiam, hoc est, esse id, quod re vera sunt, sumpto verbo *esse* substantiuè, non verò existentialiter, quòd ipsum est eas habere de suo, siue ex conceptu proprio *esse* quoddam quiditatiuum, siue *esse* essentiæ, seu quiditatis à se indistinctum ab omni causa, ab omnique existentia independens, atque adeò indefectibile prorsus, & necessarium. Auctores quippe huius sententiæ ea ipsa supponunt, statum quiditatiuum absolutum rerum nihil esse entitatiuè distinctum à rebus ipsis, sed quid cum eis entitatiuè identificatum, veritates videlicet obiectiuas necessaria, & absolutas in eisdem rebus secundum essentiam consideratis repertas, siue eis vt sic conuenientes, quales sunt: *Homo est animal rationale*: *Homo est risibilis*, & similes. Tenent autem sententiam præfatam ex antiquioribus Enric. Ægid. Capreol. Caiet. & alij, quos referunt, & sequuntur Basil. de Leon. *tom.* 1. *variarum q.* 8. Scholast. *cap.* 8. Albertin. *in prædicam. subst. disp.* 1. *q.* 1. Hemelm. *tit.* 7. *disp.* 1. *cap.* 5. Gran. 1. *p. tract. de diuin. pot. disp.* 7. *sect.* 2. Molin. 1. *p. quæst.* 3. *art.* 4. *disp.* 2. §. *ad quintum.* Tenent etiam, me quidem iudice, quotquot dicunt, possibilitatem rerum primariam in eo consistere quòd illæ tales essentiæ sint, vt contradictionem non implicent; è quorum numero sunt S. Thom. & omnes eius expositores communiter, aliique referendi *infrà disp.* 11. *quæst.* 1. Imò verò omnes fermè Theologi, qui punctum hoc non discusserunt, aut eius immemores de rerum essentiis, atque passionibus loquuntur in tacita quadam persuasione huius sententiæ esse videntur, dum passim dicunt, res esse tales, vel tales ex conceptu suo obiectiuo independenter ab eo quòd existant, vel secus. In quo verò status conditionatus, aut quiditatiuus, aut existentialis consistat, neque in supradicta sententia videtur adeò clarè supponi, neque in commemoratis Auctoribus video speciatim explicatum.

Propositio 1.

11 Omnis status necessarius rerum realiter distinctarum à Deo, realiter quoque ab ipso Deo distinctus est, vtpote identificatus realiter cum rebus ipsis.

Hæc propositio directè opponitur sententiæ Recentiorum primo loco relatæ. Pro cuius probatione suppono id, quod apud omnes est certum, constatque ex præmissis in hac quæstione, & ampliùs ex dicendis constabit; status scilicet necessarios rerum realiter distinctarum à Deo nihil esse aliud à veritatibus obiectiuis necessariis earumdem rerum, quæ ad tales status pertinere dicuntur. A veritatibus, inquam, obiectiuis, sumpta veritate obiectiua non formaliter pro denominatione extrinseca, vel semiextrinseca proueniente rebus à cognitione vera, per quam sunt cognoscibiles; sed fundamentaliter pro modo essendi, quem res habent ante sui cognitionem, ratione cuius idoneæ euadunt, vt terminent cognitionem veram. De hoc enim genere posteriori veritatum obiectiuarum; non de priore sermo est in tota præsente quæstione, atque etiam in seqq.

Quo posito probo propositionem primò. Veri- 12
tates obiectiuæ necessariæ rerum realiter distinctarum à Deo, realiter quoque ab ipso Deo distinctæ sunt, vtpote identificatæ realiter cum rebus ipsis. Ergo idem dicendum est de statibus necessariis earum, ad quos tales veritates pertinere dicuntur. Consequentia est euidens ex suppositione facta. Probo antecedens. Nulla res potest reddi obiectiuè vera per aliquid à se distinctum realiter; sed per se necessariò est talis, quæcumque obiectiuè vera est: ergo veritates obiectiuæ rerum realiter distinctarum à Deo, realiter quoque ab ipso Deo distinctæ sunt, vtpote identificatæ realiter cum rebus ipsis. Consequentia rursus est euidens. Probo ergo antecedens. Quæcumque res pro exemplo accipiatur, rogo, vel potest per se, siue per suum esse intrinsecum terminare aliquam cognitionem Dei, ita vt ipsamet obiectiuè sit in mente diuina; aut non potest? Si non potest, nullo omnino modo talis res erit à Deo cognoscibilis, nedum obiectiuè vera; siquidem quidquid à Deo cognoscitur, ipsummet est obiectiue in mente diuina: hæc enim duo in idem recidunt; vt est notissimum. Si autem potest: de facto talis res per se terminabit aliquam cognitionem Dei, subindeque ipsamet obiectiuè erit in mente diuina etiam de facto (siquidem quidquid potest à Deo cognosci, de facto cognoscitur, vt constat.) Rursus igitur rogo: aut talis res tale *esse* habet intrinsecè, & identicè in se quale intrinsece, & identice habet obiectiue in mente diuina? & hoc ipsum est esse illam intrinsece, & identice veram citra omne adiunctum extrinsecum ab ipsa distinctum, vt cunctis notissimum est, constatque ex dictis *suprà disp.* 3. *q.* 7. Aut talis res non habet tale *esse* intrinsece, & idetice in se, quale intrinsece, & identice habet obiectiue in mente diuina (quod euenire potest, & sæpe euenit, quando res per solam simplicem apprehensionem à Deo concipitur, vt ex mox dicendis constabit) & sic, vt nequit illa per aliquid à se distinctum reddi formaliter in se intrinsece, & identice talis, qualis intrinsece & identice est obiectiue in mente diuina; (nam id manifeste repugnat: haberet enim res ab adiuncto extrinseco sibi tanquam à forma aliquod *esse* identificatum secum, quod citra tale adiunctum non habet: quod planè est chymæricum, & contra *propos.* 12. *inferius disp.* 13. *q.* 3. demonstratam) ita nec potest per aliquid à se distinctum reddi obiectiue vera, quantumuis sit obiectiue verum illud distinctum, quod ei adiungitur, siquidem esse rem obiectiue veram, & esse in se intrinsece, & identice talem, qualis obiectiue est in mente diuina idem omnino est, vt tanquam notum cunctis suppono ex dictis *in tota disp. illa* 3. *cit.* Concluditur ergo satis aperte, nullam rem posse reddi obiectiuè veram per aliquid à se distinctum realiter; sed per se necessariò esse talem quæcumque obiectiue vera est, & consequenter veritates obiectiuas rerum realiter distinctarum à Deo, realiter quoque ab ipso Deo distinctas esse, vtpote identificatas realiter cum rebus ipsis.

Et confirmari potest id ipsum: quia veritas ob- 13
iectiua æque est passio entis metaphysica, ac bonitas, vnitas, distinctio ab aliis, &c. Ergo sicut non potest ens per adiunctum à se distinctum, tanquam per formam reddi bonum transcendentaliter, aut

vnum,

vnum, aut distinctum ab aliis, alias citra tale adiunctum non tale, vt est notissimum; ita nec potest ens alias non verum obiectiuè per adiunctum à se distinctum reddi obiectiuè verum. Hinc pergo.

14 Et probo secundò propositionem ab absurdo. Sequitur namque ex sententiâ oppositâ, Deum nullam veritatem obiectiuam necessariam, aut etiam contingentem cognoscere, præterquam rerum absolutè existentium, quod est erroneum: Cùm sit de fide, cognoscere insuper Deum res purè possibiles, & conditionatè futuras, vt suo loco videbimus. Id autem sequi, sic ex dictis ostendo. Opposita sententia statuit, res absolutè non existentes nullam veritatem obiectiuam secum identificatam habere. Sed probatum est contra illam, nec posse vllam habere veritatem per puram denominationem extrinsecam desumptâ ab entitate Dei: igitur tali sententiâ positâ, sequitur, res absolutè non existentes nullatenus esse obiectiuè veras, nullatenúsque subinde à Deo cognoscibiles iudicatiuâ cognitione, atque adeò Deum nullam veritatem obiectiuam præterquam rerum absolutè existentium cognoscere, loquendo absolutè dumtaxat enim dicuntur loquendo absolutè cognosci, quæ iudicatiuè cognoscuntur.

15 Sed probemus tertiò propositionem descendendo ad specialiora, & ampliùs declarando iam dicta. Dicunt Aduersarij, loquendo e. g. de Petro purè possibili, veritatem obiectiuam harum propositionum: *Petrus est possibilis: Petrus est homo*, realiter esse idem cum Deo, quatenus entitas necessaria Dei Petri est possibilitas necessaria, siue (quod idem putant) necessitas, vt si existat Petrus sine contradictione existat. Tum veritas necessaria, quâ Petrus necessariò est homo, siue (quod idem putant) necessitas, vt si existat Petrus, sit homo. Entitatem verò Petri realiter distinctam a Deo extrinsece denominari possibilem, & verum hominem ab entitate extrinsecâ Dei citra omne *esse* verum intrinsecum sibi; neque opus est, inquiunt, vt subiectum huiusmodi denominationum adæquatè extrinsecarum aliquod verum *esse* habeat, vt cernere est in denominatione, quâ existentia salutis nunquam futura desiderata denominatur à desiderio extrinseco sui. ita illi. Ex quibus ita infero ego. Ergo iudicare Deum obiectum huius propositionis *Petrus est possibilis* (tantumdémque censè de altera, & de similibus) nihil est aliud, quàm, Deum iudicare possibilitatem Petri, hoc est se ipsum existere, nullatenus iudicato Petro, sed summum apprehenso simpliciter; quemadmodum iudicare Deum, existentiam salutis nunquam extituræ desideratam esse à me, nihil est aliud, quàm iudicare Deum existere in me desiderium de existentiâ salutis, nullatenus iudicatâ existentia salutis, sed tantum apprehensa simpliciter. Ex quo absurdum nuper illatum rursus infertur; nimirum Deum nihil iudicatiuè cognoscere, atque adeò nihil scire præter absolute existentia. Apertiusque constat, nullam rem per aliquid à se distinctum posse reddi obiectiuè veram: siquidem cognoscibilis à Deo iudicatiuè reddi non potest, qualiter omne verum cognoscibile est.

16 Dicent fortasse cum iis qui negant posse Deum quidpiam simpliciter apprehendere. Cùm iudicat Deus, Petri possibilitatem existere, iudicatiuè tangere vtrumque terminum, Petri quidem possibilitatem per assensum; ipsum verò Petrum per dissensum, iudicando scilicet simul illam existere, & hunc non existere; sicut cùm Deus iudicat existere desiderium de existentiâ salutis nunquam futuræ, simul affirmat illud existere, & hanc non existere. Sed contrà primò: quia iudicium contingens de non existentiâ Petri impertinenter se habet ad iudicium necessarium huius obiecti. *Petrus est possibilis*: sicut ad hoc vt re verâ sit Petrus possibilis, impertinens est, quod ille absolutè existat, vel non existat. Contrà secundò: quia iudicium de absolutâ non existentiâ Petri ad scientiam reducitur veritatum absolutè existentium: ergo si iudicare Deum, Petrum esse possibilem aliud non est, quàm iudicare Deum, possibilitatem à se indistinctam existere, & Petrum non existere; idemque consequenter euenit in cæteris huiusmodi obiectis. Conficitur planè præter veritates absolutè existentes, nullam aliam cognosci, seu iudicari à Deo; Quod erat absurdum illatum. Contrà tertiò: quia in illo signo indifferentiæ, in quo Deus cognoscens, Petrum esse possibilem, indifferens est ad decernendam, vel non decernendam Petri existentiam nondum Deus iudicat, nec iudicare potest aut absolutè existere Petrum, aut absolutè non existere, vt est notum: igitur si pro eo signo entitas Petri nullum esse habet intrinsecum iudicabile, prout Aduersarij ponunt necesse est vtique vt pro eo signo entitas Petri quoad intrinsecum ab intellectu diuino aut nullo modo, aut purè apprehensiuè attingatur, quod absolutè loquendo non est cognosci, aut sciri. Vnde iterum concluditur, iudicare Deum pro signo prædicto, Petrum esse possibilem, nihil esse aliud, quàm iudicare Deum, siue scire suam entitatem existere, & nihil ampliùs. Quo in idem absurdum recidimus.

17 Propter hæc Aduersarij forsan aliter respondebunt. Nimirum. vt quis dicatur, loquendo absolutè, & simpliciter, iudicare, & scire quoduis complexum integrum ex subiecto, & formâ coalescens, quod obiectiue verum est, totâ veritate se habente ex parte solius formæ, eiusmodi sunt hæc: *Salus desideratur*: *Petrus est cognitus*: *Petrus legit*, & similia: satis, superque esse, quod iudicet de subiecto formam, nihil interim decernendo de intrinsecâ entitate subiecti. Sic igitur Deum iudicando formam de subiecto ab illâ distincto citra omne iudicium de ipso subiecto quoad intrinsecum, simpliciter, & absolute dici iudicare, & scire integra complexa ista. *Petrus est possibilis*: *Petrus est homo*, & cætera huiusmodi, quæ inadæquate ab ipso Deo tanquam includens ab incluso realiter distincta sunt; cessareque subinde absurdum superius illatum. Sed contra: quia responsio hæc imprimis videtur deceptionem nimis crassam inuoluere, iudicare scilicet Deum, sicuti nos, attribuendo prædicatum subiecto; quod plus quàm falsum est. Non enim ita iudicat (vt neque alij intuentes) sed inspiciendo vnumquodque obiectum, intuitiuéque penetrando quidquid re verâ illud intrinsece est, tametsi quando est relatum, terminum quoque, ad quem refertur debeat concipere, aut illud etiam iudicando, aut tantùm pure apprehendendo, quo pacto est relationis terminus, iuxta naturam relationis, prout *suo loco* ostendemus. Hinc iudicia Dei de obiectis per verba hæc significatis: *Salus desideratur*. *Petrus est cognitus*: *Petrus legit*, non tam iis verbis, quàm his respondent. *Desiderium salutis existit*: *Cognitio Petri existit*: *actus legendi Petri existit*. Idemque est de aliis huiusmodi. Quo posito, impossibile est, vt totum hoc integrum complexum *Petrus est possibilis* iudicetur, & sciatur à Deo, si sola possibilitas Petri realiter ab ipso Petro distincta

ſtincta intrinſece eſt vera ; in tali enim caſu iudicium Dei in tale complexum tendens aliud ab hoc eſſe non poteſt : *Poſſibilitas Petri à me indiſtincta exiſtit.* Per hoc autem ſolùm iudicatur, & ſcitur exiſtere entitatem Dei, nullatenus iudicata, ſed ſummum apprehenſa ſimpliciter entitate Petri, vt ex ſuperius dictis ſatis eſt notum. Quemadmodum per hoc Dei iudicium : *Deſiderium de exiſtentia ſalutis nunquam futuræ exiſtit,* nullo modo iudicatur ſalutem exiſtere ; ſed ſolùm exiſtere deſiderium eius, vt patet.

18 Adde, nos, dum iudicamus dicta complexa, non ſolùm iudicium ferre de veritate intrinſeca formæ attribuendo illam ſubiecto, vt quid illi re vera adiunctum, ſed inſuper de ea veritate ſubiecti intrinſeca, quæ connotatur per formam, vt enim *ſuprà diſp. 2. q. 4. conſect. 5.* latè explicuimus. Qui affirmat expreſſe actum ſignificatum per verbum, implicite per idem iudicium affirmat ita ſe habere intrinſece ſubiectum actus: ſicut per actum cõnotatur. Sic in exẽplis propoſitis, cùm iudicamus *Petrus legit,* expreſſe affirmamus actum legendi prout exiſtentẽ, implicitè autẽ Petrũ exiſtere: quia actus legendi prout exiſtẽs neceſſario cõnotat, ſeu reſpicit Petrum prout exiſtentem ; & cùm iudicamus *ſalutem deſiderari*, ſi deſiderium ponatur intrinſece reſpiciens talem ſalutem præ cæteris rebus ab ea diſtinctis, neceſſario connotabit eſſe eam talis naturæ à cæteris rebus diſtinctæ ; quocirca affirmantes expreſſe deſiderium, implicite quoque affirmabimus, ſalutem deſideratam talis eſſe naturæ ex ſuo conceptu obiectiuo, ſeu exiſtat, ſeu non exiſtat. Igitur in huiuſmodi caſibus nihil mirum, ſi complexa huiuſmodi integre iudicari, & ſciri à nobis dicantur quandoquidem omnes eius partes iudicamus, & ſcimus ; ſi verò detur complexum, cuius ſubiectum nullam penitus veritatem intrinſecam vllo modo iudicabilem habeat, nullaque ſubinde veritas intrinſeca eius connotetur per formam, vt eſt ſecundum Aduerſarios hoc *Petrus eſt poſſibilis* ; ne nos quidem dicemur tale complexum integrum, ſed alteram tantum partem eius iudicare, & ſcire, quantumuis videamur per noſtrum iudicium tribuere formam ſubiecto: quia in tali caſu non plus adſtruet ſiue ponet in rebus hoc iudicium *Petrus eſt poſſibilis,* quàm hoc, *Poſſibilitas Petri cum Deo identificata exiſtit.* Ex quibus apparet per propoſitas ſolutiones neutiquam argumentorum noſtrorum vim eneruari. Mihi autem alia ſolutio non occurrit, per quam vel quoad ſpeciem ea poſſit infringi. Pergo igitur :

19 Et ex principio indicato nuper probo quartò propoſitionem, ſententiamque oppoſitam impugno. Deus eſt intrinſece iuxta Aduerſarios poſſibilitas Petri, & non eſt poſſibilitas chymeræ. Sed hoc conſtare non poteſt, niſi Petrus ſuoptè conceptu obiectiuo independenter ab exiſtentia diſtinctus re vera ſit à chymera : quia ſi eſſet vt ſic idem cum chymera, nequiret non eſſe poſſibilitas chymeræ id ipſum, quod intrinſece eſt poſſibilitas Petri, vt patet. Igitur Petrus pure poſſibilis antecedenter ad denominationem poſſibilis ei prouenientem extrinſece ab entitate Dei, veritatem aliquam obiectiuam ſibi intrinſecam habet ; nimirum, eſſe eum ſuaptè natura verè diſtinctum à chymera ; imò hoc ipſum eſt eſſe eum poſſibilem intrinſece ante omnem poſſibilitatẽ ſibi extrinſecam, & identificatam cum Deo. Male ergo aduerſarij dicunt ; omnes huiuſmodi veritates cum Deo eſſe identificatas. Reſpondebunt iuxta principia ſua ; hoc ipſum quod eſt Petrum diſtinctum eſſe à chymera extrinſece tantùm eſſe verum ab entitate Dei, ſicut & alia huiuſmodi vera abſolutè non exiſtentia. Reſponſio tamen hæc non ſatisfacit. Sumo enim omnes veritates, nulla dempta, prouenientes Petro, & non chymeræ extrinſece ab entitate Dei ; & argumentum factum inſtauro. Vel Petrus ante omnes haſce veritates extrinſecas ſibi, & vt præciſus ab illis, eſt diſtinctus verè à chymera ; vel non eſt diſtinctus, vel neque eſt diſtinctus, neque eſt non diſtinctus? ſi primum : iam habebit aliquam veritatem intrinſecam ſibi, & abſolutè non exiſtentem. Si ſecundum : eaſdem, quas Petrus, veritates extrinſecas ſortietur chymera. Si tertium, cum eodem modo chymera debeat ad Petrum comparari, non erit vtique cur potius Petrus quàm chymera tales veritates ſortiatur. Vtrumque igitur, vel neutrum illas ſortietur : quæ omnia contra Aduerſarios ſunt. Et ſane non videtur intelligibile, quod ab eadem Dei entitate denominetur Petrus poſſibilis, & chymera impoſſibilis, & tamen conceptus Petri intrinſece non ſit verè diſtinctus, diuerſuſque à conceptu chymeræ.

Et confirmari poteſt amplius, ac declari hoc pa- 20
cto. Aut Petrus intrinſece, & identice eſt verè capax dictarum denominationum ipſi intrinſece prouenientium à Deo, aut eſt intrinſecè incapax, aut intrinſece neque eſt capax, neque incapax. Similiter chymera aut eſt intrinſecè incapax earumdem denominationum, aut intrinſecè capax, aut neque capax, neque incapax. Si dicatur primum ; tam chymera, quàm Petrus habebunt quamdam veritatem non exiſtentem abſolutè, & intrinſecam ſibi, quod deſtruit ſententiam Aduerſariorum : ſi dicatur ſecundum. Petrus ſubibit de facto extrinſecas denominationes, quarum eſt incapax, eaſdemque non poterit ſubire chymera, quarum eſt capax. Quæ eſt contradictio in terminis. Si dicatur tertium: conceptus Petri, & conceptus chymeræ eodem omnino modo comparabuntur vt ſubiectum ad tales denominationes, ſiquidem vterque nec capax nec incapax eſt earum : igitur, vel vterque ſortietur illas ; ſicque chymera perinde ac Petrus euadet poſſibilis, verus homo, verum animal, &c. Vel neuterque ; ſicque Petrus perinde ac chymera nec erit poſſibilis, nec homo, nec animal, nec quidpiam aliud verum. Quod vtrumque eſt abſurdum.

Idem argumentum poteſt vrgeri paulò aliter, 21
comparando Petrum pure poſſibilem ad alium terminum etiam purè poſſibilem, e. g. ad Angelum. Vel enim Angelus, & Petrus ante omnem veritatem extrinſecè ſibi prouenientem ab entitate Dei, intrinſecè ſunt inter ſe diſſimiles ; vel intrinſecè ſunt ſimiles ; vel intrinſecè nec ſunt diſſimiles, nec ſimiles. Si primum : habebunt contra aduerſam ſententiam veritatem intrinſecam ſibi, diſtinctamque ab entitate Dei. Si ſecundum præterquam quod habebunt itidem veritatem oppoſitam ſibi etiam intrinſecam, nequibunt extrinſecè à Deo denominari verè diſſimiles, atque adeò nec verus Angelus ; nec verus homo, (quorum conceptus veri nequeunt non eſſe verè diſſimiles :) quia ſubiecta aliàs in ſe ſimilia per vnicam, & eamdem numero formam, eamque ſimpliciſſimam ſibi adiunctam, qualis eſt entitas diuina, nullo modo poſſunt euadere diſſimilia, vt eſt notiſſimum ; ſiquidem talis forma ſibi ipſi diſſimilis eſſe non poteſt, necundeque ſubinde eiuſmodi diſſimilitudo ſubiectorum aliàs non diſſimilium poteſt enaſci. Si denique dicatur tertium : idem omnino ſequitur, quia ſubiecta etiam in ſe non diſſimilia

milia nullatenus per eamdem prædictam formam possunt dissimilia reddi, vt rursus est notum. Concluditur ergo, Petrum purè possibilem, & Angelum purè possibilem per se, & ab intrinseco habere veras essentias verè inter se dissimiles: primus scilicet veram essentiam hominis, secūdus veram essentiam Angeli, nec eas vllatenus ab extrinseco habere posse per denominationem extrinsecam desumptam ab entitate Dei.

22 Id, quod aliter clariùs adhuc sic confirmari potest. Quoties duo complexa inadæquatè tantum distincta sunt, neutiquam possunt euadere dissimilia, aut inæqualia ab ea parte, quæ in vtroque est eadem; vt est notissimum; siquidem idem sibi ipsi, nec dissimile esse potest, nec inæquale, vt constat: igitur si talia complexa absolutè sunt dissimilia ab aliis partibus ratione quarum distinguuntur, & quæ inter se distinctæ sunt, totam suam dissimilitudinem, atque inæqualitatem habeant necesse est. Est clarum. Pergo; sed hæc duo obiecta: *Petrus est homo. Angelus est spiritus*, absolutè sunt dissimilia, & inæqualia in perfectione, vt omnes fatentur, & iuxta Aduersarios complexa quædam sunt inadæquatè tantùm distincta; primum ex entitate Dei, & Petro; secundum ex entitate Dei, & Angelo: ergo ea non ab entitate Dei, quæ in vtroque est eadem, sed ab essentiis obiectiuis Petri, & Angeli euadunt dissimilia, & inæqualia. Hoc autem ipsum est, tales essentias intrinsece & non ab entitate Dei sibi extrinseca esse inter se dissimiles, & inæquales. Quod erat probandum. Quo eodem pacto venit probandum, essentiam Petri purè possibiles, & essentiam chymeræ intrinsece esse inter se dissimiles, intrinsecèque subinde, & de suo habere id, in quo potissime dissimilantur; nimirum primam esse possibilem, secundam impossibilem. Pariterque de cæteris huiusmodi est censendum.

23 Quintò potest propositio probari sic. Petrus purè possibilis prout in statu quiditatiuo est verè distinctus à Deo, & vere dissimilis Deo: sed nequit per entitatem diuinam, tanquam per formam extrinsecam talis esse: ergo per se ipsum intrinsece talis est. Cætera patent. Probatur minor. Impossibile est, vt aliquid per formam sibi superadditam distinguatur ab alio, eidemque dissimile euadat, nisi talis forma ab hoc alio distincta, eidemque dissimilis sit, quia vt fert vulgatum axioma Philosophorum: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Non enim est intelligibile, quòd subiectum reddatur verè distinctum ab alio extremo, eique vere dissimile per formam sibi superadditam, quale ante talem formam non erat; & quod forma ipsa à tali extremo non sit distincta, nec ei dissimilis, vt patet. Sed entitas diuina, neque est distincta à Deo, neque ei dissimilis, vt constat. Igitur per entitatem diuinam, tanquam per extrinsecam formam non potest Petrus purè possibilis euadere vere distinctus à Deo, & vere dissimilis illi. Relinquitur ergo, vt per se ipsum intrinsece talis sit. Quæ possunt responderi ad hoc argumentum, si quæ sunt, facillime quisque reuincet ex dictis circa præcedentia, atque etiam sequentia.

24 Sextò arguitur. Multa potest Deus producere, quæ non producit. Ergo, quæ Deus potest producere, & non producit, multa sunt. Antecedens est certissimum, & consequentia videtur euidens. Distinguunt tamen nihilominus consequens Recentiores. Multa sunt actualiter, negant; possibiliter concedunt. Bene. Ego dumtaxat volo pure possibilia ita esse re vera multa mutuò inter se distincta in suo possibilitatis statu, vt Deus independenter ab eorum actuali existentia vere iudicet ea esse multa, & inter se distincta, quod negari non potest. Tum sic argumentum formo simile præcedenti. Repugnat, vt verè euadant multa per formam sibi superadditam, quæ ante talem formam talia non sunt, si forma ipsa non est multiplex, sed prorsus vna, & simplex: quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Igitur ab entitate diuina vnica penitus, & simplici non possunt purè possibilia tanquam à forma extrinseca vere euadere multa: aliàs citra talem formam non talia. Relinquitur ergo, vt per se ipsa, & ab intrinseco talia sint. Quod destruit Aduersariorum sententiam. Recognosce doctrinam traditam circa argumentum quartum.

Septimò. Veritates omniū propositionum de ma- 25
teria necessaria non sunt mutuo inter se connexæ. Quis enim hactenus putauit fore hanc propositionem falsam. *Michaël est Angelus*, casu, quod illa falsa esset: *formica est viuens?* Aut quis vnquam censui, si formica esset impossibilis, Angelum quoque fore impossibilem? Sed essent mutuo inter se connexæ, si omnium earum verificatiuum esset entitas Dei, prout aduersarij docent; quin imò vnicas, & indiuisibilis esset earum omnium veritas obiectiua, nempe ipsa entitas Dei, vt aduersarij confitentur, tametsi addant subiecta denominata vera esse plura. Quod etiam à mente omnium alienum haud dubie fuit hactenus. Ergo. Quomodo autem hinc sequatur vnicum etiam à tali veritate esse obiectiue verum; atque adeò Deum præter absolute existentia nihil aliud verum cognoscere, *in superioribus* ostendimus. Adde, ex eo quod veritas obiectiua omnium rerum, atque adeo omnium essentiarum sit vna, & eadem, nimirum entitas diuina, vt Aduersarij docent, aliud immane absurdum sequi euidenter; nempe obiecta omniam humanarum scientiarum, quæ de rebus, de rerumque essentiis, & passionibus agunt prout in statu quiditatiuo, & cum præcisione ab existentia absoluta, quales pleræque sunt, confundi penitus nullamque subinde esse obiectum verum, ex quo non sequatur quodlibet, aliud, & consequenter nullā esse essentiam, quæ non habeat proprietates omnium aliarum. Circulus videlicet habebit proprietates quadrati, & quadratum proprietates circuli; & triangulus proprietates quadrati, & circuli, & vicissim. Necnon homo habebit proprietates Angeli, Leonis, lapidis, &c. & è conuerso, pariterque in cæteris omnibus. Nullaque subinde erit cuiuspiam essentiæ proprietas; sed omnes omnium erunt passiones communes. Quod, quàm sit absurdum, imò ridiculum, palam est.

Octauò propositionem probo contra Aduersa- 26
rios: sequitur enim ex eorum sententia, essentias omnium rerum absolute non existentium realiter, & formaliter esse identificatas cum Deo, quod est absurdum. Dico *realiter & formaliter*, quia in phrasi plurium Theologorum, eminenter; & virtualiter dicitur Deus identificari cum essentiis rerum ab ipso causabilium, quatenus virtualiter, & eminenter in sua omnipotentia, cum qua idem est, continet illas. Quod tamen verè aliud non est, quam esse Deum identificatum cum sua essentia potente tales res causare. Ego autem modo contendo, sequi ex Aduersariorum sententia, Deum verè, & formaliter esse idem cum essentia Angeli, hominis, Leonis, &c. tum cum essentia chymeræ, imò & cum essentia peccati, & malitia eius, vt paulò post inferam. Quæ omnia ingentia absurda sunt. Id autem sequi sic probo. Obiectum huius

propositi

propositionis : *Petrus est homo* (loquimur semper de Petro absolutè non existente) veram essentiam Petri continet secundum Aduersarios , & omnes, sed totam omnino veram essentiam , quam Petrus in tali obiecto contentam habet , formaliter habet participatam à consortio entitatis Dei : quia Petrus de suo,& præscindendo à tali consortio nullum omnino *esse*, atque adeo nullam omnino essentiam habet,vt Aduersarij expresse docent. Igitur vera essentia Petri in prædicto obiecto contenta realiter est indistincta ab entitate Dei.

27 Confirmatur primò. Nihil omnino includitur in obiecto prædicto, quod possit esse formaliter essentia Petri præter entitatem diuinam : quia entitas Petri , quæ sola cum entitate diuina includi concipitur per se , & de suo nulla est essentia , sed penitus nihil : ergo sola entitas diuina esse potest essentia Petri in prædicto obiecto contenta. Quod ipsum est essentiam Petri in prædicto obiecto contentam cum entitate diuina identificari.

28 Confirmatur secundò. Quoties alicui vero enti concipitur adiici alter conceptus , qui re vera non est ens ; sed penitus nihil , non plus resultat veræ entitatis post adiectionem , quàm erat antea , quia quod est in se nihil per sui adiectionem, formaliter nequit addere aliquid , quia solùm potest addere nihil , cùm solùm possit addere , quod ipsum est, ipsum autem est nihil. Est clarum. Sed conceptus Petri adiectus Deo enti vero in se , & de suo re vera prorsus est nihil , iuxta Aduersarios. Igitur complexum , quod ex Deo , & tali conceptu resultare intelligitur , nihil amplius veræ entitatis , atque adeo nec veræ essentiæ continet in se, quam Deus solus. Igitur in tali complexo sola est omnino vera entitas , seu vera essentia Dei. Hæ consequentiæ etiam sunt claræ. Pergo. Sed obiectum supradictæ propositionis *Petrus est homo* ipsissimum iuxta Aduersarios complexum est, quod ex entitate vera Dei , & ex conceptu intrinseco Petri resultare concipitur , aliundeque iuxta ipsos Aduersarios , & iuxta omnes in tali obiecto continetur ; includiturve vera essentia Petri ; Igitur vera essentia Petri in tali obiecto , seu complexo contenta ipsissima est essentia , siue entitas Dei ; atque adeo idem cum illa ; quod erat probandum.

29 Confirmatur tertiò ad hominem contra Aduersarios. Ipsi enim sæpe expresse pronunciant , possibilitatem rerum non existentium realiter esse idem cum Deo ; sed possibilitas rerum non existentium prædicatum earum est essentiale , sicut & reliqua , quæ habent. Igitur iam ex ipso ore Aduersariorum habemus , aliquod prædicatum essentiale eiusmodi rerum, præter obiectiuam veritatem earum esse idem cum Deo. Tantumdem ergo erit de reliquis , quia omnium eadem ratio est, & consequenter de tota essentia. Itaque possibilitas Petri , quæ est potentia ad existendum , non minus intrat essentiam Petri , quam animalitas , quæ est potentia ad sentiendum , & rationalitas , quæ est potentia ad ratiocinandum. Si igitur iam non sola veritas,à qua tres istæ potentiæ veræ obiectiuè euadunt ; sed etiam earum prima est idem cum Deo, vt Aduersarij confitentur ; & reliquæ duæ erunt idem ob eamdem rationem;subindeque tota essentia Petri,vt præsens argumentum prætendit.Ex quo obiter deprehendes,quam certum sit assumptum argumenti à nobis primo loco factum:nullam scilicet rem posse esse obiectiuè veram per veritatem identificatam cum alio quopiam distincto à se ; si enim veritas obiectiua rei cum alio quopiam realiter à re ipsa distincto esset idem tota essentia , & quiditas rei cum eodem pariter esset idem ; atque adeo distincta realiter à re , cuius essentia est , vt patet ex hoc argumento. Quod tamen euidentiùs repugnat.

Quot verò absurda præter *superius* illata ex con- 30
clusione huius argumenti sequantur, nemo non videt: Sequitur enim Deum re vera,& formaliter esse hominem, esse brutum, esse lapidem,& cætera huiusmodi cuncta. Tum esse chymeram impossibilem, esse peccatum,& omnia mala. Denique esse quidquid ante existentiam absolutam aliquam veram essentiam habere concipitur. Quod totum plus profecto quam chymericum est.

Nonò hac ratione probari potest propositio, 31
sententiáque aduersa impugnari. Vt Deus est necessitas , & veritas , à qua Petrus ante absolutam sui existentiam habet verè , & necessariò esse hominem ; ita non potest non esse itidem veritas , & necessitas , à qua peccatum ante absolutam sui existentiam habeat verè, & necessario esse malum;sed hoc secundum repugnat Deo. Ergo. Maior est ipsa aduersariorum sententia. Probo minorem. Deo repugnat, vtpote ipsi fœdum,& indecorum per se,& positiue facere , quod peccatum contingenter sit malum, faciendo per se, & positiuè , quod contingenter existat peccatum , quatenus malum est , vt tota bona Theologia docet : sed peius est quidpiam necessario esse malum , quam esse contingenter malum. Igitur magis repugnat Deo , vtpotè ipsi magis fœdum , & indecorum per se,& positiue facere,quòd peccatum necessario sit malum, essendo necessitas ipsa , & veritas , à qua habet peccatum verè, & necessario malum esse. Confirmatur,& declaratur primò. Indignum, & Deo in genere causæ efficientis esse causam per se , vt habeat esse , & veritatem contingentem malitia peccati. Ergo indignius est Deo in genere causæ formalis (quod est intimior modus causandi) esse causam per se, vt habeat esse , & veritatem necessariam malitia peccati. Confirmatur secundò. Peccatum purè possibile in aduersariorum sententia non potest non quoad totam suam essentiam , atque adeo , & quoad malitiam suam formalem esse identificatum cum Deo , iuxta argumentum vniuersale octauo loco nuper factum. Hoc autem quid fœdius dici possit ?

Decimò arguitur. Status quiditatiuus rei impos- 32
sibilis habentis in se quidditatem , iuxta dicenda *disputat.* 11. omnesque subinde veritates obiectiuæ ad talem statum pertinentes , eodem pacto , ac modò se habent , persisterent etiam si per impossibile deficeret Deus : quia etiam in eo casu per locum , vt aiunt , intrinsecum maneret verum, rem , quæ modo est impossibilis , esse impossibilem , talemque intrinsecè , & de suo esse , qualis modo dicitur esse ex conceptu suo. Igitur status quiditatiuus huiusmodi rerum impossibilium non est re ipsa idem cum Deo , proindeque nec veritates obiectiuæ , & necessariæ earum. Tantumdem ergo dicendum erit de statu quiditatiuo , & veritatibus necessariis omnium aliarum rerum realiter distinctarum à Deo. Quomodo autem hoc , & similia argumenta sumpta ab hypothesi impossibili bene , & efficaciter probent , in eadem *disputatione* 11. explicabimus, vbi Recentiorum solutiones , instantiasque infringemus.

Vndecimò. Bonitas transcendentalis rerum 33
distincta

distinctarum à Deo,non est idem cum ipso Deo,vt est certum:ergo nec veritas transcendentalis earumdem. Consequentia ab omnibus,præterquam à Recentioribus, contra quos agimus videbitur optima: siquidem ex omnium communi persuasione, non minùs est intrinseca rebus veritas transcendentalis,de quâ hic est sermo,quàm bonitas. Semel autem posito, quòd veritas sit idem cum Deo, & bonitas;& tota essentia rerum erit idem cum ipso;vt argumento octauo probauimus. Indéque fiet præter cætera absurdà, vt Deus nihil bonitatis cernat in rebus ante earum existentiam, quo ad illas præ aliis producendas permoueatur.

34 Ex quo duodecimo sic potest argui.Deus mouetur ad producendas has creaturas præ aliis, quia antequàm decernat eas producere,videt in his bonitatem veram, quam non videt in illis,seu absolutam, seu respectiuam, eámque aut conuenientiæ ad subiectum,aut vtilitatis ad finem; sed hanc veram differentiam,inæqualitatémque bonitatis,quam independenter ab existentiâ absolutâ creaturæ habent, non habent tanquam a formâ extrinsecâ ab entitate Dei;(quippe,quæ cùm si vna,& eadem, non potest reddere formaliter has creaturas præ illis bonas,aut magis,aut minus bonas,vt est notissimum:) ergo habent intrinsecè,& de suo.Et quidem veram perfectionem, quam Deus vidit in humanitate Christi,antequam eam decerneret,& quâ visâ, ad eam præ aliis decernendam permotus est, non prouenire illi extrinsecè, ab entitate Dei,constat primò: quia & cæteræ omnes humanitates possibiles eamdem perfectionem,quam Christi humanitas ab eadem Dei entitate extrinsecè haberet, cùm omnium eadem ratio sit,vt constat;nihilque veræ perfectionis vidisset Deus in humanitate Christi præ aliis, quo ad eam præ illis eligendam permoueretur,vt supponitur. Secundò,quia eadem est perfectio, quam Christi humanitas habet existens, & quam Deus ante existentiam præuidit,præuisamque decreuit, vt constat, sed illa adæquatè est distincta à Deo vt etiam constat:ergo & hæc. Vnde præterea colligitur contra Aduersarios,possibilitatem rerum ad earum bonitatem pertinentem intrinsecè; (non enim essent verè bonæ, nisi essent possibiles) adæquatè quoque distinctam esse ab entitate Dei, cum ipsisque rebus adæquatè identificatam,sicut & ipsa bonitas.

35 Decimo tertio. Hæc veritas: *Deus existit*. longè magis necessaria est,quàm hæc. *Petrus est homo*, vt *infra disp.* 11. ostendemus:Igitur non sunt eadem obiectiua veritas,prout Aduersarij censent.

36 Decimo quarto status quiditatiuus Dei diuersus est ab existentiali, ad eumque prævius saltem comparatione nostri intellectus, multasque diuinas veritates ad illū spectātes verissimè nos iudicamus cū præcisione ab absolutâ Dei existētiaOb id enim hęc veritas,quæ de illarum numero est: *Deus est Deus*, longè euidentior est nobis,quàm hæc: *Deus existit*; Et tamē vt verè huiusmodi veritates sint iudicabiles antecedenter ad existentiam absolutam Dei, non requiritur alterius Dei existentia, à quâ illæ tanquam à formâ verè reddantur: igitur nec veritates quiditatiuæ rerum distinctarum à Deo titulo antecedentiæ, & independentiæ, quam habent ab existentiâ absolutâ earum, nequirent existentiam Dei absolutam, vt per illam tanquam per formam extrinsecè veræ reddantur,vt putant Aduersarij.

37 Decimò quintò. Nulla propositio cernitur, imò improportio potiùs apparet inter necessitatem, & veritatem intrinsecam, quam habet entitas Dei prout existens,& cæteras res à Deo distinctas, vt hæ ab illâ tanquam à formâ extrinsecâ suas veritates quiditatiuas,& necessarias formaliter sortiantur. Siquidem entitas diuina tum vera, tum necessaria est in existendo:aliæ autem res per veritates, quas habent quiditatiuas, & necessarias nec veræ sunt, nec necessariæ in existendo; sed præcisè in essendo id, quod de suo sunt independenter ab existentiâ. Igitur absque fundamento, imò contra rationem asseritur ab Aduersariis, Deum ipsissimam necessitatem,& veritatem esse,à quâ cætera cuncta necessariò vera euadunt quiditatiuis veritatibus.

Postremò, ne prolixus videar, inde propositio- 38
nem probo:quia status rerum,de quibus impræsentiarum agimus aliud non sunt à modis essendi earum, ratione quorum variæ illis competunt veritates ab intellectu iudicabiles,vt in principio dicebamus: sed nullum modum essendi propriè,& strictè loquendo,res possunt habere per aliud realiter à se distinctum,quia nulla res est id,quod est per aliud à se:Ergo nullus status rerum distinctarum à Deo est cum Deo identificatus.Hæc satis;nam ex iis,quæ in hâc quæstione dicenda supersunt, ampliùs, & ampliùs propositio data firmabitur.

Propositio 2.

Status conditionatus contingens rerum contin- 39
genter futurarum sub conditione realiter distinctus est à scientiâ Dei, quâ vt sic cognoscuntur, vtpotè identificatus realiter cum rebus ipsis.

Hæc propositio etiam est contra Recentiores *n.* 7. citatos,quatenus sine duce, minúsque caute fortassè quàm oporteret affirmant,futuritionem conditionatam contingentium, atque adeò veritatem obiectiuam eorum cum scientiâ pariter contingente, & apud nos media, quâ Deus illa cognoscit, identificari realiter. Probanda autem ea venit imprimis argumento speciali,quod pro præcedētè locum non habuit; vtpote subnixum contingentiæ status, & veritatum conditionalium, de quibus modò sermo est. Formo autem illud hoc pacto.

Deus cognoscit hoc obiectum, quod ponimus 40
esse verum. *Si Iudas haberet auxilium A,conuerteretur*,per scientiam,quâ potuit carere, & habere oppositam:quia obiectum hoc potuit esse falsum, & verum eius contradictorium. Ergo per aliquid debuit determinari intellectus diuinus ad cōcipiendum hunc actum scientiæ, potiùs quàm oppositum. Est certum. At tale determinatiuum neque extra Deum, neque intra Deum est assignabile, iuxta aduersam sententiam:igitur ea nequit non esse falsa.Non extra Deum, vt confitentur Aduersarij: quia prædictum obiectum, quod solùm poset assignari, apud eos nullam veritatem obiectiuam, nullumque esse obiectiuum habet,sed prorsus est nihil antecedenter ad scientiam sui,ad eámque subinde nullatenus determinare valet. Non intra Deum: quia cuncta necessaria Dei indifferentia sunt ad actum scientiæ,de quo agimus,& ad oppositum. Decretum autem liberum nullum est, quod possit ad talem actum determinare, vt Aduersarij ipsi contra Thomistas cum omnibus nostratibus statuunt.Ipse autem actus scientiæ ad se ipsum determinare nequit. Ergo.Dicunt, determinare ad actum scientiæ formalitatem cuiusdam habitudinis ad obiectum ab ipso actu omninò indistinctam realiter, distinctam tamen per nostram rationem. Verum, cùm sermo sit de determinatione reali independente omnino à nostro modo concipiendi,hoc ipsum est,actum scientiæ ad se

ipsum

ipsum determinare, vt patet. Præterquam quod cùm illa formalitas habitudinis sit etiam Deo contingens, ab omnique decreto independens circa eius determinatiuum reuertitur eadem quæstio. Quare in hoc minime hærendum est.

41 Esse autem impossibile, quod actus scientiæ, aut quidpiam cum illo omnino identificatum realiter ad actum ipsum, siue ad eius existentiam per se ipsum determinet; inde profecto constat: quia determinare existentiam rei contingentem influxum aliquod præ se fert in talem existentiam, nihil autem per se ipsum in sui existentiam potest influere, aliàs se ipsum posset causare, quoad primum sui esse, quod est absurdum, contra *propos. 22.* statutam *disput. 9. quæst. 5.* Dico *per se ipsum*: quia media cognitione sui, aut amore, nihil vetat concurrere quidpiam ad suam primam existentiam. Dices, actus liberos voluntatis per se ipsos ad se ipsos determinare. Siquidem, cùm quæritur, cur voluntas elicit volitionem, respondetur: *quia vult*. Cæterùm per τὸ, *quia vult*, non redditur pro causa determinante volitionem ipsa volitio; sed vis electiua, siue dominium, quod voluntas habet in actu primo, titulo potentiæ liberæ ad eligendam volitionem præ oppositio, atque adeo ad determinandam eius existentiam præ oppositio. Quidquid autem sit de modo loquendi, id apud omnes certum est, intellectum diuinum non esse potentiam liberam respectu suorum actuum: igitur certum quoque esse debet, intellectum diuinum non ita posse determinari ad actum scientiæ, de quo agimus, vt determinatur voluntas ad suos actus liberos; siue ea dicatur, vt à quibusdam solet, per actus ipsos determinari; siue potiùs, vt ab omnibus debet, à se ipsa determinari ad habendos actus, eorumdemque subinde actuum existentiam determinare. Potentia enim libera eo ipso, quod proprio nutu, spontéque sua se potest flectere in vtramuis partem contradictionis, dum hanc præ oppositia de facto eligit, ad hanc se ipsam determinare dicitur propriè, quod ipsum est huius, præ alterius, existentiam determinare.

42 Imò hinc contra Aduersarios arguitur ab absurdo. Apud eos enim intellectus diuinus à nullo alio determinatus præterquam à se ipso, concipit hanc scientiam præ oppositia. Ergo respectu talis scientiæ potentia est libera; aliundeque est certum apud omnes, respectu nullius scientiæ esse potentiam liberam. Quod est contradictio. Dicunt non esse potentiam liberam, etsi sit indifferens ad vtrumuis ex extremis oppositis. Primò: quia etiam habitus charitas est indifferens ad vtrumuis, & tamen non est potentia libera. Secundò: quia de ratione potentiæ liberæ est, quòd præcognoscat extrema ad quæ est indifferens, ducaturque ad eligendum vnum præ alio propter conuenientiam cognitam in eo præ alio, quod in intellectu diuino non reperitur. Sed malè. Primò: quia habitus charitatis non est à se ipso determinabilis, ad alterutrum ex extremis oppositis, sicuti ponitur esse intellectus diuinus, sed à nutu voluntatis liberæ, cui subditus est; vnde exemplum non est ad rem. Secundò: quia certum, ni fallor, est apud omnes, potentiam ita indifferentem ad vtrumuis, vt possit se ipsam ad alterutrum determinare, quin ab alio quopiam determinetur, non posse non liberam esse. An verò ad huiusmodi spontaneam determinationem, in qua communi persuasione consistit libertas, sit requisitum, quòd talis potentia ducatur præ cognitione conuenientiæ, ac disconuenientiæ extremorum, sublite est. Sunt enim, qui id negant, vt videre est in Arriag. *disp. 8. de anim. sect. 1. & 2.* Quare dicendum haud dubiè est, sequi ex Aduersoriorum sententia, aut intellectum diuinum simpliciter esse potentiam liberam, aut esse potentiam chymericam, vtpotè habentem id, in quo consistit libertas, sine requisito ad libertatem.

Ampliùs. Ægrè, imò ne ægre quidem intelligibile videtur, quòd aliquid contingenter existat in rerum natura, & tamen à nulla libertate aut diuina, aut creata ducat originem. Sed scientia Dei, de qua tractamus, ita existit contingenter in rerum natura, vt potuerit non existere; & tamen iuxta Aduersarios neque à libertate creata venit oriunda: quia putant libertatem creatam ante absolutam sui existentiam, penitus esse nihil neque à libertate diuina: quia supponunt cum nostra schola contra Thomistas, talem scientiam nullatenus esse liberam Deo, vt potè nullum decretum Dei liberum supponentem. Igitur Aduersariorum sententia aut ægrè, aut ne ægrè quidem intelligibilis est. Dicunt. Contingens nullo modo trahens originem à libertate creata, qualem supponunt dictam scientiam, tunc solùm exigere nasci à libertate diuina, quando addit perfectionem aliquam cumulo rerum, qualem non addunt actus interni Dei contingentes, vtpote, qui non alia perfectione quam necessaria Dei cum ipso Deo identificata potiuntur; in quo à creaturis contingentibus discriminantur, quæ propriam, contingentemque perfectionem habent: ob idque minime existere possunt independenter à dominio voluntatis diuinæ. Egregium effugium ex occasione dumtaxat, vt videtur, quæsitum? Quid interest addere, vel non addere perfectionem cumulo rerum id, quod verissime est aliquid existens contingenter à parte rei, vt necessario subdi debeat, vel secus dominio libertatis diuinæ? Numquid Deus minus est Dominus verorum, quàm bonorum, vt queat impunè verum contingens eius dominium subterfugere, contingens autem bonum non item? Aut cur, cum æque exposcat vtrumque non existere à se (siquidem nihil contingens potest existere à se ipso) alterum à dominio alieno, seu diuino, seu creato existere exposcat, alterum autem minime? Certè quæcumque principio distincto egent, à quo habeant contingenter existere, dominio quoque distincto æquè egere dicenda sunt, à quo eorum existentia præ oppositia determinetur. Quare, si scientia, de qua agimus, esto non addat perfectionem cumulo rerum, citra omne dominium libertatis diuinæ, & creatæ ab intellectu Dei re verâ potest contingenter existere; non video, cur plures creaturæ, quantumuis perfectionem addant cumulo rerum, pariter ab omnipotentia contingenter possint existere, citra omne dominium libertatis diuinæ, & creatæ. 43

Dicent fortasse, ea solùm contingentia subdi dominio libero Dei, quæ vt talia, à voluntate diuina, in qua tale dominium stat, sunt efficaciter amabilia; talia autem ea dumtaxat esse, quæ perfectionem contingentem addunt cumulo rerum. Cæterùm, etsi assumptum sit verum, adhuc scientia contingens, de qua tractamus, obiectum ideoneum esse posset amoris efficacis Dei: quia licet bonitatem entitatiuam, & absolutam sibi propriam, atque adeo contingentem non habeat, vel habet respectiuam vtilitatis ad varios fines, quæ ad terminandum dictum amorem sufficiens est; vel estò hac itidem careat, adhuc semel bona per solam bonitatem Dei necessariam, obiectum idoneum esse 44

posset

posset talis amoris: quoniam vt complexum aliquo efficaciter sit amabile, sat est, quod illud bonum sit, & sumptum indiuisim contingens; tametsi non omnes eius partes seorsim sumptæ sint contingentes. Nullus igitur apparet titulus, quominus prædicta scientia non efflagitet necessariò nasci à libertate diuina, casu, quòd à libertate creata non possit originem trahere, vt Aduersarij putant.

45 Qui quidem in solutionibus datis difficultati propositæ non quiescentes, eo tandem perducti sunt, vt fateantur, obiectum scientiæ mediæ logicè quidem, non verò aliter determinare intellectum Dei ad talem scientiam concipiendam, ad eamque subinde præcedere prioritate quadam rationis, non verò vlla prioritate reali, quod multis satagunt explicare; sed, quæ ego non video, quomodò cum sententia sua cohæreant. Persistunt namque in asserendo consentienter ad sua principia obiectum scientiæ mediæ nullum *esse*, nullâque; subinde veritatem obiectiuam habere in se antecedenter ad talem scientiam, siue independenter ab illa; sed totam suam veritatem obiectiuã ab ipsa, tanquam à forma extrinseca mutuare. Quo posito, vereor ne eiusmodi determinatio logica dicti obiecti verbalis tantùm sit, captaque ad obtegendam aliquo modo dissonantiam eorum, quæ ex tali assertione, sententiaque inferenda veniunt. Si enim obiectum scientiæ mediæ nullum *esse*, nullamque veritatem obiectiuam habet in se, atque adeo prorsus est in se nihil, independenter à tali scientia, quonam aut logice, aut alter potest ad existentiam eius determinare? Siquidem merum nihil ad nihil vllo modo valet concurrere, seu conducere, vt est notissimum. Dicere namque, vt dicunt ex vi infinita intelligendi, quam habet intellectus diuinus, & ex prædicto obiecto per bonam consequentiam inferri, dari in Deo scientiam eius, & in hoc consistere determinationem logicam, qua obiectum determinat ad scientiam; perinde est, supposita dicta assertione, sententiaque ac dicere, ex sola vi intellectiua intellectus diuini per bonam consequentiam inferri, dari in Deo scientiam talis obiecti; atque adeo solum intellectum diuinum se ipsum ad eius scientiam determinare, (reciditurque in id ipsum, quod tentabatur vitari, vel occultari.) Siquidem, quod intellectus diuinus præstat nihilo comitatus, per se solùm præstat, vt est notissimum: obiectum autem prædictum, iuxta prædictam assertionem, atque sententiam, nihil est prorsus in signo antecedente ad scientiam. Sed his omissis, vrgentes ab aliis lateribus Aduersarios argumentis aliis ostendamus propositionem.

46 Sit igitur ordine secundum. Nulla res potest reddi obiectiuè vera per aliquid à se distinctum realiter, sed per se necessariò est talis, quæcumque obiectiuè vera est, vt efficacitèr, vniuersaliterque probauimus *suprà n.* 12. Ergo neque conuersio Iudæ vt futura sub conditione auxilij A, per aliquid à se distinctum realiter potest reddi obiectiuè vera. Ergo veritas huius obiecti conueniens conuersioni Iudæ: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur*, non potest esse identificata cum scientia Dei de tali obiecto, quæ realiter à conuersione Iudæ distincta est. Vtraque consequentia est euidens: antecedens autem est probatum *loco citato*. Hinc, vt arguebam vniuersalius *n.* 14.

47 Arguo in præsenti tertiò ab absurdo. Nullum conditionatum contingens est obiectiuè verum intrinsecè, vt statuunt aduersarij. Sed iuxta argumentum præcedens nec potest reddi obiectiuè verum extrinsecè per scientiam conditionatam Dei. Ergo simpliciter nullum est obiectiuè verum. Sed solùm obiectiuè vera cognoscibilia à Deo sunt. Ergo stante Aduersariorũ sententia, nullũ conditionatum contingens à Deo cognoscibile est. Quod est absurdum. Hoc argumentum eamdem vim habet contra Thomistas opinantes, huiusmodi contingentia conditionata dumtaxat esse obiectiuè vera à decreto extrinseco Dei.

Quartò, iuxta doctrinam vniuersalem suprà data *n.* 15. *& seqq.* ita arguo. Iudicare Deum, esse hoc obiectum verum: *si Iudas haberet auxilium A conuerteretur*, aliud non est, iuxta Aduersariorum doctrinam, quàm iudicare Deum, existere veritatem obiectiuam conuersionis conditionatæ Iudæ, realiter à sua scientia indistinctam, nullatenus iudicata, sed summum apprehensa simpliciter ipsa conuersione conditionata Iudæ. Igitur Deus rursus nullum contingens conditionatum iudicat; sed tantùm scientiam absolutè existentem, quam de illo ab Aduersariis habere dicitur. imò ne hanc quidem iudicat; siquidem de obiecto non iudicabili à se distincto impertinenter esset in Deo scientia contingens sui ipsius tantùm iudicatiua. Hoc argumentum etiam facit contra Thomistas commemoratos, cuius vim vt percalleas, lege ad rem dicta *loco citato*. 48

Quintò arguitur. Aut Deus iudicat conditionatum contingens, vt condistinctum à sua scientia de illo, aut non, sed scientiam ipsam solam? Si non: sequitur primò, nullum conditionatum contingens à Deo sciri; quod quàm sit absurdum iam diximus. Secundò sequitur, Deum falli: quia iudicat se habere scientiam de obiecto conditionato, atque adeò se iudicare illud cùm verè non iudicet. Si autem Deus præter scientiam iudicat conditionatum contingens, vt condistinctum ab ipsa scientia. Sequitur iterum, Deum falli: quia conditionatum contingens terminans semel sui cognitionem, vt condistinctum à scientia, non potest non esse aliquid obiectiuè in mente illud cognoscentis, vt condistinctum à scientia; (omne enim cognitum aliquod esse obiectiuum habet in mente illud cognoscentis, aut non erit cognitum, vt ponitur) at in se ipso, vt condistinctum à scientia iuxta aduersarios penitus nihil est: igitur aliter se habet in mente cognoscentis, quàm se habet in se. Quod ipsum est cognoscentem falli, quando cognitio iudicatiua est, vt supponimus. 49

Sextò arguitur consentaneè ad doctrinam data *numer.* 19. *& seqq.* Hæc duo obiecta: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur. Si Iudas haberet auxilium A non conuerteretur*; vel sunt contradictoriè opposita independenter à scientia sui, vel non? Si sunt: ergo independenter à scientia sui, atque adeò intrinsecè alterum verum, & alterum falsum est, quo corruit aduersa sententia; siquidem oppositio obiectorum sibi contradicentium in eo stat, quòd alterum verum sit, & alterum falsum. Si non sunt. Ergo inuariatis intrinsecè obiectis sibi contradicentibus, alterutrius sine differentia potuit Deus scientiam concipere; quod est mirabile. Cur igitur affirmatiui potiùs, quàm negatiui scientiam concepit de facto? Quin imò amborum simul potuit concipere scientiam: quod est absurdum: quia obiecta aliàs inter se non opposita simul sciri possunt, nec scientiæ eorum erunt oppositæ, cùm scientiæ solum opponantur penes obiectorum oppositionem. Tum etiam amborum simul potuit scientia carere, quod 50

æquè absurdum est : quia intellectus Dei necunde potest necessitari ad concipiendam scientiam obiecti præterquam à veritate ipsius obiecti, neutrum autem obiectorum sibi contradicentium, iuxta Aduersarios, est verum antecedenter ad scientiam sui, vnde patet ex eorum sententiâ sequi vtrumque, aut simul verum, aut simul non verum posse esse ; Quo quid absurdius? si dicant, intellectum diuinum suapte naturâ necessitatum esse ad cognoscendum alterutrum extremum contradictionis sine altero, sicque suâ cognitione faciendum, vt alterum verum, & alterum non verum sit indispensabiliter: Absque idoneo fundamento loquentur difficultate pressi. Nullum enim adest ad dicendum extra casum controuersiæ præsentis, intellectum diuinum aliunde, quàm à veritate obiectorum, ad quidpiam a se distinctum cognoscendum necessitatum esse; Eius quippe non est facere per se quæ cognoscat; sed cognoscere aliunde facta, vt est notissimum.

51 Septimò arguitur. Sequitur ex sententiâ oppositâ omnia conditionata contingentia, quæ Deus non cognoscit, & potuit cognoscere, proprie ab illo ignorari modò. Quod est absurdum : quia id dicitur propriè ignorari, quod ita non cognoscitur, vt sola eius cognitio desideretur, nihilo penitus ex parte obiecti deficiente, quominùs proximè illud cognosci possit ; sed sola cognitio eorum conditionatorum contingentium, quæ Deus non cognoscit, desideratur, vt ea cognoscat, illaque sola absque omni alio posita, vt proximè potuit poni, cognoscerentur. Ergo.

52 Octauò arguitur. Certum est, multa contingentia conditionata, esse moraliter necessaria, multa verò non item. Sumo ergo vnum moraliter necessarium, sitque *A* ; & arguo sic. Intellectus Dei est necessitatus moraliter ad cognoscendum *A* : quia, quâ necessitate obiectum est verum, eadem tenetur intellectus Dei illud cognoscere, vt constat ; sed non est necessitatus per obiectum, vt præcisum à scientiâ: quia vt sic, iuxta Aduersarios est penitùs nihil ; neque est necessitatus per ipsam scientiam, quia potentia nullomodo necessitari potest ad actum per ipsum actum, vt est notum. Neque est necessitatus per se ipsum quia per se solum est necessitatus ad cognoscenda omnia vera, ex suppositione quòd sint vera, absolutè autem penes necessitatem, quam habent, aut non habent obiecta essendi vera, euadit ille necessitatus, aut non necessitatus ad cognoscendum illa. Igitur intellectus Dei necessitatus est moraliter ad cognoscendum *A*, quin sit per quod necessitetur, quod est contradictio.

53 Nonò arguitur. Ideò contingentia conditionata cognoscuntur à Deo, quia verè sunt futura sub conditione ; non verò è conuerso; ideò sunt verè futura sub conditione, quia cognoscuntur à Deo, vt vniformiter sentiunt, cõstantérque pronunciant Theologi, & Patres. At in sententiâ aduersariorum oppositum euenit. Ergo est falsa. Sensus autem in quem illi prædictam causalem detorquent, à communi omnium consensu prorsùs alienus est.

54 Decimò: per argumentum octauum positum *suprà n.26.* reductum ad præsentem materiam efficaciter probari potest, sequi ex Aduersariorum sententiâ, conuersionem Iudæ e. g. futuram sub conditione auxilij *A*, non solùm quoad veritatem sui obiectiuam, sed quoad totum suum verum esse realiter esse identificatam cum scientiâ diuinâ. Quod patet esse absurdum. Vnde rursus efficitur. Peccatum sub conditione futurum cum totâ suâ malitiâ, realiter esse indistinctum à scientiâ Dei, & consequenter ab ipso Deo. Quod peius est absurdum. Et quidem Recentiores, cum quibus agimus expressè dicunt, & sæpè repetunt, futuritionem conditionatam, aut conuersionis, aut peccati, aut cuiusuis alterius rei sub conditione futuræ cum scientiâ Dei esse identificatam realiter ; addunt tamen non esse idem futuritionem conditionatam rei cum ipsâ re conditionatâ futurâ; sed malè : quia futurio conditionata rei aliud non est conceptione omnium, quàm existentia conditionata rei: Idem namque sonat, fore conuersionem Iudæ, si daretur auxilium *A*, atque extituram, si daretur. Sed existentia conditionata rei non est distincta ab ipsâ re, sicut nec existentia absoluta, vt dicti Recentiores nobiscum contra Thomistas tenent. Igitur nec futuritio conditionata rei distincta est ab ipsâ re. Dum ergo hanc indistinctam ponunt à scientiâ diuinâ, tacito quodam impulsu consequentiæ doctrinæ, tametsi præter intentionem in absurdum modò illatum videntur inducti.

Vndecimò. Ex duobus conditionatis contingentibus contradictoriis, alterum necessariò esset verum, etiam si per impossibile Deus neutrius scientiam haberet: quia defectus scientiæ diuiniæ per locum intrinsecum, iuxta communem Theologorum consensum, veritatem obiectorum non tollit; aliundeque ex extremis contradictoriis non potest non alterutrum verum esse. Igitur veritas alterutrius ex contradictoriis conditionatis contingentibus non est modò idem realiter cum scientiâ, quam Deus habet de illo. 55

Duodecimò. Oppositio contradictoria diuersa est ab oppositione contrariâ, vt cum Arist. docent communiter omnes Philosophi, atque Theologi, quatenus vnum contradictorium formalis exclusio alterius est : vnum verò contrarium non est formalis exclusio alterius ; sed illam infert. Ergo veritas contradictoriorum conditionalium contingentium non constituitur per scientiam Dei, vt aduersarij dicunt. Probo consequentiam: quia sequeretur esse illa contradictoria, vt supponimus, & non esse contradictoria, sed tantùm contraria. Quod est absurdum Essent enim solùm oppositæ eâ oppositione, quam habent actus scientiæ diuinæ, ab ipsorum veritate indistincti, quæ oppositio contraria est. Dicet fortasse aliquis, huiusmodi vera conditionata, vt constituta per actus scientiæ Dei oppositos esse quidem contraria; sed, quæ contradictoria inferunt, vt cætera quæque contraria. Attamen cum sententiâ, quam impugnamus hoc stare non potest: quia si conditionatum de facto verum inferret, vt veritatem à se distinctam contradictorium formale oppositi, vt gratia e.g. infert contradictorium peccati, iam daretur aliqua conditionata veritas, non constituta per scientiam Dei, nempe illud contradictorium formale illatum; quod prorsus respuit dicta sententia. Fateri autem, vt fatebuntur eius Auctores oppositionem contradictoriam, & contrariam diuersas non esse quia opinantur, negationem vniuscuiusque rei, formalemque eius exclusionem aliud non esse à positiuo eius impedimento, præterquam quod est contra Arist. & alios omnes prorsus est falsum, vt *suprà* ostendimus *disp. 9 quæst. 3.* 56

Decimò tertiò. Omne contingens absolutè existens prius naturâ fuit conditionatè existens, siue conditionatè verum, sub conditione principij, à quo habet absolutè existere. Est certum apud omnes: quia si verum est absolutè, *consensus existit ab auxilio A*, non potuit non esse priùs verum conditionatè, *si exitit* 57

exiterit auxilium A, existet consensus: sed de cumulo omnium actuum scientiæ contingentis, quos Deus de facto habet, nullo dempto, verum est absolutè: *existit ab intellectu diuino*: ergo de eodem fuit prius verum conditionatè: *si exiterit intellectus diuinus, existet talis cumulus*: At hoc contingens conditionatum non potest constitui verum per aliquem actum contingentem scientiæ diuinæ, prout existentem absolutè: quia in eo signo, in quo est verum, nullus omnino talis est, cùm sit signum existentiæ conditionatæ omnium, præscindens ab eorumdem omnium existentia absoluta, ad eamque præuius. Ergo per se ipsum, & ab intrinseco est verum. Tantumdem ergo de reliquis omnibus conditionatis contingentibus dicendum erit: quia omnium eadem ratio est. Neque sumat quispiam instantiam contra hoc argumentum ab actu scientiæ, per quem prout absolutè existentem cognoscit Deus in omnium sententia dictum conditionatum. Nam benè stat, actum scientiæ è signo posteriore absolutæ existentiæ, in quo est, respicere vt obiectum, tum alios, tum se ipsum, prout conditionatè existentes in signo anteriori; quin ipse in eo signo anteriori absolutè existat. At verò, quod actus contingens scientiæ non sit priùs conditionatè, quam absolutè existens; sed per ipsam absolutam existentiam constituatur in esse existentis conditionatè: proindeque nihilo prorsus differant status conditionatus, & absolutus eius, prout ab Aduersariis in casu argumenti facti necessario est dicendum, omninò impossibile est. Ne autem prætexant Recentiores, cum quibus agimus, in conditionatis de conditione necessariò purificanda, quale est illud, in quo argumentum factum fundatur, non distingui statum conditionatum ab absoluto, quo totum argumentum cessat. Tametsi prætextus falsus sit; de quo aliàs; quandoquidem conditionatorum contingentium de conditione disparata ipsi scientiam mediam admittunt; statúmque subinde conditionatum præuiumque ad absolutum; sumant loco prædicti conditionati, hoc de conditione disparata non necessariò purificanda: *Si exiterit Petrus, existet in Deo talis cumulus actuum scientiæ*; de quo *ibi*. Quo totus cessabit prætextus, & nostrum argumentum firmum persistet.

58 Decimò quartò. Ideò Aduersarij veritatem futuri contingentis conditionati cum scientia eiusdem faciunt idem: quia vniuersaliter putant, nullum obiectum ita esse verum, vt per scientiam absolutè existentem sit iudicabile, quod non sit absolutè tali scientiæ coëxistens, vel per se ipsum, vel per aliquid secum determinatè connexum, in quo consistat veritas eius. Sed futurum contingens absolutum neque per se ipsum, neque per aliud secum connexum coëxtitit scientiæ visionis sui ab æterno, præterquam per ipsammet scientiam: Ergo veritas itidem futuri contingentis absoluti cum scientia visionis eiusdem ponenda est idem. Quod est plusquam absurdum. Negabunt minorem Aduersarij. Primò: quia putant, futura absoluta physicè esse præsentia æternitati Dei, vt sicque per se ipsa determinare intellectum diuinum ad sui visionem, atque adeò per se in æternitate esse vera. Secundò: quia putant etiam in Deo dari ab æterno decretum efficax determinatum eiusmodi futurorum, non quidem naturâ antecedens, sed comitans eorum existentiam (tale enim ponunt decretum, quo Deus concurrit cum causis liberis) à quo etiam ab æterno sunt vera præscindendo ab eorum præsentia in æternitate. Cæterùm, quàm sit falsum vtrumque à nobis probabitur *suis locis* vnde pro complemento huius argumenti probatio minoris negatæ petenda est.

Decimò quintò. Scientia conditionata Dei, de qua 59
agimus, necessariò est vera, vt constat. Ergo & necessariò connexa cum suo obiecto directo, quod iuxta Aduersarios adæquatè ab illa est distinctum, tametsi ab illa tanquam à forma extrinseca reddatur verum. Sed non est connexa solùm cum tali obiecto, prout habente *esse* in ipsa scientia: quia vt sic etiam scientia falsa cum suo obiecto connexa est, siquidem hoc ipso, quod est repræsentatio eius nequit existere absque eo quod illud habeat *esse* repræsentatum in illa, vt constat. Igitur connexa est cum tali obiecto prout habẽte *esse* in se ipso; atque adeò existere nequit, quin obiectũ tale sit realiter, & intrinsecè in se, quale est repræsentatiuè, siue obiectiuè, in ipsa scientia. Quo ruit sententia Aduersariorum. Vel si talis scientia potest existere absque eo quod obiectum habeat realiter, & intrinsecè in se illud *esse*, quod repræsentatiuè, seu intentionaliter, seu obiectiuè habet in scientia, hoc ipso potest falsa existere, siquidem falsitas scientiæ affirmatiuæ secundum omnes in eo stat, quod obiectium non sit in se sicut affirmatur per scientiam; atque adeò sicut obiectiuè est in ipsa.

Decimo sextò. Deus ad conferendum mihi auxilium efficax præ sufficiente ab ea vera bonitate per 60
scientiam mediam iuxta nostrã scholam præcognita mouetur, ratione cuius mihi illud magis proficuum est, quàm sufficiens, vt constat: sed huiusmodi bonitas à solo consortio consensus, quem secum fert, præscindendo ab omni Dei scientia prouenit tali auxilio; siquidem æquè mihi illud proficuũ esset, etsi Deus nullã de huiusmodi bonitate præscientiam haberet, vt etiam constat. Igitur huiusmodi vera bonitas in statu conditionato, in quo terminat scientiam mediam, nullatenus in sua veritate pendet ab ipsa scientia, tanquam à forma. Alioquin auxilium efficax in statu absoluto, vbi illud ipsa eadem bonitate est mihi bonum, quæ fuit præuisa in conditionato non tam à consortio consensus, quàm à consortio illius præuisionis esset mihi magis proficuum, quàm auxilium sufficiens; quod patet falsum esse; siquidem compertum est solum ad rem mea interesse habere auxilium, quo de facto consentiam: quidquid sit de scientia diuina.

Decimo septimò. Nulla proportio cernitur in- 61
ter scientiam Dei conditionatam, & contingens sub conditione futurum, vt hoc per illam reddatur formaliter verum, vti arguebamus in simili *suprà n.* 37. Non enim apparet, potiùs videtur repugnare, vt veritas absolutè existens verum faciat, quod non absolutè, sed conditionatè tantùm existit: quale enim est verum, talis profecto debet esse eius veritas, & è conuerso. Certè, si per aliquid actu existens in Deo, veritas conditionatorum contingentium esset constituenda, minùs malè quod ad rem attinet, posuissent illam Recentiores in decreto actuali Dei conditionato ex parte obiecti, non antecedente, sed comitante actum sub conditione futurum, ne libertatem læderet, quale ipsi ponunt in statu absoluto decretum, quo Deus concurrit cum causis liberis: hoc namque pacto, nec tam peregrinè opinati essent, nec in difficultates argumento primo propositas circa determinatiuum diuinæ scientiæ cecidissent; tametsi adhuc scientia eorum falsa esset. Ne tamen sic contra omnes nostros è medio tollerent scientiam mediam, in

cogitationem inauditam, & longè magis falsam prolapsi sunt: non animaduertentes, vti deberent, supposito illo suo decreto concurrendi determinanteque actus nostros comitanter, iam Deum ad conferenda sua auxilia efficacia, scientia media non indigere, vt ostendemus *alibi*, dum penitus tale decretum eliminemus. Adde, inconsequenter adscripsisse hos Recentiores veritatem conditionatorum necessariorum entitati necessariæ Dei, & non potius scientiæ necessariæ eorum, adscribentes veritatem conditionatorum contingentium eorum scientiæ.

62 Denique probatur propositio: quia status conditionatorum contingentium, veritasque obiectiua eorum modus quidam essendi eorum est, qui proinde ab illis realiter debet esse indistinctus. Mitto plura: nam ex dicendis amplius roborabitur propositio. Solùm noto ad extremum, pleraque ex argumentis, quæ pro ea adduximus etiam contra Thomistas facere, quatenus ponunt veritatem contingentium conditionatorum in decreto actuali Dei conditionato ex parte obiecti.

Propositio 3.

63 Nec status quiditatiuus absolutus, nec vllus status conditionatus rerum, per aliquam apprehensionem, aut diuinam, aut creatam intrinsecè vlla ratione constitui potest.

Hæc propositio est contra secundam sententiam relatam *numer.* 8. Probatur autem, quod attinet ad primam partem de statu quiditatiuo absoluto. Primò: quia huiusmodi status quiditatiuus rerum nihil est aliud ab illo modo essendi earum, ratione cuius ipsis competunt, de ipsisque subinde sunt enunciabiles veritates quiditatiuæ, ac prorsus necessariæ earum; sed totus hic modus essendi se habet ex parte obiecti cuiusuis cognitionis Dei, & creaturæ, quin cognitio ipsa intret illum: Ergo.

64 Secundò: aut apprehensio siue diuina, siue creata concipiens hoc obiectum: *Petrus est homo* est tota veritas talis obiecti denominans illud verum extrinsecè, vti de scientia conditionatorum contingentium philosophabantur Recentiores reiecti *propos.* 2. aut est pars veritatis eius, aut neutro modo spectat intrinsecè ad eius veritatem. Primùm, impossibile est, vt pleraque argumenta ostendunt propositionis præcedentis. Secundum bifariam potest intelligi: vel quod sit pars veritatis extrinsecè denominantis obiectum, aut aliquid eius verum, alias in se non verum intrinsecè; & hoc pariter per eadem argumenta est iam reprobatum, vt patet: vel, quòd sit pars veritatis obiecti intrinsecè quoad omnes suas partes veri, quatenus est pars ipsius obiecti, & hoc falsum est, vt per se apparet. Compertum enim est, apprehensionem huius obiecti: *Petrus est homo*, ipsum obiectum non intrare, sed tantùm extrinsecè denominare illud apprehensum, seu cognitum. Si denique dicatur tertium, ad veritatem scilicet talis obiecti intrinsecè non spectare dictam apprehensionem, hoc ipsum est, quod intendimus. Nam non constitui talis obiecti veritatem per talem apprehensionem, & non constitui per talem apprehensionem statum quiditatiuum talis obiecti in idem recidit; siquidem statum quiditatiuum rerum vocamus illum, ad quem earum obiectiuæ veritates quiditatiuæ, & necessariæ pertinere dicuntur, quique proinde aliud non est ab huiusmodi veritatibus.

Tertiò. Petrus non est homo, ex eo quod talis à Deo, aut à creatura concipitur; sed potiùs talis à Deo, & à creatura concipitur, ex eo quod talis de suo est. Vnde priùs aliquo modo est, Petrum hominem, quàm à Deo, aut à creatura concipi talem: igitur id, vnde habet tale esse, quod est status quiditatiuus eius, independens est à cognitione tam increatâ, quàm creatâ, per illámque proinde intrinsecè non constituitur. 65

Quartò. Petrus per sui apprehensionem tantùm acquirit esse apprehensum, siue cognitum; atque adeo (quod in idem recidit) obiectiuè, seu intentionaliter, metaphysicéque subinde existere in mente illum concipientis, quod totum ipsi accessorium, & extrinsecum est. At esse hominem, ipsi est intrinsecum, & necessarium. Ergo in hoc, quod est, esse verè hominem per sui apprehensionem extrinsecam constitui non potest. Quod ipsum est, non posse constitui per illam statum quiditatiuum eius. Itaque non negamus, res omnes per sui cognitionem statum quemdam intentionalem, seu obiectiuum sortiri, in quo quemdam essendi modum intentionalem dici possunt habere, quatenus in mente eas cognoscentis dicuntur existere, ibique subinde esse id, quod prout ibi existentes sunt. Dicimus tamen, hunc non esse statum earum quiditatiuum, quia totus iste modus intentionaliter essendi accidentalis illis, siue accessorius, non verò quiditatiuus est. Quo autem iure status quiditatiuus, status etiam obiectiuus speciatim dicatur, *inferius proposit.* 5. videbimus. 66

Quintò. Petrus prout est obiectiuè in mente illum concipientis, siue prout est ibi existens intentionaliter, non est essentialiter, & necessariò homo; sed accidentaliter tantùm, aut etiam contingenter, quemadmodum, & prout existens realiter in rerum natura. Quoniam hoc ipso, quod existentia, tum intentionalis in mente concipientis, tum realis in rerum natura conueniunt Petro accidentaliter, aut etiam contingenter; quidquid ei quoquo modo conuenit prout existenti aut intentionaliter, aut realiter, non potest non conuenire illi accidentaliter pariter, vt constat, aut etiam contingenter. Sed Petro prout in statu quiditatiuo non conuenit esse hominem accidentaliter, aut contingenter, sed prorsus essentialiter, & necessariò, vt est notissimum. Igitur status quiditatiuus Petri non est, quem habet prout cognitus in mente illum concipientis, proindeque nec cognitione eius potest constitui; sed, quem in se, prout in se habet, in quantum est id, quod de suo ante sui cognitionem est. 67

Sextò. Si status quiditatiuus Petri esset, quem habet prout cognitus in mente cognoscentis, cognitioneque proinde constitueretur; de Petro prout in statu quiditatiuo verificarentur propositiones accidentales, & contingentes, vt *Petrus est albus: Petrus loquitur*; quia hoc ipso, quod quis concipiat Petrum aut album, aut loquentem, verum est accidentaliter, aut etiam contingenter de Petro, prout sic concepto, esse album, aut loqui. Hoc tamen planè absurdum est: quia de Petro prout in statu quiditatiuo solæ propositiones quiditatiuæ, & necessariæ verificari possunt, vt constat ex dictis *suprà n.* 6. 68

Iam secunda pars propositionis, de quouis statu conditionato pariter comprobatur. Primò: quia 69

status

status conditionatus rerum ille est, ratione cuius veritates obiectiuæ conditionatæ conueniunt illis: huiusmodi autem veritates ex parte ipsarum rerum se habent, quin ipsas intrent cognitiones, sicut & cæteræ omnes veritates de rebus ipsis enunciabiles, & iudicabiles.

70 Secundò: quia veritas obiecti conditionati, non potest ei aduenire extrinsecè ab aliqua sui cognitione, neque totaliter, neque partialiter, vt satis probant, quæ dicta sunt *propos. 1. & 2.* Tum cognitio non est pars intrinseca obiecti conditionati per eam cogniti, prout paulò ante dicebamus de cognitione obiecti quiditatiui; cum tantum sit veluti forma extrinsece denominans illud cognitum; quemadmodum voces significantes obiecta ista non intrant ipsa obiecta; sed extrinsecè denominant illa significata.

71 Tertiò. Futurum conditionatum non constituitur per iudicium, quo iudicatur tale, vt satis constat ex superioribus; sed neque apprehensio simplex constituens hypothesim, siue supponens conditionem, sub quâ illud iudicatur futurum ad eius intrinsecam constitutionem pertinet, prout fert sententia, quam refutamus modò, Ergo. Probo minorem. Quia futurum conditionatum neque est futurum, neque verum conditionatè sub conditione prout apprehensâ, siue prout positâ in hypothesi per ipsam apprehensionem, sed prout ex parte rerum se habente, qua ratione talis futuri conditio est. Igitur talis apprehensio ne ex parte quidem conditionis intrat obiectum conditionatum; tametsi ex parte intellectus sit requisita, vt sub conditione per illam apprehensa, & suppositâ ab intellectu ipso iudicetur futurum. Itaque cum iudicat intellectus: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur.* Quod iudicat est futuram conuersionem Iudæ sub conditione, quòd re ipsâ ipsi daretur, existeretque auxilium *A*; non sub conditione, quòd tale auxilium per sui apprehensionem supponatur existens, & datum; Hoc enim esset iudicare futuram conuersionem Iudæ, non sub conditione auxilij *A*; sed sub conditione apprehensionis eius, seu (quod idem est) non sub conditione existentiæ physicæ, sed sub conditione existentiæ intentionalis auxilij *A*, quæ sunt diuersæ conditiones. Igitur ad prædictum obiectum nullatenus spectat intrinsecè apprehensio faciens hypothesim, supponensque, vt conditionem, sub quâ futura iudicatur conuersio Iudæ, physicam existentiam auxilij *A*; sed tantùm ipsa existentia auxilij *A*, per modum conditionis, & ipsa realis futuritio conuersionis Iudæ per modum conditionati, prout ampliùs *infrà* declarabimus; tametsi ex parte intellectus ad iudicandum conditionatum, necessarium omnino sit apprehendere conditionem per apprehensionem, quæ suâpte naturâ ex peculiari modo tendendi suppositiuâ eius sit, siue factiua hypothesis.

72 Quartò. Nulla harum vocum: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur*, pertinet intrinsecè ad obiectum significatum per illas, tametsi per vnamquamque aliquid constituens intrinsecè tale obiectum significetur; vt est notissimum. Igitur tantumdem dicendum est de cognitionibus iis vocibus in intellectu correspondentibus.

73 Quintò. Qui iudicat, fore, vt Iudas conuerteretur, si haberet auxilium *A*, nullatenus cognoscit reflexè apprehensionem, per quam facit hypothesim, vt experientiâ constat; sed tantùm conuersionem ipsam, vt subest conditionatè ipsi auxilio. Igitur talis apprehensio non se habet ex parte obiecti, licet ex parte intellectus ad tale iudicium requiratur.

Sextò. Non ideò est verum obiectiuè, fore conuersionem Iudæ, si haberet auxilium *A*: quia ponitur ab aliquo intellectu in hypothesi, supponitur re tale auxilium existere; sed quia in casu realis existentiæ talis auxilij, vel se Iudas determinaret ad talem conuersionem. Igitur apprehensio ponens in hypothesi, supponensve, tale auxilium existere, ad veritatem obiectiuam talis obiecti non spectat intrinsecè; sed aliunde tota illa integrè constat, tum per dictam apprehensionem, tum per iudicium, cui ea annectitur; cognoscenda. Ex quibus omnibus apparet, neque statum quiditatiuum absolutum, neque vllum conditionatum rerum per vllam apprehensionem aut diuinam, aut creatam constitui intrinsecè. vt propositio nostra fert; & consequenter, neque veritates obiectiuas ad tales status pertinentes. 74

Propositio 4.

Status quiditatiuus absolutus rerum ab omni earumdem statu conditionato diuersus est, tametsi aliquem eorum ferat secum annexum. 75

Hæc propositio contra tertiam sententiam est relatam *n. 9.* Probatur autem quoad primam eius partem. Primò: quia passim iudicamus, atque enunciamus verè de rebus, iudiciis, atque enũciationibus absolutis, quæ independenter ab omni earum existentiâ tam conditionatâ, quàm absolutâ, huiusque penitus immemores eis deprehendimus conuenire quiditatiuè, & necessario, vt cùm dicimus: *Homo est animal rationale*: *Homo est risibilis*: *Actio connectitur cum suo termino*: *Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*; & cætera huiusmodi. Igitur res statum quiditatiuum absolutum diuersum ab omni conditionato habent, ratione cuius dictæ veritates absolutæ conueniunt illis.

Secundò: quia nemo hactenus dixit, omnes propositiones veras de materiâ necessariâ, quales prædictæ sunt, & similes, conditionatas esse. Pleræque enim sunt absolutæ, vt experientia monstrat: Igitur veritates obiectiuæ necessariæ (independentésque subinde ab existentiâ in rebus creatis) huiusmodi propositionibus correspondentes etiam sunt absolutæ, absolutéque conueniunt rebus, quibus per tales propositiones attribuuntur. Omnis quippe propositio pœnes veritatem obiectiuam conditionatam, vel absolutam, quam enunciat, habet esse conditionatam, vel absolutam. Igitur res statum quiditatiuum absolutum ab omni conditionato diuersum habent, in quo prædictæ veritates illis dicuntur conuenire, quique re ipsâ nihil est aliud, quàm veritates ipsæ. 76

Tertiò. Scientiæ humanæ maiori ex parte agunt de rebus prout in statu quiditatiuo. Contemplantur enim rerum essentias, & proprietates secundum se cum præcisione ab existentiâ; & tamen ferè semper procedunt per propositiones absolutas, per demonstrationesque, & discursus ex absolutis propositionibus coalescentes, vt cernere est in Metaphysicâ, Geometriâ, Arithmeticâ, Mechanicâ, Logicâ, & similibus. Principia etiã harum scientiarum veritates absolutæ sunt vt implurimùm. Propterea nemo hucusque putauit nullam veritatem absolutam sciri per huiusmodi scientias; sed omnes, quæ per eas sciuntur conditionatas esse. Igitur datur status quiditatiuus, & absolutus rerum ab omni conditionato diuersus, ad quem omnes hæ veritates, quæ obiecta sunt talium scientiarum pertinent. 77

78 Quartò denique à priori. Quia vnaquæque res secundum se considerata cum præcisione ab existentia de suo habet, siue ex conceptu suo obiectiuo esse absolutè talem, vel talem, prout explicabimus *proposit.* 5. Hoc autem ipsum est, esse eam talem, vel talem, prout in statu quiditatiuo absoluto; vt constat ex dictis, & ampliùs ex dicendis constabit.

79 Quod autem status quiditatiuus aliquem statum conditionatum, nempe existentialem necessarium ferat secum annexum, quæ est altera pars propositionis; est clarum: quia hoc ipso, quod vnaquæque res de suo, siue ex conceptu suo sit absolutè talis, vel talis, nequit non esse etiam talis, vel talis in statu existentiali ex hypothesi, quòd existat: itaque eo ipso, quòd hæc propositio absoluta *Petrus est homo*, in sensu quiditatiuo, & necessariovera est, non non potest non esse etiam vera hæc conditionalis: *si extiterit Petrus, existet homo*; siue: *si extiterit Petrus existentialiter erit homo*, & in cæteris pariter.

Propositio 5.

80 Omnis status quiditatiuus rerum in veritatibus obiectiuis quiditatiuis ipsarum rerum ab eisdem rebus indistinctis consistit. Similiterque omnis status existentialis in veritatibus obiectiuis existentialibus. Nullusque proinde horum statuum à rebus, quibus illi conueniunt, entitatiuè distinctus est. Cum quo nihilominus stat inter se eos diuersos esse, sicut & veritates obiectiuæ, in quibus illi consistunt diuersæ sunt.

Hæc propositio, suppositis præcedentibus non tam indiget probatione, quàm explicatione. Est autem quoad priorem partem expressa in Doctoribus citatis *suprà n.* 10. pro quarta sententia. Quoad posteriorem etiam existimo esse de mente omnium, præterquam Recentiorum, quos hactenus refutauimus: tametsi eam non expresserint: quia rem hanc potiùs supposuerunt, quàm exposuerunt.

81 Incipiendo ergo ab statu quiditatiuo absoluto, dicimus, res omnes secundum se consideratas independenter ab eo, quod existant, vel secus habere de suo, siue, vt aiunt, ex conceptu suo obiectiuo veritates quasdam obiectiuas ad suam essentiam spectantes, quæ ob id quiditatiuæ dicuntur, & ab intellectu, tum increato, tum creato verè iudicabiles sunt, & scibiles. Nec enim de rebus sola existentia est iudicabilis iudicio absoluto; sed etiam essentia, & quidquid ad essentiam pertinet. Iudicium autem absolutum de essentia, aut de pertinente necessario ad essentiam, qualis est passio propria, aut communis, necesse est, quod præscindat ab existentia; alioquin non quid necessarium; sed quid contingens iudicabit de re creata, cui contingens est existentia, & consequenter quidquid ei aduenit cum ipsa existentia. Itaque, qui dicit, *Petrus est homo*, aut: *Petrus est risibilis*, accepto verbo *est* substantiuè, quo pacto ab existentia præscindit, ob idque à tempore etiam absolui dicitur; absolutè affirmat, Petrum in se, & de suo, ex suoue conceptu obiectiuo hominem, aut risibilem esse, quod verum est, quantumuis Petrus existat. Igitur status rerum quiditatiuus, & absolutus ab earum existentia independens in huiusmodi veritatibus obiectiuis quiditatiuis, & absolutis, cum ipsisque rebus identificatis consistit, vt diximus.

82 Dicuntur autem istæ quiditatiuæ veritates, & re vera sunt necessariæ, non à necessitate aliqua absolutè existente, qualis sola est necessitas Dei; in quo decepti sunt Recentiores suprà reiecti; sed à necessitate, quam ipsæ res de suo habent essendi id, quod sunt quiditatiuè, quatenus impossibile est, vt tales de suo non sint: quæ proinde necessitas vnum est ex prædictis intrinsecis, atque quiditatiuis rerum conueniens ipsis prout in statu quiditatiuo, atque ita ab existentia præscindens, sicut & cætera. Necessitates quippe rerum multæ, & diuersæ sunt, *vt infrà disp.* 11. explicabimus. Alia est necessitas in existendo, qualem Deus habet: alia est necessitas in causando, quæ conuenit causis necessariis; alia est necessitas in essendo, quod vnumquodque de suo est, quæ conuenit omnibus rebus independenter ab eo, quòd existant, vel secus. Tum alia est necessitas absoluta, alia ex suppositione, &c. de quo *ibi* multa.

Dicuntur etiam eiusmodi veritates incorruptibiles: quia, rebus corruptis, ipsæ perstitut verède rebus ipsis iudicabiles, & scibiles, non perstentia existentiali quæ tota, rebus deficientibus, perit; sed perstentia essentiali, siue quiditatiua, qualem habere censentur rerum essentiæ, quatenus indefectibiliter sunt verè iudicabiles, & scibiles secundum se, siue existant res, siue secus. 83

Dicuntur eædem veritates æternæ, non quia re vera correspondeant tempori æterno, seu infinito, aut in ipso verè, & propriè durent. Quod enim non existit, durare in tempore, aut tempori correspondere propriè, & in rigore non potest; sed quia in quacunque parte totius temporis infiniti, atque adeo ab æterno, & in æternum verè iudicabiles sunt. Aut etiam, quia nos, qui cuncta tempore mensuramus, eas concipimus quodam modo correspondentes omni tempori æterno ob eam indefectibilitatem, quam habent in suo esse quiditatiuo, & scibili. Quo pacto intelligendi sunt Albertin. & alij Doctores relati *n.* 10. cùm dicunt, essentias rerum creatarum ab æterno esse non actualitate existentiæ; sed actualitate essentiæ; id est, non existendo, sed essendo id, quod de suo sunt, sumpto videlicet verbo *esse* non existentialiter, sed essentialiter, non prout significat actum existendi, quo pacto est verbum adiectiuum; sed prout significat actum essendi id, quod vnumquodque de suo est, quo pacto verbum substantiuum vocatur, prout sæpe *disp.* 9. dictum, atque explicatum est. 84

Dicuntur denique veritates prædictæ conuenire rebus ex suo conceptu obiectiuo, non, quod eis reduplicatiuè, vt obiectis illæ conueniant, nec quòd non sint veritates reales realitate essentiæ, seu quiditatis independenter à conceptione eas intelligentium, vti putabant Recentiores reiecti *prop.* 3. sed, quòd conceptui illi obiectiuo rerum, qui intelligenti proponitur sumpto specificatiuè verè conueniunt, præscindendo ab eo, quòd ille realiter sit existens, vel secus. 85

Etenim præterquam quod, omnis status rerum scibilium obiectiuus generaliter dici potest, quatenus omnis res dum scitur, siue cognoscitur quoquo modo, obiectiuè dicitur esse in mente cognoscentis, tanquam in quodam statu, prout *suprà* iam adnotauimus *numer.* 66. Quemadmodum omnis etiam veritas, ex parte ipsarum rerum se habens, generatim obiectiua appellatur: status tamen quiditatiuus speciali quadam ratione communiter dici solet, insuper status obiectiuus. Non quidem, quia non sit vllo modo status realis; sed quia realis non est 86

realitate

realitate existentiæ; sed tantùm realitate essentiæ. Quocirca non habens existentiam realem, à quâ præscindit, solam existentiam obiectiuam, intentionalemve in mente illum concipientis censetur habere. Cùm tamen aliundè in se, & de suo, independenterque à sui conceptione essentiam, seu quiditatem realem, & veram habeat, statúsque proinde realis realitate essentiæ dicendus sit, vt ex iam dictis satis constat. Re tamen bene intellectâ, nos quoque, vt cum plerisque loquamur, non semel statum quiditatiuum, statum etiam obiectiuum indiscriminatim vocabimus.

87 Iam verò de statu existentiali absoluto, quem res actualiter, & absolutè existentes habere dicuntur, vtpote ex terminis notissimo, nihil est, quod addamus modo ad ea, quæ de ipso diximus *num.* 3. superest tamen explicandum id, quod in præsenti materia videtur difficillimum; quodque proinde Recentiores *supra* reiectos, & alios difficultate suâ in vias prorsus inuias adegit. Quomodo scilicet status rerum quiditatiuus, & status existentialis absolutus differant inter se. Ratio difficultatis est, quia ex vnà parte, status isti diuersi, imò, & separabiles poni debent; ex aliâ verò essentia, & existentia rerum, in quibus nos ponibus illos, re ipsâ vnum, & idem sunt, vt suprà ex sententia communi contra Thomistas *disputat.* 9. *quæst.* 6. statutum est. (Eadémque difficultas est in exhibendo discrimine inter statum existentialem absolutum, & quemlibet conditionatum, de quo postmodum.)

88 Dico. Licèt essentia, & existentia rerum re verâ sint vnum, & idem entitatiuè, verificatiuè tamen, quo pacto statum quiditatiuum, atque existentialem constituunt, eatenus inter se differre imò, & separabiles esse quatenus de rebus non existentibus verificabilis est essentia, & quidquid essentia necessariò fert secum annexum, de quibus tamen existentia, verificabilis non est; atque ita essentia cum suis passionibus in ratione veritatis obiectiuæ independens, & separabilis ab existentia est, non quòd existentia, & essentia tanquam duo extrema distincta ab inuicem separabiles sint: iam enim diximus non esse duo, sed vnum, & idem re ipsâ; sed quod tota integra res quadamtenus à se ipsa separabilis est, quatenus potest non existere, siue non esse existentialiter, essendo nihilominus in se, & de suo id, quod essentialiter est; quod est deficere eam totam existentialiter, non deficiendo essentialiter; atque ita separari totam eandem, prout in statu essentiæ à se ipsâ, prout in statu existentiæ. Ex quo potest, quomodò huiusmodi status in ratione talium diuersi, & separabiles sint, tametsi entitatiuè, & quasi fundamentaliter, seu materialiter re ipsâ vnum quid sint, & idem.

89 Opponi tamen potest primò. Veritas obiectiua rei, quâ ratione eam in præsenti vsurpamus, iuxta suppositionem factam *num.* 11. idem cum re est in sententia nostra, cum qua & inter se etiam sunt idem essentia, & existentia. Ergo (quidquid sit de modo concipiendi nostro, & distinctionibus rationis) re ipsâ non magis potest veritas essentiæ, in qua stat status quiditatiuus esse independens, & separabilis ab existentia, siue à veritate existentiæ, in qua stat status existentialis, quam potest idem à se ipso independens, & inseparabile esse. Concedo totum. Iam enim dixi separabilitatem huiusmodi veritatum, & statuum non esse talem, qualem habere solent extrema distincta realiter, sed talem, qualem vnum, & idem habet comparatione sui, quatenus potest non existere, essendo nihilominus, quod de suo est. Quia tamen hoc melius percipitur à nobis applicatum ad extrema per nostram rationem distincta, idcirco dicimus, veritatem essentiæ, siue statum quiditatiuum à veritate existentiæ, siue ab statu existentiali, quæ extrema distincta sunt per rationem nostram independentem, atque inseparabilem esse.

Sed rursus potest sic opponi. Essentia est idem 90
cum existentia. Ergo de Petro purè possibili, de quo negatur verè existentia, non potest non affirmari essentia: aliàs idem prædicatum de eodem subiecto, verè simul affirmaretur, & negaretur, atque ita duæ propositiones, duoque extrema contradictoria simul vera essent, quod repugnat. Distinguo antecedens: essentia Petri purè possibilis est idem cum eius existentia identitate quiditatiua, concedo; identitate existentiali, nego, & nego consequentiam cum probatione. Nam identitas solum quiditâtiua non sufficit, vt affirmatio essentiæ, & negatio existentiæ, quo sensu de Petro purè possibili verificantur, contradictoriè opponantur. Est dicere: essentia Petri purè possibilis, & eius existentia etiam purè possibilis solùm sunt idem de suo, siue in statu quiditatiuo; non item existentialiter, siue in statu existentiali, quandoquidem neutra eorum existit; atque ita quamuis sufficiat talis identitas, vt nequeat sine contradictione affirmari de Petro essentia, & simul negari existentia, ambæ in sensu quiditatiuo: non tamen sufficit, vt nequeant sine contradictione affirmari de Petro essentia, & simul negari existentia; prima in sensu quiditatiuo, & secunda in sensu existentiali ad hoc enim opus erat, quòd essentia, & existentia non solùm quiditatiuè; sed etiam existentialiter essent idem, hoc est, quòd ambæ cum sua identitate existerent. Vnde vniuersaliter patet, ad oppositionem contradictoriam satis non esse, quòd affirmatio, & negatio eiusdem de eodem fiant intra diuersos status; sed prorsus esse necessarium, quòd fiant intra eumdem; atque ideò has propositiones, *Petrus est homo*: *Petrus non existit* contradictoriè non opponi, tametsi, quod altera affirmat idem de suo sit cum eo, quod altera negat de eodem: quia altera ad statum quiditatiuum pertinet; altera verò ad existentialem. Quocirca nec istæ opponuntur contradictoriè: *Si Petrus extiterit in instanti A loquetur. Petrus non loquetur in instanti A*; etsi sint affirmatio, & negatio eiusdem loquutionis de eodem Petro: quia prima ad statum conditionatum; secunda ad absolutum pertinet.

Denique opponi potest. Status quiditatiuus, & 91
status existentialis sunt idem re ipsâ. Ergo non possunt re ipsâ esse inter se diuersi, seu differentes, quia idem à se ipso re ipsâ diuersum, & differens esse nequit. Distinguo antecedens; Sunt idem re ipsâ quiditatiuè tantùm, concedo; quiditatiuè simul, & existentialiter nego; & nego consequentiam cum probatione. Vnum enim, & idem secum quiditatiuè, vt potest esse re ipsâ separabile quod ad esse quiditatiuum à se ipso quoad esse existentiale, iuxta iam dicta. Ita pariter potest esse re ipsâ diuersum quoad esse quiditatiuum, à se ipso quoad esse existentiale; & hoc solùm modo sunt diuersi status quiditatiuus, & existentialis. Quo satis explanata videtur eorum quiditas, & diuersitas.

Hæc tamen solùm dicta sunt de statu quiditatiuo, 92
& existentiali rerum distinctarum à Deo. Status enim quiditatiuus Dei; etsi sit itidem suo modo ab existentiali diuersus, quatenus Deus etiam est quiditatiuè iudicabilis, scibilísque cum præcisione ab existentia, ab eo tamen nullatenus est separabilis:

quia Deus cum sua existentia essentialiter connexus est, cùm sit ens per essentiam impotens non existere, omninóque necessarius in existendo.

93 Venio iam ad explicandos status conditionatos. De quibus omnibus dico vniversè, eos in veritatibus conditionatis consistere, quæ verè, & realiter conueniunt rebus independenter, aut etiam separabiliter ab earum statibus absolutis, realiterque identificantur cum rebus ipsis, saltem quando sunt positiuæ. Dico saltem quando sunt positiuæ, quia veritates conditionatæ negatiuæ existentiales, sicut & absolutæ neque cum re negatâ, neque cum alio quopiam sunt idem, constat ex doctrinâ *supra disp. 9. quæst. 3.* iuxta quam de varietatibus negatiuis quiditatiuis tam conditionatis, quàm absolutis, aliter quàm de veritatibus negatiuis existentialibus philosophandum est, vt *infrà* explicabimus. Hactenus enim de veritatibus tantùm positiuis cum rebus identificatis loquuti sumus, atque etiam in præsenti loquimur. Porrò dari in rebus huiusmodi veritates conditionatas independenter ab eo, quòd illæ statum absolutum sortiantur, aut secus, indubitatum prorsus est. Nos enim passim illas cum tali independentia iudicamus, & scimus: pariterque iudicari à Deo, & sciri, dogma est catholicum, vt videbimus *in Tract. de scientia Dei.* Quod autem illæ à rebus, quibus conueniunt realiter distinctæ non sint, ex omnibus dictis circa præcedentes propositiones satis est notum. Itaque status conditionatus existentialis contingens nihilo differt à veritatibus obiectiuis huius, similiumque obiectorum: *Si Iudas haberet auxilium A. conuerteretur.* Status autem conditionatus existentialis necessarius, idem est cum veritatibus obiectiuis, obiecti huius, & similium: *Si Petrus existeret, sine contradictione existeret; aut existentialiter esset homo &c.* Denique status conditionatus quiditatiuus in hâc, & similium veritatum positus est: *Si quid est homo, est animal rationale; aut est risibile &c.* Tum veritas illius obiecti. *Si Iudas haberet auxilium A, conuerteretur*, nihil omnino inuoluit distinctum realiter à conditionato, & conditione, nempe à conuersione Iudæ, & auxilio *A.* Tantumdèmque de cæteris dictum esto. Quâ autem ratione inter se differant isti tres status conditionati; ex terminis, quibus nuncupantur per se notum est.

94 Solùm aduerto, necessitatem, quam habent duo posteriores, non esse necessitatem absolutam; sed conditionatam, siue ex suppositione: nam omnis veritas obiectiua necessaria necessitatem habet proportionatam suo modo essendi. veritas absoluta, & necessaria existentialis, qualis Deo conuenit, necessitatem habet absolutam in existendo. Veritas quiditatiua, & absoluta vniuscuiusque necessitatem absolutam in essendo, quod vnumquodque de suo est, vt *supra* iam diximus. Sic veritas quiditatiua conditionata necessitatem habet in essendo etiam conditionatam; & veritas existentialis conditionata necessitatem in existendo conditionatam, quæ tantùm est necessitas ex suppositione conditionis. Quo etiam pacto est intelligenda contingentia primi dictorum statuum. Est quippe contingentia conditionata, siue ex suppositione conditionis. De quo plura à nobis *in sequentibus* dicenda sunt.

Diuersitas autem, atque separabilitas vniuscuiusque status conditionati ab statu absoluto sibi correspondente eodem modo explicanda est, ac est explicata diuersitas, & separabilitas status quiditatiui absoluti ab statu existentiali. Itaque separabilitas veritatis existentiæ conditionatæ conuersionis Iudæ à veritate existentiæ absolutæ eiusdem, non est talis, qualem habere solent extrema distincta realiter, sed talis, qualem vnum, & idem habet comparatione sui, quatenus potest non existere absolutè, existendo nihilominus conditionatè. In quo similiter stat huiusmodi veritatum diuersitas; idemque subinde | venit dicendum de separabilitate, & diuersitate statuum in talibus veritatibus consistentium. Hinc fit, vt ubsque vlla contradictione verè affirmetur de Iuda conuersio conditionata, de quo eodem simul negatur verè conuersio absoluta ab ea indistincta: quia conuersio Iudæ conditionata, & absoluta tantùm sunt idem identitate entitatiua, aut etiam conditionata, non item identitate absoluta: affirmatióque, & negatio eiusdem de eodem ad diuersos status pertinent, non ad eumdem, prout ad contradictionem requirebatur. Fit similiter optimè posse statum conditionatum, & statum absolutum esse diuersos, etsi realiter sint idem: quia tantùm sunt idem identitate entitatiua, aut etiam, si placet, conditionata, non item identitate absolutâ. Eiusmodi autem identitas non obstat, quominus idem quoad esse conditionatum, diuersum, imò & separabile à se ipso sit quoad esse absolutum.

Oportet tamen adnotare, licèt status conditionatus consistat potissimè in veritate conditionatâ dicente directè rem conditionatam, & connotante indirectè, siue in obliquo conditionem; rigorosè tamen loquendo ex duplici statu illum conflari dicendum esse; nempe ex statu rei conditionatæ, & ex statu conditionis, quæ partes sunt integri obiecti conditionati. Status rei conditionatæ aliud non est ab *esse* obiectiuo verè iudicabili, & scibili, quod ipsa res verè in se habet non absolutè; sed ex hypothesi conditionis, atque adeò connotando illam, quod ipsum est veritas obiectiua conditionata. Et hoc quidem *esse* obiectiuum aliquando est existentiale idque, vel necessarium, vel contingens; aliquando tantùm quiditatiuum, iuxta naturam obiecti conditionati. Status autem conditionis sumptæ præcisè in vi conditionis in quodam etiam *esse* obiectiuo ab ipsâ indistincto consistit, non quidem iudicabili, & scibili, proindéque neque obiectiuè vero, sed supponibili, siue ponibili in hypothesi per simplicem apprehensionem hypothesis constitutiuam. Quod etiam aliquando existentiale, & aliquando quiditatiuum tantùm est, iuxta naturam obiecti conditionati. Voco autem illud *esse*, tametsi præcisè, vt est conditio, non sit quid verum: tumquia loquendo sine ea præcisione de suo est verum *esse* quiditatiuè, tum maximè: quia vt est conditio præcisè, hoc ipso, quod est conceptibile, non est merum nihil, sumpto mero nihilo pro eo quod ne conceptibile quidem est. Hoc de statu conditionis sumptæ præcisè in vi conditionis; si enim sumatur, vt quid conditionatum, quale etiam est semper, eius status erit conditionatus, & verus, qualis est cuiuscuis alterius rei veræ conditionatè. Porrò esse semper conditionem conditionatè veram sub hypothesi suimet, est clarum: quia ex hypothesi, quòd Petrus existat e.g. non potest non esse conditionatè verum, ipsum existere; & in cæteris pariter. De his tamen plura in sequentibus sunt dicenda, quibus dicta hìc magis patebunt. 95

Hactenus de statibus conditionatis rerum distinctarum à Deo. Dari tamen etiam status conditionatos in Deo diuersos ab absoluto existentiali, eosque tum quiditatiuos, tum existentiales, tum adæquatè, tum inadæquatè identificatos cum ipso, mihi est verissimum; quidquid refragentur aliqui 96

Recen

Recentiores. Itaque omnes istæ propositiones, & similes conditionatè veræ sunt, & per scientiam conditionatam à Deo cognoscibiles, vt latiùs probandum nobis est in *Tract.* de scientiâ: *Si Deus est ens à se, est æternus: Si Deus est ens necessarium, Deus existit: Si Deus existit, existentialiter est omnipotens: si Deus est omnipotens, Mundus existit: si Mundus existit, Deus existit, aut est omnipotens &c. si Deus est trinus, & vnus, homo est animal rationale &c.* De quibus plura *loco citato.*

98 Restat nunc vt argumenta diluamus, quæ contra doctrinam statutam in omnibus propositionibus opponuntur; aut etiã, quæ præterea possunt opponi.

Diluuntur argumenta contraria.

99 Incipio ab illis, quibus Recentiores impugnati *proposit.* 1. & 2. impulsi sunt ad asserendum, omnem statum necessarium rerum, omnemque subinde veritatem necessariam earum realiter esse idem cum entitate Dei. In quod eo sunt impetu propensi, vt clarè illud sibi videantur probare;

100 Primò sic. Hic status conueniens e. g. Petro purè possibili, *Si Petrus existeret sine contradictione existeret* (in quo ipsi possibilitatem Petri censent consistere) necessarius est: ergo sempiternus, & semper existens: sed entitas Petri, neque est necessaria, sed contingens; nec sempiterna, & semper existens, sed nunquam existens, vt supponitur. Igitur talis status, siue possibilitas Petri, nec potest esse idem cum Petro, nec potest non esse idem cum Deo; vtpote qui solus est ens necessarium, & sempiternum, & semper existens. Egregia claritas probationis! Retorqueo clariùs imprimis argumentum in illos. Ipsi enim conceduut, vt vidimus tum *n.* 7. tum circa *proposit.* 1. neque negare possunt, obiectum illud: *Si Petrus existeret, sine contradictione existeret* sen, quod in idem recidit, hoc: *Petrus est possibilis* includere entitatem Petri vt subiectum extrinsecè denominatum possibile à possibilitate identificatâ cum Deo; alioquin Deus tale obiectum cognoscens, nihil præter se ipsum cognosceret. Quod est absurdum. Ex quo sic arguo similiter. Tale obiectũ est necessariũ: ergo sempiternum, & semper existens; vt ipsi inferunt. Ergo nequit includere entitatem Petri contingentem, & nunquam existentem, contra suppositionem concessam; cùm sit euidens, totum necessarium, & semper existens non posse componi ex aliquâ parte contingente, & nunquam existente. Videant nunc claritatem sui argumenti.

101 Ad illud ergo ex *suprà* dictis respondeo pro omnibus. Necessarium quidem esse prædictum obiectum, non tamen necessitate existentiali, & absolutâ, qualem Deus habet; sed vel necessitate conditionatâ existentiali, si obiectum capiatur priori modo, vel necessitate absolutâ quiditatiuâ, si posteriori modo capiatur: quo cessat totum argumentum: quia ex neutrâ talium necessitatum sequitur; tale obiectum esse semper existens; imò neque esse sempiternum strictè loquendo, iuxta dicta *n.* 84. Neutráque obstat; quominùs obiectum ipsum identificetur cum Petro: quia ens contingens quoad existentiam absolutam benè potest esse necessarium, tum quoad existentiam conditionatam, tum quoad essentiam, vt ex dictis in *superioribus* satis est notum.

102 Secundum argumentum, cui valdè fidunt, huiusmodi est. Contradictorium supradicti status, seu obiecti necessarij conuenientis Petro purè possibili, quod eo ipso est quid impossibile, absolutè deest, seu non existit, defuitque semper, & ab æterno, sicuti cætera impossibilia, vt constat. Sed quâ ratione, & quo tempore vnum contradictorium deest, existit alterum, vt etiam constat. Ergo ipse status, ipsumve obiectum necessarium absolutè existit, & extitit ab æterno. Ergo nec potest illud identificari cum Petro nunquam existente, nec potest non identificari cum Deo, qui solus existit, & extitit ab æterno. Hoc est pulchrum sophisma, cuius fallacia proditur primò: quia infert dictum obiectum necessarium, scilicet *Petrus est possibilis*, cum solo Deo identificari, vtpotè vnicè existente ab æterno; & consequenter non inuoluere in suo conceptu entitatem Petri, quod est contra ipsos arguentes, & absurdum: fieret enim inde, Deum, cognoscendo tale obiectum, nihil cognoscere præter se ipsum, vt nuper dicebamus. Secundò: quia si quid probat vtique, hoc complexum, *Petrus est possibilis* integrè cum entitate Petri in se inclusâ existere ab æterno, quod est absurdum. Siquidem contradictorium adæquatum cuiusuis complexi (nisi sit complexum ex duplici extremo contradictorio) per totum ipsum debet excludi, cùm nulla pars eius sit exclusio formalis carentiæ aliarum, sed vnaquæque suæ solius, Quod maximè locum habet in complexo nostro, quod iuxta Aduersariorum doctrinam indiuisim tantùm est verum, proindeque indiuisim tantùm opponitur suo contradictorio. Tertiò: quia supponit extrema pertinentia ad diuersos status contradictoriè opponi, atque adeò vicissim se excludere, quod est falsum, vt constat ex dictis *n.* 90. Hoc namque obiectum: *Petrus est possibilis* solùm excludit suum contradictorium ab statu quiditatiuo, aut conditionato, intra quem contradictoriè opponuntur; non item ab statu existentiali absoluto, à quo subinde illud per aliud quid venit excludendum.

Hinc ad sophisma factum respondeo facilè; con- 103
tradictorium illius obiecti: *Petrus est possibilis*, hoc esse: *Petrus non est possibilis*, quod æquiualet huic chymeræ: *Petrus non est Petrus*, cui chymeræ rursus æquiualet coniunctum impossibile ex Petro, & suâ carentiâ, quod coniunctum per alterutram partem sui excluditur ab statu existentiali absoluto, nec aliter potest; nempe per carentiam Petri, quando Petrus non existit, vt in casu nostro; & per Petrum quando Petrus existit, & necessariò, sempérque, & ab æterno excluditur, vti debet: siquidem necessarium est, aut Petrum, aut carentiam eius existere in omni tempore, & ab æterno. Non quidem necessitate existentiali absolutâ alicuius determinati, sed necessitate cõditionata (à quâ non differt disiunctiua alterutrius ex extremis contradictionis; vt apparebit ex dicendis) quâ necesse est Petrum existere si deficit carentia eius, & existere carentiam eius si deficit Petrus. Ex quo patet, dictum cõtradictorium ab statu existentiali absoluto nequaquam excludi per illam veritatẽ: *Petrus est possibilis*, vtpotè, cui tantùm contradicit intra statum quiditatiuum, aut conditionatum: vnde absoluta, & sempiterna exclusio existentiæ eius non arguit, dictam veritatẽ esse aliquid absolutè, & semper existens; & multò minùs esse aliquid identificatum cum Deo, vt prætendebat argumentum. Quibus tota eius fallacia manet aperta.

Tertiò arguunt. De Petro purè possibili verifica- 104
tur absolutè hæc enunciatio: *si Petrus existeret, sine contradictione existeret*: ergo datur absolutè verificatiuum eius. Hoc autem ipsum est existere absolutè statum conditionatum tali enunciationi correspondentem. Distinguo antecedens. Verificatur absolutè ex parte actus, concedo: absolutè ex

parte

parte obiecti nego;& nego consequentiam. Est dicere. Absolutè existit enunciatio, quæ vera est,non à veritate absolutâ obiecti;sed àconditionata:quia hæc, non illa est, quam enuntiat.

105 Quartò arguunt.*Fore vt Petrus existeret sine contradictione, si existeret*; est quoddam extremum, de quo verè affirmantur multa,quæ nequeunt affirmari verè de Petro. Ergo nequit illud realiter esse idem cum Petro. Consequentia est bona,vt satis est notum. Antecedens probant: quia de illo *Fore*,&c. verè affirmatur, non posse deficere,non posse incipere, & alia huiusmodi, quæ patet non posse verè affirmari de Petro, aut nunquam, aut contingenter existente.Hoc variè extendunt;sed totum quoad substantiam inculcatio quædam est primi argumenti sub diuersis terminis,& modis. Quo circa proinde,atque illud, in ipsos retorquetur imprimis.Quoniam affirmari de illo *Fore*, &c. quod non potest deficere,& quod non potest incipere, & alia huiusmodi, quin eadem affirmentur verè de Petro, aut nunquam, aut contingenter existente; æquè repugnat, siue ponatur Petrus cum illo *Fore*,&c.identificatus, vti nos prætendimus, siue ponatur in illo incluſus, vti ipsi confitentur,vt patet. Quare & ipsi ad suum argumentum tenentur respondere.

106 Deinde ergo nos ad illud respondemus pro omnibus. De illo *Fore*,&c. eo solùm sensu affirmari verè,non posse deficere, nec incipere, quatenus non potest non esse semper obiectiuè verum, hoc est verè iudicabile per iudicium, aut cuiuis parti temporis, aut omni tempori correspondens. Hoc autem ipsum verè similiter affirmatur de Petro, non quidem prout absolutè existente, quo pacto est quid contingens;sed prout existente sine contradictione, sub conditione, quòd existat, qua ratione est quid necessarium necessitate ex suppositione. Vt autem verè affirmetur de Petro existentia conditionata, negata simul de eodem verè existentia absoluta, non obstat identitas entitatiua, atque etiam conditionata, quam inter se habent istæ existentiæ. Sicut neque obstat identitas entitatiua, & quiditatiua, quam habent inter se existentia, & essentia. quominus de Petro purè possibili verè affirmetur essentia, negata simul etiam verè existentia, vt pluribus explicatum est *supra num.*90. *& seqq.*

107 Quintò arguunt. Illud *Fore*, &c. de quo nuper, habet absolutè aliquod prædicatum intrinsecum. Ergo est quid absolutè existens; & consequenter distinctum à Petro absolutè non existente. Consequentia est bona. Antecedens probant: nam illud *Fore*, &c. est absolutè necessarium ad hanc necessariam veritatem: *Si Petrus existeret, sine contradictione existeret.* Alioquin sicut hæc veritas stat absque absolutâ existentia Petri, vtpote sibi absolutè non necessaria: ita staret absque *Fore vt Petrus sine contradictione, existeret casu, quo existeret.* Quod est implicatio in terminis. Imò verò argumentum hoc, si non contradictionis, ipsorum tamen terminorum videtur implicatio, seu intricatio apta nata ad fallendum. Quid enim est aliud illud *Fore*, &c. à veritate, ad quam dicitur necessarium?Nihil profectò,vt ex ipsis terminis patet. Esse ergo illud necessarium ad eam veritatem idem omninò erit, ac veritatem ad se ipsam necessariâ esse,quod est certissimum.Nam vnumquodque,qua ratione,est ad se ipsum necessarium est, cùm sine se ipso esse sit impossibile. Cæterùm, quia veritas illa conditionata solùm est,solùm etiam conditionatè erit necessaria ad se ipsam.Malè ergo supponit arguens,illud *Fore*, &c. à tali veritate indistinctum, absolutè esse necessarium ad illam. Addo tamen connexionem, quam de suo habet conditio cum conditionato, ex quibus ea veritas constat, necessariam absolutè vocari posse, non quidem existentialiter, sed quiditatiuè: quemadmodum absolutè necessarium dicitur esse, quod Petrus purè possibilis de suo, seu quiditatiue sit homo. Quo fit, vt veritas illa conditionata, & aliæ similes bifariam possint necessariæ appellari. Primò absolutè non à necessitate aliqua absolutè existente; sed à necessitate illis de suo, quiditatiuéque conueniente: (tametsi hoc quodam modo sit transferre tales veritates ab statu conditionato ad quiditatiuum æquiualentem.) Secundò, conditionatè à necessitate etiam conditionata,quam habet essendi conditionatum ex hypothesi conditionis. Recognosce generalem doctrinam in *superioribus* traditam. Hucusque argumenta Recentiorum contra primam nostram propositionem.

Quibus ex eorumdem doctrina alibi data sextum 108
adiici potest ad probandum speciatim impossibilitatem impossibilium ab ipsis impossibilibus distingui re ipsa, reque ipsa, & necessariò existere,atque adeò idem esse cum Deo; ita enim arguitur. Deus inconiungibilis est cum omni chymerâ, & coniungibilis cum eius impossibilitate; siquidem cum hâc de facto coniungitur. Ergo impossibilitas omnis chymeræ imprimis ab omni chymerâ realiter distincta est:cum iis enim, quæ sunt realiter vnum, & idem non potest quidpiam esse simul coniungibile, realiter,vt ex se patet. Quod si impossibilitas omnis chymeræ realiter ab omni chymerâ impossibili distincta est;inde fit, impossibilitatem omnis chymeræ esse possibilem, tale enim est, quod distinguitur ab omni impossibili. At, quod non est contingens, sed necessarium,qualis est impossibilitas omnis chymeræ, vbi primum est possibile actualiter, & necessariò existit. Ergo impossibilitas omnis chymeræ actualiter, & necessariò existit. Igitur est idem cum Deo, qui solus actualiter, & necessariò existit. O quot fallaciæ!

Respondeo, Deum inconiungibilem esse cum 109
omni chymerâ considerata in statu absolutæ existentiæ: nulla namque chymera potest existere absolutè, esse tamen coniungibilem,de factoque coniungi cum omni chymerâ considerata in statu quiditatiuo, & conditionato, existentiali, vbi ea suum esse verè iudicabile habet; quo etiam pacto,& non aliter est Deus coniungibilis cum impossibilitate omnis chymeræ. Vnde patet imprimis,nihil obesse, quominus omnis chymera cum sua impossibilitate sit idem re ipsa, vt verè est. Deinde nego impossibilitatem omnis chymeræ esse possibilem possibilitate existentiali, quæ est potentia ad absolutè existendum, etsi sit possibilis possibilitate essentiali, quæ est potentia ad essendum, quod de suo quiditatiuè est. Vnde præterea dico, necessitatem,quam habet impossibilitas chymeræ non esse necessitatem ad absolute existendum, quæ soli Deo competit;sed necessitatem ad essendum, quod de suo quiditatiuè est,aut etiam ad existendum cum contradictione sub conditione quod existeret. Ex quibus denique concluditur, impossibilitatem omnis chymeræ neque distingui ab omni chymerâ, neque actualiter existere; neque identificari cum Deo, vt argumentum prætendebat.

Iam verò contra secundam propositionem no- 110
stram eisdem, aut similibus argumentis se putant Recentiores dicti probare obiectum hoc: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur*, aliquid esse absolute existens, atque adeò non identificatum cum

conuer

conuersione Iudæ; sed cum scientia diuina. Primum autem argumentum, quod afferunt, secundum supra oppositum *num.* 102. recidit. Sicque formatur in præsenti. Illud existit absolutè, quod nulla ratione impeditum est, quominus absolutè existat. Sed ita se habet dictum obiectum; siquidem nihil ei contradictoriè oppositum existit absolutè. Ergo. Cæterùm, argumentum hoc imprimis probat, existere absolutè conuersionem Iudæ, vtpotè quæ, vt fatetur arguens, in dicto obiecto inclusa est tanquàm subiectum veritatis eius. Quod tamen est falsum, vt supponitur. Deinde supponit, per dictum obiectum impediri ab statu absoluto integrum eius contradictorium, atque adeo illud cum conuersione Iudæ in se inclusa absolutè existere. Quod iterum est falsum. Præterea supponit extrema ad diuersos status spectantia contradictoriè opponi, & à se se inuicem impedibilia esse. Quod etiam est falsum, proùt loco citato in simili dictum iam est. Respondeo igitur, dictum obiectum per carentias absolutas conuersionis Iudæ, & auxilij *A* impeditum esse de facto, quominus absolutè existat, atque adeò illud nullatenùs esse aliquid absolutè existens. Quoad veritatem verò conditionatam præcisè, vt talem nec esse impedibile ab statu absoluto, neque in eo ponibile: quia est veritas independens, atque præscindens ab absolutâ sui existentiâ, & non existentiâ; vt satis, superque in *superioribus* expositum est. Ab statu verò conditionato, à quo impediri posset huiusmodi veritas per suum conditionatum contradictorium, de facto non est impedita, vt supponimus, supponendo verum esse dictum obiectum.

111 Secundò obiiciunt. De quouis absolutè non existente simpliciter, & sine addito verificatur, *non esse re ipsa*. At non ita id ipsum verificatur de obiecto huius scientiæ diuinæ: *Si Iudas haberet auxilium A, conuerteretur*. Igitur tale obiectum absolutè existit. Leuis obiectio. Distinguo maiorem. Quando tantùm agitur de *esse*, aut non *esse* absoluto entis propositi; transeat maior: quando agitur insuper de *esse*, aut non *esse* conditionato, nego maiorem: & concessa minore; nego consequentiam. Ex quo patet, cur de obiecto dictæ scientiæ diuinæ non possit impræsentiarum simpliciter, & sine limitatione negari, *non esse re ipsa*, tametsi illud nullum *esse* absolutum habeat, (quidquid sit de aliis casibus) censeretur enim ea absoluta loquutione negari insuper *esse* conditionatum, quod verè habet; & supposita tali scitscentia, negari non potest.

112 Tertiò obiiciunt. Quidquid est reale, & non merè fictum potest absolutè existere. At hoc complexum coalescens ex his extremis simul sumptis: *Non conuertitur absolutè Iudas cum auxilio A. Conuerteturque cum illo, si illud haberet*: non est quid impossibile, confictumque; quippè totum id verum est. Ergo complexum coalescens ex his extremis simul sumptis potest absolutè existere. Existat ergo absolute, & arguitur sic. Non potest existere absolutè totum, quin existant absolutè partes, quas includit. Prædictum totum existit absolutè. Ergo, & partes, quas includit: vna ipsarum est status conditionatus conuersionis Iudæ sub auxilio *A*. Ergo existit absolutè dictus status, & non existit absolute conuersio Iudæ. Quomodò ergo sunt idem? ita illi. Non animaduertentes, se per hoc argumentum planè probare, si quid probant, existere simul absolutè duo contradictoria, nimirum conuersionem Iudæ, & negationem eius. Supponunt enim, iuxta priorem partem complexi, non existere absolutè conuersionem Iudæ. Deinde probant, existere absolute posteriorem partem complexi, & consequenter conuersionem Iudæ, quæ in illa includitur, vt ipsi alibi fatentur; neque negare possunt, vt sæpe diximus in simili.

Respondeo ergo, prædictum complexum impos- 113
sibile esse respectiue ad eumdem statum, quia continet conuersionem Iudæ, & auxilium *A*, & negationes vtriusque, quæ omnia in eodem statu coniungi non possunt. Nihilominus esse verum: quia altera pars eius spectat ad statum absolutum, & altera ad conditionatum. Et nihil vetat esse veram negationem rei, absolute, quando res est vera conditionate, vel è conuerso; Vt passim euenit in omnibus conditionatis, quorum non purificatur conditio. Res enim, & eius negatio dumtaxat opponuntur contradictoriè intra eumdem statum, non intra diuersos. Quæ omnia ex dictis in *superioribus* satis, superque liquida sunt.

Quartò ex mente eorumdem Recentiorum obii- 114
ci potest. Si veritas contingens conditionata ea est, quæ absolutè nullum habet esse, sed haberet. Ergo ex parte veritatis conditionatæ nihil est, quo absolutè determinetur intellectus diuinus ad illam cognoscendam præ oppositâ. Neque enim videtur perceptibile, vt absolutè determinet, aut præstet aliud quidpiam id, quod est nihil absolutè; sed esset, si daretur conditio. Cúmque neque ex parte Dei admittamus aliquid absolutè determinans ad talem scientiam, videntur recidere in nos, quæ *suprà proposit. 2. à num.* 40. in Recentiores vrgebamus. Respondeo tamen. Quidquid est cognoscibile à Deo per scientiam absolutè existentem, quemadmodum potest absolutè terminare eam scientiam, siue esse terminum per eam cognitum, iuxta sententiam omnium; ita etiam posse absolutè determinare ad illam, qualecumque demum esse habeat per illam cognoscibile, siue absolutum, siue conditionatum, siue præsens, siue futurum, *&c.* Nam ad istud genus determinationis, per modum conditionis extrinsecæ, amplius non requiritur in determinatiuo, quàm quòd illud sit quoquo modo obiectiuè verum, atque adeò cognoscibile per scientiam actualem Dei, absolutamve ex parte actus. De quo plura dicenda sunt *in Tract. de scient.* vbi amplius, & vniuersaliùs punctum hoc illustrabitur. Recognoscatur tamen interim doctrina ad rem stabilita *disput. 9. quæst. 5. proposit. 30.*

Accedo iam ad diluenda argumenta, quæ iidem 115
Recentiores opponunt contra statum quiditatiuum rerum identificatum cum rebus ipsis; prout à nobis explicatur *proposit. 5.* quatenus dicimus, res omnes secundum se consideratas independenter ab eo, quòd existant, vel secus, habere de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo veritates quiditatiuas, & necessarias à se indistinctas, verè scibiles, & iudicabiles iudicio absoluto: hoc est verè, & absolutè esse id, quod sunt, sumpto verbo *esse* non existentialiter, sed essentialiter. Quod ipsum est, eas habere de suo, siue conceptu proprio *esse* quoddam quiditatiuum, siue *esse* essentiæ, seu quiditatis à se indistinctum, ab omni causa, ab omnique existentiâ independens, atque adeò indefectibile prorsus, & necessarium, vti dicebant Doctores citati *num.* 10. Quam profectò doctrinam benè intellectam de mente omnium Theologorum, si paucos excipias Recentiores, arbitror esse. Ob id Basilius *ibi* cum aliis citatus dixit, eam ab homine sano, & docto negari non posse.

Contra illam nihilominùs arguitur primò. Illud 116

esse

esse quiditatiuum,& necessarium neque est factum: quia antequam quidquam fieret, iam erat verum; neque est non factum: quia omne non factum,vel est Deus, vel nihil. Tum neque est dependens à Deo: quia nihil distinctum a Deo ab eo dependens est necessarium; neque est independens:quia nihil potest habere *esse* independenter à fonte, principióque primo totius *esse*: ergo est quid chymericum. Respondeo ad primum, prædictum *esse* quiditatiuum non esse factum; atque adeò verè esse nihil existentialiter;esse tamen aliquid essentialiter, ad quod non requiritur, quòd sit factum. Ad secundum. Esse illud independens à Deo dependentia originis,siue influxus,quæ solis existentibus, atque ita contingentibus competit: dependens verò, quando est possibile dependentia connexionis, necessitati eius nihil derogante, quatenus ne quiditatiuè quidem esset, quod est, si Deus deficeret; siquidem in eo casu neque esset possibile intrinsecè, neque factibile à Deo, vt modò. Dixi, *quando est possibile*: quia multæ chymeræ impossibiles, quæ etiam suum verum *esse* impossibile atque quiditatiuum habent, ne connexionis quidem dependentia dependent à Deo quoad tale *esse*.Neque hoc est inconueniens: quia Deus absolutè loquendo,solùm est fons,est primum principium totius *esse* possibilis,non impossibilis,vt talis.De quibus in *sequentibus* plura dicemus. Adde hoc & sequentia argumenta in omni sententia soluenda esse, vt postmodùm notabo.

117 Secundò arguitur.Illud *esse* quiditatiuum, vel est ab æterno quid actuale, vel quid purè possibile? Si quid actuale, erit existens: quod est absurdum. Si quid purè possibile erit contingens: quia omne, quod potest esse, & actu non est; contingens est; & tamen ponitur esse necessarium. Ergo. Tota difficultas huius argumenti est de nomine oriunda scilicèt dumtaxat ex acceptione terminorum. Imprimis iam notaui *suprà num.* 84. prædictum *esse* quiditatiuum non esse ab æterno, propriè loquendo: quia cùm non habeat existentiam, nulli tempori respondet propriè, solúmque posse dici proprie esse ab æterno verum, hoc est, iudicabile verè iudicio existente ab æterno. Deinde ex doctrinà suprà traditâ *disputatione 9. quæst.* 1. constat, duplicem esse actum essendi, existentialem, quem significat verbum esse adiectiue sumptum, idemque est cum actu existendi; & essentialem, quem significat verbum *esse* substantiuè sumptum, & nihilo ab identitate differt, à quibus diuersis actibus diuersimodè dicitur actuale subiectum, cui conueniunt. Cúmque omni actui secundo respondeat actus primus, siue potentia, vt loco citato statuimus, altera erit potentia ad existendum; altera ad essendum essentialiter, siue quiditatiuè. Ex quibus primâ communi acceptione possibilitas dicitur: secunda non item: quia vix occurrit de ea sermo in aliis materiis. In præsenti tamen distinctionis gratiâ, vtraque dicitur possibilitas, altera existentialis, altera essentialis. Quibus positis, iam manifestè apparet, quomodò ad argumentum factum sit respondendum, & quomodò in tota hac materia, omni seposita æquiuocatione, loquendum sit. Dico ergò, prædictum *esse* quiditatiuum esse, in sensu dicto ab æterno quid actuale actualitate essentiali, non actualitate existentiali; & consequenter non esse quid purè possibile possibilitate essentiali, esse tamen quid purè possibile possibilitate existentiali. Ex quo patet, quomodò sit quid contingens relate ad actum existentialem, tametsi sit quid necessarium relatè ad actum essentialem.

Tertiò arguitur. Prædictum *esse* quiditatiuum 118
rerum non est à Deo impedibile, cùm sit quid necessarium. Ex eo autem, quòd non sit à Deo impedibile, sequuntur innumera absurda. Ergo. Cætera patent. Probatur minor. Sequitur enim primò, Deum necessariò esse alligatum consortio rerum à se distinctarum, atque adeò imperfectarum. Secundò, Deum nostro *esse* essentiali indigere ad existendum. Tertiò, Deum non esse perfectum dominum nostrarum essentiarum. Quartò, non esse, cur non possit pariter dari *esse* aliquod existentiale non impedibile à Deo. Quintò, non posse Deum perfectè annihilare creaturas. Sextò, non produxisse illas ex nihilo, contra definitionem Concilij Lateran. quæ habetur *in cap. Firmiter de summa Trinit*, &c. Septimò, stultum esse gratias Deo agere pro integro *esse* ab eo recepto. Octauo, dari de facto infinitum in actu rerum actualium actualitate essentiæ: Nonò,dari actualiter actualitate essentiæ simul in eodem intellectu assensum, & dissensum; in eâdem voluntate amorem, & odium; in rerum naturâ duo quæque contradictoria extrema; in voluntate Christi domini odium Dei, & cæteri actus praui tali voluntati possibiles; & alia huiusmodi monstra, quæ longum esset recensere. Chymericum igitur est prædictum *esse* quiditatiuum.

Cæterum cuncta hæc laruæ quædam sunt ad 119
deterrendum eos, qui sententiæ nostræ legitimum conceptum non faciunt. Quod, vt manifestè constet,ostendo imprimis hoc, & cætera omnia argumenta, quæ contra nostram fiunt,aut fieri possunt, contra omnes omnium sententias pariter eodem impetu militare, ab omnibusque proinde soluenda esse. Nemo enim negat, neque negare potest, obiecta propositionum, quæ necessariæ, & æternæ veritatis dicuntur, vt *Petrus est homo*: *Michaël est Angelus*: *Secundus mundus est possibilis*, & similium re ipsa vera esse obiectiuè independenter à sua absoluta existentia; aliàs omnes huiusmodi propositiones, iudiciaque eis correspondentia, tam in intellectu diuino, quàm in creato falsa essent. Quod est absurdum. Deinde nemo negat, neque negare potest veritatem eiusmodi obiectorum necessariam, & prorsus indefectibilem esse, ipsaque obiecta proinde necessariò, & prorsus indefectibiliter esse vera. Ob id enim propositiones illa enunciantia necessariæ, & æternæ veritatis dicuntur, est enim ex terminis euidens, vnumquodque necessariò esse id, quod essentialiter,siue quiditatiue est;nam si posset id non esse,sine se ipso posset esse: pone enim, posse hominem non esse hominem, statimque fiet posse hominem sine homine esse, quod est manifesta implicatio contradictionis in ipsis terminis. Propositiones autem prædictæ de vnoquoque prædicant esse id, quòd quiditatiue est; ob id tum ipsæ, tum ipsarum obiecta nequeunt non esse vera. Denique nemo negat, neque negare potest, prædicta obiecta necessariò vera aliquid saltem includere in suo integro conceptu realiter distinctum à Deo. Alioquin,si solum Deum includerent,Deus dum illa cognoscit, se solum cognosceret,vt est notissimum; indeque fieret, vt Deus præter se ipsum, & res absolutè existentes, nihil ampliùs cognosceret, Quod est erroneum.

Habemus igitur ex sententia omnium dari re ve- 120
ra ex parte rerum independenter ab eorum existen-

tia,

tia absolutâ, veritates quasdam, seu vera quædam necessaria verè iudicabilia, & scibilia, eaque realiter distincta à Deo, saltem vt includens ab incluso, contra quæ subinde eadem militant argumenta, quæ contra *esse* quiditatiuum ipsarum rerum, quod nos adstruimus, fieri possunt. Etenim eiusmodi vera, cùm sint necessaria, non sunt à Deo impedibilia. Inde autem statim sequuntur omnia, quæ contra nostrum *esse* quiditatiuum ex eodem capite sunt illata. Quin imò, cùm omne verum, siue iudicabile vere, saltem iudicio affirmatiuo, non possit non importare aliquod *esse*: tum quia veritas saltem affirmatiua seu quod idem est, positiua apud omnes est passio entis: tum maximè, quia huiusmodi verum ab eo dicitur tale, quia ita est in se re ipsâ, sicuti esse iudicatur. Conficitur planè in omnium sententiâ, hoc ipso, quod admittitur, neque negari potest, dari ex parte rerum independenter ab earum existentiâ absolutâ aliquod verum necessarium, realiterque à Deo distinctum, saltem, vt includens ab incluso per *supra* dictas propositiones, iudiciaque verè affirmabile, consequenter debere admitti, neque negari posse, dari ex parte terum independenter ab earum existentiâ absolutâ aliquod *esse* pariter necessarium à Deo distinctum, & verè affirmabile. Quidni illud erit *esse* quiditatiuum, quod nos admittimus? Cùm ad rem præsentem nihil interfit ponere illud quiditatiuum absolutum, aut conditionatum existentiale; maximè, quia plus est citra dubium habere quidpiam *esse* existentiale conditionatum, quàm habere *esse* absolutum merè quiditatiuum, vt plus est, esse quidpiam conditionatè futurum, quàm esse purè possibile, vt patet.

Igitur ad argumentum factum respondeo pro 121
omnibus, non esse quidem impossibile à Deo *esse* quiditatiuum rerum, id est à Deo impediri non posse, quominus vnaquæque sit id, quod essentialiter est; Hoc tamen neque vllum adferre inconueniens, neque aliquid derogare omnipotentiæ diuinæ: quoniam nullum adfert inconueniens, nec derogat omnipotentiæ diuinæ; quòd ea præstare non possit id, quod contradictionem implicat, atque adeò prorsus est impossibile. Facere autem, quòd aliquid non sit id, quod essentialiter est, contradictionem implicat manifestè, atque adeò prorsus est impossibile. Vnde ad primum, quod tanquam inconueniens inferebatur, dico. Nullum in eo est, quòd Deus existere non possit sine eo, quòd vnaquæque res ab ipso distincta sit, quod essentialiter est. Ad secundum, dico. Deus ne nostro quidem essentiali, atque adeò necessario *esse* indiget ad existendum: quia Deus magis necessario existit, quàm nos sumus id, quod essentialiter sumus, vt ostendam *suo loco*. Ad 3. Nihil derogat perfecto dominio, quod Deus habet nostrarum essentiarum, quòd nequeat inuertere illas, faciendo vt non simus id, quod essentialiter sumus: hoc enim est quid impossibile. Satis superque est ad perfectum earum dominium, quod Deus possit facere illas, aut non facere existentes, prout ipsi libuerit. Ad 4. Ex eo, quòd non possint à Deo inuerti essentiæ rerum modo dicto, nullatenus sequitur, posse non aliquam sine nutu libero Dei, atque adeò necessariò existere. Cùm sit de essentia ipsâ vniuscuiusque rei à Deo distinctæ dependere à Deo in existendo, tanquam à causâ priuâ liberâ. Ad 5. Deus perfectè potest annihilare creaturas, hoc ipso, quod potest illas reducere ad nihilum existentiale; quòd enim remaneant obiectiuè verè quiditatiuè, aut conditionatè, perfectæ annihilationi non obstat. Ad 6. Deus creaturas produxit ex nihilo, tum quia produxit per creationem, non ex præsupposita materia: tum quia ante suam absolutam existentiam simpliciter erant nihil, tametsi veræ obiectiue essent quiditatiuè, & conditionatè. Solum enim quod absolutè existit, iuxta communem loquendi morem dicitur simpliciter esse; cætera tantùm cum limitatione, & addito. Ad 7. Pro toto *esse* etiam quiditatiuo, quod à Deo existentialiter accipimus, gratiæ ipsi à nobis agendæ sunt. Tametsi; quòd præscindendo ab existentia quiditatiuè simus, quod sumus non sit materia idonea actionis gratiarum, quia oppositum est impossibile. Ad 8. Infinitum in actu, quod negant omnes, est rerum absolutè existentium: Infinitum verò rerum purè possibilium, aut etiam sub conditione futurarum, quæ ex suo proprio conceptu verè sunt id, quod sunt, à nemine negari debet, vt *suo loco* videbimus. Ad 9. Quæ quoad existentiam absolutam oppositа quoquo modo sunt, quoad quiditatem non sunt oppositа, imò nec sunt, vt sic in subiecto existente: quia vt verè sit vnumquodque id, quod de suo est, citra existentiam nullo subiecto existente indiget. Ex quo patet, ne quoad quiditatem quidem esse in voluntate Christi Domini odium Dei, aut alia peccata; sed quidquid de hoc sit, certè, vt non est indecens Christo Domino, quod eius voluntati præscindendo ab vnione sint possibilia, imò & futura sub conditione multa, & grauissima peccata (quod nemo sine nota negare potest: quia aliàs Christus verus homo non esset) ita multò minus erit indecens ipsi, quòd talia peccata ex conceptu suo quiditatiuè sint id, quod sunt, vt ex se patet. Quod solum fert sententia nostra. Ex quibus omnibus apertè concluditur; quæcumque ex illa in argumento facto tanquam absurda inferebantur, nihil omninò, bene intellecta, habere absurditatis.

Quartò arguitur. Radix contingentiæ creaturarum quoad existentiam est earum imperfectio, & 122
infinita distantia, quâ distant à perfectione Dei. Ergo tantumdem est dicendum de illis quoad essentiam. Tum ad perfectionem Dei spectat posse nolle efficaciter omne imperfectum, & à se infinitè distans quoad perfectionem. Ergo nullum est *esse* necessarium in creaturis, hoc enim Deus non posset efficaciter nolle. Hoc etiam argumentum ab obiicientibus, & ab omnibus est soluendum, iuxta dicta circa præcedens. Probat enim, si quid probat, hanc veritatem *Petrus est homo*, & similes, quæ citra omne dubium important aliquid distinctum ab entitate Dei, contingentes esse, Deumque proinde efficaciter, posse nolle, vt Petrus sit homo, quod est absurdum. Respondeo, admittendo radicem contingentiæ creaturarum quoad existendum esse earum imperfectionem, seu non infinitam perfectionem, de quo *suo loco*. Ex hoc tamen solùm sequi, earum essentias etiam esse contingentes in existendo, non item in essendo id, quod sunt, Deúmque proinde posse efficaciter nolle, vt existant; secus vt sint, quod de suo sunt. Nec ad perfectionem Dei pertinere, posse efficaciter nolle id, cuius contradictorium omninò est impossibile, vt patet. Aliud argumentum, quod hoc loco adiungunt Recentiores ex eo desumptum, quod actus existendi; & actus essendi non videntur diuersi, ex dictis circa secundum dilatum est.

123 Quintò arguitur. Tam necessaria veritas est hæc: *existentia est existentia*; vel: *existentia est possibilis*, quam hæc, & similes: *Petrus est homo*, vel: *Petrus est possibilis*: sed illa nō arguit in existentiâ duo *esse*, aliud essentiale, aliud existentiale: nā de hoc idem veniret dicendum, & abiremus in infinitum. Ergo nec cæteræ. Hoc etiam argumentum iuxta dicta ab omnibus soluendum est. Respondeo pro omnibus concedendo maiorem, & negando minorem, ad cuius probationem dico: nos quidem in distinguendis formalitatibus existentiæ, & essentiæ in infinitum syncategorematicè progredi posse, sicut & in multiplicandis cæteris quibusque formalitatibus transcendentibus, prout sæpè *in superioribus* dictum est, deincepsque dicetur, atque ita in quâuis formalitate existentiæ duas veritates inuenire, alteram quiditatiuam, & alteram existentialem. Videntes tamèn intuitiuè totam rem cum suâ existentiâ identificatam, bifariam iudicant absolutè, idque citra omnem progressum, & indiuisim. Primò per iudicium huic simile: *Res existit*. Secundò per iudicium huic simile: *Res est res*. Ex quibus primum ad sui veritatem petit, vt res existat: secundum non item.

124 Sextò denique arguitur. Veritas obiectiua huius obiecti: *Chymera est impossibilis* non identificatur cum chymerâ; ita enim fieret, vt duo extrema summè opposita, qualia sunt impossibile, & necessarium re verâ essent idem. Chymera namque est impossibilis, & eius impossibilitas est necessaria. Ergo nec cæteræ huiusmodi veritates necessariæ identificantur cum rebus, quibus attribuuntur; sed cum entitate Dei necessariâ. En alia Recentiorum deceptio quibusdam præcedentium similis. Nego antecedens. Ad eius probationem dico, impossibilitatem, & necessitatem, quas verè ex proprio conceptu, & secum identificatas habet chymera, nequaquàm esse extrema inter se opposita: quia prima est impossibilitas ad existendum; secunda necessitas ad essendum id, quod de suo est. Impossibilitas autem, & necessitas, vt inter se opponantur debent esse tales respectiuè ad eumdem actum, siue ad eumdem statum, vt sunt necessitas, & impossibilitas eiusdem rei in existendo; necessitásque, & impossibilitas eiusdem rei in essendo, quod est. Quomodò autem nihilominùs possit excogitari chymera impossibilis, quæ ex suo intrinseco conceptu sit necessaria necessitate impossibilitati oppositâ, *inferiùs disp.* 11. explicabimus. Cætera autem, quæ contra sententiam nostram possent opponi, facilè quisque diluet ex hactenus dictis.

125 Cæterùm adnotare oportet ad extremum huius quæstionis, nos in eâ tantùm tractasse de statibus rerum quiditatiuo, & existentiali, absoluto, & conditionato realibus, & veris. Sunt tamen præterea totidem similes status supposititi; à nostroque intellectu oriundi, prout cognoscente per species alienas, ad quos nonnullæ pertinent veritates, quæ licet fundamentum habeant in rebus ad aliquod spectans prædictorum statuum realium, prout tamen à nobis concipiuntur, & iudicantur à cognoscentibus per proprias species, neque conceptibiles, neque iudicabiles sunt. Sicque supposititium quemdam statum in mente nostrâ obiectiuè sortiri censentur, prout speciatim explicabimus *q.* 4. vbi de huiusmodi suppositiis statibus commodiùs dicetur; quidquid scitu, dictùque dignum fuerit.

QVÆSTIO II.

Quid sit status rerum vagus, seu disiunctiuus, Et quotuplex?

QVandoquidem status rerum, de quibus in præ- 126
sente *disp.* tractamus, ab earum veritatibus obiectiuis nihilo differunt, vti *q.* 1. sub initium statutum est: status rerum vagus, seu disiunctiuus ab earum veritatibus obiectiuis vagis, seu disiunctiuis nihilo differet. Dicuntur autem veritates vagæ seu disiunctiuæ, quæ non determinatè; sed vagè, seu sub disiunctione iudicandæ veniunt, vt sunt hæ: *Aliquis homo loquitur*, seu: *Hic homo vel ille, vel alter loquitur. Aliquid ex extremis contradictionis existit*; seu *vnum vel alterum ex extremis cōtradictionis existit*; & cæteræ huiusmodi. Nec aliter meliùs, quàm per exempla sunt termini isti explicabiles, seu definibiles, cùm sint ex notissimis.

Vt autem aliqua veritas obiectiua, seu, quod in 127
idem recidit, aliqua propositio obiectiua vaga, seu disiunctiua sit, sat est, quod aliquis terminus eius vagè, seu disiunctiuè sumatur, siue ille sit categorematicus, siue syncategorematicus, & siue ex parte subiecti, siue ex parte prædicati positum sit, quantumuis reliqui omnes accipiantur determinatè, vt satis ex se notum est. Per exemplaque declaratur. Istæ enim omnes veritates vagæ seu disiunctiuæ censendæ sunt. *Aliquis homo est possibilis*: *Alicuius hominis anima est possibilis*: *Petrus est aliquis homo*: *Petrus est filius alicuius hominis*: *Vestis facta à Petro, vel Ioanne est bona*: *Petrus habet vestem factam à Petro, vel Paulo*: *Necessarium est, Petrum produci per aliquam actionem*; siue: *Aliqua actio est necessaria, vt producatur Petrus*. Quod quidem perinde habet locum in propositionibus obiectiuis hypotheticis, atque in categoricis, tum incomplexis, tum complexis, iuxta dicenda, vt etiam est notum. Quod sit autem terminus categorematicus, quid syncategorematicus, & quid subiectum, quid prædicatum propositionis obiectiuæ, Logicis cunctis est notissimum, ex dictisque *in superioribus*, dicendisque *in sequentibus*, ampliùs notescet.

Porro veritas obiectiua vaga, seu disiunctiua du- 128
plex imprimis est. Altera necessaria, quæ prorsus est indefectibilis, vt. *Aliquis homo est possibilis*: *Petrus existit, vel non existit*. Altera contingens, quæ defectibilis est, vt *Aliquis homo loquitur*: *Petrus, vel Ioannes ambulat*. Necessaria autem rursus est duplex. Altera, cuius, vel omnia extrema, vel eorum aliquod seorsim, & determinatè sumpta necessaria sunt, vt: *Aliquis homo est possibilis*: *Deus, vel Petrus existit*. Prioris namque omnia extrema; nempe: *Hic homo est possibilis*: *Ille homo est possibilis* &c. seorsim, & determinatè sunt necessaria; posterioris autem illud tantùm: *Deus existit*. Altera, cuius omnia extrema seorsim, & determinatè sumpta contingentia sunt, vt: *Petrus, vel Petri negatio existit*, siue: *Petrus existit, vel non existit*. Quamuis enim est necessarium, Petrum existere, vel non existere; at Petrum existere seorsim contingens est, similitérque Petrum non existere.

Deinde veritas obiectiua vaga, seu disiunctiua 129
sumpta vniuersè triplex est. Alia, cuius omnia extrema seorsim & determinatè sumpta sunt vera, vt: *Petrus, vel Ioannes est possibilis*: *Petrus, vel Ioannes loquitur* (supposito, quod vterque loquatur) Verū quippe est seorsim, & determinatè, Petrū esse possibilem, similiterque, Ioannem esse possibilem. Tum in casu posito, Petrum loqui, & Ioannē loqui.

Alia

Alia est, cuius aliquod, aut aliqua extrema seorsim, & determinatè sumpta vera, & aliquod, aut aliqua falsa sunt, vt : *Deus, vel Anti-Christus existit: Aliquis homo loquitur.* Prioris namque illud extremum : *Deus existit*, verum est; illud tamen est falsum : *Anti-Christus existit.* Posterioris verò multa extrema determinatè sunt vera : quia multi sunt homines, qui loquuntur, & multa sunt falsa : quia multi etiam sunt homines, qui non loquuntur. Alia denique est, cuius omnia extrema seorsim, & determinatè sumpta sunt falsa, vt : *Necesse est, effectum produci per aliquam actionem : vnus, vel alter oculorum est necessarius ad videndum.* Istæ enim propositiones sunt falsæ : *Necesse est, effectum produci per hanc determinatam actionem, aut per hanc, aut per illam*, &c. *Dexter oculus est necessarius ad videndum : Sinister oculus est necessarius ad videndum* ; Cùm tamen illarum verarum omnia extrema seorsim, & determinatè sumpta contineant.

130 Prætereà propositio, atque adeò veritas obiectiua vaga, seu disiunctiua æquè ac determinata, alia categorica est, vt : *Aliquis homo ambulat* ; alia hypothetica, vt : *Si sol luceret, aliquis homo ambularet.* Et vtraque aut incomplexa potest esse, vt sunt eædem, aut complexa, vt istæ : *Vel Petrus loquitur, vel Ioannes ambulat : Si sol luceret, vel Petrus loqueretur, vel Ioannes ambularet*, &c. Postremò intra quoduis genus huiusmodi propositionum, seu veritatum obiectiuarum aliæ puræ negatiuæ, aliæ purè affirmatiuæ, seu positiuæ, & aliæ mixtæ possunt esse. Quorum omnium exempla obuia sunt, facilliméque ab vnoquoque possunt apponi.

131 Igitur, quod modò examinandum sequitur est : In quo consistat veritas obiectiua vaga, seu disiunctiua, & consequenter status rerum vagus, seu disiunctiuus, quodque sit verificatiuum ex parte rerum cuiusuis vagæ; seu disiunctiuæ propositionis. Quâ de re vix est, qui ex professo tractauerit Solùm Recentiores, cum quibus late egimus *suprà quæst.* 1. de veritatibus necessariis disiunctiuis, quemadmodùm de determinatis censent identificari cum Deo. Omne quippe obiectum necessariò verum ab entitate Dei necessariâ tanquam à formâ extrinsecâ suam veritatem obiectiuam mutuare putant, vt *ibi* retulimus. De veritatibus autem disiunctiuis, loquendo vniuersè communiter videntur sentire Auctores, dum rem attingunt, ea ex parte rerum in veritatibus determinatis alicuius, aut aliquorum ex extremis disiunctionis fundari. Atque ita sæpè dicunt, propositionem vagam, seu disiunctiuam pro verificatiuo habere illud *esse* determinatum, quod habet aliquod ex extremis suæ disiunctionis. E. g. hæc propositio : *Petrus, vel Ioannes existit*, solo Petro existente, est vera ab *esse* existentiali determinato, quod verè Petrus habet ; & in cæteris pariter.

132 Cæterùm pro exactâ difficultatis resolutione, quædam principia prorsus certa oportet summatim præmittere, quæ *inferiùs q.* 5. explicatius statuenda, aut etiâ demonstranda sunt. 1. Impossibile est, vt ex duobus extremis vnum, vel alterum sub disiunctione habeat re ipsâ esse absolutè, & neutrum eorum determinatè habeat re ipsâ esse absolutè. 2. Impossibile est, vt actus, quicunque ille sit, versetur per se circa vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, ipsumve vt sic tangat, siue respiciat, & circa neutrum eorum versetur, neutrumve tangat, siue respiciat determinatè. 3. Impossibile est, vt actus, quicumque ille sit, conueniat per se vni, vel alteri subiecto sub disiunctione, & neutri eorum conueniat determinatè. 4. Veritas conditionata, determinataque, quâ vera est positio vniuscuiusque duorum extremorum sub conditione defectus alterius, æquialens est veritati absolutè disiunctiuæ, quâ vera est sub disiunctione positio alterutrius. Quocirca omnis eiusmodi conditionata veritas, omnisque propositio, atque iudicium ei correspondens æquiualenter disiunctiua dicentur, ad distinctionem veritatum disiunctiuarum, propositionumque, & iudiciorum eis respondentium, quæ formaliter talia sunt. 5. Quoties actus versatur conditionatè, determinatéque circa vnumquodque duorum extremorum sub hypothesi defectus alterius : per quamdam æquiualentiam censetur versari absolutè circa vnum, vel alterum eorum sub disiunctione. Vnde eiusmodi actus æquialenter disiunctiuus ex parte termini dicetur. 6. Quoties actus conditionatè, determinatéque conuenit vnicuique duorum subiectorum sub hypothesi defectus alterius, per quamdam æquialentiam censetur conuenire absolutè vni, vel alteri eorum sub disiunctione. Vnde eiusmodi actus æquialenter disiunctiuus ex parte subiecti dicetur.

Quæ cùm ita sint colligo primò. Nullum dari 133
posse actum, siue respectum aut connexionis, aut exigentiæ, aut imperij, aut cognitionis ; aut cuiusuis demum alius rationis tendentem per se formaliter, & absolutè in vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, & in eorum neutrum determinatè. Hoc namque ex *principio* 2. repugnat. Vnde, quoties aliquis huiusmodi actus, siue respectus adstrui videtur, dumtaxat id fit per æquialentiam, iuxta *principium* 5. Hinc, cùm dicitur aliquod subiectum connecti cum vno, vel altero termino, & cum neutro determinatè : quia sine alterutro esse potest, non tamen sine vtroque perinde est, ac dicere, tale subiectum determinatè connecti cum quouis talium terminorum ex hypothesi defectus alterius. Et cùm dicitur, aliquod subiectum exigere alterutrum ex duobus extremis, & neutrum determinatè, perinde est, ac dicere, tale subiectum exigere determinatè quoduis eorum extremorum, ex hypothesi, quòd negetur ei alterum. Et cùm dicitur, per imperium aliquod imperari alterutrum duorum actuum, & neutrum determinatè, perinde est, ac dicere, per tale imperium imperari quemuis eorum actuum determinatè sub hypothesi omissionis alterius. Et in cæteris pariter. Vnde rursus efficitur, nullam posse dari necessitatem ad vnum, vel alterum extremum, quæ ad neutrum sit determinatè : quia necessitas ad quidpiam actus quidam, siue respectus est ad illud ex suo conceptu. Vnde, cùm dicitur quidpiam necessitatum esse ad hoc, vel illud extremum sub disiunctione ; non verò ad hoc, aut ad illud determinatè, perinde est, ac dicere, necessitatum esse ad quoduis talium extremorum determinatè, ex hypothesis defectus alterius. Similiter item : cùm dicitur quidpiam necessarium esse, seu requisitum, vt detur vnum, vel alterum extremum sub disiunctione; non verò, vt detur hoc, aut illud determinatè; perinde est, ac dicere, tale quidpiam necessarium esse, seu requisitum, vt detur quoduis talium extremorum, ex hypothesi, quòd non detur alterum. Pariterque in reliquis huiusmodi.

Secundò colligo, nullum posse dari actum, 134
siue respectum, aut connexionis, aut exigentiæ, aut imperij, aut cognitionis, aut cuiusuis demùm alius rationis conuenientem per se formaliter

maliter & absolutè vni, vel alteri subiecto sub disiunctione, & neutri eorum determinate. Vnde quoties aliquis huiusmodi actus, siue respectus additui videtur, dumtaxat id fit per æquiualentiam, iuxta *principium* 6. sic, cùm dicitur, necesse esse, vt existat vnum, vel alterum duorum sub disiunctione, non verò, vt existat hoc, aut illud determinatè, perinde est, ac dicere, necesse esse, vt existat vnumquodque eorum sub hypothesi defectus alterius. Et cùm dicitur, vnum, vel alterum duorum sub disiunctione ad quidpiam necessarium esse, seu requisitum; neutrum verò determinatè, perinde est, ac dicere, vnumquodque eorum ad tale quidpiam necessarium, seu requisitum esse ex hypothesi defectus alterius. Paritérque in similibus.

135 Adnotarè tamen oportet: bifariam dici subiectum versari per actum circa terminum ſsub aliquâ hypothesi, seu conditione. Primò, conditione se habente ex parte ipsius actus; quo casu actus dicitur conditionatus ex parte sui, & absolutus ex parte termini. Secundò, conditione se habente ex parte ipsius termini; quo casu actus dicitur absolutus ex parte sui, & conditionatus ex parte termini. Quoniam in primo casu actus non habet absolutè esse, donec purificatur conditio; hoc est, donec conditio habet esse absolutè: eo quòd conditio quid requisitum est, siue conducens aliquo modo, vt actus habeat esse: quocirca ante purificationem conditionis solùm est verum, fore vt ponatur actus, si ponatur conditio. Semel tamen positâ conditione, & cum eâ actu, absolutè iam verum est, & actum habere esse absolutè, & illum respicere suum terminum absolutè, siue absolutum à conditione. In secundo verò casu actus independenter à purificatione conditionis se habentis ex parte termini habet esse absolutè; respicit tamen terminum ipsum, vt conditionatum, hoc est, vt connotantem conditionem, non quidem absolutè positam; sed suppositam in hypothesi. Videntur autem solus intellectus, & voluntas habere posse actus conditionatos ex parte termini, siue obiecti: quia solus intellectus potest facere hypothesin, in quâ ponatur conditio per ipsum obiectum connotanda: voluntas autem in obiectum tendit sibi propositum ab intellectu. Quod si ita est, reliquorum subiectorum actus ex parte sui dumtaxat, non verò ex parte termini conditionati esse poterunt. Id certum, plerosque saltem eorum eiusmodi esse.

136 Hinc. Bifariam quoque potest subiectum versari per actum circa vnumquemque duorum terminorum sub conditione defectus alterius. Primò, habente se tali conditione ex parte actus. Secundò, habente se ex parte terminorum. Et in vtroque quidem casu tale subiectum circa vnum, vel alterum talium terminorum sub disiunctione per quamdam æquiualentiam censetur absolutè versari, tamersi diuersimodè. Sit pro exemplo prioris casus subiectum connexum cum A, si deficit B, paritérque cum B, si deficit A. Pro exemplo autem posterioris sit intellectus iudicans existere A, si deficit B, paritérque existere B, si deficit A. In primo enim casu, eo ipso, quòd subiectum talis naturæ est, vt non possit non absolutè habere actum connexionis cum A, si absolutè deficiat B, similiterque cum B, si absolutè deficiat A, etsi ante talium conditionum purificationem neutro eorum terminorum absolutè connexum sit connexione formali; æquiualenter tamen cum alterutro sub disiunctione censetur absolutè connexum: quia esse subiectum talis naturæ, vt non possit existere sine A deficiente absolutè B, similitérque sine B, deficiente absolutè A, perinde est, ac esse talis naturæ, vt non possit existere sine ambobus; quod ipsum est non posse existere, quin existat alterutrum; atque adeò cum alterutro connexum esse. In secundo autem casu, hoc ipso, quòd verum sit conditionatè, existere A, si deficit B, paritérque exitere B, si deficit A, non potest non esse absolutè verum, non deficere vtrumque, quod ipsum est esse absolutè verum æquiualenter existere alterutrum; atque ita intellectum iudicare conditionatè existere A, si deficit B, pariterque exitere B, si deficit A, æquiualenter est iudicare absolutè existere alterutrum sub disiunctione.

Iam verò factâ comparatione actus ad subiectum, 137
scire opus est, quoties actus subiecto conuenit sub aliquâ conditione (siue ea se habeat ex parte subiecti, eo quòd subiectum nisi, vt connotans illam nequit exerceri per actũ; siue se habeat ex parte actus, eo quòd actus sine illâ esse non potest) necessariò deberi talem conditionem dari absolutè ad hoc, vt tale subiectum absolutè exerceatur per talẽ actum; eo quòd sine illâ absolutè positâ, aut subiectum non erit absolutè idoneum ad actum, aut actus absolutè non dabitur.

Vnde rursus fit, quoties actus habens determi- 138
natum terminum vnicuique duorum subiectorum conuenit sub conditione defectus alterius, vndecumque se habere dicatur talis conditio, perinde philosophandum esse, atque in priori casu duorum præcedentium comparationis actus ad terminum, atque ita dicendum; tunc quidem actum per quamdam æquiualentiam censeri conuenire absolutè, vni, vel alteri subiectorum sub diiunctione. E.g. eo ipso, quod conditionatè determinatèque verum est, existere necessariò A, si deficit B; similiterque existere necessariò B, si deficit A, æquiualenter verum est absolute, & sub disiunctione existere necessariò A vel B. Nam hoc ipso, quòd A, & B talis naturæ sunt, vt non possit non existere quoduis eorum, casu, quod alterum deficiat, impotentiam habent naturâ suâ ad non existendum ambo simul, quod ipsum est per æquiualentiam vnum, vel alterum sub disiunctione, & absolutè necessariam existentiã habere, seu necessariò existere. His positis sit.

Propositio 1.

Nulla veritas obiectiua datur, quæ ex parte re- 139
rum sit vaga, seu diiunctiua formaliter: benè tamen, quæ æquiualenter.

Prior pars propositionis constat ex principiis statutis *n.* 132. iuxta quæ omnia, quæ ex parte rerum verè iudicabilia sunt, omnimodis determinata sunt tum in essendo, tum in respiciendo, tum in terminando respectum; nullumque subinde iudicabile verè aut in essendo, aut in respiciendo, aut in terminando respectum re ipsâ est vagum, seu disiunctiuum. Quod ipsum est, nullam veritatem obiectiuam dari, quæ sit re ipsà vaga, seu disiunctiua, vt constat.

Posterior autem pars propositionis inde constat: 140
quia sæpè datur ex parte rerum veritas obiectiua conditionata complexa, quam æquiualenter vagam, seu disiunctiuam appellamus, vt constat ex dictis *n.* 132. *& sequentibus.* Vniuersaliter enim sæpè ex duobus extremis vnumquodque est determinatè verum sub conditione defectus alterius, in quo stat veritas eorum æquiualenter disiunctiua, vti euenit

quando

quando extrema opposita sunt intra medium, sæpéque alias.

141 Ex hac propositione sequitur primò, cognoscentes per proprias species nullam habere cognitionem, quæ ex parte obiecti formaliter vaga, seu distinctiua sit, id est, tangens vnum, vel alterum obiectum vagè, seu disiunctiuè, neutrum verò determinatè. Primò: quia cognitio sic tangens obiectum, idque non per interpositum substitutum; sed per se immediatè, qualiter tangit omnis per propriam speciem habita, impossibilis est, vt constat ex dictis *numero 33*. Secundò: quia cognoscentes per proprias species, cuncta cognoscunt, vt sunt in se, adeò vt qualia sunt in se si dantur, aut essent, si darentur, talia sint repræsentatiuè, siue obiectiuè in sui cognitione, prout amplius constabit ex dicendis *disputatione 13*. Nihil autem est in se vagum, seu disiunctiuum formaliter, vt ex propositione constat. Habent tamen cognoscentes per proprias species multa iudicia ex parte obiecti vaga, seu disiunctiua æquiualenter, quibus nimirum iudicant veritates obiectiuas vagas, seu disiunctiuas æquialenter, quæ ex parte rerum dantur, & quas subinde res ipsæ habent in se, vt etiam propositio fert. Talia enim iudicia re verâ, & formaliter ex parte obiecti determinata, atque conditionata sunt.

142 Secundò sequitur, omne obiectum vagum, seu disiunctiuum formaliter per nostram rationem dumtaxat, supposititiéque tale esse. Titulo namque cognoscendi per species alienas obiecta formaliter vaga, seu disiunctiua habere possumus, sæpéque habemus, qualia neque habere possunt, neque habent cognoscentes per proprias. Vt enim à nobis cognoscentibus per species alienas, atque adeò per aliena substituta, iuxta doctrinam latè expositam *disp. 2. q. 3.* obiecta, quæ in se sunt nihil, cognoscuntur, vt aliquid, & quæ in se sunt plura, cognoscuntur, vt vnum, & quæ in se sunt vnum, cognoscuntur, vt plura, & que in se sunt quantitatis expertia, cognoscuntur, vt quanta, prout ibidem etiam est dictum; ita obiecta, quæ in se sunt determinata, cognoscuntur, vt vaga, seu disiunctiua. Quod fit, subrogatis ab intellectu substitutis determinatis (quæ tantùm per se immediatè tangit cognitio) ad cognoscendum in illis vago quodam, seu disiunctiuo modo alia obiecta, quæ eo ipso in ratione obiectorum vaga, seu disiunctiua euadunt. Consistit autem hic modus vagus, seu disiunctiuus in eo quòd principia determinantia intellectum ad faciendam subrogationem talium substitutorum pro aliis obiectis cognoscendis, exigentia quadam æquiualenter vaga, seu disiunctiua aliquod horum vagè exigunt, quatenus talis naturæ sunt, vt exigant esse hoc ex hypothesi, quòd non sit illud; pariterque esse illud ex hypothesi, quòd non sit hoc. Quod ipsum est æquialenter exigere vnum, vel alterum esse sub disiunctione, vt constat ex doctrinâ præmissâ à *n. 135*. Quemadmodùm enim tunc intellectus noster vnam tantùm obiecti formalitatem præ aliis identificatis cum illa in alieno substituto præcisiuo modo cognoscit, quando principia illum determinantia ad subrogandum tale substitutum pro cognoscendo tali obiecto, dumtaxat quantùm est ex se exigunt, quòd illud talem habeat formalitatem, prout *loco citato* explicuimus, explicaturi latius *infrà disput. 13. quæst. 9.* Ita intellectus noster tunc vnum, vel aliud obiectum in alieno substituto quoad aliquod eorum *esse* vago, seu disiunctiuo modo cognoscit, quando principia illum determinantia ad subrogandum tale pro cognoscendis iis obiectis quoad tale *esse* dumtaxat exigunt, quòd eorum vnum, vel alterum sub disiunctione tale *esse* habeat actu quodam exigentiæ disiunctiuo æquiualenter ex parte termini. E. g. iudicium hoc nostrum: *Petrus vel Ioannes loquitur*, eatenus in substituto alieno, eoque determinato censetur tangere loquutionem Petri, vel Ioannis vagè, seu disiunctiuè, quatenus principia ad illud determinantia ex se amplius non petunt, quàm quòd existat loquutio Petri casu, quòd desit loquutio Ioannis; & quòd existat loquutio Ioannis, casu quòd desit loquutio Petri. Quod ipsum est petere, vt ambæ simul non deficiãt; atque ita petere æquiualenter, vt existat vna, vel altera sub disiunctione, & in cæteris pariter. Ex quibus patet, cur cognitio habita per species alienas possit, habere obiectum vagum; cùm habita per proprias non possit. Quia nimirum obiectum vagum in se ipso, qualiter per hanc tangi deberet, non est tangibile in alieno tamen substituto, qualiter tangitur per illam, tangibile est, vt constat ex dictis.

143 Tertiò sequitur, statum obiectorum vagum, seu disiunctiuum formaliter, ex parte rerum non se habere; atque adeò neque verum, & realem statum earum dicendum esse; sed supposititicium dumtaxat, à nostro intellectu oriundum, prout cognoscente per species alienas. Cùm tamen status obiectorum vagus, seu disiunctiuus tãtùm æquiualenter ex parte rerum se habeat, atque adeò verus, & realis earum status dicendus sit. Est enim quidam status earum conditionatus, & omnis status rerum conditionatus verus, realisque status earum est, vt constat ex dictis *hic*, & *quæst. 1.*

144 Quartò sequitur, propositionem vagam, seu disiunctiuam bifariam vsurpari posse. Primò: in sensu æquiualenter tantùm vago, seu disiunctiuo, quo pacto æquialet conditionatæ enuncianti determinatè vnumquodque extremum disiuncti sub conditione defectus alterius. Secundò in sensu formaliter vago, seu disiunctiuo; quo pacto absolutè enunciat vnum, vel alterum extremum disiuncti sub disiunctione, seu aliquod eorum vagè, neutrum verò determinatè. Et in hoc quidem posteriori sensu, nostris dumtaxat iudiciis per species alienas correspondere potest. In priori verò, & nostris, & eorum, qui iudicant per species proprias, vt constat ex dictis.

145 Quintò sequitur, verificatiuum propositionis æquialenter tantùm vagæ, seu disiunctiuæ, in sensuve eiusmodi vsurpatæ, veritatem illlam esse obiectiuam, æquialenter pariter vagam, seu disiunctiuam, quâ vera est positio vniuscuiusque extremi disiuncti sub conditione defectus alterius; quæ quidem veritas conditionata est, ad statumque subindè conditionatum rerum pertinet, qui prior naturâ est statu earumdem âbsoluto quando, & hunc etiam illæ habent, iuxta posteà dicenda. Idemque verificatiuum habet iudicium tali propositioni respondens, iuxta dicta nuper, verificatiuum tamen propositionis formaliter vagæ, seu disiunctiuæ, in sensuve eiusmodi vsurpatæ, veritatem determinatam, & absolutam, ad statúmque subinde rerum absolutum spectantem esse alterius ex extremis disiuncti. Ad veritatem enim talis propositionis sicut, & iudicij ei respondentis, sat est, quòd vnum ex extremis disiuncti absolutè habeat esse, neque opus est, quòd vnumquodque eorum habeat esse conditionatè sub conditione defectus alterius. Quando autem omnia extrema disiuncti absolutè habent esse, quoduis eorum seorsim est verificatiuum sufficiens talis propositionis, atque iudicij.

146 Vnde obiter colligo cum communi Doctorum sententia contra vnum, aut alterum opinantem oppositum, ad veritatem propositionis formaliter disiunctiuæ necessarium non esse, quòd vnum dumtaxat ex extremis disiuncti habeat esse absolutè, sitque proinde verum absolutè, & determinatè; quamuis enim talia sint omnia, propositio erit vera, vtpote, quæ ita vnum eorum adstruit vagè, seu disiunctiuè, vt cætera nequaquàm excludat. Qui enim dicit: *Aliquis homo loquitur*, siue: *Hic homo, vel ille, vel alter loquitur*, ita affirmat, loqui vnum hominem, quicumque ille sit, vt non neget cæteros loqui, præscindit enim ab eo, quòd alij loquantur, aut secùs. Vnde propositio vera est, etiamsi loquantur plures, vel omnes. Paritérque de cæteris huiusmodi propositionibus, de iudiciisque eis respondentibus censendum est.

147 Sextò sequitur, omnem veritatem æquiualenter disiunctiuam à nobis cognoscentibus per species alienas bifariam iudicabilem esse. Primò, per iudicium æquiualenter disiunctiuum, quod re verâ non disiunctiuum sit. Sed conditionatum de vnoquoque extremo disiuncti sub conditione defectus; qualiter etiam iudicant eam veritatem cognoscentes per proprias species. Secundò, per iudicium formaliter disiunctiuum, quale illi habere non possunt. Quod quidem semper erit verum, quamuis eius verificatiuum non sit ea veritas conditionata, quà talis; sed veritas absoluta vnius ex extremis disiuncti, iuxta dicta *n.* 145. Quippe ea conditionata necessariò fert semper secum hanc absolutam; cùm sit impossibile esse conditionatè verum vnumquodque extremum disiuncti sub conditione defectus alterius, & non esse absolutè verum vnum eorum iuxta *principium* 4. *n.* 132. statutum, & demonstrandum *infrà. q.* 5.

148 Septimò sequitur à nobis cognoscentibus per species alienas multa alia insuper obiecta iudicari posse iudicio formaliter disiunctiuo, & vero præter illa, quæ secum ferunt eam veritatem æquiualenter disiunctiuam, de quâ *num. præced.* quia multa sunt disiuncta, quorum vnum extremum absolutè est verum, prout satis est, iuxta dicta ad verificanda iudicia eorum disiunctiua formaliter; Cùm tamen non sit verum quoduis eorum sub conditione defectus alterius. Id enim imprimis semper euenit, quoties extrema disiuncti absolutè habent esse, & inter se connexa sunt aut mutuò, aut non mutuò; tunc enim vnumquodque eorum est absolutè verum, cùm tamen non sit vnumquodque eorum verum sub conditione defectus alterius; siquidem connexum cum altero sub conditione, quòd hoc deficiat esse non potest. Deinde etiam id sæpè euenit, tametsi extrema disiuncti connexa non sint: quia de extremo non habente esse absolutè, quando alterum habet, verum est etiam non habiturum casu, quo hoc deficeret; atque adeò vera non est vniuscuiusque positio sub conditione defectus alterius. Ex quibus apparet, quomodò cognoscentes per species alienas multò plura iudicia disiunctiua, eáque vera, & circa multò plura iudicca disiunctiua, eáque vera, & circa multo plura obiecta possint habere, quàm cognoscentes per species proprias,

Propositio 2.

149 Omnis veritas obiectiua necessaria, quæ à parte rei, atque adeò solùm æquiualenter est disiunctiua, iuxta *propos.* 1. realiter est indistincta ab extremis disiuncti; atq; adeò adæquatè est distincta à Deo quotiescunque non est Deus vnum ex ipsis extremis disiuncti.

Hæc propositio eisdem argumentis venit probanda contra Recentiores commemoratos *n.* 131. quibus contra eosdem probauimus *q.* 1. *propos.* 1. veritates obiectiuas necessarias rerum realiter distinctarum à Deo realiter quoque ab ipso Deo distinctas esse, vtpote identificatas realiter cum rebus ipsis. Ea quippe omnia argumenta vniuersalia sunt pro omnibus veritatibus obiectiuis necessariis rerum realiter distinctarum à Deo, e quorum numero est veritas, de quâ agimus in præsenti; siquidem, & est veritas necessaria rerum realiter distinctarum à Deo; & iuxta dicta paulò ante ad statum conditionatum necessarium talium rerum spectat, de quo etiam *ibi* fuit sermo. Quare prædicta argumenta non à nobis repetenda; sed ab vnoquoque applicanda præsenti propositioni sunt.

Insuper tamen potest ea speciatim probari. Primò: quia veritas hæc obiectiua necessaria. *Petrus existit, vel non existit*, quæ ex earum genere, de quibus modò agimus est iuxta dicenda postmodùm, omnimodis, & sub quibusuis concepta terminis longè euidentior est, quàm hæc: *Deus existit*: ergo non sunt eadem veritas obiectiua. 150

Secundò: quia veritas necessaria huius disiuncti: *Petrus existit, vel non existit*, non est determinata, & absoluta veritas, vt constat. Sed veritas identificata cum Deo determinata, & absoluta veritas est, vt etiam constat. Ergo veritas necessaria huius disiuncti *Petrus existit, vel non existit* non est identificata cum Deo. 151

Tertiò. Si ab existentiâ Dei necessaria tanquam à formâ merè extrinsecâ proueniret, quòd esset necessariò verum disiunctum hoc: *Petrus, vel Petri negatio existit*, & non à peculiari naturâ extremorum eius, vt Aduersarij putant, ab eádem existentiâ Dei necessariâ, tanquam à formâ merè extrinsecâ euaderet quoque necessariò verum disiunctum hoc: *Petrus, vel Ioannes existit*. Quod tamen est absurdum. Recognosce argumentum simile latiùs propositum in simili *loco citato*. 152

Quartò à priori, vt omittam cætera. Ideò veritas disiunctiua extremorum citra medium oppositorum (qualia sunt contradictoria, & multa contraria, iuxta dicenda *disp.* 14.) necessaria est: quia eiusmodi extrema talis naturæ sunt, vt non possint ambo simul deficere; & ideò veritas disiunctiua extremorum, quæ simul deficere possunt, nunquàm est necessaria, vt posteà ostendemus. Igitur veritas disiunctiua extremorum citra medium oppositorum, eiusque necessitas ab ipsis extremis est indistincta, atque adeò nullatenùs est identificata cum existentiâ Dei. Et confirmari potest apertè, quia si ponamus duo extrema moraliter tantùm esse citra medium opposita, vt sæpè contingere potest, eorum veritas disiunctiua moraliter tantùm necessaria erit, quin sit necessaria vllo modò determinata, & absoluta veritas cuiusuis eorum; & tamen tunc ea necessitas moralis à necessitate Dei metaphysicâ non proueniet; sed ab ipsorũ extremorum naturâ, vt constat. Igitur tantumdem dicendum est de veritate disiunctiuâ extremorum metaphysicè citra medium oppositorum, quorũ nullius determinata, & absoluta veritas necessaria est. Deinde confirmari potest: quia veritas obiectiua cõtingens, quæ à parte rei est disiunctiua, cõuenienſq; iubindè re ipsâ ambobus extremis disiuncti, etiã quando alterũ tantùm verũ est determinatè, & absolutè, neque est identificata cum Deo: quia Deus non est quid contingens; neque est 153

identifi

identificata adæquatè cũ altero tantùm extremorum disiuncti, cùm æqualiter, & eodem modo conueniat vtrique. Ergo est indistincta ab vtroque prout pertinente ad statum realem diuersum ab statu determinato, & absoluto. Qui quidem status quidam conditionatus est, in quo vnumquodque extremorum disiuncti conditionatè, æqualitérque, & eodem modo est verum sub conditione defectus alterius, vt *superiùs* est explicatum. Tantumdem ergo censendum est de veritate obiectiua necessaria, quæ à parte rei est disiunctiua; de qua *in propositione* agimus.

154 Opponunt tamen Aduersarij contra propositionem. Necessarium modo est, quòd Petrus existat, vel non existat. Ergo modò datur necessitas Petri: sed talis necessitas neque est Petrus, nec eius negatio, quorum alterutrum datur modò: quia vtrumque est quid contingens; neque est aliud quidpiam à Deo distinctum: quia solus Deus inter omnia, quæ modo dantur est quid necessarium. Ergo est ipse Deus. Ergo necessitas veritatis, atque adeò necessaria veritas disiuncti existentiæ, vel non existentiæ Petri identificata est cum Deo. Respondeo, necessarium modò esse, quòd Petrus existat, vel non existat, non necessitate absoluta; sed necessitate conditionata, siue ex hypothesi: hanc autem prorsus esse indistinctam ab ipsa existentia, & non existentia Petri, distinctamque subinde prorsus ab entitate Dei. Esse quippe necessarium, quòd Petrus, vel Petri negatio existat, aliud non est, quàm esse necessarium, quòd Petrus existat ex hypothesi, quòd deficiat negatio Petri: paritérque, quòd existat negatio Petri, ex hypothesi, quòd deficiat Petrus. Vnde modo nulla datur necessitas absoluta existentiæ, vel non existentiæ Petri; sed tantùm est verum conditionate, existere necessariò Petrum, si non existit Petri negatio; & existere necessariò negationem Petri, si non existit Petrus. Id, quod, & non ampliùs significare intendimus, cùm dicimus. Necesse modo est quòd Petrus, vel Petri negatio existat. Neque interest ad rem, quòd apud cognoscentes per proprias species, & consequenter non formantes, vti nos, positiuos negationum conceptus, iuxta doctrinam *supra* statutam *disp. 9. q. 3.* Veritas hæc complexa conditionata, cui disiunctiua æquiualet: *Necesse est existere Petrum, si deficit eius negatio: & existere negationẽ Petri, si deficit Petrus*, alia non sit ab hac: *Necesse est, Petrum existere, si existit: & non existere, si non existit.* Hoc, inquam, ad rem præsentem nihil interest, vt patet. Cætera, quæ ex Recentiorum mente hìc possunt opponi, in simili sunt iam oppositа, dilutáque *q. 1. post propos. 5.* Recognoscantur.

155 Excepi autem à doctrina propositionis disiunctum, quorum extremorũ vnum est Deus, vt: *Deus existit, vel non existit*: quia certum est, vt veritatem disiunctiuam huius inadæquate saltem esse identificatam cum Deo, vtpote conuenientem ipsi, vt vni ex extremis disiuncti veri. Ex quibus omnibus apparet, quomodo status disiunctiuus, & necessarius rerum, ad quem pertinẽt veritates, de quibus in propositione, realiter à Deo distinctus sit.

Propositio 3.

156 Omnis veritas obiectiua necessaria, quæ per rationem nostram dumtaxat, atque adeo formaliter est disiunctiua, iuxta doctrinam statutam *propos. 1.* ab eo extremo disiuncti est realiter indistincta, quod veritatem necessariam determinatam, & absolutam habet; realitérque proinde est distincta à Deo, cùm tale extremum Deus non est.

Prior pars propositionis constat ex dictis *prop. 1.* quia tale extremum verificatiuum est propositionis disiunctiuæ, cui talis veritas correspondet, iuxta *ibi* dicta. veritas autem obiectiua correspondens propositioni disiunctiuæ aliud non est à parte rei ab eius verificatiuo. Posterior autem propositionis pars ex dictis *q. 1. propos. 1.* constat. Vbi ostensum est latè omnem veritatem necessariam determinatam, & absolutam conuenientem extremo, quod non est Deus, realiter à Deo ipso distinctam esse. Pro exemplo autem veritatum, de quibus est sermo in propositione sint hæ: *Petrus est possibilis, vel existit: Petrus, vel Ioannes est possibilis: chymera est impossibilis, vel non existens*, &c. Exceptionis autem exempla sunto. *Deus, vel homo existit: Deus vel homo est possibilis: Deus est possibilis vel existens*, &c.

Adnotare tamen oportet: quando vtrumque extremum disiuncti, de quo in propositione est sermo, determinatè, & absolutè est verum, vtrumuis seorsim esse sufficiens verificatiuum propositionis disiunctiuæ necessario veræ habentis pro obiecto tale disiunctum, iuxta dicta *loco citato*; atque adeo cum vtrouis seorsim identificari realiter veritatem obiectiuam necessariam talis propositionis, dummodo vtrumque sit necessarium: si namque alterum sit contingens, etsi hoc etiam determinatè, & absolutè sit verum, neque erit verificatiuum sufficiens dictæ propositionis prout necessariò veræ, neque cum eo identificabitur veritas eius obiectiua necessaria, de qua modò agimus: quia in veritate contingente veritas necessaria fundari non potest, vt patet. 157

Ex quibus colligitur, statum realem veritatum necessariarum, de quibus agit propositio, aliud non esse ab statu, quem habent necessaria disiunctorum extrema, quatenus vera determinatè, & absolutè, quo pacto illas fundant. Qui status proinde realiter est distinctus à Deo, quantumuis necessarius sit, quando talia extrema realiter sunt à Deo distincta, vt constat ex dictis. Statum verò suppositiũ ab intellectu nostro oriundum, quem tales veritates habent, quatenus disiunctiuæ formaliter, ab actibus, & obiectis nostri intellectus non esse distinctum, ex dictis etiam colligere est. 158

Propositio 4.

Omnis veritas obiectiua contingens, quæ à parte rei, atque solùm æquiualenter est disiunctiua, iuxta *propos. 1.* realiter est indistincta ab extremis disiuncti. 159

Quia re vera veritas quædam est conditionata complexa, qua vnumquodque talium extremorum est verum sub conditione defectus alterius, vt constat ex dictis; & omnis veritas obiectiua conditionata ab ipsis obiectis conditionatè veris est realiter indistincta, iuxta doctrinam latè statutam *q. 1.* vnde status realis talium veritatum, qui ab eis est indistinctus, ab ipsis quoque extremis disiuncti indistinctus est. Sint autem pro exemplo huiusce modi veritatum istæ: *Petrus, aut dormit, aut loquitur: Ioannes, aut luget, aut ridet*; supposito, quod vtriusque quoduis extremum verum sit sub conditione defectus alterius, vt fieri potest.

Propositio 5.

Omnis veritas obiectiua contingens, quæ per 160

rationem nostram dumtaxat, atque adeò formaliter est disiunctiua, iuxta doctrinam statutam *propositione* 1. ab eo extremo disiuncti est realiter indistincta, quod veritatem contingentem, & absolutam habet.

Quia tale extremum veficatiuuum est propositionis disiunctiuæ, cui talis veritas correspondet, iuxta dicta *ibidem*. Veritas autem obiectiua propositionis disiunctiuæ aliud non est à parte rei ab eius verificatiuo, prout dicebamus in simili *propositione* 3. Vnde patet, statum realem talis veritatis alium non esse ab statu reali eiusmodi verificatiui. Cùm tamen status suppositicius eius prout formaliter disiunctiuæ in nostro intellectu sedem habeat, iuxta dicta etiam in simili *propos.* 3.

161 Ex dictis hactenus in *hac quæst.* colligo primò, statum rerum disiunctiuum duplicem esse. Alium realem, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus, & re vera determinatus, conditionatusque, vt explicuimus. Alium suppositicium, quia à nostro intellectu venit oriundus, prout est formaliter disiunctiuus, cùm tamen veritates obiectiuæ, disiunctiuæque ad illum spectantes eatenus suum quoque statum realem habeant determinatum, & absolutum, quatenus in veritatibus determinatis, & absolutis fundantur, quas disiunctorum extrema re ipsa habent, prout etiam explicatum est.

162 Secundò colligo, vtrumque statum disiunctiuum prædictum rursus duplicem esse. Necessarium scilicet, & contingentem. Ad primum omnes veritates disiunctiuæ necessariæ. Ad secundum omnes contingentes spectant; nempe ad statum necessarium realem, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus, & re vera determinatus, conditionatúsque, veritates ei respondentes; quæ vt non sunt re vera absolutæ; sed hypotheticæ; ita necessitas earum non est absolutè; sed ex hypothesi. Qua fit, vt disiunctū, cuius omnia extrema sunt absolutè contingentia, veritatem necessariam ad talem statum pertinentem possit habere; sicque de vno, vel altero extremo disiuncti sub disiunctione possit verè dici necessitas, quæ falsò dicitur de vtrouis determinatè, & absolutè. Ad statum verò necessarium supositicium, qui per rationem nostram duntaxat est formaliter disiunctiuus, illæ pertinent veritates, quæ in veritate determinata absoluta, & necessaria alicuius ex extremis disiuncti fundantur; quarum proinde necessitas alia non est à necessitate determinata & absoluta, quam habet tale extremum, aut in existendo, si sit Deus, vel negatio chymeræ; aut in essendo, quod de suo quiditatiuè est, si sit aliud quidpiam, iuxta doctrinam latè expositam, *quæst.* 1. Similiter ad statum contingentem realem, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus, veritates ei respondentes pertinent, quæ cum sint re vera conditionatæ non absolutè solùm; sed ex sua hypothesi debent manere contingentes; quod euenit, quando conditio connexa non est cum conditionato. Ad statum verò contingentem suppositicium, qui tantùm per rationem nostram est formaliter disiunctiuus, illæ veritates pertinent, quæ in veritate determinata, absoluta, & contingente alicuius ex extremis disiuncti fundantur, cuius proinde contingentiam absolutam dumtaxat habent.

163 Tertiò colligo; solùm disiunctum extremorum, quorum contradictoria mutuò opponuntur habere posse veritatem spectantem ad statum necessarium, qui æquialenter tantum est disiunctiuus: quia vnumquodque talium extremorum dumtaxat est necessariò verum sub conditione defectus alterius, prout ad talem veritatem requiritur; eo quòd cuiusuis eorum defectus cum positione alterius est necessariò connexus. Sunt autem extrema huius generis omnia citra medium opposita aut contradictoriè, aut contrariè, iuxta dicenda *disp.* 14. necnon, quæ cùm non sint opposita, contradictoria tamen opposita habent; proindeque, etsi possint simul esse; at non possunt simul deficere. Vnde patet, nullum disiunctum extremorum, quæ simul deficere possunt, eo quòd compatibiles sunt eorum defectus, veritatem necessariam habere posse ad dictum statum pertinentem.

Quartò colligo: nullum disiunctum extremorum, 164
quæ inter se connexa sunt aut mutuò, aut non mutuò, veritatem habere posse spectantem ad statum, aut necessarium, aut contingentem, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus: quia non potest esse verum vnumquodque talium extremorum sub conditione defectus alterius, prout ad talem veritatem requiritur; eo quòd defectus illius, quod terminat connexionem alterius cum positione huius stare non potest, vt constat. Ex quo patet, extrema disiuncti habentis veritatem ad aliquem dictorum statum spectantem, mutuo inter se connexa debere esse.

Quintò colligo. Quoties extremum aliquod ab- 165
solutum, determinatamque veritatem habet, disiunctum ex illo, & ex alio quopiam veritatem habere spectantem ad statum, qui supposititicè, & per rationem nostram dumtaxat est formaliter disiunctiuus; nempe ad statum huiusmodi necessarium, si veritas determinata, & absoluta talis extremi necessaria fuerit; ad contingentem verò, si fuerit contingens. Quoniam, vt sit verum disiunctum veritate pertinente ad huiusmodi statum seu necessariū, seu contingentem, sat est, quòd vnum ex extremis eorum absolutè, & determinatè sit verum, seu necesariâ, seu contingente veritate, vt constat ex dictis.

Sextò colligo. Quoties aliquis actus cum veritate 167
versari dicitur circa vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, aut vni, vel alteri subiecto sub disiunctione, conuenire, toties veritatem obiectiuam huiusmodi actus ratione termini, aut subiecti connotati per illum ad eum statum pertinere, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus, nempe ad necessarium, si talis veritas necessaria fuerit; ad contingentem autem, si fuerit contingens. Quoniam huiusmodi actus æquialenter tantùm est disiunctiuus ex parte termini, aut subiecti, iuxta principia statuta *suprà n.* 132.

Septimò colligo. Quoties actus quoquo modo 168
respicit vnum, vel alterum extremum sub disiunctione, & neutrum determinatè, vt sæpe contingit, prædicata talibus extremis proueniētia à tali respectu, pariter conuenire vni, vel alteri eorum sub disiunctione, & neutri determinatè. Cùm tamen cætera quæque prædicata eo ipso, quòd vni, vel alteri extremo cuiusuis disiuncti sub disiunctione conueniūt, non possunt non alteri saltem eorum determinatè conuenire: e.g. quando subiectum connectitur cum vno, vel altero extremo sub disiunctione, & cum neutro determinatè; verum est, vnum, vel alterum talium extremorum sub disiunctione, & neutrum determinatè ad tale subiectum necessarium, seu requisitum esse. Et quando subiectum exigit, seu quoquo modo petit vnum, vel alterum extremum sub disiunctione, & neutrum determinatè, verum est, vnum, vel alterum talium extremorum sub disiunctione, & neutrum determinate à tali subiecto petitum, aut etiam ipsi debitum esse; & quando superior subdito præcipit, vnum vel alterum opus sub

disiun

disiunctione, & neutrum determinatè : verum est, vnum vel alterum talium operum sub disiunctione, & neutrum determinate sub obligationem subditi cadere ; pariterque in similibus. Cùm tamen eo ipso, quòd est verum : Petrum, vel Ioannem sub disiunctione esse risibilem, aut doctum: Petrum esse calidum, vel frigidum, &c. non possit non esse quoque verum : Petrum aut Ioannem determinatè esse risibilem, aut doctum : Petrum, aut Petri negationem determinatè existere: Petrum determinate calidum, aut determinatè frigidum esse; & in cæteris simili modo. Ex quo patet, quomodò sæpè est disiunctum verum, cuius omnia extrema determinatè sumpta sunt falsa, etsi plerumque veritas disiunctiua non possit non secum ferre determinatam veritatẽ vnius saltem ex extremis diiuncti,
168 iuxta rationem iam suprà præmissam *numero* 129.

Aduertendum tamen est ad extremum. Quoties in superioribus dico, vnum ex extremis disiuncti determinatè, & absolutè esse verum, per *τὸ absolutè* solùm me excludere statum conditionatum imbibitum in ipso disiuncto, quando eius veritas æquiualenter tantùm est disiunctiua, & absoluta, cùm tamen re ipsâ, & formaliter determinata sit, & conditionata, iuxta sæpè dicta ; non verò alium statum conditionatum, quasi reflexum, quem tam disiunctum, quàm eius extrema habere possunt, iuxtà notationem præmissam *num.* 130. Vt cernitur in his exemplis : *Si Rex veniret, Petrus, vel Ioannes loqueretur : Si sol luceret, Petrus extiteret, vel non existeret. Si Petrus extiterit, similis erit, vel dissimilis Ioanni* ; in cæterisque huiusmodi. In hisce enim veritas determinata vnius ex extremis disiuncti, quam, vel secum fert, vel supponit ipsius disiuncti veritas disiunctiua, conditionata manet, non à conditione imbibita in ipso disiuncto, quando huius veritas æquiualenter tantùm est disiunctiua ; sed ab aliâ superadditâ.

QVÆSTIO III.

Quid sit status existentialis rerum de futuro, de præsente, & de præterito, Et quotuplex ?

169 PRo intelligentia, proque resolutione quæstionis, suppono primò : quidquid existit, in aliquo tempore indispensabiliter existere ; impossibile enim esse, vt quidpiam existat, & nunquam, siue in nullo tempore existat, vt ex sententiâ cõmuni *suo loco*, ostendemus. Ex quo patet, statum rerum existentialẽ alicui tempori suapte essentiâ alligatum esse.

170 Suppono secundò, ex sententiâ satis communi, & *suo etiam loco* ostendendâ à nobis, omnem rem existere in tempore, siue durare in illo per durationem sibi intrinsecam, affixamque suapte essentia tali tempori, siue indistinctam à re durante, siue ei superadditam. Erit enim indistincta, quando res durans per essentiam est alligatâ tempori, in quo durat, siue determinata, necessitataque ad durandum in illo. Distincta verè, & superaddita, quando res durans indifferens est ad durandum, & non durandum in eo tempore, in quo durat. Durationes autem rerum creatarum diuersis partibus continuis temporis, spatiiue temporalis correspondentes, seriem quamdam essentialiter successiuam, continuamque constituunt, quæ extensio quædam est temporalis, atque adeò motus essentialiter successiuus, atque continuus : quemadmodum præsentiæ rerum creatarum diuersis partibus continuis spatij localis correspondentes seriem quamdam essentialiter extensam, continuamque constituunt, quæ extensio quædam est localis essentialiter continua ; sed non successiua, vt pluribus est explicandum *loco indicato*.

Suppono tertiò. Tempus, quod vocant imagina- 171
rium re ipsâ capacitatem quamdam esse motus essentialiter successiui, & continui, qualem constituunt durationes creatæ seriatim, continuèque ordinatæ quoad extensionem temporalem, iuxta dicta *nuper*. Vnde tempus imaginarium à parte rei suum esse habet, non quidem existentiale ; sed quiditatiuum, & mere possibile, vt cætera entia possibilia. Dicitur tamen imaginarium : quia à nobis ad instar motus actualiter, existentialiterque fluentis concipitur ; Cùm tamen re ipsâ non quid existens ; sed quid merè possibile sit ; series nimirum possibilium durationum continua, extensaque, temporaliter, atque adeò successiua suapte essentiâ. Vnde fit primò, in tempore imaginario, vti & in dicta serie, quamlibet partem suum determinatum locum, seu gradum habere per essentiam continguum quidem duabus partibus sibi immediatis alteri præcedenti, seu anteriori ; alteri subsequenti, seu posteriori : à cæteris autem tam præcedentibus, seu anterioribus, quàm subsequentibus, seu posterioribus certa quadam distantia dissitũ, maiore, aut minore pro multitudine partium intercurrentium. Secundò fit, quamlibet partem temporis imaginarij, sicut & prædictæ seriei durationum, suapte naturâ esse posteriorem omnibus præcedentibus, & priorem subsequentibus. Tertiò fit, tempus imaginarium vtrimque infinitum esse, atqua adeò æternum, hoc est, tam à parte antè, quàm à parte pòst : quia talis est series prædicta possibilium durationum. Nulla siquidem à parte antè est cogitabilis, antequàm alia non sit possibilis, aut à parte post, vltra quam. Quartò fit, quamlibet huiusmodi seriem durationum continuã, extensamque temporaliter, atque adeò successiuam suapte essentiâ, si existat re verâ, tempus reale dici posse imaginario contrapositum, tametsi ab illo reipsà aliter non distinguitur, quàm quoduis ens, vt existens distinguitur à se ipso, vt possibili. De facto tamen sola series durationum partium motus cælorum dici solet tempus reale, vtpote, quæ cæterorum omnium motuum mensura est communis : Tempus quippè definitur, mensura motus. De quibus omnibus *loco indicato* plura dicenda sunt.

Suppono quartò ex dictis *suprà disputatione* 3. 172
veritatem cognitionis, atque etiam propositionis vocalis in conformitate eius cum suo obiecto consistere ; veritatem autem rerum in aptitudine, quam illæ habent, vt cognoscantur per cogitationem veram, vt conformenturve cum sui cognitione. De quo *ibi* plura. Et quoniam res existentes non solùm, quo tempore existunt, sunt cognoscibiles per cognitionem veram ; sed etiam in aliis temporibus : eo quòd cognitio non solùm id, quod sibi coëxistit, sed etiam id, quod à se tempore est dissitum repræsentare valet, atque adeò, aut affirmare, aut negare ; quemadmodum, & quod est dissitum loco : efficitur, vt res existentes veræ esse dicantur, non solùm tempore, quo existunt ; sed etiãm in aliis temporibus, quatenus etiam in aliis temporibus sunt illæ cognoscibiles verè. Hoc sensu dicimus, hodiè esse verum, & ab æterno verum fuisse, Anti-Christum extiturum in suâ differentia temporis ; sicut etiam hodie esse verum, & in æternum verum fore, Christum Dominum extitisse in hoc mundo. Quo

etiam

etiam iure Patres, & Philosophi dicere consueuerunt, veritatem rerum non modo quiditatiuam, & necessariam; sed etiam existentialem, & contingentem æternam, & incommutabilem esse, vtpote carentem principio, & fine. Vnde August. *lib. 2. de liber. arbit. cap.* 8. veritatem numeri incorruptibilem, immobilem, & inuertibilem appellat. Et Anselm. *in Dialog. de verit. cap.* 14. de veritate *in vniuersum* docet, nunquam incipere, neque finiri; sed semper esse. *In Monolog. autem cap.* 17. *de veritate contingentium* ait. *Cogitet, qui potest, quando incœpit, aut quando non fuit hoc verum scilicet, quia futurum erat aliquid: aut quando desinet, & non erit hoc verum, scilicet, quia præteritum erat aliquid.* Vnde concludit vniuersè. *Impossibile est, vel cogitare, quod veritas principium, vel finem habeat.* Insuperque arguit eo argumento, quòd habetur apud August. *tom.* 1. *lib.* 2. *Solilog. cap.* 2. & tale est. *Si veritas habuit principium, vel habebit finem, verum erat tunc, quia non erat veritas; & postquàm finita erit, verũ est quia non erit veritas: atqui verum non potest esse sine veritate: erat igitur veritas antequam esset veritas, & erit veritas postquam finita erit veritas. Quod inconuenientissimum est. Siue igitur dicatur veritas habere, siue intelligatur non habere principium, vel finem, nullo claudi potest veritas principio, vel fine.* Aristot. etiam *lib. 6. Ethic. cap.* 3. docet ipsum scibile non posse non esse æternum, ingenitum, & incorruptibile.

173 Adde spectata serie signorum naturæ in eodem tempore existentium, dici etiam posse res veras esse in aliis itidem signis ab iis, in quibus existunt. In signo enim causæ iure optimo dicetur esse iam verum, futurum esse effectum in signo posteriore. Paritérque verum erit in signo effectus, extitisse causam in signo priori. Quod locum habet etiamsi absolutè sit impossibile, vt existat cognitio effectus in signo causæ, atque adeò sit incapacitas absoluta, vt effectus in tali signo cognoscatur verè. Sat enim est capacitas hypothetica præscindens à possibilitate, vel impossibilitate hypothesis, id est, quod si daretur in signo causæ cognitio affirmans fore effectum in posteriore, talis cognitio vera esset. Hoc enim sufficit, vt dicatur absolutè verum esse in signo antecedente causæ, quòd in signo posteriore erit effectus. Vniuersaliter enim ad hoc, vt res vera dicatur pro aliqua mensura, sat est, quòd ex se in tali mensura, sit verè cognoscibilis, casu, quòd sit possibilis cognitio eius existens in tali mensura, vt benè docuit Vasq. 1. *part. disp.* 78. *cap.* 2. & cum eo Ruiz. *tom. de scient. disputat.* 91. *sect.* 2. *num.* 11. Adde præterea, non solùm rerum veritatem semper, & vbique esse modo explicato; sed etiam rerum falsitatem. Quia sicut in omni mensura seu temporis, seu naturæ est verum fore Petrum in posteriore, aut fuisse in præcedente; ita etiam falsum est, non fore Petrum, aut non fuisse. Paritérque in similibus.

174 Suppono quintò ex dictis *suprà disp.* 2. *q.* 4. *sect.* 6 *& disput.* 3, *quæst.* 6. Iudicia nostra de præsente, de præterito, & de futuro suapte essentia esse diuersa, atque adeò vnum in aliud nullatenus transire posse. Iudicium enim de præsente essentialiter consistit in actu, quo iudicamus esse, aut non esse obiectum in eadem mensura temporis, qua id iudicamus; iudicium autem de præterito, quo in mensura anteriori; & iudicium de futuro, quo in posteriori. Tantumdemque est de enunciationibus vocalibus his iudiciis correspondentibus, prout talem significationem habentibus.

His positis: tria sunt nobis in hac *q.* examinanda. Primum: quid sit in re existente esse futuram, esse præsentem, & esse præteritam. In quove futuritio eius, præsentia, & præteritio consistat. Secundum: an in eadem re prout existente in eadem temporis mensura esse futuram, esse præsentem, & esse præteritam sint tres diuersæ veritates ratione trium diuersorum statuum diuersis iudiciis iudicabiles; idque successu temporis, & non aliter. Tertium: quotuplex sit futuritio, præsentia, & præteritio rerum existentium in tempore. 175

Circa primum. Nonnulli tacito nomine relati à Suar. *prolog.* 2. *de grat. cap.* 7. *num.* 4. dixerunt, rem esse futuram nihil esse aliud, quàm habere eam esse in causa determinata aliquo modo ad causandum, & nondum habere, vel habuisse in se. Quæ doctrina ex S. Thom. sumpta videtur *lib.* 1. *Periherm. lect.* 13. Vbi docet, futurum habere esse tantùm in sua causa; & ideò simpliciter dici posse futurum, si causa sit omnino determinata ad vnum, Si verò causa æquè sit indifferens ad vtrumuis, effectum nec dici posse futurum, nec non futurum. Posse tamen dici futurum non cum omnimoda certitudine, si ad eam partem sit causa magis propensa, quàm ad oppositam. Secunda sententia est Pesant. 1. *part. q.* 14. *art.* 13. *disp.* 5. dicentis, rem esse futuram, solùm esse denominationem desumptam à voluntate efficaci, qua Deus vult, illam esse. Tertia sententia est Soar. *suprà num.* 7. asserentis, esse rem futuram formaliter consistere in transitu quodam, seu habitudine rei ab esse, quod habet in causa ad esse, quod in se ipsa aliquando habitura est. Quarta sententia Recentiorum, quos tacito nomine citat Herice *tract. de scient. disp.* 6. *cap.* 6. est; futuritionem rei aliquid esse de præsenti connexum essentialiter cum existentia reali, quam res est habitura in sua temporis differentia. Paritérque philosophantur de rei præteritione. Pro qua sententia posteà stant moderniores alij. Quinta denique sententia ipsius Herice, cui consentiunt Petr. Hurt. *disp.* 19. *de anim.* & alij Recentiores, asserit, rem futuram duo dicere in suo conceptu, nimirum existentiam ipsius rei in proprio tempore pro materiali; pro formali autem, aut tempus antecedens, aut negationem talis existentiæ. Pariterque philosophantur de rei præteritione. De rei autem temporali præsentia nihil ab Auctoribus dictum video. 176

Propositio 1.

Esse rem futuram non est habere eam esse in causa determinata, & nondum illud habere in se; vt prima sententia asserebat. 177

Quoniam esse, quod effectus in causa determinata habere dicitur in ea sententia, nihilo differt ab ipsa entitate causæ, prout determinatæ in actu primo ad ipsum effectum. Compertum est autem diuersum quid esse ex suo conceptu, causam esse in actu primo determinatam ad effectum nondum actu existentem, & effectum esse futurum. Id, quod ostendi potest primò: quia Angelus cognoscens intuitiuè causam determinatam in actu primo ad effectum nondum actu existentem, non ob id præcisè cognoscit intuitiuè effectum futurum, vt patet. Secundò: quia effectum esse præteritum aliud quid est à causa determinata ad illum, vt constat: ergo, & esse futurum. De vtraque enim denominatione pariter est philosophandum. Tertiò: quia sæpe est causa ex se determinata ad effectum, & ille non est futurus; eo quòd impeditur posteà talis determinatio.

natio. Quartò: quia sæpe est effectus futurus, quando eius causa æquabiliter est ad illum indifferens, vt & ex se videtur notum, & ex dicendis conspicuum fiet. Nec refragatur S. Thom. *lec. illa 13. cit. in lib. 1. Periherm.* Quia dum negat, posse dici futurum id cuius causa ad vtrumlibet indifferens est, non negat, illud re vera futurum esse, sed tantùm quoad nos quantum est ex ordinatione siue dispositione causæ. Vnde sæpe dicit, bifariam posse aliquid esse futurum. Primò: quia re vera erit in se. Secundò: quia erit, quantum est ex causæ ordinatione. Sic *1. part. q. 19. art. 7. ad 2.* & clariùs *q. 12. de verit. art. 10. ad 7.* Vbi ait. *Aliquid potest dici esse futurum non solùm ex hoc, quod ita erit; sed quia ita est ordinatum in causis suis, vt sic sit futurum.* Ex quo patet, futuritionem effectus, iuxta S. Th. diuersum quid esse à determinatione causæ, tametsi ex illa rectè possit inferri. Quintò: id ipsum ostenditur: quia etsi causa de præsenti non sit, dummodo ea sit futura, effectus ab illa oriundus futurus erit. Ergo esse illum futurum non est, quod iam de præsenti sit eius causa determinata ad illum. Sextò: quia tempus, quod vocant imaginarium, qua ratione re ipsa est, iuxta suppositionem tertiam sine causa est, & tamen omnes eius partes nondum transactæ futuræ dicuntur. Septimò: quia dato casu, quod ens aliquod in tempore posset incipere sine causa sui, futurum re vera esset, antequam inciperet; desitioque entis, si qua est, vt esse potest. citra omnem causæ influxum posteà euentura, futura dicitur. Ergo ratio futuri ex suo conceptu à causis rei futuræ præscindit, atque adeò in ipsa determinatione causarum consistere nequit.

178 Vnde infertur primò contra secundam sententiam relatam *n. 176.* neque in denominatione proueniente à decreto Dei consistere futuritionem rerum. Tum quia aliud est, rem esse decretam, aliud esse futuram, vt ex se constat. Tum quia, vt actus liber sit futurus, non sit necessarium in Deo decretum determinatum de tali actu (de quo est sermo in ea opinione) imò si sit exequutiuum repugnat libertati; sed sufficit decretum indifferens concurrendi, de quo *suo loco.* Tum quia tale decretum respectu peccati futuri absolutè repugnat. Tum denique: quia licèt Deus conciperet in tempore sua decreta, vt nos, res nihilominùs per illa decernendæ ab æterno dicerentur futuræ, quin Deus haberet ab æterno decretum earum. Accedit, quod præteritio rerum non est denominatio desumpta à decreto Dei: Ergo nec futuritio. Partes etiam temporis independenter à decreto actuali Dei sunt futuræ, quo pacto sunt. Ergo.

179 Secundò infertur contra sententiam tertiam; neque in transitu, seu habitudine causæ ad effectum consistere futuritionem eius. Tum quia præscindendo ab existentia causæ datur futuritio quemadmodum, & præteritio, vt vidimus. Tum quia transitus, seu habitudo causæ ad effectum etiam datur respectu effectus præsentis. Si autem dicas, te loqui de transitu ad effectum proùt futurum, & petis principium, & falsum asseris: quia dicis, reddi effectum formaliter futurum per id, quod ad ipsum, vt iam futurum, terminatur. Præterquam quod transitus, seu habitudo causæ ad effectum alia à causalitate, quâ causat illum, ad rem non videtur excogitabilis; causalitas autem, & futuritio non sunt formaliter idem, vt satis ex se constat.

180 Tertiò infertur contra sententiam quartam, futuritionem rei neutiquam esse aliquid de præsenti connexum essentialiter cum existentia, quam res in sua differentia temporis est habitura. Quia, vt constat ex dictis, absque omni huiusmodi de præsenti connexo cum existentia rei, potest hæc futura esse sæpeque est, quemadmodum citra omne dubium & potest, & sæpe est præterita. Et quidem omni huiusmodi connexo è medio sublato, non posse non, aut rem, aut eius negationem esse futuram, ex dicendis compertum fiet.

Propositio 2.

Rem esse præsentem, siue existentem de præsenti nihil est aliud, quam illam habere iam nunc actuale esse; siue illam iam nunc actu existere in rerum natura. 181

Hæc propositio ex terminis notissima est. Constat enim, rem iam nunc habere esse actuale, siue actu existere in rerum natura, & esse præsentem, seu de præsenti existere, idem omninò esse. Quid autem sit, rem iã nunc existere actu; seu iam nunc habere esse actuale in rerũ natura, adeò est ex terminis conspicuum, vt ampliùs non sit explicabile. In scientiis quippe necesse est, vt quemadmodum dantur principia, seu propositiones per se notæ non demonstrabiles per alias, ita dentur termini, siue conceptus obiectiui per se noti non explicabiles per alios notiores, vt non semel notaui. Huiusmodi autem est conceptus existentiæ rei iam nunc actualis, siue rei iam nunc actualiter, atque adeò de præsenti existentis.

Hinc tempus præsens, seu potius pars temporis præsens à futuris, & à præteritis condistincta ea dicenda venit, quæ, qua ratione est, iam nunc actualiter, siue præsentialiter est. Etenim si sermo sit de tempore reali consistente in quadam serie durationum existente realiter, iuxta dicta *suppositione tertia*, ea pars temporis dicitur præsens, quæ iam nunc est actu existens, iuxta nuper dicta. Si verò sit sermo de tempore imaginario consistente re ipsa in simili serie durationum possibilium, qua talium, prout in *eadem suppositione tertia* exposuimus; ea pars temporis dicitur præsens, quæ iam nunc est proximè potens ad existendum. Vnica enim inter omnes potest dumtaxat assignari, quæ sit iam nunc, atque adeò de præsenti proximè potens ad existendum; ea nimirum, quæ iam nunc, atque adeò de præsenti esset existens, si de statu possibilitatis ad statum existentiæ translata esse. Cæteræ enim, vt translatæ pariter ad statum existentiæ, aut essent præteritæ, aut futuræ existentialiter; ita intra statum meræ possibilitatis, aut sunt præteritæ, aut futuræ potentialiter, id est, aut iam non habent potentiam ad existendum: quia potentia earum proxima ad existendum iam præteriit, aut nondum habent, quia nondum accessit. Porrò pars temporis, siue realis, siue imaginarij, quæ rigorosè loquendo est præsens, non potest non indiuisibilis esse quoad extensionem temporalem, atque adeò successiuam; quandoquidem in omni parte, quoad talem extensionem ex aliis composita, non potest non esse aliquid aut præteritum, aut futurum, vt constat; quod ipsum est, eam in rigore præsentem non esse; sed de hoc plura *alibi.* 182

Propositio 3.

Rem esse futuram, aut præteritam nihil est aliud ex conceptu suo, quàm existere illam in tempore, quod prius, aut posterius est tempore præsente, in quo, siue ex quo dicitur illa futura, aut præterita. 183

Etenim,

Etenim,cùm dico: *Anti-Christus erit*, quod iudicatiue cognoſco eſt exiſtentia Anti-Chriſti reſpondens tempori, quod præſente , in quo eam iudico, poſterius eſt. Vnde, per tale iudicium duo iudicantur: expreſsè exiſtentia Anti-Chriſti in proprio eius tempore;tacitè autem,ſeu virtualiter,quòd tale tempus poſterius præſente eſt, in quo extat iudicium. Quo fit, vt conceptus obiectiuus iudicij duo etiam complectatur ; directè quidem,ipſam Anti-Chriſti exiſtentiam in proprio tempore , ex connotato autem alterum tempus, cui correſpondet de præſenti iudicium ipſum , & relatè ad quod dictæ exiſtentiæ tempus poſterius denominatur. Ex quo patet futuritionem rei in eo ſtare, quòd res ſit exiſtens in tempore , quod eſt poſterius præſente , in quo,ſiue ex quo dicitur illa eſſe futura , vti in propoſitione ſtatuimus. Eodemque prorſus modo philoſophandum eſt de præteritione ; niſi , quòd hæc exiſtentiam rei importat in tempore , quod antecedens eſt præſente , in quo,ſiue ex quo dicitur illa eſſe præterita. Vnde futuritio , præterioque rei directè dicunt in ſuo conceptu prima exiſtentiam rei in tempore poſteriori,ſecunda in priori,quam præſens , ex connotato verò vtraque præſens ipſum, qua tale.

184 Sed dicet aliquis:hæc propoſitio eſt vera: *Hodiè eſt futurus Anti-Chriſtus, & ab æterno fuit futurus*: Ergo futuritio Anti-Chriſti , quam illa enunciat, iam hodiè eſt , & ab æterno fuit : non ergo conſiſtit ea in exiſtentiâ Anti-Chriſti , quæ erit in tempore poſteriore prout connotante tempus præſens anterius, in quo Anti-Chriſtus futurus dicitur. Reſpondeo, eiuſmodi propoſitionem duplicem ſenſum habere poſſe. Primum æquiualentem huic : *Hodiè eſt verum , & ab æterno fuit verum , Anti-Chriſtum fore* Secundum huic. *Hodiè , & ab æterno Anti-Chriſtus erit.* Et in priori quidem ſenſu , in quo vera eſt , non enunciat directam , propriè dictam futuritionem Anti-Chriſti , de quâ nos tractamus , ſed veritatem eius, quæ vt ſummum quaſi reflexa, impropriaque dici poteſt futuritio Anti-Chriſti ; à quâ veritate eatenus dicitur hodiè eſſe,& ab æterno fuiſſe verum , Anti-Chriſtum fore;quatenus hodiè eſt,& ab æterno fuit iudicabile iudicio vero, Anti-Chriſtum fore , iuxta vniuerſalem doctrinam in *quarta ſuppoſitione* traditam. In poſteriori autem ſenſu, in quo prædicta propoſitio directam,& propriam enuntiat futuritionem Anti-Chriſti,tantùm abeſt,vt vera ſit , quod potiùs in terminis ipſis inuoluit repugnantiam,vt conſtat.

185 Ex quibus infero primò contra pleroſque Auctores quintæ ſententiæ , rem exiſtentem in aliquo tempore, eoque titulo ſemper quoad talem exiſtentiam poſteriorem omnibus temporibus præcedentibus, & priorem ſequentibus , non eo ipſo eſſe ſemper futuram propriâ , & directâ futuritione reſpectu omnium illorum,& reſpectu omnium horum præteritam , ſed reſpectu vniuſcuiuſque tunc ſolùm quando illud eſt præſens. Ob id *in ſuperioribus* dixi,futuritionem,præteritionemque rei de connotato dicere in conceptu ſuo tempus præſens, qua tale.Ratio eſt conſpicua : quia conceptus proprius futuritionis rei ipſiſſimum eſt obiectum huius propoſitionis: *Res erit*. Præteritionis autem huius : *Res fuit*.Conſtat autem ex ſe,& ex dictis:Obiectũ primę totum hoc expreſsè,aut tacitè cõplecti:*Res erit exiſtens in tempore,quod tẽpore nunc præſente,ſiue, quod nunc eſt præſens poſterius naturâ ſuâ eſt.* Obiectum autem ſecundæ hoc. *Res fuit exiſtens in tempore, quod tempore nunc præſente, ſiue, quod nunc eſt præſens,anterius ſuâ naturâ eſt.*Ex quo patet,aduentum Chriſti neutiquam dici poſſe iam eſſe futurum, eſto addatur , reſpectiue ad tempus anterius,in quo Mundus incæpit. Sicut nec aduentus Anti-Chriſti dici poteſt præteritus adhuc reſpectiuè ad tempus poſterius, in quo mundus finitur:quia aſſertio hæc: *Aduentus Chriſti erit reſpectu temporis principij mundi*, hunc ſenſum falſum , & implicatorium efficiet: *Aduentus Chriſti exiſtet in tempore poſteriore, quàm tempus,quod eſt præſens modò, reſpectu temporis principij mundi.* Sicut hæc: *Aduentus Antichriſti fuit reſpectu temporis finis mundi.* Hunc *Aduentus Antichriſti exitit in tempore anteriore , quàm tempus,quod modò eſt præſens reſpectu temporis finis mundi.* Pariterque de ſimilibus venit dicendum.

Nihilominus res exiſtens in aliquo tempore ea- 186
tenus dici poteſt ſemper futura reſpectu omnium temporum præcedentium , præteritaque reſpectu omnium ſequentium futuritione , præteritioneque reflexâ,& impropriâ , quatenus directæ , propriæque futuritionis eius veritas , hoc eſt , iudicabilitas per verum iudicium,omni tempori antecedenti reſpondet;præteritionis autem omni ſequenti.Quo iure dicimus , toto tempore ante aduentum Chriſti verum fuiſſe,Chriſtum eſſe venturum & toto tempore poſt aduentum Chriſti,aut fuiſſe,aut eſſe, aut fore verum,Chriſtum veniſſe. Similiter, toto tempore ante aduentum Chriſti,aut fuiſſe,aut eſſe, aut fuiſſe , aut fore verum , Chriſtum veniſſe. Similiter,toto tempore ante aduentum Anti-Chriſti, aut fuiſſe,aut eſſe,aut fore verum , Anti-Chriſtum eſſe venturum , & toto tempore poſt aduentum Anti-Chriſti,verum fore,Anti-Chriſtum veniſſe.In quo tamen etiam interuenit,vt cernitur,futuritio , præſentia , præteritioque propria , & directa veritatis prædictæ aſſerta à nobis de præſenti , atque adeò dicens in conceptu ſuo de connotato tempus præſens,qua tale.

Secundò infero contra nonnullos etiam ex au- 187
thoribus quintæ ſententiæ. Vt aliqua res ſit futura, neceſſarium non eſſe , quòd detur eius negatio in tempore , in quo futura dicitur. Pleraque enim hodiè exiſtentia , quorum proinde negatio hodiè nõ datur,etiam in tẽporibus ſequentibus exiſtentia erunt , verèque proindè dicuntur hodie fore , ſiue futura eſſe in illis. Ex quo patet, eamdem rem bene poſſe eſſe ſimul præſentem , & futuram. Ad cuius diſtinctionem,quæ non eſt præſens,quo tempore futura dicitur, purè futura nuncupabitur ; ſicut res poſſibilis non exiſtens purè poſſibilis nuncupatur , ad diſtinctionem rei poſſibilis, & ſimul exiſtentis. Eodemque pacto de præteritione rei eſt philoſophandum.

Tertiò infero. Quoties res in eodem tempore 188
exiſtentes ordinem aliquem prioris , & poſterioris habent ſecundum naturam eam , quæ in ſigno poſteriori eſt , futuram appellari poſſe comparatione ſigni prioris ; præteritámque vice versâ, quæ eſt in ſigno priori reſpectu ſigni poſterioris , idque tum directa , tùm reflexa futuritione ,& præteritione, iuxta doctrinam ſuppoſitam *n.*173.Tametſi loquutio hæc tranſlatitia,ſubindéque minùs propria ſit.

Venio iam ad ſecundum punctum quæſtionis propoſitum *num.*175.Pro quo ſit.

Propoſitio 4.

Rem eſse futuram , eſse præſentem,& eſse præ- 189
teritam diuerſæ veritates ſunt obiectiuæ comparatione

tione nostri intellectus, diuersis iudiciis, succesſúque temporis iudicabiles verè, & non aliter.

Quod sint diuersæ veritates obiectiuæ, iudicabiles à nobis diuersis iudiciis, manifestè probatur. Primò: quia si non essent diuersæ veritates obiectiuæ, essent vtique ex parte obiecti, atque adeò obiectiuè vna; & eadem, vt est notissimum. Inde autem fieret, vt intellectus noster iudicans vnam, non posset non eodem iudicio iudicare omnes, cum omnes obiectiuè essent vna. Idemque proinde esset iudicare de qualibet re, esse præsentem, atque esse præteritam, & futuram; iudiciaque subinde de præsenti, de præterito, & de futuro non essent diuersa, sed vnum, & idem; contra suppositionem quintam *suprà* statutam. Quod vtrumque, quàm sit absurdum, nemo non videt.

191 Secundò: quia passim affirmamus verè de aliqua re esse præsentem, simul negantes verè de eadem, esse præteritam, aut futuram, & vice versa, vt cunctis notissimum est. Igitur huiusmodi veritates obiectiuæ diuersæ sunt; & consequenter diuersis iudiciis iudicabiles: vnam siquidem, eamdemq; obiectiuam veritatem de eodem subiecto vere simul affirmari, & negari, impossibile est, vt constat.

192 Tertiò probare quis posset idem ipsum. Quia præsentia rei vnam dumtaxat mensuram temporis præsentis includit in conceptu suo. Cùm tamen futuritio præter mensuram temporis præsentis, insuper includat aliam temporis posterioris præsente; & præteritio præter mensurã etiam præsentis aliam diuersam temporis præsente prioris, vt ex *superiùs* dictis constat. Hinc namq; fit, eiusmodi veritates obiectiuas à diuersitate saltem temporum, quæ includũt in se aut directè, aut ex connotato non posse non esse diuersas. Cæterùm huic probationi non multùm fido. Quia licet eiusmodi tres veritates dictã diuersitatem habeant re vera à diuersitate partium, ex quibus integrè coalescũt: ea tamen nimis materialis est ad propositum; neque eas distinguit in ratione veritatum, qua talium. Siquidem idem penitus aggregatum earumdem partium modo vnam talium veritatum constituit, modo non item ratione diuersorum statuum, in quibus successu temporis reperitur. e.g. aggregatum ex his tribus terminis, nempe ex Petro, ex Petri existentia in tempore A præsente, & ex ipso tempore A nunc constituit hanc veritatem de præsenti: *Petrus existit in tempore* A; quam tamen idem penitus aggregatum ex eisdem partibus compositum neque constituit toto tempore antecedente, neq; toto subsequẽte constituet: quia, Petrum existere in tẽpore A, nunc solùm est verè iudicabile iudicio de præsenti, quale non fuit toto tempore antecedente, nec toto subsequente erit. Similiter aggregatum ex his quatuor terminis, nempe ex Ioanne, & Ioannis existentia in tempore B futuro octo ab hinc annis, ex ipso tempore B, & ex tempore A præsente, nunc constituit hanc veritatem de futuro: *Ioannes existet in tempore B futuro octo ab hinc annis*; quam tamen idem aggregatũ ex eisdem omninò partibus constans, neque toto tempore antecedente constituit, neque constituet toto sequente: quia Ioannem esse extiturum in tempore B futuro octo abhinc annis, nunc solùm iudicabile est iudicio de futuro, quale non fuit toto tempore antecedente, nec erit toto subsequente. Pariterque censendum est de cæteris huiusmodi. Ex quibus patet; prædictas tres veritates non tam diuersitate partium, ex quibus coalescunt, quàm à diuersitate statuum, ad quos pertinent, diuersas euadere in ratione talium, iuxta dicenda *posteà*.

Vnde quartò probatur planè idem assumptũ: quia 193
existentia crastina Petri cras erit verè iudicabilis iudicio de præsenti, quali hodie non est iudicabilis verè; & hodie verè est iudicabilis iudicio de futuro, quali non erit verè iudicabilis cras, & perendiè erit iudicabilis iudicio de præterito, quali neque hodie, neque cras iudicabilis est: ergo existentia crastina Petri, cras habebit veritatem de præsenti, quam non habet hodie, & hodie habet veritatem de futuro, quam cras non habebit; & perendie habebit veritatem de præterito, quam neque habet hodie, neque cras. Idque, quia cras habebit statum, quem hodie non habet, & hodie habet statum, quem cras non habebit, & perendie habebit statum, quem neq; hodie habet, neque cras. Igitur futuritio iudicabilis hodie, & præsentia iudicabilis cras, & præteritio iudicabilis perendie de existentia crastina Petri, tres eius veritates obiectiuæ diuersæ sunt diuersis iudiciis à nostro intellectu iudicabiles. Quod erat ostendendũ. Idque ratione diuersorum statuum, quos futuritio crastina Petri in esse veræ obiectiue, siue iudicabilis verè succesſu temporis percurrit. Pariterq; philosophandum est de cæteris huiusmodi veritatibus.

Hinc iam se prodit vltimum, quod in proposi- 194
tione asserimus: prædictas scilicet veritates succesſu temporis, & non aliter esse à nobis iudicabiles verè. Certum enim est, non esse à nobis verè iudicabilem existentiam crastinam Petri iudicio de præsenti, donec accedat crastinus dies, neque iudicio de præterito, donec accedat dies perendinus. Sicut neque vsque ad hodiernum diem potuimus habere hoc iudicium verum de eadem crastina Petri existentia. *Petrus existet cras*; neque post transactum diem perendinum poterimus habere hoc. *Petrus extitit heri*. Tantumdemque in cæteris quibusque similibus veritatibus euenit. Ex quo patet, eas aliter, quàm succesſu temporis non esse à nobis iudicabiles vere. Recoguosce eamdem doctrinam tactam suprà *disput. 2. quæst. 4. conſ. 6. & disput. 3. quæst. 3.*

Cuius ratio à priori est: quia suppoſita cuiuſuis 195
rei existentia in quauis temporis mensura nullum est instans in toto tempore, quantumuis vtrimque infinito, in quo talis existentia relatè ad nostrum intellectum non variet suæ cognoscibilitatis, suæve obiectiuæ veritatis statum; siue, quod in idem recidit, nullum est instans, ex quo talis existentia non debeat à nobis iudicari iudicio diuerso, vt iudicetur verè. Quæ est admirabilis proprietas existentium in tempore prout ab intellectu nostro iudicabilium. Quod vt per exemplum fiat notius, sint nouem continuati dies A, B, C, D, E, F, G, H, I. Sitque sermo de existentia Petri correspondente eorum medio, E. De qua vtique ex die A, solùm erit iudicabile à nobis iudicio de futuro ex parte obiecti determinato (vt modo omittam vaga) sic. *Talis existentia erit quinto ab hinc die.* Ex die autem B, solum sic: *Erit quarto ab hinc die.* Ex die C, solum sic: *Erit tertio ab hinc die.* Ex die, verò E, iudicio de præsente solum sic: *Talis existentia iam est.* Ex die autem F, iudicio de præterito solum sic: *Talis existentia secundo retro die fuit.* In die G, solum sic: *tertio retro die fuit.* In die H, solum sic: *Quarto retro die fuit.* In die denique I, solum sic: *Quinto retro die fuit.* Quæ omnia iudicia diuersa esse, veritatesq; proinde obiectiuas eis respondentes diuersas quoque esse, iisq; solis iudiciis, & non aliis, ex iisque mensuris tẽporis, & non ex aliis verè iudicabiles, palam est. Tantumdemque pariter venit dicendum de cæteris aliis iu-

diciis,ac veritatibus obiectiuis prædictæ existentiæ correspondentibus cæteris omnibus diebus, atquè adeò mensuris totius temporis antecedentis, atque subsequentis dicti E,in quo talis existentia ponitur esse.

196 Quæ cum ita sint, colligo primò. Existentiæ cuiusuis rei vnico instanti temporis correspondenti vnicam tantùm veritatem obiectiuam de præsenti conuenire,ex eo tantùm quòd instanti iudicabilem ab intellectu nostro, in quo est ipsa existentia.De futuro autem, & de præterito innumeras, imò infinitas conuenire veritates obiectiuas diuersas ex infinitis instantibus antecedentibus,& subsequentibus illud, in quo est existentia ipsa,perque infinita diuersa iudicia iudicabiles ab intellectu nostro.

Secundò colligo. Quot sunt instantia temporis successiuè fluentia, tot actus diuersos scientiæ comparabiles esse à nobis, totidemque amissibiles successu temporis de vniuscuiusque rei existentiâ, prout vnicuique mensuræ temporis correspondenti;Idque ita vt neque possimus eos comparare aliter quam successiuè eadem instantium temporis successione; neque possimus iam comparatos retinere, quin eadem pariter successione successiuè amittamus.Quod etiam mirabile est.Constatque ex doctrina traditâ *supra disp.2.q.4.Conf.6.citato.*

197 Tertiò colligo. Status existentiales vniuscuiusque rei de futuro,de præsente,& de præterito,veros, & reales status esse, atque etiam inter se diuersos relatè ad intellectum nostrum,penes diuersitatem veritatum obiectiuarum ad illos spectantium. Huiusmodi autem veritates,scilicet de futuro,de præsenti, & de præterito vnicuique rei conuenientes, prout existenti in sua temporis mensura, imprimis entitatiuè, & materialiter diuersæ sunt à diuersitate partium,ex quibus coalescunt,iuxta dicta *n.192.* Deinde formaliter in ratione veritatum eatenus diuersæ censentur,quatenus eadem rei existentia non aliter, quàm diuersis iudiciis, & ex diuersis mensuris temporis est verè a nobis iudicabilis, vt futura,vt præsens, &, vt præterita. Quo etiam iure eiusdem existentiæ status futuritionis,præsentiæ, & præteritionis diuersi euadunt inter se. Quomodò autem non solum isti tres sint diuersi;sed intra statum futuritionis eiusdem existentiæ infiniti status futuritionis diuersi reperiantur, paritèrque intra statum præteritionis infiniti præteritionis penes infinitas multitudines instantium temporis antecedentium, & subsequentium talis existentiæ mensuram,ex dictis *nuper* liquidum est.

198 Quartò colligo:de diuersitate huiusmodi statuum, veritatumque obiectiuarum ad eos spectantium futuritionis,præsentiæ, & præteritionis rerum aliquando existentium, perinde philosophandum esse respectiuè ad intellectum creatum cognoscentem per proprias species, atque respectiuè ad nostrum nunc cognoscentem per alienas philosophati sumus. De vtroque enim intellectu,quod ad rem attinet,eadem ratio est procul dubio,vt ex dictis potest quisque perspicere. Vtrum autem eadem quoque sit de intellectu increato Dei, ex dicendis *propos. seq.* constabit.

Propositio 5.

199 Rem esse futuram, esse præsentem, & esse præteritam,comparatione intellectus Dei non sunt diuersæ veritates successiui temporis iudicabiles, vti sunt cõparatione nostri intellectus,iuxta *propos.4.* Tametsi argumẽta non leuia oppositũ videantur probare.

Prior pars propositionis statuitur propter concordem Patrum, atque Theologorum sententiam vnanimiter asserentium,aut supponentium, scientiam diuinam etiam rerum existentium in tempore ita esse immutabilem,inuariabilem, & vndequaque integrè æternam,vt nullatenus successiui temporis possit augeri, aut minui,nullatenusque subindè possit Deus alicuius veritatis notitiam acquirere, aut amittere in tempore, quam non habuerit ab æterno, aut non sit in æternum habiturus. Si enim futuritio,præsentia,& præteritio rerum æquè essent veritates diuersæ comparatione intellectus Dei atque comparatione intellectus nostri, æquè intellectus Dei, atque noster ad eas verè iudicandas expectare deberet mensuras temporis,ex quibus tantùm à nobis sunt verè iudicabiles.Vnde fieret, vt singulis temporis momentis denuò conciperet Deus iudicia quarumdam,totidemque quarumdam aliarum iudicia priùs concepta deponeret, vt ex dictis *propos.4.* compertum est. Non ergo futuritio,præsentia,& præteritio rerum diuersæ veritates sunt obiectiuæ comparatione intellectus Dei, vt sunt comparatione intellectus nostri. De quo plura dicenda sunt in *Tract.de scientia.*

Posterior autem propositionis pars non aliter 200
probanda venit, quam exhibendo argumenta,quibus contra priorem statutam probari videtur, futuritionem,præsentiam, & præteritionem rerum aliquando existentium perindè relatè ad intellectum Dei, atque ad nostrum esse veritates diuersas successu temporis iudicabiles, atque adeò scibiles, & non aliter.Argumenta autem sunt, quæ sequuntur.

Sit primum illud vulgare. Deus ante aduentum 201
Christi, præsciebat, Christum esse venturum, non autem sciebat venisse:modò non præscit,esse venturum,& scit venisse.Tum,quo tempore Christus aduenit, Deus iudicabat, iam Christi aduentum esse præsẽtem,habereq; iam actu existẽtiam in rerũ naturâ,quod modò iudicare non potest, quia iam non extat Christi aduẽtus:igitur successu tẽporis variata est scientia,& præscientia Dei.Huic argumẽto communiter respondeti solet;Deũ eâdẽ prorsus inuariata scientia cognouisse sẽper, semperque cogniturũ, aduentum Christi pro sua propria mẽsura tẽporis existentem;necnon illum relatè ad talẽ mensurã esse præsentem;relatè verò ad totum tempus præcedens esse futurum,& relatè ad totũ subsequens,esse præteritum:atque ita modò nõ cognoscere Deũ quidpiam,quod anteà nõ cognouerit,nec vice versâ;vnde concluditur,scientiã Dei extrinsece tantùm denominari præscientiam à duratione temporali,quã habet antequam existat obiectum, quo tamen transacto, absque vllâ sui intrinsecâ variatione desinit esse præscientia, sublata iam ea denominatione priore.

En solutionẽ communem facti argumenti.In qua 202
tamen ego hactenus quiescere non potui.Vrgeo illud sic primò sub terminis vniuersalioribus. Antequàm res existat,Deus non iudicat,eam iam habere existentiam in rerum naturâ: quia tale iudicium falsum esset,cùm falsum sit,iam rem existere, quo tempore nondum existit. At, quo tempore iam res existit,tunc iudicat Deus, eam iam habere existentiam, quia iam tunc id est verum. Ergo Deus successu temporis acquirit iudicium, quod anteà non habebat. Vrgeo secundò. Hæc propositio prolata hodie: *Antichristus iam nunc existit* omnino falsa est; prolata tamen posteà, quando Antichristus iam sit existens,omninò erit vera,vt est notissimum: Ergo iudiciũ internũ tali propositioni respõdens in quocũq; intellectu,cõceptũ hodie omnino erit falsũ;Cõceptũ tamẽ tunc omninò erit verũ.Ergo Deus hodie non habet tale iudicium, habebit tamen, quando Antichristus iam existat,atque ita successu temporis illud acquiret. Vrgeo tertiò. Ideò prædi-

cta

cta propositio hodie falsa est, & tempore Antichristi erit vera, quia veritas obiectiua, quam illa enunciat, hodie non datur à parte rei, & tempore Antichristi iam dabitur. Ab eo enim, quod res est, vel non est, dicitur propositio vera, vel falsa secundum Arist. & omnes. Igitur Deus, cui nulla veritas obiectiua ex parte rerum se habens latere potest, tempore Antichristi cognoscet veritatem obiectiuam, quam dicta propositio enunciat, quia tunc ea dabitur à parte rei, hodie tamen eam non cognoscit, quia hodie non datur. Acquiret ergo scientiam tunc, quam hodie non habet.

104 Hinc nascitur argumentum secundum in hunc modum. Ex his duobus obiectis: *Iam nunc existit Antichristus: Post multos annos existet Antichristus*; primum comparatione nostri intellectus non est verè iudicabile hodie; benè tamen secundum. Tempore tamen Antichristi è conuerso primum erit iudicabile verè; secus secundum, vt ex se patet, & ex dictis *prop.* 4. Ergo idem dicendum est comparatione intellectus Dei. Probo consequentiam: quia veritas obiectiua, à quâ obiecta habent esse verè iudicabilia, non est quidpiam illis proueniens ab extrinseco; sed modus essendi eorum intrinsecus, cum ipsisque à parte rei identificatus, vt affatim, vniuersaliterque monstratum est suprà *q.* 1. *prop.* 1. proindeq; nequaquam possunt aliqua obiecta quoad veritatem obiectiuam, quam re ipsa in se habent relatè ad vnum intellectum esse verè iudicabilia; secus relatè ad alium. Obiecta autem prædicta quoad veritatem obiectiuam, quam in se re ipsa habent pro diuersis temporibus, & non aliter, pro eisdem diuersis temporibus, & non aliter iudicabilia verè sunt ab intellectu nostro. Igitur pro eisdem diuersis temporibus, & non aliter euadent quoque iudicabilia ab intellectu Dei, scientiam ergo Dei pro talium temporum varietate subire aliquam varietatem necessarium videtur.

105 Confirmatur primò: quia non potest vlla propositio esse vera, nisi verificatiuũ aliquod eius detur ex parte rerũ; nec potest vlla propositio esse falsa, nisi desit ex parte rerum omne eius verificatiuum, vt est notissimum: Ergo, cùm propositio ista: *Iam nunc existit Antichristus*, hodie sit prorsus falsa: futura prorsus vera tempore Anti-Christi, hodie non habet ex parte rerum verificatiuum, quod tunc habebit. At Deus nec potest habere scientiam de obiecto propositionis nullum verificatiuum habentis, quia talis scientia esset falsa; nec potest carere scientia de verificatiuo propositionis: quia eo ipso, quod illud est tale, est quid scibilè verè; & Deus ignorare non potest, quod est scibile verè, vt constat. Ergo Deus nequibit non tempore Antichristi habere scientiam, quam modò non habet de verificatiuo, quod tunc dicta propositio habebit, & modò non habet.

106 Confirmatur secundò. Verissimum hodie est, Antichristum nondum existere in sua temporis mensura, quia verissimum etiam est, talem mensuram temporis nondum adesse: Ergo Deus iudicat hodie, Antichristum nondum existere in sua temporis mensura. At accedẽte tali mensura, nequibit non iudicare oppositum: quia tunc oppositum erit verum: Ergo, vel habebit tunc Deus duo iudicia opposita; quod est impossibile; vel deposito iudicio, quod modò habet, oppositum concipiet. Quo habetur intentum.

Cõfirmatur tertiò. Testetur Deus hodie, vt potest, exteriùs, Antichristum nondum existere. Inquiro nunc; vel Deus hodie habet internum iudicium tali exteriori testimonio respondens, quo interiùs pariter iudicat, Antichristum nondum existere; vel non habet? Si non habet. Ergo testatur, quod nescit, seu, quod non iudicat. Quod planè ipsi est impossibile. Si habet. Non potest non per Antichristi aduentum amittere tale iudicium, & oppositum comparare; quandoquidem tempore Antichristi neque in prædicto testimonio, neque in prædicto iudicio, vtpote iam tunc falso persistere poterit. Quo fiet, vt iudiciũ oppositum iam tunc verum nequeat non comparare, vtpote omninò necessitatus ad sciendum omne verum. Quo iterum habetur intentum.

Tertium argumentum. Si Deus non acquirit vllam scientiam successu temporis, Deus hodie prorsus ignorat, in quonam die viuit, & regnat. At hoc absurdum est, vel homine indignum, cui probro ducitur, nescire, quinam dies sit, in quo viuit: Ergo. Probatur antecedens: acceptis pro exemplo septem diebus continuis integræ hebdomadæ quibus, certum est, Deum successiuè coëxistere, ita vt priùs coexistat diei dominico, deinde feriæ secundæ, posteà tertiæ, & ita deinceps. Etenim, si Deus nullam successu temporis scientiã acquirit ex quocunque eorum septem dierum, cognoscit quidquid in omnibus, & singulis cognoscibile est, quoad existentiam ipsorum, & propriam coëxistentiã cum illis præsentem, præteritam, & futuram, vt est certissimum. Hinc autem planè sequitur, idem prorsus scire Deum, & iudicare de existentia feriæ tertiæ, deque sua coëxistentia cum illa, quando illi iam de præsenti coëxistit, ac quando de præsenti coëxistit aliis, & è conuerso. Ergo existente iam de præsenti feria tertia, non ampliùs scit Deus de illa, deque sua coëxistentia cum illa, quam existente iam de præsenti qualibet alia. Siquidem de omnibus iudicat semper idem, siue illis coëxistat iam, siue secùs. Ergo nescit Deus in quanam earum præ reliquis iam existit, quænamve earum ea sit, cui ipse de præsenti coëxistit. Quod ipsum est, nescire Deum, in quonam die viuit, & regnat. 107

Confirmatur, & declaratur primò. Vt Deus sciat in quonam die huius hebddmadæ præ reliquis iam nunc viuit, & regnat, aliquid peculiare debet iam nunc scire de tali die, quod non scit de aliis, nimirum, se iam nunc illi præ reliquis coëxistere: sed si de omnibus semper scit idem, nihil de tali die scit peculiare, quod non scit de aliis. Ergo si de omnibus semper scit idem, nescit profectò, in quonam præ aliis iam nunc viuit, & regnat. 108

Confirmatur secundò. Interroganti mihi, quinam dies huius hebdomadæ hodiernus sit, Lunæ ne, an Martis, an Mercurij, an Iouis, an alius; vel potest mihi Deus respondere, esse diem Iouis, vt verè est, non verò Lunæ, aut Martis, aut Mercurij, aut alius; vel non potest? Si non potest. Ergo nescit Deus, quinam dies huius hebdomadæ sit hodiernus; quod ipsum est, nescire ipsum, in quo die viuit. Si autem potest. Ergo Deus, qui non potest affirmare, quod nescit, aliquid peculiare scit hodie de die Iouis, quod non scit de aliis, scilicet iam nunc ipsum esse præsentem, quodque de ipso die Iouis heri non sciebat; & habetur intentum. Siquidem eidem interrogationi heri à me factæ non posset heri Deus respondere, esse diem Iouis: quia falsum diceret; quandoquidem hesternus dies non Iouis sed Mercurij fuit. 109

Confirmatur tertiò. Quia si Deus successu temporis nullam scientiam acquirit; nescit Deus hodie, an Mundus iam sit à se productus, an posteà producendus: quia nescit, an ea temporis mensura, in qua eum producere decreuit, accesserit iam, an potiùs adhuc maneat futura. Si enim nihil modo scit Deus de coëxistentia Mundi cum tali temporis 110

mensura,quod non sciuerit ante Mundi creationẽ,vt tunc non sciebat,Mundum iam esse tunc productum in illa: quia verè tunc nondum erat in illa productus, quia nondum illa accesserat: ita neque scit modo. Ignorat igitur Deus hodie, an Mundus sit iam à se productus; necne. Quod planè videtur absurdum. Et sanè non satis videtur intelligibile,quomodo Deus, quo tempore ab eius omnipotentia physicè egrediuntur creaturæ, possit non acquirere denuò aliquam veluti experimentalem notitiam productionis earum, à se non præhabitam ante aduentum talis productionis, talisque quasi experientiæ physicæ eius. Videtur igitur dicendum, talem eum notitiam successu temporis, dum cuncta produxit,comparasse, in diesque comparare.

212 Confirmatur quartò.Quia nisi Deus successu temporis scientiam acquirat, vniuersaliter nullius existentiæ differentias de futuro,de præsenti,& de præterito discernet, vt constare ex dictis videtur. Hoc autem,quis non censeat absurdum? Quãdoquidem huiusmodi differentiæ verè dantur à parte rei,verèque proinde sunt discernibiles à quouis intellectu, vt etiam ex dictis videtur constare,à nostroque discernuntur de facto;vt *proposit.*4.monstratum est.

213 Vnde iam quartum argumentum à priori desumitur hoc pacto. Esse rem futuram,esse præsentem, & esse præteritam à parte rei sunt modi essendi eius diuersi, idque successu temporis, cùm tota eorum diuersitas in temporis successione fundetur. Igitur à parte rei sunt vera quædam obiectiua diuersa,seu veritates obiectiuæ diuersæ, idque etiam successu temporis. Siquidem vera obiectiua diuersa, seu veritates obiectiuæ diuersæ vniuscuiusque rei, vt in tota hac disputatione sumuntur, aliud non sunt à modis diuersis essendi eius, prout ex dictis in illa constat. At,quâ ratione vnumquodque est obiectiuè verum,seu veritas obiectiua eadem, & non alia euadit iudicabile verè ab omni intellectu cognoscitiuo veritatis: Igitur,esse rem futuram,esse præsentem,& esse præteritam veritates obiectiuæ diuersæ sunt,seu vera obiectiua diuersa successu temporis,& non aliter verè iudicabilia ab omni intellectu cognoscitiuo veritatis:atq; adeò ab intellectu diuino. Totus discursus est legitimus,solumque primum antecedens,cui nititur,indiget probatione. Probatur autem primò. Quia ex ipsis terminis videtur satis superque notum,diuersum quid esse in vnaquaque re esse eam iam actu existentem in rerum natura, atq; fore posteà extituram, vel anteà extitisse;atque adeò diuersos esse modos essendi eius à parte rei esse futuram, esse præsentem,& esse præteritam; idque successu temporis. Siquidem antequam existat est futura,dum existit est præsens,& postquam extitit est præterita. Secundò probatur: quia futuritio, præsentia,& præteritio vniuscuiusque rei diuersas à parte rei proprietates fortiuntur, quod manifestum indicium est realis earum diuersitatis. Etenim vnaquæque res dum est præterita sub nullam cadit potestatẽ,cùm tamen sub aliquam cadat,dum est futura,aut præsens.Inde enim ortũ vulgare illud axioma. *Ad præteritum non datur potentia*, sicut datur ad futurum & præsens. De quo nos egimus suprà *disp.*8. *q.*4. Deinde vnaquæque res,dum præsens est,dumtaxat cadit sub libertatem etiam diuinam, non item dum est præterita, vel futura. Ob id enim Deus hodie non est proximè liber ad producendam durationem crastinam mundi,sicut cras erit, ad producendam autem hesternam, ne remotam quidem habet iam Deus hodie libertatem, seu potestatem. Præterea, duratio mundi hodierna hodie dumtaxat est possibilis proximè:toto enim tempore antecedente,remotè tantùm fuit possibilis,& toto tempore subsequente, ne remote quidem possibilis erit. Ex quibus omnibus videtur concludi, vnamquamque rem, vt subit successu temporis diuersos modos essendi,atque adeò diuersas veritates obiectiuas,& consequenter diuersos status futuræ, præsentis, & præteritæ; ita quoque diuersa iudicia Dei successu temporis subire, seu terminare. Quod erat intentum argumenti.

Confirmatur primò. Quia sicut possibilitas,futu- 214
ritio conditionata, & futuritio absoluta vniuscuiusque rei tres sunt obiectiuæ veritates eius diuersæ ratione diuersorum statuum ita ordinatæ secundum seriem prioritatis,& posteritatis naturæ,vt ne à Deo quidem sint cognoscibiles aliter, quàm suo ordine; prima videlicet in primo signo,secunda in secundo, & tertia in tertio,& ideò scientia diuina de possibilitate prior naturâ est,quàm scientia de futuritione conditionata, & hæc prior, quam scientia de futuritione absoluta,vt ex communi Theologorum sententia videbimus in *tract.* de scientia. Ita futuritio, præsentia,& præteritio vniuscuiusque rei tres sunt obiectiuæ veritates eius diuersæ ratione diuersorum statuum ita ordinatæ, secundum seriem prioritatis, & posterioritatis temporis,vt ne à Deo quidem videantur cognoscibiles esse aliter, quam suo ordine. Prima videlicet in tempore antecedente rei existentiam; secunda in ipso tempore existentiæ: & tertia in tempore subsequente;ita vt scientia de futuritione in solo tempore antecedente rei existentiam, & scientia de præsentia in solo tempore existentiæ, & scientia de præterione in solo tempore subsequente possit existere.

Confirmatur secundò. Quia veritas obiectiua 215
æquè,ac obiectiua bonitas est passio entis. Sed ens iam actu existens,atque possessum aliter est bonum, & amabile, quàm dum est futurum, & possidendum,aut præteritum,& amissum,idque per diuersos actus voluntatis successu temporis elicibiles,& non aliter, vt statim comprobabo. Ergo ens iam actu existens aliter etiam est verum, & cognoscibile, quàm dum est futurum, aut præteritum; idque similiter per diuersos actus intellectus successu temporis comparabiles.

Vnde sit quintum argumentum. A differentiis 216
futuræ præsentis,& præteritæ fit vnaquaque res successu temporis diuersis bonitatibus bona,& amabilis, diuersisve malitiis mala,& odibilis; idque per diuersos actus voluntatis successu etiam temporis producibiles, & non aliter, atque ita diuersis temporis mensuris suapte natura alligatos. Ergo & ab eisdẽ differentiis fiet vnaquaque res pariter successu temporis vera, & cognoscibilis; idque similiter per diuersos actus intellectus successu temporis producibiles,& non aliter. Consequentia est bona:quia nullum idoneum discrimen excogitabile est. Antecedens autem probatur. Quia bonum, dum iam est præsens,& possessum affectu gaudij amabile est;non verò affectu desiderij, aut spei: è contra verò, dum est futurum sui desiderium,& spem terminare valet non item gaudium;cùm tamen,dum præteritum est, iam nullo horum affectuum amabile sit. Malum similiter, quâ præsens tristitiam, quâ futurum timorem, quâ præteritum neutrum horum effectuũ terminare valet. Vnde fit,gaudium,& tristitiam solùm posse habere existentiam in ipsa mensura temporis, quâ bonum,aut malum est præsens: desiderium autem spem,& timorem solùm in mensura antecedẽte; in subsequente autem,nullũ eorum affectuũ existere posse. Et quidem hæc in nobis ita se habere,nemo negare potest,vel ipsa enim experiẽtia est notissimũ.

Vnde

Vnde ad Deum etiam argumentum transfertur quia non videtur posse, Deum etiam habere affectum gaudij de bono præsenti, quà tali, diuersum suopte cõceptu ab affectu desiderij de bono futuro: qui proinde affectus certis mensuris temporis erunt suapte essentiâ alligati. Et quidem de affectu desiderij efficacis etiam diuini non posse versari circa præteritum, videtur ex se notum: quia talis affectus ex suo conceptu conatus quidem est, quo voluntas conatur ponere existentem rem, quam desiderat, in aliqua temporis mensura. Nulla autem voluntas conari potest ponere rem existentem in mensurâ temporis iam præterita: quia id euidenter est impossibile. Quo iure, omne decretum efficax Dei, postquam suo munere functum est, ponendo existentem rem decretam in sua temporis mensura non videtur posse vlteriùs ampliùs durare. Cessabunt igitur omnia decreta Dei efficacia successu temporis. Id, quod singulariter quidem; sed ingenuè confitetur, & absque hæsitatione docet doctus Gasp. Hurt. 1. *p. Tract. de volunt.* Nec mirum, cùm vix videatur intelligibile, quòd Deus eodem decreto, eodemque subinde suæ voluntatis conatu, quo creauit Adamum in suâ temporis mensurâ, conetur adhuc hodiè, eodemque prorsus modo, ac tunc, in eâdem temporis mensurâ iamdudum præterita ponere illum existentem; cùm tamen hæc positio iam hodiè prorsus sit impossibilis. Ex quibus videtur cõcludi, voluntatẽ diuinã, quæ nõ minùs est immutabilis, quam intellectus, successu tẽporis posse variare suos actus; quo posito cõsequẽter infertur, intellectũ quoque posse variare suos.

217 Sextum, & vltimum argumentum esse potest. Quòd huiusmodi variatio actuum scientiæ diuinæ successu temporis obueniens Deo, non ex imbecillitate intellectus, vti obuenire solet creaturis; sed ex eo, quòd obiecta aliter, quàm successu temporis non sunt verè scibilia, ex nullo capite videtur repugnare, vtpote nullam omninò imperfectionem appingens ipsi Deo. Imprimis enim nulla imperfectio est, sed summa perfectio intellectus diuini, carere in vno tempore scientiâ, quam habet in alio; eo quòd obiectum ex primo non est iudicabile verè, vti est ex secundo. Sicut nulla imperfectio, sed summa perfectio est intellectus diuini carere per totam æternitatem scientiâ, quam potuit habere, eo quòd obiectum non fuit ab æterno, vt potuit, iudicabile verè. Itaque esse pro omni tempore defectibilem scientiam contingentium, quam Deus habet, de factoque deficere aliam, quam potuit habere, nõ quidem quoad entitatem indistinctam à Deo, sed quoad denominationem, qua ipsum denominat scientem, idque ad defectum veritatis obiectorum cognoscibilium nullã imperfectionem dicit, vt est certissimum. Qui igitur imperfectionem dicet, pro aliquibus tantùm partibus temporis, & non pro aliis pariter, & eodem titulo defectibilem esse, aut deficere? Deinde, neque est imperfecto in actibus scientiæ successu temporis Deo obuenientibus certis mensuris temporis, quibus respondent quoad denominationem dumtaxat esse subiectiuè alligatos suapte naturâ, seu connexos cum illis: quandoquidem ὁmnis actus scientiæ diuinæ pariter quoad denominationem titulo suo infallibilitatis cum suo obiecto, quantumuis vidi, obiectiuè connexus est suapte naturâ absque omni prorsus imperfectione; vt est etiam certissimum. Quo fit, vt qui pro obiecto habent ipsas mensuras temporis obiectiuè sint connexi cum illis citra omne dubium. Si enim in actu, quo Deus vndecumque iudicat existere instans A, non est imperfectio esse connexum cum eo, vt cum suo obiecto, quatenus si instans A, deficeret, ille esset falsus; quod ei repugnat. Cur in actu, quo Deus in ipso instanti A, iã existens iudicat esse illud sibi præsens erit imperfectio esse eidem subiectiuè alligatum, quatenus si talis actus existeret in instanti antecedente, aut subsequente, falsus quoque esset; quod pariter repugnat illi? Certè ex prædictis capitibus actibus scientiæ successu temporis Deo aduenientibus nulla imperfectio adscribi potest. Aliud autẽ caput, vnde adscribatur, non videtur excogitabile.

Viderunt horum argumentorum difficultatem 218
propositam à me olim in *Tract. de scient* Recentiores quidam ex nostris; facilèque illam se dissoluere arbitrati sunt ex principiis à se statutis de futurorum omnium præsentiâ in æternitate diuinâ. Principia autem sunt huiusmodi. Primum. Eternitatem intrinsecam Dei durationem eius esse ex vnâ parte prorsus indiuisibilem, vtpote prosus indistinctam à Deo; ex aliâ verò suapte essentiâ constituentem Deum ipsum durantem, siue existentem in omni tempore, æquè, ac immensitas intrinseca Dei præsentia est indiuisibilis eius, constituens eumdem præsentem, siue existentem in omni loco. Secundum. Eternitatem intrinsecam Dei, & durationem cuiusuis creaturæ cuiuis tempori respondentem, omninò simultaneas esse in existendo absque vllo ordine prioris, & posterioris; perinde ac duæ durationes creatæ eidem mensuræ temporis respondentes simultaneæ sunt. Tertium. Cuncta existentia, atque adeò durantia in quouis tempore physicè esse coëxistentia æternitati Dei, atque adeò præsentia illi. Quartum. Nullam rem existentem in quouis tempore comparatione æternitatis intrinsecæ Dei esse futuram, aut præteritam: quia omnis est præsens, vt dictum; quidquid sit de futuritione, & præteritione quam vnaquæque habet respectiuè ad varia tempora extrinseca Dei.

Ex his inferunt, asseruntque, Deum iudicium 219
de præsenti duntaxat habere omnium rerum existentium in tempore, illudque fixum, stabile, ac prorsus inuariabile, quo semper, atque adeò ab æterno, & in æternum iudicat, vnamquamque earum iam sibi præsentem, seu coëxistentem esse. Qua sola assertione putant se omnibus argumentis factis satisfeciisse; quasi illa dumtaxat habeant locum respectu nostri, quorũ durationi præsenti, sub quâ, dum iudicamus, sumus, nõ cætera cuncta existentia præsentia sunt, vt sunt durationi diuinæ; sed quædã præsentia, quædam præterita, & quædam futura, quæ, vt talia subinde veniunt à nobis iudicãda; secùs à Deo.

Cæterum per doctrinam istam argumentis à no- 220
bis factis non satisfieri ostendo. Primò: quia licet nulla duratio creaturæ (quã nobiscũ superadditam ponunt hi Recentiores) sit positiuè futura, aut præterita respectu durationis intrinsecæ Dei, quia nulla est posterior, aut prior illa suapte naturâ. Hinc tamen non sequitur, quamlibet durationem creaturæ semper esse positiuè præsentem, seu coëxistentem durationi intrinsecæ Dei. Positiua siquidem coëxistentia duorum extremorum vtriusque existentiam dicit in suo conceptu. Constat autem, non semper existere quamlibet durationem creaturæ. Ex quo fit primò; ita esse omnes durationes creaturarum physicè præsentes, seu coëxistentes æternitati Dei, vt non simul, sed successiuè tales sint, eo quòd ipsæ successiuè habent existere in quo differt æternitas ab immensitate Dei, cui simul coëxistentes, atque adeò præsentes sunt omnes præsentiæ locales creaturarum. Secundò fit, Deum non posse habere hodiè iudicium hoc de præsenti:

Antichriſtus iam nunc exiſtit : quia nondum Antichriſtus exiſtens eſt. Dices, poſſe quidem, ſi illæ particulæ *iam nunc* denotent non inſtans præſens temporis extrinſeci, ſed inſtans æternitatis intrinſecæ Dei. Contrà tamen primò. Ergo iam Deus ſaltem non poteſt habere hodie iudicium de præſenti tendens in Antichriſti exiſtentiã, & connotans ſuapte eſſentia inſtans tẽporis extrinſeci præſens, quâ tale, quod, quantum ſit inconueniens, patebit ex dicendis. Contrà ſecundò: quia Antichriſtus non coëxiſtit Deo in ſola duratione intrinſeca Dei, ſed inſuper in propria, cum vtramque importet coëxiſtentia Antichriſti, & Dei: Ergo particulæ *iam nunc*, non poſſunt denotare ſolum inſtans æternitatis Dei; vt ſic enim iudicium de quo agimus, falſum eſſet. Sed neque poſſunt denotare coniunctum vtriuſque prædictæ durationis, ſi tale iudicium ſit de præſente, erit enim itidem falſum: quia tale coniunctum defectu exiſtentiæ Antichriſti, nondum eſt in ſe præſens. Tale ergo iudicium, quocumque modo explicetur obiectum eius, in Deo hodie exiſtere nequit. Quo tota aduerſariorum doctrina ruit.

221 Dicent; prædictum coniunctum durationum iam nunc eſſe præſens, ſi particulæ *iam nunc*, neque ad vllum tempus extrinſecum, neque ad ſolam durationem Dei referantur; ſed ad vtramque Antichriſti, & Dei, ex quibus coaleſcit ipſum coniunctum: quia eius præſentia aliud non eſt à ſimultanea ſuarum partium coëxiſtentia ab ipſis partibus, ab ipſoque proinde coniuncto re ipſa indiſtincta. Sed contra eſt: quod licèt duratio Antichriſti poſitiuè non ſit poſterior duratione intrinſeca Dei, atque adeò nec poſitiuè ſit futura comparatione eius, vt diximus; hodie tamen negatiuè eſt poſterior, futuraque reſpectu ipſius etiam ſecundum ſe præcisè conſideratæ, & non reduplicatiuè prout hodie exiſtentis, & ideò hodie non ſunt ſimultaneæ exiſtẽtia-tialiter, vti erunt tempore Antichriſti: quia eo ipſo, quòd duratio intrinſeca Dei exiſtit hodie, & conſequenter nondum exiſtit in tempore poſteriore Antichriſti, nondum ad ipſam quantumuis ſecundum ſe præcisè conſideratam aceſſit Antichriſti tempus, & conſequenter nondum ipſi coëxiſtit duratio Antichriſti, nondumq; proinde præſens eſt coniunctũ ex durationibus Antichriſti, & Dei. Quo tandem fit, vt ad ipſum nequeant cum veritate referri ſupra dictæ particulæ, vtpote ſignificatiuæ præſentiæ eius. Concluditur igitur, prædictum iudicium: *Antichriſtus iam nunc exiſtit*, quocumque modo explicetur obiectum eius, non poſſe non hodie falſum eſſe, atque idcircò in Deo hodie reperiri non poſſe; nedum ab æterno, in æternum; & prorſus ſemper.

222 Sed eſtò habeat Deus iudiciũ de præſenti fixum, ſtabile, & ſemper durans omnium rerum exiſtẽtium in tempore, quo iudicet, vnamquamque earum ſibi iam eſſe coëxiſtentem; atque adeò præſentem; vt docent Recentiores præfati. Quidnam id intereſt ad infringendam noſtrorum argumentorũ vim? Nihil profecto. Cùm illa eo tendant, vt probent per ſcientiam ſemper ſtabilem, & prorſus inuariatam, quæcunq; ea ſit, neutiquam poſſe Deum diſcernere differentias, atq; adeò nec ſcire veritates obiectiuas futuritionis, præſentiæ, & præteritionis, quas res exiſtentes ſucceſſu tẽporis ſortiuntur, neq; aliter quàm ſucceſſu temporis; atque adeò per ſcientiam ſucceſſu temporis comparabilem, ſingulíſque menſuris temporis affixam, vtpote ipſas connotantem ſuapte eſſentia, ſcibiles eſſe videntur, vt ipſa argumenta recolenti, attentiúſque conſideranti, quàm Recentiores conſiderarunt conſpicuum fiet. Ex quo patet, non obſtante Recentiorum doctrina, omninò illa in ſuo robore permanere.

Itaque; per argumenta à nobis contra ſtatutam 223
propoſitionem facta adhuc ſuaderi videtur, futuritionem, præſentiam, atque præteritionem rerum veritates obiectiuas earum eſſe, ſucceſſu temporis, & non aliter eis conuenientes, quarum ſubinde ſcientiam Deus non poteſt non ſucceſſu temporis acquirere, & amittere. Si fallacia ſunt, ego profectò meam ignorantiam, atque imbecillitatem profiteor; nec ſcio, nec poſſum eorum fallaciam cum aliqua ſatisfactione detegere. Quare in hac parte doceri cupiens ab aliis ſolutionem expecto. Neque enim, vel commune mihi patet effugium infinitatis, atque eminentiæ ſcientiæ diuinæ, vt dicam, poſſe per illam inuariatam attingi denuò veritatem nouam ſucceſſu temporis accedentem. Hoc enim eſſet manus dare, & propoſitioni ex omnium ſententia ſtatutæ contrauenire. Si enim ſemel concedatur, Deum modo iudicare, exiſtere iam nunc de præſenti in rerum natura hodiernum diem, & res omnes ei coëxiſtentes, quod tamen heri nec iudicabat, nec poterat, prout argumenta dicta contendunt: parum ad rem refert, quòd dicatur, id fieri per ſcientiam ab æterno præhabitam, vel decurſu temporis acquiſitam; ſicuti parum ad rem refert, quod dicatur, futurum contingens cognoſci à Deo per eamdem ſcientiam neceſſariam, quâ ſe ipſum noſcit, vt multi loquuntur, vel per diuerſam liberam, vt loquuntur alij, dummodo ab omnibus aſſerarur, Deum aliquid iudicare de futuro contingente, quod non iudicaret, ſi illud non eſſet futurum. Altera enim controuerſia ferè eſt de modo loquendi, & nata ex varietate opinionum circa conſtitutionem actus liberi Dei. Etenim propoſitio ſtabilita iuxta ſententiam omnium, omnem nouam denominationem ſcientis, vel iudicantis aliquid decurſu temporis acquiſitam, intendit remouere à Deo, & in eo ſenſu ſtatuit, ſcientiam Dei ſucceſſu temporis inuariabilem eſſe.

Poſſet fortaſſe aliquis audacior, quàm ego, putare, 224
abſque vllo inconueniente concedi poſſe ſcientiam Dei liberam ſucceſſu temporis acquiri, & amitti circa eas veritates, quæ ſolùm decurſu temporis, atque adeò ex certis dumtaxat ipſius temporis menſuris ſunt cognoſcibiles: quia hoc nec aliquid imperfectionis præ ſe fert, vt probat argumentum ſextum ſupra poſitum, nec ſacræ Scripturæ, aut Patribus videtur aduerſari. Patres enim, imò, & Scholaſtici ſolùm videntur remouere à ſcientia Dei variationem circa veritates ſemper, & ex omni tempore à Deo cognoſcibiles, tanquam Deo repugnantem, & eius immutabilitati, quam ſcripturæ ſtatuunt aduerſam, quandoquidem ſola hæc ſupponeret, in Deo ignorantiam, argueretque mutabilitatem Deo impoſſibilem, vt videbimus in *tract.* de ſcientia. Quæ imperfectiones longè abſunt à variatione circa veritates non ſemper, ſed ſucceſſu tantùm temporis cognoſcibiles, quales argumenta prædicta videntur adſtruere. Adde, intellectum diuinum vna eademque ſententia ſtabili, inuariabili, & vndequaque æterna cenſeri, & dici poſſe cognoſcere vnamquamq; rem exiſtẽtem, quatenus continuo quodam & vndequaque æterno tramite iudiciorum eamdem exiſtentiam eius inceſanter, ſemperque intuetur; tametſi huiuſmodi iudicia in ſingulis momentis temporis diuerſa ſint quoad denominationem, quatenus ex diuerſis diſtantiis temporalibns, atque adeò quoad veritates talis exiſtentiæ diuerſas ratione diuerſorum eius ſtatuum attingunt illam. Quemadmodum

admodum vna, eademque visione corporea censentur oculi videre obiectum, quod in eorum prospectu continuo, & successiuo motu mouetur, tametsi talis visio singulis momentis temporis diuersa sit physicè quatenus ex diuersis distãtiis, perque diuersas lineas tendit in illud. Quo etiam pacto exponi possent Theologi, & Patres, dum scientiam diuinam de vnaquaque re contingente eamdem semper, & inuariabilem prædicant. Nihilominus ego in re tam graui non audeo huiusmodi limitationes appingere vniuersalibus loquutionibus Patrum, & Theologorum absolutè, & sine limitatione asserentium tanquam quid certum, scientiam Dei decursu temporis neque augeri, nec minui posse, nec variationem vllam pati. Quare, malo suspenso iudicio veritatem à Doctoribus mihi tradendam expectare, quam meis argumentis fortè delusus, de noua notitia decursu temporis acquisita præsumere; persistens interim in propositione ex eorumdem Patrum, & Theologorum concordi sententia suprà statuta. De qua plura dicenda venient in *Tract.* de scientia.

225 Restat nunc, vt pro tertia quæstionis parte breuiter adnotemus. Primò futuritionem, præsentiam, atque præteritionem rerum aliam absolutam, aliam conditionatam esse: quia omnis status existentialis, siue conditionatus, siue absolutus, rursus in statum futuritionis, præsentiæ, & præteritionis diuidendus venit; eo quod quidquid quoquo modo existit, in aliquo tempore existat, necesse est. Omne autem tempus, vel futurum esse debet, vel præsens, vel præteritum.

226 Secundò. Futuritio, præsentia, & præteritio rerum siue absoluta, siue conditionata, alia contingens est, alia necessaria: quia non solùm, quæ contingenter, sed etiam, quæ necessariò existunt eas tres differentias, statusve existendi subire possunt; siquidem prout existentia, seu potius prout extitura in tempore futuro dici possunt futura, & præsentia prout in præsente, & præterita prout in præterito.

227 Tertio. Futuritio, præsentia, & præteritio rerum aut positiua esse potest, aut negatiua: erit positiua, si rei positiuæ conueniat; negatiua autem, si negationi; sed de hoc plura dicemus *quæst. sequenti.*

228 Quartò. Futuritio, & præteritio rerum aut determinata, aut vaga potest esse; idque, vel ex parte ipsarum rerum futurarum, aut præteritarum; vel ex parte temporum, in quibus illæ sunt futuræ, aut præteritæ. Erit ex parte rerum determinata, si res futuræ, aut præteritæ determinatæ sint: vaga autem, si vagæ, iuxta dicta de rebus, siue de veritatibus rerum vagis *quæst.* 2. Ex parte autem temporum determinata erit, si mensuræ temporum, in quibus res dicuntur futuræ, aut præteritæ determinatæ fuerint; vt cùm dicimus: *vigesimo ab hinc die erit pluuia*: *Trigesimo ab hinc retro anno natus est Petrus.* Vaga verò cùm tales mensuræ vagæ fuerint, vt si dicamus: *aliquo subsequentium annorum nascitur est Antichristus*: *in aliquo præcedentium annorum natus est Christus.* Pariterque in similibus.

QVÆSTIO IV.

Quænam veritates obiectiuæ in speciali pertineant ad singulos status, de quibus in præcedentibus quæstionibus tractatum est.

PRo resolutione huius quæstionis supponendum 229
est primò. Nos cognoscentes per species alienas multos conceptus obiectiuos habere posse, quos cognoscentes per proprias non possunt habere: quia quod cognoscitur per propriam speciem per se, & in se cognoscitur, indeque fit, vt non possit non habere obiectiuè in mente cognoscentis idem omnino *esse*, quod de suo, siue quiditatiuè habet re verà in se. Quod verò cognoscitur per speciem alienam, per alienum substitutum, siue in alieno substituto cognoscitur, atque adeò aliud est obiectiuè in mente cognoscentis ab eo, quod re ipsâ est in se. Vnde sequitur, à cognoscentibus per proprias species multa non esse conceptibilia, eo quod de suo, & in se re verâ nullum esse conceptibile habent; quæ tamen à cognoscentibus per species alienas conceptibilia sunt; eo quòd in alieno substituto *esse* aliquod obiectiuum, atque adeò conceptibile habere possunt, quod non habent in se, prout latè *disputatione 2. quæst. 3.* ostensum est. Ex quo rursus efficitur, vt à cognoscentibus per species proprias nullatenus possint concipi identificata extrema, quæ in se, & de suo distincta sunt; paritérque nullatenus possint concipi distincta extrema, quæ in se, & de suo sunt vnum, & idem. Cùm tamen à nobis per species alienas passim concipiantur identificata, & adunata extrema, quæ in se sunt distincta, & plura, distinctaque vice versa, & plura, quæ in se sunt idem, & prorsus vnum, vt constat ex dictis *loco citato*, ampliúsque constabit ex dicendis *disp. 13. quæst. 9.* & *seqq.* Similiter negationes rerum per proprias species concipi nequeunt; bene tamen per alienas, quia nullum *esse* habent in se conceptibile, bene tamen in substituto alieno, vt vidimus *disputatione 9. quæst. 3.*

Secundò supponendum est, iudicium negatiuum 230
cuiusuis intellectus in recessu quodam à re, quæ negatur consistere, vt explicauimus *disp. 2. quæst. 4.* Vnde necessario supponit apprehensionem rei, quæ negatur, iuxta *ibi* dicta. Ex quo fit, id solùm à quouis intellectu negari posse iudicio negatiuo, quod ab eodem apprehendi, siue concipi potest; atque ita, quæ à cognoscentibus per proprias species non sunt conceptibilia, iuxta suppositionem primam, non solùm non affirmatiuè; sed neque negatiuè sunt ab ipsis iudicabilia: tametsi à cognoscentibus per species alienas vtroque modo iudicabilia sint, eo ipso, quod ab ipsis conceptibilia sunt.

Ex his supponendum est tertiò. Ea solùm obie- 231
cta, quæ à cognoscentibus per species proprias sunt verè iudicabilia affirmatiuè, aut negatiuè, habere in se re ipsâ veritatem obiectiuam, aut positiuam, aut negatiuam. Cætera autem, quæ à cognoscentibus solùm per species alienas insuper sunt verè iudicabilia eatenus solum censeri vera obiectiuè, quatenus aliis obiectis æquiualent, aut ea supponunt, quæ veritatem obiectiuam habent in se. Quoniam sola obiecta prioris generis habent in se re ipsâ *esse* verè affirmabile, aut *non esse* verè negabile. Cætera verò tantùm habent *esse*, aut *non esse* in alieno sub-

ſtituto obiectiuè; atque adeò non propter *eſſe*, aut *non eſſe*, quod illa habent, ſed propter aliud, quod ſupponunt, aut cui æquiualent, cenſentur verè affirmabilia, aut verè negabilia. Pro exemplo obiectorum prioris generis ſint hæc: *Petrus exiſtit: Ioannes non exiſtit: Homo eſt rationalis: ſi extiterit ignis, exiſtet calor. Si Petrus vocetur, reſpondebit: Si nō extiterit cauſa, non exiſtet effectus*, & cætera huiuſmodi. Pro exemplo autem obiectorum poſterioris generis ſint hæc: *Negatio Petri exiſtit: Petrus eſt cæcus: Petrus non eſt lapis: Impoſſibile eſt, Petrum eſſe lapidem: Si Angelus eſſet homo, eſſet riſibilis: Si attributa Dei eſſent realiter diſtincta, non eſſent infinitè perfecta*; & ſimilia. Priora enim obiecta à cognoſcentibus per proprias ſpecies iudicabilia ſunt, vt ſonant, aut affirmatiuè, aut negatiuè, iuxta vniuſcuiuſque naturam. Poſteriora verò non item; ſed tantùm à cognoſcentibus per ſpecies alienas. Cognoſcentes namque per proprias ſpecies omnium rerum tam non exiſtentium, quàm exiſtentium concipiunt exiſtentias, dum res ipſas concipiunt, vtpote indiſtinctas realiter ab ipſis rebus; atque ita optimè poſſunt iudicare, tum res exiſtere, quando exiſtunt, iudicio affirmatiuo; tum res non exiſtere, quando non exiſtunt, iudicio negatiuo; idque aut abſolutè, aut conditionatè, iuxta modum, quem illæ habent exiſtendi, aut non exiſtendi. Similiter, & ob eamdem rationem poſſunt affirmare de rebus omnes veritates quiditatiuas earum, vtpotè ab ipſis indiſtinctas: negatiuam verò veritatem ad ſtatum rerum quiditatiuum pertinentem nullam iudicare poſſunt iudicio negatiuo, cùm ea in negatione identitatis extremorum diſtinctorum deberet vnicè conſiſtere, iuxta dicenda poſtmodum, quam ipſi concipere nequeunt, iuxta *ſuppoſitionem primam*. Quo fit, vt neque iudicare poſſint obiecta ſecundo loco pro exemplo propoſita, quæ huiuſmodi identitatem inuoluunt: ſicut neque, quæ inuoluunt diſtinctionem extremorum identificatorum realiter; neque, quæ inuoluunt negationem per modum entis poſitiui. Quæ tamen à nobis cognoſcentibus per ſpecies alienas in alienis ſubſtitutis iudicabilia ſunt. Et quidem verè ob veritates aliorum obiectorum, quibus æquiualent, aut quas ſupponunt, & quæ à cognoſcentibus etiam per ſpecies proprias verè ſunt iudicabiles. Nimirum obiecta illa: *Negatio Petri exiſtit: Petrus eſt cæcus*, vera cenſentur: quia æquiualent his, quæ in ſe ſunt vera: *Petrus non exiſtit: Petrus non videt*, & illa: *Petrus non eſt lapis: impoſſibile eſt, Petrum eſſe lapidem*, vera cenſentur, quia æquiualent his veris in ſe: *Petrus diſtinguitur à lapide: Petrus, & lapis neceſſariò diſtinguuntur*. Illud autem: *ſi Angelus eſſet homo eſſet riſibilis* verum cenſetur, ob veritatem hanc, quam ſupponit: *Omnis homo eſt riſibilis*, & illud: *ſi attributa Dei eſſent realiter diſtincta, non eſſent infinitè perfecta* verum cenſetur à veritate hac, quam ſupponit: *Attributa Dei à ſuâ identitate habent infinitatem perfectionis*. Pariterque de aliis ſimilibus philoſophandum eſt.

232 Ex quibus ſequitur, ſupponendum quartò, præter ſtatus rerum reales, de quibus, vt talibus in præcedentibus quæſtionibus tractatum eſt, dari inſuper ſtatus quoſdam ſuppoſititios oriundos à noſtro intellectu, ad quos pertinent obiecta illa, quæ à nobis cognoſcentibus per ſpecies alienas conceptibilia, atque adeò iudicabilia ſunt; non itidem à cognoſcentibus per proprias ſpecies, tametſi obiectiuæ veritates ab his cognoſcibiles, ob quas cenſentur illa vera, aut per æquiualentiam, aut aliter, reales ſint, ad ſtatuſque ſubinde reales ſupràdictos pertineant.

Quantò ſupponendum eſt. Quando ad aliquem 233
ſtatum ſiue realem, ſiue ſuppoſititium, duplex genus obiectorum ſpectat, poſitiuorum ſcilicet, qualia ſunt, quæ terminant iudicia affirmatiua, & negatiuorum, qualia ſunt, quæ terminant iudicia negatiua: tunc talem ſtatum in duo etiam membra intra proprium genus venire diuidendum, nimirum in poſitiuum & negatiuum. Quandoquidem huiuſmodi ſtatus aliud non ſunt, vt conſtat ex ſæpe dictis in *ſuperioribus* à conceptibus obiectiuis, qui ad illos pertinere dicuntur. Sic ſtatus exiſtentialis tum conditionatus, tum abſolutus in poſitiuum, & negatiuum eſt diuidendus; & alij ſimiliter. Quomodò autem ſola obiecta, quæ ad ſtatus reales pertinent, realem veritatem habeant in ſe aut poſitiuam, aut negatiuam; non verò itidem, quæ pertinent ad ſtatus ſuppoſititios, ex dictis *ſuppoſitione tertia* conſtat.

Propoſitio 1.

Ad ſtatum rerum exiſtentialem abſolutum mul- 234
tæ obiectiuæ veritates, multaue obiecta vera in ſe pertinent; necnon alia quædam, quæ tantùm per æquiualentiam vera cenſentur.

Loquor de ſtatu exiſtentiali abſoluto comprehendente ſub ſe tum poſitiuum, & negatiuum; tum realem, & ſuppoſititium; tum ſtatus futuritionis, præſentiæ, atque præteritionis. Et probo propoſitionem diſcurrendo per ſingulos, & vnicuique aſſignando ſua obiecta, ſiue obiectiuas veritates.

Primo enim omnes veritates exiſtentiales poſiti- 235
uæ, & abſolutæ, quas omnes res poſitiuæ habere cenſentur; hoc ipſo, quòd abſolutè exiſtunt in rerum naturâ, ad ſtatum realem exiſtentialem poſitiuum, & abſolutum pertinent, vt eſt notiſſimum ex ſe, & ex dictis. Quid autem ſit, res exiſtere in rerum natura, ex dictis *q.* 1. conſtat. Omnes autem huiuſmodi veritates aut de futuro, aut de præſenti, aut de præterito poſſe eſſe; necnon, aut contingentes, aut neceſſarias, ex dictis *q.* 3. liquidum eſt.

Secundò ad ſtatum exiſtentialem realem nega- 236
tiuum, & abſolutum omnes illæ veritates pertinent quas omnes res abſolutè non exiſtentes prout tales habere dicuntur. Quoties enim aliqua res abſolutè non exiſtit in rerum natura, à parte rei eſt obiectiuè verum, ipſam non exiſtere, vtpote iudicabile verè iudicio negatiuo, non ſolùm à nobis, ſed etiam à cognoſcentibus per proprias ſpecies, iuxta dicta *ſuppoſitione tertia*. Huiuſmodi autem veritas obiectiua exiſtentialis negatiua dicenda venit, quatenus per eam rei exiſtentia negari, ſeu non eſſe, ſeu deficere dicitur. Ad ſtatumque ſubindè pariter exiſtentialem, & negatiuum pertinet. Tot igitur ad talem ſtatum veritates huius generis pertinere dicendæ ſunt, quot ſunt res non exiſtentes abſolutè in naturâ rerum. Quæ itidem eatenus aut de futuro, aut de præſenti, aut de præterito eſſe poſſunt, quatenus res aut de futuro, aut de præſenti, aut de præterito poſſunt non exiſtentes eſſe. Nam, vt verum poſitiuè eſt de futuro quidem rem fore, de præſenti autem rem eſſe, & de præterito rem fuiſſe: Ita ſimiliter verum eſt negatiuè de futuro quidem, rem non fore, de præſenti autem, rem non eſſe, & de præterito, rem non fuiſſe.

Nec refert, negationes rerum à parte rei prorſus 237
eſſe nihil, qua ratione *diſp. 9. q.* 3. explicatum à nobis eſt; quominus veritates negatiuæ prædictæ dicantur aut reales eſſe, aut à parte rei dari ſuo modo. Quoniam ad id non opus eſt, quòd ſit aliquid à parte rei, ſed potiùs, quòd non ſit, ſeu, quòd ſit nihil,

iuxta

iuxta dicta latiùs *ibidem*. Vbi etiam diximus, huiusmodi negationes, seu negatiuas veritates per modum rerum positiuarum concipi à nobis, atque ita affirmatiuè iudicari; & quidem verè per quamdam æquiualentiam, qualiter à cognoscentibus per propriasspecies neque iudicabiles, neque conceptibiles sunt. Vnde fit tertiò, eas prout sic conceptibiles, & iudicabiles ad statum quemdam existentialem pertinere absolutum, & positiuum non realem, sed supposititicium, vtpote oriundum à nostro modo intelligendi per species alienas, iuxta *superiùs* dicta. Quemadmodum ad statum negatiuum supposititicium pertinent quartò negationes chymerarum à nobis solùm per species alienas conceptibilium; secus à cognoscentibus per propriasitales enim negationes non dantur re ipsâ, nec habent in se veritatem, sed ab aliis obiectis in se veris censentur illam participare, vt etiam ex dictis in *superioribus* notum est.

238 Porrò huiusmodi veritatum re ipsâ negatiuarum, & prout à nobis solent concipi supposititicè positiuarum aliæ contingentes sunt, aliæ necessariæ. Contingentes quidem, quæ negant, excludunt, seu remouent ab existentiâ res contingentes: necessariæ autem, quæ impossibiles, vt sunt omnes chymeræ in se conceptibiles, iuxta dicenda *disp.* 11.

239 Sed dubitari hìc poterit: an quando res existens est in vno tempore, & non in reliquis, in his dicenda sit dari re ipsâ veritas negatiua, siue negatio opposita existentiæ eius? Negant nonnulli Recentiores contra omnium existimationem communem, ob id asserentes, hodiè non dari negationem existentiæ Antichristi, sed tantùm negationem hodiernæ durationis eius, (quam tali existentiæ superadditam esse supponunt) & in cæteris pariter. Sed dicendum omninò est: quo tempore res non existit, veritatem negatiuam dari oppositam non solùm durationi pro tali tempore, sed etiam existentiæ eius; quamtumuis ea in tempore posteriore sit extitura; aut extiterit in priore; idque siue res suapte essentiâ affixa sit tempori, in quo existit, impotensque subinde existere in alio, in quo non existit; siue sit, indifferens ad existendum in quouis tempore, atque ita per durationem sibi accidentaliter superadditam existens in eoque in quo existit, potensque pariter existere in eo in quo non existit.

240 Itaque hodiè non solùm datur, siue existit negatio durationis hodiernæ Antichristi (qua ratione negationes per quamdam æquiualentiam cum veritate dici possunt dari, aut existere, iuxta doctrinam commemoratam nuper ex *disput. 9. quæst. 3.*) sed etiam datur, siue existit negatio existentiæ Antichristi, nec non negatio existentiæ durationis, quam Antichristus est posteà habiturus in suo tempore affixæ essentialiter ipsi tempori. Tantumdemque venit dicendum de negationibus cæterarum omnium rerum, & durationum hodiè non existentium, quæ posteà sunt extituræ, vel anteà extiterunt. Supponimus enim cum Recentioribus præfatis, res indifferentes ad existendum in quouis tempore per durationes superadditas determinari ad existendum in singulis temporis mensuris. Durationes autem per se ipsas, adeò, vt vnaquæque propriæ mensuræ sit affixa, neque in aliâ existere possit, vt pluribus ostendemus *suo loco*.

241 Igitur probatur imprimis assertum de negationibus rerum. Quoniam Antichristus posteà extiturus hodiè simpliciter non existit in rerum naturâ: quia neque existit in suo tempore, eò quòd tale tempus nondum accessit, atque ita hodiè simpliciter existens non est; neque existit in tempore hodierno, aut in alio quopiam, vt constat. Ergo existit hodiè negatio eius; rem enim simpliciter non existere, & negationem eius existere prorsus est idem.

Dicent: Antichristum eo ipso, quòd sit extiturus 242
in suo tempore futuro, simpliciter non deficere à rerum naturâ; atque adeò ex deficientiâ eius à tempore hodierno non bene argui existentiam negationis eius in tempore hodierno; sed tantùm existentiam negationis durationis eius hodiernæ; quemadmodum ex deficientiâ, qua Papa deficit à Compluto, non benè infertur, Compluti existere negationem existentiæ Papæ, sed tantùm, Compluti existere negationem præsentiæ reddentis Papam præsentem Compluto. Hoc locorum, præsentiarumque localium exemplum decepit Recentiores, quasi de temporibus, & durationibus eis respondentibus perinde, quod ad rem attinet, atque de locis, & præsentiis eis respondentibus philosophàdum sit: quod palam falsum est; eò quòd loca, & præsentiæ eis respondentes permanentes sunt in existendo natura sua; cùm tamen tempora, & durationes eis respondentes sua natura in existendo sint successiua. Hinc namque nascitur, vt licet Papa deficiat modò ab hoc loco, simpliciter modò non sit deficiens: quia simpliciter est modò existens in loco Romano. Quo fit, vt negatio existentiæ eius in hoc loco modò non detur, sed tantùm negatio præsentiæ eius respondentis huic loco. Cùm tamen Antichristus eo ipso, quòd deficit modò ab hoc tempore, non possit non simpliciter esse modò deficiens: quia in nullo tempore modò est existens simpliciter; fore enim vt existat in tempore futuro modò non existente, non est habere illum existentiam simpliciter, sed fore vt habeat posteà. Quo fit, vt existentia Antichristi neutiquam possit ab hodierno die deficere, quin à tota natura rerum sit hodiè deficiens simpliciter, subindeque, quin hodiè existat negatio eius, & non solùm negatio durationis eius hodiernæ.

Quàm autè doctrina hæc vera sit ab absurdis, quæ 243
ex oppositaRecentiorum sequuntur, manifestè probatur. Primò enim sequitur ex illa, Christum verè non fuisse mortuum: quia vera mors conceptione omnium in corruptione, seu desitione vnionis animæ, & corporis consistit. Vnio autem animæ, & corporis Christi iuxta Aduersarios nec fuit corrupta, nec verè desiuit esse, seu existere; sed tantùm negatæ sunt ei durationes sequendæ post vltimam sub quâ durauit. Secundò sequitur, nullam creaturam à se productam annihilare posse: quia nulli potest negare existentiam, quam semel concessit; sed tantùm superadditas durationes; annihilatio autem secundum omnes absque negatione, siue desitione existentiæ rei annihilatæ stare non potest. Tertiò sequitur, Mundum nunquam caruisse existentia, quâ modò habet; sed tantùm caruisse durationibus præcedentibus primam, quam habuit; Siquidem caruisse Mundum existentia toto tempore antequàm cæperit durare; & toto eodè tempore extitisse negationem existentiæ eius idem omnino est, vt constat; & iuxta Aduersarios toto eo tempore negatio existentiæ mundi non extitit; sed negatio solùm durationis eius pro illo. Hinc autem contra scripturam sequitur; Deum Mundum in principio non creauisse: quia creare quidpiam in tempore, siue illud producere ex nihilo, idem est, iuxta omnium mentem, atque dare illi existentiam, qua penitus antea carebat. Quartò denique sequitur, vt innumera alia absurda præteream, gratiam ab animâ non expelli per peccatum mortale: quia nec gratia, nec eius vnio cum anima desinit esse, iuxta Aduersarios; sed

tantùm

tantùm vlteriores durationes eius impediuntur.

244 Ex quibus omnibus concluditur, in quocunque tempore non existunt res indifferentes ad existendum in quouis tempore, ibi negationem non solùm durationis, sed etiam existentiæ earum existere, quantumuis illæ sint extituræ in tempore subsequente, aut in antecedente extiterint. Id, quod similiter venit probandum de durationibus rerum, quæ suâ naturâ quoad existentiam propriis mensuris temporum affixæ sunt.

245 Sed dices. Negatio ibi solùm dici potest per æquiualentiam existere, vnde excludit rem, quam negat; inde autem excludit, vbi existeret res negata, si existeret. Ergo neque negatio existentiæ, neque negatio durationis futuræ Antichristi dici potest existere hodiè: quia neque Antichristus, neque eius futura duratio existerent hodiè per se, casu quòd hodiè existerent; sed per superadditam durationem, cùm neutrum eorum suapte essentia sit existentia hodierna, vt constat. Vnde concluditur neque Antichristum, neque eius durationem futuram deficere ab hodierno die per se, seu per defectum proprium; sed tantùm per defectum hodiernæ durationis suæ. Quod ipsum est; huius dumtaxat negationem, non item negationem illorum existere hodie. Respondeo, negationem duplici titulo esse posse in aliqua temporis mensura. Primo, quia inde excludit per se rem negatam. Secundo, quia intime connectitur cum negatione durationis, quam res negata haberet in ea mensura, si existeret. Quamuis autem negatio Antichristi, & negatio durationis futuræ eius non existant hodie primo titulo: quia non excludunt per se rem negatam ab hodierno die, sed media alia negatione durationis hodiernæ eius, existunt tamen hodie secundo titulo: quia intimè connexæ sunt cùm dicta negatione durationis hodiernæ rei negatæ. Verùm de his plura *alibi suo loco* dicenda sunt vbi de duratione rerum, atque etiam negationum tractare sumo exprofesso.

Propositio 2.

246 Ad statum rerum quiditatiuum absolutum multæ obiectiuæ veritates, multaue obiecta vera in se pertinent; necnon alia quædam, quæ per æquiualentiam tantùm, aut aliter, quàm à veritate propria vera censentur.

Loquor de statu quiditatiuo absoluto complectente tum realem, tum supposititicium, tum positiuum, tum negatiuum, tum rerum impossibilium, tum possibilium. Et probo propositionem dicurrendo per singulos, & vnicuique assignando sua obiecta, siue obiectiuas veritates.

247 Primò enim ad statum quiditatiuum absolutū realem, & positiuum pertinent omnes obiectiuæ veritates, quæ rebus positiuis, & possibilibus necessariò conueniunt cum præcisione ab existentia, quales sunt, quæ ad earum essentiã, aut passiones, vel proprias, vel communes spectant, vt: *homo est rationalis: homo est risibilis. Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*; & similes. Pertinent itidem ad eumdem statum veritates similes obiectiuæ pariter conuenientes chymeris impossibilibus positiuis, quæ in se ipsis, atque adeò à cognoscentibus etiam per species proprias sunt conceptibiles, iuxta dicenda *disp.* 11. Nam, & istæ chymeræ habent in se, & de suo essentias, passionesque iudicabiles verè: quod ipsum est habere illas in se dictas obiectiuas veritates ad dictum statum petinentes. Sunt autem huiusmodi istæ. *Secundus Deus chymericus est omnipotens: Peccatum Deo impossibile rationi est dissonum: Calefactio oriunda à frigore est impossibilis*; & aliæ id genus.

Secundò ad statum quiditatiuum absolutum, supposititicium, & positiuum illa spectant obiecta, quæ cùm sint necessariò vera cum præcisione ab existentiã, in se tamen conceptibilia non sunt; sed tantùm in substitutis alienis, atque adeò non à veritate propria sunt vera; sed à veritate aliorum, quibus æquiualent, aut quæ supponunt, iuxta doctrinam suppositam *num.* 229. & *seqq.* sunt autem huius generis imprimis illæ obiectiuæ propositiones, vbi de negationibus positiuè conceptis aliquid affirmamus verè cum præcisione ab existentia, vt in his: *negatio Petri de se est nihil. Negatio Petri distinguitur à negatione Pauli. Pauli: negationes Petri, & Pauli sunt similes; sunt possibiles*; & in aliis huiusmodi. Tum etiam; illæ obiectiuæ propositiones, vbi chymeris positiuis non in se ipsis; sed tantùm in substitutis alienis conceptibilibus, iuxta dicenda *disputatione* 11. aut essentiam qualem qualem earum, aut passiones seu communes, seu proprias cum præcisione ab existentia positiuè, siue affirmatiuè tribuimus; vt cùm de chymerâ resultante ex homine, & equo identificatis dicimus, esse hominem equum, esse rationalem, esse risibilem, esse impossibilem, &c. & de similibus pariter. 248

Tertiò ad statum quiditatiuum absolutum, realem, & negatiuum nullæ veritates pertinent obiectiuæ; nullusque subinde datur huiusmodi status realis. Nam vt veritas negatiua existentialis absoluta, & realis ea solùm est, qua ab statu existentiali positiuo absoluto, & reali vnaquæque res, quæ non existit realiter, remouetur, iuxta dicta *propos.* 1. ita veritas negatiua quiditatiua, absoluta, & realis ea solùm deberet esse, qua ab statu quiditatiuo positiuo absoluto, & reali vnaquæque res remoueretur, quæ realiter, & absolutè non esset de suo id, quod realiter, & absolutè de suo quiditatiuè est. Cumque de nullâ re possit esse verum, non esse eam realiter, & absolutè de suo id, quod realiter, & absolutè de suo quiditatiuè est, vt est notum; tametsi sint multæ, de quibus est verũ, eas realiter, & absolutè in rerum naturâ non existere: ideò nulla datur veritas negatiua quiditatiua absoluta, & realis; subindeque nullus datur status negatiuus quiditatiuus realis, & absolutus rerum; tametsi dentur multæ veritates negatiuæ existentiales absolutæ, & reales; subindeque est status negatiuus existentialis realis, & absolutus, ad quem illæ pertinent, vt vidimus *propositio* 1. 249

Dices. Veritas hæc: *Petrus non est lapis*, & similes quiditatiuæ sunt, & negatiuæ: igitur falsa est doctrina *num praced.* Resp. Obiectum hoc: *Petrus non est lapis*, & similia vera quidem esse quiditatiuè, non tamen à veritate negatiua, quam in se contineant realiter; sed à veritate positiuâ, quam in hoc; *Petrus distinguitur à lapide*, & in similibus, quibus æquiualent, supponunt. Obiectum quippe: *Petrus non est lapis*, & similia, vt sonant, non sunt negatiuè iudicabilia à cognoscentibus per proprias species; sed tantùm à cognoscentibus per alienas: quia identitas extremorum re ipsâ distinctorum, quam remouent, ab his dumtaxat, non verò ab illis est conceptibilis, iuxta dicta *suppos.* 1. Vnde talia obiecta veritatem negatiuam in se non continent realiter, iuxta dicta *suppos.* 3. aque ita ad statum aliquem quiditatiuum realem negatiuum, & absolutum non pertinent; sed tantùm ad supposititicium, iuxta dicenda postmodum. Cùm tamen alia obiecta 250

cta in se vera, à quibus illa suam veritatem trahunt, ad statum quiditatiuum realem pertineant non negatiuum; sed positiuum. De quo *num.* 247.

251 Dices secundò. Quoties actus subiecto impossibilis à cognoscentibus per species proprias est conceptibilis, vt sæpe euenit, iuxta dicenda *disputatione* 11. ab eisdem negabilis subiecto videtur cum necessaria veritate ab existentiâ præscindente. Erit igitur talis veritas quiditatiua negatiua, & realis iuxta doctrinam suppositionis tertiæ. Tales esse videntur istæ: *Ignis de suo non frigefacit*: *Frigus calefacit*: *Deus non peccat*; & similes. Respondeo. Huiusmodi veritates sumptæ cum præcisione ab existentia, quo solùm pacto pertinent ad statum quiditatiuum, respectu nostri dumtaxat; atque adeò suppositiuè esse negatiuas; re tamen ipsâ, & respectu cognoscétium per proprias species positiuas esse. Quia ab his non est iudicabilis actus repugnans subiecto (sicuti est à nobis) iudicio negatiuo remouente illum à subiecto intra statum quiditatiuum; sed tantùm iudicio affirmatiuo inspiciente in illo repugnantiam cum ipso identificatam, quam habet de suo cum subiecto: atque ita veritas quiditatiua, quam talis actus habet re ipsâ respectiuè ad tale subiectum, non negatiua, sed positiua est.

252 Hinc quartò. Ad statum quiditatiuum absolutum supposititicium, & negatiuum obiecta illa negatiua, & necessariò vera pertinent, de quibus in duobus numeris præcedentibus dictum est, & cætera eiusmodi.

Propositio 3.

253 Ad statum rerum existentialem conditionatum multę obiectiuę veritates, multæve obiecta vera in se pertinent; necnon alia quædam, quæ per æquiualentiã, aut aliter, quàm à veritate propria vera cẽsentur.

Loquor de statu existentiali conditionato complectente, tum realem, tum supposititicium, tum positiuum, tum negatiuum, tum necessarium, tum contingentem, tum de futuro, tum de præsenti, tum de præterito. De quibus eodem pacto philosophandum est, proportione seruatâ, ac de statibus existentialibus absolutis *proposit.* 1. philosophati sumus; quantum ad ea, quæ *ibi* sunt dicta, & vtrisque communia sunt; additis tamen quibusdam aliis ad hos spectantibus speciatim.

Prænotandum tamen est breuiter: cùm veritas,
254 seu potiùs propositio obiectiua conditionata ex conditione, & conditionato coalescat, prout dictum est *quæst.* 2. ex horum duorum multiplici comparatione multiplicem posse illam imprimis subire diuisionem. Primò enim conditio, & conditionatum aut inter se connexa, aut inter se opposita, aut aliter inter se relata esse possunt; idque vel mutuò, vel non mutuò. Connexio autem eorum, & oppositio, aut metaphysica, aut physica, aut moralis esse potest, iuxta horum diuisionem non semel in *superioribus* tactam, tradendamque ex professo *infra disp.* 14. Secundò fieri potest, vt conditio in conditionatum influat, vel vice versa; aut tanquam causa, aut tanquam conditio causandi, idque in quolibet causarum genere. Tertiò conditio, & conditionatum, omnibus numeratis respectibus connexionis, oppositionis, relationis, & influxus carere possunt; quo casu solùm quoad coniunctionem comparabuntur. Quartò denique innumeris propemodum modis conditio, & conditionatum comparanda veniunt; si omnis mixtio, omnisve combinatio possibilis ex prædictis terminis fiat, vt ab vnoquoque fieri poterit per regulas combinandi à nobis tradendas *inferius disp.* 29.

Hinc propositio conditionata tum obiectiua, tum formalis ei correspondens celebri diuisione diuiditur in illatiuam causalem, & purè coniunctiuam. 255
Illatiua dicitur, quando conditio connectitur cum conditionato. Causalis, quando conditio influit in conditionatum; & purè coniunctiua, quando conditio neque connectitur cum conditionato, nèque in illud influit, quo casu talis conditio disparata solet vocari. Quomodò autem propositio conditionata veritatem habere possit non solùm quando est illatiua; sed etiam quando citra illationem aut causalis, aut purè coniunctiua est, contra aliquos sentientes oppositum, demonstrandum à nobis est in *Tract. de scient.* Deinde propositio conditionata, eiusque veritas celebri etiam diuisione diuiditur in necessariã, & contingentem (putà necessitate, & contingentia similiter conditionata, siue ex hypothesi cõditionis.) Necessaria est, quando conditio connexa est cum conditionato, Quare eius necessitas talis erit, qualis ea connexio, aut metaphyca videlicet, aut physica, aut moralis. Contingens autem est, quando conditio connexa non est cum conditionato, vnde omnis necessaria illatiua est, & è contra. Contingens verò aut causalis, aut purè coniunctiua esse potest; cùm tamen causalis, & necessaria possit esse, & contingens. At purè coniunctiua neque illatiua, seu necessaria, neque causalis esse potest. Prætereà propositio conditionata obiectiua in impossibilem, & possibilem (putà ex hypothesi) diuidi potest. Erit enim impossibilis, quando conditio opposita fuerit conditionato: Cuius proindè impossibilitas talis, qualis ea oppositio erit. Possibilis autem quando conditio conditionato non fuerit opposita. Porrò, omnis propositio conditionata necessaria contradictoriam habet impossibilem; & omnis impossibilis contradictoriam habet necessariam; & omnis concontingens contradictoriam contingentem, vt constat. Et quoniam nulla impossibilis est vera, conficitur, omnem veritatem conditionatam, aut necessariam, aut contingentem debere necessariò esse. Quæ duo membra sub aliis tribus illatiuæ causalis, & puræ coniunctiuæ, contineri constat ex dictis. De quibus omnibus plura dicenda sunt in *Tract. de scientia.* Hæc satis modò.

Quibus suppositis, dicendum sequitur. Primò ad statum existentialem realem conditionatum, & po- 256
sitiuum pertinere omnes veritates existentiales reales conditionatas, & positiuas: quemadmodum ad statum absolutum in reliquis similem, veritates absolutæ in reliquis similes pertinent, iuxta dicta *num.* 235. Secundò ad statum existentialem realem conditionatum, & negatiuum pertinere omnes veritates similium rationum; sicut ad absolutum in reliquis similem pertinent absolutæ, iuxta dicta *num.* 236. Tertiò ad statum conditionatum existentialem supposititicium, & positiuum pertinere omnes veritates conditionatas re ipsâ negatiuas; sed à nobis positiuè conceptas, vt ad similem absolutum pertinent similes absolutæ, iuxta dicta *num.* 137. Quemadmodum quartò ad statum existentialem conditionatum supposititicium, & negatiuum pertinent negationes conditionatæ chymerarum à nobis solùm per species alienas conceptibilium, vti ad simile absolutũ pertinẽt absolutę, iuxtà dicta *ibid.* Adde, ad alium statum existentialem conditionatum supposititicium & positiuum pertinere quintò existentias conditionatè veras dictarum chymerarum per species tantum alienas conceptibilium, vtpote, quæ

non

non à veritatepropria, sed à veritate aliunde tracta veræ sunt, vt ex dictis in *superioribus* constat.

257 Quas omnes veritates seu illatiuę, seu, causales seu pure cõiunctiuæ sint; atque adeò seu necessariæ, seu contingentes; tum de futuro, tũ de præsenti, tum de præterito posse esse ex dictis etiam colligitur. Quomodò autem quando res est sub conditione existens in vno tempore, & non in aliis non possit in his non dari sub tali conditione negatio eius, ex dictis a *n.* 239. venit aperte colligendum. Siquidem de existentia, & non existentia conditionata rerum, perinde ac absolutâ, quod ad rem attinet, philosophandum venit, vt constat.

Propositio 4.

258 Ad statum rerum quiditatiuum conditionatum multæ obiectiuæ veritates, multave obiecta vera in se pertinent; necnon alia quædam, quæ aliter, quàm à veritate propriâ vera censentur.

Loquor hic etiam de statu quiditatiuo conditionato complectente realem, & supposititicium, positiuum, & negatiuum tum obiectorum impossibilium, tum possibilium. Et suppositis diuisionibus propositionum conditionalium factis *propos.* 3. quæ ex parte hic etiam habent locum, probo propositionem breuiter discurrendo per singulos dictos status, & vnicuique assignando sua obiecta consentaneè ad doctrinam datam in simili *propos.* 2. de pertinentibus ad statum rerum quiditatiuum absolutum.

259 Primò enim ad statum quiditatiuum conditionatum positiuum, & realem pertinent omnes veritates, vbi cum præcisione ab existentiâ conditionatè tribuuntur rebus positiuis earum essentiæ, aut passiones; siue tales res sint possibiles, siue earum impossibilium, quæ in se, & per proprias species sunt conceptibiles, iuxta dicta in simili de statu absoluto *num.* 247. Secundò ad statum quiditatiuum conditionatum positiuum, & supposititicium illa obiecta conditionata pertinent, quæ cum necessariò sint vera cum præcisione ab existentia, in se tamẽ nõ sunt conceptibilia; sed tantùm in substitutis alienis, iuxta dicta in simili de statu absoluto *n.* 248. Tertiò ad statum quiditatiuum conditionatũ negatiuum & realẽ illæ negatiuæ veritates pertinere videntur, vbi de vnaquaque re sub aliquâ conditione impossibili verè negatur id, quod quiditatiuè est, vt in his: *Si Petrus non esset homo, non esset rationalis*: *Si Petrus non esset homo, esset, & simul non esset homo*; in aliisque similibus. Quanquam enim de nullâ re possit negari verè absolutè esse id, quod quiditatiuè est, nullusque subindè detur status realis verus quiditatiuus negatiuus, & absolutus, vt *n.* 249. statuimus; sub conditione tamen impossibili sæpe negari verè potest; idque non solùm à nobis, quod est certum, sed etiam, vt mihi videtur à cognoscentibus per proprias species, Quocirca huiusmodi statum quiditatiuum conditionatum realem, & negatiuum censeo adstruendum. Etenim, vt potest etiam per proprias species negari existentia rei absolutè, & conditionatè, vti constat ex dictis, poterit vtique negari etiam quiditas rei saltẽ conditionatè; siquidem existentia rei non minùs, quam quiditas realiter est prorsus idem cum ipsa re. Quarto denique, ad statum quiditatiuum conditionatum negatiuum, & supposititicium ea omnia obiecta pertinere dicenda sunt, vbi aliquis conceptus interuenit per solas species alienas, non item per proprias conceptibilis, iuxta dicta de simili statu absoluto *n.* 252.

Propositio 5.

Ad statum rerum disiunctiuum plurimæ obiectiuæ veritates, seu plurima obiecta aut in se, aut aliunde vera pertinent. 260

Imprimis enim pertinent obiecta in se vera, quæ æquiualenter tantùm sunt disiunctiua. Deinde pertinent obiecta disiunctiua formaliter, quæ à veritate determinatâ verificatiui, quod vnumquodque eorum supponit, euadunt vera, vt multis explicatum est supra *q.* 2. Præterea, quot sunt genera diuersa obiectorum quoquo modo verorum ad cæteros omnes status spectantia, iuxta dicta in totâ hâc quæstione totidem, & multò plura sunt spectantia ad statum disiunctiuum, quatenus in omnibus singillatim formari possunt obiecta disiunctiua, insuperque in eorum infinities infinitis mixtionibus: nulla quippe est excogitabilis pluralitas obiectorum quoquo modo verorum, aut quorũ vnum saltem sit verum, siue ad eumdem statum, siue ad diuersos pertinentium, omnibus eorum combinationibus, seu collectionibus infinitis factis, quæ disiunctiuè non possit concipi saltem à nobis, &, quæ subinde non constituat obiectum disiunctiuum formaliter, illudque verum à veritate determinata alicuius saltem ex extremis, ex quibus coalescit. Plurima etiam huiusmodi pluralitatum, seu collectionum veritatem insuper habebunt æquiualenter disiunctiuam, & re verâ determinatam, conditionatamque, atque adeò ab iis etiam, quæ per proprias species cognoscunt scibilem, seu iudicabilem, iuxta doctrinam statutam dictâ *q.* 2. Ex quibus apparet, quàm latè pateat multitudo veritatum obiectiuarum, siue obiectorum quoquo modo disiunctiuè verorum ad statum disiunctiuum pertinentium, prout in *propos.* dicimus. In quibus minutiùs exponendis non oportet morari.

Adnotare tamen oportet ad extremum huius quæstionis primò: inter propositiones obiectiuas conditionatas, quasdam esse purè existentiales, quasdam purè quiditatiuas, & quasdam mixtas. Tum quasdam esse purè affirmatiuas, seu positiuas; quasdam purè negatiuas, & quasdam mixtas. Purè existentiales appello eas, quarum conditio, & conditionatum secundum esse existentiale considerantur, seu accipiuntur. Purè autem quiditatiuas, quarum conditio, & conditionatum accipiuntur secundum esse quiditatiuum; & mixtas, quarum conditio accipitur quiditatiuè, & conditionatum existentialiter; vel vice versâ. Similiter purè positiuas dico eas, quarum ambæ partes, scilicet conditio, & conditionatum sunt positiuæ. Purè autem negatiuas, quarum ambæ partes sunt negatiuæ; & mixtas, quarum alterutra pars positiua, residuaque negatiua est. Quoniam verò potissima pars propositionis conditionatæ conditionatum est, vtpote, quod directè terminat iudicium, directèque subinde dicitur verum, aut falsum: à modo essendi, vel non essendi conditionati tota propositio conditionata denominari solet; quidquid sit de modo essendi, vel non essendi conditionis. Itaque, quoties conditionatum est existentiale, aut quiditatiuum, aut positiuum, aut negatiuum, tota propositio conditionata venit dicenda existentialis, aut quiditatiua, aut negatiua, quidquid sit de eius conditione. Ob id in superioribus sub propositione conditionatâ existentiali, tum purè existentialem, tum mixtam ex conditionato existentiali, & conditione quiditatiuâ comprehendi: & sub quiditatiuâ puram, & mixtam ex conditionato quiditatiuo, & conditione existentiali, & sub positiuâ puram, 261

puram, & mixtam ex conditionato positiuo & conditione negatiua. Denique sub negatiua puram, & mixtam vice versa. Quo etiam pacto de statibus, ad quos tales propositiones pertinent loquutus sum.

262 Secundò adnotandum est, inter propositiones etiam obiectiuas disiunctiuas quasdam similiter esse purè existentiales, quasdam purè quiditatiuas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè positiuas, quasdam purè negatiuas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè absolutas, quasdam purè conditionatas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè de futuro, quasdam purè de præsenti, quasdam purè de præterito, & quasdam mixtas; tum eiusmodi mixtiones innumeris propemodùm modis variari posse omni dictorum terminorum combinatione factâ; cùm enim omnis propositio disiunctiua ex duobus saltem, ex pluribusque in quouis numero extremis disiunctionis possit coalescere, consequens est, vt vnum, aut plura talium extremorum vnius dictorum generum, aut etiam plurium eorum esse possint; alterum autem, aut plura reliqua alterius similiter talium generum, aut etiam plurium. Idque omni combinatione, omnique omnino mixtione possibili factâ, vt constat.

263 Tertiò adnotandum est: ibi solùm habere locum status de futuro, de præsenti, & de præterito; vbi seu positiuè, seu negatiuè agitur de existentia rerum, aut iudicando absolutè, aut iudicando conditionatè, aut ponendo in hypothesi, aut aliter quoquo modo apprehendendo, seu concipiendo illam; non item vbi agitur de sola quiditate rerum, quouis ex dictis; hæc namquè præcindit ab existentia, atque adeò etiam à tempore, à quo illæ statuum differentiæ sumuntur: prout *alibi* diximus.

264 Quartò adnotandum est: licet status rerum, de quibus in tota hac disp. tractamus, à veritatibus obiectiuis, siue obiectis veris, quæ ad ipsos diximus pertinere, re ipsa distincti non sint, vt sub initium quæstionis primæ, & sæpè *alibi* statuimus; eos tamen concipi à nobis instar quarumdam capacitatum, vbi eiusmodi veritates, siue obiecta vera suum locum, aut sedem habent. Ad eum ferè modum, quo spatium locale à præsentiis rerum possibilibus re ipsâ indistinctum, instar cuiusdam capacitatis vndequaque extensæ imaginamur, in quâ res cunctæ collocantur; ob idque imaginarium dicitur.

265 Quintò adnotandum est: quot sunt status rerum veri in superioribus explicati cum veritatibus obiectiuis ipsarum rerum identificati re ipsa; ad quos eædem veritates pertinere dicuntur, totidem posse, imò, & debere considerari status rerum falsi cum falsitatibus obiectiuis ipsarum rerum identificati re ipsa, ad quos eædem falsitates pertinere dicantur. Vt enim, existente Petro, veritas hæc: *Petrus existit*, pertinet ad statum existentialem absolutum, & verum; ita non existente Ioanne falsitas hæc: *Ioannes existit*, ad statum existentialem absolutum, & falsum pertinere dicenda est. Et, vt hæc: *Petrus est homo*, ad statum quiditatiuum absolutum, & verum, ita hæc: *Petrus est Angelus* ad statum quiditatiuum, absolutum, & falsum; & vt hæ ad status conditionatos veros: *Si quid fuerit homo, erit risibile: Si exterit ignis, existet calor*; ita hæ ad status conditionatos falsos. *Si quid fuerit Angelus, erit corpus: Si Petrus extiterit cras in peccato, cras existet in gratia.* Pariterque dicendum venit de cæteris.

266 Sextò adnotandum est: primam, potissimam, omniumque notabilissimam differentiam scientiarum humanarum ex differentia status quiditatiui, & existentialis scibilium rerum desumi. Scientia enim, quæ de rebus agit secundum *esse*, quod illæ habent intra statum quiditatiuum, quam ego vniuersè Metaphysicam dico, pro principiis habet notiones vniuersales, quæ primas, seu immediatas rerum proprietates notificant: Scientia verò, quæ de rebus secundum *esse* quod illæ habent in statu existentiali, quam ego vniuersè appello Physicam, pro principiis habet experimenta singularia, quæ sub sensum, atque adeò sub experientiam cadunt. Vnde prima de vnaquaque re agit quoad quid est; secunda verò quoad an est. Prima pro obiecto habet propositiones, quarũ prædicatum necessariò est subiecto annexum ob connexionem necessariam, quam hoc habet cum illo; secunda verò pro obiecto habet propositiones, quarum prædicatum accidentarium, contingensque subiecto est: atque adeò prima de veritatibus necessariis; secunda de contingentibus iudicat, aliasque differentias habent, de quibus vberiùs agemus *disputatione* 21. & 22.

QVÆSTIO V.

Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

Dico elici, quæ sequuntur. 267

Propositio 1.

Status existentialis absolutus, & positiuus in rebus creatis metaphysicè connexus est cum statu quiditatiuo; sed non è conuerso. 268

Quia impossibile est, vt aliqua res absolutam existentiam habeat, quin habeat quiditatem, & passiones annexas quiditati: bene tamen fieri potest, sæpeque fit, vt habeat de suo quiditatem, & passiones quiditati annnexas, quin habeat existentiam, vt est notissimum.

Ex hac propositione sequitur primò propter inuersam connexionem contradictoriorum extremorum, statum quiditatiuum absolutum, & negatiuum, qua ratione ille datur, iuxta dicta *quæst.4.propos.it.4.* cum existentiali absoluto, & negatiuo connexum esse metaphysicè; non tamen vice versa: quia necesse est, vt quod non habet quiditatem, non habeat existentiam. Tum vt, quod quiditatiuè non est quidpiam, nec sit id ipsum existentialiter; cùm tamen bene fieri possit, vt quod non habet existentiam, quiditatem habeat. Tum, vt, quod existentialiter non est quidpiam, id ipsum sit nihilominus quiditatiuè; vt satis constat. 269

Secundò sequitur, ab statu existentiali absoluto ad quiditatiuum absolutum benè argui affirmatiuè, secùs à quiditatiuo ad existentialem: negatiuè verò è conuerso ab statu quiditatiuo benè argui ad existentialem absolutum; secùs ab existentiali ad quiditatiuum. 270

Restrinxi autem propositionem ad res creatas: quia in Deo status quiditatiuus, & existentialis absolutus mutuò connexi sunt metaphysicè, eò quòd essentia diuina cum sua absoluta existentia metaphysicè connexa, est vt est notissimum. 271

Propositio 2.

273 Omnis status absolutus cum aliquo conditionato est metaphysicè connexus; non tamen viceversâ.

Quoniam de quacumque re quidpiam est absolutè verum, de eadem est id ipsum verum sub aliquâ conditione siue distincta, siue indistincta ab ipsomet: Cùm tamen è contrà fieri possit, vt de aliquâ re sit quidpiam verum sub conditione aliquâ, quin sit de eadem id ipsum absolutè verum, vt est notissimum.

274 Vnde sit, ab omni statu absoluto ad aliquem conditionatum benè argui affirmatiuè; secus à conditionato ad absolutum. Negatiuè verò è conuerso, ab statu conditionato ad absolutum bene argui; secus ab absoluto ad conditionatum.

Propositio 3.

275 Quoties conditio cum conditionato connexa, est, necessariò est verum conditionatum sub hypothesi conditionis.

Quia in tali casu necesse est, dari conditionatum, si detur conditio: hoc autem ipsum est, necessariò esse verum conditionatum sub hypothesi conditionis, vt constat; Idque siue conditio, & conditionatum sint positiua, siue sint negatiua; siue alterutrum positiuum, & alterum negatiuum sit.

276 Et quoniam nulla conditio est magis cum conditionato connexa, quàm, ab ipso à parte rei indistincta est, efficitur, nullum esse conditionatum, quod necessariò non sit verum, sub hypothesi suimet, seu sub hypothesi conditionis realiter à se ipso indistinctæ.

277 Vnde rursus efficitur, veritatem conditionatam necessariam titulo connexionis, quam habet cum conditionato conditio, aliam esse de conditione realiter à conditionato distinctâ; aliam de indistincta realiter.

Propositio 4.

278 Omnis veritas conditionata necessariò transit in absolutam purificatâ conditione.

Quia purificatâ conditione, hoc est, ad statum absolutum verè reducta, impossibile est, vt non sit absolutè verum id, quod sub hypothesi illius erat verum conditionatè. Ob id, si semel est conditionatè verum, extiturum calorem, si extiterit ignis; deindeque est absolutè verum, extiturum ignem, nequit non esse absolutè verum, extiturum calorem; & in cæteris pariter.

279 Ex quo patet, coniunctum ex quâuis veritate conditionata, & ex purificatione conditionis metaphysicè connexum esse cum veritate absoluta conditionati; atque ita optimam esse arguendi formam, vbi ex veritate quauis conditionata, & purificatione conditionis simul, & indiuisim sumptis infertur veritas absoluta conditionati. Sic: *si Petrus vocatus fuerit, consentiet. At est vocandus: Ergo consentiet.* Similiterque in reliquis.

Propositio 5.

280 Quod vnumquodque quiditatiuè, & absolutè est, aut non est, id ipsum sit, aut non sit conditionatè, & existentialiter sub hypothesi, quod existat, necesse est.

281 Quia, quod vnumquodque est, aut non est quiditatiuè, & absolutè, id necessariò est aut non est, in quocumque statu reperiatur, vt est notissimum; atque adeò in statu existentiali, casu quòd reperiatur in illo. Hoc autem ipsum est, esse illud tale existentialiter, sub conditione, quòd existat. Sic: quia Petrus quiditatiuè, & absolutè est risibilis; existentialiter conditionatè est risibilis, ex hypothesi, quòd existat, & in cæteris pariter. 282

Hinc: omnis veritas quiditatiua absoluta veritatem existentialem conditionatam fert necessariò secum annexam; omnisque subinde status quiditatiuus absolutus existentialem conditionatum similiter fert secum: Vnde à tali quiditatiuo ad talem existentialem legitimè arguitur.

Propositio 6.

Impossibile est, vt ex duobus extremis vnum, 283
vel alterum sub disiunctione habeat *esse* re ipsâ; & neutrum eorum determinate habeat *esse* re ipsa.

Hæc propositio ex terminis est cunctis euidens; indeque demonstratur insuper: quia à parte rei dari entia vaga, seu disiunctiua non determinata, atque adeò ab omnibus entibus determinatis distincta realiter, manifestissimè repugnat. Darentur autem, si ex duobus extremis vnum, vel alterum sub disiunctione, & neutrum determinatè posset habere *esse* re ipsa; tum quia, quoties neutrum duorum extremorum habet *esse* determinatè, necundè potest esse verum, habere alterutrum *esse* sub disiunctione, vt satis, superque etiam ex se euidens est.

Est autem sermo in propositione tam de *esse* qui- 284
ditatiuo, quàm de *esse* existentiali extremorum, eoque, siue absoluto, siue conditionato: Idemque eodem titulo venit dicendum de duorum extremorum *non esse*. Repugnare scilicet, vt eorum alterutri sub disiunctione conueniat re ipsa *non esse*; & neutri eorum conueniat determinatè, vt est manifestum. Quod autem dictum est de duobus extremis, pariter dicendum venit de pluribus in quauis multitudine, vt constat.

Propositio 7.

Impossibile est, vt actus quicunque ille sit, ver- 285
setur per se circa vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, ipsumve vt sic tangat, siue respiciat, & circa neutrum eorum versetur, neutrumve tangat, siue respiciat determinatè.

Hæc propositio non minus est mihi euidens, quàm præcedens; indeque demonstrari potest, seu declarari primò: quia æquè imperceptibile, atque adeò æquè impossibile est, vnum, vel alterum extremum sub disiunctione, & neutrũ sub disiunctione & neutrum determinate existere, seque subinde exercere per actum existendi, atque vnum, vel alterum extremum sub disiunctione, & neutrũ determinatè terminare quemuis respectum, seque subinde exercere per actum terminandi illum. At primum euidenter est impossibile, iuxta *propos. 6.* ergo & secundum. Deinde, quia impossibile est, actum, siue respectum quemuis tangere per se A, vel B, disiunctiuè neutrum tangendo: Ergo tangere A, vel B disiunctiue; aliud re ipsâ esse non potest, quàm tangere aut A solùm, aut B solùm, aut vtrumque. Quod ipsum est tangere aut A solùm, aut B solùm, aut vtrumque determinatè, vt satis ex se est notum. Præterea si actus à parte rei tangeret vage A, vel B, aliquid daretur vagum à parte rei, nempe eiusmodi tractus, vtpote includens in suo conceptu reali inquantũ vagus

A, vel B, vagè. At dari aliquid à parte rei vagum, impossibile est, iuxta *propos. 6.* Ergo.

285 Quomodò autem actus, qui vulgò censentur per se versari circa vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, siue vage; & circa neutrum determinate re vera non ita versentur; sed circa vtrumuis determinatè, sub conditione tamen defectus alterius, ex dictis *quæst. 1. num. 133. & seqq.* compertum est. Et quod dictum est de actu respiciente duos terminos, pariter de respiciente plures in quouis numero dicendum est. Loquor autem semper impræsentiarum de actu per se respiciente extrema disiuncti; nam de actu respiciente illa non per se, sed per aliena subsidiaria, aliter, quod ad rem attinet, philosophandum est, vt constat ex dictis etiam *quæstion. num. 2.*

Propositio 8.

286 Impossibile est, vt actus, quicumque ille sit, conueniat per se vni, vel alteri subiecto sub disiunctione, & neutri eorum conueniat determinatè.

Hæc propositio æquè, ac præcedens, eisdemque titulis est euidens, eique propterea eodem iure sunt applicanda, quæ pro illâ sunt dicta.

Propositio 9.

287 Quoties verum est, vnum, vel alterum extremum sub disiunctione habere *esse* nequit non esse verum habere *esse* alterum eorum determinatè, & vice versâ.

Prior pars propositionis inde monstratur: quia aliàs alterutrum extremorum sub disiunctione, & neutrum determinatè posset habere *esse*: contra *propos. 6.* Posterior autem inde: quia verificatiuum disiuncti ipsissimum est, *esse* determinatum alicuius extremi eius; vt constat ex dictis; Tum, quia si disiunctum non esset verum disiunctiue, quoties alterum extremum eius verum determinatè est; contradictorium ipsius disiuncti omnium extremorum eius veritatem determinatam remouens verum esset, sicque duo simul extrema contradictoria essent vera, quod est absurdum; nempe aliquod extremum disiuncti, & nullum extremum disiuncti determinatè habere *esse*.

288 Vnde patet, veritatem formaliter disiunctiuam adstruentem *esse* disiuncti in veritate determinata adstruente *esse* vnius extremi eius ita fundari, vt cum illâ necessariò connexa sit connexione mutuâ; iuxta dicta fusiùs, & explicata *superius quæstion. num. 2.*

Propositio 10.

289 Quoties verum est, vnumquodque extremum disiuncti habere *esse* sub conditione defectus alterius, nequit non esse verum, eorum alterum determinatè, & absolutè habere *esse*; sed non vice versâ.

Prior pars propositionis facilè demonstratur: quia si in tali casu neutrum haberet esse absolutè per defectum absolutum amborum, vtriusque prædictæ veritatis conditionatæ, esset purificata conditio; fieretque, vt veritas conditionata per purificationem conditionis non transiret in absolutam; contra *propos. 4.* vel aliter: quia quando neutrum extremorum absolutè habet esse, nequit esse verum sub conditione defectus vniuscuiusque habere esse alterum; siquidem deficiente vnoquoque, alterum habere esse impossibile est, vt constat. Posterior autem propositionis pars ex dictis *quæst. 2. num. 148.* constat.

290 Ex hac propositione infertur: quoties verum est determinatè, conditionateque habere *esse* vtrumuis duorum extremorum sub conditione defectus alterius, non posse non esse quoque verum, habere esse sub disiunctione eorum alterutrum; atque ita veritatem illam complexam conditionatam huic disiunctiuæ, æquiualere, prout *suprà quæst. 2.* statutum est: quia nequit non esse verum veritate disiunctiua quoduis disiunctum, cuius vnum extremorum veritate determinatâ, & absoluta verum est, iuxta *propos. 9.* Et quoties vtrumuis conditionatè est verum sub conditione defectus alterius, nequit non eorum alterum esse verum veritate determinatâ, & absolutâ, iuxta propos. præsentem.

Propositio 11.

291 Quoties verum est, disiunctiuè vnum, vel alterum extremum habere *esse*; & simul est verum determinatè, eorum alterum non habere *esse*, necessariò est verum determinatè habere *esse* residuum.

Est clarum: quia si in tali casu residuum non haberet *esse* determinatè, neutrum haberet *esse* determinatè, habente nihilominus *esse* alterutro sub disiunctione contra *propos. 6.*

292 In hac propositione fundatur modus ille legitimus arguendi ab affirmatione disiuncti, & negatione vnius extremi ad affirmationem residui, hoc pacto: *Petrus vel Ioannes loquitur: sed non loquitur Petrus: ergo loquitur Ioannes.* Quæ forma semper, & in omni materia legitima forma arguendi est: quia semper, & in omni materia antecedens est metaphysicè connexum cum consequente; vt constat ex præsente propos.

293 Ex quo supposito certissimo, & ex altero speciei tenus etiam certo, nempe debere necessariò esse verum consequens sub conditione minoris, quoties maior est vera, & forma syllogismi legitima: quæuis omninò propositio conditionalis venit quoad speciem demonstranda. Vnde ego non semel in publicis disputationibus pulcherrimis sophismatibus respondentes vexaui. E. g. Vt probarem, decretum Incarnationis Verbi independens esse à peccato; hanc assumebam probandam conditionalem: *Si non existit peccatum, existit decretum.* Posito enim, quòd verum sit, extiturum nihilominus decretum, etsi peccatum non existeret, compertum est, decretum in suâ existentiâ à peccato non dependere. Conditionalem autem ita probabam. Hæc disiunctiua est planè vera: *Vel existit decretum, vel existit peccatum*; & hic syllogismus legitimus: *Vel existit decretum, vel existit peccatum: sed non existit peccatum: ergo existit decretum.* At quoties maior est vera, & forma syllogismi legitima, nequit non esse verum consequens sub conditione minoris: igitur consequens illud: *existit decretum*, sub conditione illius minoris: *non existit peccatum*, est verum; quod ipsum est, veram esse conditionalem illam: *Si non existit peccatum, existit decretum*, quam probandam assumpseram. Quo eodem pacto probari potest, Deum cum creaturis possibilibus connexum esse, probata ista conditionali:

Si creaturæ non sint possibiles, datur negatio Dei: tum non esse connexum, probatâ istâ: *Si creaturæ non sunt possibiles, existit Deus*; & alia huiusmodi sexcenta. Quod autem sit necessariò verum consequens sub conditione minoris, quando maior est vera, & forma syllogismi legitima, vt argumentatio facta supponit, videtur certum quia certum est, quoties syllogismi forma est legitima, necessario esse verum consequens ex suppositione integri antecedentis, ob connexionem necessariam, quam integrum antecedens habet cum consequente: ergo supposità absolutè maiore, si minor per hypothesin supponatur, necessariò etiam erit consequens verum. Perinde enim esse videtur supponere integrum antecedens, atque supponere vnam partem eius, suppositâ iam alterâ aliunde.

294 Sed dicendum nihilominus est, etsi maior absolutè sit vera, & forma syllogismi legitima; tunc tamen non esse verum consequens sub conditione minoris, quando minor maiori opposita, atque ita destructiua eius est, vti euenit in casu nostro; vbi etsi maior absolutè sit vera, ex hypothesi tamen minoris vera non est, ob oppositionem, quam minor habet cum illa. Quo fit, vt in tali casu neque consequens verum sit ex hypothesi solius minoris, tametsi ex hypothesi antecedentis integri nequeat non esse verum. Per quod fallacia argumentationis prædictæ manet detecta.

Propositio 12.

295 Quoties verum est, aliquem actum per se respicere vnum, vel alterum extremum sub disiunctione nequit non esse etiam verum respicere alterum eorum determinatè.

Hæc propositio in *propos.* 7. recidit; nullaque subinde noua probatione, siue declaratione indiget; eam tamen adiungo, vt explicem, quot modis extrema disiuncti, circa quæ actus versari dicitur, determinatè per illum respici possint, aut etiam debeant. Dico ergo, contingere posse primò, vt actus determinatè, & absolutè respiciat, aut vnum tantùm, aut vtrumque extremum disiuncti, quo vtroque casu verè dicitur alterutrum sub disiunctione respicere: quia sicut quando absolutè, & determinatè existit aut vnum tantùm, aut vtrumque extremum disiuncti, verè dicitur sub disiunctione existere alterutrum; ita, quando absolutè, & determinatè, aut vnum tantùm, aut vtrumque extremum disiuncti respicitur per actum, verè dicitur sub disiunctione respici alterutrum.

296 Secundò contingere potest, vt actus neutrum extremum disiuncti respiciat absolutè, & determinatè, & nihilominus verè dicatur respicere alterutrum sub disiunctione. Quod euenit, quando actus determinatè respicit vtrumuis extremum disiuncti sub conditione defectus alterius. Ob id, actum hoc pacto respicientem determinatè, conditionatéque extrema disiuncti æquiualenter disiunctiuum ex parte termini, ex parteve subiecti appellauimus *superiùs quæst.* 2.

297 Vnde vnum colligitur valdè notandum: etsi non possit vtrumuis extremum disiuncti habere esse sub conditione defectus alterius, quin alterum eorum habeat esse absolutè, & determinatè, vt *propos.* 10. monstratum est, posse tamen vtrumuis extremum disiuncti respici per actum sub conditione defectus alterius, quin alterum eorum respiciatur per illum absolutè, & determinatè. Cuius ratio à priori est quia actus potest respicere extrema disiuncti prout habentia *esse* in statu conditionato, cum præcisione ab eo quòd habeant *esse*, vel secus in statu absoluto; tametsi status conditionatus in quo respicit illa cum statu absoluto alterius eorum connexus necessariò sit, vt euenit in casu nostro. Ex quo etiam patet, cur possit esse verum, vnum, vel alterum extremum sub disiunctione per actum respici, quin verum sit, respici alterum eorum absolutè & determinatè; & consequenter, cur possit vnum, vel alterum extremum sub disiunctione aut cognosci aut amari, aut peti, aut præcipi, aut requisitum esse ad quidpiam &c; quin alterum eorum absolutè & determinatè, aut cognoscatur, aut ametur, petatur, aut præcipiatur, aut sit requisitum ad quidpiam &c. Tametsi nullatenus possit vnum, vel alterum extremum sub disiunctione habere *esse*, quin habeat *esse* eorum alterum absolutè & determinatè. Quomodò autem bifariam dici possit actus respicere vtrumuis extremum disiuncti sub conditione defectus alterius; nimirum, aut conditione se habente ex parte ipsius extremi, aut conditione se habente ex parte ipsius actus, *suprà q.* 2. explicatum est, vbi ad rem plura Recolantur.

Propositio 13.

Status rerum existentialis de futuro, de præsenti, 298
& de præterito mutuò inter se connexi sunt metaphysicè.

Est dicere. Quod semel est futurum nequit non esse aliquando præsens, & aliquando præteritum, & vice versâ. Est autem propositio euidens: quia euidens est, quamlibet mensuram temporis suapte essentiâ aliquando futuram, aliquando præsentem, & aliquando præteritam esse, quamlibetque proinde rem in tali mensurâ existentem eadem differentias ab illa, eosdemve status sortiri.

Hinc istæ consequentiæ sunt bonæ de vnâquaque re: Est futura: ergo erit præsens, & præterita. Est præsens: ergo fuit futura, & erit præterita. Est præterita: ergo fuit præsens, & futura: idque siue de futuritione, præsentiâ, & præteritione rei absolutâ, siue de conditionatâ sit sermo. 299

Propositio 14.

Vt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem con- 300
tradictionè opponantur, eiusdem de eodem esse debent, non solùm quoad entitatem; sed etiam quoad statum.

Est clarum. Propterea namque hæ propositiones: *Si Petrus vocetur consentiet: Petrus non consentiet*; contradictoriè non opponuntur, etsi sint affirmatio eiusdem de eodem quoad entitatem, scilicet eiusdem consensus de eodem Petro: quia non sunt eiusdem de eodem quoad statum; cùm prima de Petro consensum vt conditionatum affirmet, quem negat secunda vt absolutum. Similiter hæ propositiones: *Petrus est rationalis: Petrus non est existens*, contradictoriæ non sunt; etsi rationalitas, quam prima affirmat de Petro entitatiuè sit idem cum existentiâ, quam de eodem negat secunda: quia prima agit de eâ entitate prout in statu quiditatiuo; secunda prout in existentiali. Pariterque est dicendum de cæteris.

Per doctrinam huius propositionis, quæ cer- 301
tissima est, diluimus *supra quæst.* 1. quædam quorumdam Recentiorum sophismata, aliaque alibi diluemus.

Propo

Propositio 15.

302 Veritatis propositionis disiunctiuæ nihil obstat, quòd omnia extrema disiuncti determinatè vera sint.

Hanc propositionem adiungo propter nonnullos, qui putarunt, vt propositio disiunctiua sit vera, vnum duntaxat extremum disiuncti debere esse verum determinatè, vt suprà iam notatum est *num.* 146. quasi propositio disiunctiua determinatam reliquorum veritatem excludat. Decepti tamen sunt manifestè: quia hæc propositio disiunctiua: *Petrus, vel Ioannes, vel Paulus loquitur*, eumdem prorsus habet sensum, iuxta mentem omnium, atque hæc: *aliquis horum trium hominum loquitur.* Hanc autem esse veram, quantumuis omnes tres loquantur, inde monstratur: quia si esset falsa, eius contradictoria esset vera, nempe: *nullus horum trium hominum loquitur*; fieretque vt omnibus tribus loquentibus, nullus eorum loqueretur, quod est chymericum. Tantumdemque de aliis quibusque disiunctiuis venit dicendum.

303 Sufficiantque impræsentiarum propositiones, istæ, præter alias, quæ ex dictis iam in præcedentibus quæstionibus compingi possunt, & demonstrari.

DISPVTATIO II.

De possibilitate, impossibilitate, contingentiâ, & necessitate entium, seu rerum; atque adeò obiectorum intellectus humani.

1 VALDE confert horum quatuor terminorum tractatio ad plenè capiendam naturam obiectorum tum intellectus humani, tum etiam diuini; necnon ad alia plura prænoscenda tum huius Operis propria tum aliis communia.

QVÆSTIO I.

Quid sit possibile in vniuersum; quid possibilitas? & quotuplex?

2 QVamquam à potentia ad quemuis actũ quodquis subiectum dicatur potens ad actum ipsum: à solâ tamen potentia ad actum existendi dicitur subiectum illam habens possibile, vt *suprà disputatione 8. quæst. 3. diuis. 5.* notauimus. Itaque possibile dicitur vniuersè, quidquid potest existere; possibilitas autem potentia est ad existendum. Vnde patet primò, possibile sumptum formaliter, prout cadit sub hoc nomen, concretum quoddam esse nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, quod possibile dicitur, & ex actu primo, siue potentia ad existendum, quæ est possibilitas: Prout de ente sumptò pro potente existere *suprà disputatione 9. quæst. 1.* dictum est. Secundò patet, concreta *possibile*, & *existens* mutuò sibi correspondentia neutiquàm habere posse subiecta re ipsa distincta; sed necessariò habere vnum, & idem. Nam potentia, & actus mutuò sibi correspondentes eiusdem omninò subiecti sunt, vt *disputatione 8. quæst. 4. propos. 3.* monstratum est. Ex quo rursus apparet, quod existit, idem omninò fuisse anteà possibile, & quod est possibile, idem omninò reddi existens, si ei existentia communicetur; proindeque nequaquàm esse extrema ex parte subiecti distincta possibile, & existens, quæ mutuò sibi correspondent. In quo D D. omnes, vt certissimo, eui dentissimoque conueniunt.

3 Iam verò possibile vniuersè sumptum primò diuidi potest in possibile cum sua existentia connexum; sicque propterea potens existere, vt nequeat non existere; & possibile non connexum cum sua existentia, atque adeò ita potens existere, vt possit etiam non existere.

4 Secundò. Possibile cum sua existentia connexum, aliud est connexum metaphysicè, quod nullâ potentiâ potest non existere; qualis est Deus. Aliud connexum solùm physicè, seu naturaliter, quod non potest non existere citra miraculum, potest tamen simpliciter, vt sunt effectus naturaliter ineuitabiles; aliud connexum solùm moraliter, quod nequit moraliter non existere, etsi queat metaphysicè, & physicè.

5 Tertiò. Possibile non connexum cum sua existentia; aliud est nunquàm existens; quod pure possibile dicitur, seu possibile non existens; aliud est aliquando existens, quod possibile non pure, seu potius possibile existens potest vocari.

6 Quartò est diuidendum possibile vniuersè sumptum, in possibile metaphysicè, possibile physicè, & possibile moraliter. Possibile metaphysicè dicimus, quod simpliciter est potens existere, etsi fortasse non sit potens naturaliter, aut moraliter. Possibile autem physicè, quod etiam naturaliter potest existere. Ex quo patet omne possibile moraliter etiam physicè, & metaphysicè possibile esse, & omne possibile physicè, etiam metaphysicè; sed non vice versâ.

7 Quintò. Quoduis ex dictis possibilibus in proximè, & in remotè tale diuidi potest. Possibilitas namque, vtpote quædam potentia in proximam, & remotam diuidenda venit; iuxta *diuis. 6.* potentiæ in genere traditam *disputatione 8. quæstio 3.* Videatur.

8 Sextò. Quoduis etiam ex dictis possibilibus in possibile absolutè, & possibile ex suppositione est diuidendum. Primum est, quod nullâ expectata conditione, atque adeò absolutè dicitur tale. Secundum, quod tale tantùm est ex hypothesi, quòd aliqua subsistat conditio. Conditio autem, aut potest esse impossibilis, quo casu possibile ex suppositione absolutè erit impossibile in suo genere; aut potest esse possibilis, eaque vel necessaria, vel contingens. Quo casu possibile ex suppositione absolutè etiam erit possibile.

9 His positis, quæ apud omnes sunt certa, quod in præsenti controuertitur, est in quo consistat re ipsa possibile metaphysicè, quod absolutè, & simpliciter tale est, præsertim, quod purè est possibile, aut saltem cum præcisione à sua absolutâ existentia indicatur possibile, seu, quod idem est; quæ fundamenta dentur ex parte rerum, vt verè dicantur possibilia, quæcumque simpliciter, & absolutè possibilia dicuntur independenter à sua absoluta existentia; siue illâ careant

re verâ; siue cum præcisione ab illâ considerentur. variæ sunt Auctorum sententiæ.

10 Prima sententia est, denominationem possibilis in creaturis formaliter sumi ab omnipotentiâ diuinâ, à quâ possunt produci, & à quâ proinde producibiles, seu quod recidit in idem, possibiles denominantur. Ita Petr. Hurt. *disp. 8. Metaph. sect. 1.* & alij Recentiores. Pro quibus stare videtur Valent. *1. p. disp. 1. de scient. pun. 7.* & citari solent Aureol. *in 1. dist. 42. in 2. parte distinctionis art. 3.* & Guill. Borilong. *ibid. quæst. 1.* An verò huiusmodi possibilitas (quam nullus aliorum Doctorum negat) adeò sit extrinseca rebus, & in sola Dei omnipotentia fundata, vt nihil omninò ex parte ipsarum rerum supponat, quo idoneum illæ omnipotentiæ obiectum euadant, quale apud plerosque est eas suopte conceptu contradictionem non implicare; huius sententiæ patroni non satis declarant.

11 Secunda sententia est Scoti *in 1. dist. 43. quæst. vnic. aliisque in locis*, vbi primùm statuit res purè possibiles ab æterno *esse* quoddam habere (quod *esse* diminutum vocat) à scientiâ Dei, quâ cognoscuntur: In quo nihil docet Scotus reprehensione dignum, vt benè notant contra Thomistas quosdam Suar. *disput. 30. Met. sec. 15. num. 17. & disput 31. sec. 2.* Vasquez *1. p. disput. 70. cap 2. & disput. 104. cap. 3.* Theod. Smisin. *Tract. 3. disp. 1. 2. de intellectu diuino quæst. 3.* & alij: quia tantùm attribuit rebus ab æterno *esse* obiectiuum, repræsentatum, seu intentionale, quale dicitur habere quoduis obiectum in mente illud cognoscentis; deindeque censet ab eo statu, seu in eo statu obiectiuo habere res esse possibiles, ficuti, & cætera habent prædicata sua essentialia. Quocirca sententia hæc Scoti cum ea coincidere censenda est, quæ *suprà disp. 10. quæst. 1. num. 8.* dicebat, statum quiditatiuum rerum per cognitionem Dei concipientem illas constitui.

12 Tertia sententia est Recentiorum, qui omnem rerum statum, præterquam absolutæ existentiæ identificant cum Deo, prout suprà vidimus *disputat. 10. quæst. 1. num. 7.* Hi enim non solùm possibilitatem proximam, seu secundariam rerum oriundam ab omnipotentia diuina veluti à forma extrinseca; sed etiam possibilitatem primariam, seu remotam, seu radicalem, quâ res, quatenus contradictionem non implicant, dicuntur possibiles, cum entitate Dei faciunt idem. Censent enim, hanc veritatem: *Petrus contradictionem non implicat* siue: *sine contradictionem existet casu, quo existat*, realiter esse idem cum Deo, prout declarauimus ampliùs *loco citato.*

13 Quarta sententia aliorum Recentiorum est asserentium, possibilitatem primariam creaturarum non consistere in aliquo positiuo aut cum ipsis, aut cum Deo identificato; sed in negatione identitatis earum cum chymerâ; quemadmodum, inquiunt, impossibilitas chymeræ etiam consistit in negatione identitatis eius cum re possibili, quas negationes censent re verâ esse existentes ab æterno absolute, atque necessariò. Quò etiam spectare videntur omnes, qui putant, non repugnantiam possibilium, & repugnantiam impossibilium non quid positiuum re ipsâ esse; sed quid negatiuum.

14 Quinta sententia aliorum Recentiorum possibilitatem necessariam creaturæ in disiuncto existentiæ, & non existentiæ defectibilis eius ponit; nimirum in hac veritate obiectiuâ, quæ necessaria est, & nequit conuenire chymeræ: *Vel existit creatura; vel eius carentia defectibilis.*

15 Sexta sententia est; cuiusuis rei possibilitatem primariam in veritate conditionatâ consistere, quâ verum est: *Si talis res extiterit, sine contradictione existit.* Ita Ripalda *tom. 1. de ente supern. d. 32. sect. 1.* & latius *in manuscriptis Metaph. disput. 2. sect. 3.* Arriag. *disput. 2. Metaph. sect. 1.* Franc Alfon. *in Physicâ disputatione 7. sect. 3.* & communiter Recentiores.

16 Septima sententia parùm, aut nihil à præcedente differens, eorum est, qui absolute pronuntiant, possibilitatem primariam creaturarum, ratione cuius obiectum idoneum euadunt omnipotentiæ Dei, antequàm per illam factibiles concipiantur, in eo stare, quòd tales creaturæ de suo, seu consideratæ secundum se non implicent contradictionem. Ita expresse S. Th. *1. p. quæst. 25. art. 3.* Molin. *ibid.* & alij Expositores communiter, quos longum esset recensere. Vasquez *disput. 104. cap. 4.* Heriz. *disput. 5. cap. 2.* Ruiz. *tom. de scien. disput. 15. sect. 6. num. 14.* & alij. Quod ipsum sentiunt citra omne dubium omnes Auctores relati à nobis *suprà disp. 10. quæst. 1. num. 10.* qui independenter ab existentia verum quoddam *esse* quiditatiuum attribuunt rebus ab eis indistinctum, & necessarium, ratione cuius vere illis conueniunt omnia prædicata necessaria, e quorum numero est eas esse possibiles. Dixi autem, sententiam hanc parùm, aut nihil à præcedente differre: quia solùm differunt, quatenus illa possibilitatem rebus intrinsecam in veritate ponit conditionata; hæc verò in absolutâ. Quod discrimen ad rem parui momenti est; quandoquidem tales veritates, etsi formaliter sint distinctæ, æquiualentur censentur eadem ob mutuam connexionem, quam habent, de quo plura dicta sunt suprà dicta *disput. 10. quæst. 1.* Conueniunt itaque vtriusque sententiæ Auctores in hoc, quod res possibiles duas possibilitates habent: aliam secundariam, & proximam, quæ in creaturis denominatio quædam est eis extrinseca; seu potius semiextrinseca desumpta ab omnipotentia diuina: aliam primariam, & radicalem, quæ rebus omnibus possibilibus intrinseca est, & adæquatè identificata; nimirum eas tales esse, quæ contradictionem non implicant, aut absolutè ex conceptu suo, aut ex hypothesi, quòd existant.

Propositio 1.

17 Esse possibiles creaturas possibilitate primariâ, seu remotâ, seu radicali non est denominatio extrinsecè illis prouenies ab omnipotentia diuina.

Hæc propositio contra primam sententiam est propositum *numero 10.* Probatur autem facilè, & breuiter. Nam, vel denominatio possibilis prouenies extrinsecè creaturæ ab omnipotentia diuina supponit, in ipsâ creatura aliquod *esse* verum seu quiditatiuum; seu existentiale conditionatum, non ferens secum contradictionem, ab ipsaque omnipotentia re ipsâ distinctum; vel nullum tale esse supponit; sed tota veritas obiectiua huius obiecti, *creatura est possibilis*, realiter est identificata cum omnipotentiâ diuina. Si dicatur secundum, sententia hæc in tertiam recidet, postmodum *proposit. 3.* abiiciendam. Si autem dicatur primum; dicimus cum communi, ab illo *esse* vero, immunique à contradictione, quod creatura habet de suo distinctum ab omnipotentia diuina, appellari eam possibilem possibilitate primaria, seu radicali, seu remota; vtpote, quæ ab huiusmodi suo *esse* euadit præ chymera impossibili obiectum idoneum omnipotentiæ Dei, antequam vllam ab omnipotentia ipsa extrinsecam

secam denominationem sortiatur. Non igitur per denominationem extrinsecam oriundam ab omnipotentia diuina primariam suam, & remotam possibilitatem sortitur. Quod erat probandum.

18 Itaque non negamus aliquam denominationem possibilis, siue factibilis accipere creaturam, partim extrinsecè ab omnipotentia diuina; dicimus tamen, hanc non esse primariam, & rad calem, seu remotam; sed secundariam, & proximam, aut certè propinquiorem actui, & supponentem aliam magis intrinsecam creaturæ; atque in ipsius essentia fundatam. Etenim, quemadmodum ad alios actus plures potentiæ solent dari; vna immediata, seu proxima, & aliæ remotiores, vt suprà *disputatione* 8. *quæst.* 3. *diuis.* 6. statutum, & explicatum est. Ita ad actum existentiæ in creatura potente existere, plures potentiæ, seu, quod est idem, plures possibilitates considerandæ veniunt.

19 Prima est ipsa essentia creaturæ, prout non ferens secum contradictionem, hoc enim ipso, præcisis aliis, discriminatur à chymerâ impossibili, atque adeò iure optimo possibilis dicitur possibilitatè primaria, seu radicali. Censeo tamen, ab huiusmodi possibilitate primaria non euadere creaturam potentem absolutè existere; sed tantùm potentem existere quatenus est ex se. Hoc enim ipso, quod est ens ab alio, nequit intelligi absolutè potens ab alio fieri; absoluta autem potens ab alio fieri nequit intelligi, nisi intelligatur saltem possibilis virtus, à qua facienda est. Vnde in denominatione potentis absolutè fieri, atque adeò existere intrinsecè clauditur ex connotato, seu in obliquo omnipotentia Dei; quantumuis creatura potens fieri per connexionem sibi identificatam cum omnipotentia ipsâ connexa sit. Cuius ratio est: quia si tali connexione cæterisque omnibus cum creaturâ permittentibus, deficeret omnipotentia Dei, neutiquam diceretur creatura absolutè potens existere, siue posse existere. Quâ eadem ratione *suprà disputatione* 8. *quæst.* 5. *propos.* 5. dicebamus ad denominationem, quâ Deus dicitur absolutè potens creaturam producere intrinsecè pertinere possibilitatem primariam, siue radicalem creaturæ; esto omnipotentia diuina cum tali possibilitate connexa sit, vt multi opinantur.

20 Ex quibus patet, post primariam denominationem possibilis quam habet creatura ab eo præcisè, quòd est aliquid non ferens secum contradictionem, aliam habere semiextrinsecam, ex cuius fundamentis, vnum est omnipotentia diuina, seu virtus, quam Deus habet ad producendum omne non ferens secum contradictionem. Quæ quidem primò denominat creaturam semiextrinsecè possibilem, considerata ipsa, vt possibilis; secundò, considerata vt existens; tertiò, vt coniuncta eum decreto efficaci de productione creaturæ. Et hæc vltima est in creatura possibilitas, siue factibilias proxima, siue immediata actui; cùm aliæ suo ordine sint remotiores. Tunc enim creatura est proximè potens fieri, atque adeò existere à Deo, quando proximè est potens illam efficere omnipotentia Dei; talis autem est, post sibi adiunctum dictum decretum.

21 Hæc dicta de creaturis prout absolute potentibus fieri à Deo: Quoniam verò pleræque earum insuper ab aliis creaturis, tanquam à causis secundis causabiles sunt; ab harum itidem potentiis causatiuis semiextrinsecè denominantur potentes causari atque adeò etiam possibiles, idque aut possibilitate proxima, quando tales causæ proximè sunt potentes causare illas, aut remotiori, iuxta gradum, in quo considerantur potentiæ, talium causarum.

Propositio 2.

Esse possibiles creaturas possibilitate primaria, 22
seu radicali non est denominatio extrinsecè illis proueniens à scientia Dei.

Hæc propositio, quæ secundæ sententiæ opponitur propositæ *numero* 11. eodem imprimis modo, ac præcedens probanda venit. Applicet ergo lector huic illius probationem; sumpto dumtaxat pro termino *omnipotentia*, termino *scientia*, ne actum agamus. Deinde etiam venit probanda omnibus iis, quibus ostendimus *suprà disp.* 10. *quæst.* 1. *prop* 3. statum quiditatiuum absolutum, conditionatumque existentialem, & necessarium rerum, ad quorum alterum, vel vtrumque pertinet earum possibilitas, neutiquam constitui intrinsecè per aliquam cognitionem Dei. Quæ etiam ad rem præsentem sunt applicanda.

Addo ne secundariam quidem aliquam denomi- 23
nationem possibilis sortiri creaturam a scientia Dei considerata seorsim: quia vt sic aliunde supponit illa in creatura omnem possibilitatem circa quam, vt circa obiectum cognoscendum versatur. Dixi *considerata seorsim*: quia scientia diuina de creatura, quæ ad productionem eius concurrit, aut potest concurrere, vt pertinet ad denominationem, qua Deus dicitur absolute potens producere creaturam, simul cum aliis comprincipiis intrantibus talem denominationem; ita etiam pertinet ad denominationem, qua creatura absolutè dicitur potens produci à Deo, atque adeò absolutè potens existere, iuxta doctrinam nuper expositam circa *propos.* 1.

Propositio 3.

Possibilitas primaria creaturarum non est identi- 24
ficata cum entitate Dei.

Hæc propositio contra tertiam sententiam est *n.* 12. propositam, abundéque refutatam *suprà disp.* 10. *q.* 1. *prop.* 1. Recognoscantur dicta *ibi*. Quibus nihil opus est addere.

Propositio 4.

Possibilitas primaria creaturarum non stat in ne- 25
gatione identitatis earum cum chymera, sicut nec impossibilitas chymerarum in negatione identitatis earum cum creatura possibili; vti dicebant Auctores quartæ sententiæ propositæ *num.* 13.

Probatur primò. Nam, vt monstrauimus *suprà disp.* 9. *q.* 3. nulla negatio rerum non existentium est quidpiam adhuc negatiuum existens; vt taleque positiue conceptibile, à Deo, sed penitus nihil. At possibilitas creaturarum est aliquid positiue conceptibile à Deo, vt constat: ergo possibilitas creaturarum in nullà negatione existente potest consistere. Tantúmdemque subinde venit dicendum de impossibilitate chymerarum.

Secundò: quia esto aliarum rerum, tum possibi- 26
lium, tum etiam impossibilium non existentium re vera existerent negationes, quæ quidpiam essent positiuè in se conceptibile. At identitatis impossibilis creaturæ, cum chymera, vera negatio non existeret, sicut neque aliorum huiusmodi identitatum

extremorum inter se distinctorum, vt satis constat ex dictis *disp.* 10. *q.* 4. Ergo in negatione existente talis identitatis nec possibilitas creaturæ, nec impossibilitas chymeræ potest consistere.

28 Tertiò: quia etsi negatio identitatis creaturæ cum chymera esset aliquid re verâ, & necessariò existens, id vtique supponeret creaturam, & chymeram esse extrema politiuè, & verè inter se distincta ex suis cõceptibus quiditatiuis; alioquin non esset impossibilis earum identitas; & consequenter neque huius negatio necessaria. Ergo in ista veritate suppositâ, siue in essentiis eam fundantibus deberet poni primaria possibilitas creaturæ, & impossibilitas chymeræ; non in negatione identitatis ex iis essentiis pullulante.

29 Quarto; vt Petrus sit possibilis, non satis est, quod ille non sit idem cum vnâ, aut alterâ chymerâ; sed necesse est, vt cum nulla excogitabilium sit idem: si ergo sententia opposita vera esset, in infinitis negationibus existentibus infinitarum identitatum Petri cum infinitis chymeris solius Petri consisteret possibilitas. Quod ex se videtur absurdum.

Quintò. Negatio identitatis creaturæ cum chymerâ intrinsecè est necessaria, iuxta Aduersarios; non enim denominatur talis ab alio quopiam. Ergo identitas, quam negat intrinsecè est impossibilis. Probatur consequentia. Primò: quia qualiter vnum ex contradictoriis est necessarium, taliter alterum debet esse impossibile. Secundò: quia si dicta identitas à negatione alterius identitatis cum creaturâ euaderet impossibilis, idem de hâc secundâ esset dicendum, & abiremus in infinitum: quod est absurdum. Tum de aggregato omnium pariter esset dicendum idem, cùm tamen nulla supersit extra illud, ad quam recurramus. Tertiò: quia, admissis negationibus tum dictæ identitatis, tum omnium aliarum chymerarum, nequeunt illæ esse necessariæ ex merito propriæ perfectionis, quam nullam habent; sed tantùm ex eo, quòd sint oppositæ ipsis chymeris: ergo prius est, has esse impossibiles, quam illas esse necessarias: Ergo ab intrinseco habent omnes esse impossibiles, per suam, scilicet essentiam ferentem secum contradictionem. Pariter igitur ab intrinseco habebunt creaturæ esse possibiles per suam essentiam ab omni contradictione immunem.

30 Sextò. Quantumuis chymera esset idé cũ creaturâ possibili, impossibilis remaneret tum ipsa, tum coniunctum ex chymerâ & natura; siquidem per talem identitatem potiùs indueret chymera nouas contradictiones, quàm exueretur antiquis; & tamen tunc non daretur talis identitatis negatio. Ergo nec nunc à tali negatione habet chymera esse impossibilem, sed à sua essentia ferente secum contradictionem, quam etiam in ea hypothesi haberet: Ergo nec creatura habet esse possibilem à tali negatione, sed à sua essentia contradictione immuni.

31 Septimò. Ab eadem negatione identitatis chymeræ, & creaturæ non potest illa impossibilis, & hæc possibilis denominari, nisi ab se inuicem, quoad suas essentias verè diuersæ sint, vt patet: sed hæc diuersitas sufficiens est, vt ante omnem dictæ, identitatis negationem creatura possibilis, & chymera impossibilis vere dicantur. Siquidem in eo potissimùm stat, quod altera contradictione immunis, & altera contradictioni obnoxia sit: Ergo. Mitto plura, quia hæc satis.

Propositio 5.

32 Possibilitas primaria, atque necessaria creaturæ perperam ponitur in disiuncto existentiæ, vel non existentiæ defectibilis eius à Recentioribus relatis *n.* 14.

Primò: quia hæc explicatio, seu assignatio possibilitatis creaturæ circulum quemdam secum fert duplici titulo vitiosum. Primò: quia inexplicatum relinquit id, quod assumitur explicandum. Secundò: quia tacitam repugnantiam terminorum inuoluit. Cùm enim esse defectibilem non existentiam creaturæ, & esse possibilem eiusdem existentiam manifestè sit idem, perinde est dicere à veritate necessariâ prædicti coniuncti euadere possibilem creaturam, ac euadere possibilem creaturam ab aliquo supponente, eam aliunde possibilem esse. Quod est, & rem inexplicatam relinquere, & in terminis repugnantiam inuoluere, vt satis ex se apparet.

Secundò: quia verum necessariò esse de quouis 33
conceptu obiectiuo, existere illud, vel non existere, non est illud esse possibile; siquidem cuius etiam chymeræ impossibili conuenit eadem veritas. Quod si ad hanc excludendam addatur particula *defectibiliter* regredimur in eamdem quæstionem: quia idem est, vt dicebam, non existere aliquid defectibiliter, seu non existentia defectibili, ac illud esse possibile. Planè igitur hæc possibilitatis explicatio nugatoria est, eoque iure contemnenda. Pergamus ergo ad reliqua.

Propositio 6.

Possibilitas primaria fundamentalis creaturarum 34
in earum essentiis prout immunibus à contradictione consistit; proindeque illis tum in statu quiditatiuo absoluto, tum in statu existentiali conditionato annexo quiditatiuo conuenit.

Ita re ipsâ tenet maior, & melior pars Theologorum cũ S. Th. 1. *p. q.* 25. *art.* 3. & aliis citatis *n.* 15. & 16. pro sextâ, & septimâ sententiâ. Loquor autem in propositione de possibilitate fundamentali: nam de hâc est controuersia præsens vt *n.* 9. prænotaui. Formalis enim secundum omnes potentia ad existendum est, prout dixi principio quæstionis.

Probatur autem breuiter quoad primam par- 35
tem. Primò, à refutatione omnium aliarum sententiarum; illis namque semel explosis, nihil supereſt, in quo dicta possibilitas rerum constitui possit, præterquam in earum essentiis immunibus à contradictione.

Secundò: quia esse rem aliquam talis essentiæ 36
ex conceptu suo obiectiuo, quæ secum non fert contradictionem, sufficiens fundamentũ est, vt ea dicatur de suo possibilis possibilitate primaria, qua ratione hæc est explicata *propos.* 1. Igitur talis possibilitas in talibus rerum essentiis ponenda est. Consequentia est bona. Antecedens autem, tum ex terminis ipsis, tum ex communi omnium conceptione constat; tum etiam probatur: quia omnis essentia conceptibilis aut est possibilis, aut impossibilis; vt sit impossibilis, necesse est omnino, quòd secum ferat duo contradictoria, vt ostendemus *q.* 2. Ergo, quæ secum non fert duo contradictoria eo ipso non potest non esse possibilis. In essentiis igitur rerum, prout à contradictione immunibus, earum primaria, & radicalis possibilitas consistere dicenda est.

Iam secunda pars propositionis ex prima sequi- 37
tur. Quoniam possibilitas rerum ab earum essentiis indistincta, in eisve consistens realiter non potest non conuenire rebus quiditatiuè, & necessariò: ergo

nec

nec potest non conuenire illis,tum in statu quiditatiuo absoluto, tum in existentiali conditionato annexo ipsi quiditatiuo, iuxta doctrinam latè traditam *disp.* 10. *q.* 1. Et quidem possibilitatem rerum, de qua modo agimus, sine qua illæ nullatenus essent possibiles, vt constat ex dictis præsertim *proposit.* 1. esse prædicatum earumdem rerum necessarium, sicut & alia,quæ eis conueniunt quiditatiuè; & consequenter pertinens ad dictos status, qui status necessarij sunt, vt *loco citato* statuimus; tum ex ipsis terminis est notissimum: siquidem æquè notum est repugnare, quòd Petrus non sit possibilis, atque, quod non sit rationalis; hoc autem secundum repugnare notissimum est: Tum inde potest demonstrari: quia si Petrus modò possibilis posset talis non esse, posset vtique esse impossibilis,vt patet. Ergo posset dari in rerum natura negatio necessaria existentiæ eius: siquidem nihil est in se impossibile, cuius existentiæ negatio necessaria non detur qua ratione negationes dari dicuntur iuxta dicenda posteà. Cùm ergo omne necessarium potens dari eo ipso de facto detur,vt etiam est notum: de facto daretur in rerum natura negatio necessaria existentiæ Petri; Petrusque subinde de facto non esset possibilis,contra suppositionem factam. Quod est implicatorium; Petri igitur possibilitas prædicatum necessarium est eius. Quod erat ostendendum.

38 Ex dictis colligitur primò: possibilitatem primariam rerum tam fundamentalem, quam formalem bifariam posse prædicari de illis, tum iudicio mentis, tum verbis quemadmodum & cætera prædicata quiditatiua earum. Primò prædicatione absoluta, cuius veritas obiectiua ad statum quiditatiuum pertineat,qualis est hæc de possibilitate fundamentali: *Petrus essentiam habet de suo immunem contradictione*; & hæc de possibilitate formali: *Petrus de suo est simpliciter possibilis.* Secundò prædicatione conditionata, cuius veritas obiectiua ad statum conditionatum existentialem, & necessarium ipsi quiditatiuo annexum spectet: cuiusmodi est hæc de possibilitate fundamentali: *Si Petrus extiterit, sine contradictione existet*; & hæc de formali: *Si Petrus extiterit existentialiter, erit simpliciter possibilis.* Addo in prædicationibus de possibilitate formali particulam *simpliciter*, vt discernam res possibiles ab illis chymeris; quæ concipi possunt cum potestate ad existendum, atque adeò possibiles: illæ enim ab huiusmodi possibilitate ad suas essentias pertinente, verè euadent possibiles, tum in statu quiditatiuo, tum in existentiali prædicto; sed non simpliciter: quia aliunde ferunt secum contradictionem,qua penitus sunt immunes res,quæ simpliciter sunt possibiles. De quo plura dicenda *infrà q.* 2.

39 Dices. Primaria,& fundamentalis possibilitas rerum non videtur benè explicari per existentiam earum sine contradictione ex hypothesi, quod existant. Nam cum contradictio non aliter possit excludi, quàm per existentiam alterius ex extremis eius,eo quod vtrumque deficere, tum est impossibile, tum idem atque vtrumque existere, idem erit, extitnras creaturas sine contradictione, ac extituras præcisè ex hypothesi, quòd existant; hoc autem etiam chymeris conuenit, vtpote de quibus etiam est verum,extituras, si existerent. Respondeo, eam propositionem: *Si res extiterit, existet sine contradictione*, hunc sensum facere: *Si res extiterit, existet sine eo, quod sit verum, duo contradictoria simul existere.* Quod tamen verum est ex hypothesi, quod chymera existeret, vt pluribus explicandum est *infrà quæst.* 2. Per quod patet ad obiectionem.

Secundò colligitur ex dictis, creaturas existentes 40
ab eisdem fundamentis denominari possibiles in statu existentiæ absolutæ, à quibus tales denominabantur in aliis statibus præuiis: quia possibilitas è genere prædicatorum est, quæ rebus conueniunt in omni statu, iuxta doctrinam vniuersalem traditam *suprà disp.* 10. Itaque Petrus existens, qua talis tum possibilitatè primaria, seu radicali à sua essentia prout à contradictione immuni indistincta, tum possibilitate proxima semiextrinsecè sumpta à potentia proxima omnium causarum, per quas existit; tum ab aliis intermediis denominatur possibilis,seu potens existere. Quæ possibilitates proinde sumptæ adæquatè,& indiuisim contingenter etiam sunt existentes, sicut subiectum denominatum per illas; in illisque sumptis realiter intrinsecè inclusum. Vt satis ex se patet.

Tertiò colligitur, Deum suam quoque possibi- 41
litatem habere, siue potentiam ad existendum, vt est notissimum: quia omne existens ex eo ipso est potens existere, atque adeò est possibile. Multis tamen quoad hoc prædicatum differt à creaturis Deus. Primò, quod solam habet possibilitatem à sua essentia, prout à contradictione immuni indistinctam; non item alias, quas à suis causis creaturæ sortiuntur, cùm sit ens à se. Per eam autem non modo quantum est ex se, sicut illæ, iuxta dicta *num.* 10. Sed prorsus absolutè, & simpliciter, & proximè euadit possibilis. Secundò, quod possibilitas Dei omnimodis est connexa cum sua existentia ob omnimodam necessitatem quam Deus habet ad existendum, proindeque nullam secum patitur potentiam ad non existendum. Possibilitas verò creaturarum cum existentia earum connexa non est; secumque subinde comitem habet potentiam ad non existendum: quo fit, vt creaturæ in existendo sint contingentes. Tertiò licet hæc Dei possibilitas in aliis statibus præuiis ad statum existentiæ absolutæ à nobis considerari possit, sicut & alia Dei prædicata, iuxta dicta *suprà disp.* 10. illi tamen status ab hoc non sunt independentes, & separabiles, vti euenit in creaturis, ob strictissimam connexionem,quam cum eo habent. De quo vide plura dicta *loco cit. q.* 1. *&* 5.

Quartò colligitur: quo pacto philosophandum 42
est de possibilitate negationum eorum omnium, quæ possunt non existere, qualia sunt,vno Deo excepto,cætera cuncta tum possibilia,tum impossibilia. Cùm enim eiusmodi negationes re ipsa penitus sint nihil in se conceptibile, iuxta doctrinam statutam *disp.* 9. *q.* 3. Vt in se nullam essentiam habent, ita nec vllam existentiam, neque vllam potentiam ad existendum, atque adeò neque vllam possibilitatem habere possunt. Quocirca à parte rei esse negationes rerum possibiles, nihil est aliud, quàm posse res ipsas non existere. Potentia autem rerum ad non existendum formaliter sumpta, quod sonat est; fundamentaliter tamen nihilo differt ab ipsarum rerum essentia, quatenus talis est,vt ex eius non existentia nulla sequatur contradictio. Verùm quia nos eiusmodi negationes, ac si essent aliquid possumus,& solemus positiuè concipere, vt *loco citato* explicatum est; idcirco eisdem possumus suam possibilitatem tribuere, tum primariam, quæ formaliter erit potentia ad existendum, fundamentaliter autem immunitas à contradictione; tum etiam secundarias,quæ denominationes erunt semiextrinsecè sumptæ à potentiis causarum, quibus negatio-

nes

nes ipsæ aliquomodo causabiles sunt talesve per æquiualentiam vocari possunt, iuxta *dicta disp.* 9. tum *q.* 3. *cit.* tum etiam *q.* 5. videantur etiam, quæ ad rem diximus *disp.* 10. *q.* 4.

QVÆSTIO II.

Quid sit impossibile in vniuersum. Quid impossibilitas, & quotuplex?

43 QVemadmodum id dicitur vniuersè possibile, quod est potens existere, vt vidimus *quæst.* 1. ita id dicitur vniuersè impossibile, quod impotens existere est; impossibilitasque subinde impotentia est ad existendum. Vnde constat, impossibile sumptum formaliter prout cadit sub hoc nomen, concretum quoddam esse nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, quod impossibile dicitur, & ex impotentia, siue carentia potentiæ ad existendum, quæ ipsa impossibilitas est.

44 Diuidi autem potest impossibile ita vniuersè sumptum, in impossibile metaphysicè, physicè, & moraliter. Impossibile metaphysicè dicitur, quod nulla omnino potentia potest existere. Impossibile autem physicè appellatur, quod physicè, seu naturaliter existere nequit, tametsi possit metaphysicè. Impossibile denique moraliter vocatur, quod moraliter non potest existere, tametsi possit metaphysicè, & physicè: vnde patet, omne impossibile metaphysicè, physicè quoque, & moraliter impossibile esse; & omne impossibile physicè moraliter etiam esse impossibile; sed non vice versa. Nam impossibile moraliter potest esse possibile physice, & metaphysicè; & impossibile physicè, metaphysicè potest esse possibile.

45 Rursus quoduis ex dictis impossibilibus in impossibile absolutè, & impossibile ex suppositione diuidendum venit. Primum est: quod nulla expectata conditione, atque adeò absolutè dicitur tale. Secundum: quod tale tantùm est ex hypothesi, quod aliqua subsistat conditio. Conditio autem aut potest esse contingens, vel impossibilis: quo vtroque casu impossibe ex suppositione absolutè erit possibile: aut potest esse necessaria: quo casu impossibile ex suppositione etiam absolutè erit impossibile. Omissis igitur modò impossibili physicè, & impossibili moraliter, atque etiam impossibili ex suppositione, de solo impossibili metaphysicè, & absolutè, quod simpliciter, & absolutè dicitur tale, agendum est in hac *quæst.*

46 In qua primò statuendum est ex sententia omnium, id esse simpliciter impossibile, quod secum necessariò fert duo contradictoria; vel quia illa in se includit, vel quia illa infert necessariò: ita, vt si existeret, non possent non simul existere contradictoria ipsa. Compertum enim est, duo contradictoria simul existere non posse: quia alterutrum formaliter est alterius destructio, siue remotio, siue negatio, proindeque existere non potest, nisi alterum non existat; cùm illud existere, & non existere alterum prorsus sit idem formalissimè. Quo rursus fit, vt neque id vllomodo possit existere, simplicitérque subinde sit impossibile, quod sine duobus contradictoriis nequit existere. Nequit enim est possibile id, quod existere non potest, nisi existente aliquo impossibili: quale est coniunctum ex duobus contradictoriis, vt patet

47 Secundò statuendum est etiam ex omnium sententia, nihil posse esse simpliciter impossibile, quod secum non ferat necessariò duo cõtradictoria. Quod sic demonstro. Id est simpliciter impossibile, quod nullam habet potentiam ad existendum. Ergo casu, quod existeret, quod est simpliciter impossibile, existeret: quia id supponitur; & non existeret: quia fieri nequit, vt existat, id, quod nullam habet potentiam ad existendum. Ergo quodlibet simpliciter impossibile non potest non ferre secum saltẽ illa duo contradictoria; existere videlicet ipsum, & non existere ex hypothesi, quòd existeret. Vel aliter, Omnis existentia ex proprio conceptu essentialiter est connexa cum potentia existendi; vt constat; quia ab omni actu ad suam potentiã necessaria prorsus est consequentia. Ergo negatio potentiæ existendi essentialiter est connexa cum negatione existentiæ, propter nuersam cõnexionem, notissimamq; extremorum contradicentium connexis. Ergo posito impossibili, quod secum fert negationem potentiæ existendi, non potest non poni negatio existentiæ eius, vtpote, quã necessariò infert negatio potentiæ existendi; aliundéque supponitur posita existentia ipsa, dum supponitur positum impossibile. Quæ sunt duo contradictoria; quæ ex existentia impossibilis inferebamus. Ex qua insuper alia duo inferuntur, nempe dari in impossibili posito potentiam existendi, quam necessario existentia infert, & simul non dari: quia de conceptu impossibilis est illa carere. Stat ergo firmum, omne, quod necessariò fert secum duo contradictoria simpliciter impossibile esse, & nihil esse tale, quod illa non fert. Huiusmodi autem impossibile chymera communiter nuncupatur.

His positis, controuersia est à Recentioribus, potiùs quàm ab Antiquioribus excitata. Num impossibile, seu chymera conceptus aliquis obiectiuus sit terminans nostram, aut etiam diuinam cognitionem ab omni ente possibili condistinctus. An potiùs ex parte obiectorum nihil omnino distinctum ab omni ente possibili sit vllomodo cognoscibile; sed ipsa entia possibilia eatenus impossibilia euadant, quatenus praue, sinistrè, & falsò quodam genere cognitionum cognoscibilia sunt. Hoc secundum opinantur nonnulli ingeniosi Recentiores docentes, impossibilitatem impossibilium in eo consistere, quod ipsa obiecta possibilia, sub certis terminis necessariæ sint falsitatis, hoc est, per cognitionem necessariò falsam cognoscibilia. Vnde addunt, quoduis omnino obiectum possibile, etiam esse impossibile ex aliqua cognitione terminabili ad ipsum: quia nullum est obiectum possibile, quod non possit terminare cognitionem, vel adiungentem ipsi mentaliter prædicatum eidem repugnans, vel mentaliter diuidentem ab ipso prædicatum eidem necessariò conueniens: quæ subinde cognitio sinistra, praua, & necessario falsa erit; eiusque obiectum relatè ad illam necessariæ falsitatis, & ideò impossibile. Communis tamen sententia est, impossibile, siue chymeram conceptum obiectiuum esse ab omni ente possibili condistinctum, atque adeò de suo habens esse impossibile, quin id à cognitione praua entis possibilis mutuetur. Ita omnes fermè Philosophi, atque Theologi, quos longum esset recensere. Vide, si placet, multos citatos apud Barth. Amicum *in log. tract.* 3. *quæst.* 2. *dub.* 2. & 5. 48

Propositio 1.

Chymera impossibilis aliquid est ex parte obiecti se habens ab omni ente possibili condistinctum, 49

vt

vt communis sententia fert; nec præcisè per sinistram cognitionem entis possibilis in esse talis potest constitui, vt Recentiores opinantur.

Probatur primò propositio à priori. Ab eo, quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa, iuxta Arist. & omnes; idemque est de iudicio mentis: Ergo repugnat dari iudicium necessariò falsum, cuius obiectum non sit in se entitatiuè impossibile; atque adeò ab omni possibili distinctum independenter ab ipso iudicio. Probo consequentiam. Si enim loquamur de iudicio affirmatiuo, vt sit falsum, debet obiectum affirmatum non esse in se reipsâ tale, quale esse affirmatur: Ergo, vt sit necessariò falsum, debet obiectum affirmatum necessariò non esse in se, sicuti esse affirmatur. Quod ipsum est in se, quantum ad esse affirmatum entitatiuè esse impossibile; atque adeò distinctum ab omni possibili independenter à dicto iudicio, tantumdèmque vice versâ de iudicio negatiuo venit dicendum.

50 Respondent aduersarij. Vt sit falsum iudicium affirmatiuum non opus esse, quòd non detur à parte rei obiectum affirmatum; sed sufficere, quòd obiectum affirmatum verè habens esse à parte rei dissonet ipsi affirmationi. Etsi enim, inquiunt, totum obiectum huius iudicij: *Petrus est equus*, verè detur à parte rei, quia nihil est amplius, quàm homo, & equus, qui verè dantur; attamen quia homo, & equus in se re ipsâ sunt diuisi, siue distincti: iudicium autem est quædam intentionalis coniunctio, atque identificatio eorum, efficitur, vt iudicium obiecto dissonet, malamque cum eo correspondentiam faciat; atque adeò sit falsum. Pariterque de iudicio negatiuo philosophantur; censentes; ad eius falsitatem similem dissonantiam sufficere in eo consistentem, quòd illud diuisio quædam sit merè intentionalis prædicati à subiecto, quando prædicatum, & subiectum re ipsâ in se diuisa non sunt.

51 Sed contrà primò. Quoniam coniunctio, siue identitas, seu potiùs identificatio merè intentionalis iudicij affirmatiui (tantumdemque de simili diuisione iudicij negatiui censendum) cui identitas obiectiua non correspondeat, commentitia est: Ergo per illam præcisè non potest iudicium falsum obiecto in se vero dissonare. Consequentia est bona. Probo antecedens. Primò, quia iudicium affirmatiuum dumtaxat repræsentatiuè potest esse identificatio prædicati, & subiecti, non enim intelligibile est, quî possit aliter illa identificare. Identificare autem repræsentatiuè prædicatum, & subiectum!, aliud non est, quàm repræsentare iudicanti identitatem obiectiuam eorum. Secundò: quia iudicium verum identificans prædicatum subiecto, quale est hoc: *Petrus est homo*: non aliter identificat, quàm repræsentando iudicanti obiectiuam identitatem, quam verè Petrus habet cum homine; alioquin iudicans tantùm attingeret tali iudicio extrema, *Petrus*, *homo*, nesciretque proindè, an talia extrema essent in se re ipsâ idem, aut secus, dum actu iudicat, ea esse idem. Quod est chymericum. Sed non aliter identificat prædicatum subiecto iudicium hoc falsum: *Petrus est equus*, quàm hoc verum: *Petrus est homo*, vt patet: Ergo. Tertiò, quia iudicans, Petrum esse idem cum equo, aliquam affirmat dari identitatem Petri cum equo. Quis id dubitet? sed non affirmat dari identitatem Petri cum equo merè intentionalem cum ipso iudicio identificatam, alias iudicium esset verum, cùm verè detur talis identitas. Ergo affirmat dari identitatem obiectiuam Petri cum equo; eamque affirmando, & nō aliter identificat talia extrema. Quartò: quia intellectus creatus iudicans, Petrum esse hominem de eâdem identitate obiectiuâ suadetur, vt satis est notum; de quâ suadetur intellectus diuinus id ipsum iudicans. Constat autem, intellectum diuinum de identitate obiectiuâ Petri cum homine realiter indistincta à Petro, & homine suaderi: sed eodem prorsus modo se gerit intellectus creatus circa hoc obiectum: *Petrus est equus*, ac circa hoc: *Petrus est homo*, vt patet: Ergo perinde, dum illud iudicat, de identitate obiectiuâ suadetur à Petro, & equo indistincta ex conceptu suo obiectiuo. Quod erat probandum.

Sed estò sit possibile in nobis iudicium identificans intentionaliter extrema, quin vllam ipsorum identitatem obiectiuam attingat; atque idcircò dissonum suo obiecto, quandò extrema, quæ intentionalites identificat, realiter inter se sunt distincta; cōsonum autem, quando realiter sunt idem. Contra secundò. Huiusmodi dissonantia iudicij cum suo obiecto nihil confert ad propriam, & legitimam talis iudicij falsitatem; sicut neque consonantia ad propriam, & legitimam veritatem. Igitur appellare iudicium falsum, aut verum, quòd dissonet, aut consonet modo dicto obiecto, abusus vocabulorum est; non aliter ac si diceretur iudicium falsum; aut verum, quod entitatiuè est dissimile, aut simile obiecto iudicato. Consequentia est bona. Probo antecedens. Propria, & legitima falsitas iudicij affirmatiui, iuxta Arist. & omnes in eo stat; quòd obiectum affirmatum non sit tale in se re ipsâ, quale est obiectiuè; seu repræsentatiuè in mente affirmantis; sicut è contrà propria, & legitima veritas in eo, quòd obiectum tale realiter sit in se, quale obiectiuè est in mente affirmantis; sed ad hoc prædicta dissonantia, aut consonantia iudicij cum obiecto nihil præstat; siquidem cum illa oppositum potest coniungi. Ergo. Quòd autem cum illa oppositum possit coniungi patet in his duobus iudiciis: *Petrus est equus*: *Petrus est homo*; quorum primum dissonum est suo obiecto: secundum cōsonum modo prædicto; & nihilominus obiectum primi, iuxta Aduersariorū doctrinam tale est omninò obiectiuè in mente iudicantis, quale realiter in se: obiectum autem secundi non item. quandoquidem Petrus, & equus, qui soli sunt obiectum primi eo ipso in mente iudicantis amplius non sunt, quàm Petrus, & equus, quod ipsum realiter sunt in se: & Petrus, & homo, qui soli sunt obiectum secundi, eo ipso in mente iudicantis præcise sunt Petrus, & homo; cùm tamen in se realiter quid amplius sint, nempe identificati inter se. Quod est, suppositâ Aduersariorum doctrinâ, primum dictorum iudiciorum verum: secundum autem falsum esse veritate, ac falsitate propriâ, & legitimâ, etiamsi primum dissonum, secundum consonum modo prædicto obiecto sit; eoque titulo primum falsum, secundum verum abusiuâ falsitate ac veritate, quam Aduersarij ipsi intrudunt. Cumque stante dictâ aduersariorum doctrinâ, non possit non omnibus iudiciis idem accidere: quia eadem, quod ad rem attinet, omnium ratio est; Conficitur, quodcunque est falsum Aduersariorum falsitate, non posse non nostra veritate esse verum, respectiuè ad idem obiectum, & vice versa. Quod est mirabile.

Quod si repetant iterum, eam, quam adstruunt 53
dissonantiam iudicij cum suo obiecto, ad eius falsitatem, consonantiam autem ad eius veritatem sufficere,

ficere, seu (quod in idem recidit) iure optimo nomen falsitatis, atque veritatis mereri. Estò. Sed negare non poterunt, quam nos ex mente omnium, vt censemus; legitimam tum veritatem, tum falsitatem appellamus, à suaque diuersa est: iure etiam istud nomen mereri, maximè cùm iudicia diuina non illa, sed hac veritate sint vera, vt ex se, & ex dictis est notum. Hinc autem tota eorum doctrina corruit; nam cùm nostra veritas suæ falsitati non opponatur, nec suæ veritati nostra falsitas, sed potius (ipsorum doctrina suppositâ) in eodem iudicio relatè ad idem obiectum semper cohæreant, vt constat ex *num. præced.* fiet vtique, vt semper iudicium necessariò falsum ipsorum falsitate, necessariò etiam nostra veritate sit verum. Cur igitur, eius obiectum ab ea necessaria, & abusiua falsitate euadet impossibile, & non potius possibile ab hac necessaria, & legitima veritate? Sed demus rursus Aduersariis iudicium necessariò falsum eo genere falsitatis, quod ipsi introducunt, nullam mixturam legitimæ veritatis habere, iuxta ipsorum doctrinam.

54 Argumentor secundò, & probo apertè, talem iudicij necessariam falsitatem nihil conferre, vt obiectum iudicatum aliàs in se possibile, prout terminans tale iudicium sit impossibile: cùm enim obiectum ponatur in se possibile, & ipsum obiectum terminare tale iudicium sit etiam possibile; non potest non tale obiectum, prout terminans tale iudicium esse etiam possibile. Respondent breuissimè, esse quidem possibile possibilitate entitatis, impossibile verò impossibilitate veritatis; & pergunt ad alia. Miror tamen eos tam leuiter per hoc punctum transiisse, vbi procul dubio habet sedem tota ipsorum deceptio.

55 Vrgeo argumentum sic. Complexum ex iudicio necessariæ falsitatis, & ex obiecto terminãte ipsum potest existere. Ergo tale obiectum prout terminans tale iudicium potest existere: Ergo, vt sic non est impossibile, sed possibile. Distinguent rursus hoc vltimum consequens; nam cætera sunt certa in eorum sententia. Non est impossibile impossibilitate entitatis, concedent: impossibilitate veritatis, negabunt.

Sed contra primò. Impossibilitas veritatis talis obiecti prout terminantis tale iudicium non reddit ipsum obiectum impotens existere, vt est notissimum; siquidem cum tota sua necessaria falsitate tali veritati opposita, & potest existere, & sæpè etiam de facto existit, iuxta Aduersarios. Ergo nec reddit ipsum obiectum impossibile. Quippe solùm est impossibile, iuxta consensum omnium, quod non potest existere. Vnde iam incipit detegi illorum deceptio. Persistentes enim in abusione terminorum impossibile vocant, id, quod non potest esse verum sua illa veritate abusiua; non animaduertentes huiusmodi impossibilitatem, quam adstruunt consequenter esse abusiuam; quandoquidem id, quod impossibile reddit, non reddit impotens existere, prout reddere debet omnis legitima impossibilitas: qualis solùm est impossibilitas entitatis, quam vltrò, sed incautè negant.

56 Contra secundò. Esse impossibilem veritatem talis obiecti, vt terminantis tale iudicium aliud non est in sententia eorum, quàm esse impossibile, quod tale iudicium non sit suapte natura dissonum tali obiecto: ad eum modum, quo est impossibile, vt calor non sit suapte natura dissonus frigori. Ergo tam tale obiectum non à tali iudicio sortitur suam qualem qualem impossibilitatem tanquam à forma ipsum extrinsecè denominante impossibile eo præcisè, quod ipsum pariter necessariò falsum denominat, vti docebant; sed ab alia impossibilitate sibi etiam extrinseca, qua est impossibile, vt tale iudicium eidem obiecto sit consonum, cui per suam essentiam est dissonum; hæc enim consonantia impossibilis est veritas, quæ impossibilis dicitur, à cuius impossibilitate tale obiectum, vt terminans tale iudicium denominatur impossibile impossibilitate veritatis secundum solutionem datam. Pergo, & pono claritatis gratia obiectum intrinsecè possibile, extrinsecè verò impossibile esse A, iudicium autem, à quo ei impossibilitas prouenit esse B. Arguoque sic. Impossibilitas obiecti A, est extrinseca denominatio desumpta ab impossibilitate consonantiæ iudicij B. Impossibilitas autem consonantiæ iudicij B, eodem titulo, iuxta Aduersariorum doctrinam denominatio extrinseca erit desumpta pariter ab impossibilitate consonantiæ alterius iudicij, C, per quod est dissone iudibabilis. Rursusque impossibilitas consonantiæ iudicij C, extrinsecè desumetur ab impossibilitate iudicij D, & ita deinceps sine fine, fietque vt obiecta A, B, C, D, & cætera, totius infiniti processus extrinsecè denominentur impossibilia à forma nullibi, ne in se ipsa quidem intrinsecè reperta. Quod est chimericum. Ex quo patet, in Aduersariorum sententia, non solùm non habere locum impossibilitatem legitimam facientem impotens existere; sed neque abusiuam, quam ipsi adstruunt facientem impotens esse verum ea sua extrinseca veritate. Quod argumentis nuper factis contra talem veritatem, & falsitatem ei oppositam mirificè consonat.

57 Contra terò. Sumamus aggregatum omnium iudiciorum processum illum infinitum constituentium, vel, vt semel dicam, omnium excogitabilium obiectorum, nullo omnino dempto, & rursus instauro argumentum factum, datamque solutionem eius eodem ictu retundo. Nihil est in tali aggregato, quod non sit possibile entitatiuè, & intrinsecè, atque adeo potens existere: ergo nihil est in tali aggregato, quod sit impossibile, aut impossibilitate entitatis, quæ sola est legitima, quam in hac quæstione venamur; vtpote, quæ sola facit impotens existere aut impossibilitate veritatis, quam per vocabuli abusum, Aduersarij introducunt. Antecedens ipsissima est eorum doctrina; consequens quoad primam partem ipsi vltrò concedunt. Quoad secundam sic probo. Esse aliquid impossibile impossibilitate veritatis nihil est aliud, quàm aliquam eius excogitabilem veritatem esse impossibilem, vt patet: sed nihil est in dicto aggregato, cuius aliqua excogitabilis veritas sit impossibilis; siquidem omnis cuiusuis obiecti excogitabilis veritas obiectũ est itidem excogitabile, inclusũ in tali aggregato: & ponimus omne obiectum excogitabile in illo inclusũ esse possibile: Ergo nihil est tali in aggregato quod sit impossibile adhuc impossibilitate veritatis. Hoc tandem, ni fallor, clare demonstrat totam rem; nempe in Aduersariorum sententia neutiquam locum habere non solùm impossibilitatem legitimam impossibilium, quam iuxta sensum Doctorum omnium in præsenti venamur; sed ne illegitimam quidem, siue abusiuam, quam Aduersarij pro illa sua opinione intendunt supponere.

58 Ex quibus omnibus colliges, Aduersariorum deceptionem, in eo radicitus fundari; quod obiectum necessariò falsum propria, & legitima falsitate eo ipso est impossibile propria, & legitima impossibilitate faciente impotens existere: quia id, cui repugnat esse realiter tale, quale est obiectiuè in

mente

mente illud concipientis, eo ipso realiter non potest existere tale. Quod ipsum est tale obiectum propriè, & legitime este impossibile. Aduersarij autem incautè procul dubio putarunt, eamdem fortunam subiturum obiectum necessariò falsum eâ falsitate abusiuâ, quam ipsi excogitarunt. Quod tamen non ita succedit, vt vidimus; factumque est per eiusmodi falsitatis introductionem, vt non solùm è medio fuerit sublata legitima impossibilitas impossibilium; sed etiam, vt spuria, quæ pro illâ videbatur substitui penitus cum illâ euanuerit, vt satis ex dictis liquidum est.

60 Tertiò (quamuis dicta sufficerent) probo propositionem ab experientiâ. Primùm enim sæpè concipimus obiecta, quæ prout nobis obiectiuè apparent, entitatiuè, & intrinsecè impossibilia sunt, distinctaque proinde sunt ex proprio conceptu obiectiuo ab omni ente possibili; Dum enim secundum Deum negamus, ipsum vtique vt adæquatè condistinctum à verò Deo concipimus; quo pacto non potest non esse intrinsecè, & entitatiuè impossibilis. Similiter, dum Deum incorruptibilem, immortalem, incorporeum, impassibilem prædicamus, corruptionem vtique Dei, mortem, corporaturam, passionemue eius apprehendimus, quæ vtique ex conceptu suo intrinsecè impossibilia sunt, vtpote, quæ solius Dei propria, ab omnibusque possibilibus eiusdem generis condistincta nobis apparent, iuxta dicenda postmodùm. Ille etiam insipiens, qui dixit in corde suo, non est Deus; negationem Dei concepit intrinsecè impossibilem, sicut negationem immensitatis, libertatis, aut aliorum attributorum Dei, qui talia attributa illi negarunt. In præsenti etiam quæstione passim concipimus tam ipsi Aduersarij, quàm nos, id, quod dari nos affirmamus, & illi negant; hoc autem ipsissimus est conceptus obiectiuus entitatiuè impossibilis, ab omnique ente possibili condistinctus. Quamuis autem Aduersarij euncta hæc ita conantur explicare, vt nulli vnquàm intellectui se offerat in dictis, & similibus casibus aliquid obiectiuè, & entitatiuè impossibile. Eorum tamen explicationes alienæ sunt ab experientiâ, vt, qui eas viderit, deprehendet.

61 Deinde sæpe apprehendimus, pro libitoque apprehendere possumus conceptus obiectiuos, qui ex propriâ quiditate, & essentiâ cum aliis conceptibus possibilibus sibi essentialiter oppositis connexi sunt, qui proindè nequeunt non esse intrinsecè, & entitatiuè impossibiles. Tales sunt conceptus actionis Dei peccaminosæ; conceptus volitionis Dei efficacis de sua ipsius destructione; conceptus calefactionis oriundæ à frigore; conceptus identitatis Petri cum equo, & alij huiusmodi infiniti. Hic namque locum non habet doctrina Aduersariorum de coniunctione merè intentionali extremorum in se possibilium. Nam actio peccaminosa Dei suapte essentiâ obiectiuâ est actio Dei, non actio possibilis alterius agentis per apprehensionem Deo applicata. Volitio etiam efficax Dei de suâ destructione, vt est per suam essentiam volitio de solâ destructione Dei, & non de alio obiecto, ita est per suam essentiam volitio voluntatis diuinæ, & non alius principij. Similiter calefactio oriunda à frigore actio propria frigoris est; & identitas Petri cum equo identitas propria talium extremorum suopte conceptu essentiali. Itaque huiusmodi conceptus esse ab intrinseco impossibiles non videtur negari posse. Adde, cùm Deus, & nos etiam simul concipimus omnia possibilia, multa intrinsecè impossibilia eo ipso concipere. Talia enim sunt omnia aggregata extremorum seorsim possibilium; ita tamen inter se oppositorum, vt simul existere non possint.

Præterea. Potest creatura positiuo desiderio desiderare destructionem Dei. Potest item desiderare, Deum comprehendere, & alia huiusmodi impossibilia: Hæc autem esse impossibilia ab intrinseco inde probatur. Quia nec dici potest, per talia desideria tendere voluntatem in obiecta possibilia prout terminantia iudicium eis dissonum; cùm longe diuersum sit, quod desiderat, vt ex se patet; Nec dici potest; voluntatem per tales actus merè intentionaliter coniungere obiecta in se possibilia, sicut coniungit intellectus, vt ex dictis nuper est notum: Igitur potest intellectus creaturæ eiusmodi obiecta intrinsecè impossibilia apprehendere, & ea proponere voluntati. 63

Quartò probatur propositio. Nam ex oppositâ sententiâ sequitur, innumeras propositiones conditionatas de conditione impossibili, quæ iuxta sententiam omnium sunt veræ, veras non esse; & quæ sunt falsæ, non esse falsas. Etenim hæc propositio e. g. *Si Deus non existeret, creaturæ non existerent*, omnium consensu vera est; & tamen in Aduersariorum sententia est falsa: facit enim hunc sensum: *Si Deus sinistrè sit conceptibilis non existens, creaturæ non existent.* Respondebunt, in suis principiis non facere nisi hunc: *Si Deus sit conceptibilis non existens, creaturæ erunt conceptibiles non existentes.* Sed contrà primò: quia talis sensus ab omnium mente alienus est. Quis namque hactenus sub datâ hypothesi conceptibilitatem de non existentiâ creaturarum intendit affirmare; & non potiùs ipsarum realem existentiam negare? Quemadmodum in his, & aliis similibus propositionibus: *Si Petrus non esset possibilis non existeret: Si non existeret actio, non existeret terminus*, planè agitur de reali non existentiâ conditionati, non de illius cognoscibilitate. Contrà secundò, quia iuxta Aduersariorum, tùm sententiam, tum datæ propositionis expositionem, hæc propositio necessariò, & manifestè falsa: *Si Petrus non esset possibilis, nihilominus existeret* hunc redderet sensum, qui verus est: *Si Petrus est conceptibilis non possibilis, nihilominus tum existit; tum est conceptibilis existens.* Pariterque in similibus. 64

Quintò. Quia ex oppositâ sententiâ sequitur, consequentias apud omnes legitimas malas esse. Quod est absurdum: omnes enim bonam reputant hanc consequentiam: *Petrus non est possibilis: ergo Petrus non existit*; quæ nequit non esse mala, iuxta sententiam dictam; cùm faciat hunc sensum: *Petrus sinistrè est conceptibilis non possibilis: ergo Petrus non existit.* Pariterque in similibus. 65

Sextò. Quia per aduersam sententiam modus ille legitimus arguendi à contradictorio consequentis bonæ illationis, ad contradictorium antecedentis è medio tollitur. Quod est absurdum. Semel enim factâ hac bonâ consequentiâ: *Petrus existit: ergo Petrus est possibilis*: ex contradictorio consequentis contradictorium antecedentis nô licebit inferre; tum quia iuxta sententiam dictam non datur contradictorium obiectiuum consequentis, cùm id sit impossibile; tum quia, si iuxta Logicæ regulas ita fiat illatio: *Petrus non est possibilis: ergo Petrus non existit*, mala erit; cùm sensus eius sit, iuxta eamdem sententiâ *Petrus sinistrè est conceptibilis non possibilis: ergo Petrus non existit*; tantumdemque euenit in similibus. 66

66 Septimò. Quia pariter per aduersam sententiam modus ille arguendi potissimus in scientiis humanis, per deductionem ad impossibile è medio penitus tollitur. Quod est absurdissimum: cùm vix possimus sine illo pedem mouere, tum in scientiis demonstratiuis, tum in aliis quibusque. Etenim ad arguendum hoc modo. Primò concipiendum, iupponendumque est contradictorium obiectiuum propositionis probandæ; deinde ex eo est discurrendum per legitimas consequentias, quousque inferatur aliquid impossibile oppositum alicui veritati aliunde demonstratæ, seu certæ. Neutrum autem in sententia aduersa habet locum: quia in scientiis plerisque, vbi de necessariis veritatibus agitur; nec datur contradictorium obiectiuum propositionis probandæ; cùm id sit quoddam impossibile; nec vllum potest inferre impossibile oppositum veritati aliàs certæ: cùm omne impossibile entitatiuè sit possibile. Sit exemplum. Post demonstratam ex creaturis hanc propositionem: *Deus est causa prima*: Pergat quis ad demonstrandam hanc: *Deus extitit ab æterno*, hoc pacto: *Si Deus non existit ab æterno: ergo incæpit existere in tempore: ergo accepit ab alio existentiam, quam antea non habebat: ergo est ens ab alio: ergo non est causa prima: at hoc est impossibile, cum iam sit statutum, vt certum, esse causam primam: ergo, & illud ex quo sequitur: Deus igitur extitit ab æterno.* Discursus optimus secundum omnes; in sententia autem Aduersariorum pessimus. Nam prima illa propositio sumpta pro antecedente discursus: *Deus non extitit ab æterno*; apud Aduersarios hæc est quoad sensum: *Deus terminat cognitionem sibi dissonam* (diuidentem scilicet intentionaliter à Deo existentiam eius æternam.) Ex hac autem perperam infertur: *ergo Deus incæpit existere in tempore*; & cætera, quæ sequuntur, vt patet. Deinde illud vltimum consequens: *Deus non est causa prima*, apud Aduersarios est hoc quoad sensum: *Deus terminat cognitionem sibi dissonam* (similem præcedenti) hoc autem non est impossibile oppositum illi propositioni aliunde notæ: *Deus est causa prima*, prout ad concludendum discursum requirebatur, vt etiam patet. Modum igitur arguendi ab absurdo impossibili è medio tollunt Aduersarij suâ sententiâ. Quod erat probandum. Tam, quàm sit falsum, quod secum fert eorum sententia, nimirum propopositiones, & iudicia contradictoria nullatenus esse opposita ex parte obiecti, sed præcisè ex modo tendendi, quando materia est necessaria tum ex se, tum ex incommodis tactis, & aliis innumeris; tum ex omnium consensu oppositio satis apparet.

67 Octauò demum. Sæpissimè dubitamus de obiecto proposito, num illud sit impossibile, vel possibile. At dubitabile non est, num illud terminare possit quamlibet cognitionem sibi dissonam: igitur eius impossibilitas non stat in eo, quòd aliquam possit cognitionem sibi dissonam terminare, vt dicunt Aduersarij. Quin imò eorum sententia supposita, omnis quæstio de possibilitate, aut impossibilitate cuiusuis obiecti cessat; siquidem iuxta eam omne obiectum est entitatiuè possibile, & extrinsecè impossibile ab aliqua cognitione sibi dissona, quam potest terminare; vt vidimus *n.* 47.

68 Postremò. Ex nullo capite repugnat, vt ex solutione argumentorum patebit, concipi ab intellectu obiectum non potens existere sine aliquo alio conceptu possibili sibi oppositio; sed tale obiectum eo ipso erit chymera impossibilis obiectiua, ab omni ente possibili condistincta, vt ex dicendis *prop.* 2. compertum fiet: ergo ex nullo capite repugnat; intelligibilem esse talem chymeram; quæ eo ipso aliquid erit ex parte obiecti se habens ab omni ente possibili condistinctum. Sublata autem repugnantia concipiendi tales chymeras: confestim fit indubitabile, omnes, quæ concipiuntur de facto eiusmodi esse, vt Aduersarij ipsi concedent, fundantes vnicè suam sententiam in eiusmodi repugnantia. Mitto plura: quia satis, superque conuincunt dicta talis sententiæ falsitatem.

Diluuntur argumenta contraria.

Verum contra nostram, & communem obiiciunt 69
Aduersarij primò. Nullum obiectum per se ipsum fert secum duo contradictoria: ergo nullum obiectum per se ipsum est impossibile. Consequentia est bona, vt talisque ab Aduersariis sine probatione relinquitur. Antecedens autem probant: quia nullum obiectum per se ipsum fert secum duo contradictoria actualiter: quia id esset cum illis absolutè existere, quod repugnat; nec possibiliter: quia id esset posse cum illis absolutè existere, quod etiam repugnat; sed nec fert conditionatè ex hypothesi, quòd existeret: quia id esset conditionatè verum esse, extitura duo contradictoria, si illud existeret; hoc autem verum esse non potest: quia de facto darentur duæ propositiones contradictoriæ simul veræ: quod etiam repugnat. Etenim si verum est, e.g. casu, quod secundus Deus existeret, extiturum simul ipsum, & non exiturum, hæc propositio est vera de facto: *Secundus Deus existeret. si existeret*; tum etiam hæc: *Secundus Deus non existeret, etiam-si existeret*, quæ sunt contradictoriæ.

Sed primum miror Aduersarios non aduertisse, 70
hoc argumentum contra omne simpliciter impossibile militare, siue illud ab intrinseco, siue ab extrinseco tale sit, atque adeò ab ipsis etiam solui debere. Si enim de ratione cuiusuis simpliciter impossibilis est implicare contradictionem, seu ferre secum duo contradictoria: vti cum omnibus Doctoribus Aduersarij ipsi supponunt. Quid ad rem interest, quòd illud contradictionem implicet, aut secum ferat duo contradictoria ab intrinseco aut ab extrinseco? quando argumentum eò tendit directè, vt huiusmodi implicationem contradictionis è medio tollat, cuicunque demum impossibili ea conuenire dicatur, prout satis ex se apparet. Deinde omitto aliorum solutiones, qui perperam propositiones conditionatas de conditione impossibili interpretantur. Præterea dico, posse impossibile simpliciter secum ferre duo contradictoria in statu quiditatiuo, tum absoluto, tum conditionato ante statum conditionatum existentialem, qui casus in argumento facto sunt prætermissi; sed hic non hæro. De quo posteà.

Respondeo igitur ad argumentum ipsum pro om- 71
nibus concedendo: quoduis simpliciter impossibile conditionatè ferre secum duo contradictoria; quatenus verum cõditionatè est, ambo ea extitura simul, si illud existeret. Itaque verum conditionatè est, si existeret secundus Deus; extiturum ipsum simul, & non extiturum, hinc tamen non sequitur, dari de facto duas propositiones contradictorias simul veras: quæ enim in argumento exhibentur non sunt contradictoriè oppositæ. Nam, vt *supra disput. 3. quæst. 4. & disput. 9. q. 5. propos. 1.* explicauimus, ad oppositionem contradictoriam, tum propositionum

cum

cum obiectorum earum,necessarium est, vt per positionem vnius ex extremis contradictionis simpliciter , & vndequaque impediatur positio alterius. Quod in nostro casu non euenit : quia licèt positio secundi Dei impediat quatenus est ex se eius non positionem:in casu tamen nostro simpliciter,& vndequaque non impedit : quia aliunde fert illam secum conditio posita in hypothesi. Ex hypothesi enim,quòd secundus Deus existeret,vtrumque esset verum , & quòd secundus Deus in rerum naturâ esset positus , & quòd non esset positus. Vnde istæ propositiones ambæ sunt veræ. *Si existeret secundus Deus , existeret: Si existeret secundus Deus, non existeret*;proindeque non sunt contradictoriæ,nisi addatur alteri earum particula *tantùm* , aut alia æquialens,quâ denotetur eius tantùm obiectum sub data hypothesi verum esse ; non item obiectum alterius : quo pacto erit falsa. De quo vide plura dicta *loco citato.*

72 Verùm contra hanc solutionem ex mente eorumdem Aduersariorum potest sic obiici.Existētia, & non existentia secundi Dei ex proprio conceptu, & essentiâ sunt termini mutuò se se excludentes formaliter:Ergo,& contradictoriè oppositi;sed sub quacunque hypothesi enuncientur , retinent suam essentiam. Ergo sub quacunque hypothesi enuncientur,contradictoriè opponuntur.Ergo prædictæ propositiones contradictoriè oppositæ sunt ; & tamen ambæ sunt veræ.Quod est absurdum. Concesso primo antecedente : distinguo primum consequens. Ergo & contradictoriè oppositi absolutè, concedo: sub hypothesi inferente vtrumque,nego,& concessâ subsumptâ,nego cæteras consequentias. Etenim oppositio contradictoria,vt dicebam,secum fert exclusionem omnimodam alterius ex extremis contradictionis : hanc autem habent dicti termini in statu absoluto;secùs in conditionato prædicto ; tametsi in vtroque æquè retineant suam essentiam ; quandò enim hypothesis infert vtrumqum,ita ex vi essentiæ vniuscuiusque excluditur alter, vt simul ponatur ex vi hypothesis. Quo fit , vt ex hypothesi non detur omnimoda exclusio eius , prout ad oppositionem
73 contradictoriam requirebatur.Sicuti datur absolutè.

Inferet aliquis. Ergo impossibile simpliciter non fert secum duo contradictoria contradictoriè opposita. Quod contra omnes est, & absurdum ; inde enim fieret , vt impossibile non esset impossibile. Distinguo consequens illatum:impossibile simpliciter non fert secum duo contradictoria contradictoriè opposita, relatè ad eum statum, in quo illa verè fert secum impossibile, concedo;contradictoriè opposita relatè ad statum existentiæ absolutæ , nego. Et hoc est quod omnes sentiunt ; quodque vitat absurdum. Itaque èxistentia,& non existentia secundi Dei absolutè sunt extrema contradictoriè opposita; absolutèque proinde nequeunt simul existere ; & consequenter neque secundus Deus inferens illa absolutè potest existere ; quòd ipsum est esse eum omnino impossibilem. Hoc tamen non tollit, fore vt ambo illa simul existerent ex hypothesi impossibili , quòd secundus Deus existeret. Quod est illa sub tali hypothesi contradictoriè non opponi. Dico autem illa sub tali hypothesi contradictoriè non opponi, quatenus sub tali hypothesi non exercetur in illis munus contradictoriæ oppositionis , in eo stans , vt per alterum ex extremis contradictionis omnimodis impediatur,seu excludatur alterū , quod sub tali hypothesi non euenit:vt explicatum est;cæteroquin prædicta extrema etiam sub tali hypothesi dici poterunt contradictoriè opposita , quatenus alterutrum de suo formaliter est exclusio alterius.

Vrgebis. Sine vllo inconueniente , atque adeò 74
simpliciter,& absolutè potest existere id, cuius existentia supposita,nullum manet incōueniens,quod tali existentiæ posset obstare.Sed supposita existentia secundi Dei , nulla manet iuxta doctrinam datam contradictio exercita extremorum , quæ sola posset esse inconueniens obstans tali existentiæ:ergo secundus Deus sine vllo inconueniente , atque adeò simpliciter,& absolutè potest existere. Quod est absurdum.

Solerter est hic cauenda fallacia.Respondeo:hoc 75
ipsum,quod est,non manere contradictionem exercitam inter extrema de suo contradictoria ex suppositione,quòd existeret secundus Deus,esse inconueniens obstans existentiæ non conditionatæ , sed absolutæ secundi Dei , & consequenter potentiæ eius ad existendum absolutè.Nam,quod nequit existere absque eo quòd duo contradictoria non exerceant contradictionem, seu,quod est idem , absque eo, quod duo contradictoria simul existant,eo ipso absolutè nequit existere;siquidem duo contradictoria non possunt absolutè simul existere ; quod ipsum est,non posse absolutè non exercere contradictionem. Ex quo patet,ipsum non exercere contradictionem contradictoria extrema ex suppositione existentiæ secundi Dei esse inconueniens obstans existentiæ absolutæ eius , quamuis,non sit obstans existentiæ eius conditionatæ ; siquidem non tollit, extiturum secundum Deum ex hypothesi , quòd existeret, quòd ex eâdem hypothesi extitura itidem forent duo contradictoria. Vnde ad argumentum in formâ , concessâ maiore,& priore parte minoris; nego posteriorem ; nempe , solam contradictionem exercitam extremorum manentem ex suppositione existentiæ secundi Dei posse tali existentiæ obstare; potiùs enim nihil ea obstaret,si maneret. Nam cùm contradictio exercita in eo stet , quòd alterum extremorum contradictoriorum tantùm existat,altero penitus impedito ; si ex suppositione existentiæ secundi Dei maneret contradictio exercita,hoc est, alterum tantùm existeret ex extremis contradictoriis,vtique secundus Deus quid possibile esset.Quoniam omne id possibile est,quod si existat cum altero tantùm contradictoriorum,existet ; Quod ipsum alio sensu est,sine contradictione existet:hoc est sine coniuncto extremorum de suo contradictoriorum.

Rursus opponunt Aduersarij sequi ex doctrinâ 76
nostrâ dari de facto duo contradictoria simul , & absolutè existentia , quod manifestè est impossibile.Sumamus,enim , ex iis extremis contradictoriis, quæ simul existerent , si existeret secundus Deus, illud,quod absolutè existit. Tum sic.De tali extremo verificatur absolutè,esse illud idem secum,vt patet; deinde etiam verificatur absolutè , non esse illud idem secum. Ergo. Probatur hæc minor:quia absolutè habet tale extremum prædicatum extituri sub hypothesi , quòd secundus Deus existeret. Ergo prædicatum distincti à non extituro sub tali hypothesi ; aliundeque nos dicimus , illud ipsum sub tali hypothesi non extiturum. Ergo absolutè habet prædicatum distincti à se ipso , & consequenter secum ipso idem non est. Concessis , aut admissis reliquis ; nego prædicatum extituri sub dicta hypothesi conueniens dicto extremo , esse prædicatum distincti à non extituro sub eadem. Quo cessat tota obiectio. Quo enim titulo concedam esse distincti, si dico,idem extremum verè extiturum,& simul non extiturum sub tali hypothesi?

77 Adhuc tamen contra dicta potest sic obiici. In statu conditionato possunt duo contradictoria verè simul existere, quamuis alterum sit formalis exclusio alterius: quia, quod alterum excludit ponit hypothesis. Ergo etiam poterunt verè simul existere in statu absoluto, aliunde pariter posito per potentiam Dei; quod per alterum formaliter excluſum est. Nego consequentiam. Ratio discriminis est: quia dari absolutè à parte rei duo extrema simul, quorum alterum est formaliter destructio, siue non esse alterius euidenter est impossibile, atque adeò sub nullam potentiam physicam cadens. At apprehendi simul ab intellectu talia extrema non est vnde repugnet, quidquid autem ab intellectu apprehendi potest; eo ipso potest poni in hypothesi, siue supponi per hypothesim re ipsâ esse, vt apprehenditur; semel autem facta hypothesi de existentiâ cuiuscunque apprehensi, nequit non esse proximè verum, & iudicabile ipsum existere ex tali hypothesi, quæ omnia vel ipsâ experientiâ, & ex ipsis terminis constant. Vnde perspicuè patet, quomodò possit esse verum, & iudicabile, extitura simul duo contradictoria ex hypothesi, quod existerent simul; quamuis ea absolutè simul existere, verum esse non possit. Quod si ex hypothesi coniuncti duorum contradictoriorum potest esse verum, ea simul existere, etiam poterit ex hypothesi cuiusuis alterius obiecti ab intellectu conceptibilis, quod sine ambobus nequit existere.

78 Venio ad secundum argumentum, quo suam sententiam contra nostram propositionem Recentiores stabilire conantur in hunc modum. Re obiecto distincto ab omni ente possibili nullomodò potest verificari esse intelligibile: Ergo tale non est. Consequentia est bona. Antecedens probant: quia talis verificatio fundari debet in identitate talis obiecti cum intelligibili, vt constat. Sed tale obiectum non identificatur cum intelligibili actualiter; non possibiliter, vt etiam constat: quia tale obiectum, aut esset absolutè existens, aut esset possibile contra suppositionem. Supponitur enim, tale obiectum ab omni possibili distingui. Sed neque identificatur cum intelligibili conditionatè: quia darentur duo contradictoria conditionata simul vera, vt per argumentum præcedens in simili probatum est. Ergo nullomodò obiectum distinctum ab omni ente possibili identificatur cum intelligibili. Quod ipsum est nullomodò intelligibile esse. Hoc argumentum fermè in præcedens recidit quoad substantiam, tametsi sub diuersis terminis. Respondeo facilè, obiectum distinctum ab omni ente possibili intelligibile esse, tum in statu suo quiditatiuo absoluto, & conditionato, qui verus eius status est, vt constat ex superius *dictis disp.* 10. *q.* 1. & 4. tùm in statu suo conditionato existentiali, qui etiam est verus; vt etiam constat ex dictis ibidem, & circa argumẽtum præcedens: atque ita in talibus statibus esse idem cum intelligibili eo ipso, quòd in illis idem est secummet. Quomodo autem, hinc non sequatur dari de facto duas propositiones contradictorias simul veras, aut conditionatas, aut absolutas satis superque etiam est notum per dicta circa præcedens argumentum. Aliaque quædam, quæ pro huius confirmatione adiungunt Aduersarij ex dictis manent satis diluta. Ex quibus omnibus vnicuique licebit colligere, leuioribus sanè momentis permotos esse, quam par esset, in tam singularem sententiam.

Propositio 2.

Omnis chymera impossibilis ex eo talis est, quòd ex proprio conceptu obiectiuo sine aliquo alio conceptu possibili, & sibi oppositò existere nequit.

Demonstratur facilè. Quoniam omnis chymera 79
impossibilis titulo talis sine duobus extremis contradictoriis nequit existere, vt constat ex principiis statutis suprà *n.* 45. & 46. Alterum autem ex extremis contradictoriis non potest non de facto existere, atque adeò esse possibile, alias ambo simul deficerent contra illud principium euidentissimum; *Quodlibet est, vel non est.* De quo suprà *disp.* 9. *q.* 5. *proposit.* 1. Tum extremũ contradictorium existens, atque adeò possibile, alteri opponitur immediatè, mediatèque subinde chymeræ non potenti existere sine illo; quandoquidem quidquid alicui opponitur, & ei quod sine hoc nequit esse opponatur necesse est; vt satis ex se est notum, & demonstrabimus *infrà disp.* 14. *q.* 4. Igitur omnis chymera impossibilis hoc ipso, quod nequit existere sine duobus extremis contradictoriis, necesse est, vt nequeat existere sine aliquo conceptu possibili, quale est alterum ex dictis extremis, oppositò sibi medio altero; quod erat demonstrandum. Ex quo patet, nullam omnino chymeram impossibilem esse, quæ prorsus extra ditionem conceptuum possibilium eat, neque relatè ad aliquem conceptum possibilem, seu positiuum, seu negatiuum suam impossibilitatem sortiatur.

Obseruandum tamen est primò, conceptum il- 80
lum seu positiuum, seu negatiuum sine quo chymera nequit existere sæpè esse talem, qui sine alio, vel aliis conceptibus etiam possibilibus nequit existere, sine quibus subinde, etiam chymera ipsa nequibit existere, vt patet. Satis autem est ad impossibilitatem chymeræ, quòd aliquis ex conceptibus possibilibus, sine quibus ea existere nequit, quicumque ille sit, sit illi oppositus: eo enim ipso inseret ille contradictorium chymeræ, ac proindè chymera non potens existere sine illo, sine suo contradictorio, & consequenter sine duobus contradictoriis nequibit existere: cùm alias nequeat existere sine se. Potrò conceptus possibilis chymeræ oppositus, aut potest esse oppositus ei immediatè, aut medio alio quopiam, sine quò illa nequit existere; quilibet autem ex his modis oppositionis ad impossibilitatem eius etiam sufficiet, dummodò oppositio sit metaphysica, seu essentialis. De hâc enim solùm impræsentiarùm sermo est.

Secundò obseruandum est: bifariàm euenire pos- 81
se, vt chymera nequeat existere sine alio conceptu possibili sibi oppositò. Primò: quia talis conceptus aliundè necessariò existit; proindeque nihil aliud nisi coëxistendo illi potest existere. Huiusmodi autem solus Deus est, vt qui necessariò existit, & negationes chymerarum impossibilium, quæ necessariò etiam censentur existere (quâ ratione *supra disp.* 9. *quæst.* 3. explicatum est, cuius doctrinam semper supponimus, quoties de existentiâ negationum loquendum occurrit.) Secundò: quiâ cùm existentia talis conceptus suapte natura, & essentia est connexa chymera, eoque titulo ea nequit existere, nisi ille etiam existat. Priori modo secundus Deus chymericus, sine vero Deo sibi essentialiter oppositò, atque etiam sine sui negatione existere nequit. Posteriori autem modo, calefactio chymerica oriunda

à

à frigore, sine ipso frigore sibi essentialiter oppositio nequit existere. Tum coniunctum chymericum ex duobus contradictoriis sine alterutro eorum, quando ambo sunt possibilia, aut sine possibili, quando alterum est impossibile; & cætera huiusmodi sexcenta.

82 Tertiò obseruandum est: oppositionem metaphysicam repertam inter chymeram, & eum conceptum possibilem sine quo ea nequit existere; aut posse esse contradictoriam; qualis est inter quamlibet rem, & negationem eius; aut posse esse contrariam contradictionem inferentem; qualis est inter quamlibet connexionem metaphysicam, & negationem termini eius; inter extrema non vnibilia, & eorum vnionem; & multorum sententia inter assensum, & dissensum eiusdem subiecti, & obiecti: inter peccatum mortale, & gratiam; inter aliaque huiusmodi. Quæuis autem oppositio contraria reperta inter chymeram, & prædictum conceptum sufficit ad impossibilitatem illam, dummodò ea sit metaphysica, iuxtà diuisionem eius faciendam *infrà disputatione* 14.

83 Quartò obseruandum est: chymerarum impossibilium alias esse simplices physicè, hoc est, ex nullis partibus physicè distinctis compositas: alias complexas, siue compositas ex partibus distinctis physicè. Prioris generis sunt secundus Deus, volitio peccaminosa Dei veri, calefactio indiuisibilis extremorum non vnibilium, & aliæ huiusmodi. Posterioris autem generis sunt, coniunctum ex duobus extremis contradictoriis, coniunctum ex duobus extremis contrariis metaphysicè, compositum per vnionem chymericam ex extremis non vnibilibus, compositum per identitatem ex extremis distinctis, calefactio diuisibilis oriunda à frigore, cognitio diuisibilis reddens lapidem cognoscentem; & similes.

84 Quintò obseruandum est; chymerarum impossibilium alias esse purè impossibiles, hoc est, nihil in suo conceptu includentes, quod sit possibile: alias non purè impossibiles, id est, aliquid in conceptu suo includentes, quod sumptum seorsim possibile est. Prioris generis sunt, omnes chymeræ physicè simplices; & ex complexis eæ, quarum omnes partes seorsim sumptæ sunt impossibiles, comprehendendo nomine partium etiam vniones. Posterioris autem generis sunt reliquæ omnes complexæ, siue compositæ. Harum autem quædam sunt, quarum omnes partes, nullâ demptâ, seorsim acceptæ sunt possibiles; totaque subindè earum impossibilitas stat in coniuncto talium partium, cuiusmodi sunt complexum ex duobus extremis contradictoriis contingentibus, vt ex Petro, & eius negatione; & complexum ex duobus extremis contrariis seorsim possibilibus, vt ex actione, & negatione termini eius, ex assensu, & dissensu, &c. Aliæ sunt, quarum aliqua, aut aliquæ partes sunt impossibiles, reliquæ autem possibiles. Nimirum complexum ex frigore, & calefactione chymericâ oriunda ab ipso: Complexum ex extremis possibilibus non vnibilibus, & vnione eorum chymericâ: complexum ex Petro, & equo, & identitate eorum chymericâ; complexum ex animali, & rationali, & distinctione eorum chymericâ; ac demum omne complexum ex partibus, quarum aliæ purè impossibiles, & aliæ possibiles sint. His statutis, quæ omnia sunt certa, & conspicua, sit.

Propositio 3.

Pleræque chymerarum impossibilium, tam à cognoscentibus per proprias species, atque adeò à Deo, quàm à cognoscentibus per species alienas conceptibiles sunt. Nonnullæ tamen à solis cognoscentibus per species alienas, atque adeò per aliena substituta, vti nos pro præsenti statu cognoscimus, sunt conceptibiles.

Vt, enim constat ex dictis *disp.* 10. *q.* 4. sub initium: chymeræ, quæ in suo conceptu obiectiuo inuoluunt identitatem confictam extremorum re ipsâ distinctorum; aut distinctionem confictam extremorum re ipsâ identificatorum à cognoscentibus per proprias species non sunt conceptibiles; benè tamen à cognoscentibus per alienas ob rationem allatam *ibi*. Cæteræ verò, ferè omnes chymeræ ab vtrisque conceptibiles sunt; nempe secundus Deus confictus, actio peccaminosa Dei; calefactio oriunda à frigore; vnio extremorum non vnibilium; aggregatum extremorum metaphysicè oppositorum, & cæteræ huiusmodi, quæ neque identitatem confictam extremorum re ipsâ distinctorum, neque distinctionem confictam extremorum identificatorum re ipsa, neque aliud quidpiam, quod in se non sit conceptibile inuoluunt in conceptu suo. Vniuersaliter enim quæcunque in se ipsis conceptibilia sunt, etiam à cognoscentibus per species proprias concipi possunt; secùs verò, quæ non in se, sed tantùm in substitutis alienis sunt conceptibilia, prout dictū est *loco citato*. 85

Vnde constat: chymeras in se, atque adeò per species proprias conceptibiles, in se, & de suo habere veras essentias obiectiuas, veraſque passiones intra statum quiditatiuum, aut etiam intra existentialem conditionatum verè iudicabiles, & scibiles à quolibet intellectu, etiam diuino; necnon veras earum negationes à parte rei dari, quatenus verè, quoad existentiam à quouis etiam intellectu negabiles sunt. Quod vtrumque alienum est ab aliis chymeris, quæ non in se, sed in alienis substitutis; atque adeò per species alienas conceptibiles sunt. Quare: quoties circa has, aliquas nos propositiones veras proferimus, aut aliqua iudicia vera formamus, ea quidem, non à veritate obiectiuâ, quam in se habeant tales chymeræ, euadunt vera, sed à veritate obiectiuâ aliorum obiectorum, quam illæ supponunt, prout pluribus *loco citato* explicatum est. Cæterum, quia vtræque eiusmodi chymeræ, in iis veritatibus fermè conspirant, quæ titulo impossibilitatis illis conueniunt; tametsi chymeris prioris generis per se, & formaliter; posterioris verò per æquiualentiam tantùm conueniant; de vtrisque quod attinet ad tales veritates, eodem modo in sequentibus philosophandum erit, dum opus non fuerit speciatim aliquid adnotare. 86

Itaque, de secundo Deo chymerico cum veritate dicitur, cum veritateque iudicatur à quouis intellectu, esse secundum Deum: esse impotentem ad existendum; atque adeò chymericum; esse connexum quoad existentiam cum duobus contradictoriis; atque adeò impossibilem: esse distinctum à vero, & vnico nostro Deo; coëxturum duobus contradictoriis, si existeret; & cætera huiusmodi, quæ illi ex suo conceptu obiectiuo; atque adeò quiditatiuè vere conueniunt. Tantumdemque pariter venit dicendum de cæteris chymeris, quæ in se ipsis; atque adeò per proprias species conceptibiles sunt iuxta dicta. 87

Ex his sequitur primò. Eiusmodi chymeras, quo pacto veritatem habent quiditatiuam; & consequenter existentialem conditionatam quiditatiuæ annexam, obiecta quædam vera quiditatiuè, atque etiam existentialiter conditionatè dici posse: chymerica tamen, & impossibilia, quia illud *esse* quiditatiuum, quod ex conceptu suo habere dicuntur, conditionatumque quod haberent ex hypothesi, quòd existerent, ad statum existentialem absolutum nullomodò reduci potest. Quo solùm titulo communiter dici solent, loquendo absolutè, obiecta, ficta, aut etiam necessariò falsa: cùm tamen quoad *esse* suum quiditatiuum, existentialeque conditionatum quiditatiuo annexum talia non sint; sed tantùm quoad *esse* existentiale absolutum, cùm concipiuntur absolute existentia.

89 Secundò sequitur: contradictionem, quam sibi habere annexam dicuntur eiusmodi chymeræ, non esse contradictionem spectantem ad statum quiditatiuum, aut existentialem conditionatum quiditatiuo annexum; alioquin intra tales status non essent vera obiecta; sed tantùm spectantem ad statum existentialem absolutum, intra quem dumtaxat, quando intra illum concipiuntur, obiecta sunt falsa. Quemadmodùm impossibilitas; quam habent oriunda ab impossibilitate talis contradictionis, non est impotentia ad habendum *esse* quiditatiuum, aut conditionatum existentiale, quod verè habent, & ad quod habendum subinde potentes sunt; sed tantùm ad habendum *esse* existentiale absolutum, quod nullatenus habere possunt. Supponimus enim impræsentiarùm, contradictoriarum oppositionum, alias ad statum quiditatiuum, eumque aut absolutum, aut conditionatum; alias ad statum existentialem, eumque similiter aut absolutum, aut conditionatum pertinere: Vnicuique autem earum vtrumque extremùm intra vnum, & eumdem statum ad quem illa pertinet, esse debere, iuxta dicta *disp.* 10. *q.* 5. *propositt.* 14.

90 Sunt tamen præterea, alia obiecta chymerica ex genere præsertim conceptibilium dumtaxat per species alienas, quæ non solùm intra statum existentialem absolutum; sed etiam intra statum quiditatiuum absolutum, & existentialem conditionatum ipsi quiditatiuo annexum necessariò sunt falsa; atque adeò connexa, non solùm cum contradictione pertinente ad statum existentialem absolutum; sed etiam cum pertinentibus ad statum quiditatiuum absolutum, & ad statum existentialem conditionatum ipsi annexum. Huiusmodi sunt hæc: *Petrus est lapis: Si Petrus existeret, esset lapis*, & similia. Quæ proinde bifariam dici possunt; aut etiam solent impossibilia, & chymerica. Primò, quia carent potentia ad existendum absolutè. Secundò, quia carent potentia ad essendum id, quod falsò dicuntur esse, tùm in statu quiditatiuo absoluto, tum in statu existentiali conditionato ipsi quiditatiuo annexo. Habent tamen nihilominus istæ etiam chymeræ suas obiectiuas veritates ad alios earum status spectantes: nempè quiditatiuam conditionatam, & existentialem etiam conditionatam annexam tali quiditatiuæ. Nam quamuis obiecta ista necessariò sint falsa: *Petrus quiditatiuè est lapis: Si Petrus existeret, existentialiter esset lapis*: hæc tamen necessariò sunt vera: *Si Petrus quiditatiuè esset lapis, quiditatiuè esset lapis*: *Si Petrus existentialiter esset lapis existentialiter esset lapis*; ita tamen est verum, Petrum fore lapidem ex hypothesi, quòd esset lapis; vt etiam sit verum non fore: quia cùm Petrus essentialiter non sit lapis, ex hypothesi, quòd lapis esset, vtrumque contradictorium sequitur; sicut quià secundus Deus essentialiter est non existens, ex hypothesi, quòd existeret, vtrumque contradictorium sequitur; nempe existere eum, & non existere. Ob id dixi, prædicta obiecta chymerica, etiam cum contradictione spectante ad statum quiditatiuum absolutum, & ad existentialem conditionatum annexum ipsi connexa esse.

Hinc sequitur tertiò, obiectorum impossibilium 91
quædam esse impossibilia, atque adeò chymerica vno titulo; quædam duobus. Vno quidem, quæ tantùm habent sibi annexam contradictionem spectantem ad statum existentialem absolutum, eoque iure impotentiam habent ad existendum absolutè, conceptaque, vt absolutè existentia necessariò sunt falsa. Duobus autem, quæ insuper habent annexam sibi contradictionem spectantem ad statum quiditatiuum, eoque iure insuper habent impotentiam ad essendum quiditatiuè id, quod esse dicuntur; proindeque vt habentia tale *esse* absolutè necessariò sunt falsa. Hæc autem consequenter habent sibi annexam contradictionem spectantem ad statum existentialem conditionatum tali quiditatiuo annexum; atque adeò, & impotentiam ad habendum sub conditione propria huius status existentialiter illud *esse*, quod falsò, vt sic dicuntur habere. Quare chymerarum impossibilium aliæ distinctionis gratia, dici possunt impossibiles existentialiter; siue impossibilitate existentiali tantùm; aliæ etiam quiditatiuè; siue impossibilitate insuper quiditatiuâ. Etenim impossibilitas quiditatiua absque impossibilitate existentiali nullatenùs stare potest, cum tamen existentialis bene possit stare absque quiditatiuâ, vt ex *propos.* 1. *statuta disp.* 10. *q.* 5. planè colligitur. Quia nimirum, quod non habet, atque adeò neque habere potest aliquod *esse* in statu quiditatiuo absoluto, neque in statu existentiali absoluto potest illud habere; cum tamen bene possit aliquid esse impotens ad habendum aliquod *esse* in statu existentiali absoluto; quod tamen necessariò habet in statu absoluto quiditatiuo. Sic quia. Petrus in statu quiditatiuo absoluto non potest esse lapis, neque potest esse lapis in statu absoluto existentiali; secundus verò Deus in statu absoluto existentiali secundus Deus chymericus esse non potest; qualis necessariò est in statu absoluto quiditatiuo.

Vnde sequitur quartò; extrema contradictoriè 92
opposita relatè ad statum quiditatiuum absolutum necessariò esse etiam contradictoriè opposita relatè ad statum existentialem absolutum; non tamen vice versâ: quia esse extrema contradictoriè opposita relatè ad aliquem statum, & non posse coniunctum eorum habere *esse* in tali statu in idem recidit, vt est notum. Constat autem ex dictis, coniunctum duorum contradictoriorum, quod est quædam chymera, neutiquam posse carere potentia ad habendum *esse* in statu quiditatiuo absoluto; quin etiam careat ad habendum *esse* in statu existentiali absoluto; cum tamen benè possit vice versâ; esse impotens ad absolutè existendum, quin sit impotens ad absolutè essendum id, quod quiditatiuè est.

Quintò sequitur: quasuis chymeras impossibiles 93
eatenus tantùm esse entia rationis ficta, quatenus falsæ sunt; siue quatenus concipiuntur habentes *esse* in aliquo statu, in quo re verâ illud non habent; non verò itidem quatenùs sunt obiecta vera, siue quatenus concipiuntur habentes *esse* in eo statu, in quo verè habent, iuxta dicta; sed de hoc plura sunt dicenda *disp.* 12.

Sextò

94 Sextò sequitur ; impossibilitatem, aliaque prædicata, quæ verè de chymeris dicuntur, necessaria omninò illis esse ; non quidem necessitate existentiali absoluta, (in quo decepti sunt Recentiores, qui impossibilitatem chymerarum cum Deo identificant) sed necessitate quiditatiua, eaque vel absoluta, vel conditionata, aut necessitate existentiali conditionata, penes diuersos modos, quibus eiusmodi prædicata verè enuntiantur de chymeris, iuxta etiam dicta. Et quoniam omne necessarium, qua tale, possibile sit necesse est, id est, potens esse ea ratione, qua necessariò est. Conficitur, impossibilitatem, aliaque prædicata verè conuenientia chymeris, verè esse illis possibilia, id est, potentia conuenire, conuenientia scilicet quiditatiua, aut existentiali conditionata illi annexa. Quocirca possibilitas (sicut de impossibilitate diximus) in existentialem, & quiditatiuam distinctionis gratia diuisa esto pro dicendis deinceps.

95 Septimò sequitur : bifariam posse esse aliquid absolutè impossibile; atque adeò absolutè connexum cum contradictione. Primò : ab intrinseco, & per essentiam suam. Secundò : partim à conditione sibi extrinseca, & accessoria; purificata tamen, atque ita constituente absolutè talem impossibilitatem, connexionemque cum contradictione. Huiusmodi autem conditio, aut necessaria potest esse, aut contingens in sua purificatione. Impossibile ab intrinseco simpliciter, & absolutè est impossibile, chymeraque appellatur ; & idem est de impossibili à consortio conditionis necessariò purificatæ : impossibile verò à consortio conditionis contingenter purificatæ, solùm dicitur impossibile ex suppositione conditionis ; absolutè autem possibile, quia antecedenter ad talem suppositionem possibile est. Ob idque ne ex dicta quidem suppositione dici solet chymera, tametsi congruè dici possit. Sit pro exemplo primi impossibilis vnio extremorum non vnibilium, quæ ab intrinseco, & suopte conceptu connexa est cum ipsis extremis sibi essentialiter oppositis ; atque ita mediatè cum suo contradictorio, quod illa inferunt ; & consequenter cum duobus. Pro exemplo autem secundi sit secundus Deus, qui ex suppositione necessaria vnici veri Dei sibi oppositi cum suo etiam contradictorio, & consequenter cum duobus connexus est. Pro exemplo denique tertij sit fides diuina de existentia peccati absolutè non existentis, quæ ex suppositione absolutâ non existentiæ peccati, cum duobus etiam contradictoriis connexa est.

QVÆSTIO III.

Quid sit contingens in vniuersum ; quid contingentia ; & quotuplex ?

96 COntingens dicitur vniuersè id, quod ita potest existere, vt etiam possit non existere. Vnde contingentia potentia quædam est ad vtrumuis ; nimirùm ad existendum, aut non existendum ; seu potiùs indifferentia quædam ad vtrumuis coalescens ex duplici potentia, altera ad existendum, & altera ad non existendum; Vnde contingens sumptum formaliter, concretum quoddam est nostro modo concipiendi ex subiecto, quod contingens dicitur, & ex duplici potentia, altera ad existendum, & altera ad non existendum ; quæ vtraque potentia simul accepta, contingentia formalis est.

Diuiditur autem contingens ita vniuersè sumptum ; primò in contingens metaphysicè, physicè, & moraliter. Contingens metaphysicè dicimus, quod simpliciter tale est. Contingens autem physicè, quod tale est etiam naturaliter ; Contingens denique moraliter, quod etiam moraliter. Quos terminos alibi in simili sæpè explicuimus. Vnde patet ; omne contingens moraliter etiam physicè, & metaphysicè contingens esse ; & omne contingens physicè, etiam metaphysicè ; sed non vice versa. Secundò contingens in existens, & non existens diuidi potest. Tertiò : in proximè, & remotè contingens. Quartò : in contingens absolutè, & quod nullâ expectatâ conditione tale est ; & contingens ex suppositione, quod tantùm est tale ex hypothesi conditionis. Quæ si fuerit impossibilis, contingens ex suppositione absolutè erit, vel impossibile, vel necessarium. Si verò fuerit contingens, aut necessaria, contingens ex suppositione absolutè etiam erit contingens. Quintò : contingens in liberum, & non liberum diuidi potest, seu potiùs in liberum in se, & liberum tantùm in causâ. Nullum enim contingens est, quod ab aliquâ libertate non ducat originem ; atque adeo, quod non possit aliquo modo, saltem in causa dici liberum, prout ex dicendis in *sequentibus* apparebit. 97

QVÆSTIO IV.

Quid sit necessarium in vniuersum quid necessitas ; & quotuplex ?

98 QVamuis possibile, & impossibile contingens, iuxta communè, & magis propriam loquutionè respectiuè tantùm ad existentiam, siue ad actum existendi talia dicatur, vt in quæstionibus præcedentibus visum est. Necessarium tamen latiùs communiter solet accipi, pro eo, quod ad quemuis actum necessitatum ; atque adeò ad actum contradictorium impotens est. Quocirca aliud est necessarium in existendo ; aliud in essendo quidpiam ; aliud in causando ; aliud in cognoscendo, &c. Nihilominùs, quod frequentius, loquendo absolutè, necessarium vocari solet, necessarium est in existendo, aut etiam in essendo, quod est. Cætera enim potiùs necessitata ad actum, cum quo connectuntur, quàm necessaria absolutè veniunt dicenda. Etenim necessitas in vniuersum, quâ quoduis subiectum ad quemuis actum necessitatum dicitur, aliud non est à connexione, qua tale subiectum cum tali actu connexum est. Quo fit, vt necessarium, siue necessitatum formaliter concretum quoddam sit nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, & actu connexionis, qua subiectum ipsum cum alio quopiam actu connexum est : necessitas autem formaliter in connexione ipsa consistit. Ex huiusmodi autem positiua necessitate, seu connexione nascitur tanquàm proprietas quædam in se subiecto necessitato ad actum impotentia ad contradictorium. Quo iure necessarium in existendo eo ipso ad non existendum impotens est.

99 Aliter, & quidem æquiuocè accipi solet necessarium, pro requisito ad aliud quidpiam. Et quoniam requisitum ad aliud, id solùm dicitur, quod terminus est connexionis eius, efficitur, vt necessarium huius acceptionis veluti correlatiuum sit necessarij alterius. Posito enim, quod subiectum quoduis ad quemuis actum necessitatum est ; atque

adeò impotens esse sine illo; nequit non esse talis actus ad tale subiectum requisitus, seu necessarius, vt illud sit. Quare licet in hac quæstione potissimè agamus de necessario prioris acceptionis; nonnulla tamen ex dicendis in ea necessario etiam posterioris sua propositione seruata, venient aptanda.

100 Porrò necessarium prioris acceptionis, seu potius necessitatum ad actum, aliud imprimis metaphysicè, aliud physicè, & aliud moraliter tale est, penes connexionem scilicet, aut metaphysicam, aut physicam, aut moralem, quâ illud cum actu connexum est. Quid sit autem connexio metaphysica, quid physica, & quid moralis, tùm *disput. 2. quæst. 5.* tum *alibi* iam est explicatum; tum *infrà disput. 14.* magis ex professo explicabitur. Vnde necessitatum ad actum, aut immediatè, siue proximè; aut mediatè, siue remotè potest tale esse penes connexionem immediatam, aut mediatam, quam habet cum actu. Deinde necessitatum ad actum, aut absolutè, aut ex suppositione tale esse potest. Absolutè quidem, si tale sit, nulla conditione expectata. Ex suppositione verò, si tale sit tantùm ex hypothesi conditionis. Ex quibus patet, quomodò necessarium specialius sumptum pro necessitato ad existendum, aut metaphysicè, aut physicè, aut moraliter tale esse possit, necnon aut absolutè, aut ex hypothesi conditionis. Quæ conditio si sit contingens, necessarium ex eius hypothesi absolutè contingens erit, si autem sit conditio impossibilis, necessarium ex eius hypothesi absolutè necessarium non erit; sed veli impossibile, vel contingens; si denique conditio sit necessaria, necessarium ex eius hypothesi absolutè etiam necessarium erit.

101 Aduerto hîc; Recentiores quosdam opinari, necessitatem metaphysicam ex genere eorum prædicatorum esse, quæ non suscipiunt magis, & minùs, nullamque subinde necessitatem metaphysicam maiorem aliâ esse posse; & consequenter neque vllum ens posse esse magis necessarium, aut magis, necessitatum metaphysicè, quàm aliud. Quo iure censent, Deum non esse magis necessarium in sua existentia, quàm sunt creaturæ possibiles in sua possibilitate. Mouentur autem: quia quæuis necessitas metaphysica excludit omnem contingentiam, omnemque potentiam ad oppositum: nullumque propterea metaphysicè necessitatum ad aliquem actum magis impotens, quàm aliud potest esse ad contradictorium. Ex quo inferunt, nullum metaphysicè necessitatum ad aliquem actum magis necessitatum ad illum posse esse, quàm aliud.

102 Ego verò censeo, necessitatem in vniuersum ex genere eorum prædicatorum esse, quæ magis, & minus suscipiunt; atque adeo intra quoduis necessitatis genus, vnam maiorem alia esse posse; vnumque proinde ens magis necessarium, aut magis necessitatum, quàm aliud. Et quidem intra genus necessitatis moralis, atque etiam physicæ id prorsus est indubitabile: cùm certum sit, inter necessaria, siue necessitata moraliter, atque etiam physicè quædam necessaria, siue magis necessitata, quàm alia esse. E. g. necessariũ moraliter est, vt in integrâ ciuitate sit aliquis homo peccator; sed magis necessarium moraliter est, vt sit aliquis homo peccator in integro regno. Necessarium moraliter, est vt quatuor, aut plures mathematici probi, & docti testantes de existentia cometæ à se ipsis visi in Germaniâ non mentiantur; sed multò magis necessarium moraliter est, vt non sint mentiti quotquot testati sunt hactenus Romam existere. Quarè quilibet intellectus magis est necessitatus ad credendum, Romam existere ob testimonium omnium, qui de eius existentia testati sunt, quàm ad credendum extitisse in Germaniâ cometam ob testimonium eorum mathematicorum. Similiter. Naturaliter est necessarium, ignem exiguum calefacere; sed magis necessarium est naturaliter, solem illuminare: maiori siquidem, & strictiori iure naturali est citrà omne dubium debita illuminatio soli, quàm calefacio igni exiguo; maiusque proindè esset miraculum negare Deum soli concursum debitum ad illuminandum, quàm fuit negare igni Babylonico concursum debitum ad tres pueros calefaciendos, & comburendos. Naturaliter etiam est necessarium, cæcum non recuperare visum amissum; sed multò magis est necessarium naturaliter mortuum non recuperare vitam amissam: maiusque proindè miraculum Christi Domini fuit suscitare Lazarum mortuum, quàm restituere cæco visum amissum. Itaque inter necessitates morales, atque etiam naturales, seu physicas alias aliis maiores esse prorsus est certum.

Vndè ego argumentum desumo ad idem ipsum 103
asserendum de necessitatibus metaphysicis: quia nullus est titulus, cur inter illas & non inter has possint aliæ aliis esse maiores. Necessitas quippe moralis, aut naturalis idcirco potest esse maior aliâ sui generis, quia connexio extremorum, in qua consistit, iuxta dicta, strictior, & firmior alia esse potest: sed connexio extremorum, in qua etiam consistit necessitas metaphysica, strictior, & firmior: alia esse potest; cùm id sit proprium cuiusuis colligationis, seu vinculi, seu nexus extremorum, qualis est omnis connexio, vt constat: Igitur necessitas itidem metaphysica maior alia sui generis esse potest. Nec refert, quamuis necessitatem metaphysicam excludere omnem potentiam ad oppositum, quominùs vna maior alia esse possit. Ex quo orta est Recentiorum deceptio: quia etiam quæuis necessitas moralis excludit omnem potentiam moralem ad oppositum, & quæuis necessitas naturalis omnem potentiam naturalem: & nihilominus quæuis earum maior alia sui generis esse potest, vt vidimus. Ex eo enim, quòd aliquod vinculum nullâ potentia infringi possit, non sequitur esse impossibile aliud illo strictius, & firmius, quod nulla itidem potentia possit infringi.

Cuius ratio vniuersalis à priori est: quia bene 104
fieri potest, sepèque fit, vt formæ, formalitatesve eiusdem generis valde inter se inæquales sint, & nihilominus in excludendis formis, formalitatibusve contrariis prorsus conspirent. Sic enim, quæuis bonitas reddens subiectum bonum simpliciter omnem malitiam oppositam excludit ab illo: quia bonum ex integra causa; & nihilominus nulla est eiusmodi bonitas, quæ maior, aut maior alia esse non possit, sæpeque sit. Sic quæuis gratia habitualis omne peccatum mortale excludit à subiecto, cui inest; & tamen inter gratias habituales aliæ maiores, aliæ minores aliis sunt. Sic ergò pariter etsi quæuis connexio, quæuisque subinde necessitas metaphysica excludat à subiecto, cui conuenit, omnem potentiam ad oppositum; stare cum eo bene poterit, quòd inter connexiones metaphysicas aliæ aliis strictiores, atque, adeo inter necessitates metaphysicas aliæ aliis maiores sint. Stet igitur ita esse.

Ex his inferemus suo loco necessitatem, quam 105
Deus habet in essendo, & in existendo infinitè maiorem esse necessitate, quam habent cætera cuncta in essendo id, quod quiditatiuè sunt; aut etiam in existendo ex hypothesi, quòd existant; tametsi necessitates istæ, omnes sint metaphysicæ. Quoniam

necessitas

necessitas in essendo, tam quiditatiuè, quàm existentialiter, siue absolutè siue,conditionatè perfectio quædam est rerum possibilium, quibus hoc ipso, quòd est bonum habere *esse* quoquomodò, nequit non esse etiam bonum habere illud necessario. Vndè penes maiorem, aut minorem perfectionem earum maior, aut minor earumdem necessitas in habendo *esse* taxanda est. Consequens enim est, vt,quo perfectius *esse* vnaquæque habet,perfectiori modo,atque adeò magis necessariò illud habeat. Cúmque Deus ens sit infinitè perfectius, atque adeò infinitè perfectius *esse* habens, quàm cætera cuncta : conficitur, necessitatem,quam Deus habet in essendo tum quiditatiuè, tum existentialiter,tum conditionatè, tum absolutè infinitè maiorem esse necessitate,quam habent in essendo cætera cuncta, quâ ratione,illa necessariò habent *esse* : nimirum quiditatiuè, tum conditionatè, tum absolutè : existentialiter verò tantùm conditionatè, iuxta dicta *disput.* 10.*quæst.* 1.In existendo enim absolutè nihil præter vnum Deum habet necessitatem metaphysicam, vt est notissimum.

QVÆSTIO V.

Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis?

106 Dico elici, quæ sequuntur.

Propositio 1.

107 Omne coniunctum ex duobus extremis contradictoriè oppositis impossibile metaphysicè est.

Hæc propositio in principium euidentissimum statutum *disput.9.quæst.5.propositio* 1.recidit; proindeque æquè atque illud cunctis est euidens.Videantur dicta *ibi*.

Propositio 2.

108 Quidquid cum duobus extremis contradictoriè oppositis metaphysicè connexum est chymera impossibilis est.

Hæc propositio ex primâ venit facilè demonstranda, iamque *suprà quæst.2.num.*45.demonstrata est. Ex eâ autem sequitur manifestè : quidquid cum aliquo impossibili necessariò connexum est, id necessariò esse impossibile ; siquidem connexum cum duobus contradictoriis idcircò impossibile est : quia coniunctum duorum contradictoriorum impossibile est.

Propositio 3.

109 Omnis chymera impossibilis cum duobus extremis contradictoriè oppositis est metaphysicè connexa.

Hæc propositio *quæst.* 2. *num.*47. est demonstrata. Videatur *ibi* eius demonstratio.

Propositio 4.

110 Omnis chymera impossibilis cum aliquo conceptu possibili sibi metaphycè opposito est metaphysicè connexa.

Quia est connexa cum duobus contradictoriis iuxta *propositi.* 3. Ex quibus alterum debet necessariò esse possibile, cùm debeat necessariò esse existens, ne vtrumque simul deficiat contra *propos.* 1.*statutam disputatione 9. quæst.* 5. Extremum autem contradictionis existens hoc ipso, quod alteri opponitur ipsi chymeræ cum eo connexæ opponatur necesse est ; siquidem oppositum termino connexionis, & connexioni oppositum est, cùm nequeat simul esse cum A id, quod nequit simul esse cum B,sine quo A esse non potest, vt ex se patet, insuperque demonstrabitur *infrà disput* 14.*quæst.*4. Concluditur ergo, omnem chymeram cum aliquo possibili sibi opposito connecti, prout erat demonstrandum. Recognosce dicta ad rem *suprà quæst.* 2. *propos.* 2.

Propositio 5.

Omnis chymera impossibilis cum suo contradictorio est metaphysicè connexa. 111

Quia est connexa cum extremo sibi metaphysicè opposito, iuxta *propositi.*4. Ergo vel sibi opposito contradictoriè ; & habetur intentum : Vel sibi opposito contrariè(ad hæc namque duo genera oppositionis reuocatur omnis oppositio metaphysica, vt ostendemus *disput.* 14.) & sic mediatè erit connexa cum suo contradictorio, vtpotè cum quo suum contrarium metaphysicè connexum esse necesse est. Alterum quippè contrariorum cum alterius contradictorio necessariò est connexum, cùm nequeat esse sine illo, hoc ipso, quòd cum suo contrario esse non potest,vt ex se patet, & *dicta disputatione* 14. *quæst.*4. demonstrabitur. Omnis igitur chymera impossibilis cum suo contradictorio est metaphysicè connexa : quod erat demonstrandum ; idque aut immediata connexione, qualis nonnumquam erit; aut mediata, qualis frequentius.

Porrò cum suo contradictorio existentiali esse connexam omnem chymeram impossibilem, inde aliter demonstratur : quia cùm sit suopte conceptu impotens ad existendum, nequit non esse necessitata ad non existendum ; atque adeo connexa cum sua non existentia ; siquidem omne subiectum impotens ad vnum ex actibus contradictoriis, ad alterum necessitatum est, vt ex se patet;& *suprà disp.* 8. *quæst.*4. est demonstratum. 112

In hac propositione fundatur ille modus arguendi,quem aliqui vocant admirabilem, & in humanis scientiis nonnunquam occurrit ; quando videlicet ex vno extremo contradictionis assumpto, & supposito ostensiuè demonstratur alterum ; vt si quis contra asserentes, hominem non esse risibilem ex eo ipso, quòd non sit risibilis, positiuè inferret, ostensiuéque demonstraret, esse risibilem. Quo arguendi modo vtitur Euclid. *lib. 9. Elem. propos.* 12. & Theodos. Tripoli. *lib.1.Sphæricor.propos.*12.necnon Cardanus *lib.5.Proport. prop.*201.Propterea enim iis in casibus ex vno extremo cõtradictionis alterum rectè infertur, & demonstratur : quia illud chymera est impossibilis, eoque iure cum hoc connexum suapte naturâ. Cæterùm per dictum arguendi modum,vt concludatur,quod intenditur, in argumentationem deducentem ad impossibile tandem,est recidendum. Quando enim ex suppositione vnius contradictorij sequitur alterum, ex suppositione vnius contradictorij sequitur vtrumque esse verum: quod est impossibile. Vnde reuertendo infertur 113

esse

esse necessariò falsum id, quod supponitur, & consequenter verum contradictorium eius; quod assumptum fuerat probandum.

114 Ex hac etiam, & præcedentibus propositionibus inferet aliquis fortasse id, quod nonnulli sibi suadent, & verum putant; nempè ex quauis chymerâ impossibili quodlibet sequi, quatenus ex quauis sequitur quodlibet ex extremis contradictionis; atque ita inutilem esse modum arguendi ex hypothesi impossibili in scientiis humanis satis frequentem; necnon quæstiones, vbi ex hypothesi impossibili aliquid quæritur, vti quæritur à Theologis in materia de Trinitate: an si Spiritus sanctus non procederet à Filio, ab illo nihilominus distingueretur, aut secùs. Cæterùm de hoc *inferiùs quæst. 6.* agendum nobis est.

Propositio 6.

115 Quod est necessarium, aut impossibile metaphysice, etiam physicè tale est; & quod est physicè, etiam moraliter; sed non vice versa. Quod verò contingens est moraliter, etiam physice tale est; & quod physicè, etiam metaphysice; sed non è conuerso.

Hæc propositio tum ex se, tum ex *propos. 10. statuta disput. 8. quæst. 4.* comperta est. Aduerto autem, particulam *intra quoduis genus*, in plerisque sequentium propositionum additam denotare propositionem, vbi additur vniuersaliter esse veram intra quoduis genus possibilitatis, impossibilitatis, contingentiæ, aut necessitatis, metaphysicæ videlicet, physicæ, vel moralis, proximæ, vel remotæ, absolutæ, vel ex hypothesi, &c.

Propositio 7.

116 Omne obiectum conceptibile, aut impossibile, aut contingens, aut necessarium esse debet intra quoduis genus.

Quia nequit non esse, aut impotens, aut potens cum indifferentia, aut necessitatum ad actum, relatè ad quem aut impossibile, aut contingens, aut necessarium intra quoduis genus venit dicendum, prout *loco citato* est demonstratum *propos. 11.*

Propositio 8.

117 Quâ ratione aliquid neeessarium est, eâdem debet esse possibile intra quoduis genus.

Quia omne necessitatum ad actum, nequit non esse potens ad illum intra idem genus, vt constat ex *propositi. 14.* & *21. loco cit.* demonstratis.

Propositio 9.

118 Quâ ratione aliquid est contingens, eadem possibile est intra quoduis genus.

Quia quæuis contingentia possibilitas est in suo genere ad vtrumuis contradictionis extremum, iuxta definitionem eius statutam *suprà quæst. 3.*

Propositio 10.

119 Quâ ratione aliquid est possibile, eadem nequit simul esse impossibile, aut vice vesa, intra quoduis genus.

Quia simul posset, & non posset habere *esse*; contra *propositi. 1. statutam disp. 9. q. 5.*

Propositio 11.

Qua ratione aliquid est necessarium, eâdem nequit esse simul impossibile, aut vice versa intra quoduis genus. 120

Quia cùm necessarium nequeat non esse possibile, iuxta *propos. 8.* si necessarium posset simul esse impossibile, aut vice versa: idem posset esse possibile simul, & impossibile; contra *propos. 10.*

Propositio 12.

Quâ ratione aliquid est necessarium, eadem nequit esse simul contingens, aut vice versa intra quoduis genus. 120

Quia cum necessarium, qua tale non possit non habere *esse*: contingens autem possit, iuxta eorum definitiones traditas *quæst. 3. & 4.* si necessarium, qua tale posset esse contingens, aut vice versa, idem posset, & simul non posset non habere esse contra *propositi. 1. statutam disputatione 9. quæst. 5.*

Propositio 13.

Quâ ratione aliquid est impossibile', eadem nequit esse simul contingens, aut vice versa, intra quoduis genus. 121

Quia cùm impossibile, qua tale non possit habere esse; contingens autem possit, iuxta eorum definitiones traditas *quæst. 2. & 3.* Si impossibile, qua tale posset esse contingens, aut vice versa, idem posset, & simul non posset habere esse; contra eamdem *propositi. 1. statutam ibidem.*

Propositio 14.

Quâ ratione aliquid est impossibile, eadem contradictorium eius necessarium esse debet; & è conuerso intra quoduis genus. 122

Hæc propositio ex *propos. 12. demonstrata disp. 8. quæst. 4.* constat; ex eaque sequitur, quando alterum ex extremis contradictionis est necessarium, aut impossibile, non posse alterum esse contingens intra idem genus.

Propositio 15.

Quâ ratione aliquid est contingens, eadem contradictorium eius contingens esse debet intra quoduis genus. 123

Hæc ex *propositi. 13. ibidem demonstrata* constat. Ex eaque sequitur, quando alterum ex extremis contradictoriis est contingens, non posse alterum esse necessarium, aut impossibile intra idem genus.

Propositio 16.

Ex duobus extremis contradictoriè oppositis alterutrum sub disiunctione necessarium est metaphysicè. 124

Nam alioquin ambo possent simul deficere contra *propositi. 1. statutam disp. 9. quæst. 5.*

Propositio 17.

Ambo extrema contradictionis nec simul necessaria, nec simul impossibilia esse possunt intra quoduis genus. 125

Tum quia anbo simul haberent, aut simul non haberent esse; proindéque ambo essent simul vera, aut simul falsa contra *propositt.1. statutam disput. 9. quæst. 5.* Tum quia, quâ ratione alterum est necessarium, alterum debet esse impossibile; & è conuerso, iuxta *propositt.14.* Quod autem est necessarium, nequit esse simul impossibile, nec vice versâ, iuxta *propos. 11.*

Propositio 18.

127 Ambo extrema contradictionis contingentia esse possunt intra quoduis genus.

Quia, quâ ratione alterum est contingens, alterum quoque debet esse contingens, iuxta *propositio 15.*

Propositio 19.

128 Quâ ratione quælibet essentia necessaria est, eadem omnes, & singulæ partes eius necessariæ esse debent intra quoduis genus.

Alioquin aliqua pars essentiæ posset deficere, contra *propositt. 13. statutam disput. 9. quæst. 5.* vt est notissimum.

Propositio 20.

129 Quâ ratione omnes, & singulæ partes essentiæ compositæ necessariæ sunt, eadem debet essentia ipsa necessaria esse intra quoduis genus.

Alioquin essentia composita posset deficere, quin posset deficere vlla pars eius contra *propositt. 12 statutam ibidem,* vt etiam est notum.

Propositio 21.

130 Quâ ratione pars quælibet essentiæ compositæ contingens, aut impossibilis est, eadem essentia ipsa contingens, aut impossibilis est intra quoduis genus.

Quia, quâ ratione est potens deficere quælibet pars essentiæ compositæ, eâdem potest deficere essentia ipsa, iuxta eamdem *propositt. 13. nuper citatam.* Ergo Si pars essentiæ compositæ est potens deficere contingenter, vti euenit quando est contingens; ipsa quoquè essentia erit potens deficere contingenter, atque adeò contingens. Et si pars essentiæ compositæ est potens deficere necessariò; vti euenit, quando est impossibilis, ipsa quoque essentia erit potens deficere necessariò, atque adeò impossibilis.

Propositio 22.

131 Omne obiectum impossibile necessariò est impossibile, & omne contingens necessariò est contingens, & omne necessarium necessariò est necessarium.

Hæc propositio imprimis constat. Quia hæc prædicata essentialia sunt obiectis, quibus conueniunt, cum sint pertinentia ad statum eorum quiditatiuum: constat autem, omne prædicatum subiecto essentiale, aut quiditatiuum necessarium esse ipsi subiecto: sed demonstremus insuper illam ex præcedentibus: quia si obiectum impossibile non esset necessariò impossibile, posset vtique tale non esse: ergo posset esse aut contingens, aut necessarium, quandoquidem omne obiectum aut impossibile, aut contingens, aut necessarium indispensabiliter debet, esse, iuxta *propos. 7.* proindéque, quod non est impossibile nequit non esse aut contingens aut necessarium. At obiectum impossibile nec potest esse necessarium, iuxta *propositt. 11.* nec potest esse contingens, iuxta *propositt. 13.* ergo non potest non esse impossibile, seu necessariò est impossibile. Quod erat demonstrandum. Pariterque demonstrandum venit, omne obiectum contingens necessariò esse contingens, & omne necessarium necesariò esse necessarium.

Propositio 23.

Possibile, necessarium, & impossibile, tum respectiuè ad *esse* existentiale, tum respectiuè ad *esse* quiditatiuum possunt talia esse. Contingens verò dumtaxat potest esse tale respectiuè ad *esse* existentiale. 132

Prior pars propositionis inde constat, quòd non solùm fieri potest, vt obiectum conceptibile sit potens, aut necessitatum, aut impotens ad existendum; sed etiam, vt sit potens, aut necessitatum, aut impotens ad essendum quiditatiuè id, quod esse concipitur. Quocirca licet obiectum conceptibile proprius, frequentiúsque dicatur possibile, aut impossibile, quatenus est potens, aut impotens ad existendum: potest tamen, atque etiam interdum solet tale dici, quatenus est potens, aut impotens ad essendum quiditatiuè, id, quod esse concipitur: necessarium verò æquè fermè frequenter dici videtur, quod est necessitatum ad essendum id, quod quiditatiuè est, atque quod est necessitatum ad existendum. Quo tandem fit, vt possibile, necessarium, & impossibile aliud quiditatiuum, & aliud existentiale veniat dicendum, prout iam in *superioribus* tactum, atque notatum est.

Posterior autem pars inde constat, quòd fieri 133
nullo pacto potest, vt aliquod obiectum conceptibile re vera sit potens ad essendum, vel non essendum quiditatiuè id, quod esse concipitur; benè tamen, vt re vera sit potens ad existendum, vel non existendum, vt est notissimum; eo quòd existentia ex prædicatis est defectibilibus: quiditas verò minimè. Ex quo patet, nullum contingens posse quiditatiuum esse; sed necessariò omne contingens existentiale esse debere.

Propositio 24.

Quod semel est impossibile, aut contingens, aut 134
necessarium, in nullo euentu potest non esse tale.

Quia posset essentiam mutare, atque adeò alicubi esse sine sua essentia contra *propos. 8. statutam disput. 9. quæst. 5.* quandoquidem esse obiectum aliquod impossibile, aut contingens, aut necessarium, prædicatum eius est essentiale, quiditatiuum, & necessarium, iuxta *propositt. 22.*

Propositio 25.

Possibili posito in esse, nullum sequitur impos- 135
sibile.

Hoc est axioma satis vulgatum, & certissimum, demonstrarique ex dictis potest. Quia si possibili posito in esse sequeretur aliquod impossibile, possibile non esset possibile contra suppositionem; siquidem id, ex cuius positione sequitur aliquod impossibile, eo ipso cum tali impossibili connexum est, atque adeò etiam impossibile, iuxta *propos. 2.*

Pro

Propositio 26.

136 Impossibile est, vt omnia omnino entia sint contingentia.

Demonstro facilè: quia ex eo quod omnia omnino entia sint contingentia, necessario sequuntur duo contradictoria simul vera. Ergo impossibile est, vt omnia omnino entia sint contingentia. Consequentia est optima ex *propositione* 2. Probo antecedens: quia si omnia omnino entia essent contingentia, omnia, nullo dempto, possent deficere; eo quòd de conceptu omnis contingentis est posse deficere, iuxta definitionem eius; casu autem, quòd omnia, nullo dempto, deficerent, nullum sequeretur impossibile: nam possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile, iuxta *propositionem* 25. Deinde non possent omnia, nullo dempto, citra impossibile sequutum deficere: quia casu, quòd omnia, nullo dempto, deficerent, omnia redderentur impossibilia, desinerentque proinde contingentia esse; quod est impossibile, iuxta *propositionem* 24. Ergo, &c. Cætera constant, solúmque restat demonstrandum, casu, quod nullum ens existeret omnia entia fore impossibilia. Id autem inde demonstratur: quia in eo casu nullum ens esset potens existere à se ipso, iuxta *propositiones* 22. & 26. *statutas disput. quæst.* 5. nec posset existere ab alio ente non existente, iuxta *propositionem* 3. *ibidem statutam.*

137 Ex hac propositione sequitur, aliquod ens eorum, quæ existunt, necessarium esse in existendo. An autem hinc demonstretur, dari aliquam causam primam habentem existentiam à se, non ab alia causa, *suo loco* videbimus.

Propositio 27.

138 Ens existens à se nullatenus potest esse contingens; neque è conuerso ens contingens potest esse existens à se.

Quia ens existens à se necessariò, atque adeo per suam essentiam est potens existere à se, cùm actus sine potentia dari non possit ex *propositione* 3. *statuta disput.* 8. *quæst.* 4. si autem esset contingens, esset etiam potens non existere: cúmque dato casu, quòd non existeret, iam non esset potens existere à se, iuxta *propositionem* 22. & 26. *statutas disput.* 9. *quæst.* 5. si esset contingens, esset potens mutare essentiam; quod esse impossibile constat ex *propositione* 24. Est igitur impossibile, aliquod ens existens à se esse contingens, & consequenter aliquod ens contingens esse existens à se: quod erat demonstrandum.

139 Ex hac propositione constat, omne ens contingenter existens ab alio quopiam tanquam à causa habere suam existentiam.

Propositio 28.

140 Omne ens contingenter existens, ab aliqua causa indifferente in operando, atque adeò libera suam existentiam habere proximè, vel remote necesse est.

Vt hanc propositionem demonstrem suppono primò ex *propos.* 21. *statuta disp.* 9. *q.* 5. Quidquid accipit existentiam ab alio per sui effectionem accipere illam ab illo, tanquàm à causa efficiente. Suppono secundò, causam efficientem effectum, sicque dantem illi existentiam necessario debere esse, aut primam à nulla alia efficiente habentem suam existentiam, sed à se ipsa per essentiam (per effectionem namque à se ipsa nequit habere, iuxta *propositionem* 22. *statutam ibidem*) aut non primam habentem suam existentiam ab alia causa efficiente, quæ similiter necessario debet esse aut prima, aut non prima: idemque dicendum venit de reliquis, donec vel sistatur in prima, vel admittatur progressio infinita causarum (siue ea finita in aliqua prima, siue infinita esse dicatur) à quibus suam accipit existentiam effectus proximè quidem ab immediata sibi; remotè verò à reliquis nulla detur potentia vel proxima, vel remota ad non producendum effectum necessario sequi, neque in effectu dari vllam potentiam ad non existendum: quia sublata omni potentia ad non producendum effectum, impossibilis est non productio effectus, iuxta *propositionem* 3. *statutam disput.* 8. *quæst.* 4. & consequenter necessaria effectus productio, iuxta *propositionem* 14. *huius quæstionis*; atque adeo & existentia eius, quam eius productio fert secum, vt est notissimum.

Ex his demonstro propositionem. Quoniam si 141
in tota serie causarum, vnde suam habet existentiam effectus, nulla causa libera esset producens cum indifferentia proximè, vel remotè effectum; nulla esset in illa potentia ad non producendum effectum; siquidem causa liberè cum indifferentia producens ea est, quæ potentiam habet ad non producendum; effectusque ipse subinde nullam potentiam haberet ad non existendum, iuxta *tertiam suppositionem*; atque ita contingens non esset. Cùm tamen ponatur esse contingens. Quod est contradictio. Omne ergò contingens ab aliqua causa libera proximè, vel remotè habere suam existentiam necesse est.

Propositio 29.

Omnis effectus causæ liberæ quatenus liberæ ne- 142
cessario debet esse contingens.

Nam omnis effectus causæ liberæ quatenus liberæ necessario debet esse impedibilis quoad existentiam per causam liberam; atque adeo absolutè potens non existere; sicque contingens. Quod enim est impotens non existere, nullatenus quoad existentiam est impedibile, vt est notissimum.

Propositio 30.

Quoties aliquod obiectum conceptibile possibile 143
est, aut impossibile, aut contingens, aut necessarium sub hypothesi alicuius conditionis in absolutè tale transit purificata conditione.

Quia omnis veritas conditionata purificata conditione transit in absolutam, iuxta *propositionem* 4. *statutam disput.* 10. *quæst.* 5. Possibilitas autem, tut impossibilitas, aut contingentia, aut necessitas conditionata, quædam veritas obiectiua conditionata est, vt constat. Et hæc sint modò satis pro præsente quæstione.

QVÆSTIO VI.

Qua ratione possibile, impossibile, contingens, & necessarium sub nostrum intellectum cadant.

HAnc quæstionem adiungo propter quasdam 144
difficultates, quas circa obiecta ista speciatim prout à nobis cognoscibilia pro statu præsenti exa-

minare

minare oportet, præter examinatas iam generatim in præcedentibus disputationibus, & examinandas in sequentibus.

145 Sit prima: vtrum de aliquibus obiectis propositis ex ipsis terminis, aut per discursum, independentem tamen ab omni fide, & experientia sit iudicabile à nobis cum euidentiâ, an possibilia sint, vel impossibilia; an contingentia, vel necessaria. Affirmatiuam partem tuentur indiscriminatim Recentiores quidam, dum agentes de demonstranda existentia Dei, multis se arbitrantur ostendere cum euidentiâ independenter omninò à fide, ab existentiaque creaturarum, vnum Deum esse possibilem, atque adeò etiam existentem; propositum scilicet, aut apprehensum sub conceptibus aut entis necessarij, aut entis independentis, aut summi boni, aut immunis ab omni imperfectione, aut aliter. Cæterùm, quàm sint Recentiores isti decepti putantes, sua argumenta euidentia esse, cùm planè sophistica sint, vbi de existentiâ Dei agam latè ostendendum mihi est.

146 Nunc circa præsentem difficultatem assero primò: independenter ab omni fide, & experientiâ, de nullo obiecto proposito posse nos scire cum euidentiâ, quod simpliciter, & absolutè possibile est: quia de nullo possumus scire cum euidentiâ, quòd ab omni contradictione vndequaque est immune, prout requiritur, vt absolutè, & simpliciter possibile sit. Etenim, cùm nullum omnino obiectum à nobis conceptibile sit, quod non habeat infinitas passiones metaphysicas tum proprias, tum communes, tum positiuas, tum negatiuas per discursum, & successiue, atque adeo sine fine à nobis scibiles, vt demonstrabitur *inferius disputatione 17. quæst. 18.* Compertum planè est nullum esse, cuius omnes passiones metaphysicas distinctè pro statu præsenti scire possimus. Igitur scire cum euidentiâ non possumus, num aliqua earum, quas ignoramus cuiusuis obiecti propositi, sit aut non sit connexio eius cum alio quopiam ipsi essentialiter opposito, & consequenter cum duobus contradictoriis, iuxta superiùs dicta. Quod ipsum est scire nos cum euidentiâ non posse, an illud sit, aut non sit possibile simpliciter. Ex quo etiam patet, de nullo obiecto proposito posse nos scire citra omnem experientiam, & fidem, an sit contingens, aut necessarium; quandoquidem omne contingens, & nececessarium euidenter debet esse possibile, vt ex dictis in *superioribus*, atque etiam ex se satis est notum.

147 Dices vnusquisque potest concipere obiectum habens sibi identificatam potentiam ad existendum, & consequetur potens existere, siue possibile. Ergo saltem de obiecto ita concepto poterit iudicare vnusquisque cum euidentiâ esse possibile: quia nihil potest esse euidentius, quàm obiectum possibile esse possibile. Concesso antecedente, distinguo consequens. Poterit vnusquisque iudicare cum euidentiâ de tali obiecto esse possibile ex præciso conceptu obiectiuo sub quo apparet possibile, concedo: esse possibile simpliciter, & vndequaque, nego: Ob id namquè in præcedente assertione tantùm loquutus sum de possibilitate reddente obiectum possibile simpliciter, & absolutè, qualem illud solùm obiectum habet, quod vndequaquè immune est à contradictione; adeo, vt si existeret absque vlla prorsus contradictione existeret; possibilitas autem illa, à quâ obiectum habet esse possibile ex eo præcisè, quod concipitur cum potentiâ existendi, non reddit obiectum immune vndequaquè à contradictione, atque adeo neque simpliciter, & absolutè possibile; vt patet in secundo Deo, qui cum potentiâ ad existendum concipitur, quandoquidem concipitur existens, & tamen aliunde impossibilis, & penitus chymericus est.

Secundò circa propositam difficultatem assero; 148
de multis obiectis posse nos independenter ab omni experientiâ, & fide cum euidentiâ iudicare esse simpliciter, & absolutè impossibilia; atque adeo talia, vt si existerent, simul cum contradictione existerent. Imprimis enim id possumus iudicare euidenter de quouis coniuncto duorum contradictoriorum, vt patet. Deinde de quouis obiecto connexo ex conceptu suo cum duobus contradictoriis, vt etiam patet. Præterea de quouis obiecto connexo ex conceptu suo cum alio quopiam sibi essentialiter opposito, vtpote de quo etiam est euidens sine duobus contradictoriis non posse existere, vt ex dictis in *superioribus* constat. Ex quibus apparet discrimen inter possibilitatem, impossibilitatemque simpliciter dictas: illa enim, vtpote quoddam bonum ex integrâ causâ constare debet; hæc verò, vtpote quoddam malum ex quocumque defectu constat. Atque ita, vt sciatur esse aliquid simpliciter possibile, non sufficit scire illud ex aliquo conceptu suo habere potentiam ad existendum, nisi insuper sciatur ex nullo alio capite habere illud sibi annexam contradictionem. Quod nos pro statu præsente aliter, quàm ab experientiâ, vel fide cum euidentiâ scire non possumus. Vt verò sciatur esse aliquid simpliciter impossibile, sat est scire illud ex quouis suo conceptu contradictionem sibi annexam habere, quod passim cum euidentiâ scimus, vt constat ex dictis.

Secunda difficultas est: an citra omnem experi- 149
entiam, & fidem probabiliter saltem iudicare possimus, esse possibile quoduis obiectum nobis propositum, quoties post attentam considerationem nullam in eo connexionem cum contradictione inuenimus. Respondeo posse; quia in tali casu connexio cum contradictione præsumenda non est, etsi fieri possit, vt sit re verâ, & nos lateat. Regulariter enim viros doctos attentè obiecta considerantes latere non solet, quod satis est, vt prudenter, atque adeò probabiliter iudicare possimus, dum nō se prodit, & apparet, re verâ non esse; præsertim, quando obiecta, de quibus agitur cum aliis, de quorum possibilitate iam constat, similitudinem aliquam, aut analogiam habent. Et hæc est communis praxis Philosophorum, & Theologorum passim possibile reputantes, quoduis obiectum ex eo præcisè, quod in illo nullam inueniunt implicationem contradictionis

Tertia difficultas est: quarumnam rerum possibili- 150
tatem cum euidentiâ possimus assequi, suppositâ, experientiâ, vel fide. Dico, earum imprimis, quarum absoluta existentia euidens nobis facta est, seu per experientiam, seu per fidem humanam, aut diuinam; cùm euidens sit, esse simpliciter possibile quidquid absolutè est existens. Deinde earum etiam cum quarum possibilitate euidenter sunt connexæ, quæ euidenter existunt, cùm sit etiam euidens, dari terminum connexionis, quandò dari connexionem euidens. Quod potest hic in dubium vocari est: an ex eo, quòd aliquod ens indiuiduum possibile sit, necessariò sequatur, quodlibet aliud excogitabile solo numero distinctum ab illo, atque adeò omninò ei simile, & æquale possibile esse; videtur enim sequi: quia si non esset possibile, esset omninò simile, & æquale illi, vt supponitur, & simul non esset, quod est chymericum: quia possibile & impossibile non videntur posse esse inter se omnino similia, & æqualia,

vel ex eo saltem, quod alterum potens ad existendum, & alterum impotens est.

151 Censeo dicendum nihilominus, obiectum impossibile ex suo intrinseco conceptu benè posse esse omninò simile, & æquale enti possibili, vt patet in secundo Deo impossibili solo numero distincto ab vnico vero Deo; eique proindè ex suo conceptu chymerico omnino simili, & æquali: atque ita ex hoc capite necessarium non esse, quòd sit possibile id, quod cuiuis enti possibili omninò est simile, & æquale ex suo intrinseco conceptu. Cuius doctrinæ ratio est: quia ex vnâ parte chymera impossibilis benè concipi potest, sæpéque de facto concipitur omninò similis, & æqualis enti possibili, non solùm in cæteris omnibus prædicatis vtrique intrinsecis, de quibus non est dubium; sed etiam in prædicato potentis existere vtrique pariter intrinseco: ex aliâ verò parte impossibilitas, quâ chymera ab ente possibili differt, prædicatum eius est semiextrinsecum, nihilque derogat proindè similitudini, & æqualitati prædictæ. Etenim omnis chymera ex eo impossibilis est, quòd alteri conceptui opponitur, sine quo aliàs nequit existere; vel quia ille est necessariò existens, vel quia chymera cum illo non solùm oppositionem, sed etiam connexionem habet, vt satis constat ex dictis in *præcedentibus quæstionibus*. Oppositio autem prædicatum est semiextrinsecum extremis oppositis, vt videbimus *disputat.* 14. vndè fit, vt impossibilitas chymeræ prædicatum etiam semiextrinsecum eius sit, atque adeo non obstans omnimodæ similitudini, æqualitatique, quam chymera quoad suum intrinsecum conceptum cum ente possibili habere potest etiam in prædicato potentis existere, ipsi enti possibili prorsus intrinseco. Vnde id in secundo Deo omninò simili, & æquali ex suo conceptu chymerico vnico vero Deo, & nihilominus inde impossibile: quia verus Deus indefectibilis illi oppositus est, atque adeò necessariò ferens secum contradictorium eius.

152 Quarta difficultas est: an, & quomodò sit vtilis in scientiis humanis ad veritates aliquas indaganda forma disputandi, & arguendi ex hypothesi impossibili satis frequens in illis. Nonnulli Recentiores existimant, nullo modo esse vtilem: quia ex hypothesi impossibili quodlibet sequitur ex extremis contradictionis, vt suprà iam notarum est *quæst. 5. propos. 5.* Ego verò cum communi censeo, vtilem esse, si debitus eius modus seruetur. Nam licet ex omni chymera impossibili quodlibet ex extremis contradictionis sequatur absolutè loquendo; eo quòd nulla est, quæ non sit connexa cum duobus extremis contradictionis, *vt quæst. 2.* & *5.* statutum est; verum quia connexio ista, vt plurimùm, aut non est adæquatè intrinseca conceptui chymerico; sed partim extrinsecè orlunda ab alio conceptu oppositi illi, à quo suam impossibilitatem participat, iuxta dicta *nuper*; aut non est immediata respectiuè ad vtrumque contradictorium, sed mediata respectu alterius, & consequenter semiextrinsecè etiam fundata in medio distincto à conceptu chymerico, efficitur, vt ex præciso conceptu chymerico posito in hypothesi non vtrumque contradictorium, sed alterum tantùm sequatur, tametsi ex illo, & ex alio quopiam adiuncto, sine quo nequit ille esse sequatur vtrumque. Quo fit, vt ex conceptu chymerico præcisè sumpto per locum intrinsecum, vt aiunt, non sequantur duo contradictoria, sed alterum tantùm, superstitque subindè locus ad disputandum, & arguendum ex hypothesi impossibili sine contradictione, atque adeo vtiliter, vt sæpè fit, ad perscrutandas metaphysicè naturas, & proprietates rerum.

Quæ doctrina ab omnibus hactenus praxi ipsa re- 153
cepta, & ab vno, aut altero Recentiore recens vocata in dubium, vt clariùs appareat, opponamus aliqua exempla. Vt probent Theologi distinctionem personalem Filij, & Spiritus S. nasci ex oppositione, quam habent producentis, & productis benè, & vtiliter sic arguunt ex hypothesi impossibili. Si Spiritus S. non procederet à Filio, non esset relatiue oppositus illi: Ergo nec distinctus ab illo; siquidem in diuinis non est distinctio, vbi non est relationis oppositio, vt fert vulgare axioma. Etenim licet defectus chymericus processionis Spiritus S. à Filio loquendo absolutè ferat secum vtrumque extremum contradictionis, nempè defectum distinctionis Spiritus S. à Filio, & distinctionem ipsam: quia defectus processionis absolutè nequit stare sine aliis prædicatis Spiritus S. cum processione connexis, vtpotè necessariò existentibus; & hæc sine processione stare non possunt; atque ita defectus processionis absolutè sine ipsâ processione stare non potest; & consequenter nec sine distinctione, quam fert secum processio. Ast defectus processionis præcisè solùm infert per locum intrinsecum defectum distinctionis, non item distinctionem ipsam. Quo etiam iure, loquendo vniuersè ex hypothesi impossibili defectus cuiusuis proprietatis essentiæ verè, & sine contradictione, atque adeo benè, & vtiliter adstruitur defectus alterius proprietatis necessariò supponentis illam: sicut ex hypothesi impossibili essentiæ quæuis proprietas eius. Sic si homo non esset admiratiuus, non esset risibilis; si cælum non esset corporeum, non esset impenetrabile; si Angelus esset homo, esset risibilis; si circulus esset triangulus, haberet tres angulos æquales duobus rectis, &c.

Similiter ad probandum, possibilitatem creaturarum sine existentia Dei constare non posse, sic benè, & vtiliter arguitur ex hypothesi impossibili: Si Deus non existeret, Deus non esset possibilis: quia neque ab alio, neque à se posset accipere existentiam; si autem Deus esset impossibilis, cætera cuncta essent impossibilia; ob eamdem rationem. Eodem pacto probatur benè, impossibilitatem chymerarum adæquatè distingui à Deo: quia ex hypothesi impossibili, quòd Deus deficeret, per locum intrinsecum sequitur, adhuc eas fore impossibiles. Et alia huiusmodi sexcenta per hypothesin impossibilem benè, & vtiliter comprobantur. 154

Ex quibus omnibus tandem colliges, tunc so- 155
lum argumentum ex hypothesi impossibili inutile esse ad aliquid sine contradictione inferendum, quando ex parte hypothesis implicatur contradictio in adiecto, vt aiunt, id est, quando conceptui, chymerico, ex quo præcisè sumpto vnum tantùm ex extremis contradictionis inferendum erat, adiicitur alius conceptus, ex quo venit inferendum extremum alterum, sicque fit, vt ex integrâ hypothesi per locum intrinsecum ex æquo inferatur vtrumque.

Recentiores quidam, in quos post hæc scri- 156
pta incidi, duo ad rem dicunt. Primum. Ex quâuis hypothesi impossibili non solùm duo aliqua contradictoria; sed quidlibet omninò sequi, quantumuis disparatum, aut impertinens videatur. Secundum: ex hypothesi impossibili, quâ tali nunquam propterea argui vtiliter; sed tantùm ex conceptu aliquo possibili incluso in chymerâ impossibili. Vnde dicunt in eâ celebri quæstione: An, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio distingueretur ab illo, sumendum esse ex parte hypothesis hunc conceptum possibilem: *Persona diuina*

157 *uina non procedens à Filio, & procedens à Patre,* ad hoc, vt arguatur vtiliter.

Non placent quoad primum, sed vehementer potius displicent. Quia sicut ex entibus possibilibus non quodlibet est connexum cum quolibet, proindeque non ex quolibet infertur quodlibet, vt est certissimum (alioquin non posset Deus producere aliquam creaturam, quin produceret omnes, aut hunc mundum, quin omnes possibiles: imo Deus non posset existere sine creaturis, neque voluntas creata sine suis actibus: nullaque subinde esset libertas: aliaque innumera huiusmodi absurda sequerentur) ita ex entibus impossibilibus non quodlibet connectitur cum quolibet aut impossibili, aut possibili, aut existente. Quod sanè ex ipsis terminis est euidens. Quia sicut ex eo, quòd Petrus modò curreret, non sequitur necessariò, me loqui, aut me tacere, Papam dormire, aut Turcam conuerti; & cætera huiusmodi, vt est notissimum. Ita ex eo, quòd ignis modò actione chymericâ frigefacerer, aut alia quæuis huiuscemodi chymera existeret, non sequitur necessariò, aliquod ex prædictis, & multò minùs quodlibet aliud fore, vt non minùs est notum. Malè ergo
158 citati Recentiores asserunt, ex quâuis hypothesi impossibili quodlibet necessario sequi.

Sed arguunt pro se primò. Si existeret quæuis chymera impossibilis, existerent simul duo contradictoria, vt omnes fatentur; aliàs non esset impossibilis contra suppositionem. Ponatur ergo e. g. in tali hypothesi existere, & simul non existere lucem. Inde sic probant, Papam dormire. Vel lux existit, vel Papa dormit: At lux non existit: ergo Papa dormit. Argumentatio est legitima, vt constat ex logicâ. Maior, & minor in data hypothesi sunt veræ. Ergo ex datâ hypothesi necessariò sequitur consequens. Pariterque venit probandum, quodlibet aliud sequi; fallaciter tamen, vt aliàs in simili tetigi contra eosdem Recentiores. Respondeo, à negatione vnius ex extremis disiuncti veri ad positionem alterius solùm argui legitimè, quando per eam negationem simpliciter, & vndequaque excluditur tale extremum: negatio autem lucis in datâ hypothesi non excludit simpliciter, & vndequaque lucem, vtpote per ipsam hypothesin positam, compositamque cum sui negatione. Quare in data hypothesi argumentatio facta non est legitima. Nihilque subinde per illam probatur contra doctrinam statutam; Nec aliud docemur in logicâ, iuxta quam solùm est legitima dicta forma arguendi, quando minor syllogismi disiunctiui simpliciter, & vndequaque excludit alteram partem maioris: vti semper euenit,
159 quando, aut absolutè proceditur, aut ex hypothesi non impossibili.

Secundò arguunt ex hypothesi existentiæ secundi Dei impossibilis, atque adeo impotentis existere, in hunc mdum. Data existentia alicuius non potentis coëxistere carentiæ dormitionis Papæ, dormit Papa: At existit alius Deus, qui, cùm sit impotens existere, non potest coëxistere carentiæ dormitionis Papæ: Ergo Papa dormit. Pariterque probandum venit, Papam non dormire; & quidlibet aliud. Sed miror, homines ingeniosos huiusmodi argumenta facere seriò, & ex animo. Respondeò, ex hypothesi existentiæ secundi Dei nihil omninò sequi excluiuum carentiæ dormitionis Papæ, & consequenter cum ipsâ dormitione connexum, vt satis, superque, ni fallor, per se euidens est, atque adeo esto sequeretur aliquid simpliciter excludens coëxistentiam secundi Dei cum tali carentiâ, id certè eam sic non excluderet remouendo carentiam ipsam, sed remouendo dumtaxat ipsum secundum Deum, quo solo remoto, talis coëxistentia cessaret. Vnde remotio carentiæ dormitionis Papæ per positionem dormitionis neutiquam sequitur ex dicta hypothesi. Addo, ne Deum quidem ipsum secundum, aut quoad existentiam, aut quoad potentiam existendi excludi alicunde simpliciter in datâ hypothesi: quia licet, eâ datâ, secundus Deus non existeret, quia verus Deus illum excluderet, & non posset existere, quia id habet ex suo conceptu, aliundè, vt supponit hypothesis, existeret, & consequenter posset existere; atque ita in data hypothesi tum existentia secundi Dei, tum eius potentia ad existendum, tum ambarum negatio carentiæ dormitionis Papæ coëxisterent simul, si Papa non dormiret, dormitioni autem, si dormiret; impertinenterque proinde se habent ad hoc vt Papa dormiret, vel secus, coniuncta contradictoriorum, quæ in ea hypothesi darentur, 160

Iam verò secundum, quod ex citatis Recentioribus proposuimus, non magis placet. Tum quia, dum aiunt, solùm argui vtiliter ex hypothesi conceptus possibilis incluſi in inpossibili, ipsa sua explicatione reiiciunt vt inutilem modum arguendi ex hypothesi impossibili hactenus receptum ab omnibus. Tum quia non solùm ex hypothesi conceptus possibilis; sed etiam ex hypothesi conceptus impossibilis passim arguimus vtiliter, vt constat ex dictis. Tum quia ex conceptu possibili, quem assignat ad arguendum vtiliter in illa quæstione de distinctione Spiritus Sancti à Filio in casu non processionis ab ipso, inutiliter potius, & nugatoriè argueretur. Inutiliter quidem, quia ex hypothesi, quòd Persona diuina procedens à Patre, & non à Filio, non procedat à Filio, nihil infertur pro Spiritu sancto, de quo quæstio est, quia tantùm infertur, Personam diuinam procedentem à Patre, & non à Filio, quæ re ipsa, & absolutè est Filius ipse, non distingui à Filio. Nugatoriè autem, quia assumptio hac nugatoria est, vt satis ex se apparet, si Persona diuina procedens à Patre, & non à Filio, non procederet à Filio. Nostræ igitur explicationi datæ pro modo vtiliter arguendi ex impossibili hypothesi standum est.

DISPVTATIO XII.

De entibus rationis.

INTER obiecta intellectus humani entia 1
etiam rationis suum locum habent. Quocirca in præsenti disputatione de illis, quantum sat fuerit, agendum nobis est.

QVÆSTIO I.

Quid sit ens rationis?

OMissis variis conceptionibus entis rationis, 2
quas congerit Paulus Vallius in sua logica. a. c. *proleg. q. 2. c. 1.* de eo nobis ente rationis agendum in præsenti est, quod prout condistinctũ ab ente reali habenti esse in se, & ei qodammodò contrapositum; Sic definiuit Commentator *lib. 6. Metaph. comm. 3. Ens, quod solum habet esse obiectiuè in intellectu*; id

est, quod cum ab intellectu cognoscatur, re ipsâ non est, vti cognoscitur. Quam definitionem communi plausu receperunt Conimb. *in Præfat. Porph. q. 6. art. 1.* Soar. *disp. 54. Metaph. sec. 1.* Fonsec. *lib. 5. Metaph. cap. 7. q. 6.* Petrus Hurt. *disp. 9. Metaph. sec. 3.* Vall. *suprà q. 3. c. 1.* Smiglet. *disp. 1. log. q. 1.* Murcia *disp. 2. de vniuers. q. 1.* Ioan. a S. Th. *q. 2. log. art. 1.* & alij communiter tam antiquiores, quam recentiores. Estque de mente S. Th. *opusc. 41. cap. 1.* & *q. 21. de verit. art. 1.* & *1. p. q. 16. art. 3. ad 2.* & *1. 2. q. 8. art. 1. ad 3.* & sæpe *alibi*. Et colligitur ex Arist. *lib. 4. Metaph. cap. 2.* & *lib. 5. cap. 7.* & *lib. 6. cap. 6.* Vt illam declarem.

3 Suppono primò, quoduis obiectū hoc ipso, quod per cognitionē repræsentatur quodammodo trahi, & præsens reddi in mente cognoscentis. Quo fit, vt ibi dicatur esse obiectiuè, seu existere, non physicâ, reali, & propriè dictâ existētia; sed obiectiua, intentionali, & metaphoricâ. Quoties ergo id, quod obiectiuè est, existit ve in mente cognoscentis, re ipsâ, & physicè in se non est, vti cognoscitur, ab ea existentiâ mētali, & metaphoricâ vocatur ens rationis: neque aliundè per cognitionem trahi, sed per cognitionem ipsam ibi fieri dicitur. Itaque ens rationis, & ens reale in eo conueniunt, quod vtrumque per cognitionem repræsentatur; subindèque intentionaliter, siue obiectiuè in mente cognoscentis dicitur esse, seu existere: differunt tamen, quod ens reale præterquàm quod ita habet esse in mente cognoscentis, insuper habet esse re ipsâ in se, ens verò rationis non item. Et ideò ens reale etsi in ratione sit, nō dicitur ens rationis: quia cū in se re ipsâ habeat verum, & ratū *esse* neq; illius esse, quod in mente habet, habetur ratio, neq; per cognitionem dicitur fieri; sed quasi trahi aliūde. Vnde in mēte cognoscentis non tam existentiam, quàm præsentiam intentionalem censetur acquirere, à qua potius, quàm à nouâ existentiâ ibi acquisita dicitur ibi intentionaliter, siue obiectiuè existere, cùm tamen ens rationis non solam præsentiam; sed existentiam etiam intentionalem ibi censeatur comparare, ob idque ibidem per sui cognitionem dicatur fieri.

4 Suppono Secundò. Quæcumque res à nobis cognoscitur per species alienas non in se; sed in phantasmate substituto cognosci, talemque proinde apparere eam nobis, & tale *esse* in mente nostra obiectiuè habere, quale phantasma ipsum, prout latè explicatum est, & ostensum *suprà disp. 2. q. 4. Esse* autem rei, quod medio phantasmate, vt substituto intenditur ab intellectu cognosci per species alienas, per proprias autem immediatè in se ipso, aut existentiale potest esse, aut quiditatiuum, iuxta dicta *disp. 10.*

5 Hinc duplex distingui debet genus entis rationis habentis *esse* obiectiuè tantùm in intellectu, vt *disp. 2. q. 3. cit. conclus. 7.* statuimus. Aliud enim est ens rationis fictum; aliud supposititicium. Fictum est, quod cum in se non habeat *esse* aut existentiale, aut quiditatiuum, in mente obiectiuè illud habet, quatenus concipitur existere, cùm non existat; aut esse quidpiam, cùm id non sit. Suppositicium autem est, quod in mente obiectiuè aliud *esse* habet ab eo, quod habet in se, quatenus *esse* aut existentiale, aut quiditatium, quod res cognoscenda verè in se habet, non in se, sed in alieno substituto concipitur, atque ita aliter, quàm in se est, siue aliud ab eo, quod est in se cognoscenti apparet. Pro exemplo prioris sint existentia apprehensa rei non existentis, & possibilitas apprehensa rei non possibilis, & quoduis aliud apprehensum, quod re vera nō est. Pro exemplo verò posterioris sint cōceptus obiectiuus Angeli apprehensi instar iuuenis; cōceptus obiectiuus veræ identitatis, aut veræ distinctionis apprehensæ, vt quidā actus respectiuus inter extrema, aut identificata, aut distincta, & vniuersim cōceptus obiectiuus cuiuslibet rei nō in se, sed in alieno substituto conceptæ, qualiter cuncta concipiuntur, quæ non per proprias, sed per alienas species concipiuntur, iuxta dicta *loco citato*.

Igitur licet definitio præfata de solo ente rationis 6
ficto videatur à suis Auctoribus hactenus intellecta, aptiusque, vt sonat, de illo veniat intelligenda: quia illud propriissimè est, quod tantùm habet *esse* obiectiuè in intellectu. Cæterùm nō ineptè etiā aptari potest enti rationis suppositicio; hoc enim etiam suo modo tantùm habet *esse* obiectiuè in intellectu, quatenùs conceptus obiectiuus, sub quo in alieno substituto res cognoscēda nobis apparet, solùm est in mente nostra obiectiuè, nō verò à parte rei: quia solùm in mēte nostra obiectiuè exercet res cognoscēda per substitutū, & nō per se munus obiecti, similiterq; munus substituti obiectiui phantasma subrogatum pro illa. Ex quibus apparet, quo pacto definitio data entis rationis veniat intelligēda; & quid ens rationis fictū, quidque supposititicium sit; & quomodò vtrumque iure optimo per intellectum ab intellectuve fieri dicatur, quatenus *esse* obiectiuum, quod dicitur in intellectu habere, beneficio solius intellectionis illud concipientis habet, non verò alterius causæ.

Quæ cùm ita sint, colligitur primò, ex vi præcisè 7
cognoscendi per species alienas nullatenus nos facere entia rationis ficta; facere tamen semper suppositicia. Quod contra quosdam Recentiores iam est probatum à nobis *suprà disp. 2. q. 3. conclus. 7.* Videatur.

Secundò colligitur, semper facere intellectum 8
nostrum ens rationis suppositicium, quoties per species alienas, atque adeò in substituto alieno cognoscit. Facit autem simul per eamdem cognitionem ens rationis fictum, quando obiectum in substituto alieno cognitum fictitium, siue falsum est; secùs quandò illud est quid verum, vt constat ex dictis.

Tertiò colligitur, re verâ dari entia rationis tum 9
suppositicia, tum ficta, quidquid refragētur Durandus, Vallerius, & alij apud Soar *suprà*: quia re verâ datur in mente nostrâ obiectiuè tum ille conceptus, in quo ens rationis suppositicium consistere diximus; tùm aliquod aliud *esse* cognitum, quod non datur à parte rei; in quo ens rationis fictum consistit. Nihil enim aliud volūt Doctores, cùm asserunt, dari re verâ entia rationis; quàm re verâ cognosci huiusmodi obiecta, subindèque in mente cognoscentis aliquod *esse* habere obiectiuum, quod re ipsâ non habent in se. Neque inutile est, eiusmodi entia rationis abstrahere, & de eis disputare, quidquid nō nemo contrà dixerit. Tum quia inutile non est disputare de quibusuis obiectis scibilibus; qualia sunt ista entia. Tum quia cùm illa aut semper, aut sæpe misceantur in conceptione nostra cum veris, & realibus entibus, dum hæc concipere, atque cognoscere satagimus; quia id fert noster intelligendi modus pro statu præsenti; perutile est habere illa probe perspecta, vt verum à falso, & ratum ab apparente discernere valeamus. Quæ autem contra hæc obiici possunt, leuiora sunt, quam, vt in eis proponendis, & diluendis debeamus immorari.

Quartò colligitur, ens rationis aliam causam ef- 10
fectiuā sui non habere præter cognitionē quā cognoscitur: quia *esse*, quod habet, cū purè obiectiuū sit,

inten

intentionale, seu metaphoricum, aliâ causâ effectiuâ non eget. Per cognitionem autem eatenùs dicitur fieri, quatenùs dum per illam repræsentatur, ab illâ censetur accipere *esse* obiectiuum, seu intentionale, quod habet. Vtrum autẽ per omnes cognitiones, quibus cognoscitur, vel per solam primam, quâ concipitur censendum sit fieri, ex dicendis constabit. 12

Quintò colligitur contra Smigle. *suprà citatum*, & alios pleroque Recentiores: vt aliquid dicatur, & verè sit ens rationis fictitium, opus non esse, quòd illud sit à parte rei impossibile; sed sufficere, quòd non detur à parte rei illud *esse*, quòd obiectiuè in mente est, quòdcumque demum illud sit, aut existentiale, aut quiditatiuum. Sic enim fiet, vt tale *esse* obiectiuè tantùm sit in mente cognoscentis, atque adeò ens rationis fictum, iuxta definitionem traditam; quæ hoc sensu omninò accipienda est. Sic cùm cõcipimus existẽs, quod purè possibile, atque adeò non existens est, existentiam quamdam fictitiam appingimus illi, quæ proinde existentia rationis, seu ens rationis dicenda est. Quin imò chymeræ impossibiles quoad existentiam tantùm, aut etiam quoad possibilitatẽ sunt entia rationis, quandò cum eâ existentiâ, aut possibilitate concipiuntur, quam verè non habent; non item quoad alia prædicata quiditatiua, quæ verè habent, iuxta dicta *disp.* 11. *q.* 2. quoad hæc enim non ficta obiecta; sed vera sunt. Vniuersaliter enim ens rationis fictum, siue fictitium idem est atque obiectum falsum, id est, iudicabile falsò ab intellectu, qui falli potest. Falsum enim obiectum est, quod cùm re ipsâ non habeat *esse*, cognoscitur tamen, siue concipitur ab intellectu, atque ita tantùm habet *esse* obiectiuè in intellectu, prout fert definitio entis rationis. Vnde nullum obiectum verum quatenus verum potest esse ens rationis fictum: quia omne obiectum verum, qua tale, non tantùm in intellectu obiectiuè, 13 sed etiam in se re ipsa habet *esse*.

Hinc sequitur primò; tunc solùm fieri à nobis ens rationis fictum, quando concipimus vt conuenientem subiecto actum, qui verè illi nõ conuenit, aut vt non conuenientem, qui cõuenit; siue sit actus existentiæ, siue potentiæ ad existendum, seu possibilitatis, siue potentiæ ad aliud quidpiam, siue identitatis, siue connexionis; siue oppositionis, siue vnionis, siue similitudinis, siue æqualitatis cum alio quopiam &c. Tales enim actus ab intellectu concepti fictitij sunt respectiuè ad talia subiecta, quorum sunt prædicata; atque adeò entia rationis ficta, cùm verè illis non conueniunt; cùm verò conueniunt, fictitiæ sunt negationes eorum. Secundò sequitur; bene posse concipi à nobis chymeram impossibilem, quin faciamus ens rationis fictum. Si enim præscindendo ab omnibus actibus, seu prædicatis, quæ verè illi non conueniunt, vt sunt existentia, potentia ad existendum, & alia huiusmodi, concipiamus illam cum solis actibus, aut prædicatis, quæ verè illi cõueniunt ex suo conceptu obiectiuo, vt esse conceptibilem, esse impossibilem, esse identificatam secum, esse distinctam ab alio quopiam, esse connexam cum contradictione &c. nihil in eâ concipiemus, quod non sit verum, nullumque subindè ens rationis fictum faciemus, vt constat ex dictis. Quomodò autem primò concipientes chymeram per propriam speciem existentiam saltem rationis, à quâ præscindere non possunt, facere debeant, ex posteà dicendis constabit. 14

Sextò colligitur ex dictis, in ente rationis fictitio duplicem existentiam, duplicemque possibilitatem spectari posse: aliam physicam, & propriam, non tamen veram, sed fictam: aliam veram, non tamen physicam, & propriam, sed intentionalem, & metaphoricam, Physica & ficta existentia, aut possibilitas entis rationis est, quæ per intellectum concipitur; quando apprehenditur existens, quod verè non existit; aut possibile, quod verè nõ est possibile. Vera tamen, intentionalisque existentia eiusdem entis rationis est, quam ipsum figmentũ per cognitionem, quâ cõcipitur, acquirit in mente cognoscentis, dùm in eâ metaphoricè existere dicitur, iuxta doctrinam datam. Possibilitas autem etiam intentionalis, & metaphorica tali existentiæ correspondens vera non repugnantia est, siue potentia, vt tale figmentum cognoscatur, sicque per cognitionem fiat, accipiatve existentiam ipsam in mente cognoscentis. 14

Hinc sequitur primò; consentaneè ad acceptiones entis realis traditas *disp.* 9. *q.* 1. ens rationis bifariam accipi posse. Primò pro existente, vel pro potente existere, aut etiam pro essente quidpiam, vel pro potente esse quidpiam à parte rei, fictitiè tamen, quia tale concipitur, cùm re ipsa tale non sit. Secundò: pro existente, vel pro potente existere intentionaliter, seu obiectiuè; verè tamen, quia verè est existens, aut potens existere intentionaliter in mente illud concipientis. Et ens quidem rationis primo modo sumptum vniuocè conuenire potest cum ente reali, tum in conceptu entis, tum in aliis: quia benè possunt obiecta fictitia ex propriis conceptibus exactè similia esse obiectis realibus, iuxta dicta *disp.* 11. *q.* 6. Qua nihil desideratur, vt in eumdem conceptum vtrisque communem coire possint, iuxta dicenda *disp.* 17. At ens rationis sumptum secundo modo, neutiquàm conuenire potest vniuocè cum ente reali in conceptu entis: quia existens, aut potens existere intentionaliter, quale illud est, & existens, aut potens existere realiter, quale est hoc, nequaquam habent inter se similitudinem exactam, qualis ad vniuocationem requiritur; sed quamdam tantùm analogiam, quæ ad illam non sufficit, iuxta dicenda etiam *disp.* 17. 15

Secnndò sequitur: falsam esse singularem cogitationem cuiusdam ingeniosi Recentioris, asserentis, tunc solum ab intellectu fieri ens rationis, quando concipitur chymera impossibilis, vt actu existens: quia tunc solùm tribuitur illi existentia; non item quando concipitur præcisè, vt possibilis: facere autem quidpiam in vniuersum aliud non est, quàm tribuere illi existentiam. Falsa, inquam est hæc cogitatio: quia existentia, quam ens rationis censetur accipere, dum fit, non est existentia ficta, quam habere concipitur, quando, vt existens apprehenditur, cùm tale non sit; sed intentionalis, quàm verè habet in mente illud concipientis, eò ipso, quòd per cognitionem fingentem illud apprehenditur, iuxta superiùs dicta. Hanc autem intentionalem existentiam semper habet chymera, siue, vt existens, siue, vt purè possibilis concipiatur, vt est notissimum. Et sanè si prædicta cogitatio esset vera, imprimis contra ipsum Auctorem, & penè omnes, sequeretur, non dari, seu non existere entia rationis; atque adeò nec fieri: quia, quod ficta, atque adeò falsa existentia existit, verè non existit, nec datur; atque adeò nec fit, vt constat. Deindè sequeretur, concipientem chymeram esse possibilem, aut hominem esse equum, aut alia huiusmodi figmenta cũ præcisione ab existentia nec facere, nec concipere entia rationis. Quod inauditum hactenus fuit, & contra definitionem entis rationis receptã ab omnibus; siquidẽ eiusmodi figmẽta

tantùm habent *esse* obiectiuè in intellectu ea concipientis: alioquin non essent figmenta falsa; sed obiecta vera. Falsa igitur aperte est cogitatio prædicta.

16 Vnde sequitur tertiò. Etsi possibilitas entis realis à nulla causa fiat, possibilitatem tamen fictam entis rationis ab intellectu fieri; fit autem, dum existentia donatur non ficta; sed intentionali. Vnde possibilitas entis rationis, quæ à nulla etiam causa fit, & possibilitati entis realis proportione respondet, non est possibilitas ficta, qua concipitur possibile, quod est impossibile; sed possibilitas intentionalis, qua verè est possibile, existere illud intentionaliter media sui conceptione in mente illud concipientis.

17 Septimò colligitur ex dictis: non solùm dari entia rationis ficta positiua; sed etiam non entia, siue negationes rationis: quia non solùm solemus fingere esse, quod verè non est; sed etiam non esse, quod verè est. Non entia autem, siue negationes rationis fictæ bifariam possunt à nobis concipi, perinde ac veræ, nempe aut negatiue per actum remouentem ens, quod negant; aut positiuè per actum ipsas adstruentem, iuxta doctrinam vniuersalem negationum traditam *disp. 2. quæst. 3.*

18 Octauò colligitur: entia rationis suppositicia à solo intellectu cognoscente per species alienas, atque adeo in alieno substituto effici posse, vt constat ex eorum structurâ suprà explicatâ; imò sumpta formaliter à solo etiam intellectu cognoscente per species alienas possunt cognosci, vt explicabimus *inferius q. 5.* Entia verò rationis fictitia etiam ab intellectu cognoscente per proprias species effici possunt, non tamen omnia: quia quædam eorum per species alienas dumtaxat concipi possunt, atque adeo fingi, vt constat ex doctrina statuta *disp. 11. quæst. 2. prop. 3.* Talia autem sunt identitas ficta extremorum re ipsa distinctorum, & distinctio ficta extremorum, quæ re ipsa sunt vnum, & idem, & cætera, quæ hæc quoquo modo inuoluunt in conceptu suo. Recognoscantur dicta ibi. Porrò quæcumque de suo veram essentiam, seu quiditatem habent, in seque ipsis proinde citra omne alienum substitutum conceptibilia sunt, siue ea sint possibilia, siue impossibilia quoad existentiam saltem, atque etiam quoad non existentiam confingi possunt, sæpissimèque confinguntur de facto à cognoscentibus per species proprias: quia apprehenduntur existentia, cùm verè non existant; aut non existentia, cùm existant, atque ita entia rationis existentialia, aut non entia rationis existentialia fiunt, idque etiam à Deo, prout ex dicendis *quæst. 5. citata* constabit amplius.

19 Nonò colligitur: ens rationis fictum tunc primùm fieri, cùm primùm concipitur esse, quod verè non est. Vndè, quandò idem figmentum pluribus cognitionibus tangitur quoad *esse* fictitium præcisè, per eam solùm cognitionem censendum est fieri ens rationis, quæ cæteris prior est aut tempore, aut natura, reliquæ enim, quæ superueniunt, iam factum reperiunt, neque illi nouam existentiam, sed nouam solùm præsentiam intentionalem præbent, perindè, ac si esset ens reale, quod non existentiam, sed præsentiam intentionalem accipit per sui cognitionem in mente cognoscentis, vt ex dictis constat. Dixi: *quoad esse fictitium præcisè.* Quia quandò cognoscitur ens rationis quoad *esse* intentionale, & metaphoricum siue actuale, siue possibile ab alia cognitione actuali, vel possibili oriundum: tunc multò certius est per cognitionem quasi reflexam, qua, vt sic cognoscitur, ipsum ens rationis non fieri: tum quia illud per talem cognitionem secundariò cognoscitur: tum maximè, quia cognoscitur, vt habens iam verum *esse* aut actuale, aut possibile, non physicum; sed intentionale, & metaphoricum, quale, aut actu, aut possibiliter accipit à prima cognitione. Id autem, quod alias verè habet illud *esse*, quod menti per cognitionem obiicitur, præsentiam dumtaxat nouam intentionalem; non verò existentiam accipit in ipsa mente, atque adeo per rationem nullatenus fit. Quod autem dicimus de ente rationis fictitio, sua proportione seruata, dici etiam potest de ente rationis suppositicio, vt consideranti patebit.

Decimo colligitur: ens rationis fictitium per simplicem intellectus apprehensionem effici posse. Est contra Petr. Hurt. *disp. 19. Metaph. §. 82.* opinantem per solum iudicium posse effici. Sed male: quia per simplicem apprehensionem potest concipi esse id, quod non est re ipsa, vt est notissimum: ergo per simplicem apprehensionem potest illud habere *esse* tantùm obiectiuè in intellectu, quo nihil desideratur, vt sit ens rationis per simplicem apprehensionem factum, iuxta receptam entis rationis, & effectionis eius definitionem. Dices cum Hurt: solum iudicium ex capax falsitatis, atque adeo fictionis. Ergo per solum iudicium potest fingi, atque adeo fieri ens rationis. Respondeo, concedendo, solum iudicium esse capax falsitatis, atque adeo fictionis strictè sumptæ, vt idem sonet, atque falsitas: fictionis verò latius acceptæ pro formatione, seu effectione figmenti obiectiui, nego esse solum iudicium capax: quia etiam est capax apprehensio simplex, hoc ipso, quòd repræsentare valet, atque adeo suo modo fingere, quod re ipsa non est. Adde, entis etiam rationis suppositicii esse factiuam apprehensionem simplicem habitam per speciem alienam, vtpotè, quæ conceptiua eo ipso est in substituto alieno obiecti cuius est apprehensio, iuxta doctrinam stabilitam *disp. 2. quæst. 3.* 20

Vndecimò coll. gitur: per solam apprehensionem simplicem effici ab intellectu nostro entia rationis, tum ficta, tum suppositicia; per iudicium verò, aut per discursum non item. Ita docti Recètiores contra contra pleroscque apud Rub. *Tract. de ente rationis*, censentes, per quamlibet operationè nostri intellectus posse illa fieri. Probatur autem: quia quoties idé ens rationis per plures cognitiones cognoscitur, per eam solam censendum est fieri, quæ cæteris prior est, aut tempore, aut naturâ, iuxta dicta nuper *n. 19.* sed quidquid ab intellectu nostro cognoscitur per iudicium, aut per discursum prius saltem natura, est illi propositum per simplicem apprehensionem, atque adeo per illam cognitum, vt *suprà disp. 2. q. 4.* probatum est: ergo quandò illud est ens rationis per huiusmodi apprehensionem simplicè necessario præeuntem; non verò per aliquam aliarum subsequentium operationum dicendum est fieri. Aduerto tamen, solum esse hic sermonem de entibus rationis positiuè conceptis, quæ solum proprie dicuntur entia rationis. De conceptis enim negatiuè, quæ potius non entia, quàm entia rationis dicenda veniunt, qualia dantur, quoties fingimus, non esse, quod re ipsa est, aliter est censendum, nempe ea, qua ratione dici possunt fieri, sæpius per iudicium, quàm per simplicem apprehensionem fieri, dumtaxat enim fieri possunt per cognitionem negatiuam: & prima cognitio negatiua, sub quam cadunt, iudicium, vt in plurimùm est, non apprehensio præuia ad iudicium, quæ solùm videtur posse negatiua esse, quandò est constitutiua hypothesis, iudicioque conditionato de conditione negatiua subseruit. 21

Reco

Recognoscantur dicta de natura iudicij negatiui *supra disp. 2. q. 4. citata.*

22 Duodecimo colligitur: quomodo sit resoluenda ea quæstio. An aliæ potentiæ ab intellectu faciant entia rationis. Circa quam Soar. *disp. 54. Metaph. sect. 2.* docet, neque sensus, neque voluntatem entia rationis facere posse, excepta imaginatione humana, quæ, inquit, ea, quam habet, vi componendi species simplices, quas accepit à sensibus, figmenta quædam tum possibilia, tum etiam impossibilia, formare potest. Consentit Rub. *tract. de ente rationis.* At Petr. Hurt. *disput. 19. Metaph. §. 84.* Semiglet. *disp. 1. log. quæst. 6.* Ouied. *controuers. 12. Metaph. punct. 6.* & alij Recentiores opinantur absolutè, per nullam aliam potentiam, præter intellectum effici posse entia rationis. Arriag. verò ex aduerso *disp. 6. Metaph. sect. 3.* tum sensibus tam externis, quam internis tum etiam voluntati tribuit virtutem effectiuam entis rationis. Ego assero primò: ens rationis à nulla potentia appetitiua fieri posse immediatè: tum quia nulla potentia appetitiua trahit ad se, sibique præsens reddit obiectum, prout opus erat, vt in illa existentiam intentionalem acquireret sibi ens rationis, iuxta superiùs dicta; cùm potiùs ex suo modo tendendi in obiectum feratur: tum quia omnis potentia appetitiua, dum fertur in aliquod ens rationis necessariò supponit illud iam factum per actum potentiæ cognoscitiuæ prævium, quo tale ens rationis ipsi proponitur; atque ita illud facere nequit, iuxta doctrinam datam *nuper numer. 29.* Dico autem *immediatè*: quia mediatè mouendo intellectum ad cognoscendum bene potest voluntas nostra concurrere ad effectionem eius rationis, iuxta doctrinam statutam *supra disp. 7.*

23 Secundò assero, per nullum sensum fieri posse entia rationis suppositicia: quia nullus sensus, vt est certissimum, cognoscit per species alienas, & in substitutis alienis, prout ad facienda talia entia rationis necessarium erat, iuxta dicta.

24 Tertiò assero, per sensum internum passim à nobis fieri entia rationis ficta quoad existentiam: passim enim imaginamur tum in somnis, tum in vigilia varia figmenta existentia, quæ aut non existunt, aut nunquam extiterunt, vt nemo est, qui non experiatur. Bruta etiam animalia suâ imaginatione similia entia rationis facere, dubitandum non est, cùm sæpè in suis apprehensionibus fallantur, vt etiam constat experientiâ. Nec refert, sensum internum nullas aliàs habere species præterquam accidentium sensibilium, vt verè nullas alias habet: Tum quia per eas in memoria asseruatas potest concipere vt existens, quod iam non existit: Tum maximè, quia vi, qua pollet, eas quodammodo miscendi in ordine ad imaginandum, monstrosa quædam phantasmata passim confingit, quæ neque extiterunt vnquam, neque vnquam existent, vti experimur. Quomodo autem fiat huiusmodi mixtio, æque fictio, potissimum circa sensibilia communia, quæ ad vnam tandem præsentiam localem reuocantur, ex dictis à nobis *supra disp. 1. q. 2.* cuique compertum fiet. Recognoscantur.

25 Quartò assero contra Soar. & Arriag. *vbi supra*, per sensum internum nullum figmentum impossibile confingi posse: quia sensus internus nullius figmenti impossibilis habet speciem propriam; cùm solùm habeat species proprias accidentium sensibilium per sensus externos; per speciem autem alienam nihil valet concipere subrogando vnum obiectum pro alio, vti concipit intellectus. Et quamuis sensibilia propria, quorum tantum proprias species habet sub sensibilibus communibus, hoc est sub præsentiis localibus, quæ nunquam habuerunt possit concipere fingendo eiusmodi præsentias, illæ tamen non impossibiles, sed possibiles sunt dumtaxatque subinde finguntur quoad existentiam. Quæ omnia ex dictis *loc. cit.* vnicuique illa recolenti constabunt.

Quintò denique assero: per sensus etiam externos, præsertim per visum confingi quoad existentiam entia rationis; inde enim nascitur, vt fallantur; vti quando obiectum videtur in loco, vbi non est; quod est concipere præsentiam obiecti verè non existentem. Quomodo autem eueniant fallaciæ huiusmodi, & quomodo species proprij sensibilis à sensitorio, cui est impressa determinetur ad producendam sensationem sensibilis communis tum existentis, tum etiam sæpè non existentis, atque adeò ficti *loc. cit.* etiam est explicatum, vbi videndum. Ex quibus contra Arriag. constat, per sensum externum nullum figmentum impossibile confingi posse. Porrò quæcunque figmenta quoad existentiam confinguntur per sensus internum, & externos: impropriè dicuntur entia rationis; cùm non habeant suum esse fictum à ratione, seu intellectu; sed in hoc hærendum non est, cùm sit quæstio de nomine. 26

QVÆSTIO II.

Vtrum ens rationis in complexo obiectiuo partium inter se pugnantium consistat, quarum singulæ, nulla dempta, veræ, & reales sint.

AFfirmat Herice *1. part. tract. 1. disp. 8. cap. 1.* dicens: ens rationis nihil est aliud, quàm totum quoddam inexistibile, vt obiicitur menti, licèt aliàs constet ex partibus realibus. Vnde essentialiter constat tum ex re repræsentata, tum ex ipsa repræsentatione extrinseca rebus in esse rei; essentialis verò quatenus est ipsa coniunctio, seu applicatio entis realis alteri, cui repugnat coniungi, & applicari; ita ille, quem non pauci Recentiores sequuti sunt. Recidit autem sententia hæc in impugnatam à nobis *supra disp. 11. q. 2.* Recentiorum dicentium, ex parte obiectorum nihil omninò cognoscibile esse ab omni ente possibili condistinctum, atque ita impossibilitatem impossibilium in eo consistere, quòd ipsa obiecta possibilia cognoscibilia sint per cognitionem necessariò falsam, id est, intentionaliter coniungentem terminos repugnantes, aut diuidentem necessariò cohærentes. Supponere enim videtur sententia hæc, sola obiecta quoquo modo impossibilia esse entia rationis. Est autem sermo in hac quæstione de ente rationis fictitio, non de suppositio, de quo ne meminerunt quidem, qui illam tractarunt. 27

Propositio 1.

Impossibile est, ens rationis inexistibile ex pluribus merè realibus confingi ab intellectu media cognitione applicante, siue coniungente illa, vt dicebat Herice. 28

Ita sentiunt omnes reliqui Doctores præter ipsum Herice, & Recentiores eum sequutos. Probatur autem primò: quia impossibile est, essentiam

compositam habere *esse* realiter, quin omnes partes eius tale *esse* habeant, & vice versa, habere omnes partes, quin habeat essentia, vt constat ex *prop.* 9. demonstratâ *suprà disp.* 9. *quæst.* 5. Ergo si omnes partes obiecti, & cognitio illas atringens (cuiuslibet demum naturæ ea esse dicatur) *esse* habent realiter, vti supponitur, impossibile est, vt essentia composita ex toto obiecto, & ex cognitione realiter non habeat *esse*, aut aliquid non habens *esse* realiter includat in se: alioquin non omnes partes eius haberent *esse* realiter, vti supponitur. Repugnat ergo ens rationis realiter non habens *esse*, nedum inexistibile ex partibus merè realibus, realitérque subinde habentibus *esse* aut existentiale, aut possibile compactum mediâ sui cognitione.

29 Dices: in *esse* rei tam cognitionem, quàm omnes partes obiecti cogniti reales esse: at partes obiecti in *esse* obiecti complexum quoddam fictitium, inexistibileque componere, hoc ipso, quod per cognitionem cognoscuntur eas intentionaliter coniungentem, cum sint inter se realiter inconiungibiles. Contrà tamen sic arguo. Aut partes obiecti in *esse* obiecti cõponere complexum fictitium, & inexistibile dicit in suo cõceptu præter omnes partes reales obiecti, & cognitionem aliquid aliud, aut nihil? Si aliquid aliud, illud erit quoddam figmentum inexistibile obiectiuum aliis obiecti partibus annumerandum, contra suppositionem, vt constat. Si nihil: Ergo ens rationis fictitium, & inexistibile ex partibus obiecti, mediâ cognitione compositum, ipsissima est essentia composita ex partibus ipsis obiecti, & ex cognitione. Quam tamen realem; atque adeò existibilem esse demonstratum est. Et quidem si *esse* reale, quod omnes partes obiecti, & earum coniunctiua cognitio habet, existentiale sit, vt in sententia Aduersariorum fatendum est esse, quoties per cognitionem fingentem coniungimus extrema existentia hoc pacto: *Angelus est homo. Deus est albus. Frigus calefacit*, &c. Quis non euidentissimè videt, ex talibus obiecti partibus, ex talique cognitione complexum inexistibile resultare non posse? Esset enim inexistibile totum, cuius omnes partes, à quarum aggregato non differt existentes sunt actu. Quod quàm euidenter repugnet, omnibus palam est.

30 Secundò probatur propositio. Quoniam vel ex parte obiecti datur aliquid habens *esse* obiectiuè in cognitione, & non habens esse in se realiter; vel nihil tale datur. Si nihil tale datur (vt Aduersarij censent, dum asserunt, omnes, & singulas obiecti partes in se realiter habere *esse*: earum autem coniunctionem non dari ex parte obiecti; sed merè esse intentionalem ex parte cognitionis à cognitione ipsa indistinctam:) Ergo non datur ens rationis per cognitionem factum; vtpote, quod iuxta definitionem habens *esse* in cognitione obiectiuè debet realiter in se non habere *esse*. Si verò aliquid tale datur ex parte obiecti. Ergo iam non omnia, quæ includit obiectum sunt entia realia habentia realiter in se idem *esse*, quod obiectiuè habent in cognitione, vt Aduersarij affirmant. Dicent, omnia distributiuè sumpta esse entia realia, coniunctum autem eorum indiuisim sumptum esse ens rationis. Sed contra est: quod redit argumentum præcedens, quo manifestè demonstratur repugnare vt omnes, & singulæ partes essentiæ compositæ, nullâ demptâ, habeant *esse* realiter, & illud non habeat essentia ipsa.

31 Tertiò probatur propositio: quia licèt oppositi sententia in entibus rationis compositis posset videa ri verosimilis, in simplicibus nullomodo potest habere locum: quandoquidem obiecta prorsus simplicia ex pluribus partibus inter se pugnantibus, quas non habent, neutiquam dici possunt esse composita: vt est notissimum. Dari autem entia rationis, quæ sint obiecta prorsus simplicia, non videtur negabile. Quoniam dum aliquis inter proferendum illud Script. 2. Reg. 7. *Non est similis tui, neque est Deus extra te*, simplici apprehensione concipit alium Deum, quem esse negat, distinctum à vero Deo nostro, simplicem quamdam chymeram effingit procul dubio ex pluribus partibus veris nullatenus obiectiuè compactam; siquidem Deus ille inexistibilis, neque ex vero Deo extra quem concipitur, neque ex aliis entibus, aut partibus veris concipitur vllo modo compositus, cùm concipiatur simplicissimus perinde, ac verus; quasi numericè dumtaxat distinctus ab illo. Ecquis neget, me talia figmenta prorsus simplicia posse mente formare?

Quartò probatur: quiâ, vt constat ex dictis 32
quæst. 1. ens rationis fictitium, de quo tractamus, idem est, atque obiectum, quantum est ex se falsum, seu iudicabile iudicio falso ab intellectu, qui falli potest: huiusmodi autem falsitatem solum habere potest obiectum illud, quod tantùm habet *esse*, dum intellectui obiicitur: quia in se realiter non habet esse, quale non est obiectum, in quo Aduersarij dicunt consistere ens rationis, vt constat ex dictis.

Quintò probant præsentem propositionem, quæ- 33
cumque *suprà disp.* 11. *q.* 2. pro prima eius propositione probandâ tradita sunt. Recognoscantur. Tum ex dicendis circa sequentem planiora adhuc, & euidentiora fient, quæ circa illam dicta sunt. Adde Aduersariorum sententiam ex eo etiam falsam esse, quod supponit, nullum posse dari ens rationis, quod non sit inexistibile, siue impossibile, cuius oppositum à nobis *q.* 1. statutum, atque probatum est.

Verum, præter illa, quæ iam diluimus *quæst. illa* 34
2. *citata* adhuc contra doctrinam nostram, communemque solet opponi primò. Intellectus noster non habet species obiectorum impossibilium: ergo possibilia dumtaxat potest concipere. Nego consequentiam: quia, vt per species alienas accidentium sensibilium, quas solas habet, cætera cuncta possibilia, quorum non habet species, potest concipere, ita, & impossibilia potest. Adde, obiectorum etiam impossibilium dari posse proprias species, vt ex dictis *disp.* 11. *q.* 2. *propos.* 3. colligitur, & ex dicendis in sequentibus amplius constabit, quamuis nobis non dentur pro statu præsenti, sicut nec obiectorum possibilium, quæ non intrant per sensus. De quo multa sunt dicta *suprà disp.* 1.

Secundò opponitur. Cognitio sumit suam spe- 35
ciem, & perfectionem ab obiecto: Ergo hoc quid reale esse debet; alioquin nequibit tribuere speciem & perfectionem cognitioni. Respondeo, eatenus solùm dici cognitionem sumere suam speciem, & perfectionem ab obiecto, quatenus per ordinem ad obiectum, cuius repræsentatio est, habet esse talis naturæ, & tantæ perfectionis: hoc autem modo etiam ab obiecto fictitio potest suam speciem, & perfectionem sumere: quia obiecti fictitij potest repræsentatio esse: atque ita in ordine ad illud talem naturam, & tantam perfectionem habere.

Tertiò opponitur. Qui iudicat, hominem esse 36
equum, non concipit inter hominem, & equum identitatem fictam: quia cùm identitas hominis, &

equi

equi verè sit ficta iudicium euaderet verũ; & tamen est falsum. Ergo concipit identitatem veram, repugnantem tamen homini, & equo: quo fit, vt iudicium eis illam applicans euadat necessariò falsum. Egregium sophisma. Respondeo. Qui iudicat, hominem esse equum, concipere identitatem secundum se quasi esset vera, quæ quia talis non est, ab ipsa sui conceptione tendenti in illam quasi veram euadit ficta. Quo fit, vt sit falsum dictum iudicium; tametsi sit verum aliud reflexum de eadem identitate prout ficta. Itaque dictum iudicium falsum identitatem fictam habet pro obiecto non reduplicatiuè prout fictam; sed secundum se quasi veram, cùm tamen non sit vera.

Propositio 2.

37 Impossibile est, obiectum aliquod ens rationis fictitium esse; nisi vel totum, vel aliqua pars eius quid fictum, seu non reale sit.

Si enim nec totum, nec pars eius quid fictum sit, non habebit tantùm *esse* obiectiuè in intellectu, prout ad ens rationis requiritur, vt satis constat ex dictis circa propositionem primam. Itaque si obiectum est simplex, vt sit ens rationis fictitium, totum debet esse fictum quoad illud *esse* siue existentiale, siue quiditatiuum, secundum quod est ens rationis, iuxta dicta *q.* 1. Si autem obiectum est complexum, vt sit ens rationis fictitium, aliqua saltem pars eius debet esse ficta quoad *esse*, secundum quod est ens rationis intelligendo nominis partis, vt semper intelligimus, etiam vnionem, seu coniunctionem, siue colligationem partium cuiusuis generis.

38 Sed dicet aliquis. Aliqua sunt obiecta complexa impossibilia, & chymerica, quorum omnes partes distributiuè sumptæ possibiles sunt, vt patet in coalescentibus ex extremis metaphysicè oppositis siue contradictoria, siue contraria oppositione. Ergo & poterunt esse obiecta complexa fictitia, quorum nulla pars sumpta seorsim fictitia sit. Concesso antecedente, nego consequentiam. Quia, vt constat ex vniuersali doctrinâ traditâ, & demonstratâ *suprà disputat. 9. quæst. 5. proposit. 6. & seqq.* prædicatum impotentis existere, in quo consistit, aliquid esse impossibile ex genere eorum prædicatorum est, quæ possunt conuenire essentiæ compositæ sumptæ indiuisim, quin vlli eius parti conueniant sumptæ seorsim. Prædicatum verò habendi *esse* in mente tantùm obiectiuè, in quo consistit aliquid esse fictitium, siue fictum, ex genere aliorum prædicatorum est, quæ essentiæ compositæ conuenire non possunt, quin alicui saltem parti eius seorsim acceptæ conueniant, vt & ex se satis est manifestum, & ex demonstratis *loc. cit.* & circa *propositt.* 1. dictis facile quisque demonstrabit.

39 Quæ cùm ita sint, colligitur primò. Qui concipit complexum impossibile, cuius omnes partes sumptæ seorsim sunt possibiles præcisè vt impossibile nullum efficere ens rationis: quia nihil fingit, cùm tale obiectum verè sit impossibile. In chymeris enim impossibilibus dari suas obiectiuas veritates citra omnem fictionem conceptibiles vniuersaliter est statutum *q.* 1.

40 Secundò collligitur. Tunc solùm fieri ens rationis concipiendo complexum impossibile, cuius omnes partes sunt possibiles, quando aliquod prædicatum obiectiuum adiungitur illi, quod verè non habet, vt si concipiatur possibile, vel actu existens. Talis enim possibilitas, vel existentia fictitia, atque adeò ens rationis erit. Potest autem fingi possibile per potentiam fictam ad existendum attributam ipsi indiuisim, vel per potentiam fictam attributam cuilibet parti eius ad coexistendum alteri. Similiter potest fingi existens aut per existentiam fictam ipsi indiuisim attributam, aut per existentias attributas eius, quarum aliqua necessariò erit ficta, cùm omnes simul nequeant existere. Quod si ad faciendum ens rationis circa complexum ex partibus possibilibus, quod independenter omninò à sui cognitione suapte natura propter suarum partium oppositionem impossibile, atque adeò inexistibile est, requiritur, vt ex parte obiecti aliquod prædicatum fictum ei adiungatur; multo magis id requireretur ad faciendum ens rationis circa alia complexa, quæ independenter à sui coniunctiuâ cognitione iuxta Aduersariorum sententiam, neque impossibilia, neque inexistibilia sunt, per talemque sui cognitionem euadunt talia; qualia sunt pleraque vbi cæteri Auctores ens rationis ex parte obiecti fictum agnoscunt.

Vnde tertiò colligitur, quàm falsa, imo implica- 41
toria sit Aduersariorum philosophia. Nam vel partes seorsim possibiles obiecti complexi sunt inter se re ipsa oppositæ; vel non? Si sunt oppositæ, independenter prorsus ab omni sui cognitione erit tale complexum inexistibile suapte natura, cùm sit veritas necessaria, tale complexum non posse existere. Quod si concipiatur existens, aut potens existere, nequibit non esse obiectiuè ficta aliquo ex modis suprà dictis eiusmodi existentia, aut potentia. Quo corruit Aduersariorum doctrina. Si autem oppositæ non sunt, quocumque modo concipiantur, re ipsa potentes erunt simul existere, complexumque earum subinde existibile erit. Quo iterum Aduersariorum doctrina ruit: iuxta quam certè partes complexi fictitij plerumque non esse oppositas re ipsa manifestum est. Censent enim, hoc complexum fictitium e. g. *Angelus est homo* nihil aliud includere ex parte obiecti præter Angelum, & hominem; tantumdemque censent de aliis huiusmodi; quorum extrema re ipsa manifestè non sunt opposita. Addunt tamen, euadere illa nihilominus fictitia, & inexistibilia, siue impossibilia à cognitione intentionaliter coniungente, siue identificante ipsa extrema. Quod, quàm sit implicatorium in ipsis terminis, quis non clarè videt? Si enim esse fictitiũ, & inexistibile complexum ex Angelo, & homine, aliud non est ab Angelo, & homine, & dicta cognitione; & tria hæc realiter sunt existentia, consequitur planè, aggregatum ex hisce tribus tum fictitium, & inexistibile, tum verum, & existens esse, quod implicant manifestam contradictionem.

QVÆSTIO III.

An denominationes extrinsecæ, vel semiextrinsecæ sint entia rationis, aliquodve entis rationis inuoluant in conceptu suo.

DEnominatiua dicuntur ab Arist. *in libro Prædicam. cap.* 1. Concreta adiectiua, quorum nomina suam etymologiam trahunt à nominibus suarum formarum, vt *iustum* à *iustitia*, *album* ab *albedine*, &c. Vnde iam vniuersaliter vsu introductum est, vt subiectum cuiusuis concreti adiectiui à formâ ipsius concreti denominari dicatur, atque adeò etiam à fundamentis, quæcunque illa sint, vnde nostro modo concipiendi desumitur, seu concipitur 42

talis

talis forma; siue per modum actus significabilis per verbum, siue aliter concipiatur, ipsaque seu forma, seu fundamenta formæ denominare dicuntur ipsum subiectum. Quin imò omne prædicatum accidentale adiiciens aliquid subiecto iuxta diuisionem prædicatorum tradendam *disp.17.q.7.* denominatio dicitur conueniens, aut attributa subiecto; siue illud per modum concreti adiectiui verbo, & actu substantiuo *esse* interposito de tali subiecto prædicetur, siue per modū actus adiectiui significati per quoduis aliud verbum. Et hæc quidem quantumuis sint inter se diuersa nomina subiecti prout denominati, ipsiusve denominationes, & formæ, aut fundamentorum denominantium. Vnde rursus efficitur, vt denominatio easdem subeat diuisiones, quas prædicatum accidentale, iuxta dicenda *loco citato.* Quocirca alia dicitur denominatio intrinseca, alia extrinseca, alia semiextrinseca, alia physica, alia metaphysica, &c. Sic à suâ omnipotētiâ dicitur Deus denominari *Omnipotens*, & à creatione rerum *Creator*: Sic quoduis obiectum à sui cognitione, aut amore *cognitum*, aut *amatii*: Sic albedo alteri *similis* ab eius consortio; & homo à generatione prolis eius *pater*: Sic à cōtractu matrimonij præterito denominatur vir *maritus*, & fœmina *vxor*: & ab odio proximi cōcepto liberè homo denominatur *pecans*, siue *peccator*, siue *peccare*, aut *peccauisse*: ipsisque conceptus obiectiui, siue prædicata significata per vocabula ista *Omnipotens*, *Creator*, *cognitum*, *maritus*, *peccans*, *peccare*, &c. denominationes dicuntur relatè ad subiecta, quibus attribuuntur; intrinsecæ quidem, quando omnia fundamenta vnde sumuntur intrinseca ipsi subiecto sunt aut per identitatem, aut per adhæsionem; extrinsecæ verò, quando omnia fundamenta sunt extrinseca; id est, neque adhærentia, neque identificata subiecto; semiextrinsecæ autem, quando fundamenta partim subiecto sunt intrinseca aliquo ex dictis modis, & partim extrinseca.

43 Igitur, quod in præsenti quæstione quæritur est: An eiusmodi denominationes præsertim, quæ extrinsecæ sunt, aut semiextrinsecæ aliquod ens rationis inuoluant in conceptu suo. Negant Suar. *disp.54. Metaph. sect.2.* Petr. Hurt. *disp.19. Metaph. sect.1. & 2.* Arriag. *disp.6. Metaph. sect.1.* & alij plerique Recentiores. Affirmant verò S. Thom. multis in locis; sed præsertim *1.p. q.13. art.7.* Vasq. *1.p. disp. 115. cap.2.* & *disp.195. n.19.* & *1.2. disp.95. cap.10.* sæpéque *alibi*, & ex antiquioribus multi alij passim agnoscentes, & adstruentes in eiusmodi denominationibus relationes rationis. Est tamen tertia sententia media asserentium apud Soar. & Hurtad. suprà extrinsecas denominationes prouenientes ab actibus intellectus, quales sunt denominationes *cogniti*, *subiecti*, *prædicati*, &c. esse entia rationis; reliquas verò minimè: Cui sententiæ suffragari videtur Rub. *in log. quæst.6. proœm.* & *Tract. de ente rationis.*

Propositio 1.

44 Inter denominationes extrinsecas prouenientes ab actibus intellectus, & prouenientes aliunde nullum est ponendum discrimen, quod attinet ad earum conceptum realem, aut rationis.

Quia talis discriminis nullum est fundamentum, cùm nihil interfit ad rem inter esse quauis ratione cognitum, & esse amatum, aut aliter à quouis fundamento extrinseco denominatum, vt satis ex se apparet.

Propositio 2.

Omnis denominatio extrinseca, vel semiextrinseca concepta per modum actus significabilis per verbum relatio quædam rationis est ex conceptu suo, non quidem ficta, sed suppositicia dumtaxat: Concepta verò per modum concreti ex subiecto, & actu eamdem relationem rationis includit in suo conceptu, & vniuersim quocunque modo concipiatur semper fert secum ens rationis suppositicium, non verò fictum. 45

Sic componendæ veniunt prima, & secunda sententia relatæ *num.43.* ambæ enim erunt veræ si prima neget dictis denominationibus ens rationis fictum, non item suppositicium: secunda autem in illis adstruat solum ens rationis suppositicium, non item fictum. Et primùm omnem actum significabilem per verbum, vtpotè exercitium quoddam alicuius subiecti ad aliquem terminum, respectum quemdam, seu relationem esse ex suo conceptu obiectiuo, qua ratione à nobis concipitur, tum ad subiectum, tum ad terminum ex dictis *disp. 2. q.4.* & *disp.8. q.2.* & *3.* satis conspicuum est. Igitur quoties denominatio extrinseca, aut semiextrinseca concipitur per modum actus significabilis per verbum, vt sæpe fit, iuxta *ibidem* dicta, non potest non illa ex conceptu suo obiectiuo respectus quidam esse, siue relatio tum ad subiectum, cui attribuitur, tum ad terminum circa quem per illam subiectum exerceri concipitur; quem eundem respectum, siue relationem subinde inuoluat ipsa in conceptu suo, si, vt sæpè etiam fit, concipiatur per modum concreti coalescentis ex subiecto, & actu, vt est notum. De quo etiam plura sunt dicta *locis citatis.*

Quod autem huiusmodi respectus, seu relatio, in qua denominatio extrinseca, aut semiextrinseca concepta per modum actus consistit, non sit realis, sed rationis, est clarum, suppositumque in præsenti ab omnibus: quia loquimur de denominationibus vbi talis actus re ipsa non datur, qualis à nobis apprehenditur, dum eas per modum actus subiecto attribuimus: alioqui si in tali actu à parte rei illæ consisterent, non extrinsecæ, aut semiextrinsecæ, sed intrinsecæ denominationes essent: quandoquidem de ratione omnis actus est intrinsece tangere subiectum, cuius & actus, vt constat ex dictis etiam *locis citatis.* 46

Iam verò dictam relationem rationis ad dictas demonstrationes spectantem fictam non esse, sed suppositiam dumtaxam inde probatur: quia, vt constat ex dictis *q.1.* ens rationis fictum eo ipso est obiectum de suo falsum, in denominationibus autem, de quibus agimus, nihil obiecti falsi inuoluitur: alioquin falsò illas attribueremus subiectis, quibus verissimè attribuimus. Secundò, quia de huiusmodi denominationibus verissimè dicitur dari à parte rei. Verissimè enim asserimus obiectum à parte rei esse cognitum, aut amatum; hominem à parte rei esse peccatorē, vel peccare, vel peccauisse, vnam albedinem realiter assimilari alteri, &c. Quæ omnia falsò affirmarentur, si in eiusmodi denominationibus aliquid fictum, atque adeò falsum inuoluerētur, vt constat. Tertiò à priori: quia à nobis cognoscentibus per species alienas tunc solùm fingitur ens rationis, quando id, quod in alieno subsituto intendit intellectus cognoscere re ipsa non datur. At nihil intendit intellectus noster cognoscere, dum concipit denominationes prædictas, quod re ipsâ 47

non

non detur. Ergo nullum ens rationis fingit, dum concipit illas.Cætera constât. Minor probatur:quia dum intellectus denominationes prædictas iudicio affirmatiuo adstruit, dumtaxat intendit adstruere, atque adeò concipere fundamenta realia,& vera,à quibus illæ desumuntur, in quibusve illæ à parte rei, ac prorsus independenter à sui cognitione consistunt: ob id namque est verum iudicium, quoties ejusmodi fundamenta re ipsâ dantur;futurum sanè falsum, iuxta dicta nuper,si quidpiam aliud, quod re ipsâ non datur,per illud adstrui,atque adeò concipi intenderetur.

48 Cæterùm,quia noster intellectus pro statu præsenti nihil iudicare valet non conceptum per modum actus aut substantiui, aut adiectiui,vt *locis paulò antè citatis* monstratum est; inde fit, vt pro iudicandâ veritate reali fundamentorum, in quibus denominatio extrinseca, aut semiextrinseca re ipsâ consistit, subsituat sibi vt implurimùm phantasma sensibile idoneum ad concipiendum actum adiectiuum,ipsique subindè proprium, siue appropriatum, sicque talem denominationem concipiendo per modum talis actus,actum quemdam, atque adeò respectum rationis suppositiuum formet: semel autem conceptâ denominatione per modum actus in promptu est, talem actum cum subiecto componere; sicque deinceps denominationem per modum concreti ex subiecto, & actu diuersum quoddam ens rationis suppositiuum formando concipere.

49 Sed quoniam aliquæ denominationes aut extrinsecæ, aut semiextrinsecæ sub expresso conceptu actus adiectiui significabilis per verbum, aut concreti ex subiecto, & actu non solent concipi de facto, tametsi possent, sed sub quibusdam aliis conceptibus medio actu essendi substantiuo attribuendis subiectis: consequitur, quando isti conceptus sunt repectiui, quales aut semper, aut ferè semper sunt,vt in conceptibus mariti, & vxoris, domini, & serui, superioris,& subditi,patris,& filij aliisque huiusmodi cernere est, tunc quidem tales denominationes etiam ferre secum in suis conceptibus relationes rationis suppositiuas; non verò fictas, vt constat ex dictis. Si quandò verò conceptus isti non fuerit respectiui,ferent nihilominùs secum entia rationis suppositiua,non respectiua;siquidem in omni conceptu obiectiuo formato à nobis per species alienas, ens rationis suppositiuum interueniat necesse est, vt constat ex dictis *q.*1.Per quæ propositio nostra probata, & Doctorum sententiæ oppositæ compositæ manent. Quo fit,vt,& amborum argumenta pro nobis sint.

Propositio 3.

50 In omni etiam denominatione intrinsecâ conceptâ à nobis per species alienas,aliquod ens rationis non quidem fictum, sed suppositiuum dari necesse est.

Consentiunt huic propositioni S.Th.Vasques & plures alij ex antiquioribus, quatenus sæpè in denominationibus etiam intrinsecis prouenientibus à formis realiter à subiecto indistinctis, quales sunt identitas, perfectio,bonitas,potentia,& similes relationes rationis agnoscunt. Ratio autem vniuersalis est:quia quoties aliquid per species alienas, atque adeò in substituto alieno cognoscimus, non potest non ex parte conceptus obiectiui ens rationis suppositiuum interuenire, vt constat ex doctrinâ tradita,*q.*1.

Cæterum, licèt semper interueniat ex parte obiecti ens rationis suppositiuum, quotiescumque cognoscimus aliquid per species alienas,atque adeò in substituto alieno: quia semper res cognita aliud cognoscenti apparet in substituto ab eo, quod est in se; aliudque subindè *esse* obiectiuum in mente cognoscentis habet ab eo, quod habet in se. Ea tamen potissimũ entia rationis suppositiua speciatim notari, & in considerationem venire solent, quæ ex conditionibus vniuersalissimis substitutorum in rebus cognitis non repertis proueniunt; cuiusmodi sunt esse illa plura, vel vnum, distincta inter se,aut non distincta, relatiua, aut absoluta &c. Quandò enim in vno,eodemque substituto plura simul cognoscuntur,vnum sunt in mente obiectiuè, quæ in se re ipsâ plura sunt, atque ita vnitas quædam rationis suppositiua interuenit,sicut vice versâ pluralitas, atque adeò distinctio rationis interuenit suppositiua, quando, quæ realiter sunt vnum & idem in pluribus substitutis cognita plura, & inter se distincta nobis apparent. Quando verò in substituto relatiuo, idoneove ad obiectum relatiuum repræsentandum, quæ in se re ipsâ non sunt relata cognoscuntur, relatio rationis suppositiua datur;pariterque in similibus. De quibus plura sunt dicta *supra disp.*2 *q.*3.dicenturque *infrà disp.*13.& 17. 51

QVÆSTIO IV.

Quotuplex sit ens rationis.

SAnctus Th.*q.*21.*de verit.*1. ita diuisit ens rationis. *Id, quod est ens rationis non potest esse nisi duplex,vel negatio, vel aliqua relatio.* Sumit autem negationem vniuersè prout complectitur priuationem,vt constat ex contextu. Quam diuisionem, vt congruam, & adæquatam amplexi sunt Conimbr. *in præfat.Porphyr.q.*2.*art.*2. Suar. *disp. vlt. Metaph. sect.*3.& 4.Vasq. 1.*p. disp.*114.& 115.Rub. *tract. de ente rationis a n.*22. & omnes Thomistæ communiter. Ex quibus plerique censent, diuisum dictæ diuisionis esse ens rationis in tota sua latitudine,prout comprehendit factum sine fundamento in rebus, & factum cum fundamento. Sunt tamen alij, qui putant, in prædictâ diuisione solùm esse sermonem de ente rationis cum fundamento in rebus facto.Quomodò autem,sub negatione, & relatione aut etiam priuatione omnia entia rationis comprehendantur, variè explicant dicti Auctores; vt mox dicemus. 52

Moderniores verò Philosophi ad solam relationem, & negationem, aut etiam priuationem omnia entia rationis censent reuocari non posse;atque ita alij in tot genera diuidunt ens rationis, in quot ens reale ab Arist. diuisum est *in lib. Prædicam.*: nimirùm in decem. Sic cum Canarienſi citato à Vasq. *suprà*,tenet Quiedo *contr.*12.*Metaph.punct.* 4. Alij aiunt, entium rationis genera entium realium numerum superare. Ita Arriag. *disp.*6. *Metaph. sub finem.* Alij denique ad certas, & statutas classes ens rationis haud redigi posse arbitrantur Sic Martinez *in log.super prolog. Porph.disp.*2.*q.*1. & Petr. Hurt.*disp.*19.*Metaph.*§.87. 53

Ego, suppositâ diuisione entis rationis in suppositiuum, & fictum, statutâ *q.* 1. assero primò, iure ab omnibus communiter diuidi ens rationis in factum cum fundamento in rebus, & factum sine fundamento: quorum primum ens rationis ratiocinatæ, siue non chymericum dici solet; se- 54

cundum

cundum verò ens rationis ratiocinantis, siue chymericum. Dicitur autem ens rationis cum fundamento in rebus fieri, quando datur aliquid ex parte rerum, aut alliciens, aut cogens intellectum ad illud faciendum. Sine fundamento autem, quando nihilo ex parte rerum alliciente, aut cogente intellectum, vel solo arbitrio facientis, vel casu fit. Et quidem ad faciendum ens rationis supposititicium semper est intellectus noster necessitatus pro statu præsente, quoties aliquid est concepturus per species alienas, vt ex dictis in superioribus constat; sed hæc necessitas non tam à rebus cognoscendis enascitur, quàm à modo cognoscendi, quem habet ipse intellectus; tametsi, vt ens rationis supposititicium huius potiùs, quàm alterius generis fiat, ipsæ res cognoscendæ soleant communiter occasionem, atque adeò fundamentum præbere: scilicet exacta plurium rerum similitudo in causâ est, vt illæ sub vnicum conceptum cadant: quo fit vnitas rationis suppositicia: sicut è contra pluralitas connotatorum eiusdem rei in causâ est, vt illa cadat sub plures conceptus, quo distinctio, siue pluralitas rationis suppositicia fit. Respectus item vnius rei ad alteram, vt cognitionis ad obiectum, & quæuis alia rerum necessitudo, seu habitudo in causâ est passim, vt res absolutæ cum respectu ad alias concipiantur: quo innumeræ passim relationes rationis suppositiciæ fiunt, & in cæteris pariter. Quinimò, cùm intellectus noster connaturaliter feratur ad substituendum pro rebus cognoscendis phantasmata illis proportionata, iuxta dicta *disp. 2. quæst. 3.* ferè semper res cognoscendæ ansam præbent naturâ suâ, vt hæc potiùs, quàm alia entia rationis suppositicia formentur, dum illæ in substitutis alienis ab intellectu cognoscuntur. Fieri tamen poterit, vt pro arbitrio cognoscentis hoc phantasma præ aliis ad aliquam rem cognoscendam assumatur ab intellectu, nullâ ad id præbente occasione ipsius cognoscendæ rei naturâ. Quo casu ens rationis suppositicium interueniens sine fundamento in rebus factum dicetur; sed hoc rarò euenit. Ex quo patet, entia rationis suppositicia ferè semper à nobis fieri cum fundamento in rebus.

55 Entia verò rationis ficta sæpiùs pro libito à nobis, sæpiùs etiam etiam casu facienda, seu concipienda veniunt, atque de facto fiunt, seu concipiuntur. Quia sæpè, aut pro libito, aut casu tum vigilantes, tum dormientes concipimus monstrosa phantasmata, quæ saltem quoad existentiam entia rationis ficta sunt. Sæpè etiam chymeras impossibiles confingimus, vel pro solo arbitratu, vel quod eis in metaphysicis disputationibus indigemus, aut exemplorum gratiâ, aut aliter. Sæpissimè etiam entia rationis ficta tum possibilia, tum impossibilia quoad existentiam, aut etiam quoad quiditatem fictitiè concipimus cum fundamento ex parte rerum, eoque non solùm alliciente; sed etiam cogente intellectum ad illa concipienda; nimirum quoties veras eorum negationes apprehendimus, vel adstruimus (nulla quippe negatio sine habitu per eam negato concipi potest, vt est notum.) Quo iure cognoscentes item per species proprias cum fundamento ex parte rerum concipiunt, aut etiam faciunt dicta figmenta. Sic, qui iudicat, Deum esse immortalem, impassibilem, impeccabilem, immutabilem, &c. Fictitiam Dei mortalitatem, passibilitatem, peccabilitatem, &c. apprehendat necesse est; & vniuersè, quicunque verè negat, quidpiam existere, aut esse possibile, nequit non fictitiè concipere ipsius existentiam, aut possibilitatem, quam negat. Cæterùm quamuis negatio cuiusuis figmenti fundamentum sit adigens intellectum ad concipiendum figmentum ipsum ex suppositione, quod ipsa negatio sub intellectum cadat: quia tamen independenter à notitiâ suæ negationis potest figmentum quoduis concipi; consequens est, vt illud sine fundamento in rebus concipi possit; id est, nullo fundamento reali mouente intellectum ad concipiendum illud. In quo Recentiores quidam decepti sunt, putantes, omne ens rationis positiuum cum fundamento in rebus fieri, eo quod cuiusuis realis negatio ad illud concipiendum inducit.

Secundò assero: plerosque ex Auctoribus *n. 52.* 56
relatis de negationibus rerum verè non existentium malè philosophari duplici titulo. Primò, quia eas enumerant inter figmenta rationis. Secundò: quia ad secundum membrum diuisionis S. Thom. reducunt, scilicet ad negationem rationis. Etenim tales negationes figmenta rationis non sunt: quia veritatem habent negatiuam à parte rei, quatenus res per illas negatæ verè, & realiter non existunt; imò ex eo, quod illæ ad instar rerum positiuarum, quales non sunt, concipiantur, vti à nobis concipi solent, nullum fit ens rationis fictum; sed suppositicium dumtaxat, vti euenit, quoties quodcunque obiectum verum concipimus per species alienas, atque adeò ad instar alterius, iuxta dicta *q. 1.* Casu autem, quòd fieret ens rationis fictum, id vtique non negatiuum, sed positiuum esset, illud videlicet ad cuius instar negatio concipitur, atque ita non ad negationem rationis; sed ad ens positiuum rationis reducendum veniret.

Tertiò assero, contra nonnullos ex eisdem Auc- 57
toribus, in quibus est Vasquez, malè etiam reduci ab ipsis ad secundum membrum diuisionis S. Thom. hoc est, ad negationem rationis omnia figmenta chymerica: quippe pleraque eorum conceptus positiui sunt, vt est notum; atque ita inter entia rationis positiua potiùs, quàm inter negationis rationis computanda veniunt. Negatio enim rationis tunc solùm datur, quando concipitur non esse, quod verè est: quia tunc solùm talis negatio est ficta; sicut tunc solùm datur ens positiuum fictum rationis, quando concipitur esse, quod verè non est. Vnde obiter collige, etsi figmenta rationis alia positiua sint, alia negatiua: quia non solum ens, sed etiam non ens, siue negatio entis ab intellectu fingi potest: at entia rationis suppositicia solùm positiua posse esse: quia sola entia positiua, quorum habemus proprias species substitui possunt ab intellectu pro aliis cognoscendis; non verò item negationes, quarum species propriæ neque in nobis dantur, neque absolutè sunt possibiles, iuxta doctrinam statutam *disp. 2. quæst. 3.* Ex quibus patet ad negationem rationis dumtaxat pertinere posse negationes rerum fictas, atque adeò ex se obiectiuè falsas, quibus non esse res, quæ verè sunt, concipiuntur. Ex quo concluditur, vt diuisio S. Thom. sufficiens, & adæquata sit, ad vnam relationem rationis reducenda esse omnia entia positiua rationis.

Vnde assero quartò: sufficientiam diuisionis tra- 58
ditæ à S. Th. receptæque à cæteris Auctoribus *n. 52.* citatis non facilè posse componi: quia multa haud dubiè dantur entia rationis positiua, tum ficta, tum suppositicia, tum cum fundamento in rebus, tum sine illo ficta, quæ ex proprio conceptu relatiua non sunt, sed prorsus absoluta: nisi dicamus, vt non abs iure posse videmur, in dictâ diuisione solùm esse sermonem de entibus rationis, quæ ex proprio

conceptu

conceptu idonea obiecta sunt humani iudicij pro statu præsenti; omnia enim talia actus quidam sunt ex conceptu suo respectui subiecti ad terminum, atque adeò relationes rationis: cùm nihil nos iudicare possimus non conceptum per modum actus, vt *disputat. 2. q. 4.* & sæpe alibi ostensum est. Sunt autem omnes actus obiectiui à nobis iudicabiles imprimis relationes rationis suppositiuæ; fictæ autem relationes insuper erunt, qui fuerunt falsò iudicabiles affirmatiuè; quando verò negatiuè iudicabiles falsò fuerint; tunc negationes eorum fictæ, atque adeò rationis erunt. Ex quo patet, ens rationis formaliter prout sub iudicium humanum pro statu præsenti cadit, aut potest cadere, sufficienter, & adæquatè diuidi in relationem, & negationem. Cum quo stat illud, etiam vt sic, per omnia prædicamenta Aristotelica, imò, & vltra vagari; vti vagatur haud dubiè conceptus obiectiuus actus, etsi sit ille respectiuus, vt ex dictis *disputat. 8.* colligere est.

59 Vnde assero quintò: ens rationis fictitium in decem prædicamentorum genera, imò in alia plura diuidi posse. Possunt enim citra dubium ab intellectu concipi substantia, quantitas, relatio, actio, passio, qualitas, &c. quæ tum quoad existentiam, tum quoad varia prædicata quiditatiua figmẽta quædam, atque adeò entia rationis fictitia sint: necnon alia præterea mixta, aut per identitatem, aut aliter ex diuersis dictorum generum, specierumque ipsorum prædicatis, omni talium prædicatorum combinatione factâ. Quo genera figmentorum rationis in infinitum crescunt propemodum. Ens verò rationis suppositiuum ad ea saltem prædicamentorum genera poterit extendi, ad quæ se extendunt sensibilia phantasmata in quibus, vt in substitutis à nobis cætera obiecta cognoscuntur; vt sunt quantitas, relatio, qualitas, vbi, situs, &c. atque adeò etiam ad genera, quæ ex mixtione eorum resultant.

60 Quintò denique assero: ens rationis fictitium, aut simplex penitus, aut compositum ex partibus esse posse, iisque aut formaliter; seu per rationem tantùm, aut realiter, seu quasi realiter distinctis. Si sit simplex, totum erit fictum quoad prædicatum, siue existentiale, siue quiditatiuum, secundum quod est fictum, vt constat. Compositum autem aut ex omnibus partibus fictis, aut ex aliquibus fictis, vel vna tantùm, ex cæterisque non fictis, atque adeò veris constare potest. Vna tamen, vt minimum necessariò ficta esse debet, vt compositum fictum sit, iuxta doctrinam statutam *quæst. 2.* Nomine autem partis semper complector etiam partium vnionem, seu coniunctionem cuiusuis generis. Quæ omnia ex dictis in superioribus satis superque nota sunt. Ens verò rationis suppositiuum semper est compositum quasi physicè saltem ex partibus integrantibus etiam suppositiuis: quia phantasmata substituta pro aliis obiectis cognoscendis ex partibus saltem integrantibus tum extensionis, tum etiam intensionis sunt semper composita, vt constat ex dictis *disp. 1. quæst. 2.* & *disp. 2. q. 3.*

QVÆSTIO V.

Vtrum Deus cognoscat entia rationis, & illa faciat?

61 PRima sententia est, Deum non solùm non facere entia rationis, sed neque cognoscere illa ad huc vt facta, aut factibilia per intellectum creatum. Ita Vasquez *1. part. disputat. 118. cap. 3.* cui subscripsere Turrian. *in select. opusc. 7. disputat. 4. dub. 4.* & 8. Alarc. *disputat. 3. de scient. cap. 6.* Secunda sententia extremè opposita, est, Deum etiam independenter ab intellectu creato cognoscere entia rationis, & illa facere. Ita Ægid. *de Præsentat. lib. 5. de beatit. quæst. 6. art. 10.* Fonsec. *lib. 4. Metaph. cap. 2. quæst. 6. sect. 14.* Ioann. Marti. Complutensis *in log. disputat. 2. quæst. 2.* Arriag. *disput. 6. Metaph. à num. 44.* Ouied. *disput. vltim. Metaph. punct. vlt.* & docti Recentiores. Apud quos alij, cui sententiæ consentiunt etiam Canarien. *1. p. q. 28. art. 2. disp. 2. dub. 3.* Molin. *ibidem disp. 3. concl. 5.* Valent. *1. part. quæst. 14. artic. 9. punct. 7.* & alij. Tertia sententia est, Deum cognoscere quidem entia rationis independenter ab intellectu creato; illa verò, vt sic non facere: quia cognoscit per dissensum. Sic sentiunt Soar. Arrub. Heriz. Ruiz, & alij mox citandi. Quarta sententia est, Deum cognoscere entia rationis prout facta, aut factibilia ab intellectu creato; illa verò vt sic non facere. Ita Soar. *in Metaph. disp. 7. sect. 1.* & *disp. 54. sect. 2.* & *lib. 1. de essent. & attrib. cap. 13.* & *lib. 3. cap. 3.* & *lib. 4. de Trinit. cap. 4.* Fasol. *1. p. q. 14. art. 9. dubit. 2.* Machin. *disp. 26. sect. 1.* Gonz. *disp. 39. sect. 1.* Heriz. *disp. 8. cap. 1.* Ruiz. *disp. 17. de scient. sect. 2.* Petr. Hurt. *disp. 19. Metaph. sect. 6.* & alij. Quinta denique sententia est, Deum cognoscere entia rationis prout facta, aut factibilia ab intellectu creato, atque etiam illa per talem cognitionem facere. Ita Lorca *1. 2. disp. 25. memb. 1.* Arrub. *1. part. disp. 34. cap. 7.* cum aliis à eo relatis.

Propositio 1.

Deus entia rationis supposititia formaliter, quâ talia sunt, non solùm non facere; sed neque cognoscere potest. 62

Hæc est sententia P. Vasquez, atque adeò etiam suorum: quanquam enim ille differentiam entis rationis supposititi, & ficti distinctè, & expressè non videatur agnouisse; tamen, vt erat ingenij acuti, & profundi, in hanc incidit veritatem. Planè enim loquitur de ente rationis non conceptibili, nisi per species alienas, quale est supposititium, & illud fictum, cuius conceptio à supposititio dependet, de quo *proposit. 2.* Vnde sententia eius verissima est: &, quod ad præsentem propositionem attinet probatur facilè: quia cognoscere ens rationis suppositiuum qua tale, aliud non est, quàm habere pro obiecto ipsum conceptum obiectiuum, in quo illud consistit: habere autem pro obiecto talem conceptum obiectiuum idem omnino est, atque cognoscere rem, quæ cognosci intenditur aliter, quàm est in se; atque adeò non in ipsamet, sed in alieno substituto; siquidem talis conceptus obiectiuus hæc duo dicit vnum quodque suo modo, & substitutum terminans cognitionem non pro se, sed pro re, quæ cognosci intenditur, & rem ipsam non in se, sed in substituto ipso cognitam, prout constat ex latiùs dictis *disputat. 2. quæst. 3.* Ast Deus, rem, quæ cognosci intenditur aliter, quàm est in se, atque adeò in substituto alieno cognoscere non valet, vt est notum: quia talis modus cognoscendi valdè imperfectus est. Ergo Deus non potest habere pro obiecto conceptum obiectiuum, in quo consistit ens rationis suppositiuum, & consequenter neq; ipsum ens rationis suppositiuum, quâ tale cognoscere. Quod si cognoscere non potest, neq; poterit facere,

cùm nequeat aliter illud fieri, quàm per sui cognitionem, vt constat.

63 Dices: Deus clarissimè scit, me cognoscere, & facere ens rationis suppositititium: ergo nequit non clarissimè etiam cognoscere illud. Concesso antecedente; distinguo consequens. Nequit non cognoscere illud formaliter, qua tale, nego: fundamentaliter, siue quoad fundamenta, ex quibus relatè tantùm ad meum intellectum consurgit, concedo. Est dicere. Deus cognoscit meam cognitionem, & substitutum, & rem in substituto à me cognitam, vt sunt in se; quibus clarissimè penetratis, clarissimè scit, me talem rem in tali substituto cognoscere; ipse tamen non cognoscit illam in substituto, prout opus erat, vt cognosceret ens rationis suppositititium à me cognitum, & factum formaliter, quâ tale. Quemadmodum Deus causat meam libertatem actus primi, & actionem physicam mei peccati, & tamen non causat peccatum formaliter, quâ tale: quia illa actio dumtaxat est peccatum formaliter, prout liberè nascens à me.

64 Hinc deprehendes, quomodo Deus cognoscat, me distinguere per rationem formalitates identificatas realiter, quin ipse distinguat illas, aut distinctas concipiat: tum me adunare per rationem sub vno conceptu vniuersali plura inter se distincta realiter, quin ipse illa adunet, aut adunata concipiat. De quibus in sequentibus disputationibus plura dicenda sunt.

65 Quod autem de Deo dictum est in propositione, eodem iure venit dicendum de creaturâ, quatenus cognoscente cuncta per proprias species, atque adeò prout sunt in se, vt satis ex se est notum.

Propositio 2.

66 Illa item entia rationis ficta, quæ solùm per species alienas conceptibilia sunt, iuxta doctrinam statutam *n.* 18. neque fieri, neque cognosci possunt à Deo formaliter, quâ talia sunt.

Est clarum: quia cùm Deus per species alienas nihil possit concipere ob imperfectionem, quam fert secum hic cognoscendi modus, vt constat; planè consequitur, non esse à Deo ea obiecta conceptibilia, quæ solùm per species alienas conceptibilia sunt; qualia sunt entia rationis ficta, de quibus agit propositio. Quod autem talia entia rationis dentur, vt in eâ supponitur, ex loco, quem citat, ex aliisque citatis ibi petendum est. Itaque Deus concipere nequit, & consequenter neque facere identitatem fictam extremorum, quæ re ipsâ distincta sunt, neque distinctionem fictam extremorum, quæ re ipsâ sunt identificata, neque alia figmenta, quæ hæc inuoluunt, &c. De quibus *locis citatis* monstratum est, per species proprias. & in se ipsis neutiquam conceptibilia esse, sed tantùm per species alienas, & in alienis substitutis, qualiter à nobis passim concipiuntur, atque finguntur.

67 Dices: Deus clarissimè scit, me concipere Angelum identificatum cum homine. Ergo nequit non apprehendere Angelum identificatum cum homine: repugnat enim cognoscere cognitionem de identitate Angeli, & hominis, tali identitate prorsus ignotâ, & non conceptâ, seu apprehensâ. Respondeo, scire quidam Deum clarissimè, me cognoscere Angelum identificatum cum homine; ad id tamen opus non esse, quòd ipse apprehendat formaliter talem identitatem, vtpote, quæ à me non in se, sed in alieno substituto cognoscitur; sed sat est, quòd intimè penetret naturam meæ cognitionis, & principiorum, quibus inducor ad eam eliciendam, & substituti, quod mihi est loco talis identitatis: his namque benè penetratis, clarè scit Deus, Angelum, & hominem in eiusmodi substituto mihi apparere identificatos, quin ipsi Deo appareant identificati; sed prorsus distincti, vt sunt in se. Ex quo patet ad cognoscendam cognitionem de identitate Angeli, & hominis non in se cognita, sed in alieno substituto necessarium non esse, quòd ipsa identitas in se formaliter concipiatur (vt sic enim non est conceptibilis;) sed sufficere quòd concipiatur fundamentaliter, & quasi æquiualenter: quâ ratione censenda est concipi ab eo, qui penetrat cognitionem de illâ in substituto, principiaque ipsius cognitionis, & substitutum ipsum, & cætera cuncta, quæ interueniunt, vt sunt in se.

Instabis. Cognitio humana de identitate Angeli, & hominis intrinsecè respicit talem identatem, vtpote cuius cognitio, & repræsentatio est suapte naturâ, & essentiâ. at nullus respectus, siue relatio sine suo termino cognosci potest, vt fert vulgatum axioma receptum ab omnibus vt certissimum: igitur cognitio humana de identitate Angeli, & hominis à Deo cognosci non potest sine ipsâ identitate, atque adeò Deum talem cognitionem nequit cognoscere, quin simul cognoscat talem identitatem. Distinguo maiorem syllogismi. Cognitio humana de identitate Angeli, & hominis intrinsecè respicit talem identitatem in se ipsâ, nego, in alieno substituto, quo solùm pacto est cognitio, atque repræsentatio eius concedo; & concessâ minore, nego consequentiam. Itaque cognitio humana de indentitate Angeli, & hominis non respicit intrinsecè talem identitatem respectu per se terminato ad ipsam (prout opus erat, vt sine ipsâ cognosci non posset, iuxta propositum axioma, quod fateor verissimum esse) sed respectu per se terminato dumtaxat ad substitutum subrogatum pro illâ, eoque solùm iure ad illam per substitutum, quatenus hoc in tali terminatione vicem illius gerit. Quo fit, vt nihil sit, quod prohibeat, talem cognitionem cognosci à Deo, non cognitâ tali identitate formaliter. Et quamuis talis cognitio suapte naturâ, & essentiâ sit cognitio talis identitatis, potiùs quàm alterius obiecti in substituto alieno, quatenus essentialiter connotat, siue respicit ex parte intellectus principia, quantum est ex se notificatiua ipsius identitatis præ aliis obiectis, iuxta doctrinam vniuersalem statutam *disputation. 2. quæst. 3.* hinc tamen non fit, talem cognitionem adhuc remotè, & mediis dictis principiis respicere per se identitatem, cuius in substituto alieno cognitio est: quia esse dicta principia ex se notificatiua talis identitatis præ aliis obiectis, non est habere illa re ipsâ respectum aliquem intrinsecum ad talem identitatem præ aliis obiectis, sed habere talem naturam, quæ à nobis solet explicari per talem respectum; alioquin quandò principia sunt ex se notificatiua vnius formalitatis præ aliis eiusdem rei, iuxta dicta à nobis loco citato, dicendaque *disputat. 13. quæst. 9.* respectu intrinseco per se respicerent vnam formalitatem, & non alias identificatas cum illâ, quod est impossibile, vt apparebit ex dicendis dicta *quæst. 9.* 68

Rursus instabis. Deus scit iudicium humanum de identitate Angeli, & hominis esse falsum: ergo scit, non dari à parte rei identitatem Angeli, & hominis per tale iudicium affirmatam; siquidem in eo consistit iudicium esse falsum quod 69

quod non detur à parte rei obiectum affirmatum per illud: sed nequit Deus scire, non dari à parte rei identitatem Angeli, & hominis, nisi illam concipiat: quia Deus iudicio negatiuo nihil à se non apprehenso negare potest, vt est notum: Ergo. Respondeo, scire quidem Deum iudicium humanum de identitate Angeli; & hominis esse falsum; ad id tamen opus non esse, quòd iudicio negatiuo cognoscat, non dari à parte rei talem identitatem; sed sufficere, quòd sciat iudicio affirmatiuo, Angelum, & hominem à parte rei esse extrema distincta, & tamen per tale iudicium humanum affirmari identificata. Quod scire potest, non cognitâ eorum identitate formaliter: sed fundamentaliter tantùm, & quasi æquiualenter, prout explicuimus.

70 Ex dictis circa hanc propositionem colligitur: ad nullum figmentum cognoscendum formaliter, quâ tale esse Deum necessitatum ex eo, quòd cognitionem de illo habitam per speciem alienam cognoscit, etsi illud sit ex genere eorum, quæ per species proprias, & consequenter ab ipso Deo conceptibilia sunt, iuxta dicenda: quia cognitio per speciem alienam habita non ita respicit obiectum in alieno substituto per ipsum cognitum, vt nequeat cognosci sine illo, quâ ratione explicatum est. Cùm tamen ex eo, quòd Deus cognoscit cognitionem creatam siue existentem, siue possibilem habitam per speciem propriam de quouis figmento, necessitatus maneat ad tale figmentum concipiendum: quia omnis cognitio per speciem propriam habita intrinsecè, & per se respicit suum obiectum, atque adeò sine illo cognosci non potest; in quo à cognitione habitâ per speciem alienam differt. Et quoniam nullum est figmentum per propriam speciem conceptibile, quod per aliquam cognitionem creatam per propriam speciem habitam cognosci non possit; nullum est, quod non veniat cognoscendum à Deo dependenter à cognitione aliquâ sui creatâ, siue ex vi cognoscendi illam, vt iam iam expono.

Propositio 3.

71 Omnia entia rationis ficta per proprias species conceptibilia, iuxta doctrinam statutam *n.* 18. tum dependenter à cognitione creatâ sui, tum prorsus independenter ab illâ cognoscuntur à Deo.

Dependenter quidem: quia nullum est eiusmodi figmentorum, quod per cognitionem creatam habitam per speciem propriam cognosci non possit. Ergo, dum Deus cuiusuis eorum talem cognitionem siue existentem, siue possibilem cognoscit, necessariò, & illud cognoscit, iuxta dicta *num. præced.* omnia ergo illa cognoscuntur à Deo dependenter à cognitione creatâ sui. Quod autem nullum eorum sit, quod per cognitionem creatam habitam per propriam speciem cognosci non possit. Tum satis ex se videtur notum, quatenus ex nullo capite repugnare videtur, quòd cognoscatur per cognitionem creatam habitam per speciem propriam; id, quod aliàs per speciem propriam ponitur cognoscibile. Tum inde probatur: quia de facto multa sic cognoscuntur, & cæterorum omnium eadem prorsus ratio est. Nos enim per propriam speciē cognoscimus innumera sensibilia phantasmata quoad existentiam ficta, & Angeli per propriam speciem apprehendunt existentias fictitias omnium eorum obiectorum, quæ verè iudicant non existere iudiciis negatiuis: cùm nihil non apprehensum ab vllo intellectu negari possit, vt est notissimum.

Independenter autem ab omni cognitione creatâ prædicta omnia figmenta cognosci à Deo inde probatur primò: quia hoc ipso, quod illa per proprias species, atque adeò in se ipsis conceptibilia sunt, verè etiam in se ipsis sunt iudicabilia tum affirmatiue quoad veritates quiditatiuas, quas habent ex suo conceptu obiectiuo; tum negatiuè quoad veritatem existentialem, quâ carent: ergo Deus, quem nihil verè iudicabile latere potest, iudicio negatiuo negat, talia figmenta existere. At nihil non apprehensum ab vllo intellectu negari potest, vt est notissimum. Ergo Deus apprehendit existentiam, quam negat talium figmentorum, quæ existentia fictitia est, cùm vera sit eorum non existentia, vt ponimus. Et quidem negare Deum existentiam omnium rerum possibilium, quæ verè non existunt earumdemque subinde fictitiam existentiam, quam negat, concipere, indubitatum est. Quidni igitur negabit existentiam chymerarum impossibilium, quæ perinde ac res possibiles in se ipsis sunt conceptibiles, earumque subinde fictitiam existentiam concipiet? Certè, dum ipse ait *Deuter. 32. Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*, existentiam alterius Dei manifestè negat; eamdemque subinde existentiam alterius Dei, quam negat, concipit, quæ tum fictitia, tum etiam impossibilis est. Eodemque proinde modo circa alia huiusce generis figmenta se habet. 72

Secundò probatur id ipsum: quia certum est, Deum cognoscere omnia obiecta conditionata in se vera: cùm nihil ab ipso ignorari possit, quod in se habet veritatem; sed nullum est figmentum in se conceptibile sub cuius hypothesi non dentur aut aliquod, aut plura obiecta conditionata in se vera (quandoquidem sub cuiusuis hypothesi ipsimmet, vt minimum, & quæcunque sunt ipsi annexa in se sunt vera conditionatè,) & nullum talium obiectum cognosci potest, non cognito figmento ipso, vt est notum. Ergo nullum est fundamentum in se conceptibile, quod non cognoscatur à Deo. Declaremus hæc per exempla. Deus cognoscit hoc obiectum conditionatum. *Si Petrus existeret, loqueretur*; & cætera omnia similia de conditione possibili, & absolutè non existente. Ergo concipit ex parte hypothesis existentiam Petri, & omnium similium conditionum; quæ tamen existentiæ re verâ non dantur; atque adeò figmenta sunt. Similiter Deus cognoscit hoc obiectum conditionatum: *Si secundus Deus existeret, duplex Deus existeret*; & cætera omnia similia de conditione impossibili in se conceptibili. Ergo concipit ex parte hypothesis existentiam secundi Dei, & omnium similium conditionum; quæ existentiæ re verâ non dantur, atque adeò figmenta sunt. 73

Omnia igitur figmenta per proprias species, atque adeò in se conceptibilia concipiuntur à Deo, tum ex vi cognoscendi aliquas cognitiones creatas ad illa terminatas; tum ex vi cognoscendi alias veritates obiectiuas; quæ sine illis nequeunt cognosci; cuiusmodi sunt, tum veritates negatiuæ, quæ eorum existentiam remouent; tum veritates conditionatæ, quæ dantur sub hypothesi existentiæ eorum. Porrò figmenta per proprias species, atque adeò in se conceptibilia dumtaxat sunt existentiæ fictæ rerum in se conceptibilium tam possibilium, quàm impossibilium. Nam cætera earum prædicta fictitia non ad statum existentialem; sed ad quiditatiuum spectantia, vt quando concipitur possibile, 74

quod est impossibile, & impossibile, quod est possibile, &c, non sunt conceptibilia in se, sed tantùm in subsituto alieno, vtpote inuoluentia in conceptu suo aut identitatem fictitiam extremorum in se distinctorum, aut distinctionem fictitiam extremorum in se identificatorum, quæ in se non sunt conceptibiles, iuxta *superius* dicta.

75 Dices. Non minùs identificatur existentia cum re existente, quàm possibilitas cum re possibili. Ergo si per propriam speciem non potest concipi possibilis res, quæ in se non est possibilis, neque poterit concipit existens res, quæ in se non est existens. Concesso antecedente; nego consequentiam. Quia concipere existentem rem verè non existentem non est identificare illi formalitatem, quam secum re ipsâ identificatam non habet, sed ponere illam cum omnibus, & solis suis formalitatibus in statu, in quo verè non est; nimirum in existentiali. Quod bene per species proprias præstari potest. At concipere possibilem rem in se non possibilem est identificare illi formalitatem, quam secum re ipsâ identificatam non habet, quod nequit per proprias species fieri, vt ponimus ex *locis citatis*. Etenim esse rem existentem non est habere ex conceptu suo quiditatem, quam non haberet, si non esset existens; sed tantum habere statum, quem non haberet, scilicet existentialem. Esse verò rem possibilem, habere quiditatem est ex conceptu suo, quam non haberet, si non esset possibilis, iuxta doctrinam suprà expositam *disput. 10. quæst. 1.* Quo fit, vt res non existens cum totâ suâ quiditate, atque adeò etiam cum existentiâ secum ex conceptu suo identificata concipi possit per speciem propriam. Quo casu existentia eius defectu status existentialis, quem non habet, conficta erit; cùm tamen res non possibilis, si concipiatur cum totâ suâ quiditate, prout per speciem propriam debet, possibilis concipi nequeat, vtpote quæ ex conceptu suo, nec per possibilitatem identificatam secum, nec aliter vllomodò possibilis est.

76 Hactenus dictum esto de figmentis positiuis per proprias specias conceptibilibus, de quibus potissimum est sermo in præsenti propositione. Iam de negatiuis dico breuiter, eatenus etiam sub diuinum intellectum cadere, quatenus Deus sub eorum hypothesi multa obiecta conditionata habentia in se veritatem citra omne dubium cognoscit, tum de possibili, tum de impossibili conditione. Cognoscit enim hæc, & similia: *Si Adamus non peccaret, Christus non veniret: Si Iudas natus non esset, melius ei fuisset: Si Deus non existeret, cuncta deficerent*, &c. In quibus ex parte hypothesis negatio existentiæ non vera, atque adeò fictitia ponitur, sub apprehensionemque subinde Dei remotiuam, seu negatiuam facientem talem hypothesim cadit. Negatio quippè à nullo intellectu cognoscente per proprias species potest cognosci positiuè, vt *dispnt. 6. quæst. 3.* statum est. Vnde patet, Deum independenter à cognitione creatâ cognoscere huiusmodi negatiua figmenta: dependenter autem non videtur item illa cognoscere; sicut cognoscit positiua: Quia ex vi cognoscendi cognitionem creatam de quouis eorum habitam per speciem alienam, non tenetur illud cognoscere (sicut nec tenetur cognoscere figmentum positiuum, iuxta *superius* dicta) siue positiua sit, siue negatiua talis cognitio. Ex vi autem cognoscendi cognitionem creatam de quouis eorum habitam per speciem propriam, quæ solum negatiua esse potest, iuxta dicta nuper, solùm tenetur Deus cognoscere positiuè rem positiuam veram, cuius illa naturâ suâ negatio intentionalis est: quia solùm ad talem rem dicit eiusmodi cognitio respectum recessiuum, quo negat illam; non verò tenetur Deus rem ipsam suâ cognitione negare, siue negatiuè cognoscere, prout opus erat, vt figmentum negatiuum sub diuinam caderet cognitionem. Quæ omnia ex dicendis *Tract. de scientia*, *de natura diuinarum cognitionum* amplius constabunt.

Propositio 4.

Entia rationis ficta per proprias species conce- 77
ptibilia per nullum iudicium, quâ tale; sed tantùm per simplicem apprehensionem cognoscuntur à Deo.

Imprimis enim figmenta positiua per iudicium affirmatiuum nequeunt cognosci à Deo: quia cùm verè non sint, vt cognoscuntur, atque adeò obiecta quædam de suo falsa sint, vt constat ex hactenus dictis, si Deus iudicio suo affirmaret illa, planè falleretur: Quod ei repugnat manifestè: Quo eodem titulo figmenta negatiua iudicatiuè, seu per iudicium negatiuum à Deo cognosci non possunt: quia falleretur pariter. Deinde figmenta positiua per iudicium negatiuum prout tale nequeunt cognosci à Deo: quia sub iudicium negatiuum diuinum, quod necessario est verum, sola veritas obiectiua negatiua cadere potest, quæ non in positione, sed in remotione obiecti negati consistit, vt est notissimum. Et licèt obiectum, quod negatur non possit non intellectui repræsentari, atque adeò positiuè concipi, vt negetur; huiusmodi tamen positiua obiecti negandi conceptio, nequit non esse in Deo apprehensio simplex, ne Deus per illam fallatur, iuxta dicta nuper; siue illa sit cum iudicio negatiuo identificata, siue distincta, & præuia ad illud, quâ ratione diuini actus inter se distinguuntur. Vnde etiam patet, figmenta negatiua per iudicium positiuum diuinum cognosci non posse: quia huiusmodi iudicium prout tale solùm habet pro obiecto veritatem positiuam, quam adstruit, vt satis ex se notum est. Nullum ergo figmentum iudicatiuè potest cognosci à Deo; sed tantùm simpliciter apprehensiuè, vt propositio nostra fert.

Supponimus autem in doctrina datâ, iudicium 78
negatiuum Dei cognitionem esse recessiuam naturâ suâ ab obiecto positiuo, quod negat: quâ ratione de iudicio nostro negatiuo philosophati sumus *suprà disp. 2. q. 4.* neque aliter, quàm per recessum ab obiecto positiuo negato posse iudicari à Deo veritatem negatiuam oppositam, vt tum *ibidem*, tum maximè *disp. 9. q. 3.* ostensum est. Idemque esse de apprehensione simplici Dei facienti hypothesin negatiuam, iuxta dicta etiam de nostrâ *disp. 2. q. 2. diuis. 2.* De quibus plura sunt dicenda *in Tract. de scient.*

Confirmo, & declaro ampliùs propositionem: 79
Nam figmenta prædicta eatenus solum concipiuntur à Deo, quatenus sine illis conceptis aliquas veritates Deus nequit cognoscere; alioquin superuacaneum, & imperfectum esset ea concipere; quandoquidem non sunt vera obiecta, atque adeò neque cognoscibilia à Deo iudicatiuè, vtpotè, qui vera solùm obiecta iudicare potest. Vel ergo huiusmodi veritates sunt conditionatæ, ita, vt earum conditiones sint dicta figmenta; vel sunt absolutæ, relatæ tamen aliquo modo ad figmenta ipsa

(aliùs

(aliùs enim generis esse non possunt, vt sine conceptis figmentis cognosci nequeant) si sint veritates prioris generis, compertum est, dum eæ iudicantur, figmenta, quæ sunt conditiones non iudicari, sed tantùm poni in hypothesi per simplicem apprehensionem, iuxta dicta *disp. 2. q. 2.* & *disp. 10. q. 1.* si autem sint posterioris generis, vt eæ iudicentur, non debent iudicari figmenta, ad quæ referuntur; sed tantùm simpliciter apprehendi, iuxta doctrinam de cognitione relatiuorum datam etiam *suprà disp. 2. q. 3.* Tametsi illa aliàs essent iudicabilia à Deo, qualia non sunt, vtpotè obiecta ex se falsa, vt vidimus.

80 Stat itaque Deum non iudicatiuè, sed apprehensiuè dumtaxat cognoscere quæcunque entia rationis cognoscit, siue ea dependenter à cognitione creatâ ipsorum, siue independenter cognoscat. Ex quo patet contra aliquos ex Auctoribus suprà relatis, Deum nec per assensum, nec per dissensum cognoscere vlla entia rationis. Quòd autem huiusmodi apprehensiones simplices, quibus Deus concipit dicta entia rationis absque vllâ imperfectionis labe conueniant Deo; vtpote, quæ prorsus sunt immunes ab omni deceptione, & fallaciâ, ab omnique obscuritate, & confusione, eo quòd nulla apprehensio simplex capax est falsitatis, iuxta doctrinam statutam *disp. 3.* clarissimaque, & perfectissima potest esse in suo genere, tametsi circa obiectum fictum versetur; ex dicendis *Tract. de scient.* conspicuum fiet.

81 Verum contra doctrinam statutam obiici potest primò. Deus omnia cognoscit, vt sunt in se, nec aliter, quàm sunt in se cognoscere valet: sed figmenta entia rationis non est in se, vt cognoscitur, atque adeò, vt est obiectiuè in mente illud cognoscentis. Ergo nec per simplicem apprehensionem, potest cognosci à Deo; aliàs huiusmodi apprehensio aut esset falsa, aut principium falsi iudicij, quorum vtrumque Deo repugnat. Vt luculentiùs respondeam noto: bifariam dici posse aliquid cognosci aliter quàm est in se. Primò, quia cognoscitur per speciem alienam, & instar alterius obiecti, siue id, quod cognoscitur sit quid verum, vt Angelus; siue quid fictum, vt alter Deus. Secundò: quia cognoscitur ac si esset, cùm verè non sit; sed fictitiè, vt quando cognoscitur alter Deus existens, siue per propriam, siue per alienam speciem. Similiter bifariam dici potest aliquid cognosci, vt est in se. Primò: quia, quod cognoscitur re verâ est, vti cognoscitur, eodemque prorsus modo in se ipso, quàm obiectiuè in cognitione se habet. Secundò: quia licèt id quod cognoscitur re verâ non sit, representatur tamen per propriam, adeóque claram, & intuitiuam speciem, vt eodem prorsus modo appareat cognoscenti ac esset in se re verâ, casu, quòd esset. Hoc posito, respondeo ad argumentum, Deum non posse cognoscere aliquid aliter, quàm sit in se priori modo; bene tamen posteriori. Quia cognoscere aliquid per speciem alienam, & instar alterius obiecti, vti nos pro hoc statu cognoscimus, imperfectionem præ se fert alienam à Deo. Apprehendere verò, ac sibi repræsentare aliquid, quod verè non est, vt iudicetur, quod verè est, potiùs est perfectio Deo necessaria; ita tamen, vt quod sic apprehenditur, siue repræsentatur, vt est in se repræsentetur, iuxta secundum modum, hoc est, clarissimè, & intuitiuè, ac veluti per propriam speciem; non verò, vt est in se, iuxta primum modum, qui solùm pro iudicio est Deo necessarius, ne fallatur; non itidem pro simplici apprensione, quæ nec est capax falsitatis, nec est per se principium iudicij falsi adhuc in nobis, qui semel apprehenso figmento indifferentes manemus ad ei dissentiendum per iudicium verum, aut assentiendum per falsum. In Deo tamen neque hæc indifferentia habet locum, cùm Deus non sit capax iudicij falsi. Ex quibus liquidò apparet, quo sensu sit verum, Deum omnia cognoscere, vt sunt in se, & quo sensu concedi possit cognoscere eum, seu apprehendere figmenta aliter, quàm sunt in se.

Deinde obiici potest. Veritas realis, & extra 82
intellectum cognoscentis subsistens non potest in suo esse pendere à figmento non subsistente. Ergo nec potest ab illo pendere in cognosci: Ergo nullas est veritas, quam Deus non possit cognoscere independenter à figmentis. Ergo Deus non cognoscit figmenta; quandoquidem eo dumtaxat titulo asserebatur illa cognoscere: quia non potest, illis ignotis, aliquas cognoscere veritates. Confirmatur: quia obiecta ista: *Secundus Deus non existit: si Petrus existeret, loqueretur: si Deus non existeret, cuncta deficerent*, & cætera similia, verissima in se sunt independenter ab omni cognitione fingente, & consequenter ab omni figmento, quod, seclusâ cognitione fingente, prorsus est nihil. Ergo Deus independenter etiam à figmentis cognoscit illa, subindéque non habet titulum cognoscendi figmenta.

Respondeo: veritates absolutas per se respecti- 83
uas aliquo modo ad figmenta, iuxta *superiùs* dicta, eo ipso non posse non ab illis pendere quoad cognosci, quamuis non dependeant quoad esse: quia nulla relatio potest cognosci sine termino, quem per se respicit; & aliquæ sunt relationes, siue conceptus respectiui, qui quoad esse non dependent a termino: quia possunt esse sine illo; imò sæpè petunt, illum non dari, vt in negationibus tum obiectiuis, tum intentionalibus, in aliisque huiusmodi cernere est Et hac ratione respiciunt veritates prædictæ figmenta. Veritates autem conditionatæ sub conditione figmentorum interdum dependent quoad esse ab illis conditionatè, quatenus si existerent illa, ab illis penderent: interdum non dependent propter oppositam rationem, iuxta dicta de veritate conditionatorum *disputat. 10.* Semper tamen dependent, quoad cognosci: quia aliter, quàm sub eorumdem figmentorum hypothesi nullatenus sunt cognoscibiles, seu iudicabiles, hoc ipso, quod sunt veritates conditionatæ sub conditione ipsorum. Veritas enim conditionata vt talis ex connotato dicit conditionem ex parte hypothesis suppositam; siue illam insuper respectu intrinseco respiciat; siue secus, quod ad rationem veritatis conditionatæ impertinens est, vt etiam constat ex dictis *disputat. 10.* ampliúsque constabit ex dicendis *in Tractat. de scient.* Cum quo stat huiusmodi veritates, quâ ratione sunt à parte rei habere esse independenter ab omni cognitione fingente: quia sublatâ omni cognitione, re ipsâ loqueretur Petrus, si existeret, verumque subinde est veritate obiectiuâ, fore vt ille loqueretur, sub conditione, quod existeret. Nam esse aliquid re ipsâ sub conditione nihil est aliud, quàm esse stante conditione, quæ aliàs non stat; quod sine connotatione existentiæ conditionis aliàs non existentis constare non potest; proindeque; neque cognosci, non apprehensâ, & suppositâ, vt existente conditione, quæ aliàs non existit,

aut absolutè, aut pro aliquo signo, in quo, vt existens connotatur, & apprehenditur, iuxta doctrinam tum tum datam dictà *disp.* 10. tum dandam *in Tract. de scient.* Ex quo ad confirmationem patet, obiecta illa, quæ proponuntur, vera quidem esse independenter ab omni cognitione fingente, non tamen sine aliquo genere respectus, siue connotationis ad id, quod est obiectum cognitionis fingentis, quodque figmentum appellamus.

84 Instabis. Etsi existentia Petri absolutè sit figmentum, quatenus Petrus absolutè non existit, vt ponitur, conditionatè tamen verum quid est terminans verum iudicium Dei, quatenus verum est, Petrum extiturum, si existeret. Ergo etsi existentia Petri absolutè sit figmentum, prout in hypothesi, erit etiam quid verum. Ergo Deus titulo iudicandi veritates conditionatas de conditionibus absolutè fictitiis nullum apprehendit figmentum. Concesso antecedente, nego vtramque consequentiam: quia, quod absolutè est fictitium, prout positum in hypothesi non est quid verum, tametsi conditionatè, prout subest alicui hypothesi, quid verum sit. Obiectum enim apprehensionis constituentis hypothesim, vt tale non est quid verum, sed quid suppositum, & fictum, cùm per talem apprehensionem potiùs supponitur esse, quod verè non est, quàm apprehendatur, quod est; cùm tamen per iudicium hypotheticum, quod verum est conditionatè ex factâ hypothesi iudicetur. Et quidem nihil esse verum, nisi vel absolutè, vel conditionatè manifestum est: quia nihil est verè iudicabile nisi aliquo ex his modis. sed obiectum apprehensionis constituentis hypothesim, vt tale non est conditionatè verum, cùm, vt sic non supponat aliam hypothesim: ergo si absolutè non est verum, vt ponimus, prout conceptum per talem apprehensionem fictitium remanet, atque adeò per talem apprehensionem non quid verum, sed quid fictitium apprehenditur. Ex quo patet, eam in suum obiectum absoluto quodam modo, atque suppositiuo tendere: cùm tamen iudicium hypotheticum merè conditionatè tendat in suum. Cum quo benè componitur, idem obiectum posse vtrumque actum terminare ita, vt idemmet sit conditio, & conditionatum, quod subinde vt est obiectum apprehensionis facientis hypothesim, quid fictum; vt autem est obiectum iudicij conditionati, quid conditionatè verum poterit esse, vt patet in illo exemplo posito.

85 Denique obiicitur, Deus neque simplici affectu versatur circa figmenta: Ergo neque simplici cognitione cognoscit illa. Imprimis antecedens est falsum; nam Deus aliquo affectu siue amoris, siue odij potest circa figmenta versari, vt dicendum *suo loco*; sed, admisso antecedenti, negari potest consequentia, dicendo, obiectum diuinæ voluntatis dumtaxat esse bonum, aut malum verum; non itidem fictum. Diuini verò intellectus etiam ens fictum esse obiectum, eo quòd diuina voluntas non eget amore, aut odio figmenti, vt aliquam veram bonitatem possit amare; sicut diuinus intellectus eget apprehensione figmenti, vt aliquam veritatem possit cognoscere, ob diuersam, quam habent naturam istæ potentiæ, & earum actus. De quo discrimine latè agam *in Tract. de volunt.*

86 Ex quibus omnibus apparet, quænam entia rationis ficta cognoscat Deus, & quâ ratione. Superest tamen modò determinandum, an, & quâ ratione illa facere, seu fabricari dicendus sit. Quæ quidem controuersia parui momenti, & ferè de modo loquendi est, supposito, quòd Deus cognoscit eiusmodi entia rationis, prout statuimus, in quo de re ipsâ, & grauior difficultas erat.

Propositio 5.

Deus omnia entia rationis ficta, quæ cognoscit 87
dicendus est facere: imò, si cum rigore, & proprietate loquendum sit, seruata exactè analogiâ ad entia realia, iuxta quam de entibus rationis philosophamur, solus Deus dicendus est facere talia entia rationis, creaturas verò dum ea cognoscunt iam supponere facta.

Quoniam per eam dumtaxat cognitionem censendum est fieri ens rationis, per quam primò cognoscitur quoad esse fictitium; aliæ enim cognitiones eius, quæ subsequuntur, non faciunt, sed supponunt factum, vt *suprà quæst.* 1. *num.* 19. statutum est: sed cognitio diuina de quouis dictorum entium rationis quoad esse fictitium prior est tempore, imò æternitate, quam omnis de eodem cognitio creata, vt constat: igitur talia entia rationis per solam cognitionem diuinam, non item per creatam, & consequenter a Deo solo dicenda sunt fieri. Loquor autem de cognitione diuinâ habente pro obiecto ens rationis quoad esse fictitium; nam, quæ habet pro obiecto ens rationis quoad esse intentionale, seu potius quoad præsentiam intentionalem, quam illud habet, aut potest habere in intellectu creato prout terminata ad talem præsentiam intentionalem præcisè non est factiua entis rationis: quia, vt sic non habet pro obiecto aliquid fictum; sed aliquid verum, nimirum cognitionem creatam aut existentem, aut possibilem de ipso ente fictitio.

Adde, si quoduis ex dictis entibus rationis tangit 88
Deus pluribus cognitionibus quoad esse fictitium, iuxta doctrinam vniuersalem de multiplicatione actuum scientiæ diuinæ circa idem obiectum tradendam *in Tract. de scient.* Videndum esse, iuxta ibi dicenda, an istæ cognitiones aliquem ordinem habeant prioris, & posterioris, an secus. Nam si habent ordinem, sola cognitio, quæ fuerit prior aliis, efficiet ens rationis; posteriores verò non item; sed supponent factum, iuxta dicta. Si verò non habent ordinem; sed comitanter se habent, per omnes eas simul dici poterit fieri ens rationis: quia se habebunt sicut plures causæ concurrentes ad dandum esse eidem effectui. Et hæc, siue omnes istæ cognitiones de ente rationis ab intellectu diuino conceptæ sint independenter à cognitione creatâ de eo, siue aliquæ conceptæ sint dependenter. Per vtrumque namque cognitionum genus potest ens rationis quoad esse fictitium concipi à Deo; atque adeò etiam fieri, si non supponatur factum per præuiam aliquam cognitionem eiusdem Dei.

Obiici tamen solet primò contra propositionem. 89
Effectio entis rationis est cognitio confusa habita per species alienas, & abstractiua, qualis in nobis reperitur, qui ob id plura entia rationis facere cogimur; quia cognitio nostra adeò imperfecta est, non facturi profectò, si res prout sunt in se clarè, & perfectè aspiceremus: Ergo Deus, cuius cognitio summè perfecta est, non potest ens rationis efficere. Respondeo titulo cognitionis imperfectæ habitæ per species alienas, qualis est nostra, à nobis quidem solis, non item à Deo fieri omnia entia rationis supposititia; atque ea etiam ficta, quæ à cognoscentibus per proprias species concipi nequeunt. Esse tamen alia entia rationis ficta, quorum effectio cognitioni abstractiuæ, & obscuræ propria non est; sed cognitioni intuitiuæ, & claræ, qualis est diuina

potest

potest competere. Deus enim non solùm potest, sed etiam tenetur eiusmodi figmenta concipere, siue apprehendere ad plures veritates capiendas, & iudicandas, quæ sine illis apprehensis iudicare non posset. Hoc autem ipso, quod illa concipit, longè antequàm concipiantur ab omni creatura, illa vtique se solo facere dicendus est. Quæ omnia ex dictis in superioribus satis sunt nota.

90 Secundò obiicitur. Effectio entis rationis est fictio quædam: sed Deo tribuere fictionem absonum est. Ergo non est dicendus Deus entia rationis facere. Respondeo, nullum esse inconueniens, si asseramus, Deum fingere entia rationis, quatenus verbum *fingo* significat idem, quod *formo*: quatenus verò significat idem, quod *mentior*, aut *fallor*, neutiquam est Deo tribuendum. Impossibile quippe est, Deum esse mendacem, aut falli. Quanquam enim nos ob nostram imperfectionem multa figmenta attingamus per iudicium falsum, multa etiam falsò proferamus, atque ita fallamur, & mentiamur, fingamusque in hoc sensu; Deus tamen nullum figmentum tangere potest iudicatiuè; sed tantùm per simplicem apprehensionem incapacem veritatis, & falsitatis, ab omnique proinde fictione huius generis prorsus immunem.

DISPVTATIO XIII.

De identitate, & distinctione entium, seu rerum, atque adeò obiectorum intellectus humani.

1 IN hac disputatione primùm de identate, & distinctione rerum in vniuersum agam; deinde de identitate, & distinctione obiectorum humanæ intellectionis, quâ talium. Et quoniam non solùm entia realiter inter se distincta; sed etiam formalitates cuiusuis entis siue creati siue increati obiecta sunt intellectionis humanæ, de vtrorumque identitate, & distinctione agendum præsentiarum est. Dicuntur autem formalitates eiusdem entis, quæ veluti partes sunt eius ratione, seu conceptione nostrâ: Cuiusmodi sunt in homine prædicata substantiæ, viuentis, sensibilis, rationalis, admiratiui, risibilis, &c. Et in Deo prædicata increati, æterni, immensi, boni; sapientis, omnipotentis, iusti, &c. attributa Dei dici solent.

QVÆSTIO I.

Quid sit identitas, & quotuplex?

2 DVplex imprimis identitas est distinguenda, formalis vna; fundamentalis alia. Identitas formalis nihilo differt ab actu essendi substantiuo significato per verbum *esse* substantiuè vsurpatum, vti vsurpatur cùm dicimus: *Petrus est rationalis*, aut *Petrus est Petrus*. iuxta dicta *disput. 9. quæst. 1.* perinde quippe est asserere: *Petrus est rationalis*, aut *Petrus est Petrus*, atque asserere: *Petrus est idem cum rationali*, aut *Petrus est idem cum Petro* seu *cum se ipso*. Fundamentalis autem identitas ipsa est essentia cuiusque rei, cuiusque ve obiectiui conceptus, accepto hoc nomine *essentia*, vt iam communiter accipitur, pro eo quod vnumquodque est in se; non verò pro dicto actu essendi substantiuo à formali identitate indistincto, quem ex suâ primâ etymologiâ significabat; vt pluribus explicatum est *supra dicta disput. 9. quæst. 1. & 2.* Appello autem essentiam identitatem fundamentalem: quia quodlibet hoc ipso, quod habet essentiam, est id, quod est; atque ita fundamentum præbet, vt intellectus noster illud aut sub eodem, aut diuersis conceptibus apprehensum, ad ipsummet comparet, siue de ipsomet prædicet per actum essendi substantiuum, in quo consistit formalis identitas.

3 Solet autem identitas frequenter per negationem distinctionis significari, eo quod non possunt non esse identificata ea, quæ sunt non distincta, seu indistincta: quia tamen distinctio duplex excogitari potest, iuxta postea dicenda; alia positiua consistens in actu positiuo, quo dicitur vnumquodque distingui ab alio: alia negatiua consistens in negatione identitatis, quâ dicitur vnumquodque non esse aliud. Idcircò indistinctio, per quam significatur identitas, bifariam venit vsurpanda. Primò: pro negatione distinctionis positiuæ; secundò: pro negatione distinctionis negatiuæ. Ex quibus duabus indistinctionibus, secunda ipsissima est formalis identitas, quam *num. 2.* exposuimus. Explicata tamen, conceptaque à nobis per modum negationis sui contradictorij, vti lux per negationem tenebrarum, & visus per negationem cæcitatis, & quouis extremum contradictionis positiuum per negationem negatiui explicari, & concipi potest, sæpeque solet; eo quòd quodlibet eorum apud nos formalis exclusio, & siue remotio, siue negatio alterius est, iuxta dicta *disput. 4. num. 69. & 80*, Prima verò dictarum duarum indistinctionum non formalier, sed illatiue duntaxat, atque adeò impropriè appellanda venit identitas, quatenùs, quæ non sunt distincta positiuè consequenter nequeunt esse identificata; sicut, quæ non sunt dissimilia positiuè, consequenter nequeunt non esse similia; & quæ non sunt positiuè inæqualia, consequenter nequeunt non esse æqualia, iuxta dicenda latiùs, *quæst. 2.* Vnde patet solam indistinctionem oppositam distinctioni negatiuæ venire identitatem dicendam, propriè loquendo; si tamen distinctio aliqua negatiua, quæ propriè sit talis sit astruenda. De quo *quæst. 2.*

4 Ex quibus colligitur primò: identitatem formalem bifariam posse, solereque concipi à nobis; positiuè videlicet; vt actus essendi substantiuus, qui identitas dicitur; & negatiuè, vt negatio sui contradictorij, quæ indistinctio appellatur. Vtroque autem modo concepta eadem obiectiua formalitas censenda est, iuxta doctrinam vniuersalem tradendam *infrà quæst. 9.* Vndè constabit, quomodò eadem obiectiua formalitas diuersis modis etiam obiectiuis concipi possit.

5 Secundò colligitur: identitatem formalem vtrouis dicto modo sumptam relationem quamdam esse ex conceptu suo: quia vtrouis dicto modo sumpta actus quidam est ex conceptu suo aut positiuus, aut negatiuus; omnis autem actus, ex suo concepta relatio quædam est, siue respectus subiecti ad terminum iuxta doctrinam suprà statutam *disput. 8. quæst. 2.* Vnde infero, non bene Soar. *disputat. 7. Metaph. sect. 3.* diuisisse identiatem in relatiuam, & negatiuam, quasi indistinctio, quam ipse appellat identitatem negatiuam, conceptus relatiuus non sit. Meliùs profectò diuisisset in positiuam, & nega-

tiuam ; ita tamen, vt per hæc membra diuisionis non tam diuersæ identitates, quàm diuersi modi significandi,& concipiendi eamdem intelligerentur, iuxta dicta.

9 Tertiò colligitur : identitatem formalem non solùm esse respectiuam, quando versatur inter extrema diuersa, quo casu actus quidam est rectus ; sed etiam quando est identitas,quâ vnicus simplex conceptus idem est sibi, quo casu actus quidam est circularis ; iuxta *diuis.* 2. actuum traditam *disput.* 8. *quæst.* 2. Quia cùm in vtroque casu sit actus, non potest non esse respectiua ad subiectum, & terminum. Ex quo patet, Scot. non benè illam appellasse relatiuam in primo casu, in secundo verò absolutam, vti referunt Heruæus *quodl.* 4. *quæst.* 2. Sonc. 10. *Met. quæst.* 5. & Iauel. *quæst.* 7. Minùs tamen benè docuit, vt iidem testantur,eiusmodi duas identitates re ipsâ esse distinctas, fundates haud dubiè in illâ suâ doctrinâ de distinctione formali ex naturâ rei quam putat inter formalitates realiter identificatas à parte rei rei interuenire. De quo tractandum latè *infrà quæst.* 5.

7 Vtrum autem relatio, quam secum fert formalis identitas, sit realis, vel rationis, suam quæstionem habet. S. Th. *part.* 1. *quæst.* 28. *artic.* 2. *ad* 2. ait *Quòd relatio, quæ importatur per hoc nomen idem est relatio rationis tantum.* Consentit Soar. *sec. illa* 3. *citata num.* 2. docens, identitatem formalem tantùm dicere relationem rationis. *Quæ sententia,* inquit, *certa est, & communis* ; eamque probat : quia eiusdem ad se ipsum non potest esse relatio realis. Sed non benè ; nam,vt notauimus *disput.* 8. *quæst.* 3. *diuis.* 2. *cit.* nihil vetat esse relationem realem eiusdem ad se ipsum. Ego ex vniuersali ddctrinâ datâ *disput.* 2. *quæst.* 3. *consect.* 7. & rursus *disput.* 12. dico,relationem,quam ex proprio actus conceptu importat identitas formalis, rationis quidem esse vniuersè,non tamen fictam ; sed suppositiam, conuenientem scilicet identitati à phantasmate substituto proprio respectuum, seu relationum, per quod illa concipitur. Identitas verò ipsa formalitas realis erit, quando identitas fundamentalis, cui nititur, fuerit eiusmodi ; quando verò hæc rationis dumtaxat, aut etiam ficta fuerit,iuxta diuisionem tradendam postmodum, eamdem fortunam identitas formalis subibit,vt satis ex se notum est.

8 Iam verò identitas sumpta vniuersè duplex imprimis est : alia realis, & alia rationis. Realis, quæ in rebus ipsis reperitur independenter à conceptione nostri intellectus. Rationis, quæ per rationem nostram, siue per actum nostri intellectus rebus tribuitur. Hæc autem rursus est duplex : alia suppositiua ; quam habent res in mente nostrâ, quando cùm in se sint plures, sub vno phantasmate sensibili adunatæ vnum nobis apparent, prout fusiùs explicatum est *suprà disput.* 2. *quæst.* 3 & rursus *disp.* 12. In idem quippe recidit apparere nobis res plures vnum, & apparere idem, identitate videlicet fundamentali,a quâ rursus prouenit, vt etiam identitate formali identificatæ prout sunt in mente nostrâ obiectiuè concipi possint. Identitas autem rationis ficta ea est, quam noster intellectus appingit rebus realiter distinctis, dum illas concipit identificatas realiter, quales non sunt re verâ, idque siue fundamentali, siue formali identitate. Vide dicta *locis citatis* de discrimine entis rationis suppositiui, & ficti.

9 Eorum autem,quæ sunt idem realiter Arist. *lib.* 5. *Met. cap.* 9. quædam dixit esse idem secundum accidens, vt quando vnum de altero prædicatur sub concreto adiectiuo. Quocirca illa per se erunt idem, quæ substantiuè sumpta inuicem prædicantur medio actu essendi substantiuo, iuxta diuisionem entis, essentiæque per se, & per accidens, quam explicuimus *disp.* 9. *quæst.* 2.

Mitto aliam identitatem, quam Scotus inter absolutè realem, & rationis mediam excogitauit,oppositam distinctioni formali ex natura rei, quam ipse etiam inuexit. Vtramque enim esse impossibilem *infra quæst.* 5. ostendendum est. Cæterùm,quia *quæst.* 6. distinctio quædam realis æquiualens tantum, seu virtualis inter aliquas Dei formalitates est adstruenda, identitas talis distinctioni opposita venit itidem adstruenda in præsenti, qua scilicet extrema realiter formaliter identificata insuper sunt identificata realiter virtualiter, quatenus realiter virtualiter distincta non sunt. 10

QVÆSTIO II.

Quid sit distinctio, & Quotuplex?

COnueniunt omnes, ea esse inter se distincta, 11
quorum vnum non est aliud, neque è conuerso. Ita Soar. *disputatione* 7. *Metaph. sect.* 1. Petr. Hurt. *disputatione* 6. *Meta. sect.* 1. Arriag. *disputatione.* 1. *Metaph.* Ouied. *controu.* 4. *Metaph. punct.* 1. & reliqui ; sed difficultas est in quo consistat formaliter distinctio. Certum est apud omnes, eam non esse aliquid reale positiuum rebus distinctis superadditum. Si namque Petrus per aliquid positiuum superadditum sibi distingueretur : à Paulo, eodem iure, vt distingueretur ab eo positiuo alio positiuo opus esset ; dareturque infinita progressio entitatum positiuarum,quod est absurdum à quarum tandem integrâ collectione non posset non Petrus distingui sine alio superaddito positiuo. Quo tota illa superflueret. Hoc posito Petr. Hurt. supra putat distinctionem nihil esse aliud adhuc formaliter ab extremis, quæ distingui dicuntur : tametsi non possit illa explicari à nobis nisi per negationem identitatis, qua hoc dicitur non esse illud. Consentit Arriag. *suprà* & idem ex professo docet Ouied. *supra num.* 3. atque etiam *controu.* 3. *Metaph. punct.* 1. S.Th. verò 1. *part. quæst.* 11. *artic.* 2. & *quæst.* 9. *de Potent. art.* 7. & *in* 1. *dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 1. & *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *sæpeque alibi.* Soar. *suprà* & alij docent distinctionem sumptam formaliter in negatione identitatis extremorum distinctorum consistere.

Ego duplicem imprimis distinctionẽ distinguendam censeo (vti dixi de identitate) fundamentalem scilicet, & formalem. Fundamentalis nihil est aliud ab ipsis extremis distinctis ab ipsisve eorum essentiis, quemadmodum similitudo, dissimilitudo, æqualitas, aut inæqualitas fundamentalis nihil est aliud ab ipsis extremis similibus, dissimilibus,æqualibus, aut inæqualibus, iuxta doctrinam vniuersalem tradendam *disput.* 14. Distinctio autem formalis,quæ in eo conceptu obiectiuo ponenda est,quem nos de distinctione formamus,iuxta dicenda ibidem, rursus est duplex alia positiua, alia negatiua. Positiua est actus ille obiectiuus, quo vnumquodque extremorum dicitur ab altero distingui, denominaturve distinctum ab altero, sicuti similitudo, dissimilitudo, æqualitas, aut ænequalitas formalis, & positiua, actus ille obiectiuus est, quo vnumquodque extremorum alteri dicitur assimilari, dissimilari, adæquari, aut inadæquari, denominaturve alteri simile, dissimile,æquale,aut inæquale. Distinctio 12

autem

autem formalis negatiua in negatione identitatis consistit, qua vnumquodque extremorum dicitur non esse alterum, siue non esse idem cum altero. Quemadmodum similitudo, dissimilitudo, æqualitas, aut inequalitas formalis negatiua, in negatione consistit dissimilitudinis, similitudinis, æqualitatis, aut æqualitatis, qua vnumquodque extremorum dicitur non esse alteri dissimile, simile, inæquale, aut æquale.

13 Hæc dixi solùm, vt morem gererem iis Doctoribus, qui negationem identitatis formalem distinctionem appellant. Censeo namque illam non formaliter, sed illatiuè dumtaxat, atque adeo impropriè venire dicendam distinctionem, quatenùs, quæ non sunt identificata consequenter non possunt non esse distincta. Quo pacto etiam negatio distinctionis non formaliter, sed illatiuè, atque adeo impropriè appellanda venit identitas vt *num.* 3. dicebam. Itaque cum dictinctio, & identitas citra medium ita sint inuicem opposita, vt extrema identificata necessario sint non distincta; & extrema non distincta necessario sint identificata, atque etiam vice versa. Factum est vtique, vt nomen distinctionis ad negationem identitatis, & nomen identitatis ad negationem distinctionis per translationem quamdam extensum sit. Quocirca de illis non vniuocè, sed analogicè dumtaxat venit dicendum. Et idem est ob eamdem rationem de nominibus similitudinis, & dissimilitudinis quorumuis extremorum, æqualitatisque & inæqualitatis extremorum quantorum. Vt pluribus exponemus *loco citato.*

14 Notandum est hic obiter pro vsu vocum; distingui, esse diuersum, & differre tanquam superius & inferius se habere, vt sumitur ex Arist. *lib.* 4. *Metaph. capite* 2. & *lib.* 5. *capite.* 9. & *lib.* 10. *cap.* 5. Nam ea dicuntur distingui, quorum vnum non est aliud. Ea verò esse diuersa, quæ, præterquam quod sunt distincta, adæquatè sunt dissimilia, aut etiam inæqualia. At differre, quæ in aliquo conueniunt, & per aliquid discriminantur. Verum quamquam hæc sit harum trium vocum proprietas. Si communem vsum spectes promiscuè sæpe vnam pro alia reperies vsurpatam.

15 Deinde notandum est varia ab aliquibus in præsenti signa distinctionis recenseri, quod præstat latè Soar. *supra sect.* 2. sed hoc aliud non est quàm proprietates distinctionis enumerare, quod nos præstabimus *infra quæst.* 3. dum propositiones ad distinctionem spectantes tam per se, quàm per aliud notas recenseamus.

16 Iam vero distinctio siue fundamentalis, siue formalis multifariam diuidi solet. Primò enim diuiditur in distinctionem realem, & distinctionem rationis. Distinctio realis est illa, qua vnum extremum ab alio distinguitur, siue qua vnum non est aliud à parte rei. Distinctio verò rationis est, qua vnum extremum ab alio distinguitur, siue qua vnum non est aliud per nostram conceptionem, siue prout menti nostræ apparent: cum tamen à parte rei idem sint. Exemplum prioris sit distinctio, qua à parte rei Petrus distinguitur à Paulo. Posterioris autem distinctio, quæ à nobis concipitur in eodem Petro inter animal, & rationale, ex quibus per rationem nostram, siue prout apparet nobis Petrus ipse coalescit.

17 Deindè distinctio realis in distinctionem rei à re, & distinctionem rei à suo modo diuidi solet. Res dicitur in præsenti illa entitas, quæ non est connexa essentialiter cum alia entitate, qualis est Petrus comparatione Pauli. Modus verò dicitur vniuersim entitas illa, quæ alteri entitati essentialiter, atque adeo indispensabiliter affixa est: qualis est vnio comparatione partium, quas vnit: actio comparatione agentis & termini per illam facti, & similia. Distinctio autem inter rem, & rem absolutè, & sine addito dici solet distinctio realis. Cum tamen distinctio inter rem, & modum distinctio realis modalis vocari soleat. Tametsi hoc additamentum non tollat eam absolutè & simpliciter, & cum omni proprietate realem esse. Cæterùm diuisio hæc distinctionis à varietate extremorum distinctorum desampta aliter magis vniuersaliter, atque adeo magis scientificè effici debet in hunc modum. Distinctio realis alia est inter extrema inuicem inconnexa, qualia sunt Petrus, & Paulus alia inter extrema connexa eaque siue non mutuo, qualiter se habent res, & modus; siue mutuò, vt se habent diuinæ personæ, & plura alia eiusmodi extrema citra omne dubium possibilia. Distinctio autem extremorum connexorum tot rursus modis diuidi potest, quot est connexio diuisibilis, iuxta dicenda *disput.* 14. Tum etiam distinctio realis alia est extremorum, quorum alterum dependet ab altero dependentia originis, siue causalitatis; alia extremorum, quorum neutrum ab altero tali dependet dependentia. Tum denique distinctio realis alia est extremorum inter se oppositorum; alia extremorum non oppositorum inter se. Quarum prima tot rursus modis diuidi potest, quot potest diuidi oppositio, iuxta dicenda etiam *loco citato.*

18 Sed est dissidium hic inter aliquos, an sit dicenda dinstinctio realis, & actualis illa, cuius alterum extremum aut non est actu, aut etiam est impossibile; quo pacto ego distingui dicor à leone purè possibili, & à chymera impossibili. Qua in controuersia mihi est certissimum quo iure quibusuis essentiis non existentibus, aut etiam impossibilibus alia prædicata necessaria absolutè, & per verbum de præsenti possunt, atque solent attribui in sensu videlicet reali quiditatiuo, iuxta doctrinam generalem traditam *supra d.* 10. Vt cum Petrus purè possibilis dicitur esse rationalis, esse risibilis, &c. & quæuis chymera impossibilis dicitur esse impotens ad existendum, esse connexa cum duobus contradictoriis, &c. Eodem modo quibusuis omnino extremis, quorum vel alterum, vel vtrumque sit non existens, aut etiam impossibile prædicatum distinctionis in sensu pariter reali quiditatiuo absolutè posse, & debere attribui; atque etiam solere. Quo pacto de quibusuis omnino extremis diuersas essentias habentibus verissimè dicimus absolutè, illa esse distincta ex conceptu suo obiectiuo, siue quiditatiuo. quicquid sit de eorum existentia, aut etiam possibilitate. Cæterum non dicentur verè aliqua extrema esse actualiter distincta in sensu existentiali, nisi ambo sint actualiter existentia. Quia esse extrema aliqua verè distincta actualiter in sensu existentiali, est esse actualiter existentem eorum distinctionem; hanc autem vtpote ab ipsis extremis reipsa indistinctam non posse actualiter existere, quin existant ipsa extrema actualiter, compertum satis ex dictis est.

19 Dices: extrema actualiter non existentia actualiter non sunt idem. Ergo saltem distinctio formalis negatiua in negatione identitatis consistens erit existens actualiter, tametsi extrema per eam distincta actualiter non existant. Respondeo primò: negationem identitatis extremorum non existentium illatiuè tantùm, & impropriè vocari distinctionem, vt dictum est. Atque ita esto ea esset existens actualiter, non inde fieri aliquam propriam distinctio-

nem

nem talium extremorum existere actualiter. Respondeo secundo : eiusmodi negationem identitatis nullatenus esse quidpiam acta existens à parte rei, sed tantum conceptione nostra. Tum quia de omni omnino negatione est id verum, iuxta doctrinam statutam *disput. 9. q. 3.* tum quia negatio identitatis peculiari titulo est prorsus nihil à parte rei, vtpote remotio conceptus obiectiui nullam habentis essentiam in se conceptibilem, sed tantùm in substituto alieno, prout *supra disput. 10. q. 4.* & *disp. 11. q. 2.* & *disput. 12. q. 1.* & 5. expositum est. Addo tamen de extremis non existentibus verè dici in sensu existentiali negatiuo non esse identificata actualiter, sed hoc potius est eorum identitatem remouere ab actuali existentia, quam alicuius eorumdem distinctionis existentiam actualem adstruere, vt satis notum est.

20 Præterea distinctio realis in formalem,& virtualem diuidi solet. Formalis dicitur, quæ verè & propriè distinctio est faciens aliud, & aliud ; ea nimirum de qua egimus in superioribus diuisionibus. Virtualis verò appellatur, quæ reuera non est distinctio, sed quædam distinctionis æquiualentia, ratione cuius res alioquin simplicissima, & prorsus indistincta in se ita se habet in ordine ad aliquod munus, ac si distincta in se, seu multiplex esset.

21 Denique cum entia rationis æmulari soleant in omnibus entia realia, tot modis diuidi potest distinctio rationis, quot diuisimus distinctionem realem. Sed insuper satis communiter solet diuidi in distionem rationis raciocinantis, & distinctionem rationis raciocinatæ. Illa dicitur, quæ sine fundamento in rebus ab intellectu fit. Hæc verò, quæ accepto à rebus fundamento. Quo tamen iure huiusmodi diuisio increbuerit, *inferius q.* 8. notabimus ; eiusque membra exponemus, explicatius, & fusius. Amplius verò nunc distinctio rationis in suppositiam,& fictam est diuidenda consentaneè ad diuisionem similem identitatis rationis factam *numero* 8. & iuxta doctrinam vniuersalem citatam ibi, quæ ad rem etiam videnda est. De qua etiam diuisione fusius itidem *q.* 8. loquemur.

22 Postremò inter distinctionem realem & rationis absolutè vsurpatas mediam quamdam excogitauit Scotus, quam distionem formalem ex natura rei nuncupauit. Putabat enim formalitates rerum, quæ realiter sunt prorsus idem, formaliter esse distinctas re vera, & nullo id considerante intellectu. De qua distinctione fusè à nobis *quæst. 5.* contra ipsum Scotum est agendum. Etenim ex omnibus propositis distinctionibus sola quæ simpliciter, & propriè realis, maiori examine non eget, vt eius quiditas legitimè à cunctis concipiatur. De reliquis verò adhuc multa explicanda restant in subsequentibus quæstionibus.

23 Vnum tamen superest hic adnorandum : sub quouis ex prædictis generibus distinctionum insuper duplicem esse speciem. Alia enim est distinctio adæquata, siue extremorum se se inuicem excludentium, qualis est, quæ reperitur inter Petrum, & Paulum. Alia inadæquata, siue excludentis ab incluso, qualiter quoduis totum à sua parte distinctum est. Vt Petrus à sua anima, vel à suo capite.

QVÆSTIO III.

Quænam propositiones euidentes aut alias certæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

DIco elici quæ sequuntur.

Propositio 1.

Impossibile est, quod identitas, & distinctio extremorum mutuæ non sint. 24

Itaque si primum identificatur cum secundo, necesse est quod secundum vicissim identificetur cum primo : & si primum distinguitur à secundo, non potest non secundum distingui itidem à primo. In hac propositione, quæ axioma est apud omnes ex terminis notissimum, fundatur conuersio propositionum in logica celebris, & inter eius principia potissimum,aut certè ex potissimis obtinens locum. Est autem illa vniuersalissimè vera in omni identitate, & distinctione non solum reali, sed etiam rationis ; sicut regulæ conuersionis propositionum ipsi innitentes, quas tradunt logici, in omni materia sunt veræ.

Propositio 2.

Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se. 25

Hoc axioma cuius meminit Arist. *lib. 7. Topic. cap. 1. loco. 5.* ex diuinæ Trinitatis mysterio factum est omnium axiomatum celeberrimum ; eo quod ibi ex vna parte videtur fallere ; quia personæ diuinæ cum eadem natura sunt identificatæ, & inter se distinctæ ; ex alia verò parte plures Theologi anxiè contendunt illud exponere, vt sit vniuersaliter verum, nec tamen Trinitati aduersum ; prout *infrà* videbimus *quæst. 7.* Vtrum autem in eo fundetur ars syllogistica, vel secus sub controuersia etiam est, de qua *ibi.* Id modo certum, non solum in identitate reali, sed etiam in identitate rationis illud habere locum. Qua ratione autem verum est, debere esse eadem inter se, quæ sunt eadem vni tertio eadem verum est è conuerso, debere ab vno tertio distingui, quæ distinguuntur inter se, vt patet.

Propositio 3.

Quidquid per se conuenit, aut non conuenit alicui subiecto, & alteri cum illo identificato conueniat etiam, aut non conueniat necesse est. Siue, quod recidit in idem. Quidquid per se verè affirmatur,aut negatur de aliquo subiecto, & de altero illi identificato affirmetur etiam, aut negetur necesse est. 26

Etenim si quid conueniens alicui subiecto alteri cum eo identificato non conueniret, aut vice versa, eidem conueniret simul, & non conueniret ; de eodemque subiecto proindè duo simul verificarentur prædicata contradictoria contra *propos. 1 statutam disput. 9. q. 5.* In hoc axiomate potius quam in præcedente ostendam *q. 7. citata* fundari syllogismos expositorios de medio singulari ; atque etiam quadamtenùs alios de medio communi. Quomodo autem illud sit accipiendum, vt etiam in Trinitate diuina possit habere locum, *ibidem* exponetur.

Quem

Quem certè habere proportione seruatâ non minus si sermo sit de identitate, & conuenientia per rationem, quam dum est de identitate, & conuenientia reali: ex dicendis in sequentibus satis constabit.

Propositio 4.

28 Quod alicui semel est idem, semper, & necessario est idem. Et quod ab aliquo semel distinctum est, semper & necessario distinctum est.

Est euidens ex ipsis terminis. Cùm constet identitatem, & distinctionem realem non contingentia, sed necessaria omnino prædicata esse earum rerum, quibus conueniunt. Vndè hoc exioma in identitate & distinctione rationis, quæ contingenter rebus accrescunt, locum non habet.

Propositio 5.

29 Quæ realiter idem sunt nullatenùs aut tempore, aut loco, aut subiecto separabilia sunt, & è conuerso. Quæ aut tempore, aut loco, aut subiecto separabilia sunt, realiter distincta sunt.

Tradidit hanc propositionem Arist. *lib. 7. Topic. cap. 1. loco 15.* cùm dixit. *Amplius si potest alterum sine altero esse* (scilicet in tempore, vel in loco, vel in subiecto) *non erit idem.* Et præterquam quod etiam ex terminis satis est euidens per præcedentes demonstratur. Nam si quæ sunt inter se eadem, secundum tempus separarentur, fieret vt quod alteri semel est idem, aliquando non esset idem contra *propos. 4.* si autem separarentur loco, aut subiecto, alicui subiecto conueniret, quod alteri cum illo identificato non conueniret: nempe esse in tali loco, aut subiecto, contra *propos. 3.* Tantumdémque fieret vice versa, si, quæ aut tempore, aut loco, aut subiecto separabilia sunt, realiter non essent distincta, sed idem, vt constat.

Propositio 6.

30 Ea, quorum alterum ab altero dependentia originis, seu causalitatis dependet, non possunt non esse inter se distincta realiter.

Hæc propositio ad materiam de causis pertinet, ex terminisque cunctis est euidens. Annumero tamen illam hic reliquis; quia huiusmodi dependentia inter signa distinctionis realis solet hic numerari.

Propositio 7.

31 Quæ omnino inseparabilia sunt non eo ipso realiter indistincta sunt.

Est clarum: quia bene possunt esse mutuò connexa siue quoad tempus, siue etiam quoad locum, & subiectum, quæ sunt realiter distincta. Quo casu omnimoda inseparabilitas extremorum cum eorum distinctione reali componetur. Connexiò quippè ex suo conceptu non aduersatur conceptui distinctionis, siue sit illa mutua, siue non mutua. Vt patet; & in personis diuinis cernere licet mutuò connexis & distinctis. Quin imo propria, & rigorosa connexio etiam mutua inter extrema distincta verari debet. Quandoquidem idem secum ipso minusque propriè connecti dicitur.

32 Vnde colliges contra nonnullos, etsi quæuis separabilitas realis sit certum signum distinctionis realis: sicut & quæuis originis, causalitatisve dependentia, à contrario verò ex omnimoda inseparabilitate reali non bene argui identitatem realem: quia possunt esse realiter distincta, vt diximus, quæ mutua dumtaxat interueniente connexione, neque separabilia sunt, neque vllam inter se dependentiam originis, siue causalitatis habent. Aduerto hic tandem alia quædam signa distinctionis realis ab aliquibus exhiberi, quæ vel subdubia sunt, vel ad separabilitatem, & dependentiam originis, causalitatisve reducuntur. Quocirca ea missa facio. Videatur Soar. *disp. 7. Metaph. sect. 2.*

Propositio 8.

Identitas vniuscuiusque rei cum quopiam ad essentiam physicam pertinet talis rei; tantumdémque est de distinctione inadæquatâ vniuscuiusque rei ab alio. 33

Est clarum: quia identitas vniuscuiusque rei cum quopiam, & distinctio inadæquata eius ab alia quidpiam est identificatum realiter cum ipsa re, vt ex dictis *quæst. 1. & 2.* satis, superque est notum. Quidquid autem realiter identificatur cum re ad essentiam eius physicam pertinet, vt ex dictis *disp. 9. q. 1. & 2.* etiam liquidum est.

Propositio 9.

Vbicumque est aliqua res, ibi esse identitatem eius cum quopiam, & distinctionem inadæquatam eius ab alio necesse est, & vice versâ. Et vndecumque deest aliqua res, inde deesse identitatem eius cum quopiam, & distinctionem inadæquatam eius ab alio necesse est, & vice versâ. 34

Est etiam clarum. Quia cùm identitas vniuscuiusque rei cùm quopiam, & distinctio inadæquata eius ab alio pertineant ad essentiam physicam talis rei iuxta *propos. 8.* Si alicubi esset res, & ibi talis eius identitas, aut distinctio non esset; vel vice versâ alicubi esset res, vbi non esset eius essentia, vel vice versâ contra *propos. 7. disput. 9. quæst. 5.* stabilitam. Pariterque, si alicundè deesset res, vnde talis eius identitas, aut distinctio non deesset, vel vice versâ, alicundè deesset res, vnde non deesset eius essentia, vel vice versâ, contra *propositionem eamdem.*

Hinc autem constat, in quocunque loco, tempore, statu, subiecto, aut quouis alio tertio sit res, in eodem necessariò debere esse identitatem eius cum quopiam, & distinctionem inadæquatam eius ab alio, & vice versâ. Pariterque ex quocumque loco, tempore, statu, subiecto, aut quouis alio tertiò res desit, ex eodem debere necessariò deesse dictam eius identitatem, & distinctionem, & vice versâ. 35

Propositio 10.

Quæ alicubi sunt idem, vbicumque per se sint, erunt idem; Et, quæ alicubi sunt distincta vbicumque per se sint, erunt distincta. 36

Addo *per se*, vt excludam modum essendi alicubi per substituta aliena. Quæ enim alicubi non per se, sed per aliena substituta dumtaxat sunt, quatenus substituta ipsa sunt ibi subrogata pro illis, ibi ad distinctionem substitutorum poterunt dici esse distincta; tametsi alibi, vbi per se sunt, idem sint, est vice versâ.

Igitur hâc vnicâ factâ exceptione, propositio planè est certissima satisque euidens ex terminis; sed demonstrari insuper potest. Primò: quia si non 37

essent

essent vbicumque per se sunt idem, quæ alicubi sunt idem, aut non essent vbicumque per se sunt distincta, quæ alicubi sunt distincta; quæ semel sunt idem non semper, & necessariò essent idem; & quæ semel sunt distincta, non semper, & necessariò essent distincta, contra *prop.* 4. vt constat. Secundò: quia ex eadem hypothesi sequeretur, alicubi esse rem, vbi non esset identitas eius cum quopiam; aut alicubi esse rem, vbi non esset distinctio inadæquata eius ab alio, contra *propositionem* 9. vt est manifestum.

38 Ex hâc propositione constat, quæcumq; sunt idem in aliquo loco, tempore, statu, subiecto, ac demum quouis tertio, non posse non esse etiam idem in omni loco, tempore, statu, subiecto, & quouis tertio, vbi per se ipsa fuerint, & non per substituta aliena. Et quæcumque sunt distincta in aliqno loco, tempore, statu, subiecto, ac quouis tertio, non posse non esse etiam distincta in omni loco, tempore, statu, subiecto, & quouis tertio, vbi per se ipsa similiter fuerit, & non per substituta aliena.

39 Vnde veniet demonstrandum *inferiùs q.* 11. & 12. quecumque per proprias species cognoscuntur, atque adeò per se ipsa, & non per substituta aliena in mente cognoscentis sunt obiectiuè, si à parte rei sunt vnum, & idem, non posse non in eo statu obiectiuo esse vnum, & idem; & si à parte rei sunt distincta, & plura, non posse non in eo statu obiectiuo esse distincta, & plura. Quod ipsum est, non posse cognita per species proprias apparere distincta, & plura, quæ re ipsâ sunt vnum, & idem. Nec posse cognita per species proprias apparere vnum, & idem, quæ re ipsà sunt distincta, & plura; & consequenter cognoscentem per proprias species nec posse per suam rationem distinguere, quæ sunt re ipsà vnum, & idem; nec posse per suam rationem adunare, quæ sunt re ipsâ distincta, & plura.

Propositio 11.

40 Quæ semel sunt idem, vbicumque per se sit vnum eorum, & alterum per se esse necesse est. Et vndecumque per se deest vnum, & alterum per se deesse necesse est.

Nam alioquin aut desinerent esse idem contra *proposit.* 4. aut si manerent idem, ipsum idem alicubi per se esset, & simul non esset, contra *proposit.* 1. *statutam disp.* 9. *q.* 5.

41 Hinc constat, eorum, quæ alicubi sunt idem, vnum sine altero per se esse non posse in alico loco, tempore, statu, subiecto, aut quouis alio tertio. Similitérque vnum sine altero per se deesse non posse ab aliquo loco, tempore, statu, subiecto, aut quouis alio tertio. Vnde patet, quàm falsò. Caiet & alij agentes de decreto libero Dei dixerunt, illud consistere in formalitate realiter identificatâ, cum Deo, & nihilominùs defectibili non deficiente Deo. De quo latiùs *Tract. de volunt.*

42 Hinc etiam demonstrandum veniet *infrà q.* 11. & 12. eorum, quæ re ipsâ sunt idem, non posse vnum per propriam speciem cognosci, atque adeò per se ipsum esse obiectiuè in mente cognoscentis, quin alterum & per eamdem speciem vt idem cum illo cognoscatur, & per se quoque vt idem cum illo in mente cognoscentis sit obiectiuè.

Propositio 12.

43 Quidquid vbilibet res intrinsecè, identicè est, aut non est, independenter ab alia re, tanquam à formâ sibi intrinseca est, aut non est.

Hæc propositio ex terminis est satis euidens, & declarari potest ampliùs, ac demonstrari. Primò: quia habere rem talem essentiam, qualem habet, aliter quàm per identitatem nequit ei conuenire; siquidem aliud non est habere rem talem essentiam, & esse idem cum illâ, vt constat: igitur habere rem talem essentiam nequit ei conuenire per extrinsecum consortium alterius rei. Est clarum: at rem quidpiam esse, aut quidpiam non esse intrinsecè, & identicè, ad talitatem essentiæ rei pertinet, siquidem identitas rei cum quopiam, & distinctio inadæquata rei ab alio, quæ in idem recidunt, pertinent ad essentiam rei, iuxta *proposit.* 8. Ergo quidquid vbilibet res intrinsecè, & identicè est, aut non est, independenter ab aliâ re tamquam à formâ sibi extrinseca est, aut non est. Secundò: quia si rem esse, aut non esse quidpiam identicè, & consequenter rei essentia ab extrinseco dependeret tanquam à formâ, re permanente alicubi, & eo extrinseco inde deficiente, aut saltem per intellectum intuentium inde præciso, indidem essentia rei deficeret, aut saltem per intellectum intuentium esset præcisa, quod prorsus repugnat, cùm res, & eius essentia prorsus sint idem.

Ex hâc propositione ostendimus *suprà disput.* 10. 44 contra quosdam Recentiores, nullius rei distinctæ à Deo veritatem obiectiuam pendere posse tanquam à formâ extrinsecâ ab entitate diuina: quia esse rem veram obiectiuè, aliud non est, quàm esse illam intrinsecè, & identitè in se, siue à parte rei talem, qualis intrinsecè, & identicè est obiectiuè in mente diuina. Hoc autem nulla res habere potest ab aliquo à se distincto tanquàm à formâ extrinsecâ, iuxta præsentem propositionem. De quo *ibi* plura.

Propositio 13.

Aliquem actum à parte rei per se esse actum 45 vnius formalitatis subiecti, & non alterius identificatæ cum illâ; aut per se respicere vnam formalitatem termini, & non alteram identificatam cum illa impossibile est.

Nam alioquin aliquid per se affirmaretur verè de aliquâ subiecti, aut termini formalitate, quod verè non affirmaretur de alterâ contra *proposit.* 3. Addo autem particulam *per se*, tum in hac, tum in illa propositione, vt excludam actum respicientem subiectum, aut terminum per substitutum alienum: quo pacto vnam formalitatem præ altera respicere potest, sic enim actus cognitionis actiuæ, quo intellectus noster vnam formalitatem obiecti ab alia eiusdem præscindit in substituto alieno, iuxta doctrinam traditam *supra disput.* 2. *quæst.* 3. & *infrà* tradendam *q.* 9. vnam talium formalitatum, & non alteram in substituto alieno respicit tanquam terminum, eamdemque pariter respicit tanquam subiectum actus cognitionis passiuæ, quo ipsa præ altera ab intellectu cognosci dicitur.

Addendum est etiam, hanc, & tertiam illam pro- 46 positionem in creatis vniuersè locum habere, atque etiam in diuinis, vbi formalitates realiter identificatæ virtualiter non sunt distinctæ in ordine ad actum, & eius contradictorium. Si enim sint iuxta doctrinam tradendam *quæst.* 6. tunc actus per se, & re ipsa poterit vni talium formalitatum, & non alteri conuenire, atque adeò vnam præ altera per se, & realiter respicere, prout *ibi* videbimus.

Ex

47 Ex hac propositione sequitur primò : à parte rei non posse vnam formalitatem esse principium per se quarto modo, vt aiunt, alicuius actionis siue effectus, cuius non sit eodem modo principium per se alterâ identificatâ cum illa. E. g. animalitas hominis non potest esse principium per se sensationis aliquo modo reali, quo eodem non sit etiam rationalitas eiusdem sensationis principium ; nec rationalitas aliquo modo reali potest esse ratiocinationis principium, quo non sit itidem animalitas ; & in cæteris pariter, vbi non interuenit distinctio virtualis prædicta. Ex quo patet : quoties aliquis actus alicui formalitati, & non alteri identificatæ cum illâ dicitur conuenire, vt talis loquutio sit vera de conuenientiâ formali oriunda à ratione nostrâ debere intelligi ; non item de conuenientiâ reali. Nos enim ei formalitati solemus actum attribuere, quam respectiuè ad actum ipsum concipimus ab aliis distinctam, cum quibus realiter idem est, vt cùm dicimus, hominem in quantum est animal sentire, & in quantum est rationalis ratiocinari ; non tamen è conuerso ; aut sensationem ab homine nasci per se quatenus est principium sentiendi, non verò quatenus est principium ratiocinandi ; ratiocinationem autem vice versâ, & in cæteris pariter.

48 Secundò sequitur : creaturas re ipsâ non solùm cum omnipotentia ; sed etiam cum cæteris attributis diuinis tum communibus, tum personalibus esse connexas : quia omnia hæc cum omnipotentiâ sunt identificata realiter, atque ita nequeunt non terminare per se re ipsâ respectum connexionis creaturarum, quem terminat per se omnipotentia ; suppositò, quòd ad illum non terminandum, non est cur ob omnipotentiâ virtualiter distincta asserantur, & distinctione virtuali seclusâ sub doctrinam vniuersalem propositionis cadit specialis ista, vt est notum. Adde, esto omnipotentia diuina in ordine ad terminandum se solâ immediatam connexionem creaturarum à Trinitate Personarum, aut ab aliâ quâuis formalitate Dei virtualiter distingui dicatur, adhuc dicendum necessariò esse, creaturas cum Trinitate, aut cum tali formalitate mediatâ connexione connecti : quia omnipotentia titulo identitatis realis non potest non esse connexa cum omnibus aliis formalitatibus diuinis, quantumuis à quibusuis earum virtualiter distincta sit, atque ita quidquid cum omnipotentia connexum est, & cum ipsis omnibus formalitatibus mediatè saltem sit connexum necesse est. Quomodò autem nihilominus inepta sit connexio creaturarum cum Deo ad notificandum nobis pro statu præsenti Trinitatem, etsi apta sit ad notificandam omnipotentiam, & existentiam Dei ex dicendis *alibi* constabit. Mitto alia similia, quæ ex propositione datâ vnusquisque potest colligere.

Propositio 14.

49 De eodem subiecto idem prædicatum verè simul affirmari, & negari intra eumdem statum impossibile est.

Hæc propositio in tertiam recidit, eam tamen maioris explicationis gratiâ, & propter quædam consectaria inferenda adiicio. Constat autem illa ex *propos.* 1. *statuta disputatione* 9. *quæst.* 5. & vel ipsis logicis notissima, atque euidentissima est ; apud quos affirmatio, & negatio eiusdem de eodem contradictoriè opponuntur, simulque subinde veræ, aut simul falsæ esse non possunt, dummodò ambæ ad eumdem rerum statum, non verò ad diuersos pertineant, iuxta *propos.* 14. *statutam disputatione* 10. *quæst.* 5. sintque eiusdem de eodem etiam virtualiter, iuxta dicta *nuper propos.* 13. Idcirco autem affirmatio, & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto veræ simul esse non possunt : quia idem prædicatum re ipsâ non potest conuenire, & simul non conuenire eidem subiecto, iuxta dicta *propos.* 1. *disputatione* 9. *quæst.* 5.

Vnde infero primò contra nonnullos Recen- 50
tiores, affirmationem, aut negationem siue mentalem, siue vocalem ex peculiari suo modo tendendi præcisè veritatem, aut falsitatem sortiri non posse, nisi insuper obiectum eius re ipsâ habeat, aut non habeat in se illud esse, quod vel affirmatione adstruitur, vel negatione remouetur. Veritas enim formalis affirmationis, aut negationis in veritate obiectiuâ affirmatâ, aut negatâ fundatur, & sine illâ esse non potest. Vnde inuariatâ veritate obiectiuâ ex præcisâ variatione intrinsecâ affirmationis, aut negationis huius veritatem formalem variari impossibile est, vt ex doctrinâ traditâ *suprà disput.* 3. *&* 10. satis est notum ; alioquin pro libito posset vnusquisque quidlibet affirmare, aut negare verè, mutato modo tendendi affirmationis suæ, vel negationis, absque vlla obiectiuâ mutatione obiecti affirmati, aut negati. Quod, quàm sit absurdum palam est.

Ex quo rursus contra Recentiores infertur : Sci- 51
entias diuersas, quas Deus habet de eadem re prout existente, & prout possibili, & prout conditionatè futurâ, non solùm ex modo tendendi præcisè, vt ipsi putant ; sed insuper ex diuersitate veritatum obiectiuarum, quas pro obiecto habent, differre ; aliàs si intellectus diuinus ad tales scientias concipiendas nullam expectaret diuersitatem veritatum obiectiuarum sciendarum per illas, nulla esset res, quam non sciret omnibus dictis modis, atque ita, vt iudicat esse possibilem, sic etiam iudicaret esse existentem rem, quæ re verâ non est existens. Quod patet esse absurdum. Quomodò autem eadem res penes diuersos status, ad quos spectat, diuersas veritates obiectiuas habeat, tametsi non distinctas entitatiuè *disputatione* 10. *quæst.* 1. explicatum est. Modò, suppositis ibi dictis, addo : veritates obiectiuas ad eumdem statum pertinentes à distinctione dumtaxat sui euade reposse diuersas : quia non restat aliud caput, vnde diuersitatem sortitiantur.

Vnde tandem infertur, adhoc vt affirmatio, & 52
negatio simpliciter, & vndequaque sint eiusdem de eodem, prout opus est, vt neque simul veræ, neque simul falsæ esse possint, necessarium esse, tum quod pertineant ad eumdem statum ; tum quod subiectum, & prædicatum circa quæ versantur sint eadem. Ex quibus plura suo loco inferenda sunt.

Propositio 15.

Distinctio inadæquata partis à toto absque di- 53
stinctione adæquatâ eiusdem partis ab alia comparte stare non potest.

Hæc propositio ex terminis ipsis videtur satis, superque euidens ; siquidem id cum quo pars componit totum ab ipsâ parte adæquatè debere distingui satis est manifestum, sed declarari amplius potest, ac demonstrari. Quia totum dicimus

id, quod compositum est ex pluribus partibus, & partem vocamus id, quod cum alio quopiam à se distincto constituit quoquo modo, siue componit totum. Vnde, dum de aliquâ huiusmodi partium sermonem habemus, vt in præsenti, eamque dicimus inadæquatè distingui à toto, manifestissimum est, hoc stare non posse, quin talis pars à residuo, cum quo ea totum componit aliquo modo distincta sit; alioquin cùm non sit distincta à se ipsâ, à nullâ parte totius, atque adeò neque ab ipso toto esset distincta, contra suppositionem: sed non est distincta à tali residuo distinctione tantùm inadæquatâ. Ergo est distincta distinctione adæquatâ, prout intendimus; aliud enim genus distinctionis, quod ad rem attinet, non est possibile, vt constat. Quod autem non sit distincta à tali residuo distinctione tantùm inadæquatâ inde monstratur: quia residuum dicimus id, quod integrè est extra partem assumptam, & vltra, vel præter illam integram superest signandum, seu recensendum intra totum, à quo proindè pars neque, vt includens ab incluso, neque, vt inclusum ab includente distinguitur, prout opus erat, vt ab illo distinctione tantùm inadæquatâ distingueretur; siquidem aliud non est genus distinctionis inadæquatæ, vt constat. Stat igitur, partem inadæquatè distinctam à toto distinctione scilicet inclusi ab includente non posse non adæquatè distinctam esse ab aliâ residuâ comparte cum quâ componit totum. Quod erat ostendendum.

54 Ex hac propositione veniet probandum infrà suo loco, continuum ex partibus in infinitum diuisibilibus physicè, ex indiuisibilibusque infinitis physicè illas copulantibus constare non posse: quia collectio omnium omninò indiuisibilium continui esset pars eius ab eo inadæquatè distincta, & non distincta adæquatè à residuo eiusdem continui, vtpote, quod in datâ hypothesi essentialiter debet includere in suo conceptu aliqua indiuisibilia copulantia suas partes; alioquin vltimò diuisum contra suam essentiam conciperetur, vnde etiam patet; transcendentiam alicuius prædicati in omnes partes alicuius totius per physicam inclusionem in illis impossibilem esse.

55 Deinde ex hâc propositione veniet probandum infrà suo loco, transcendentiam metaphysicam alicuius prædicati in omnes partes; siue formalitates alicuius totius metaphysici per inclusionem metaphysicam etiam esse impossibilem. Vide dicenda *infrà disp.* 17. *quæst.* 20.

Propositio 16.

56 Quæ realiter idem sunt, mutuò inter se quoad omne genus essendi realiter connexa sunt.

Nam alioquin alterum posset esse realiter sine altero alicubi, id est, in aliquo tempore, loco, subiecto, statu, aut quouis alio tertio, contra *propos.* 11.

57 Cum quo stat; aliquas esse formalitates, quæ ex suo conceptu præciso formaliter non sunt connexæ cum aliis, cum quibus realiter sunt idem; nempe illæ omnes, quæ formaliter, siue logicè in aliis rebus reperiuntur. E. g. animalitas hominis ex suo conceptu animalitatis præciso non est connexa cum rationalitate; siquidem conceptus animalitatis etiam reperitur in bruto; similiterque censendum est de cæteris omnibus, quæ in vnum conceptum vniuersalem coëunt conuenientem per identitatem pluribus rebus; illæ enim cum singulis differentiis huiusmodi rerum ex suo conceptu præciso formaliter connexæ non sunt, tametsi cum illis sint identificatæ realiter. Quomodo autem formalitas vniuersalis eadem formaliter, siue logicè in singulis rebus, quibus realiter conuenit reperiatur, ex dicendis *disputatione* 17. constabit.

Vnde obiter collige pro dicendis tum in eâ *disputatione* 17. tum etiam alibi: quoties aliqua formalitas ex suo conceptu præciso cum altera connexa est, primam magis vniuersalem, quam secundam ex tali conceptu esse non posse; aliàs posset sine illâ in aliis rebus reperiri; atque ita non esse connexa cum illâ, contra suppositionem. De quo *ibi* plura. 58

Propositio 17.

Quoties alioquis conceptus obiectiuus re verâ est possibilis, vel impossibilis, vel contingens, vel necessarius nequit non esse tale, similiter quidquid cum illo re ipsâ est identificatum. 59

Est clarum. Nam alioquin vnum sine altero secum re ipsâ identificato alicubi esse posset, contra *propos.* 11. vt cuique consideranti conspicuum fiet. Dico autem *re vera*: quia bene potest aliqua formalitas ex suo conceptu præciso possibilis, aut contingens esse, esto sit identificata re ipsâ cum aliâ, vel re verâ, vel ex suo conceptu præciso impossibili, aut necessariâ. Impossibilis verò, aut necessaria ex suo conceptu præciso nulla formalitas esse potest, quæ re ipsâ sit identificata cum aliâ re verâ possibili, aut contingente; benè tamen, quæ sit re ipsâ identificata cum aliâ possibili, aut contingente ex suo conceptu præciso. Quæ omnia consentaneè ad dicta nuper *propositione* 16. quisque facilè intelliget. Sufficiantque hæc in præsenti.

QVÆSTIO IV.

Quænam obiecta intellectionis humanæ realiter sint distincta inter se?

CErtum est primo ex *propositione* 5. *quæst.* 3. ea cuncta realiter esse inter se distincta, quæ aut tempore, aut loco, aut subiecto realiter separabilia sunt inter se. Secundo est certum ex *propositione* 6. *eiusdem quæst.* ea quoque inter se distingui realiter, quæ realem inter se dependentiam habent causalitatis seu originis. Tertio ex *propos.* 7. *eiusdem quæst.* pro certo etiam habendum est, possibilia esse aliqua extrema, quæ neque sint vllomodo realiter separabilia, vtpote mutuò, & omnimodis connexa inter se metaphysica connexione, neque vllam realem dependentiam aut causalitatis, aut originis inter se habeant, & tamen inter se realiter distincta sint. An autem aliqua huiusce generis extrema dentur de facto in rebus creatis, non est hoc loco disquirendum. Solum potest opportunè pro dicendis in sequentibus in præsenti disquiri: an aliqua attributa diuina eiusmodi sint tum inter se, tum cum essentia Dei comparata. Quare ad hæc reuocanda venit quæstio proposita. 60

Pro cuius resolutione suppono primo. Quodcumque de Deo verificatur prædicatum, attributum 61

Dei

Dei dici in præsenti. Cum enim omne prædicatum subiecto, de quo prædicatur, dicatur attribui, non absque iure factum est, vt omne prædicatum Dei attributum eius dicatur, latè hoc vocabulo vsurpato.

62 Suppono secundò prædicata, seu attributa Dei ita vniuersè sumpta nonnullis, quod rem attinet, diuidi posse diuisionibus. Primò enim diuidenda veniunt in attributa communia, & attributa personalia. Cum enim Deus ita sit vnus in essentia, vt sit trinus in personis, prout docet fides, & latè traditur à Theologis *in Tract. de Trinit.* prædicata, quæ aut vni, aut duabus tantùm personis prout talibus conueniunt, attributa personalia dicuntur, vt sunt personalitates, relationes, origines, notiones &c. Quæ verò toti Trinitati conueniunt, communia attributa appellantur; Vt sunt æternitas, immensitas, bonitas, sapientia, omnipotentia &c. Deinde attributa Dei solent diuidi in attributa negatiua, quæ negationem aliquam præ se ferunt; vt sunt immortalitas, impassibilitas, infinitudo, immutabilitas, incomprehensibilitas, & similia: & positiua, quæ nullam præ se ferunt negationem: Vt sunt æternitas, bonitas, sapientia, omnipotentia, iustitia, & cætera huiusmodi. Præterea diuina attributa sic latè vsurpata in necessaria, & contingentia diuidi possunt. Contingentia sunt actus Dei liberi prout liberi, seu cognitionis, seu volitionis. Tum ea omnia prædicata diuina, quæ ab aliquo contingente desumuntur extrinsecè, aut per illud quoquomodo complentur, vt esse Creatorem, Gubernatorem, Dominum, Remuneratorem, &c. Necessaria autem sunt reliqua ab istis omnia Dei prædicata. Denique attributa Dei possunt diuidi in ea, quæ omnino sunt intrinseca Deo, vt bonitas, intellectus, voluntas, omnipotentia &c. & in ea, quæ per aliquid extrinsecum aliqua ratione complentur in suo conceptu, vt dominium, gubernatio, remuneratio, & similia. Porro attributa diuina, quæcumque demum illa sint, tum in concreto, tum in abstracto concipi à nobis, atque significari solent: in concreto quidem vt per hæc nomina. *sapiens, iustus, bonus, omnipotens, creator, Dominus* &c. In abstracto verò vt per hæc. *Sapientia, iustitia, bonitas, omnipotentia, creatio, dominium*, &c. iuxta doctrinam concretorum, & abstractorum traditam *disp. 2. quæst. 4. sect. 3.*

63 His positis in præsenti *q.* vt certum præterea apud omnes statuendum est ea attributa diuina, quæ per aliquid extrinsecum Deo quoquo modo constituuntur, siue complentur in suo conceptu, quoad tale extrinsecum realiter esse distincta ab essentia Dei: quia essentia Dei non potest esse idem realiter cum aliquo, quod est realiter extra ipsam. Erunt quoque talia attributa realiter quoad talia extrinseca distincta inter se, quoties extrinseca ipsa realiter inter se distincta fuerint, vt notum est. Deinde etiam est statuendum tanquam certum secundum fidem *ex materia de Trinit.* Personas diuinas Patris, Filij, & Spiritus Sancti, atque adeo etiam earum personalitates, & origines realiter esse distinctas inter se se. Quibus statutis, quod superest examinandum est, an attributa communia intrinseca Deo vel inter se, vel ab essentia diuina realiter distincta sint. Tum an personæ, seu personalitates diuinæ, quæ sub nominæ attributorum personalium veniunt intelligendæ, quemadmodum inter se se, ita etiam ab essentia distinguantur realiter?

64 Gualterus quidam apud Nyphum *lib. 12. Metaph. disp. 3. cap. 3.* distinctionem realem posuit inter attributa Dei & essentiam, atque etiam inter ipsa attributa comparata inter se. Inter personalitates verò, & essentiam realem distinctionem statuebant ex hæreticis, qui in tertia secta Seueritarum dicti sunt Theodosiani & Angelitę, & Damianistæ, vt refert Nicephorus *lib. 18. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24 ante med.* Ex Catholicis autem quidam clericus in Francia, vt refert Anselmus *lib. de Incarnatione verbi cap. 1.* & 3. & post ipsum Gilbertus Poretanus Pictauiensis Episcopus. Qui inter diuinas personalitates, & essentiam distinctionem realem ponebat, aut qualis est inter rem & rę, vt aliqui putant; aut qualis est inter rem & modum, vt opinantur alij. Nec desunt, qui existimauerint eam distinctionem etiam similem inter essentiam, & attributa communia intrinseca Deo, interque attributa ipsa adstruxisse. Tametsi hoc plerique negent. De quo videri possunt Otto Frisingensi. Episcopus *lib. 1. de gestis Frederici Imperatoris cap. 57.* & *56.* vt habetur *tom. 3. Conciliorum part. 2. Pro Concilio Remensi sub Eugenio. 111.* & Matthæus Paris. *in historia Anglicana anno 1119. relatus eodem tom. 3. Concil. pro eodem Concilio sub Calixto. 11.* Necnon S. Th. *1. part. q. 28. art. 2.* & ibi eius expositores. Potissimum Vasquez *disput. 116. cap. 2.* & *disp. 120 cap. 1.* & 2. & Ruiz *tom. de Trinit. disp. 11. sec. 1.* Qui diligenter examinant Gilberti errorem. Cui insuper consentire videtur Hugo Ætherianus *tom. 9. Biblioth. lib. 3. de hæresibus, quas Græci in Latinos deuoluunt. cap. 2. sub finem:* Imo & Durandus, vt aliqui censent, reipsa videtur consentire, deum *in 1. dist. 5. q. 1.* & *dist. 33. q. 1.* & *dist. 34. q. 2. & in 3. dist. 1. q. 2.* inter essentiam, & relationes diuinas realem distinctionem concedit, qualis est inter rem & modum. Tametsi dicat cum eiusmodi distinctione componi identitatem, qua essentia, & relationes Diuinæ simpliciter, & absolutè sunt idem. Cum Gilberto præterea putarunt aliqui sensisse Abbatem Ioachimum. Re tamen vera absurdior huius error fuit, vt constat ex *cap. Damnamus, de summa Trinit. & fide Catholica.* Vbi libellus Ioachimi expresse damnatur. Quia. *Quamuis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnaque natura: verum vnitatem huiusmodi non veram & propriam, sed quasi collectiuam, & quasi similitudinariam esse fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna ecclesia.* Verba sunt textus.

Reliqui verò Catholici in sequentibus quæstionibus referendi vnanimiter vno ore asseuerant, neque inter attributa communia intrinseca Deo, aut inter se, aut cum essentia comparata: nec inter personalitates & essentiam, vllam omnino distinctionem simpliciter & absolutè realem aut modalem esse. Tametsi multi distinctionem aliquam ante omnem intellectus operationem, siue ex natura rei formalem, siue virtualem dumtaxat inter prædicta extrema admittant. Vt ex dicendis in progressu constabit. 65

Propositio 1.

Omnia attributa intrinseca Deo tam personalia, quàm communia omnino sunt idem realiter cum essentia diuina, atque adeò nulla prorsus distinctione reali distinguuntur ab illa. 66

Hæc propositio, vt sonat, de fide est. Constat enim inprimis ex Concilio Florentino *sess. 17. 18.* & 19. Vbi Latini, & Græci disputatores frequen-

ter, & vnanimiter adstruunt realem identitatem inter personam & substantiam siue naturam Dei, admittentes solum inter illas distinctionem rationis. vnde *dicta sess. 18. post medium* sic habetur. *Diuina substantia & persona re quidem sunt idem; secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur: sess. etiam 17.* pariter dictum fuerat de eadem substantia & persona. *Handquaquam tamen putare debemus, vt re differant; quandoquidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur.* Et *sess. 25. col. 5.* in quadam confessione fidei, quæ à Latinis ad Græcos missa est, sic dicitur. *Porro autem, ne identitatem, coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam realem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre credere videamur &c.*

67 Secundo constat ex Concilio Remensi coacto contra Gilbertū Porretanum sub Eugenio 111. cuius acta refert ad verbum Vasquez *1. p. disp. 120. cap. 2.* Patres enim illius Concilij, è quorum numero fuit S. Bernardus, vt etiam ex eiusdem *serm. 80. in Cant.* constat, ita decernunt. *Credimus, & confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum*: & mox: *Credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse* &c. Et statim. *Credimus, & confitemur solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum æternum esse, neque aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* Quanquam enim decreta huius Concilij non fuerint confirmata ab Eugenio, quibusdam de causis, quas refert Vasques, eximiæ nihilominus auctoritatis sunt. Præsertim cum Eugenius ipse, quod maximè in illis contra Gilbertum intendebatur, nempe nullam realem distinctionem interuenire in Deo inter personam & naturam, expresse, postea cum toto Concilio definierit in hunc modum, vt scribit Otto citatus *suprà in dicto c. 57. Ne aliqua ratio inter naturam, & personam diuideret: neue Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiuo tantùm, sed etiam nominatiui, hoc est ne solum dicatur. Pater deitate est Deus, sed est ipsa Deitas*: vbi planè damnatur expositio illa Gilberti *Pater est sapientia*, id est, *sapiens.* Volebat enim Patrem per sapientiam esse sapientem, non verò esse ipsam sapientiam.

68 Tertiò constat ex Concil. Lateran. prout habetur *in capit.* Firmiter, & *cap.* damnamus *de summa Trinit. & fide Catholica.* Vbi definitur omnino simplicem esse diuinam substantiam. Tum in Deo solummodo esse Trinitatem, non quaternitatem: *Quia* inquit, *quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina.* Et infrà. *Id quod est Pater est Filius, & Spiritus sanctus idem omnino*: & iterum. *Substantia Patris omnino simplex est.* Et rursus. *Eadem res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Huc spectat consensus communis Patrum relegantium à Deo numerum præter Trinitatem personarum, eumque vnissimum prædicantium, iuxta illud Ioan. 10 *Ego & Pater vnum sumus.*

69 Quartò constat ex communi modo loquendi Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quo diuina attributa abstractè sumpta prædicantur de Deo, iuxta illud Ioann. 14. *Ego sum via, veritas, & vita* & similia qualiter verè prædicari non possent, si à Dei essentia realiter distincta essent, vt constat.

70 Quinto cóstat ex vniformi Patrum consensu eamdem veritatem vno ore contestantium. S. Dyonis. *c. 2. de diuinis nomin.* & *cap. 13.* ait. *Vnum Deus est, quia omnia vnicè est secundum vnicam eminentiam vnitatis.* Nyssen. *lib. ad Ablauium in fine. Omnem circa essentiam diuersitatem reiicit diuina, simplex, & variationis insciа natura.* August. *lib. 8. de Ciuit. Dei c. 6.* post multa ad rem ita concludit. *Sed quod est illi viuere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse*: & *lib. 7. de Trinit. cap. 1.* ait. *Eadem eius magnitudo, quæ virtus, & eadem essentia, quæ magnitudo.* Et rursus. *Quia in illa simplicitate non est aliud sapere, quam esse, eadem ibi sapientia est, quæ essentia* & *cap. 6. Neque in hac Trinitate cum dicimus Personam Patris, aliud dicimus, quam substantiam Patris.* Et *lib. 15. cap. 5.* & *6. Non est*, inquit, *aliud sapientitia eius, aliud essentia, cui hoc est esse, quod sapientem esse.* Similia repetit sæpissimè multis in locis, præsertim *in libris de Trinit.* Basil. *Epist. 80. Quæcumque nomina diuina protuleris, vnum est perpetuo, quod significatur.* Gregorius *lib. 10. Moral. cap. 20.* ait. *Deus hoc est, quod habet, æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas, lucem habet, sed lux sua ipse est, non est ergo in eo aliud esse, & aliud habere.* Anselm. *in Monol. cap. 48.* sub finem loquens de Patre, & Filio dicit. *Quoniam vtrique non est aliud habere, essentiam, quam essentiam esse: sicut habet alter alterius essentiam, ita est alter alterius essentia.* S. Bernar. *dicto serm. 80. in Cant.* propius *ad medium, quàm ad principium* loquens de essentia diuina ait. *Quod habet, est, & quod est, semper, & vno modo est: in ea, & multa in vnum, & diuersa in idem rediguntur.* Et *lib. 5. de consider. ad Eugen. circa medium. Personarum proprietates non aliud quam personas, ipsasque non aliud, quàm vnum Deum, vnam diuinam naturam fides catholica confitetur.* Boeth. *lib. de Trinit. in fine. Hoc verè vnum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id, quod est.*

Et vniuersim alij plurimi, qui summam simplici- 71
tatem Dei prædicantes frequenter colligunt ex illa omnia omnino, quæ sunt in Deo, esse ipsum Deum. Ita argumentantur Cyril. Alex. *lib. 1. Thesau. cap. 8.* & *lib. 3. cap. 4.* & *lib. 6. cap. 3.* & *lib. 11. cap. vnico*, & *lib. 14. cap. 3.* & *lib. 1. in Ioan. cap. 8.* & *9.* Athanas. *apud Cyparis siot. decad 4. cap. 8.* Nyssen. *orat. catech. capite 1.* Iustin. *q. 144. ad Orthodoxos.* Irenæus *lib. 2. cap. 48.* Damasc. *lib. 1. fidei, cap. 12.* & *13.* Gregor. *lib. 16. Moral. cap. 20.* & *lib. 18. cap. 27.* Isidor. *lib. 7. Etymolog. cap. 1.* & *lib. 1. sentent. capite 1.* Anselm. *in Monol. capite 14. 16.* & *56.* Ricard. Victor. *lib. 1. de Trin. capite 13. 17. 23.* & *24.* & *lib. 2. capite 17.* & *18.* & alij apud Ruiz *disp. 11. de Trinit. sec. 5.* Itaque omnes in eo insistunt, quod non sit aliud Deus, & aliud, quod est in Deo, siue quod habet Deus. Vnde Bernard. *lib. 5. de Consider. ad Eugen. prope medium*, ex diuina simplicitate Gilbertum redarguit dicens inter alia. *Nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres habebis multiplicem Deum* & Isid. *lib. 5. de summo bono cap. 1.* ait Deum ideirco simplicem esse, *quia non est aliud ipse, est aliud, quod in ipso est.* De quo alibi plura, vbi de diuina simplicitate.

Accedunt Patres, qui vt nuper dicebam, singula 72
attributa diuina, tum de singulis inuicem, tum de Deo, aut de eius essentia prædicant in abstracto per verbum substantiuum *est* realem identitatem significans. Iacobus Apostolus *apud Clementem lib. 8. Apostolicarum constitutionum capite 12.* Nazianz. *orat. 37. quæ est 5. de Theol. in fine, & orat. 13. quæ est 2. de pace, n. 24.* & *orat. 39. in sancta lumina prope med.* Athanas. *dial. 1. de Trinit. contra Anomæum inter medium & finem, & dial. 2. prope finem.* Basil. *lib. 15. de fide prope med.* & *lib. vnic. de spiritu*

Spiritu Sancto cap. 8. 18.& 19. & *lib.* 1. & 2. *contra Eunomium.* Damasc. *lib.* 1. *fidei capite* 11. & 18. Hilar. *liber* 9. *de Trinitate. Fulg. de fide ad Petrum capite* 2. *circa finem.* Prosper. *aduersus Collatorem cap.* 27. Boet. *in lib. An Pater,* &c. Ricard. victor. *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 16. & *lib.* 2. *cap.* 21.& 22. Denique August. *lib.* 6. *de Trinit. cap.* 7. vt verba reliquorum omittam, sic habet. *Eadem magnitudo eius est, quæ sapientia, & eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia.* Et *serm.* 38. *de tempore vol.* 3. *Trinitas,* inquit, *vnus est Deus solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens, ipse sibi vnitas, Deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quidquid ad se substantialiter dicitur.* Postremò Bernar. *dicto serm.* 80. *in cant. prope finem* expositionem quam adhibebat Gilbertus illi propositioni *Pater est veritas,* dicendo scilicet, id est *Pater est verus* damnatam fuisse commemorat, tanquam peruersam à Patribus Concilij Rhemensis, & ab Eugenio 111. statuique, tanquam certum dogma catholicorum hanc propositionem esse veram & propriam. *Pater est veritas, Filius est veritas* (apud Ruiz *supra sec.* 6.)

73 Id ipsum sibi volunt Patres, dum vniuersaliter decernunt, nihil in Deo reperiri per modum accidentis, seu qualitatis, sed omnia de eo dici in quid, & per summam identitatem. Ita August. *libro* 5. *de Trin. cap.* 4.& 5.& *lib.* 6. *cap.* 17. & *lib.* 7. *capite* 1. 2. & 5. & *lib.* 15. *capite* 5. & alias sæpe. Anselm. *in Monol. cap.* 15.& 16. & *lib. de Incarnat. Verbi capite* 4. Isidor. *libro.* 7. *originum capite* 1. *post medium.* Leo 1. *epist decret.* 93. *ad Turibium capite* 1. Cyrill. Alex. *lib.* 7. *Thes. capite* 4. Bern. *supra,* & *tit. de diligendo Deo circa finem.* Rupert. *lib.* 1. *in Exod. capite.* 14. *post medium,* & alij, quos refert, & sequitur Cyparissiotus *decad.* 9. *capite* 8. apud quem *decad.* 10. *capite* 1. *initio.* Magnus Athanas. blasphemum vocat, *qui existimat Deum esse compositum, vt quod ex substantia, & accidente compositum est,* apud Fasol 1. *part. quæst.* 4. *art.* 2. *à num.* 29. *vsque ad* 35. *& numero* 91. Quibus insuper adiungendi sunt Patres, qui vniuersaliter etiam statuunt, sed præsertim dum loquuntur de attributis communibus, in Deo non esse aliud & aliud. Quorum nonnulla testimonia *quæstion. sequente* producemus. Videatur Ruiz *tom. de Trinit. disputatione* 39. Nec solum Patres, sed Etnnici insuper Philosophi stant pro eadem veritate, Aristoteles *libro.* 12. *Metaph.* text. 39. Auerroes *ibid.* Parmenides, Epictetus, Plotinus apud Eugubinum *lib.* 6. *de peren. Philos. capite* 10.& alij.

74 Ratione etiam potest præterea probari propositio, primo: quia maior perfectio est, cæteris paribus, simplicitas, quam compositio, vt est per se notum, & Patribus commemoratis enixè simplicitatem diuinã commendantibus, & defendentibus satis superque est exploratum. Audi Bern. *lib.* 5. *de consid. ad Eugen. circa medium,* arguentem tacito nomine contra Gilbertum. *Mihi verò,* inquit, *non deest quod cogitem melius eiusmodi Deo tuo. Quæris quid? Mera simplicitas, vero iudicio natura simplex multiplici antefertur.* Ergo quoduis genus compositionis procul à Deo est relegandum, cui summa in omnibus perfectio debet attribui. Sed si attributa diuina realiter à diuina essentia distincta essent, non posset non Deus pati reipsa aliquod genus compositionis. Ergo. Nec valet, quod aliqui dicunt ad rationem compositionis non sufficere, quod duo distincta coniungantur in vnum, nisi alterum se habeat vt actus, alterum vt potentia: primò, quia huiusmodi compositionis nomenclatura ad rem præsentem nihil interest. Appella compositum, quod volueris, id semper remanet certum. Quod ex coniunctione plurium coalescat, imperfectionem præ se ferre simplicitati oppositam. Et in proposio esse Deum, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, sapientem, iustum, omnipotentem, & cætera huiusmodi per simplicẽ suam indiuisibilemque substantiam, quis dubitet esse perfectius, quam esse talem per attributa substantiæ suæ realiter superaddita? Secundo: quia cum omnia, aut pleraque saltem attributa diuina actus quidam sint ex suo conceptu siue primi, siue secundi, iuxta doctrinam vniuersalem actuum traditam *disp.* 8. si illa realiter essentiæ diuinæ succrescerent, non posset non Deus, quam ipsi dicunt, strictam compositionem ex actu, & potentia subire.

Vnde secunda pro statuta propositione nascitur 75
ratio. Nam si attributa aliqua intrinseca Deo seu communia, seu personalia realiter à Dei essentia distincta essent, non esset Deus actus purissimus expers omnis generis potentialitatis per aliud quidpiam perfectibilis, vti illum Theologia prædicat: nequiret enim non esse realiter perfectibilis per talia attributa, tanquam per perfectiones ei accrescentes. Quo rursus fieret, vt sufferret vera, & realia accidentia intrinseca, quod etiam præ se fert imperfectionem limitatorum entium propriam; vt vnanimiter sentiunt Patres.

Tertio. Aut attributa intrinseca Deo realiter di- 76
stincta ab essentia essent aliquid superius essentia, aut essent aliquid æquale, aut aliquid inferius? Primum dici non potest: quia nihil potest esse superius diuina natura, vt per se patet. Sed nec secundum: quia darentur plures essentiæ diuinæ, atque adeo plures diuinitates, & plures Dij. Constat enim nihil posse esse æquale diuinitati realiter; quod realiter non sit diuinitas. Si autem dicatur tertium, non leuius sequitur absurdum, nempe Deum per quid creatum fore sapientem, iustum, Patrem, Filium, &c. quia nequit non esse creatura, quod Deo inferius est realiter. Hoc argumento vtitur Bernardus *serm.* 80. sæpe citato contra Gilbertum. Adde si relationes ab essentia distinguerentur realiter, nihil fore in Trinitate mirabile, quod in entibus creatis non esset possibile reperiri, contra omnium Patrum, Catholicorumq; consensum, vt bene argumentatur ipse Bern. *lib.* 5. *de considerat. ad Eugen. paulo post medium* dicens. *Substantia vna est, personæ tres sunt. Quid mirum, quid vel obscurum in hoc, si personæ seorsum à substantia cogitentur?*

Hinc quarta consequitur ratio, quia personalita- 77
tes distinctæ ab essentia non possent non esse ab essentia productæ quo plures duabus productiones essent in Trinitate adstruendæ. Paterque non esset prorsus ingenitus, siue improductus, aliáque huiusmodi contra fidem absurda sequerentur.

Quinta ratio desumi potest ex infinitate diuina. 78
Ens namque infinitum per essentiam in omni perfectionum genere non potest non sibi identificare omnem perfectionem carentẽ imperfectione, qualia sunt omnia attributa intrinseca Deo. Mitto modo rationes alias tum naturales, tum theologicas, quæ suo loco pro diuina simplicitate sunt proferendæ. Vbi ad rem plura præterea, quæ tangemus etiam *q. seq.* contra Scotistas.

Propositio 2.

Quæcumque realiter sunt idem cum essentia di- 79
uina, etiam, sunt idem realiter inter se, exceptis

attributis Dei personalibus, seu relationibus, quæ realiter inter se opposita, atque adeo distincta sunt.

Hæc propositio non minus est certa secundum fidem, quam præcedens. Eam enim æquè probant pleraque eorum, quæ adduximus pro præcedente, vt perpendenti clarè innotescet, adeo vt in eis applicandis modo non opus sit morari.

80 Ex quibus manifestè colligitur apertè errare contra fidem, quicumque inter essentiam, & attributa trinseca Deo seu communia, seu personalia, aut inter attributa ipsa communia aliquod genus distinctionis realis ponit, ratione cuius cum veritate dici possit vnum non esse aliud, siue hoc non esse illud à parte rei: cuiusmodi est, quæuis distinctio reipsa faciens aliud & aliud, seu, quod in idem recidit faciens, quod vnum extremorum, inter quæ datur, non sit illud, siue extrema sint omnino inconnexa, siue sint inter se connexa aut mutuò, aut non mutuò, quouis genere connexionis iuxta diuisionem distinctionum realium traditam *supra q.* 2. Etenim cum Concilia & Patres expresè decernant attributa, de quibus agimus, realiter esse ipsam substantiam Dei, siue non esse aliud, imo esse idem omnino cum illa, qui dicit huiusmodi attributa à parte rei ita distingui à tali substantia, vt verè non sint illa, siue vt sint aliud ab illa, siue vt non sint idem omnino cum illa, expresè & directè Conciliis, & Patribus cótradicit. Tum extrema, quæ ita se habent, vt vnum revera non sit aliud, eo ipso reuera non sunt idem: quia nihilo differunt vnum extremum non esse aliud, & vnum extremum non esse idem cum alio. Ergo quæuis distinctio faciens vt attributa diuina non sint à parte rei essentia diuina, eo ipso facit, vt non sint idem cum illa: & consequenter destruit identitatem, quam Concilia, & Patres tantopere moliuntur, ac conantur adstruere.

81 Vt hinc appareat, quam fædè errauerint Recentiores quidam huius ætatis, qui rati idoneam se distinctionis Scoticæ explicationem adinuenisse, non maiorem identitatem ponebant inter formalitates entium tum creatorum, tum etiam increati, quam inter duas entitates, quas Deus crearet mutuò connexas inter se metaphysicè, atque adeo mutuo inseparabiles, quarum neutra ab altera dependeret dependentia causalitatis. Quas nihilominus alienas, & prorsus extranea vocum vsurpatione realiter identificatas esse dicebant, distinctasque solum formaliter ex natura rei, vti loquuntur Scotistæ. Cum tamen sola inseparabilitas mutua extremorum cum independentia mutua causalitatis, ne minimam quidem tribuat ipsis extremis identitatem, quandoquidem simpliciter, omnimodisque potest vnum à parte rei non esse aliud, atque adeo nullam prorsus identitatem habens cum illo, quantumuis ea inuicem sint inseparabilia, inuicemque independentia secundum originem, vt ex terminis ipsis, & ex superius *quæst.* 3. *propos.* 7. dictis satis apparet. Porro errare apertè contra fidem, qui dicit personalitatem & essentiam diuinam, ita ex natura rei inter se distingui, vt nihil aliud identitatis habeant, quam esse vicissim inseparabiles, & independentes secundum originem, vel ex eo manifestè conuincitur, quod Gilbertus Porretanus & alij hæretici damnati in hac parte ab Ecclesia ipsissimam hanc distinctionem, & non maiorem ponebant inter personalitatem, & essentiam: neque enim vnquam illi somniarunt esse illas, aut separabiles inter se, aut alteram ab altera dependere secundum originem. Quam autem longè ab istâ audaci potius quam sapiente cogitatione sententia legitima Scotistarum distet, ex dicendis *quæst.* 1. *sequentibus* compertum fiet.

Vnde tandem colligitur, qua censura digna sit 82
sententia Durandi, si ipse, vt videtur, talem distinctionem inter essentiam, & relationem, vt inter rem, & modum ponit, qualis cum verâ earum identitate citra dubium non possit componi reuera, quidquid sit de modo loquendi eius.

Restabat hic argumenta diluere, quæ contra 83
dogmata stabilita solent opponi. Verum quia eorum solutio dependet ex dicendis, & suam habet controuersiam opportunius exhibebitur *infrà quæst.* 7.

QVÆSTIO V.

Vtrum formalitates eiusdem entis siue increati, siue creati realiter identificatæ formaliter ex natura rei sint, aut esse possint distinctæ ante omnem sui intellectionem, atque adeo independenter ab illa?

SCot. *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. §. *sed hic.* vt se à dif- 84
ficultate expediret, quam arcanum & inscrutabile sanctissimæ Trinitatis mysterium apud viatores præ se fert quamdam distinctionem mediam excogitauit inter essentiam diuinam, & relationes, quæ neque rationis est, neque realis absolutè, eamque non assertiuè, sed quasi disputandi gratia proposuit. En eius verba. *Dico sine assertione, & præiudicio sententiæ melioris, quod ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, vt essentia habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati.* Et quamuis paulo infra Scot. hanc distinctionem appellet distinctionem virtualem, his tamen appellationibus nihil priori asserto derogat, ait enim. *Posse hanc distinctionem appellari rationis, sumpta ratione pro quiditate, & definitione, non verò pro differentia, seu distinctione formata ab intellectu.* Tum virtualem vocat, non quod verâ distinctio non sit actualis formalis apud ipsum; sed quod id virtute præstet, quod præstat distinctio absolutè realis, qualis reperitur inter duas quaslibet res. Subdit enim statim Scot. *Breuiter igitur dico omittendo verba illa de distinctione rationis, & de distinctione virtuali,* &c. *Dico quod in essentia diuina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus paternqs considerans A, & considerans B habet ex natura rei, vnde ista compositio sit vera, A non est formaliter B, & non præcisè ex aliquo actu intellectus.* In qua sententia persistit Scot. aliis in locis suorum operum, sed nominatim in 1. etiam *dist.* 8. *q.* 3. ita habet. *Ad quæstionem respondeo, & dico, quod inter perfectiones essentiales non est tantùm differentia rationis, hoc est diuersorum modorum concipiendi idem obiectum formale,* &c. *Est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo, & est ista; quod sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei; sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re.*

Hæc retulerim, vt clarè constet distinctionem 85
Scoticam non esse eamdem cum distinctione Thomistica rationis ratiocinatæ, aut cum virtuali, vel purè eminentiali, quam plures alij admittunt, de

qua

qua *quæst.seq.* Sed esse veram, actualem, & formalem distinctionem iuxta mentem Scoti omnem actum intellectus præcedentem, & existentem à parte rei. Atque adeò siniſtrè exponi Scot. ab illis, qui eum cum S.Thom. componere in hac parte conantur. Hi sunt ex nostris Salas. 1. 2. *q.* 3. *tit.* 2. *disp.*4 *sect.*3. Soar. *disp.*7. *Metaph. sect.* 1. & *lib.*4. *de Trinit.cap.*4. & latius Petr.Hurt. *disp.*6.*Metaph. sect.*3. *à* §. 61. & iterum *sect.*4. *à* §.129. Quibus accessit ex Scotistis Herrera *tom.*1.*disp.*8. *quæst.*13. & *disput.*14. *q.*1. Quorum studium reconciliandi Scotum cum Scholâ Thomistarum non bene ferunt reliqui Schotistæ, qui se fideliores interpretes, & assecłas Scoti iactant. Vt videre est apud Merinerum *in Logica cap.*1. *de vniuersalibus distinct.*1.*q.*2. *sect.* 1.

86 Non negant Scotistæ, sicut nonnulli existimarunt, id, quod colligitur ex Aristot. *lib.*5. *Metaph. text.*14. & *lib.*6.*tex.*6. inter distinctionem rationis, quæ dumtaxat in mente est, & inter distinctionem, quæ re ipsa extra mentem reperitur, mediam aliquam distinctionem dari non posse: quippe inter duas contradictorias non datur medium. Sunt autem contradictoria esse dumtaxat in mente, & non esse dumtaxat in mente. Sed dicunt extra mentem siue à parte rei, siue ex naturâ rei duplex genus distinctionis ponendum esse. Nempe distinctionem ex naturâ rei realem; & distinctionem ex naturâ rei formalem. Prima est, quam omnes agnoscimus inter extrema aparte rei nullomodo identificata; siue illa sint mutuò inconnexa, vt duæ res; siue connexa non mutuò, vt res & modus; siue etiam mutuò connexa, vt personalitates diuinæ; & quælibet aliæ entitates cum mutuâ connexione possibiles. Secundam dicunt reperiri inter conceptus obiectiuos, formalitates, siue rationes formales eiusdem rei: nam licet huiusmodi formalitates realiter sint inter se identificatæ, siue sint eadem res, eo tamen ipso, quod illæ diuersas subeunt definitiones, descriptiones, demonstrationes, ac reduplicationes, censent Scotistæ ante omnem intellectus operationē vnam esse extra rationem alterius, aut certè vnam non esse alteram formaliter, atque ita formaliter ex naturâ rei esse distinctas inter se. Itaque omnes illæ formalitates, siue conceptus obiectiui diuersi, qui in singulis rebus creatis; atque etiam in Deo realiter sunt prorsus idem; & apud Thomistas solâ ratione distinguuntur: apud Scotistas eâ suâ identitate reali omnino retentâ, formaliter ex naturâ rei nihilominus, & independenter à ratione distingui dicuntur. Hæc est eorum mens, vt ex ipsorum dictis apparet. Hæc est distinctio, quam omnes, excepto Herrera, pro viribus cum suo Scoto tuentur tam in creatis, quam in diuinis. Quam eamdem distinctionem ex aliis admisit in creatis noster Fonsec. *lib.*5. *Metaph. cap.*6.*quæst.*6. *sect.* Annuerunt Conimbr. *in præfat. Porphyr. q.*4. *art.*2. & Alberti. *in suis corol. tom.*2. Eamque acerrimè defendit Ægid. de Præsent. *lib.*5. *de Beatit.q.*6. *art.*4. & 5.

87 Cumque distinctio, & identitas inuicem referantur, sicuti datur in hac sententia distinctio formalis independens ab intellectu diuersa à distinctione reali, ita etiam datur identitas formalis ab identitate reali valde diuersâ. Quam Scot.*quæst.illâ* 7 *citatâ* ita descripsit. *Voco identitatem formalem vbi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui dicitur sic idem in sua ratione formali, & per se primo modo.*

88 Cæterum quanquam Scotistæ in dictis hactenus consipirent; hinc tamen occasione acceptâ ab istâ Scoticâ descriptione identitatis formalis in duas, vel tres classes dissidentes diuisi sunt. Sirectus enim, Mauritius, Balon, & alij apud Merin. vbi *suprà sect.*2. Existimant naturas vniuersales, siue communes distingui formaliter ex naturâ rei à naturis particularibus, siue inferioribus, in quibus sunt; non tamen è conuerso; sed potiùs naturas inferiores esse idem formaliter cum superioribus. Antonius verò Trombeta, Bassolis, & Rada affirmant vice versâ naturas inferiores à superioribus distingui formaliter ex naturâ rei, non tamen è contra; sed naturas superiores esse idem formaliter cum inferioribus. Itaque apud vtrosque hos Auctores distinctio, & identitas formalis possunt esse non mutuæ, ita quod animal sit idem formaliter cum homine, & nihilominus homo non sit idem formaliter cum animali, aut vice versâ. Ipse tamen Meriner. iure optimo hanc vtramque sententiam imperceptibilem appellat. Est enim contra illud euidentissimum axioma de mutuâ extremorum identitate, aut distinctione, in quo certissimæ apud omnes regulæ conuersionis propositionum, quæ in logicâ traduntur, fundantur, vt *suprà quæst.*3. *propos.*1. notauimus. Asserit itaque Meriner. naturas inferiores, & superiores mutuò distingui inter se formaliter ex naturâ rei distinctione includentis ab incluso, & hanc fuisse mentem Scoti satis bene confirmat. Neque credibile est illam non mutuam distinctionem in mentem venisse Doctoris subtilis, vt quæ naturali rationis lumini planè aduersatur; vt amplius ex dicendis infra patebit.

Iam agendo speciatim de Deo cum Scoto locis 89
citatis communiter docent Scotistæ non solum relationes personales, sed etiam attributa communia ipsi Deo intrinseca formaliter ex naturâ rei esse distincta ab essentiâ Dei, eamdemque distinctionem habere attributa ipsa inter se. Ita Lichetus, & Bargius *in* 1.*dist.*8. *q.*3. Basol. *in* 1.*dist.*22. *q.*3. *art.*2. & *q.*4.*artic.*1. & 3. Nicolaus de Nisse *tit.*1. *part.*3. Guillelmus Vorilong. *in* 1. *distinct.*8. *q.vnic. art.*2. Francisc.Mayron. *distinct.*8. *q.*3. 5. & 7. Petrus de Aquila. *q.*4. & 5. Philippus Faber. *in* 1. *distinct.*2. *disp.*20. Rada 1.*part. concl.* 4. Barth. de Sosa *in* 1. *dist.*2.*q.*7. Theodorus Smising. *titul.*2. *de Deo vno disp.*1.*q.*2. & alij.

Reliqui verò Theologi extra scholam Schoti 90
constantissimè, & vno ore docent prorsus oppositū. Magister *in* 1. *dist.*8 33. & 34. S.Thom. 1.*p. q.*3. *art.*6.& *q.*28.*art.*2. & *q.*39. *art.*1. & 2. Sæpeque alibi, & cum eo omnes Thomistæ Caietan. Bañez, Zumel, Nazarius, Trigosus, Canarienſis, & reliqui. Valent. 1.*part. disput.*2. *q.*13. Molin. 1.*part. q.*28. *art.*2.*disp.*2. Vasq. *disput.*116. & 120. Soar. *lib.*1. *de Attrib.cap.*10.& *lib.*4.*de Trinit.cap.*4.Fasol.1.*p. q.*4.*artic.*2.*dubit.*12.& 13.Turrian. *Opusc.de identitate relationum.* Arrubal. 1. *part. disp.*100. Tann. 1.*part. disput.*2. *q.*2. *dub.*2. & *disput.*4. *q.*1. *dub.*7. Ruiz.*tom.de Trinit. disput.*11.*per totam*, apud quos Antiquiores omnes. Et reliqui Recentiores communiter. Ex quibus aliqui seueris notis inurunt sententiam Scoti. Adam, & Marsilius dixerunt. Clamare seu dicere contra illam Sanctos Doctores. Bacon. Esse eam contra Sanctos. Carthus. Esse nouitatem oppositam tam summis Philosophis, quàm supremis Theologis. Molin. Esse eam non satistutam. Arrub. non esse tutam in fide. Zumel non satis consonare fidei. Ruiz. *sect.*7. Esse eam iam hoc tempore temerariam, & parum tutam. Quod rursus repetit *tom.de Scientia disp.*8.*sect.*1. *num.*11. Canarienſis, Bañez, & alij apud Turrianum suprà, esse errorem in fide.

91 Ego à censuris abstinens, vt argumentis potiùs non solum ab auctoritate, sed etiam à ratione petitis premam Scotistas. Vnum hic præmittendum duxi valdè notandum, à quo neque ipsi, neque vllus profectò poterit dissentiri. Nimirum, statutâ semel Scoticâ distinctione, atque identitate formali, æque in eis esse retinenda, & omnino obseruanda firmissima illa identitatis ac distinctionis axiomata tradita à nobis *q.* 3. tradendáque *q.* 7. in quibus nituntur logicalia instrumenta, ipsorumque instrumentorum leges; atque obseruantur, & retinentur in distinctione, & identitate reali. Cum enim huiusmodi axiomata omni generi identitatis, ac distinctionis communia sint, non possunt non esse etiam communia instrumenta logicæ in eis fundata cum suis regulis, & legibus, cuiusmodi sunt Ars communis syllogizandi, Ars conuertendi propositiones &c. vnde necessariò consequitur, quòd Scotistæ, qui duplex genus identitatis, & distinctionis ponunt in rebus, duplicatam habeant logicam quoad talia instrumenta, duplicique subinde disputationum, atque argumentorum generi obnoxij sint. Ita vt in vtrolibet seorsim secundum regulas logicæ debeant firmi procedere, ni velint à se ipsis desciscere; quin fas sit eis ab vno in alterum vitioso transitu transfugere. Itaque sicuti syllogismus factus in *Barbara* concludit bene, seruato in quauis propositione sensu identitatis realis, pariter non potest non bene concludere seruato sensu identitatis formalis. Et sicut in sensu reali conuersio propositionis vniuersalis negatiuæ optima est, ita nequit non esse optima in sensu formali. Ab vno autem ad alterum sensum neutiquam licet arguere.

92 Quod autem hæc ista se habeant euidentissimum planè est. Quia sicut, quæ realiter sunt eadem vni tertio non possunt non esse realiter eadem inter se (maximè secundum Scotum, qui, vt hoc axioma indemne eriperet à profundo Trinitatis mysterio suam, distinctionem formalem inter personas, & essentiam excogitauit) ita, quæ formaliter sunt eadem vni tertio non possunt non esse formaliter eadem inter se. Et sicut si A realiter est idem cum B, vicissim B realiter est idem cum A; ita si A formaliter est idem cum B, non potest non vicissim B formaliter esse idem cum A. Tum sicut in sensu reali sunt hæ propositiones veræ. *Homo non est equus. Homo est rationalis:* Ita hæ, iuxta Scotistas in sensu suo formali. *Rationale non est animal. Rationale est rationale.* Igitur quemadmodum ex variis propositionibus acceptis in sensu reali, dispositisque consentaneè ad commemorata axiomata tota syllogismorum structura, aliorumque Logicæ instrumentorum aptatur, ita ex similibus propositionibus in sensu formali Scotico sumptis, eadem omnino structura venit aptanda. Quod certè ni fateantur Scotistæ de plano, omnino cum illis cessare debet disputatio, vt qui primis, & notissimis principiis rationis naturalis aduersentur. Et sanè apud ipsos, quis neget hunc syllogismum expositorium in tertiâ figurâ bene concludere? *Rationalitas Petri formaliter non est animalitas. Rationalitas Petri formaliter potentia est Petri ad ratiocinandum. Ergo potentia Petri ad ratiocinandum formaliter non est animalitas.* Profectò non minùs bene concluditur quàm hoc. *Rationalitas Petri realiter non est lapis. Rationalitas Petri realiter est Petri animalitas. Ergo Petri animalitas realiter non est lapis.* Tantumdemque eueniet in reliquis quibusque exemplis, in quibus particulæ illæ *realiter*, *formaliter* non sunt termini propositionum, sed ponuntur ex parte verbi ad exprimendum sensum, in quo illud accipitur, realem, vel formalem, quamve significat identitatem realem, vel formalem.

Iam, quod ab vno ad alterum sensum neque ar- 93
guenti, nec respondenti transgredi liceat, non minus euidens est, atque manifestum. Quia sicut ex eo quod aliqua duo sint eadem vni tertio realiter, non sequitur, quod illa sint eadem inter se per rationem, nec vice versâ; & ex eo quod A sit idem realiter cum B, non sequitur quod B sit per rationem idem cum A, neque è conuerso. Ita ex eo quod aliqua duo sint eadem vni tertio realiter, non sequitur, qnod illa sint eadem inter se formaliter ex naturâ rei, neque è contra. Et ex eo quod A sit realiter idem cum B, non sequitur, quod B formaliter ex naturâ rei sit idem cum A, neque è contrario. Vnde in argumentis, quæ ex his principiis desumuntur, fas non erit sensu, variare, sed idem semper aut realis aut formalis Scoticus retinendus est, vt vel concludant benè, vel non concludere monstrentur.

His ita constitutis; quæ, vt reor, nemo sanæ men- 94
tis negare potest; integrum erit rationis trutinâ examinare, quid probabilitatis, quidve commodi Scotistarum opinio ferat. Sed primum, vt ab hoc me expediam obiter, breuiter, & euidenter confuto ex dictis modum philosophandi eorum, qui distinctionem, idemtitatemque non mutuam admittunt inter aliquas formalitates, vt vidimus *num.* 88. Etenim isti præter quam quod manifestè aduersantur Aristol. *lib.* 5. *Metaph. cap. de ad aliquid text.* 20. & suo Scoto *ibid.* Sæpeque alibi afferentibus relationes primi generis (è quorum numero sunt ex suo conceptu identitas, & distinctio, similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas, & aliæ huiusmodi fundatæ in vnitate, aut diuersitate) necessario esse mutuas, Logicam propositionum conuersionē, quæ argumentandi genus est firmissimum fortassis atque notissimum, subuertunt funditus. Apud eos enim à conuersa ad conuertentem in sensu formali nullius momenti erit argumentatio: & consequenter neque in sensu reali: quia nulla maior cernitur repugnantia in distinctione aut identitate non mutuâ reali, quam in formali ex naturâ rei. Atque adeò sicut possibile est apud hos A esse B formaliter, quin B sit formaliter A, ita etiam realiter possibile erit. Tum non solum conuertendi, sed etiam syllogizandi ratio labefactatur prorsus ab his Auctoribus. Imprimis enim omnes modi syllogismorum, qui indirectè concludunt, abiguntur, vtpote, qui fundantur in conuersione. Deinde omnis syllogismorum reductio, quæ à conuersione pendet, perit. Præterea syllogismi etiam directi alias legitimi nullius roboris sunt, vt patet in hoc syllogismo constructo in *Cesare* secundæ figuræ: *Nullus homo formaliter est animal. Omne animal formaliter est animal*: ergo *nullum animal formaliter est homo.* In quo posità distinctione non mutuâ inter hominem, & animal ex maiore, & minore veris sequitur consequens falsum. Cum igitur apud hos formalizantes tam malè agatur cum Dialectica, & cum ratione naturali, nullatenus audiendi sunt, sed standum in germanâ Scoti expositione, quam ex Merinero retulimus, iuxta quam procedet disputatio.

Propositio 1.

Distinctionem Scoticam formalem ex naturâ rei 95
nullatenus admittendâ esse in diuinis, aut inter essentiam, & attributa seu communia, seu personalia, aut

inter

inter attributa ipsa communia, argumenta Theologica persuadent.

Primò namque in concilio Florent. verbis citatis *suprà quæst.* 4. iterum atque iterum asseritur diuinam essentiam ab hypostasibus, siue personis non re, sed sola ratione seu intelligentia differre: igitur dici nequit differre distinctione aliqua verâ & propriâ à ratione non dependente, qualis est formalis Scotica.

96 Secundò Eugenius III. in Concilio Rhemensi contra Gilbertum definiuit, vt vidimus *in eadem quæst.* inter naturam, & personam rationem aliquam non debere diuidere. Ita scilicet vt vna ratio, siue vnus conceptus obiectiuus theologicè asseratur distinctus ab altero re ipsa, seu ex natura rei, vti Gilbertus asserebat, prout ex Ottone Frinsingensi latè demonstrat Vasquez *disputat.* 120. *citata cap.* 1. Igitur asserere, vt Scotistæ asserunt, rationes, siue conceptus naturæ, & personæ formalitates esse re ipsa, siue ex naturâ rei distinctas, Eugenij, Conciliique decreto videtur aduersari. Tum in eorum sententiâ non videtur dici posse absolutè, & simpliciter *Pater est Deitas* in sensu nominatiui, quandoquidem hæc duo ex naturâ rei, & ante omnem intellectus operationem sunt formalitates distinctæ, sed solum *Pater Deitate est Deus*, in sensu ablatiui: vti Gilbertus contendebat. In quo etiam damnatus est.

97 Tertiò in Concilio Lateran. & ex illo *in cap.* Firmiter & *cap.* Damnamus *de summa Trinit. & fide Catholica*, expresè decernitur, substantiam Dei simplicem esse omnino, Personasque Patris, Filij, & Spiritus sancti cum essentiâ esse idem omninò. Necnon in Deo nullatenus esse quaternitatem, & consequenter, nec quemuis alium numerum præter Trinitatem Personarum, prout vidimus *ibidem.* Quis autem non videat sententiam Scoticam cum his decretis benè cohærere non posse? Semel namque admissâ distinctione formali ex naturâ rei inter relationes, & essentiam diuinam, & inter diuina attributa, necessariò admittenda est aliqua pluralitas, seu aliquis numerus in Deo præter personarum Trinitatem ante omnem intellectus operationem. Tum nequaquam potest esse verum, substantiam Dei esse simplicem omninò, personasque & essentiam esse idem omninò, vt patet.

98 Quartò clarius adhuc sententia Scotica repugnat communissimo Sanctorum Patrum, atque expressissimo consensui. Qui vbique eximiâ exaggeratione prædicant summam simplicitatem Dei, summámque attributorum eius communium tum interse, tum cum essentia identitatem: necnon personarum cum ipsa essentia. Vbique dicunt in Deo idem esse habere aliquam perfectionem siue attributalem, siue personalem, & illam esse. Vbique decernunt, in Deo nihil per modum accidentis intrinseci, seu qualitatis reperiri reipsa, & nostrâ conceptione seclusâ. Vbique, non esse in Deo aliud & aliud, sed omnia esse vnum: & præter personarum Trinitatem nullam esse pluralitatem aut numerum. Vbique absolutè, & simpliciter affirmant per nomina abstracta aut vnum attributum de alio, vel de essentiâ, aut personalitates de essentiâ ipsa, aut vice versâ. Sæpe etiam expresè docent hæc inter se nullo alio modò præterquam per rationem, siue intelligentiam nostram distingui. Cum quibus omnibus prædictam Scotistarum sententiam neutiquam posse constare satis superque profectò videtur notum. Si enim diuina attributa, diuina essentia, & personalitates aliquod distinctionis genus habent inter se à parte rei, præter personarum distinctionem, quam fides docet, ea sane non possunt dici omninò idem à parte rei; neque Deus summè simplex vocari potest: quandoquidem longè simplicior citra talem distinctionem est cogitabilis. Neque in Deo idem reipsa est habere suas perfectiones, & illas esse; siquidem verè illas habet formaliter ex naturâ rei, qualiter eæ non est. Sunt etiam in Deo reipsa tot prædicata per modum accidentis, seu qualitatis, quot attributa habet distincta à sua essentia, atque adeò adiuncta illi formaliter ex natura rei. Negari nequit esse in Deo præter diuinas personas aliud, & aliud, siue (quod in idem recidit, quod attinet ad phrasim Patrum) vnum, quod reipsa, & ante intellectus considerationem non sit aliud, seu potiùs plura, quorum singula non sint alia. Et consequenter neque negari potest esse in Deo non modo quaternitatem, sed centenitatem, vt loquitur Bernard. *lib. 5. de consid. ad Eugen. circa medium*; atque adeò multiplicitatem & numerum. Denique perfectiones diuinæ sumptæ in abstracto inuicem prædicari non possunt absolutè, & sine aliqua limitatione: quandoquidem in sensu formali ex naturâ rei sunt falsæ tales prædicationes. Nec verum est, solâ ratione nostrâ tales perfectiones distingui. Quæ omnia contradictoriè sunt opposita dictis sanctorum Patrum. Recole ipsorum testimonia, quæ *q. præced.* indicauimus, insuperque ad rem præsentem adiice illis, quæ sequuntur.

Cyrillus Alexand. *lib. 3. Thesaur. cap. 2.* appellat 99
simplicissimam Deitatis naturam, & *lib. 14. cap. 1.* Deum vocat *simplicissimum, atque incompositum*, & *cap. 3. simplicissimum, & ab omni compositione remotissimum.* August. *lib. 7. de Trinit. c. 1. summam simplicitatem, & verè summè simplicem essentiam.* Bern. *serm. 81. in cant. circa principium. Primum & purissimum simplex*, & *lib. 5. de consideratione circa medium, veram, & summam simplicitatem*, & rursus: *Non est compositus Deus, merum simplex est*: & statim. *Tam simplex Deus, quam vnus est. Est autem vnus: & quomodo aliud nihil, si dici possit, vnissimus est.* Et *paulo post* ita ait cum Boëthio. *Hoc verè vnum, in quo nullus numerus est, nullum in eo aliud præter id, quod est. Compara huic vni omne, quod vnum dici potest, & vnum non erit.* Deindeque Deum vocat *vnicè vnum*, & *simplissimam vnitatem.* Iræneus *lib. 2. aduersus hæreses cap. 16. simplex, & non compositus.* Basil. *lib. 1. contra Eunom. aliquanto ante finem. Simplex omnino, & incompositus, & penitus liber ab omni compositione.* Ambros. *lib. 1. de fide Trinit. cap. 7. Deus naturæ simplicis est, non coniunctæ atque compositæ, cui nihil accidat*, &c. Rupert. *lib. 1. in Exod. c. 14. simplex, vel incompositum.* Damasc. *lib. 1. fidei c. 12. Deus simplex est, & incompositus.* Et *c. 11.* Loquens de essentia Dei ait, *Quod in ea dictum est, cogitatione sola distinguitur.* Rursus. August. *in quæstiunculis de Trinitat. ad quæstionem.* An aliquid distet in Deo esse, viuere, intelligere, posse; respondet: *Nullatenus aliud est in Deo esse, aliud viuere, vel intelligere, & aliud posse.* Et *lib. de triplici habitaculo cap. 6. Sapientia, & veritas Dei, æternitas non diuersa sunt inter se, sed vnum sunt, & sicut & omnia. Sapientia enim Dei non magis sapientia, quam veritas est, & non magis veritas, quam sapientia, quam æternitas, quam cætera Dei omnia: vnum enim sunt in Deo. Et non solum hæc inter se eadem sunt in Deo, sed non aliud sunt quam ipse Deus.* Marius Victorinus *lib. 1. aduersus Arium sub initium. Dei eadem ipsa est & potentia, & substantia, & diuinitas, & actio; omnia enim*

enim vnum,& vnum simplex. Anselm. *in Monol. cap. 16. Cum illa natura nullomodo composita sit, & tamen omni modo tota illa bona sit, necesse est vt illa omnia non plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, siue singula, & cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula.* Theodorus apud Cyparissiot. *decad. 10. cap. 4. de substantia Dei, & operatione* ait; *nihil differre, & non esse discernendas*, de ipsoque Deo esse *supra omnem simplicitatem*: & *ibidem cap. 5.* loquens de substantia, & virtute operatiua Dei, ait. *Nihil ista differre; quia non sunt hæc inter se discernenda, ne quod est supra omnem simplicitatem compositum esse intelligatur.* Et ipse Cypariss. *cap. 8.* cum dixisset essentiam diuinam esse *ex pluribus in vnam vnitatem congregatis*, vt ostenderet se solam pluralitatem, distinctionemve rationis admittere, & nullam ex natura rei, subiunxit, *omni differentia omnibus modis in congregatis sublata, & non alterum in altero, sed maximè supra quam copulatè nulla duplicatione posita.* Nyssenus *in lib. ad Ablauium*, de eo, quod non putandum sit tres dici Deos, *paulo ante finem, Omnem circa essentiam diuersitatem reiicit diuina, simplex & variari, alterarive nescia natura.* Et *orat. 1. in cant.* non multo post medium. *Virtus diuina est ille ipse, qui prorsus est sapientia, & ipsa iustitia, & ipsa veritas, & singillatim omnia.* Denique Ricard. Vict. *lib. 2. de Trinit. cap. 17.* & 20. & *lib. 5. c. 1. Veram & summam simplicitatem* dicit in Deo, & *lib. 1. cap. 15.* ait. *Ipsa primordialis substantia idem omnino, quod summa potentia est.* Et *cap. 18. Dei sapientia, & Dei potentia vnum idemque sunt per omnia*: & infra. *Dei substantia, nihil est aliud, quam eius potentia, vel sapientia.* Et *dicto lib. 2. cap. 17. citato* dicit, *Vbi summa simplicitas, ibi vera, & summa vnitas. Quidquid ergo in summo bono est, verè, & summè vnum est: neque aliud, & aliud ibi esse potest, sed idem ipsum est totum, quod est.* Et *cap. 18.* docet Attributa diuina ita non esse diuersa alia ab aliis, *sicut neque à semetipsis.* Quo sensu in fine cap. vniuersaliter concludit. *Quidquid in summo bono, & vera diuinitate est, verè, & substantialiter, & summè vnum est.* Postremò ne eius desit authoritas M. Dionys *cap. 9. de diuinis nomin.* Deum ait esse *in pulcherrimis excellentis identitatis finibus collocatum.* Et *paulò post.* Esse *copiam & supereminentem causam totius identitatis.*

100 Hæc adeo prolixè congessi, vt tam ingens pondus auctoritatis, & me à ponderatione excusaret singulorum testimoniorum; & Aduersariorum renixum vno ictu prorsus perfringeret. Adeo enim perspicuè tam constans, atque cohærens Patrum consensus in stabilienda omnimodis summa simplicitate, identitate, & vnitate diuinæ substantiæ, Conciliorum sensu patefacto, sententiam Scoticam confutare, atque relegare videtur, vt satis superque fuerit ponere ob oculos, quo penitus corruant quæcumque Scotistæ respondent, vt sese ab impetu tantæ auctoritatis eripiant. Quocirca in illis redarguendis nullatenus opus est immorari. Præsertim cum omnia ipsorum responsa in illud tandem resoluantur, quo dicunt. Deum summè simplicem, summè vnum, & summè idem esse in se ipso; tametsi tot distinctiones formales inter suas, ex quibus coalescit, perfectiones re ipsa patiatur; quia maior simplicitas, vnitas, & identitas nullatenus possibilis est. Quod profecto nihil aliud est, quam asserere, non esse possibilem eam simplicitatem, vnitatem, & identitatem ab omni penitus distinctione, atque compositione immunem, quam Patres, & Concilia decernunt de facto reperiri in Deo. Quod responsum quale sit, ipsi Scotistæ videant.

Iam verò præter summam propositam nuper 101
Theologicarum rationum, quibus latius, atque distinctius confirmatis ab ablurdis, quæ ex sua sententia sequuntur, vrgeri possunt Scotistæ. Et in quibus amplificandis necesse non est immorari. Contra eos etiam, faciunt rationes illæ, quibus *q. præced.* confirmauimus realem identitatem attributorum Dei cum essentia. Facient etiam, quas producemus suo loco ad diuinam simplicitatem stabiliendam. Etenim negari non potest perfectiorem esse simplicitatem, atque adeo omnino tribuendam Deo, quæ omni prorsus compositione caret, quam, quæ compositionem subit formalem ex natura rei, qualem re ipsa ponunt in Deo Scotistæ, quidquid sit de vocabulo compositionis. Deinde Deus secundum Scot. non potest esse actus purus omni carens potentialitate ad perfectionem sibi ex natura rei adiungendam. Præterea minori sibi identitate identificat perfectiones, quam eius poscit infinitudo. Et cætera, quæ in *locis citatis* recognoscere, & ad præsens institutum accommodare facile cuique erit.

Pergo modo, & specialiter contra Scotistas sic 102
argumentor. Distinctio ex natura rei formalis, quam Scotus introduxit in Deum, inutilis, & impertinens est ad eum finem, ad quem excogitata est. Ergo reiicienda ab scholis fuerat potiori iure, quam fouenda. Consequentia est bona: quia, illius vtilitate sublata, perperam foueretur distinctio tam difficulter perceptibilis, tam exosa plerisque, tam male merita secundum multorum censuram de doctrina Conciliorum, & Patrum, tamque pedetentim ab ipso Scoto, vel ipso assensu renitente introducta, vt vidimus *n.* 84. Probo ergo antecedēs. Putauit Scotus mysterium Trinitatis non posse consistere absque contradictione, nisi relationes distinguantur ab essentia formaliter ex natura rei: sed si quæ esset contradictio, eadem remaneret post eam distinctionem admissam: ergo talis distinctio nihil emollit difficultatem mysterij. Probo minorem. Sublata distinctione hac probabat contradictionem Scot. quia de eadem prorsus entitate prædicarentur duo contradictoria verè: nempe de eadem omnino entitate Patris verè diceretur communicari Filio, & non communicari: esse distinctam à Filio, & non esse distinctam. Sed posita distinctione formali ex natura rei inter paternitatem, & essentiam, dummodo maneat inter eas formalitater identitas realis, vt fides docet, & Scotus catholicè confitetur, eadem manet quoad speciem contradictio: quia eadem extrema contradictoria prædicantur de entitate realiter eâdem, quamuis formaliter ex natura rei duplex sit: Ergo eiusmodi distinctio formalis nihil omnino prodest. Quod autem contradictio sit eadem patet; quia oppositio contradictoria, quæ est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, tunc in suo robore perseuerat, quando in eodem sensu est vnum & idem id, de quo prædicata contradictoria enunciantur, in quo talia prædicata enunciantur de illo. Sed paternitas, & essentia sunt idem in sensu reali, & in eodem sensu reali dicuntur de essentia, & paternitate illa prædicata contradictoria. Ergo tam manent contradictoria, quàm si essentia non distingueretur à Paternitate formaliter ex natura rei.

Confirmatur. Idcirco apud Scotistas nihil pro- 103
dest distinctio rationis inter essentiam, & paternitatem ad euitandam contradictionem dictorum prædicatorum: quia hæc non per rationem solum, sed reipsa

reipsa conueniunt essentiæ, & paternitati, quomodo essentia & paternitas non duo, sed vnum, & idem sunt. Sed eadem ipsa prædicata non formaliter ex natura rei solum, sed prorsus realiter conueniunt paternitati, & essentiæ, qua ratione essentia, & paternitas non duo, sed vnum & idem sunt. Ergo distinctio formalis ex natura rei inter essentiam, & paternitatem nihil prodest ad euitandam contradictionem dictorum prædicatorum.

104 Quod vt clariùs adhuc appareat. Suppositâ distinctione formali ex naturâ rei formo idem argumentum ad probandam contradictionem, quod Scotistæ illâ sublatâ formare possunt, iuxta regulas Logicæ. Hæc propositio est vera, & de fide, *Paternitas non est filiatio.* Sed hæc etiam est vera, *Paternitas est filiatio.* Ergo dantur duæ contradictoriæ simul veræ. Probo minorem hoc syllogismo expositorio in primâ figurâ. *Essentia est filiatio. Paternitas est essentia : ergo paternitas est filiatio.* Ecce argumentum, quo se putant Scotistæ concludere contradictionẽ, si paternitas, & filiatio non distinguantur ab essentiâ ex naturâ rei vllomodo; secus, si distinguantur formaliter. Sed certè non bene: nam, vt prænotaui *suprà*, vt forma argumentandi Logica firma sit, idem sensus in omnibus propositionibus est retinendus aut realis, aut formalis ex naturâ rei. Ergo syllogismus datus aut nihil concludit, aut concludit etiam admissâ distinctione formali ex naturâ rei inter relationes, & essentiam, quia eâ distinctione admissâ adhuc remanent veræ in sensu reali præmissæ syllogismi, in quo necessario sunt accipiendæ ad concludendum contradictoriam illius propositionis de fide. *Paternitas non est filiatio.* Cum hæc non solùm in sensu formali ex natura rei, sed in sensu realissimo vera sit. Quâ autem ratione ad huiusmodi syllogismum pro tuendâ propositione illâ de fide, cuius contradictoriam infert, sit respondendum citra omnem distinctionem inter relationes, & essentiam, quæ verè & propriè talis sit ex natura rei, *inferius* examinabimus *quæst. 7.*

105 Hoc eodem pacto redarguendi sunt Scotistæ in creatis, vbi nos in contradictionem pertrahere moliuntur, quam ipsi sine suâ distinctione formalitatum vitari non posse arbitrantur, vt quando contendunt eamdem entitatem hominis esse simul, & non esse similem equo: quia est similis in quantum animal, & non est similis in quantum rationalis. Cognosci simul & non cognosci, quia cognoscitur in quantum animal, & non in quantum rationalis, & alia id genus. Ex quo patet in creatis etiam esse inutilem distinctionem Scoticam ad expediendas difficultates, pro quibus ea vtuntur Scotistæ. Vt hinc appareat, quàm sine fructu noster Fonseca & Albertinus non audentes talem distinctionem in diuinis admittere; in creatis solùm admiserunt, sponte sese implicantes, vbi Scotus coactus mysterio inscrutabili Trinitatis, quasi renitens vix fixit pedem, dum eam sine assertione inuexit, vt *suprà* vidimus.

106 Secundò arguo contra Scotistas. Aut prædicata, quæ in diuinis de eadem entitate Patris dicũtur sine contradictione beneficio distinctionis formalis positæ inter paternitatem, & essentiam, vt sunt distingui à Filio realiter, & non distingui: communicari Filio, & non communicari; producere Filium & non producere, possunt pariter in creatis media simili formalitatum distinctione, sine contradictione inueniri, aut non possunt? Si possunt: altissimum Trinitatis mysterium omnes limites entis limitati, ac finiti transcendens, & captum superans humanum, trriuiale fit, cùm & in quouis entium genere reperiri, & à quouis intellectu facile intelligi, & solo naturali rationis lumine saltem quoad possibilitatem penetrari possit. Absurdum, quod opponebat Gilberto Bernard. citatus *suprà num. 76.* Si autem dicta prædicata in creatis eidem entitati conuenire nulla ratione possunt, quantumuis ea ex diuersis formalitatibus ex naturâ rei distinctis coalescat, vti de facto secundum Scotistas omnes coalescunt: infero planè. Ergo quod in diuinis conuenire valeant, non huiusmodi formalitatum distinctio, sed ipsa diuinitatis infinitudo in causa est. Vel aliter. Ergo vt in diuinis sine contradictione conueniant, non requiritur ratione infinitatis distinctio realis, quæ in creatis: ita nec requiretur formalis. Vel aliter tandem. Ergo distinctio formalis ex natura rei subiectorum cum identitate eorum reali non exuit à contradictione dicta prædicata contradictoria, alioquin & in creatis exueret, vt patet. Relinquitur igitur, quod in diuinis sola infinitudo exuat Diuinæ substantiæ, & consequenter, quod ibi nihil ad id muneris conferat dicta distinctio, inutilisque subinde sit ad stabiliendum, vel explicandum mysterium Trinitatis; vt *paulo ante* etiam conclusum est.

Tertiò arguo contra Scotistas. In Deo ea dum- 107
taxat dici possunt esse distincta à parte rei, quibus ex propriis conceptibus repugnat esse identificata. Sed talia solummodo sunt, quæ inter se se relatiuè opponuntur relationibus producentis, & producti. Igitur diuina attributa personalitates, & essentia, vel nullam distinctionem formalem habent inter se à parte rei, vel formaliter à parte rei inuicem inter se opponuntur relationibus producentis & producti. Maior est euidens, supposito catholico dogmate de simplicitate diuina, neque negabitur, à Scotistis, qui dicunt distinctionem attributorum formalem ex natura rei ideo simplicitati Dei non opponi, quia attributa ex propriis conceptibus non possunt non ita distingui; dicturi sane opponi, si possent. Minor est omnium Patrum, & Theologorum apud quos subinde iampridem increbruit illud axioma firmissimum. *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Eamque ex Conciliis, & Patribus latè demonstrat noster Ruiz *tom. de Trin. disp. 1. sect. 3.* & *disp. 9. sect. 5.* Et ratio ipsa planè suadet, quia inter perfectiones diuinas, quæ titulo summæ infinitudinis exigunt identificari vicissim, necvnde potest argui distinctio, præterquam ab oppositione secundum originem, vbi est ineuitabilis. Consequentia autem legitima est. Et confirmari potest quia non est, cur perfectiones diuinæ sint incapaces distinctionis realis citra oppositionem realem producentis, & producti; & sint capaces distinctionis formalis citra oppositionem formalem producentis, & producti. Iam verò si quis Scotista concedat totum, admittatque veram oppositionem producentis, & producti formaliter ex natura rei inter ea, inter quæ ponit similem distinctionem; ita, quod quemadmodum sine iactura identitatis realis habet locum distinctio formalis ex natura rei, sic sine iactura improductionis realis habeat quoque locum productio ex natura rei formalis. Præter quam quod rem inauditam proferet; in absurda non ferenda labetur: tenebitur enim admittere in Deo innumeras propemodum processiones, siue productiones ad intra præter duas, quas adstruit fides: tenebitur confiteri relationes personales formaliter ex natura rei ab essentia produci; atque Patrem non esse

esse omnimodo ingenitum Filium duplici processione a duplici principio procedere Spiritum sanctum non à solo Patre, & Filio, sed etiam ab essentia produci, & alia huiusmodi prorsus aduersa siue absona fidei.

108 Quartò arguo. Illæ dicuntur ab Scotistis esse formalitates distinctæ ex natura rei, quæ diuersas habent conceptibilitates obiectiuas, diuersas subeunt definitiones, diuersas demonstrationes, ac reduplicationes: è contra autem eadē formalitas erunt, quæ sub eūdem conceptum obiectiuum, sub eamdē definitionem, demonstrationem, siuereduplicationem cadunt. Ergo attributa diuina ex natura rei & sunt distincta, & identificata, atque adeo non distincta formaliter, quæ sunt contradictoria. Probo consequentiam: quia attributa diuina, & sub distinctas definitiones, conceptiones, demonstrationes, ac reduplicationes singulorum proprias, & sub eamdem pluribus communem cadere solent: priorique titulo subinde erunt inter se distincta formaliter, posteriori autem idem formaliter, idque re ipsa, siue ex naturâ rei: vel dicant, cur, quæ sub eumdem conceptum obiectiuum, sub eamdemque à nobis adunantur definitionem, non erunt vnum formaliter ex natura rei, & quæ in diuersos conceptus, perque diuersas definitiones à nobis pariter dissecantur, futura sunt ex natura rei distincta formaliter? Certè, vt ostendam *paulo infrà*, semel admissa ex natura rei distinctione formali inter conceptus realiter identificatos, nequit negari ex natûra rei esse formaliter identificata, quæ realiter inter se sunt distincta, manebit tamen in illis realis distinctio, quia huic non est opposita formalis identitas. At cum attributa diuina realiter inter se distincta non sint, si semel sunt ex natura rei idem formaliter; quia sub vnicum conceptum cunctis communem, sub eamdemque definitionem cadunt, aut nullatenus ex natura rei manebunt distincta, quia identitas formalis distinctioni formali opponitur, aut erunt simul, & non erunt distincta ex natura rei formaliter, quæ est contradictio.

109 Quod si respondeant. Attributa diuina esse quidem identificata formaliter ex natura rei in illis rationibus communibus, in quibus conueniunt, dumtaxatque inter se distingui secundum proprias, differentialesque rationes. Contra primò: quia iam hoc esset à sua sententia desciscere. Secundum quam sapientia, iustitia, omnipotentia, & cætera attributa adæquatè sunt inter se distincta formaliter ex naturâ rei. Contra secundò: quia sæpe sæpius Deus integer, nihilo dempto eorum, quæ realiter est, sub vnicum & indiuiduum conceptum, sub vnicamque pariter cadet definitionem, demonstrationem, reduplicationem, & si quidpiam aliud volueris: ergo titulo talis conceptus nihilo omnino erit in Deo, quod formaliter ex natura rei non sit idem, quo cessat in Deo omnis distinctio formalis ex natura rei. Contra tertiò: quia quæcumque sub conceptibus communibus adunantur, non possunt non tandem ita sub aliquo adunabilia esse, vt extra ipsum nihil intrinsecum, realiterve identificatum ipsis adunatis superfit, ita, quod per differentias dumtaxat distinctius conceptas veniant discriminanda, vt *infrà suo loco* monstrabo: igitur attributa diuina non possunt non ita sub aliquo communi conceptu identificari formaliter, vt nihil superfit ipsis intrinsecum, per quod distinguantur formaliter. Hæc satis modo. Pergo ad propositionem alteram, *vbi* plura.

Propositio 2.

Distinctionem Scoticam formalem ex natura 110
rei diuersam à distinctione absolutè reali, non solùm in diuinis, sed in creatis etiam omnifariam esse impossibilem argumenta philosophica ostendunt.

Communis satis distinctionis dictæ impugnatio huiusmodi est. Ens adæquatè diuiditur in reale, & rationis: ergo & distinctio, quæ entitatem sequitur. Repugnat igitur distinctio alia formalis ex natura rei, quæ inter realem, & rationis sit media. Non vrget. Concedunt enim totum Scotistæ, quo sensu per argumentum proponitur, vt suprà dicebamus. Quoniam distinctio ex natura rei formalis, quam adstruunt ipsi, non est media inter realem sumptam vniuersè, & rationis. Sed distinctio realis, siue ex natura rei in vniuersum ab ipsis diuiditur in distinctionem ex natura rei realem, quæ realis absolutè vocari solet, & distinctionem ex natura rei formalem, quæ realis absolutè non dicitur ne confundatur cum priori; ob idque quodammodo distinctio media appellari potest, atque etiam solet inter realem absolutè dictam, & rationis. Hoc itaque & aliis huiusce generis argumentis omissis, quibus Scotistæ parum premuntur. Ego eos aliis viis adoriar.

Primum sic. Distinctio formalis, quam ex na- 111
tura rei esse dicunt inter formalitates realiter identificatas, non potest non esse distinctio absolutè realis: ergo est implicatoria: quia realiter inter se distingui, quæ realiter sunt idem, contradictionem implicat. Vt probem assumptum, ostendo imprimis omnem formalitatem assignabilem in quodlibet ente reali ex suo conceptu esse ens reale, & non ens formale dumtaxat. Cuius rei gratia sumo ens adæquatum A constans formalitatibus B, & C, aut plura eiusmodi entia, & formo sic argumentum in *Barbara*. Omne A realiter potest existere. Omnis B realiter est A, ergo omnis B, realiter potest existere. Sed posse existere realiter est esse ens reale: ergo omnis B est ens reale. Idem dico de formalitate C. Maior syllogismi est certa apud omnes; quia ens completum, quale ponitur esse A, realiter potest existere, & realiter est ens in toto rigore. Minor ab ipsis adstruitur Scotistis, qui dicunt formalitates eiusdem entis distinctas inter se formaliter tam inter se, quam cum ipso ente identificari realiter: consequentia est legitima, vt constat: ergo consequens verum est. Habeo ergo quamlibet formalitatem cuiuslibet entis realis ens reale esse. Ex quo sic.

Distinctio reperta inter entia absolutè realia, ne- 112
quit non esse distinctio absolutè realis. Sed distinctio reperta inter formalitates B, & C, est distinctio reperta inter entia absolutè realia: ergo est distinctio absolutè realis.

Confirmatur primò. Identitas, quam remouet 113
distinctio reperta inter B, & C, si daretur, identitas esset absolutè realis; tum quia conceptus coalescens ex B, & C, realiter esset idem sibi, tum quia talis identitas, siue foret realitas, siue formalitas, non posset non esse ens reale, iuxta dicta; atque adeo identitas realis. Ergo distinctio reperta inter B, & C, absolutè realis est, vtpote, quæ opposita est identitati absolutè reali.

Confirmatur secundò. Non minus esset abso- 114
lutè realis conceptus coalescens ex formalitatibus B, & C, casu, quod identificarentur formaliter, quàm

quam esset conceptus coalescens ex Petro & Paulo casu, quod identificarentur realiter. Tum remotio, quæ de facto remouet priorem conceptum, non minus est absolutè realis, quàm, quæ remouet posteriorem. Ergo vtraque æquè est remotio realis identitatis realis, & consequenter distinctio absolutè realis. Confirmatur tertio. Identitas quâ formalitas B est sibi idem formaliter ex natura rei, non est aliud ab ipsa formalitate B, sicut identitas, qua Petrus est sibi idem realiter, non est aliud ab ipso Petro: sed formalitas B tam est ens reale ex proprio conceptu, quam Petrus, vt ostendimus. Ergo identitas formalis ex natura rei formalitatis B, tam est identitas realis, quam identitas Petri. Et consequenter non est aliqua identitas, atque adeo neque distinctio formalis ex natura rei, quæ non sit absolutè realis.

115 Confirmatur quartò. Formalitas B, non distinguitur à se ipsa, neque formaliter ex natura rei, neque realiter. Ergo est sibi idem omnino formaliter, & realiter: sed identitas, qua sibi est idem quoquomodo non est aliud ab ipsa formalitate, neque realiter, neque formaliter, vt patet. Ergo vtraque identitas est prorsus eadem. Ergo non datur identitas, & consequenter nec distinctio formalis ex natura rei diuersa ab identitate, & distinctione reali.

116 Confirmatur quintò. Distingui formaliter ex natura rei B & C, nihil est aliud (puta illatiuè iuxta dicta *quæst.* 2.) quam B non esse C formaliter ante intellectus operationem. B autem non esse C, formaliter ante intellectus operationem aliud esse non potest, quam B & C esse formalitates, quarum vna non est altera ante intellectus operationem. Ergo B & C realiter distinguuntur. Patet consequentia; quia distingui duo extrema realiter nihil est aliud, quam vnum non esse alterum ante intellectus operationem, cuiuscumque demum rationis, siue conceptus illa sunt. Appellare enim distinctionem formalem, quod extrema inter quæ versatur formalitates quædam sint, indeque solum discriminare illam à distinctione absolutè reali, abuti vocabulis est: ac si quis diceret equum, & leonem, cùm animalia quædam sint, dumtaxat distingui animaliter non verò realiter. Si dicant hoc ipso quod distinctio versatur inter formalitates eiusdem rei, estque subinde compatibilis cum identitate ipsarum reali, non posse non esse alterius generis à distinctione absolutè reali, quæ versatur inter extrema nullo modo identificata; implicant contradictionem in terminis: quia hoc ipso quod conceptus B ante operationem intellectus non est conceptus C, conficitur B, & C re ipsa nullatenus posse identificari inter se, siue esse formalitates eiudem rei, sed necessario esse duo quædam entia omnino distincta; atque adeo in ipsis terminis implicari contradictionem, cùm dicitur B, & C distingui ante intellectus operationem, vt duæ formalitates eiusdem rei.

117 Confirmatur sextò. Si B & C realiter distinguerentur, eo præcisè distinguerentur, quod B ante intellectus operationem non esset C, neque è contra, sed modò per id ipsum dicuntur distingui formaliter. Ergo modo per id ipsum, per quod dicuntur distingui formaliter, distinguuntur realiter: atque adeo distinctio formalis ab absolutè reali diuersa non est. Dices primò, casu quod B, & C realiter distinguerentur, non fore idem realiter, vt modò sunt, non obstante distinctione formali, quam modo habent. Sed contra. In illa hypothesi non ob aliud non essent idem realiter, nisi, quia B ante operationem intellectus non esset C, neque è conuerso. Sed modò per te ante operationem intellectus B non est C, neque è conuerso: ergo modo itidem non sunt idem realiter, contradictionemque subinde implicas, dum ais esse idem realiter, & distingui formaliter ex natura rei. Dices secundò, in illa hypothesi fore vt formalitates B, & C separabiles essent, quales nullatenus modo sunt: quia extrema distincta realiter, & aliàs non habentia inter se dependentiam originis, qualem B & C non habent, nequeunt non esse saltem non mutuo separabilia. Contra tamen primò. Ideo B, & C in datâ hypothesi separabiles essent per te, quia distinguerentur realiter: sed modò vt ostendi, non possunt non distingui realiter, eo ipso, quod ante intellectus operationem B non est C: ergo modò etiam sunt separabiles; vel si ponuntur inseparabiles, contradictio implicatur, posito quod distinctio realis sine separabilitate, vel dependentia distinctorum consistere nequeat. Contra secundò; quia distinctio realis neutiquam poscit necessariò aut separabilitatem, aut dependentiam originis distinctorum. Potest enim optimè stare inter extrema mutuo connexa citra omnem influxum vnius in aliud, quæ manifestè sunt possibilia, vt *suprà quæstion. 3. propositi. 7.* statui: quo casu sine separabilitate, ac sine dependentia originis distinctorum constabit. Vnde ex hypothesi, quòd B, & C distinguerentur realiter, adhuc manerent inseparabiles, vt modo ponuntur: nec modo earum inseparabilitas obstat, quominus distinguantur realiter, vt ego contendo distingui, suppositò, quod, vt asseris, à parte rei B non est C, neque è conuerso.

Confirmatur septimò, quia nullatenus est intelligibile, quod conceptus obiectiui B, C, realiter identificentur, & tamen alter nihilominus non sit alter à parte rei, siue ante omnem intellectus operationem; quandoquidem omnium communi conceptione nihil est aliud duo quæpiam identificari realiter, quam vnum esse alterum à parte rei. Si enim negari nequit conceptum B esse conceptum C à parte rei eo ipso, quòd identificantur realiter, quomodo asseritur nihilominus conceptum B non esse conceptum C à parte rei titulo distinctionis formalis? Potestne eripi ab apertâ contradictione conceptum B esse simul, & non esse à parte rei conceptum C? minimè sanè. 118

Sed pergo, ab alioque latere Scotistas impeto: Non magis repugnat extrema realiter distincta identificari formaliter ex natura rei, quam extrema realiter identificata distingui formaliter ex natura rei. Tum eadem argumenta, quibus ducuntur Scotistæ ad ponendam distinctionem formalem inter extrema realiter identificata æqua vi impellant eos, vt ponant identitatem formalem inter extrema realiter distincta: ergo, vel vtramque negare, vel vtramque adstruere debent; aut inconsequenter philosophantur. Consequentia est bona; prior pars antecedentis mihi est euidens: quia æqualiter prorsus aut opponuntur, aut cohærent identitas formalis ex natura rei cum distinctione absolutè reali, atque distinctio formalis ex natura rei cum identitate absolutè 119

reali. Probo ergo secundam partem, quæ mihi non minus est certa. Quoniam eo ducuntur Scotistæ ad ponendam distinctionem ex natura rei formalem inter extrema realiter identificata, quòd illa diuersas conceptibilitates, diuersas definitiones, aut descriptiones habent, diuersasve subeunt demonstrationes, aut reduplicationes. Sed à contrario extrema realiter distincta sæpe gaudent eadem conceptibilitate, eademque definitione, seu descriptione, sæpe sub eamdem demonstrationem, vel reduplicationem cadunt: ergo in illis pariter debent ponere identitatem ex naturâ rei formalem. Est clarum: quia si formalitates animalis, & rationalis in eodem homine repertæ ex natura rei distinguuntur, quia diuersis sunt conceptibus conceptibiles, diuersisque definitionibus explicabiles; nequit non formalitas animalis in homine, & in brutis reperta ex natura rei esse eadem, quandoquidem per vnicum, & eumdem conceptum concipienda, & per vnicam definitionem definienda, siue explicanda venit. Dicunt fortasse animal commune omnibus animalibus per rationem nostram dumtaxat esse vnam formalitatem, quia nos, quæ realiter sunt similia, sub vnico conceptu adunamus; atque ita per definitionem, quæ solùm etiam per rationem est vnica, definimus. Bene. Sed deberent pariter dicere animal, & rationale hominis per rationem nostram dumtaxat esse duas formalitates; neque amplius, quàm per rationem nostram esse diuersas definitiones, quibus eæ definiuntur. Nullam enim vnam idoneam exhibebunt rationem, cur, quæ realiter sunt plura, solo beneficio intellectus citra omnem identitatem ex naturâ rei in vnicum conceptum obiectiuum, in vnicamve formalitatem conuenire possint; &, quod realiter est vnum, non possit pariter solo beneficio intellectus citra omnem distinctionem ex natura rei in plures conceptus obiectiuos, in pluresve formalitates secari.

120 Iam verò si quis fortasse Scotistarum audacter concesserit totum, esse nimirum vnum, & idem formaliter ex natura rei, quæcumque sub vnicum, & eundem conceptum cadunt, quantumuis illa realiter distincta sint, videat, quæso, quot inde, & quanta absurda sequantur. Sequitur enim primò ex naturâ rei esse identificata, quæ longè ab se inuicem secundum locum dissita sunt. Secundò, causam, & effectum à parte rei identificari. Tertiò ex duobus à parte rei identificatis alterum esse, & alterum non esse reuera. Quin etiam alterum possibile, & alterum impossibile esse. Quartò ex duobus à parte rei identificatis alterum produci, & simul alterum corrumpi. Quintò Deum cum creaturis omnibus identificari re ipsa, & ante omnem intellectus operationem. Etenim ex hisce tam diuersis extremis coalescunt formalitates communes per vnum conceptum conceptibiles, per vnamque definitionem explicabiles; in quibus subinde extrema ipsa iuxta positam conceptionem non possunt non ex naturâ rei identificari, & vnum quid esse formaliter ante intellectus operationem. Quæ omnia horret profectò ratio ipsa, tum naturalis, tum etiam supernaturalis. Huc item spectat argumentum, quod suprà circa attributa Dei *n.* 108. formauimus; & in qualibet re creata multis constante formalitatibus locum habet.

121 Præterea contra Scotistas sic potest argui. Distinctio, & identitas in vniuersum proprietates quædam sunt entis cum ipso ente conuertibiles: ergo semel admisso duplici genere distinctionis, & identitatis formalis, scilicet ex natura rei, & realis duplex etiam genus entis formalis, & realis est admittendum; quorum vtrumque propriam sibi categoriarum, siue inferiorum entium classem adsciscat. Quemadmodum ergo infra genus entis realis dantur substantia, & accidens, & rursus infra genus accidentis quantitas, relatio, actio, passio, & cætera prædicamenta realia; ita infra genus entis formalis substantia, & accidens, quantitas, relatio, actio, passio, & cætera prædicamenta formalia debebunt admitti metaphysicè saltem, & possibiliter; atque ita quidem, vt sicut singula entia realia suis proprietatibus, & accidentibus gaudent independenter à formalibus, sic singula entia formalia independenter à realibus potiantur suis. Quo fiet, vt possibile sit inter conceptus formaliter distinctos, quantumuis identificatos realiter, dari suas generationes, corruptiones, actiones, passiones, relationes, oppositiones, cætera huiusmodi formaliter ex naturâ rei. Rursus possibile erit, vt idem conceptus formaliter ex naturâ rei producatur, aut corrumpatur, quin producatur, aut corrumpatur realiter; atque adeo etiam, vt non existendo realiter existat formaliter, vel existendo realiter, non existat formaliter. Innumeraque alia huius generis possibilia dicenda erunt; quæ ex terminis ipsis apparet esse chymerica; cùm tamen non maiorem repugnantiam præ se ferant, quàm quòd duo conceptus realiter identificati formaliter ex natura rei sint distincti, vti asserunt Scotistæ.

Denique, id, quod specialiter dicunt Scotistæ de distinctione gradum superiorum, & inferiorum, distingui scilicet formaliter ex natura rei prædicata specifica à differentiis indiuidualibus: atque adeo etiam ab indiuiduis; & prædicata generica à differentiis specificis atque adeo etiam ab speciebus, specialiter etiam refelli potest. Primò: quia sæpe prædicata specifica, & differentiæ indiuiduales non sunt formalitates adhuc ratione nostra præcisæ, nedum ex natura rei distinctæ formaliter, differunt namque dumtaxat penes confusum, distinctumque conceptum sui, vt ostendemus *inferius disputation. decima septima.* Secundò: quia quando differentiæ indiuiduales formalitates sunt præcisæ à prædicatis specificis, vt sæpe etiam fit, iuxta dicenda *ibidem*, è genere sunt formalitatum transcendentium, vt *ibi* etiam videbimus. Formalitates autem transcendentes ab eis, quas dicuntur transcendere, distingui ex natura rei impossibile est, vt ostendam postmodum. Tertiò: quia prædicatum specificum Petri, vt condistinctum à differentia individuali, singulare est, & indiuiduum saltem fundamentaliter, tum quia non est vniuersale, cum physicè non conueniat pluribus, tum quia terminat actionem singularem, quâ à Deo causatur. Ergo vt potest illud absque secunda singularitate ex natura rei supperaddita, sed solum per rationem nostram reddi singulare formaliter: quia alias daretur infinitus progressus singularitatum ex natura rei additarum, quod est absurdum (quia talis infinitudo categorematica esset, vt patet cum tamen infinitudo singularitatum sola ratione addibilium tantùm 121

tantùm sit syncategorematica, atque adeò possibilis) ita absque singularitate prima ex naturâ rei superaddita, cùm superaddita tantùm per rationem nostram potest esse singulare formaliter: male ergo ad id muneris tribuitur illi singularitas ex naturâ rei superaddita.

123 Quod si prædicatum specificum, & differentia individualis absque vllâ distinctione ex natura rei in singulis individuis constare possunt, quantumuis per rationem nostram distinctos conceptus sortiantur, pariter prædicatum genericum, & differentia specifica in singulis speciebus constare poterunt: quia nullus est titulus ponendi in his, & non in illis ex naturâ rei distinctionem. Vide dicenda *disp. illa 17. citata.*

124 Iam verò, quòd formalitates transcendentes, quæcumque illæ sint, non possint distingui ex naturâ rei ab illis, quas transcendunt, est clarum; quia vt minimum sequeretur inde dari in singulis entibus infinities infinitos progressus formalitatum ex naturâ rei distinctarum, quòd patet esse absurdum. Si enim formalitas B à formalitate C transcendente ex naturâ rei sit distincta, cùm B etiam vt condistincta à C iterum debeat formaliter esse C titulo transcendentiæ, fiet, vt B, vt distincta à prima C, formaliter sit secunda C, & rursus vt distincta à secundâ formaliter sit tertia, & sic in infinitum. Tantumdemque eueniet in singulis formalitatibus C C C &c. & in reliquis totius entis. Ex quo tandem fit contra Scotistas, vniuersalia transcendentia, qualia sunt ens, accidens, & similia, quæ apud ipsos, conceptus communes, imò, & vniuocos sibi vendicant, à differentiis inferiorum, & ab inferioribus ipsis formaliter ex naturâ rei distingui non posse. Vnde etiam capitur argumentum pro vniuersalibus non transcendentibus, quia supposito, quod transcendentia à suis inferioribus etiam vniuocè possunt abstrahi, sicut non transcendentia, non est cur hæc distingui ex natura rei postulent à suis inferioribus, secus illa. Quod autem prædicata vniuersalissima entis, accidentis, & similia omnes omnino formalitates inferiorum transcendant, & quâ ratione, *inferius disputation. decima septima*, monstrabitur. Mitto alia leuiora, quæ fusiùs ad rem congerit Quiedo *Controuers.* 4. *Metaphys. punct.* 3.

125 Postremò. Scotistarum distinctio, vel ex eo maximè in vniuersum reiicienda est, quod cum tam difficilis sit intellectu, tam innumeraque secum ferat incommoda, superuacanea prorsus est, & inutilis, vel ad leniendas difficultates, pro quibus euadendis tum in diuinis, tum etiam in creatis inducitur, vt iam *superiùs à numer.* 102. satis apertè monstratum est.

126 Restabat modo argumenta diluere, quæ pro suâ distinctione stabilienda excogitarunt Scotistæ. Verum id commodius præstabimus *infrà* in peculiari quæstione, quæ erit 7. in ordine, vbi de solutione huiusmodi, aliorumque argumentorum agetur opportuniùs.

QVÆSTIO VI.

Vtrum in diuinis formalitatibus, aut etiam in creatis distinctio aliqua virtualis sit admittenda?

VAriis modis accipi solet distinctio virtualis; 127
tametsi omnes ex eodem fonte trahant originem. Virtualitas quippe à virtute dicitur. Virtus autem propriè nihil aliud sonat, quàm vis, potentia, siue facultas ad quodlibet munus obeundum. Vnde factum est primò, vt effectus in virtute causarum dicantur contineri, & causas virtualiter esse effectus ipsos, quatenus vim, & potentiam habent ad eos causandos. Secundò factum est magis ad rem nostram, vt quidquid valet præstare, quod ab alio quopiam præstari potest, virtualiter esse illud dicatur. Sic piper virtualiter dicitur esse calidum, quia vim habet calefaciendi æquè ac, quæ calida sunt formaliter. Et vniuersim, quidquid in ordine ad obeundum quoduis munus perindè se habet atque aliud quidpiam, tantumve valet, quantum illud, siue ei æquiualet, siue (quæ in idem recidunt) perinde se gerit, ac si esset illud reuera, virtualiter illud ipsum dicitur esse. Vnde tandem virtualitas, & æquiualentia idem omnino sunt in ordine ad quidlibet.

Hinc ortum habuit quadruplex acceptio distinctionis virtualis, quæ in Auctoribus reperitur. Primò enim dicunt aliqui tunc in aliqua re indiuisibili dari distinctionem virtualitem, cùm ea fundamentum præbet, vt per rationem distinguatur ab intellectu in plures conceptus, quia videlicet in tali fundamento præbendo rebus distinctis verè, & formaliter æquiualere videtur. Hoc sensu solent multi loqui de distinctione virtuali, vt sunt Conimbr. *in logicâ q.* 4. *vniuersalium, art.* 2. Soar. *disp.* 7. *Metaph sect.* 1. *n.* 4. & *lib.* 1. *de attributis cap.* 13. & *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 4. Ruiz *tom. de Trinit. disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 3. Fasol. testans de communi 1. *part. q.* 4. *art.* 2. *dubit.* 14. *n.* 117. & alij apud Ægidium de præsentatione *tom.* 1. *de Beat. lib.* 5. *quæst.* 6. *artic.* 7. apud Meriner. *in logicâ cap.* 1. *de vniuers. disputation.* 1. *quæst.* 2. *sect.* 1. *n.* 17. & apud Fasol. *suprà n.* 113. *sub finem.* 128

Secundò alij apud Arriag. 1. *p. disp.* 42. *sect.* 1. *subs.* 1. distinctionem, seu pluralitatem virtualem in eadem re indiuisibili ponere solent, quatenus in ea plura prædicata coniuncta vident, quæ in aliis rebus inueniuntur dispersa, quibus subinde ea sola quoad talia prædicata æquiualere videtur, sic dicunt hominem virtualiter esse plura entia, hoc ipso, quod est ens substantiale vt lapis, viuens vt planta, sentiens vt brutum, intelligens vt Angelus, &c. 129

Tertiò alij ibi distinctionem virtualem reperiunt, vbi coniunctas vident virtutes siue potentias, quæ in aliis rebus sunt dispersæ ad causandos plures effectus: tunc enim vna sola causa æquiualet pluribus. Sic dicunt distingui in homine animal, & rationale, quia homo per hos duos gradus æquiualet Leoni, & Angelo in ordine ad operationes sentiendi, & ratiocinandi: ita Ægid. *supra*, & alij. Quæ quidem acceptio cum præcedente coincidit: nisi, quòd illa vniuersalior est. 130

Quarta, & celeberrima acceptio distinctionis virtualis est, quâ in ordine ad sufferenda prædicata contradictoria sine repugnantia eadem 131

res indiuisibilis dicitur æquiualere pluribus: atque atque adeo virtualiter esse plures, siue distincta in plures. Sic dicunt Theologi mox referendi distingui in Deo personalitates ab essentia, cùm quâ identificantur realiter: quia multa prædicata conueniunt essentiæ reipsa, quorum contradictoria conueniunt personalitatibus, vt sunt produci, & non produci: communicari, & non communicari: distingui, & non distingui, & similia. Quam quidem distinctionem virtualem multi ex Recentioribus vocant intrinsecam, vt eam discriminent à reliquis, quas sub nomine distinctionis virtualis extrinsecæ comprehendunt.

132 Igitur prætermissis tribus prioribus generibus distinctionis virtualis extrinsecæ, de quibus non est dubitandum, tum in Deo, tum in creaturis reperiri (quatenus tam in Deo, quàm in creaturis reperiuntur tum fundamentum distinctionis rationis plurium conceptuum, prout exponemus *quæst.* 8. tum coniunctio, siue identitas plurium prædicatorum, atque etiam plurium virtutum, seu potentiarum causandi, quæ in aliis rebus reperiuntur diuersa.) De quartò dumtaxat, & postremo distinctionis virtualis intrinsecæ est difficultas, an in Deo sit admittendum, aut etiam in creaturis?

133 Negant expresè, & impugnant huiusmodi virtualem distinctionem in Deo Granados 1. *part. Contr.* 1. *titul.* 3. *disput.* 5. *sect.* 3. Alarc. 1. *part. titul.* 1. *disput.* 4. *capite* 2. *& titul.* 3. *disput.* 4. *capite* 7. *& titul.* 5. *disput.* 2. *capite* 7. & 10. & alij. Imò Turrian. *in selectis part.* 1. *Centu.* 4. *dub.* 35. seuerius, quam par esset, arbitratur esse grauissima censura dignam sententiam, quæ talem tuetur distinctionem. Quam insuper negare videntur, quotquot vltra personarum Trinitatem solam distinctionem rationis admittunt in diuinis vt S. Th. 1. *part. quæst.* 28. *articul.* 3. Vasquez *disp.* 117. & 121. & alij. Nihilominus illam adstruunt, constanterque defendunt in Deo plures, atque graues Theologi Caiet. 1. *part. quæst.* 39. *articul.* 1. §. *ad euidentiam, &* §. *Ad secundum.* Valent. 1. *p. q.* 1. *de Trinit. punct.* 2. *sub finem & quæst.* 4. *punct.* 1. *etiam sub finem*, & *quæst.* 13. *punct.* 1. §. *Ad secundum.* Molin. 1. *part. quæst.* 28. *art.* 2. *disput.* 2. *concl.* 3. Arrub. *disput.* 100. *capite* 3. *num.* 17. Albiz *tract.* 4. *de Trinit. disput.* 3. *sec.* 9. & 10. Ægid. de Præsent.. *latissimè lib.* 5. *de Beat. quæst.* 5. *art.* 6. Heriz. 1. *part. disput.* 2. *capite* 3. *num.* 18. & *disput.* 12. *capite* 1. *num.* 4. & *disput.* 50. *capite* 2. *à n.* 23. Zuniga *disput.* 2. *de Trinit. dub.* 4. Fasol. 1. *part. quæst.* 4. *articul.* 2. *dubit.* 13. *num.* 99. Tann. *disp.* 2. *quæst.* 2. *dub.* 3. & *disput.* 4. *quæst.* 1. *dub.* 5. Petr. Hurt. *disput.* 6. *Metaph. sec.* 3. Arriaga *disp.* 5. *Logicæ sec.* 4. *subs.* 2. & latius 1. *part. tom.* 1. *disp.* 42. *sec.* 5. Ouied. *controu.* 4. *Metaph. punct.* 4. & alij Recentiores communiter. Ex quibus non desunt, qui hanc distinctionem virtualem, de qua tractamus, extendant etiam ad creaturas. Cæteris tamen plerisque contradicentibus, qui ne in Deo quidem censent esse admittendam, nisi vbi veritates fidei eam debere admitti conuincunt.

Propositio 1.

134 Id, quod nomine distinctionis virtualis æquiualentis, seu eminentialis, de quâ agimus, significari intenditur, in Deo, saluâ fide, negari non potest inter conceptus obiectiuos identificatos realiter.

Est clarum: quia, suppositâ fide, omnes tenentur confiteri, Essentiam diuinam, & Paternitatem idem esse realiter. Essentiam communicari Filio; Paternitatem verò non communicari realiter. Paternitatem distingui à Filio; essentiam verò non distingui realiter. Et consequeter prædicata alias ex se contradictoria, qualia ista sunt, realiter conuenire Paternitati, & essentiæ, quæ realiter sunt prorsus idem; Et consequenter rursus Paternitatem, & essentiam ob suam infinitudinem talis esse eminentiæ, vt cum realiter sint prorsus idem; realiter nihilominus possint sufferre sine repugnantia prædicata contradictoria, non minus, quam si realiter essent distinctæ. Quod est Paternitatem, & essentiam in ordine ad sufferenda prædicata contradictoria rebus realiter distinctis æquiualere; siue perinde se gerere ac si realiter distinguerentur. Quod ipsum est eas æquialententer, seu virtualiter esse distinctas à parte rei, cùm verè, & formaliter sint prorsus idem. Nequit igitur de primo ad vltimum, suppositâ fide, negari in Deo inter conceptus obiectiuos identificatos realiter id, quod nomine distinctionis virtualis significari intenditur.

Itaque esse in Deo Paternitatem, & essentiam 135
talis eminentiæ, vt citra realem distinctionem prædicata contradictoria valeant sine contradictione sustinere realiter, à nullo catholico negari potest. Idque ipsum, & non aliud significari intenditur, quando à præcitatis Theologis dicuntur illæ à parte rei distingui virtualiter. Ex quo patet, qui huiusmodi virtualem distinctionem negant, ab iis, qui affirmant in re discrepare non posse, sed tantùm in modo loquendi; eoque solùm posse inter ipsos controuersiam reduci: an Paternitas, & essentia ob præfatum titulum virtualiter inter se distinctæ sint dicendæ, vel secus?

Propositio 2.

Paternitas, & essentia, & vniuersim quicum- 136
que conceptus obiectiui talis in Deo sunt eminentiæ, vt cùm sint prorsus idem realiter, re ipsa nihilominus verè, & sine contradictione conueniant illis prædicata contradictoria, meritò dici possunt, & debent distingui à parte rei virtualiter.

Primò: quia, cùm huiusmodi conceptus in ordine ad munus subeundi talia prædicata sine repugnantia, æquiualeant rebus distinctis, siue perinde se gerant, ac si distincti essent verè, & formaliter, iure optimo, & magnâ cum proprietate dicuntur distingui virtualiter, iuxta doctrinam præmissam *n.* 127. sicut piper propriissimè dicitur virtualiter esse calidum: quia in ordine ad munus calefaciendi perinde se gerit, ac si esset calidum formaliter. Secundò, quia modus iste concipiendi, & explicandi per hasce æquiualentias diuina mysteria, non parum lenit eorum difficultatem, aptissimèque omnium terminos præbet expeditos ad illa more scholastico tractanda, ad eorum rationem, quantum possibile nobis est pro præsenti statu, reddendam, & ad faciliùs, ac expeditius illa ab argumentis aduersantibus propugnanda. Quod certè per solam distinctionem rationis diuinarum formalitatum præstari nequit, vti contendunt plures Theologi. Quæ omnia ex dicendis *quæst.* 7. planè apparebunt; atque ex his etiam, quæ iam subiicio, soluendo argumenta, quibus distinctio virtualis impeti potest.

Sit primum. Videri esse illam contra diuinam 137
simplicitatem, cùm sit distinctio conueniens

Deo

Deo à parte rei, & ante omnem intellectus operationem. Quocirca in eam itidem videntur contorqueri posse omnia argumenta, quæ contra distinctionem Scoticam *quæst.præced.* produximus. Respondeo tamen neutiquam id ita se habere; quoniam distinctio virtualis reuerâ,& absolutè loquendo non est distinctio,sed æquiualentia distinctionis: quo fit,vt citra omnia prorsus incommoda commoda solùm distinctionis adferat secum. Imò verò nihil re ipsa, vt dicebam, ponit in diuina substantia præter id, quod illam habere constat ex fide,esse videlicet eam talis eminentiæ,vt cùm omnino,& summè sit simplex, in ordine tamen ad susceipienda sine repugnantiâ prædicata contradictoria, perinde se habeat,ac si esset multiplex. Itaque sicut esse Deum virtualiter calidum, quòd in ordine ad calefaciendum calido æquiualet, cùm verè calidus non sit, nihil imminuit de perfectione diuinâ. Sic esse Deum virtualiter multiplicem, quòd in ordine ad prædicata contradictoria sine repugnantiâ subeundâ multiplici æquiualet, cùm verè multiplex non sit, nihil imminuit de diuinâ simplicitate. De distinctione Scoticâ longè diuersa Thologia est: nam illa reuerâ proprie, & formaliter est distinctio faciens aliud, & aliud, siue,quod vnum non sit aliud à parte rei; faciensque subinde, vt illud ens, in quo reperitur,multiplex sit saltem secundum formalitates ante omnem intellectus operationem; quare nec potest illa non aduersari simplicitati Dei,neque ab aliis exui incommodis,quæ contra eam arguentes *q.præced.* tetigimus.

138 Secundò, contra distinctionem virtualem sic potest argui. Distinctio virtualis inutilis est, & inanis ad explicanda, aut defendenda diuina mysteria. Ergo perperam in Deo adstruitur. Antecedens probatur. Primum quidem, quia nequit per illâ reddi ratio nisi nugatoriè dumtaxat, & verbo tenus: cur eidem entitati diuinæ duo contradictoria sine repugnantia conueniant. Cum enim distingui virtualiter Paternitatem, & essentiam nihil sit aliud re verâ, vt dictum; quam esse eas talis eminentiæ, vt prædicata contradictoria possint sine contradictione sufferre. Perinde erit asserere, ideò Paternitati, & essentiæ prædicata contradictoria non repugnare, quia virtualiter sunt distinctæ, atque asserere; ideo non repugnare, quia non repugnant, quæ est mera nugatio. Deinde, quia vt nos *superiùs à numer.* 102. contra Scotistas arguebamus. Nisi subiecta prædicatorum inuicem sibi contradicentium eâ ratione sint inter se distincta, qua illis talia prædicata conueniunt; non possunt hæc à contradictione, seu repugnantia denudari. Ob id namque concludebamus ibi distinctionem formalem Scoticam Paternitatis, & essentiæ cum reali ipsarum identitate compositam, nihil prodesse ad tollendam contradictionem prædicatorum, quæ illis non formaliter solùm, sed prorsus realiter conueniunt. Igitur multo minus poterit prodesse ad id muneris distinctio virtualis, quæ longè minor est, quàm formalis, imò, quæ verè, & propriè non est distinctio, sed summa identitas cum quadam distinctionis æquiualentiâ.

139 Respondeo distinctionem virtualem, etsi penitus non explanet diuina mysteria; quia illa sunt ineffabilia; nonnihil tamen lucis illis adferre, atque adeò neque inutilem, neque inanem ad ea explicanda censendam esse. Fateor equidem distinctionem virtualem Paternitatis verbi gratia, & essentiæ quasi à posteriori dumtaxat nobis innotuisse ex eo, quòd illis verè conueniant prædicata ex suo genere contradictoria, vt fide docemur. Inde enim veluti à posteriori inferimus Paternitatem, & essentiam rebus distinctis æquiualere, æquiualenterve distingui in ordine ad talia prædicata; hoc tamen semel statuto; dum quæritur; cur essentiæ, & Paternitati, cùm sint realiter prorsus idem, prædicata contradictoria sine repugnantia conueniunt? non incongruè respondetur quasi à priori. Quia licet realiter formaliter idem sint, realiter tamen virtualiter sunt distinctæ in ordine ad talia prædicata; siue talis sunt eminentiæ, vt in ordine ad illa rebus distinctis æquiualeant. Quæ quidem responsio negatoria non est, neque idem reddit per idem; sed cohærentiæ prædicatorum aliàs contradicentium respectu eiusdem entitatis Paternitatis, & essentiæ pro ratione reddit, quod illæ rebus distinctis æquiualent relatè ad talia prædicata: huius autem æquiualentiæ pro ratione reddit infinitudinem & eminentiam diuinæ substantiæ, vnde nascitur; neque vltra fit progressio à priori. Tametsi cuncta hæc rursus à posteriori innotuisse dicantur per fidem dicentem re verâ Paternitati, & essentiæ prædicata dicta competere. Quemadmodum à posteriori scimus substantiam panis, & eius quantitatem realiter inter se distingui, quia per fidem noscimus in Eucharistia separari, semel tamen tali cognitâ distinctione,si quæratur,vnde est,quod possint separari; bene à priori respondebitur, quia realiter distinguuntur, sic autem distingui, quia id fert secum earum natura. Ex quo patet ad priorem partem argumenti propositi.

Ad posteriorem dico. Tunc subiecta debere distingui eadem ratione, quâ prædicata contradictoria conueniunt illis, vt hæc inuicem sibi non con contradicant, quando subiecta alioquin ita non distincta non valent se gerere relatè ad talia prædicata, ac si tali omnino ratione distinguerentur,secus, quando valent ob suam præstantiam, & eminentiam, vti euenit in proposito. Vnde patet argumentum à nobis factum contra Scotistas *loco citato*, etsi bene contra illos intentum concludat, incassum contra nos retorqueri. Cum enim illi formali dumtaxat distinctione paternitatis, & essentiæ subnixi realem prædicatorum contradictionem eis conuenientium tentent excutere, efficaciter à nobis redarguuntur: quia contradictio prædicatorum realis per solam distinctionem formalem subiectorum non magis euitabilis est, quàm per solam distinctionem rationis, si vi distinctionis tantùm standum sit, vt ipsi stant. Nos verò cùm asseramus essentiam, & paternitatem ob suam infinitudinem, & eminentiam citra omnem veram distinctionem eodem omnino modo se gerere in ordine ad dicta prædicata contradictoria, ac si realiter essent distinctæ, tantumdem absque vllâ verâ distinctione adscribimus paternitati, & essentiæ, quo prædicatorum ipsorum contradictionem auertamus, quam si illis adscriberemus distinctionem absolutè realem. Ex quo patet prædictum argumentum factum à nobis contra Scotistas nihil præstare contra nos. 140

Tertiò argui potest. Aliqua prædicata contradictoria conueniunt paternitati, & essentiæ, quæ beneficio distinctionis virtualis non possunt à contradictione excusari. Ergo talis distinctio impertinens est etiam respectu reliquorum: quia vt hæc, tali distinctione sublatâ, verè de essentia, & paternitate dicuntur, & reliqua quoque dicentur. Prædicata autem sunt. *Esse idem* 141

cum Patre, Filio, quod verè dicitur de essentia; & *non esse idem cum Patre, & Filio*, quod verè dicitur de paternitate. Quod autem Paternitas & essentia respectu horum prædicatorum non distinguantur virtualiter, probatur: quia non se gerunt respectu eorum, ac si verè, & formaliter distinguerentur, in quo distinctio virtualis consistit, quandoquidem si verè, & formaliter Paternitas & essentia distinguerentur, essentia non esset idem cũ Patre, & Filio, vt modò est, quod est nõ se gerere nunc respectu talis prædicati, vt tunc se gereret. Respondeo essentiam, & Paternitatem dumtaxat distingui virtualiter relatè ad munus, quod alias exposceret distinctionem realem, nisi hæc per eminentiam diuinam æquiualenter suppleretur; quale dumtaxat est dimidium eiusmodi prædicatorum. Itaque dico Paternitatem, & essentiam virtualiter distingui in ordine solùm ad esse idem, & non esse idem cum secundo Filio, quæ sunt dimidia prædictorum prædicatorum; ob quam distinctionem talia prædicata Paternitati, & essentiæ conueniunt sine contradictione, vtpote, quæ ab illis dimidiis dumtaxat oriunda erat. Pariterque philosophandum est de his prædicatis. *Essentia est Trinitas. Paternitas non est Trinitas*, & de similibus. Posse autem Paternitatem, & essentiam esse distinctas virtualiter relatè ad vnum munus, & non ad alia, indubitabile est, vt apparebit ex dicendis.

142 Itaque ad multas huiusce generis difficultates, quæ exoriri possunt, sedandas, hæc regula generalis esto. Distinctionem virtualem diuinarum formalitatum tantummodò dari in ordine ad munus præcisè, quod alias exposceret distinctionem realem, nisi hæc suppleretur æquiualenter per eminentiam Dei; in ordine verò ad aliud quidpiam nequaquam. Hinc fit, vt sæpe in ordine ad syncategoremata adiuncta contradictoriis non detur distinctio virtualis, quæ datur in ordine ad contradictoria ipsa præcisè sumpta e. g. in ordine ad hæc contradictoria communicari, & non communicari distinguuntur virtualiter essentia, & Paternitas, secus in ordine ad adiunctum, quod in his reperitur, communicari infinitè, & non communicari infinitè, posito, quod talis infinitas exposcat identitatem essentiæ cum Paternitate. Quia licet Paternitas, & essentia modo se gerant, ac si distinguerentur formaliter in ordine ad communicari, & non communicari præcisè; non tamen pariter se gerunt in ordine ad communicari, & non communicari infinitè, quandoquidem si essentia distingueretur à Paternitate formaliter, non posset communicari infinitè infinitudine exposcente siue includente identitatem formalem vtriusque. In ordine quippe ad suam identitatem formalem nequeunt dictæ formalitates distingui virtualiter. Quia id esset distingui virtualiter in ordine ad se, siue in ordine ad essendum quod sunt. Quod prorsus est impossibile iuxta dicenda *postmodum*. Pariterque in similibus casibus Theologizandum est.

143 Ex quibus infertur, prædictas formalitates Dei sæpe non distingui virtualiter in ordine ad prædicata contradictoria complexa, quæ de ipsis verificantur: tametsi semper sic distinguantur in ordine ad eas ipsorum partes præcisè vnde ipsis prouenit contradictoria oppositio & quæ aliàs formalem exposcerent distinctionem subiectorum, nisi hæc suppleretur æquiualenter per eminentiam Dei.

144 Quartò, & vrgentius potest obiici. Distinctio virtualis, quæ adstruitur inter Paternitatem, & essentiam ex vnâ parte independenter à nostro modo concipiendi conuenit entitati Patris à parte rei, alias non reale quid esset, vti supponimus, sed figmentum rationis: ex aliâ parte non est distinctio faciens in ipsa entitate Patris aliud, & aliud à parte rei. Sic enim potius esset formalis, quam virtualis, neque ab Scoticâ differret; sed est prædicatum illud, ratione cuius tota indiuisibilis entitas Patris, prout in se est independenter à nostris conceptibus, ita se gerit in ordine ad prædicata contradictoria, ac si non esset vna, sed duplex. Ob id Hurt. *supra* §. 143. dixit distinctionem virtualem in Deo pluralitate conceptuum obiectiuorum non indigere, sed in eadem omnino obiectiua formalitate inueniri. Igitur quocumque modo nos concipiamus, & nominemus entitatem Patris, poterimus de illâ verè affirmare prædicata contradictoria, quæ de essentia & Paternitate verè affirmantur. Consequentia est bona: quia si talia prædicata re ipsâ, & secluso quouis respectu ad nostrum modum concipiendi conueniunt entitati indiuisibili Patris, quòd ea virtualiter duplex est; nihil ad eorum verificationem referre potest, quod nos eiusmodi entitatem sic, vel aliter concipiamus, aut nominemus. Quàm autem absurdum sit consequens inde manifestè conspicitur. Quod hæ duæ propositiones omnino essent veræ. *Pater distinguitur à Filio. Pater non distinguitur à Filio* non minus, quàm hæ. *Pater distinguitur à Filio. Essentia Patris non distinguitur à Filio* quandoquidem in vtrisque eadem realitas Patris ponitur ex parte subiecti licet diuerso modo significata; cùm tamen secunda illarum priorum hæretica sit.

Respondeo entitatem Patris realiter indiuisibilem non vtcumque se gerere vt duplicem relatè ad prædicata contradictoria, sed vt duplicem, siue duas, quarum altera essentia, & altera Paternitas est. Quo fit, vt conceptus essentiæ, & conceptus Paternitatis realiter in tali entitate identificati æquialenter sint distincti in ordine ad talia prædicata, ita, quòd alterum prædicatorum alteri conceptui dumtaxat, & alterum alteri conueniat; quanquam enim dicti conceptus à parte rei non sint alter, & alter formaliter, æquiualenter sunt alter, & alter in ordine ad suscipienda ea prædicata diuisim; id enim ipsum est distingui virtualiter Paternitatem, & essentiam in ordine ad talia prædicata, quod alterum eorum prædicatorum soli Paternitati, aut Patri ratione solius Paternitatis, & alterum soli essentiæ possint conuenire; de factoque conueniant realiter æquè, ac si essentia, & Paternitas realiter formaliter essent distinctæ. Quod, cùm ita sit, iam facile apparet primò eiusmodi prædicata contradictoria non posse indiscriminatim affirmari de tota Patris entitate vtcumque conceptæ, & significatæ; sed alterum de conceptu obiectiuo essentiæ, alterum de conceptu obiectiuo Paternitatis, seu Patris affirmari debere. Quo cessat absurdum per argumentum illatum. Secundò absque præcisione obiectiuâ formalitatum, nequaquam posse nos pro hoc statu intelligere, aut explicare, imò nec credere distinctè veritates, quas fides docet circa mysterium Trinitatis: nequimus enim nos non distinguere per rationem formaliter eos conceptus, qui à parte rei distinguuntur æquiualenter ad attribuendum illis per iudicium ea prædicata diuisim; quæ ipsis diuisim conueniunt ob suam, quam habent re verâ non formalem, sed æquialentem distinctionem. Id, quod contra Hurt. & alios vberius est demonstrandum *infrà q.* 9. Vnde tandem contra Hurt. ipsum apparet distinctionem virtualem, de quâ tractamus, in eâdem Dei obiectiuâ formalitate neutiquam posse reperiri. 145

Quintò

146 Quintò obiicitur. Si Paternitas, & essentia diuina distinguuntur virtualiter. Ergo Pater virtualiter est ex illis compositus. Ergo virtualiter est non Deus. Ergo virtualiter est chymera, ergo ita se gerit, ac si formaliter esset chymera: ergo non existit formaliter, vti non existeret, si formaliter esset chymera. Quę omnia valde absurda sunt. Respondeo Paternitatem, & essentiam tantùm distingui virtualiter in ordine ad prædicata, non verò item absolutè, seu in ordine ad se. Atque ita Patrem in ordine tantùm ad talia prædicata esse quasi compositum virtualiter, in tamen ad se minimè. Vnde non sequitur esse eum virtualiter non Deum, aut chymeram, & cessant alia absurda.

147 Instabis. Nequeunt Paternitas, & essentia virtualiter esse distinctæ in ordine ad prædicata contradictoria, quin habeant in se talem distinctionem; repugnat enim conuenire aliquid alicui relatè ad aliud quidpiam, & non habere id absolutè tale quid in se: ergo si virtualiter distinguuntur relatè ad prædicata dicta, virtualiter sunt etiam distinctæ in se, siue relatè ad proprium esse: ergo perinde se gerunt in suo esse, ac si distinguerentur formaliter à parte rei, & redeunt omnia illata absurda. Quia quemadmodum casu, quòd distinguerentur formaliter, verissimè diceretur Paternitatem non esse à parte rei essentiam, neque essentiam Paternitatem, ita modo titulo distinctionis virtualis id ipsum posset dici æquè verè, contra veram fidem. Paterque subinde etiam dicetur verè, & formaliter compositus, atque adeo non Deus; sed chymera. Confirmatur: quia impossibile est, vt aliqua extrema distinguantur formaliter in ordine ad aliquod munus, & non distinguantur formaliter in ordine ad se. Ergo etiam est impossibile, vt distinguantur virtualiter in ordine ad aliquod munus, & non distinguantur virtualiter in ordine ad se. Sequunturque iterum absurda commemorata.

148 Respondeo negando paternitatem, & essentiam eo ipso, quòd distinguantur virtualiter in ordine ad prædicata contradictoria, debere distingui virtualiter in ordine ad se, siue in ordine ad proprium esse. Tametsi non possint non habere in se talem distinctionem relatè ad talia prædicata, quod est valdè diuersum. Neque enim Paternitas, & essentia in ordine ad essendum, quod sunt comparatæ inter se præcisè, vllà indigent distinctione, sicut indigent ad suscipienda sine repugnantia prædicata contradictoria; quin imo in ordine ad essendum, quod sunt, illis repugnat omnis distinctio adhuc virtualis, vt argumentum factum ostendit; qua semel sublata, absurda per illud illata cessant. Ad confirmationem respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam: quia, quod semel est formaliter tale, imprimis est tale comparatione sui, siue in ordine ad essendum, quod est; quoniam id ipsum est illud esse formaliter tale. Vnde nequit esse formaliter tale in ordine ad aliquod munus, quin sit etiam tale in ordine ad se, vt patet in calore formali, qui non potest esse calor formalis in ordine ad calefaciendum, quin sit in ordine ad essendum, quod est. Ast, quod solùm æquialenter est tale, non opus est, quod tale sit comparatione sui, etsi sit tale comparatione alicuius muneris. quia non opus est, quod in ordine ad essendum, quod est, æquiualeat ei, cui æquialet relatè ad tale munus, imò id repugnat, vt patet in pipere, quod in ordine ad calefaciendum calori æquialet: cui tamen in ordine ad essendum, quod est, nequit æquialere. Liquet igitur, quæ virtualiter solùm distincta sunt in ordine ad aliquod aliud munus, in ordine ad proprium esse nec debere, nec posse virtualiter distincta esse. Tametsi, quæ formaliter distinguuntur in ordine ad aliquod munus, nequeant non etiam esse distincta formaliter in ordine ad se.

149 Sextò obiici potest. Sicut sunt prædicata contradictoria distingui formaliter à Filiatione, non distingui formaliter à Filiatione, quorum primum re ipsa conuenit Paternitati; secundum verò essentiæ, ita sunt prædicata contradictoria, distingui virtualiter ab essentia, non distingui virtualiter ab essentiâ, quorum primum Paternitati, secundum verò essentiæ debet conuenire reipsâ, si talis distinctio virtualis reperitur in Deo. Ergo eâ semel admissâ, alia necessariò in ordine ad illam est admittenda; & in ordine ad hanc tertia, & sic in infinitum; quod videtur absurdum. Respondeo distinctionem virtualem, quæ nihil est aliud, quàm valor distinctionis in re indistinctâ pro se simul, & pro prædicatis, in ordine ad quæ datur, valere, quin opus sit aliâ distinctione virtuali, quasi reflexa: quia cùm Paternitas in ordine ad hoc, quod est distingui à Filiatione, in se ipsâ habeat valorem rei distinctæ ab essentiâ, nequit non etiam habere talem valorem in ordine ad valorem ipsum habendum, quod est distinctionem virtualem imprimis pro seipsâ seruire, vt, quo pacto de Paternitate verè affirmatur, verè de essentiâ negari possit, & vice versâ.

150 Septimò denique opponitur. Maior est oppositio reperta inter duo contradictoria, quàm reperta inter principium, & principiatum. Sed hæc absque distinctione reali, verâ, & formali constare nequit. Ergo neque illa. Vel si primâ cum solâ distinctione virtuali componi potest; potiori iure poterit componi secunda; nulliusque subinde momenti erit argumentum, quo PP. realem personarum distinctionem in Deo ex earum oppositione producentis, & producti deducunt. Si enim sola distinctio virtualis Paternitatis, & essentiæ est sufficiens, vt realiter essentia communicetur Filio, & non communicetur Paternitas; cur non sufficiet sola distinctio virtualis Patris, & Filij, vt realiter Pater Filium producat, & Filius producatur à Patre? Respondeo oppositionem repertam inter duo contradictoria reipsâ formalia, qualia dumtaxat sunt existere, & non existere esse quidem maiorem, aut certè non minorem oppositione repertâ inter principium, & principiatum, atque adeo illam non minus, quàm hanc secum ferre distinctionem extremorum realem formalem. Oppositionem verò repertam inter contradictoria reipsâ tantum fundamentalia, formaliaque solùm iuxta modum intelligendi nostrum minorem esse in vniuersum oppositione principij, & principiati, atque ita licet in creatis absque distinctione reali formali extremorum oppositorum nequeant constare; in diuinis tamen cum solâ distinctione virtuali posse componi. Talis autem est contradictoria oppositio, quam habent prædicata, quæ in Deo de essentia, & personalitatibus verificantur: vtpote, quæ reipsâ, & apud videntes intuitiuè omnia sunt positiua, atque adeo fundamentaliter solum contradictoria, iuxta vniuersalem doctrinam de huiusmodi contradictoriis tradendam *suo loco*.

Mitto alia leuiora, quæ contra distinctionem virtualem congerit Alarcon *locis citatis*; quia satis, superque diluta manent per doctrinam traditam, quæ ampliorem adhuc lucem accipiet ex dicendis *suis locis* circa distinctionem, & contingentiam virtualem actuum Dei liberorum. Quorum mysterium

rium non minus intellectu difficile, quàm Trinitatis mysterium est, vt *ibi* videbimus.

151 Post hæc scripta in longissimam disputationem incidi P Ioan.de Quiros,quæ est 15.t.1. *suarum disputationum selectarum de Deo.* Vbi multis labefactare conatur distinctionem virtualem, de qua hic tractamus,contendens probare, de formalitatibus diuinis immediatè identificatis realiter nullatenus verificari posse absque repugnantia prædicata realiter contradictoria. Vt autem hæc absque repugnantia verificentur de illis,quę simul cum identitate immediata mediatam distinctionem realem habent in tertio, huiusmodi distinctionem in tertio sufficere. Atque in vtrisque distinctionem virtualem,de qua tractamus, inutilem esse,& consequenter impossibilem. Eas autem formalitates diuinas appellat distinctas in tertio mediate & realiter,quarum prima ita est cum secunda realiter identificata, vt sit realiter distincta à tertia, cum qua est identificata secunda, vti Paternitas ita est cum essentia identitificata, vt sit realiter distincta à Filiatione, cum qua est identificata ipsa essentia.

152 Verum enim verò vtrum aliquæ formalitates diuinæ realiter identificatæ prædicata contradictoria possint sine repugnantia sufferre,independenter à prædicta distinctione reali in tertio; & consequenter in ordine ad talia prædicata distinctionem virtualem habere; *in propriis Tractatibus de Deo* examinandum est. Tales enim esse videntur formalitates intellectus, & voluntatis, quatenus prima præ secunda reipsa in productionem Verbi videtur influere, secunda vero præ prima in productionem Spiritus Sancti. De quo *in Tract. de Trinitate.* Tales formalitates intellectionis contingentis, & necessariæ; quatenus prima reipsa est potens non denominare Deum intelligentem,secus secunda. De quo *in Tract.de scientia Dei.* Tales formalitates intellectionis,& volitionis; quatenus prima in secundam aliquo reali modo videtur influere,secus è contra. De quo *in Tract. de voluntate Dei.* & cæteræ huiusmodi. Aliena quippe sunt examina ista ab hac quæstione. In qua solum inquiritur an,sint dicendæ distinctæ inter se virtualiter ille formalitates realiter identificatæ, de quibus aliunde constat sufferre sine repugnantia prædicata contradictoria. Quales citra omne dubium sunt formalitates essentiæ, & cuiusuis Personalitatis diuinæ, vt fatetur ipse Quiros; neque vllus Catholicus negare potest. Quæ quidem quæstio potius est de modo loquendi, quam de ipsa re, vt dicebam *propos.* 1. Quo circa Auctor iste extra propria loca, atque adeo citra propria principia contendit probare formalitates prioris generis prædicata contradictoria nequaquam sufferre: quo semel posito, indubitatum est, illas in ordine ad talia prædicata virtualiter non distingui. De formalitatibus vero posterioris generis incassum, inconsequenterque conatur suadere, virtualiter non distingui in ordine ad prædicata contradictoria, quæ reipsa suscipiunt, & quorum suscipiendorum subinde capaces sunt. Quandoquidem ipse definit distinctionem virtualem esse capacitatem suscipiendi prædicata contradictoria: fateturque, neque negare potest, dictas formalitates talem capacitatem habere. Ex quo fit malè etiam ipsum,nec satis consequenter contendere, sufficere in dictis formalitatibus ad suscipienda prædicata contradictoria sine repugnantia realem distinctionem mediatam, quam(phrasi eius) in tertio habere dicuntur. Quandoquidem ad realem ipsam earum mediatam distinctionem in tertio ipsa immediata virtualis earumdem omnino necessaria est. Si namque prima & secũda formalitas non essent virtualiter duæ, siue inter se distinctæ, non posset prima realiter distingui à tertia,à qua secunda realiter distincta non est. Nimirum, si Paternitas & essentia non essent virtualiter distinctæ inter se, non posset Paternitas realiter a Filiatione distingui, à quâ realiter Essentia distincta non est. Stet itaque formalitates diuinas suscipientes prædicata contradictoria, quæcumque illæ sint, virtualiter distinctas in ordine ad eas suscipiendas dicendas esse. Quidquid nouissimè *loco citato* contendat Quiros in oppositum.

Propositio 3.

Distinctio virtualis in ordine ad suscipienda præ- 153
dicata contradictoria nullatenus in creatis est admittenda;quin imò ab illâ prorsus,veluti à peste,ac pernicie totius Philosophiæ abhorrendum est.

Ita sentiunt Hurtado, Arriaga, Ouiedo, & alij plerique *suprà* relati, qui nobilcum huiusmodi distinctionem admittunt in diuinis. Admittitur enim in diuinis,quòd ad id compellunt mysteria fidei, in cuius obsequium captiuandus est intellectus; eam tamen in creatis etiam admittere erit humanis diuina confundere, & velle creata per diuina metiri. Imò abstrusiora mysteria creaturis tribuere, quam fides attribuit Creatori; semel enim eâ distinctione admissâ in creatis:possibilia citra dubium erunt plura mysteria Trinitatis, atque etiam quaternitatis & amplius. Poterit eadem indiuisibilis entitas secundum diuersas formalitates distinctas virtualiter produci simul, & non produci; vniri, & non vniri: esse in tali loco, aut subiecto, & non esse in eodem loco, aut subiecto; & alia sexcenta huiusmodi, quæ manifestè sunt chymerica.

Deinde si vnaquæque creatura titulo virtualis distinctionis duplex contradictorium absque repugnantiâ potest admittere, quid supereſt in Philosophiâ firmum? quid prosunt præcepta Logicæ? Quid commodi secum fert syllogizandi methodus? Cuncta profectò cassa fiunt, totaque subinde vis naturalis rationis penitus eneruatur ad philosophandum in creatis, vt perpendenti singula notum fiet.

Præterea eodem iure, quo in creatis adstruitur 154
distinctio virtualis, quoduis ens, aut non ens virtuale, quod non sit tale formaliter adstrui poterit. Quo fiet, vt nullum habeamus argumentum ad probandas veras rerum essentias, & existentias, aut earum negationes. Poterit enim vnusquisque si velit omnem propositionem quantumuis euidentem negare, dicens id, quod affirmatur esse, aut non esse, verè, & formaliter non ita se habere, sed virtualiter dumtaxat, quia in ordine ad nostram perspicuam, & euidentem cognitionem perinde se gerit, ac si formaliter esset tale, quale iudicatur. Poterit insuper omnem distinctionem, & identitatem formalem è medio tollere dicendo esse vniuersales dumtaxat, quatenùs id ipsum præstant, quod præstarent formales. Idemque de potentiis rerum causatiuis, ac denique de omnibus fore entibus, & negationibus impunè poterit affirmare, quin possit de falsitate aliquo argumento conuinci. Quæ, quam absurda sint, nemo non videt.

Denique semel admissis in creatis huiusmodi 155
virtualitatibus, vbicumque ponitur distinctio virtualis in ordine ad prædicata contradictoria simul cum identitate formali, potius deberet è conuerso poni

poni distinctio formalis cum identitate virtuali, stando enim in ratione naturali nihil potest vrgentius cogere ad adstruendam identitatem formalem, quam cogit necessitas vitandi contradictionem ad adstruendam distinctionem formalem. Igitur, qui ponit distinctionem virtualem inter gradus rerum metaphysicos, vt inter animal, & rationale, & similes prætextu vitandi contradictionem prædicatorum, quæ de eis dicuntur, potiore iure posset imò, & deberet dicere tales gradus verè, & formaliter distingui, quia admittunt prædicata contradictoria, & ad argumenta, quæ probant eorum identitatem, respondere esse virtualiter idem, quia se gerunt ac si idem essent. Quod quidem non solùm absurdum, sed prorsus inauditum est.

156 Stet igitur distinctionem virtualem in ordine ad componenda cum eodem subiecto reali prædicata contradictoria, eamdem ferre secum difficultatem, quam mysteria diuina, vt constat ex dictis *propos.* 1. atque adeo solius entis infiniti per essentiam, qualis Deus est, propriam esse; neque in aliquo ente creato vllomodo inueniri posse. Etenim statuto semel, id, quod nefas esset negare, multa conuenire Deo prædicata ob infinitam suæ naturæ celsitudinem, quæ omnino repugnat in creaturis reperiri; a fortiori fatendum est distinctionem virtualem, de qua tractamus, ex genere eorum prædicatorum esse, maximè cùm eius possibilitas adeò à ratione naturali remota sit, vt sola fides mysteriorum Dei, vbi illam cogimur admittere, in eius potuerit nos persuasionem inducere. Adde non solùm esse inertiam animi, sed pessimum philosophandi genus à diuinis ad creata arguere, velleque finitum mensurari infinito: atque ita creatutam creatori non sine ipsius irreuerentia quodammodo æquare. Præterquam, quod difficultates; pro quibus distinctio virtualis in creatis intruditur, suas habent planiores vias, per quas expediantur, vt bona ex parte videbimus in hâc disputatione.

157 Ex his infertur ne respectu quidem prædicatorum intentionalium sibi contradicentium dari posse in rebus creatis distinctionē virtualem. In quo Recentiores quidam, quos suppresso nomine refert Ouiedo *suprà* § 4. hallucinati sunt, censentes in ordine ad contradictoria intentionalia, vt sunt cognosci, & non cognosci, distinctionem virtualem esse, & necessariam ad hoc vt intellectus præscindat ex parte obiecti formalitates. Tametsi omnino sit impossibilis in ordine ad contradictoria physica, vt sunt produci, & non produci, vniri & non vniri, esse, & non esse in tali loco &c. Perperam tamen: primò, quia, quæ diximus circa præsentem propositionem omnem omnino distinctionem virtualem in ordine ad prædicata contradictoria relegant à creaturis. Secundò, quia si cognosci vnam formalitatem, & non cognosci aliam identificatam cum illa, non sunt ex se prædicata contradictoria, seclusâ distinctione virtuali talium formalitatum, superfluè omnino adstruitur hæc ad eorum impediendam contradictionem. Si autem sunt, æquè erunt talia, atque vniri vnam earumdem formalitatum, & non vniri aliam, quia contradictio ex suo conceptu non suscipit magis & minus; sed omnia contradictoria æque inter se sunt contradictoria: ergo vel in vtroque casu est possibilis distinctio virtualis in ordine ad impediendam contradictionem talium prædicatorum, vel prorsus in neutro. Tertio, quia cognosci aliquid simul, & non cognosci æquè omnino repugnat ex se, atque vniri simul & non vniri; sicut æquè repugnat existere simul, & non existere cognitionem alicuius, atque existere simul, & non existere eius vnionem. Quod enim illud extrinsecè per cognitionem, & intrinsecè per vnionem tangatur. Tum, quod per cognitionem possit attingi, dum non existit: per vnionem non item, impertinenter omnino se habent ad rem, quandoquidem si illud simul cognosceretur, & non cognosceretur; simul existeret, & non existeret eius cognitio; aut simul ea esset, & non esset cognitio illius, quæ sunt prædicata intrinsecè sibi contradicentia ex parte cognitionis, æquè ac essent ex parte vnionis, si simul illud ipsum vniretur, & non vniretur. Igitur, vel in ordine ad vtraque prædicata contradictoria, physica scilicet, & intentionalia; vel omnino in ordine ad neutra est asserenda possibilis distinctio virtualis in creaturis, vt nos statuimus. Perperamque huiusmodi prædicata discriminantur ad propositum, præsertim cùm ea, quæ intentionalia appellantur, considerata in se ipsis æquè ac alia sint physica, siue existentia physicè à parte rei Qua autem ratione vna formalitas à nobis ex parte obiecti possit præscindi ab alia citra virtualem distinctionem ipsarum, inferius *q.* 9. explicandum est.

Propositio 4.

Distinctio virtualis in ordine ad susceipienda præ- 158
dicata contradictoria, ne in Deo quidem est admittenda, nisi vbi fides compellit illam admittere: eo quòd vexitas aliqua aut reuelata, aut ex reuelatis sequuta absque tali distinctione constare non potest.

Consentiunt etiam in hanc propositionem plerique ex Doctoribus pro nostra sententiâ citatis. Et meritò, quia conceptus adeo difficilis, vt sit necessarium captiuare, ac veluti cogere intellectum ad eius possibilitatem capiendam, nequapuam est vel ipsi Deo tribuendus, nisi compellente fide proximè, vel remotè. De Deo quippe seclusâ fide secundum principia naturalia, & intra eorum metas theologizandum est, à quibus profectò longè abesset distinctio virtualis, de quâ tractamus, nisi eam fides diuinorum mysteriorum introduxisset, vtpote, quæ quodammodo limitat, & coarctat, seu potius transcendit ipsa naturalia principia, vt patet ex dictis, & amplius patebit ex dicendis *q. seq.*

Hinc sequitur, quoties formalitates diuinæ nul- 159
latenus aliquod munus obire valent fine distinctione virtuali; nisi proximè, vel remotè suadeat fides, eis tale munus conuenire, potius esse illis munus ipsum negandum, quam distinctionem virtualem relatè ad ipsum attribuendam, idque etiam si illæ citra dubium relatè ad aliud munus virtualiter distinctæ sint, e. g. si repugnat videri essentiam intuitiuè, non visâ per eumdem actum Paternitate, nisi paternitas, & essentia in ordine ad talem visionem virtualiter distinguantur: & aliàs ex fide non constet alteram sine alterâ intuitiuè videri posse (De quo *suo loco*) potius est neganda hæc potentia, quàm adstruenda illa distinctio, quantumuis Paternitas, & essentia in ordine ad alia prædicata diuina sint virtualiter distinctæ; & in similibus pariter.

Porro. Posse diuinas formalitates esse virtualiter 160
distinctas in ordine ad vnum munus, & non in ordine ad aliud, præterquam, quod satis ex dictis constat, probari potest à priori: quia nihil vetat æquialere vnum alteri in aliquo solùm, & non in reliquis, quæ illud habet. Piper namque æquialet calori in virtute productiua alterius caloris, & non

in

in virtute dispositiuâ ad formam ignis. Ergo bene poterunt formalitates diuinæ æquiualere rebus distinctis in ordine ad vnum munus, & non in ordine ad alia, quæ res distinctæ in quantum distinctæ præstare valent.

161 Imò indidem est ad extremum colligendum contra plerosque Recentiores distinctionem virtualem, aliasque huiusmodi virtualitates, seu æquiualentias, nullatenus debere attribui, vti ipsi passim attribuunt, formalitatibus diuinis absolutè, & simpliciter (quasi eis conueniant in ordine ad totum, quod sunt) sed respectiuè tantùm ad aliquod speciale munus. Aliàs multa absurda sequentur, vt ex dictis in hac quæstione colligere est, ex *alibique* dicendis amplius constabit. Ratio à priori, quia nullum ens alteri enti à se diuersò potest æquiualere in ordine ad totum, quod ipsum est, alioquin non esset ab illo diuersum, vt ponitur; si enim piper e. g. in ordine ad totum, quod ipsum est, æquiualeret calori, perinde ac calor, se haberet quoad totum suum esse, atque adeo iam non piper, vt ponitur, esset, sed calor, habere se enim aliquid, quoad totum suum esse, vt calorem, & esse calorem, in idem recidit.

QVÆSTIO VII.

Quomodo dissoluenda sunt argumenta, quæ contra identitatem diuinarum formalitatum, tum ab aliis, tum maximè ab Scotistis opponi solent?

162 AGendum imprimis de formalitatibus diuinis, atque adeo de Attributis Dei tum communibus tam inter se, quàm cum essentia comparatis, tum personalibus collatis cum essentia ipsâ, & communibus. De eorumque identitate excludente non solùm distinctionem absolutè realem, iuxta doctrinam stabilitam *q.* 4. sed etiam distinctionem formalem ex natura rei, iuxta doctrinam contra Scotistas statutam *q.* 5.

163 Primum autem argumentum eiusmodi identitati aduersum ex illo desumitur axiomate celeberrimo. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Cuius meminit Arist. *lib.* 7. *Topic. cap.* 1. *loco* 5. vt *supra q.* 3. *proposit.* 2. commemorauimus. Si enim relationes, seu personalitates diuinæ cum vnâ Dei essentiâ sunt idem, & inter se quoque debent esse idem, iuxta dictum axioma. At constat ex fide esse inter se distinctas. Ergo & ab ipsâ essentiâ distinctæ sunt. Aut axioma alioquin euidens, falsum est. Totaque forma syllogistica fundata in illo funditus corruit; totaque vis rationis humanæ penitus eneruatur.

164 Hoc argumentum non parum negotij facessit cunctis Theologis. Neque vna omnium circa solutionem eius sententia est. Etenim prætermissis illis, qui vt hanc difficultatem euaderent, minus catholicè de diuinâ Trinitate sentientes, realem aliquam distinctionem commenti sunt inter personas, & essentiam, tollentes ab eis subinde, realem identitatem, quam habent, contra quos egimus *q.* 4. Prætermissis etiam Scotistis, qui cum reali identitate distinctionem formalem ex naturâ rei inter personas & essentiam componere satagunt, quorum doctrinam latè, & efficaciter confutauimus *q.* 5. Et reliquis quidam dicunt prædictum axioma vniuersaliter esse verum in conceptibus absolutis. Cum quo stat conceptus inuicem relatiuos, quales sunt personalitates diuinæ, posse inter se distinctos esse, etsi sint idem vni tertio. Pro hoc modo dicendi affert P. Ruiz *tom. de Trinit. disput.* 15. *sec.* 3. Boethium, Athanasium, Cyrillum, & alios Patres. Cæterùm cùm distinctio mutua relatiuorum, quæ sint eadem vni tertio, nullibi reperiri valeat præterquam in Deo ob summam eius infinitudinem. (Alioquin plurima Trinitatis mysteria essent possibilia in creatis, quod sine absurdo ingenti dici non potest.) perinde est, ita explicare axioma, ac dicere illud in solis creaturis, non item in Deo locum habere.

Alij dicunt præfatum axioma vniuersaliter esse 165
verum, in iis, quæ sunt eadem adæquatè vni tertio, seu, quod in idem recidit, in iis, quæ sunt eadem vni tertio incommunicabili, siue, quod ita est vnum, vt non sit etiam plura. Sic Moli. 1. *part. quæst.* 28. *artic.* 3. *disput.* 2. Val *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 4. Bellarm. *lib.* 1. *de Christo cap.* 18. Gran. *contro.* 5. *de Trinit. tit.* 3. *disput.* 3. *sec.* 3. & alij. Verùm hæ distinctiones nugatorium potius videntur reddere axioma, quàm illud ad rem expedire. Nam esse aliqua eadem vni tertio adæquatè nihil aliud in præsenti sonare potest, quàm, quòd omnia identificata cum tertio, sint etiam identificata cum singulis, quod est esse illa eadem inter se; & esse tertium incommunicabile, aut ita vnum, vt non sit plura, idem est, ac non esse illud identificatum cum pluribus inter se distinctis. Perinde ergo erit asserere. Quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, siue, sunt eadem vni tertio incommunicabili, aut omnimodis vni, sunt eadem inter se: atque asserere, quæ sunt eadem vni tertio, & inter se non sunt distincta, sunt eadem inter se; quæ est clara nugatio.

Alij idem axioma sic explicant, vt sensus sit, quæ 166
sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se *secundum id, secundum quod idem sunt*, quo sensu censent etiam in Deo illud locum habere. Pro hac explicatione Soar. *lib. de Trinit. cap.* 3. & Ruiz *supra num.* 17. citant S. Th. S. Bonau. Capreol. Caiet. Ferrar. & alios, sed certè si in eo sensu dumtaxat esset axioma verum, nulla non possent esse inter se distincta etiam in creatis, quantumuis identificata cum tertio, quia semper quantumuis distincta essent idem secundum id, quod commune habèrent in ipso tertio, vti euenit in personis diuinis. Tum explicatio ista inutile reddit axioma, vt ex illo possit inferri absoluta identitas eorum, quæ identificantur cum tertio, qualis citra omne dubium ab omnibus in creatis infertur.

S. Th. 1. *part. quæst.* 28. *artic.* 3. *ad* 1. & cum eo 167
Thomistæ communiter dumtaxat censent tenere dictum principium in iis, quæ re simul, & ratione sunt eadem vni tertio, nonverò in iis, quæ ratione differunt, vti personalitates diuinæ differunt ab essentia, quia nimirum, vt exponit Gran. *supra*, solùm est euidens identificari inter se, quæ ita sunt eadem vni tertio, vt ne ratione quidem habente in re fundamentum distinguantur ab illo. Sed primum ego non capio, quid ad rem distinctio, aut identitas rationis à solo intellectu nostro dependens, quando sermo est de identitate reali plurium cum tertio; quanquam enim nos non possimus apprehendere inter se distincta, nisi, quæ à tertio pariter distincta apprehendimus. At nostræ apprehensiones, quid conferunt, vt realiter inter se distinguantur, quæ realiter à tertio distincta non sunt? Certè etiam cùm iudicamus esse eadem inter se, quæ sunt eadem vni tertio, apprehendimus, illa

tum

tum inter se, tum ab ipso tertio distincta. Nihil ergo nostræ rationis distinctiones realibus rerum identitatibus præiudicare valent. Deinde, si quæ ratione distinguuntur à tertio, eo ipso possunt realiter inter se distingui, quantumuis ab ipso tertio realiter distincta non sint, nihil ex dicto principio adhuc in creatis firmum habebimus. Sed tuto mysteria Trinitatis passim in creaturis confingere integrum erit, quandoquidem passim distinguuntur à tertio ratione nostra, quæ realiter ab illo distincta non sunt. Quod tamen, quis non censeat absurdum?

168 Propterea Soar. *lib. 4 citato de Trinit. cap. 3. n. 7.* Vasquez *1. p. disp. 123. cap. 2. n. 9.* Valent. *q. 2. pun. 4.* Albertin. *tom. 1. Princip. 7. corol. 1. num. 6.* Tann. *disp. 4. q. 1. dub. 4. n. 19.* Ruiz *disp. 15. citata de Trin. sec. 2. n. 6.* & alij graues Theologi ingenuè fatenter axioma, de quo tractamus, vniuersaliter non esse verum, quia in diuina Trinitate ob summam eius infinitudinem locum non habet, tametsi in rebus creatis falsum esse non possit. Cæterùm quanquam hoc ita sit re vera, quia tamen, quæ de Trinitate diuinâ fides nos docet, non solùm huic axiomati videntur aduersari, sed etiam illi forsam euidentiori, cuius meminimus *disp. 9. q. 5. propos. 1. Idem simul esse, & non esse impossibile est*, quatenus in Deo de eadem entitate reali prædicata contradictoria verificantur, vt sunt distingui, & non distingui; producere & non producere; produci, & non produci; & similia. Pater enim distinguitur à Filio, & illum producit: cùm tamen essentia, quæ est eadem entitas cum Patre, neque distinguatur à Filio, neque illum producat. Filius etiam producitur à Patre, à quo non producitur essentia, quæ est eadem entitas cum Filio. Ideirco vt huiusmodi axiomata etiam in Deo firma consistant, & nos de Deo ipso digniùs loquamur, dicendum arbitror cum Arriaga *tom. 1. in 1. p. disp. 43. sec. 3.* & aliis *q. præced. n. 133*, relatis, vera esse illa vniuersaliter vbicumque simul cum identitate reali ac formali extremorum distinctio aliqua virtualis, eminentialis, seu æquiualens non interuenerit, qualis inter aliquas formalitates diuinas absque vllo prorsus summæ identitatis dispendio dicenda est interuenire, vt monstrauimus *in dictâ quæstione*. Itaque quæ sunt eadem vni tertio, adeo vt ne virtualiter quidem distinguantur ab illo ea non possunt non esse eadem inter se etiam in Deo. Quæ verò ita sunt eadem vni tertio realiter formaliter, vt virtualiter ab illo distincta sint, nihil vetat, quod distinguantur inter se realiter formaliter. Similiter duo prædicata contradictoria de eodem subiecto ita indiuiduo, vt ne virtualiter quidem multiplex sit, nullatenus verificari possunt, adhuc in Deo; quando verò subiectum ita realiter formaliter vnum, & idem est, vt virtualiter sit duplex, bene potest prædicata contradictoria cum infallibili veritate sufferre. Et quoniam huiusceemodi virtualis distinctio nullum omnino locum habet in creaturis, imò ne in Deo quidem, nisi vbi mysteria fidei cogunt ad eam ponendam, vt ibidem ostensum est, ideo axiomata supradicta, sicut & cætera quæq; similia totius Metaphysicæ præterquâ in pauciſſimis casibus, vbi intrá Deum dictæ distinctionis virtualis moderationem patiuntur, simpliciter, & absolutè, & absque vllâ explicatione sunt retinenda vt prorsus certa. Vnde liquet ad argumentum factum *n. 163.* quomodo sine præiudicio axiomatis, in quo illud nititur, possint beneficio distinctionis æquiualentis, seu virtualis personalitates diuinæ esse inter se distinctæ realiter, quantumuis cum vnicâ sint identificatæ.

Circa illud verò, quod in argumento supponitur. 169
Fundari scilicet in illo principio. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, formam syllogisticam artis syllogismorum communis, quæ in Logicâ Arist. circunfertur, sua etiam inter Auctores est controuersia. Fundari quidem affirmant Aureol. *in 1. dist. 2. par. 3. tit. 3.* Scot. *ibidem q. 4. §. Ad primum.* Arriaga *in summulis, & 1. p. disp. 43. citata sec. 1. & 2.* Ouiedo *in summulis contr. 4. punct. 1.* & alij Recentiores. Negant tamen Caiet. *1. p. q. 28. art. 3.* Molin. *ibidem disp. 3.* Vasquez *disp. 123. cap. 2.* Ruiz *disp. 15. de Trinit. sec. 4* & alij censentes dictam artem Aristotelicam non fundari nisi in illis principiis. *Dici de omni*, & *Dici de nullo.* Vbi illam fundauit ipse Arist. *lib. 1. Prior. cap. 4.* & *lib. 2. per totum.* Quod quidem statuunt hi Doctores, vt facilius defendant vim syllogisticam etiam in Deo habere locum, quantumuis ibi locum non habeat principium illud. *Quæ sunt eadem vni tertio* &c.

Ego, vt dissidium istud componam, & penitus 170
rem ipsam declarem. Noto. Ad artem Aristotelicam primariò, & per se pertinere syllogismos de medio communi: à quibus alij sunt affirmatiui, alij negatiui. Syllogismos verò de medio singulari dictos expositorios, quorum alij etiam sunt affirmatiui, alij negatiui, ad similem artem posse reduci; tametsi hactenus talis ars ad formam non sit redacta, sicuti alia: hoc posito.

Dico primò: Syllogismi negatiui, siue de medio 171
communi, siue de medio singulari non possunt fundari in illo principio. *Quæ sunt eadem vni tertio* &c. quia merè affirmatiuum est. Rursus nec syllogismi affirmatiui de medio communi possunt in eo saltem adæquatè fundari; vtpote, quod non medium commune, sed singulare præ se fert. Amplius. Ex syllogismis affirmatiuis de medio singulari solùm fundantur per se, & formaliter in illo ij, quorum omnes propositiones constant verbo substantiuo *est*, vt *Hic homo est albus: Petrus est hic homo: ergo Petrus est albus*, non item, quorum propositiones aliis verbis constât; vt *Hic homo currit Petrus est hic homo. Ergo Petrus currit.* Tametsi æquiualenter syllogismi huius secundi generis ad primum genus, & consequenter ad dictum principium possint reduci, mutato verbo in suum participium; vt, *Hic homo est currens: Petrus est hic homo: ergo Petrus est currens.*

Hinc dico Secundò. Syllogismi omnes affirmati- 172
ui de medio singulari in ille principio fundantur per se, & formaliter, cuius mentionem fecimus *supra q. 3. propos. 3. Quidquid affirmatur verè de aliquo, verè etiam affirmatur de quolibet identificato cum illo* Quod quidem vniuersalius est, quàm illud. *Quæ sunt eadem vni tertio* &c. quia & illud cõtinet in se, & amplius extenditur, quatenus aliquid de aliquo affirmari potest non solùm per verbum substantiuum *est*; quod identitatem significat, quo casu vtrumque principium in idem recidit, sed etiam per alia verba, ad quos casus secundum principium non potest extendi, nisi hi ad illud per æquialentiam trahantur, vt iuxta *nuper* dicta possunt. Quod si fiat, iam erunt idem vniuersè vtrumque principium, quocirca absolutè dici potest posterius priori æquialere. Syllogismi autem negatiui de medio singulari in eo fundandi veniunt principio alteri oppositio, cuius meminimus etiam *loco citato. Quidquid negatur verè de aliquo, verè etiam negatur de quolibet identificato cum illo.* In quo profectò ne per æquialentiam quidem continetur illud. *Quæ sunt eadem vni tertio* &c. vt cuique considerati innotescet.

Dico

173 Dico tertiò. Syllogismi affirmatiui de medio communi in illo principio fundantur. *Dici de omni:* Negatiui autem in illo. *Dici de nullo.* Quorum sensus est. *Quidquid verè affirmatur, aut negatur de omni, verè etiam affirmatur, aut negatur de quodlibet contento sub omni.* Et quoniam huiusmodi continentia in praxi syllogismorum per identitatem exprimitur; vt in hoc syllogismo. *Omnis homo currit; Petrus est homo: ergo Petrus currit*, in cæterisque pariter cernere licet. Eo nimirum quòd idem est Petrum contineri sub omni homine, siue in aggregato omnium hominum, ac esse hominem, siue esse vnum ex hominibus talis aggregati. Idcirco duo ista principia in se claudunt illa duo, quibus diximus *num. præced.* syllogismos expositorios inniti, seu potius ex illis multiplicatis coalescunt. Affirmatiuum quidem ex affirmatiuo, & negatiuum ex negatiuo. Perinde namque est dicere. *Quidquid verè affirmatur, aut negatur de omni, verè etiam affirmatur, aut negatur de quolibet contento sub omni*; ac dicere. *Quidquid verè affirmatur, aut negatur de singulis contentis sub omni, verè affirmatur, aut negatur de quolibet identificato cum illis.* Vnde manifestè consequitur principium illud. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, vtpote inclusum in affirmatiuo syllogismorum de medio singulari, & ei æquiualens, iuxta dicta *num. præced.* non posse non etiam includi in affirmatiuo syllogismorum de medio communi. *Dici de omni*, adeo vt hoc sine illo constare non possit. Tametsi possit negatiuum *Dici de nullo*, ad quod non pertinet vllo modo.

174 Ex quibus iam apparet primò. Quid verum habeant ambæ sententiæ relatæ *num.* 169. Secundò, quàm incassum Auctores secundæ, vt defenderent vim syllogisticam in Deo, conati sint à fundamentis syllogismorum excludere principium illud. *Quæ sunt eadem v i tertio*, &c. quasi non verum vniuersaliter in diuinis. Imprimis namque, vt vidimus, syllogismi affirmatiui non possunt sine illo constare, vt possunt negatiui. Deinde quamuis possent omnes; nullatenusque dictum principium ad formam syllogisticam pertineret; adhuc persisteret integra difficultas: quia alia itidem, quæ illam fundare dicuntur, æquè videntur in Trinitate falsificari; quandoquidem, quidquid verè affirmatur, aut negatur de essentia, non verè affirmatur, aut negatur de quolibet identificato cum illâ.

175 Hinc natum secundum argumentum absolutè impugnans identitatem essentiæ diuinæ, & relationum, quidquid sit de fundamentis syllogismorum. Positâ tali identitate forma syllogistica penitus pessumit, vtpote, quæ in diuinis nullam vim habet, & consequenter neque in creatis, totaque subinde humana ratiocinatio subuertitur. Igitur talis identitas non est ponenda. Antecedens probatur: nam hic syllogismus de medio singulari. *Hæc Deitas est Pater: Filius est hæc Deitas:* ergo *Filius est Pater*, legitimus est in primâ figurâ, & antecedens est verum, & tamen consequens est falsum. Similiter hic syllogismus de medio communi. *Nulla paternitas est filiatio. Essentia Diuina est paternitas:* ergo *essentia diuina non est filiatio*, legitimus est etiam in primâ figurâ, & antecedens est verum, & tamen consequens est falsum. Tantumdemque euenit in aliis innumeris, qui pariter formari possunt in Trinitate.

176 Nonnulli tacito nomine relati à Ruiz *disp.* 15. *citatâ sec.* 5. planè concedunt in diuinis formam syllogisticam vim non habere. Perperam tamen, quando omnes Theologi vno ore docent oppositum, qui variè ad argumentum factum respondent. Ego verò, omissis pluribus solutionibus minus idoneis, quæ apud præcitatos Doctores videri possunt, duas exhibeo. Prima, & facillima ex doctrinâ *superius* tradita est; vt forma syllogistica vbique legitima sit, in propositionibus affirmatiuis de verbo substantiuo *est*, non solùm identitatem realem formalem, sed etiam virtualem debere affirmari; ita enim fiet, vt seruatâ formâ, numquam ex antecedente vero colligatur consequens falsum. In syllogismis enim propositis ideo consequens falsum est, quia maior, & minor prioris, & minor posterioris sumpto verbo *est*, vt sumi debet, pro actu essendi, siue pro identitate non solùm formali, sed virtuali, fallæ sunt: vt sic enim Deitas asseritur idem cum Patre, & Filio etiam virtualiter, cùm tamen virtualiter ab illis distincta sit. Itaque significante verbo *est* omnimodam extremorum identitatem etiam virtualem verissimè concludit vbique ex antecedente vero syllogistica forma.

Secunda solutio, quâ plerique vtuntur Theologi, 177
tametsi non adeo clarè, vniuersaliterque explicata, est, vt forma syllogistica legitima euadat, debere semper syllogismorum terminos, vbi futuri sunt singulares, aut particulares, aut communes distributi, perfectè, siue omnimodè tales esse; alioquin syllogismus defectum patietur omnimodæ distributionis, aut particularitatis, aut singularitatis alicuius termini, & idcirco malè concludet. Et quoniam terminus *Deitas*, & reliqui toti Trinitati communes, eo ipso, quòd sunt communes tribus personis communitate identitatis, omnimodam particularitatem, aut singularitatem omnem omnino communitatem excludentem non habent; etsi habeant singularitatem vniuersalitati oppositam, ideo vbicumque ponuntur pro terminis particularibus, aut singularibus, quantumuis eis adiiciantur pronomina demonstratiua (quorum est solùm demonstrare singularitatem vniuersalitati oppositam, non item omnimodam) defectum patitur syllogismus in talibus terminis omnimodæ particularitatis, aut singularitatis. Vbi verò ponuntur pro terminis communibus additis etiam particulis distributiuis *omnis, nullus*? defectum patitur omnimodæ distributionis, quia particulæ *omnis, nullus* solùm valent distribuere terminos communes communitate vniuersalitatis, non item terminos communes communitate identitatis. Poterunt tamen etiam hos distribuere, si addatur eis terminus illis extremis, cum quibus identificantur vniuersalis, supra quem particulæ cadant, dicendo, omnis res, quæ est Deitas, nullum ens, siue nihil, quod est essentia, &c. Ecce, cur syllogismi in argumento propositi malè concludunt. In primo enim medium, nempe *Deitas*, non est omnimodè singulare; Vti debet esse in syllogismis expositoriis. In secundo, si est ille constructus in *Ferio*, subiectum minoris, nempe *Essentia diuina* non est terminus omnimodè particularis, vt esse debet; si verò dicatur esse constructus in *Celarent*, etsi adiungatur eidem subiecto minoris, particula *omnis* adhuc non erit omnimodè distributum, vt debet, quale esset, si ita fieret syllogismus. *Nulla Paternitas est Filiatio: omne quod essentia diuina est Paternitas: ergo nihil, quod est essentia diuina, est Filiatio.* Vt sic tamen minor est falsa, & ideo consequens est falsum. Pariterque de reliquis syllogismis in Trinitate possibilibus ratiocinandum est.

Tertium argumentum contra identitatem diuinæ 178
essentiæ, & relationum ex variis desumitur prædicatis

tis contradictoriis, quæ illis conueniunt reipsâ, de eisque subinde vere enunciantur, vt constat ex fide, cuiusmodi sunt communicari, & non communicari, produci, & non produci, distingui, & non distingui, & similia. Necnon personalitatem Verbi vnitam esse humanitati Christi immediatè, secus essentiam, seu naturam, & consequenter Verbum ipsum fuisse incarnatum, passum, mortuum, naturam verò minimè. Prædicata enim contradictoria huiusmodi eidem rei prorsus indiuisibili re verâ conuenire non possunt, atque adeo neque essentiæ diuinæ, & relationi conuenirent, si essentia, & relatio vnum, & idem essent reipsâ: consequens ergo est, vt illæ distinctæ sint à parte rei. Hoc argumento inducti sunt Gilbertus, & alij ad ponendam distinctionē realem inter essentiam, & relationes. Scot. autem ad ponendam distinctionē formalē ex naturâ rei, prout vidimus. *q.* 4. & 5.

169 S. Th. verò 1. *p. q.* 39. *art.* 1. *ad* 2. & *ibi* eius expositores communiter. Vasquez. 1. *p. disp.* 120. *cap.* 6. Ruiz. *d.* 15. *de Trin. sec.* 7. & 8. Gran. 1. *p. contr.* 1. *tit.* 2. *disp.* 5. *sec.* 3. & *contr.* 5. *tit.* 3. *d.* 3. *sec.* 4. Soar. *lib.* 1. *de Attrib. cap.* 13. & *lib.* 4. *de Trin. cap.* 4. Alar. *tit.* 5. *de Trinit. disp.* 2. *cap.* 10. *a n.* 1. Fasol. 1. *p. q.* 4. *art.* 2. *dubit.* 13. *n.* 103. & plures alij, qui solam distinctionem rationis admittunt inter essentiam, & relationes, respondent sufficere hanc, vt de relatione, & essentia prædicata contradictoria commemorata verè, & absque contradictione enuncientur. Non enim esse illa contradictoria hoc ipso, quòd subiecta, de quibus prædicantur à nobis, nempe essentia, & relatio distincta sunt secundum rationem: idque etsi in prædicationibus addatur particula *realiter*, aut alia æquiualens: quia per illam non excluditur ordo ad nostrum modum concipiendi talia prædicata, & subiecta; sed tantùm intenditur denotari esse reipsâ id, quod nos per tales præcisiuas prædicationes intelligere, atque significare intendimus, quodque intuentes Deum vnico simplicissimo conceptu absque vllâ prorsus terminorum contradictione vident modo quodam à nobis pro hoc statu neque intelligibili, neque explicabili. Addunt Gran. & Ruiz, si particula *realiter*, cùm dicimus. *Essentia Patris realiter communicatur Filio*; *secus Paternitas*, referatur ad modum significandi præcisiuum earum vocum tunc tales propositiones implicatorias esse, siue de subiecto non supponente, quia supponunt essentiam realiter esse præcisam, seu distinctam à relatione, quod falsum est. Porro prædicata aliàs contradictoria de subiectis per solam rationem distinctis absque vllâ contradictione enunciari, plurimis exemplis etiam à creaturis petitis existimat Ruiz comprobari. Animal enim, inquit, in Petro realiter identificatur cum rationali, & tamen animal non est principium discursus, cuius principium, & radix est rationale, similiter actio, & passio realiter sunt idem, & tamen actio importat respectum à quo est motus, quem non importat passio. Id, quod etiam censent Soar. *cap. illo* 4. *de Trinit. sub finem*; Alarc. *supra*, & alij.

180 Sed verò doctrina hæc, me quidem iudice, argumento facto non satisfacit, quia licet prædicata ex suo genere contradictoria absque vllâ contradictione enunciari possint de subiectis per solam rationem distinctis, quando enunciationes procedunt in sensu formali concernente nostrum modum intelligendi, quia tunc non solùm agitur de veritatibus obiectiuis secundum id, quod habent à parte rei; sed insuper secundum id, quod eis accrescit ex nostro modo concipiendi. At verò quando enunciationes procedunt in sensu merè reali præscindendo à sensu formali, aut etiam illum excludendo, vt fieri potest, adhuc retentis eisdem conceptibus obiectiuis, tum quidem sola distinctio rationis subiectorum non solùm insufficiens, sed prorsus impertinens est ad impediendam contradictionem prædicatorum aliàs sibi contradicentium. Cuius ratio mihi euidens est, quia, quod alicui enti merè reali conuenit, aut repugnat à parte rei, independenter à nostro modo concipiendi cōuenit, aut repugnat: neque, quod ego, sic vel aliter tale ens apprehendā, definet illud ipsum realiter ei conuenire, aut repugnare, vt est manifestum. Ergo si duo aliqua prædicata cōtradictoria alicui enti realiter indiuiso à parte rei sunt repugnantia, quantumuis ego illud per rationem in plura diuidam, itidem repugnantia manebunt: Si verò realiter ei non repugnant, nec repugnabunt, etsi ego illud per rationem pariter indiuisum relinquam. Impertinens ergo omnino est sola diuisio, siue distinctio rationis formalitatum eiusdem entis, vt prædicata cōtradictoria illi conueniant à parte rei, alioquin non conuentura tali distinctione seclusâ, & consequenter, vt veræ euadant enunciationes, quæ in sensu merè reali nihil aliud ab eâ conuenientiâ enunciant, aliàs etiam falsificandæ, ipsâ sublatâ distinctione. Exemplis rem totam declaro. Hæ propositiones sunt veræ in sensu formali. *In homine rationale est principium discursus, non animal*, non minus, quàm hæ. *Homo in quantum rationalis discurrit, non inquantum animal*. Cùm tamen in sensu merè reali, negatiua sit falsa: eo quòd illa in sensu formali accepta significat discursum hominis non nasci, prout à nobis concipitur à formalitate animalis, quod verū est, quia nos hoc ipso, quòd relatè ad discursum, & sensationem intellectu partimur hominem in rationale, & animal, discursum ipsum soli rationali, sensationem autem soli animali cōceptione nostrâ attribuimus. At verò accepta in sensu merè reali significat discursum hominis à parte rei, & nullâ habitâ ratione conceptionis nostræ ab animali hominis non oriri. Quod falsum est, quia cùm animal, & rationale hominis à parte rei sint prorsus, idem repugnat omninò oriri realiter ab vno, & non ab altero discursum, æquè ac repugnat vnum produci, & non alterum, vnum esse in tali loco, aut in tali tempore, & non alterum, & cætera huiusmodi; quia æquè sunt omnia contradictoria sibi inuicem repugnantia. Eodem pacto, & propter eamdem rationem hæ propositiones in sensu formali sunt veræ. *Deus intellectu intelligit*; *Voluntate non intelligit*. *Deus vt iustus punit*; *vt misericors non punit*. & similes. Cùm tamen in sensu merè reali semper negatiua sit falsa. Vide ad rem plura dicta *supra disput.* 2. *quæst.* 4. *Sect.* 4.

Tum sic. Prædicata ex suo genere contradictoria, 181
quę de essentiâ Dei, & relationibus secundum fidem verè enunciantur, non solùm in sensu formali, sed etiam in sensu merè reali verè enunciātur, quia cùm à parte rei, & independenter à conceptione nostrâ Deus sit trinus, & vnus à parte rei, & nullâ habitâ ratione nostri modo concipiendi Pater distinguitur à à Filio, à quo non distinguitur essentia Patris. Filius producitur à Patre, à quo non producitur essentia Filij. Essentia Patris communicatur Filio, cui non communicatur Paternitas, &c. Igitur, vt huiusmodi prædicata à parte rei conueniant Patri, & Filio, siue Paternitati, & Filiationi, essentiæque vtrique communi absque vllâ prorsus contradictione, & consequenter, vt in sensu merè reali de tali essentiâ, & relationibus verè, & sine repugnantiâ enuncientur impertinens est distinctio rationis, quâ à nobis illæ concipiuntur distinctæ. Tametsi aliunde talis distinctio nobis sit necessaria,

vt alia de ipsis prædicata enunciemus, quod est valde diuersum. Aliud quippe est beneficio solius distinctionis rationis exui eiusmodi prædicata à contradictione, vti relati Authores supponunt. Aliud non posse nos illa aliunde iam ab omni contradictione immunia citra distinctionem rationis de essentiâ, & relationibus enunciare. Primum est falsum; Secundum verum, vt latiùs dicemus *infra q.9.*

182 Igitur ad argumentum oppositum *n.*187. faciliùs, & veriùs ex doctrinâ stabilitâ *q.6.* & cum Authoribus ibidem pro eâ citatis respondetur. Quantumuis essentia diuina, & relationes realiter formaliter sint prorsus idem, optimè tamè posse omnia ea prædicata ipsis reverâ conuenire absque vllâ prorsus repugnâtiâ, de eisdemq; subinde etiam in sensu omnino, reali, absq; vlla contradictione enũciari quia in ordine ad talia prædicata æquialeter, seu virtualiter sũt distinctæ; id est, ita se gerunt ob suam infinitudinem, & eminentiã, ac si realiter formaliter distinctę essent.

183 Quartum argumentum desumunt Scotistæ ex multis, variisq; propositionibus, quæ cùm sint falsæ, veræ essent, aut cùm sint veræ, falsæ existerent, nisi distinctio aliqua ex naturâ rei inter formalitates diuinas verè daretur. Huiusmodi sunt. Deus intellectu vult; voluntate intelligit; misericordiâ punit; iustitiâ miseretur. Verbum procedit per volũtatem, Spiritus sanctus per intellectum, & similes, quæ citra dubium sunt falsæ. Tum Deus intelligens mala, non vult illa. Deus non amat malos, sed odit; intellectio Dei eius volitionem præcedit; quia Deus intelligit, vult; nõ è conuerso. Deus, vt vnus operatur ad extra, nõ vt trinus. Et consequenter creaturæ à Deo dependent, cum ipsoque connectuntur vt vno, non vt trino, & aliæ huiusmodi, quæ etiam citra dubium sunt veræ. Essent autem priores quidem manifestè veræ. Posteriores autem falsæ, nisi formalitates diuinæ, quæ in eis interueniunt, aut ab se inuicem, aut ab aliis formalitatibus ex naturâ rei formaliter essent distinctæ. Respondeo iuxta doctrinâ *nuper* traditam ex huiusmodi propositionibus aliquas dumtaxat præ se ferre sensum formalem, pro quo falsificando, aut verificando distinctio rationis formalitatũ satis est, vt docuimus. Ex reliquis, quę in sẽsu merè reali capiuntur, quasdã, quæ aut mysteriũ Trinitatis, aut libertatem diuinorum actuum concernunt, per distinctionem virtualem formalitatũ expediri; quasdam nullâ prorsus distinctione formalitatum indigere. Quænam autem ad vnamquamque harũ trium classium spectet in propriis materiis, ad quas earum singulæ spectãt, determinantur Id vniuersim adnotarim contra Scotistas pleraque eorum argumenta in ipsos posse retorqueri; quia aut probant inter formalitates diuinas distinctionem absolutè realem, quam ipsi catholicè negant, aut non probant distinctionem formalem ex natura rei, quam propugnant. Vt enim constat ex doctrina contra ipsos statuta *q.* 5. quoties agitur de prædicatis conuenientibus, aut repugnantibus formalitatibus diuinis, nõ solùm formaliter, sed simpliciter & absolutè realiter, ad quamuis eorum contradictionem abolendam inutilis est, & impertinens distinctio dumtaxat formalis, vtpote, quæ in vi talis distinctionis præcisè nullatenus æquialere potest distinctioni absolutè reali: quod si pro huiusmodi æquialentia ad Dei infinitudinem, & eminentiam recurratur, vti nos recurrimus; potiori adhuc iure dicta distinctio formalis manet impertinens, quia neque est necessaria, nec magis vtilis, quàm distinctio rationis ad talem æquialentiam præstandam, cùm sit distinctio nihil imminuens identitatem absolutè realem, alteriusque subinde generis à distinctione absolutè reali, cuius æquialentia quæritur; & consequenter hæc ab infinitate diuina non facili[illegible] illa supposita, quam illa sublata præstari valeat.

[illegible]atò obiiciunt. Singula attributa diuina vicis- 184
si[illegible] excludunt formaliter, ita vt vnum non sit de[illegible]ceptu quiditatiuo, siue de quiditate alterius in primo modo dicendi per se, diuersaque subinde definitiones habent, vt constat; diuersas etiam subeunt demonstrationes, quandoquidem vnum demonstratur per aliud, & hoc non per se ipsum, sed per aliud, aut per essentiam demonstratur. Diuersas reduplicationes patiuntur, siquidem Deus e.g. non in quantum æternus operatur, sed in quantum omnipotens, neque in quantum verus amatur, sed in quantum bonus. Denique adeo diuersas conceptibilitates habent, vt non solùm alia extra conceptus obiectiuos aliorum sint, sed sæpe alia, aliis ignotis, cognoscantur. Igitur attributa diuina ex naturâ rei formaliter sunt inter se distincta. Hoc argumentum maiori saltem ex parte potest in argumentes retorqueri, iuxta doctrinam *numeri præcedentis.* Respondeo ad singulas eius clausulas singillatim. Ad primam. Attributa diuina excludere quidem se vicissim formaliter, ita vt vnum non sit de conceptu obiectiuo saltem explicito, siue de quiditate obiectiua alterius in primo modo dicendi per se. Hæc tamen omnia non ex naturâ rei, sed nostro modo concipiendi dumtaxat; quia ex naturâ rei omnia sunt vnum, vna, & indiuisa entitas, vna prorsus, & indiuisa quiditas. Vnde rursus dico, definitiones, quas habent, neque diuersas, neque distinctas esse ex naturâ rei obiectiuè, seu quantum ad obiectum per illas significatum, sed tantùm per nostram rationem; qualiter etiam distinguuntur ipsa attributa. Quod autem huiusmodi definitiones ex parte ipsarum vocum realiter diuersæ sint, nullam arguit distinctionem ex naturâ rei obiectorum, quia vt potest eadem realitas obiecti diuersis cognitionibus cognosci, ita & diuersis vocibus potest significari. Ad secundam respondeo, diuersas etiam demonstrationes, quas subeunt attributa diuina, ex parte nostrorum actuum dumtaxat, non itidem ex parte obiectorum, esse ex naturâ rei diuersas, obiecta quippe solùm distingui per rationem. Etenim posse intellectum nostrum vnam formalitatem cognoscere, aliâ eiusdem entis non cognitâ, atque adeo etiam vnam per aliam prius cognitam demonstrare, non nascitur ex eo, quòd tales formalitates ex naturâ rei sint distinctæ; sed ex eo, quòd ille aut vim habet præscindendi iuâ cognitione ea, quæ realiter sunt identificata: aut nihil præscindendo eorum; quæ realiter idem sunt, totam rei obiectæ entitatem modò in ordine ad hæc, modo in ordine ad illa connotata extrinseca concipit, & hoc solum est cognoscere in illa plures formalitates, aut aliquas formalitates, cognitis aliis, ignorare, iuxta diuersas sententias præscindentium obiectiuè, aut non præscindẽtium, de quibus *infra q.*9. Ex quo patet ad quartam argumenti clausulam. Ad tertiam autem dico pro illis reduplicationibus conuenientibus aliquibus formalitatibus, & nõ aliis sufficere distinctionẽ rationis talium formalitatum; quia propositiones reduplicatiuæ capiuntur in sensu formali. De quo satis superque dictum circa argumentum tertium.

Sextò obiiciunt. Conceptus sapientiæ, & 185
iustitiæ, aliorumve attributorum communes Deo, & creaturis sunt inter se distincti ex naturâ rei: ergo etiam conceptus sapientiæ, & iustitiæ, aliorumque attributorum proprij solius Dei. Consequentia est bona, quia quidquid ex naturâ

turâ rei conuenit alicui conceptui communi non potest non conuenire omnibus particularibus contentis sub illo, vt est notum. Antecedens autem probatur pariter, quia si conceptibus sapientiæ, & iustitiæ communibus Deo, & creaturis identitas ex natura rei conueniret, sapientiæ quoque & iustitiæ creatæ conueniret ob eamdem rationem, vtpote conceptibus particularibus contentis sub illis communibus. Respondeo conceptus sapientiæ, & iustitiæ communes Deo, & creaturis à parte rei partim distingui, & partim identificari, distinguuntur enim quantum ad sapientias, & iustitias creatas, quas in se inuoluunt, identificantur verò quantum ad sapientiam, & iustitiam increatam, quam etiam in se includunt. Ex quo patet ad probationem argumenti, id solum, quod ex natura rei conuenit adæquatè alicui conceptui communi, conuenire singulis inferioribus, non verò itidem, quod ex parte conuenit quoad aliqua scilicet, & non quoad reliqua eorum, quæ in tali conceptu inuoluuntur, vti euenit in præsenti. Adde hoc etiam argumentum eadem vi posse intorqueri contra Scotistas ad probandam distinctionem attributorum absolutè realem, quia talis est, quæ reperitur inter sapientiam, & iustitiam creatam.

186 Septimò obiiciunt. Sapientia Dei magis est identificata sibi, quàm iustitiæ: ergo respectu iustitiæ aliquam distinctionem habet. Respondeo; sapientiam Dei habere aliquam distinctionem rationis comparatione iustitiæ, quam non habet comparatione sui; realiter verò æquè esse identificatam iustitiæ, ac sibi.

Octauò. Saltem plus distinguitur sapientia à iustitiâ; quàm sapiens à sapientiâ. Sed hęc extrema vt minimum distinguuntur ratione: ergo illa ex naturâ rei distinguuntur. Respondeo vtraq; distingui per rationem. Priora adæquatâ, posteriora verò inadæquatâ, distinctione, siue includentis ab incluso, quæ minor est iuxta doctriam traditam *suprà d. 2. q. 4. conf. 3.*

187 Nonò obiiciunt. Pluralitas personarum non officit diuinæ simplicitati: ergo neque pluralitas attributorum. Nego consequentiam: quia singulæ personæ perfectissimè sunt idem cum vnicâ, & simplicissimâ essentiâ, ad eamque tanquam ad vnum aliquid rediguntur, vt loquitur D. Bernar. mox referendus. At attributa, qua ratione ab Aduersariis ex naturâ rei ponuntur distincta, nempe formaliter non identificantur cum tertio, quod prorsus sit idem formaliter. Quare pluralitas attributorum sic distinctorum perfectæ simplicitati aduersatur, secus pluralitas personarum.

188 Decimò obiiciunt. Confusio opponitur distinctioni, sed in Deo nequit admitti confusio: ergo debet admitti distinctio. Respondeo, confusionem non opponi distinctioni vtcumque, potius eam supponere, sed distinctioni ordinatæ, siue ordinationi distinctorum: vnde vbi est summa identitas, sicut in Deo impossibilis est confusio.

189 Vndecimo opponunt ea scripturæ loca, quibus attributa diuina in numero plurali ponuntur ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei.* 1. ad Corinth. 2. *Ea, quæ sunt Dei*, &c. Aut vnum alteri adnitur *Psal.* 85. *Patiens, & multæ misericordiæ, & verax.* ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei* &c. Aut vni vnus effectus, alteri alter attribuitur, vt *ad Rom.* 1. Benignitati Dei tribuitur ad pœnitentiam adducere, iustitiæ verò reddere vnicuique secundum opera sua. Opponunt pariter plurima Patrum testimonia eisdem itidem modis loquentium de attributis diuinis, Sed respondetur facile scripturam, & Patres, atque etiam passim Theologos de diuinis attributis loqui, vt de pluribus, non quòd reipsa pluta sint, sed, quod à nobis concipiuntur vt plura. Quo etiam iure vni vnus, & alteri alter effectus attribui solet; imo eumdem, qui huic tribuitur, illi negari in sensu scilicet formali iuxta *superius* dicta. Dicendum itaque cum Bern. *serm.* 80. *in cant. post medium* de diuinitate loquente. *In ea, & multa in vnum, & diuersa in idem rediguntur, vt nec de numerositate rerum sumat pluralitatem: nec alterationem de varietate sentiat.* Quia nimirum pluralitas secundum rationem nihil imminuit de vnitate, atque identitate reali. Videatur ad rem Gillius noster 1. *part. libro.* 2. *tit.* 5. *cap.* 7.

Duodecimo ex Scot. *in* 1. *distinct.* 8. *quæst.* 4. §. *ad quæstionem*, Opponitur specialiter August. *libro* 15. *Trinit. capite* 3. docens omnia attributa Dei esse æqualia, qualia non essent, si inter se non essent distincta, quia nihil sibimet est æquale; & *libro* 3. *contra Maximum cap.* 10. *sub finem* inferens ex eo quod Deus non est ex attributis compositus, multo minus esse compositum ex personis, quæ illatio mala esset, nisi attributa ex naturâ rei inter esse distinguerentur. Hæc etiam contorqueri possent in Scotum. Respondeo ad primum. Attributa diuina à parte rei solum esse æqualia fundamentaliter, quatenus quodlibet secum habet identificatam omnium aliorum perfectionem, ad quod nullâ egent distinctione ex naturâ rei, potius eam repudiant: ad æqualitatem autem formalem, quam nos in illis eo fundamento ducti concipere possumus, sufficit, quod per rationem nostram distincta sint, vt pluribus est explicandum *infra suo loco.* Vnde ex dicto Augustini de quâcumque earum æqualitatum Sanctus loquatur nihil ad rem inferri potest. Ad secundum dico vim illationis Augustini in eo stare, quod attributis ex suo genere abstractissimo, cùm sint instar accidentium, minus repugnat compositio, quam personis, quæ ex suo genere sunt substantiæ completæ. Quare si Deus in attributis nullam pati potest compositionem, multò minùs poterit in personis. 190

Decimo tertiò arguunt ex Arist. sæpe asserente 191
in eâdem entitate esse plures rationes, seu quiditates. Sic *lib.* 3. *Physic. text.* 21. dixit in eadem entitate esse plures rationes actionis, & passionis; & *lib.* 4. *Met. text.* 3. passiones entis esse rationes distinctas ab ente, &c. Respondeo Arist. solùm velle in eâdem esse plures conceptus per rationem nostram distinctos; vti legenti eius contextus notescet.

Plura alia argumenta congerunt Scotistæ ad 192
probandam suam distinctionem formalem ex naturâ rei inter formalitates, seu gradus entium creatorum. Quæ iam proponenda, atque diluenda sequuntur.

Primum, & potissimum, in ordineque decimum 193
quartum est. Eidem entitati reali hominis conuenit esse similem, & dissimilem comparatione eiusdem; quæ sunt prædicata contradictoriè opposita, non minùs, quàm esse aliquid comparatione eiusdem æquale, simul & inæquale. Homo enim in quantum animal est similis equo, eidemque in quantum rationalis dissimilis. Ergo formalitates animalis, & rationalis hominis ex naturâ rei distinguuntur, quia prædicata contradictoriè opposita eidem subiecto omnino indistincto neutiquam conuenire possunt. Posse argumentum hoc, & similia in Scotistas retorqueri, eorumque distinctionem formalem, retentâ extremorum identitate reali ad illa soluenda nihil prodesse *superius qua.* 5. *à numero* 102. monstraui.

Respondet Arriag. cũ aliis *disp.* 5. *log. à n.* 13. simili- 194
tudinem, & dissimilitudinẽ nõ se habere, sicut se ha-

bent æqualitas,& inæqualitas:quia similitudo suscipit magis & minus, æqualitas verò non item. Vnde dissimilitudo non negat omnem similitudinem, sicut inæqualitas omnem æqualitatem, sed tantum omnimodam; cum vnaquaque subinde similitudine compatibilis est. Quo fit, vt possit homo dici aliquâ ratione similis & dissimilis equo, quatenus habet aliquam similitudinem cum equo, non verò omnimodam. Verùm doctrina hæc, nisi amplius explicetur, non videtur facto argumento satisfacere. Per eam namque tantum habemus totam entitatem hominis indiuisim sumptam quamdam quasi remissam, siue imperfectam similitudinem h bere cum equo,quę eo ipso,quod non est exacta, velati mixta dici potest cum aliquâ dissimilitudine. Argumentum tamen contendit hominem in quantum animal præcisè perfectam habere similitudinem cum equo,inquantum rationalem verò simpliciter esse illi dissimilem, tales enim nobis apparent citra dubium hi duo conceptus. Perfecta autem omnimodave similitudo, & dissimilitudo talis dicta simpliciter in eodem comparatione eiusdem planè sunt termini repugnantes æquè, atque æqualitas, & inæqualitas.

195 Alij in quibus est Ouiedo *contr.4. Metaph.punct. 3.n.18.*respõdent,hominem secundum substantiam, neque esse similem equo,quia similitudo,& dissimilitudo tantùm fundantur in accidentibus, non in substantiis, totum tamen hominem in ordine ad operationes sentiendi dici similem equo,quia sensiones hominis sensionibus equi sunt similes; in ordine verò ad operationes ratiocinandi, quas equus non habet,dissimilem. Sicut in ordine ad priores dicitur animal,in ordine verò ad posteriores rationalis. Neque isti placent, primò; quia negari nequit suam etiam esse similitudinem, & dissimilitudinem inter substantias secundum se; quæ certè etsi eas dicas propriè vocandas relationes identitatis,& diuersitatis,ad præsens tamen propositum sub nominibus similitudinis,& dissimilitudinis latiùs saltem acceptis veniunt intelligendæ; neque huic controuersiæ de solo nomine subnixa est argumenti facti solutio. Secundò,quia non explicant, quomodo ipsa accidentia, operationesve substantiarum aliis sint similia quoad gradus genericos præcisè, non quoad differentiales, quoad hos autem dissimilia, non quoad gradus genericos præcisè,non quoad differentiales, quoad hos autem dissimilia, non quoad genericos; quandoquidem hæc vtpote strictæ similitudinis, dissimilitudinisque capacia secundum eorum sententiam per se ipsa asserenda sunt talia,non per ordinem ad alia accidentia,quæ sæpe non adsunt.

196 Dicendum ergo est, duplicem in rebus, siue illæ sint substantiæ,siue accidentia, spectari posse similitudinem,ac dissimilitudinem;aliam physicam,quam in se habent ante omnem nostri intellectus operationem;aliam quasi intentionalem,siue obiectiuam, quam habent prout concipiuntur à nobis: & de priori quidem vera est doctrina,quam ex Arriga retulimus;non itidem de posteriori. Itaque à parte rei aliqua sunt omnino siue exactè similia, vt duo circuli, duo trianguli, duæ albedines &c. Alia sunt dissimilia, ita tamen vt aliqualem nihilominus similitudinem,siue analogiam habeãt,in qua quidem infinita,vt reor,est latitudo. Nam huiusmodi analogia, similitudove temperata maior, & maior esse potest sine fine citra metas exactæ similitudinis, aut minor, & minor,quin ad exactam dissimilitudinem possibile sit peruenire. Sic circulo dissimile est quadratum, sed magis dissimilis triangulus, & magis dissimilis linea recta &c. colori albo dissimilis est fuscus, sed dissimilior viridis,& dissimilior niger &c. Tantumdemque euenit in substantiis. Quæ quidem physicæ similitudines, & dissimilitudines indiuisim conueniunt rebus,non verò penes diuersos conceptus,siue formalitates earum. Cæterùm,quoad nos dũ illas per species alienas concipimus,non solùm aliter,quàm in se sunt, apprehendimus, sed in diuersos etiam, dissimilesque conceptus,siue formalitates partimur,efficitur vt inter huiusmodi rerũ formalitates, prout à nobis sunt apprehensæ,suæ quoque similitudines,dissimilitudinesque intercedant. Vnde rursus fit, vt per abstractionem,siue adunationem formalitatum exactè similium,conceptus communes, atque generici enascantur,qui per formalitates dissimiles iterũ ad constituendas species determinantur, & contrahuntur. Quibus verè fundamentis ducatur intellectus noster in vniuersum,ad efformandam in rebus multiplicem hanc conceptuum tum similium, tum dissimilium varietatem *superiùs disp.2.q.3.* traditum est, atq; ex dicendis in sequentibus ampliùs cõspicuum fiet. Ecce quomodo homo,& equus spectati,vt sunt à parte rei,similitudinem quamdam cum dissimilitudine temperatam habent eis conuenientem indiuisim citra omnem distinctionem formalitatum;spectati verò,vt à nobis apprehenduntur, exactè sunt similes, quoad conceptum animalis in vtroque repertum, dissimiles autem simpliciter,qnoad conceptus rationalis,& hinnibilis,quorũ primus in homine secundus in equo inuenitur. Quæ quidẽ similitudo,& dissimilitudo, licet inter se oppositæ, vt sunt à nostrâ dumtaxat ratione oriundæ, ita maiorem distinctionem,quã rationis inter extrema,quibus competunt, non efflagitant. Quo cessat argumentum factum.

Argumentum decimum quintum fere recidit in 197
præcedens hoc modo:Conceptus animalis in homine est ratio conueniendi cum equo,conceptus rationalis disconueniendi,sed idem respectu eiusdem nequit esse ratio conueniendi,atque disconueniendi, vt constat. Ergo tales conceptus inuicem sunt inter se distincti. Distinguo maiorem iuxta dicta;conceptus animalis, & rationalis in homine sunt rationes conueniendi,& disconueniendi cũ equo per nostram rationem,concedo:à parte rei(vbi integer homo indiuisim est diuersus ab equo,siue illi temperatè dissimilis)nego. Et concessâ absolutè minore, distinguo consequens. Ergo tales cõceptus inuicem sunt inter se distincti eodem pacto, quo sunt rationes conueniendi,& disconueniendi,nimirum per solam rationem,concedo. Aliter;nego.

Argumentum decimum sextum est. Actus super- 198
naturalis vitalis titulo supernaturalitatis exigit principium supernaturale, titulo vitalitatis principium vitale,& non è conuerso. Ergo vitalitas,& supernaturalitas talis actus ex naturâ rei distinguuntur. Hoc argumentum simile est illi. Deus intellectu intelligit,voluntate vult, & non è conuerso. Ergo intellectus, & voluntas ex naturâ rei distinguuntur. Respondeo ergo iuxta doctrinam traditam *n.183.* Si antecedens accipiatur in sensu formali, esse quidem verum;ad id tamen sufficere, quod vitalitas, & supernaturalitas actus propositi ratione distinguantur. Acceptum verò in sensu mere reali falsum est;quia dictus actus secundum vtramque formalitatem indiuisim exigit à parte rei vtrumque principium, à quo etiam indiuisim promanat. Recognosce,quæ ad rem sunt dicta *loco citato.*

Argumentum decimũ septimum. Species compo- 199
nitur ex genere,& differentiâ,sed omnis cõpositio fit

ex

ex distinctis: ergo genus, & differentia distinguuntur ex natura rei. Confirmatur primò. Genus, & differentia habent essentias diuersas, nam differentiæ, cùm sint oppositæ, non possunt habere eamdem essentiam cum vno genere. Ergo genus, & differentia inter se distinguuntur. Confirmatur secundò. Quia differentia secundum Aristot. *lib. 3. Metaph. text. 10.* est extra rationem generis. Tum differentia determinat genus, illudque contrahit. Sed nihil determinare potest, aut contrahere seipsum, aut esse extra rationem sui. Ergo differentia ex naturâ rei formaliter distinguitur à genere. Respondeo differentiam realiter identificatam cum genere, de quâ sermo est, dumtaxat per rationem nostram distingui ab illo; atque adeo compositionem ex genere, & differentiâ non esse physicam, sed metaphysicam, aut logicam; vnde differentia neque determinat, neque contrahit genus, neque est extra rationem eius re ipsâ; sed tantum conceptione nostrâ. Quo solum modo essentia generis, & essentia differentiæ diuersæ sunt. Tum à parte rei non magis opponuntur inter se differentiæ specierum, quàm ratio generis reperta in singulis, sed integra quæque species indiuisim est alteri opposita, siue ab eâ diuersa, vt paulo ante dictum est.

100 Argumentum decimum octauum. Scientiæ sunt de naturis vniuersalibus, non verò de singularibus. Ergo naturæ vniuersales ex natura rei distinguuntur à singularibus. Nego consequentiam: quia scientiæ sunt actus intellectus, qui attingere possunt vniuersalia, relictis singularibus, citra omnem eorum distinctionem ex natura rei, vt superiùs dictum.

101 Argumentum decimum nonum. Id, quod est de essentiâ Petri, distinguitur ex naturâ rei ab eo, quod non est de eius essentiâ: sed natura specifica est de essentiâ Petri, de quâ non est differentia indiuidualis: igitur hæc ab illâ distincta est. Respondeo differentiam indiuidualem intrinsecam indiuiduo, non minùs pertinere à parte rei ad eius essentiam, quàm naturam specificam. Tametsi: quia de singularitatibus non solemus scientiam habere, solùm censemus in essentiis, quæ sub scientiam cadunt, prædicata communia. Quo sensu id commune, in quo primò indiuidua conspirant, scilicet naturam specificam essentiam eorum appellamus, ad quod satis est distinctio rationis inter commune, & singulare. Mitto alia, quæ in dies exaggerant Scotistæ, & ad prædicta reuocari, vel ex dictis circa illa facillimè ab vnoquoque poterunt dilui.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum formalitates diuinæ, atque etiam creatæ identificatæ realiter per nostram rationem distinguantur?

102 QVod ad Deum attinet, non solùm de attributis communibus collatis inter se, & cum essentia, sed de personalibus etiam cum essentiâ comparatis tractamus. Ariani teste Ruiz *disputat. 12. de Trinit. sect. 1.* acriter oppugnabant in diuinis distinctionem rationis: quoniam videbant esse eam necessariam Catholicis ad defendendam consubstantialitatem Filij. Fuit etiam sententia Præpositiui, vt referunt Altisiodor. *apud* Maior. *in 1. distinct. 26. quæst. vnica sub initium* & S. Thom. *1. part. q. 32. artic. 2.* & *quæst. 40. artic. 1.* proprietates personales in abstracto, & personas in concreto, vt Paternitas, & Pater solo nomine, & vocabulo differre, & nullo modo ratione, neque conceptu.

Id ipsum videntur docere Nominales de attributis communibus tum inter se, tum cum essentiâ comparatis: dum absolutè pronunciant (vt ipsis cõmuniter à Thologis mox referendis attribuitur) ea ne per rationem quidem nostram distingui, opinantes scilicet vniuersè ea, quæ realiter sunt idem, neutiquam per rationem distingui posse. Ita Ocham *in 1. dist. 2. q. 2.* Gabriel. *q. 1. art. 2.* Gregor. *distinct. 8. q. 2. art. 1.* Maior. *dist. 8. q. 1.* Alliaceni. *q. 6. artic. 2.* Mayron. *dist. 8. q. 4.* Andreas de Castronouo *dist. 32. q. 2.* & Aureol. *in 1. dist. 8. q. 3. art. 2.* Quibus re ipsâ consentire videntur Magist. *in 1. distinct. 8.* & Auctor. Coment. in Boëth. *lib. 1. de Trinit.* dum aiunt attributa diuina distingui solùm secundum nomina, &, qui apud Nyphum *libr. 12. Metaph. disputat. 13. cap. 3.* asserunt omnia diuina Deo attributa synonima esse. Cæterùm, quanquam sententia ista, vt dicebam, communiter attribuatur Nominalibus citatis, & ipsi eam re verâ videantur tenere; Petrus tamen Hurtad. *disputat. 6. Metaphys. sect. 4. subsect. 1.* nouissimè conatur illos ab eâ vindicare, quasi solam distinctionem rationis se habentem ex parte obiecti, non verò item, quæ se habet ex parte actus, diuinis attributis, aliisque obiectis abnegauerint. Hanc verò interpretationem extortam esse inde mihi suadeo, quia, negatis præcisionibus obiectiuis, vt negant Nominales, ipso Hurtado testante; consequentiùs negatur etiam omnis distinctio rationis, vt apparebit ex dicendis præsertim *q. sequente.* 103

Communis tamen Theologorum sententia absolutè docet tum relationes personales ab essentiâ, tum etiam attributa communia tam inter se, quàm ab essentiâ distingui à nobis per rationem. Ita S. Thom. *1. p. q. 13. art. 4.* & *q. 14. art. 14.* & *q. 28. art. 2.* & *q. 39. art. 1.* & *2.* & *ibidem* omnes eius discipuli. Necnon *lib. 4. contra Gent. c. 4.* & *in 1. dist. 2. q. 1. art. 2.* & *3.* & *opusc. 9.* & *27. ad q. 4.* sæpeque alibi. Molin. *1. p. q. 28. art. 2. disp. 3.* Valent. *1. p. disp. 1. q. 13. punct. 3.* & *disput. 2. quæst. 2. punct. 4.* Soar. *disp. 7. Metaph. sect. 1.* & *lib. 1. de attrib. cap. 13.* & *lib. 4. de Trinit. cap. 4.* Vasq. *1. part. disput. 117.* Arrub. *disput. 10. cap. 13.* & Gran. *controu. 1. tit. 2. disp. 6.* & *contr. 5. tit. 3. disp. 3.* & *4.* Fasol. *1. part. q. 4. art. 2. dub. 14.* Alarc. *1 p. tit. 5. disp. 2. cap. 8.* Tan. *disp. 2. q. 2. dub. 3.* & *disputat. 4. q. 3. dub. 2.* Ruiz. *disp. 8. de scientia*, & *disp. 12. de Trinit.* Recupit. *lib. 3. de Deo q. 5.* Et apud eos alij plures ex antiquioribus. Qui omnes aut exprimunt, aut supponunt se loqui de distinctione rationis, quæ vulgò dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, non de alterâ ratiocinantis, quæ re verâ, prout exponi solet, distinctio rationis non est. 104

Pro cuius explicatione notandum est primò, communiter iam increbuisse diuisionem illam distinctionis rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, & in distinctionem rationis ratiocinatæ. Prima dicitur ab intellectu nostro fieri absque vllo fundamento in re, quando prædicatur à nobis idem conceptus de se ipso, vt cum dicimus *Petrus est Petrus*, quasi id sit Petrum per rationem nostram à se ipso distingui. Secunda est, quam noster intellectus concipit cum fundamento in ipsis rebus eamdem scilicet entitatem in diuersos conceptus, siue formalitates partiendo, vt hominem in animal, & rationale, Deum in sapientem, iustum, omnipotentem, &c. Sed verò distinctio rationis ratiocinantis, prout vulgò explicatur, apud antiquiores scholasti 105

scholasticos prorsus fuit inaudita, vt testatur eruditissimus Ruiz *tom. de scientia disp. 8. sec. 6. n. 3.* & *tom. de volunt. disp. 1. sec. 3. num. 17.* & *tom. de Trinit. disp. 12. sec. 2. n. 14.* Et quidem iure, quia re verâ non est distinctio, sed omnimoda identitas etiam rationis, vt *ibidem* docet ipse Ruiz, seu repetitio eiusdem, vt docet Vasquez *1. p. disp. 117. cap. 3.* qui idcirco eam pariter à ratione veræ distinctionis excludit: subscribit Alarc. *tit. 5. disp. 2. citatâ cap. 8.* Etenim, qui iudicat *Petrus est Petrus* non apprehendit duplicem Petrum, sed eundem apprehendit bis concipiens Petrum circa se ipsum exerceri per actum essendi essentialem; sicut cùm quis iudicat *Petrus cognoscit se*, bis Petrum ipsum apprehendit concipiens eum circa se ipsum exerceri per actum cognitionis. Quo iure *disp. 8. q. 3. diuis. 2.* huiusmodi actus circulares vocaui. Apprehendere autem idem bis non est illud adhuc per rationem distinguere; quia sicut ad distinctionem realem est necessarium, quòd plura sint re ipsa extrema distincta, ita ad distinctionem rationis requiritur, quòd plura sint in apprehensione, seu, quòd appareant plura. Qualiter nequaquam apparet, quod prædicatur de seipso vi duplicis apprehensionis, qua semel, vt subiectum, & iterum vt terminus actus essendi apprehenditur. Alioquin, si in prædicatione de verbo substantiuo *est* subiectum, & prædicatum necessariò apparerent duo, nulla possibilis esset prædicatio de verbo *est* vera in sensu formali, ad cuius veritatem requiritur vt subiectum, & prædicatum non solùm sint idem re ipsâ, sed etiam prout apparent in mente, id est, quod in mente non plura, sed vnum appareant, vt latiùs explicatum est suprà *disp. 2. q. cons. 4.*

206 Cæterùm, quanquam ex vi prædicationis, quâ vnumquodque prædicatur de se ipso, nulla distinctio rationis in illo fiat, imò impossibile sit eumdem conceptum obiectiuum à se ipso adhuc per rationem distingui aliquo genere distinctionis, vt paulò infrà ponderabo. Nihil tamen vetat posse intellectum nostrum pro arbitratu concipere vt plura id, quod realiter vnum, & idem est, subrogando scilicet pro eodem plura spectra, siue phantasmata sensibilia adæquata, seu similia, seu dissimilia, iuxta doctrinâ à nobis statutam *disp. 2. q. 3.* & iterũ tradẽdam postmodũ *q. 9.* Quo casu verè fiet distinctio rationis, ratiocinãtis non qua idem à seipso distinctũ sit, sed, quâ idem in plura multiplicetur; quia talis distinctio absque vllo oblato fundamẽto ex parte rerũ, sed prolibito dumtaxat fiet hominis ita apprehẽdẽtis, supposito modo connaturali, quem habet concipiendi per species alienas. Ex quo patet, quo sensu sit vera, & meritò retinenda diuisio illa distinctionis rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionem rationis ratiocinatæ. Ita, quod prima sit, quæ libere ab intellectu humano quoquomodo formatur, nullo ad id fundamento ex parte rerum conducente: siue illud aliàs adsit re verâ, siue secus. Secunda, quæ formatur reali aliquo inducẽte, aut etiã cogente fundamento.

207 Circa fundamenta autem, quibus innititur intellectus noster ad faciendam distinctionem rationis ratiocinatæ; non vna est Doctorum sententia. Nam Vasquez *disp. illa 117.* citatâ censet in re ipsâ, quæ per rationem distinguitur, nullum extare fundamentum ad talem distinctionem, sed solùm in aliis rebus distinctis realiter, relatè ad quas illa concipitur, dum per rationem multiplicatur; & in imperfecto modo, quem habemus cognoscendi per species alienas. Alij verò etiam in re distinguendâ reperiunt fundamentum ob distinctionem rationis ratiocinatæ, scilicet ipsius rei eminentiam, seu perfectionem, quæ meliùs per plures conceptus, quàm per vnum est cognoscibilis, quamque multi distinctionem eiusdem rei virtualem, eminentialem, seù fundamentalem appellant, iuxta primam acceptionem distinctionis virtualis relatam à nobis *suprà q. 6.* Sic P. Soar. *in Metaph. disp. 7. sec. 1. n. 4.* P. Ruiz loquens de Deo *tom. de scient. disp. 8. sec. 8.* & *tom. de Trinit. disp. 12. sec. 2.* P. Fasol. testans de communi *1. p. q. 4. art. 2. dubit. 14. n. 114.* & *117.* Tann. *1. p. disp. 2. q. 2. dub. 3. n. 6.* & alij, quos ibi citauimus. Consentit Ouiedo quantum ad Deum *cont. 4. Metaph. punct. 7.* Tametsi quantum ad creaturas sentiat cum Vasq. Addit tamen cum Ruiz *sec. illa 8. de scien. n. 3.* contra Vasquem ex parte cognoscentis non esse vnicum fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ solum imperfectum modum, quem nos habemus cognoscendi per species alienas. Posse enim etiam eos, qui cognoscunt per species proprias, & intuitiue, eiusmodi distinctionem in rebus cognitis efformare. Id, quod & alij plures sentiunt *q. 12.* referendi.

Ego arbitror primò, eos, qui per species proprias 208
intuitè vident obiecta, nullam in illis distinctionem rationis per eiusmodi cognitionem posse formare. De quo ex professo in *dicta q.* est tractandum. Secundò arbitror supposito modo imperfecto cognoscendi, quem nos habemus pro hoc statu, duplex extare fundamentum ex parte rerum etiam creatarum inducens nostrum intellectum ad distinguendas in illis varias formalitates, alterum extrinsecum, alterum intrinsecum ipsis: extrinsecum est multa, & diuersa connotata, relatè ad quæ vnamquamque rem ex necessitate concipimus, iuxta modum, quem habemus acquirendi rerum notitias, earumdemque formandi conceptus. De quo multa sunt dicta à nobis *disp. 2. q. 3.* sæpeque *aliàs*. Quotiescumque enim comparamus rem ad connotatum diuersum, diuersum solemus formare conceptum eius, vt ex ibidem dictis constat. Possunt etiam dici fundamentum extrinsecum ea, ad quorum instar alia distinguimus, vt si distinguamus in Deo intellectionem, & volitionem ad instar nostræ intellectionis, & volitionis, quæ realiter distinctæ sunt. Necnon principia, quibus inducimur ad cognoscendam vnam rei formalitatem præ reliquis, iuxta doctrinam traditam suprà *disp. 2. q. illa 3. citata*, tradendamque iterum *infra q. 9.* Intrinsecum autem fundamentum est aliqua rei cognoscendæ veritas, quam nos citra diuersum connotatum, sine diuerso nihilominus formato in ipsâ re conceptu non possumus vllomodo percipere e.g. dum iudicamus de homine, quòd potest intelligere, non possumus non formare duos conceptus, iuxta doctrinam de modo nostro iudicandi *disp. 2. q. 4.* & sæpe alias repetitam: alter est potentia ad intelligendum, alter subiectum, cui talem potentiam tribuimus, cùm tamen vtriusque conceptus vnicum tantùm sit extrinsecum connotatum nempe intellectio. Tantumdemque euenit, dum iudicamus de homine, quod potest sentire. Habemus itaque in homine conceptum potentis intelligere conflatum ex potentiâ intelligendi, & subiecto eius per ordinem ad connotatum intellectionis. Parilerque cõceptum potentis sentire in ordine ad connotatum sensionis, qui sunt conceptus animalis, & rationalis. Rursumque dum iudicamus *rationale est animal*; alium conceptum superaddimus absque vllo addito connotato, qui est actus essendi, siue identitas formalis inter animal, & rationale. Simili modo in Deo Trinitas personarum in vnitate essentiæ fundamentum est vrgentissimũ ad distinguẽdas per rationem ipsas personas ab essẽtiâ: quia nos nõ possumus iudicare

veritates

veritates spectantes ad hoc mysterium, nisi apprehendamus essentiam vt quid distinctum à relationibus, & vice versâ, vt ex dicendis *q. 9. prop. 1.* constabit. Intellectio etiam diuina, potentia ad intelligendum, & subiectum intellectiuum fundamentum nobis præbent citra realem connotatorum distinctionem ad illa formaliter per nostram rationem distinguenda. Itaque non solùm connotata, aut alia quæpiam rebus cognoscendis extrinseca, sed etiam veritates ipsis intrinsecæ fundamentum nobis dant ad distinctionem rationis ratiocinatæ, quando eiusmodi sunt, vt à nobis sine diuersis formatis conceptibus concipi nequeant.

209 Hæc dicta de distinctione rationis non ficta, quæ meâ sententiâ à distinctione reali prouenit sensibilium phantasmatum, in quibus vt in substitutis cognoscimus nos pro statu præsente cuncta insensata, in quibusque subinde distinctum, multiplicatumve in plura apparet id, quod in se realiter est vnum, & idem, vt ex dictis *disput. 2. quæst. 3.* constat, ampliusque constabit ex dicendis *quæst. 9.* ob id huiusmodi distinctionem supposititiam ego appello. Quidquid alij dictâ *quæst. 9.* impugnandi putent eam à distinctione cognitionum prouenire formaliter, quibus à nobis cognosci solet, quod realiter vnum, & idem est, ideoque non tam ex parte obiecti, quàm ex parte ipsarum cognitionum se habere.

Cæterum ob omnibus præterea alia distinctio rationis ficta adstruenda est; eam nimirum, quam nos extremis realiter identificatis tribuimus, dum illa per deceptionem realiter distincta putamus, taliaue citra deceptionem per simplicem solùm apprehensionem concipimus. Quæ quidem etiam potest diuidi in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionem rationis ratiocinatæ. Prima dicetur, quæ pro mero nostro arbitratu inter extrema realiter identificata à nobis apprehensa fuerit. Secunda, quæ aliquo ad id ex parte rerum fundamento inducente à nobis inter talia extrema fuerit concepta; quale adest quidem, quando decepti iudicamus talia extrema realiter esse distincta; aut saltem an talia sint dubitamus, siue in quæstionem vertimus. Quomodo autem huiusmodi distinctio rationis ficta supposititiam necessariò supponat, atque adeo solùm ab iis, qui cognoscunt per alienas species, & consequenter in substitutis alienis, fingi, & concipi possit; non verò itidem ab iis, qui per species proprias cognoscunt, obiectaque subinde cognita in ipsismet immediatè tanguit ex dicendis *q. 12.* compertum fiet.

210 Porro distinctio quæuis rationis, quemadmodum de reali diximus *supra. q. 2.* & fundamentaliter & formaliter sumi potest. Fundamentaliter sumpta nihilo differt ab ipsis extremis distinctis, quâ ratione inter se distincta, seu plura sunt nimirum in mente nostrâ obiectiuè; formaliter autem sumpta ille actus obiectiuus est, quo nos concipimus vnum dictorum extremorum, prout sunt in mente nostrâ obiectiuè distingui ab alio, & vice versâ. Quemadmodum enim Petrus & Paulus extrema sunt seipsis à parte rei fundamentaliter distincta, formaliter autem distincta euadunt ad actu obiectiuo distinctionis, quem eis tribuimus, cùm dicimus *Petrus, & Paulus à parte rei inuicem distinguuntur*, iuxta modum, quem iudicandi habemus expositum *suprà disput. 2. quæst. 4.* & sæpe *alibi*. Ita rationalitas, & animalitas Petri extrema sunt seipsis distincta fundamentaliter, prout sunt in mente nostrâ obiectiuè; formaliter autem distincta euadunt ab actu obiectiuo distinctionis, quem eis tribuimus cùm dicimus; *rationalitas, & animalitas Petri, prout nobis apparent, siue prout sunt in mente nostrâ obiectiuè, inuicem distinguuntur*. Quomodo autem rationalitas, & animalitas, & aliæ quæque formalitates à parte rei identificatæ extrema sint, prout nobis apparent, siue prout sunt in mente nostrâ obiectiuè seipsis distincta modo dicto, & nihilominus non fictitia, sed vera extrema, veræque rerum formalitates sint; ex dicendis *q. 9.* compertum fiet.

Aduertendum tamen est hic pro dictis iam in su- 211
perioribus, dicendisque in sequentibus. Vbicumque de distinctione extremorum, siue reali, siue rationis absolutè, & sine aliquâ declaratione agitur, non de formali, sed de fundamentali distinctione in ipsis extremis consistente sermonem esse. Quia isti fundamentales conceptus rerum sunt, quos venamur, dum de eis absolutè, & sine reflexione tractamus, non de formalibus, quos illæ induunt à nostro modo iudicandi, seu concipiendi, vt ex dictis *disput. 2. quæst. 3.* & 4. & *disputatione 8. quæst. 1.* & 2. colligere est.

Addo vt distinctionem realem extremorum in- 212
dispensabiliter comitatur negatio identitatis eorum, quâ verè dicitur vnumquodque non esse alterum à parte rei; ita distinctionem rationis extremorum indispensabiliter etiam debere comitari negationem identitatis eorum, quâ verè dicitur vnumquodque non esse alterum, prout nobis apparent, siue prout sunt in mente nostrâ obiectiuè. Alioquin non erunt verè distincta per rationem. Quomodo autem huiusmodi negatio identitatis, non tam formalis, quàm illatiua distinctio dicenda sit ex dictis *q. 2.* satis est notum. De quibus omnibus plura *in sequentibus quæstionibus* dicenda sunt. Pergo iam ad resolutionem præsentis.

Propositio 1.

Essentia, & relationes diuinæ inter se se distin- 213
guuntur per nostram rationem. Quemadmodum etiam essentia, & attributa communia, ipsaque attributa inter se.

Hæc propositio quoad primam partem constat imprimis ex locis Concilij Florentini relatis à nobis *suprà q. 4. proposit. 1.* Vbi expressè habetur substantiam, & personam diuinam *Secundum modum intellectionis nostræ differre*, & rursus semel, & iterum *sola ratione, aut intelligentia differre*. Puta tanquam includens ab incluso. Persona enim per rationem nostram ex relatione, seu personalitate, & ex substantiâ, seu essentiâ coalescit.

Deinde integra propositio planè probatur pri- 214
mum ex scriptura quatenus loquente in plurali de perfectionibus diuinis etiam toti Trinitati communibus. Ad Rom. *Inuisibilia ipsius* &c. Ioan. 6. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*, &c. Deinde ex Conciliis. Præter Florent. enim citatum Sexta Synodus generalis. *Actione 11. in Epist. Sophronij approbata Actione 13.* docet aperte, *Per nostram intelligentiam separari perfectiones diuinas, quæ iure separabiles non sunt*. Præterea ex testimoniis Patrum, quorum primum locum obtinent ea, quæ expressè ponunt distinctionem rationis inter diuinas personalitates. Basil. *lib. 1. contra Eunom. proprius ad medium, quam ad principium* ait. *Quæcumque repentinâ comprehensione simplicia videntur ac vnica, varia verò ac multiplicia, si subtilius exquiruntur, hæc cum mente diuidantur, opinione sola diuisa dicuntur*. Et infra. *Incorruptibilem, ac ingenitum Deum dicimus diuerso mentis obiectu his nominibus*

appellantes. Cyrill. Alexan. *lib.* 11. *Thesau. cap. vnic.* Paulò post medium ita habet. *Non omnia, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant. Reliquum est igitur, vt voce, modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus.* Nazian. orat. 35. quæ est 3. de Theol. circa medium dicit. *Vnam quoque Dei essentiam, & naturam, & appellationem esse. Tametsi per cognitiones quasdam distinctas, nomina quoque simul distinguantur.* Et *orat. 36. quæ est 4. de Theol. propius ad medium, quam ad principium. Cùm naturæ*, inquit, *animo, & cognitione distinguantur: simul quoque nomina diuiduntur.* Damasc. *lib.* 1. *fidei cap.* 11. Loquens de essentia Dei ait. *Quod in ea dictum est, cogitatione sola distinguitur.* Secundum locum ad probandam propositionem habent alia Patrum testimonia, quibus asseritur diuersam esse significationem nominum, quæ dicuntur de Deo, & quod vno nomine significatur, alio non significari, quod planè supponit distinctionem inter significata nominum. Ita apud præcitatos DD. docent. Iustinus *in expositione fidei de Trinitate non longè à principio*. Basil. *lib. 2. contra Eunom. pag.* 2. Athanas. *dial.* 1. *de S. Trinitate contra Anomœum col.* 2. & *lib.* 1. *dialog. de S. Trinit. contra Maced. initio.* Nyssen. *lib. de differentia essentiæ, & hypothaseos.* Nazian. sæpissimè *orat.* 13. 32. 35. 36. 44. & 45. Cyrill. Alex. *dial. de Trinit. lib.* 2. *post medium.* Damasc. *lib.* 1. *fidei cap.* 6. Ambrosius *lib. de Incarnationis dominicæ mysterio cap.* 9. Hilar. *lib.* 8. *de Trinit. prope medium.* August. *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 1. 2. & 4. Ansel. *lib. de Incarnatione Verbi cap.* 3. & *tit. de processione Spiritus sancti* frequenter, & alij. Tertio loco sunt pro eadem propositione Patres, qui ad affirmandum, aut negandum aliquid de Deo, dictionibus reduplicatiuis vtuntur, quæ manifestè supponunt distinctionem formalitatum, seu rationum formalium per intellectum factam. Ita loquuntur Athan. *dialogo.* 1. *citato de S. Trinit. contra Anomœum in medio, & orat.* 4. *contra Arrian. colum.* 3. Basil. *lib.* 5. *contra Eunom. sub initium.* Chrysost. *homil.* 1. *in Ioann. circa medium.* Cyrill. Alex. *dialogo de Trinit. lib.* 1. *post medium*, & *lib.* 2. & 7. *prope med.* Damasc. *lib.* 1. *fidei cap.* 6. August. *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 5. & *in Psal.* 68. *colum.* 3. & alij. Quartum locum habent Patres, qui supponentes in Deo esse plura, affirmant ea omnia esse vnum, quod aliter nequit intelligi nisi de pluralitate per rationem, & omnimodâ vnitate reali. Horum testimonia multa indicauimus *suprà q.* 4. & 5. Quintũ locum obtinent Patres, qui vnanimiter docent nomina, quæ de Deo dicuntur, non Dei essentiam, sed quæ circa Essentiã sunt, in ipsâve inspiciuntur, significare. Quorum multa etiam testimonia proferemus suo loco vbi de essentia & attributis Dei sermo sit. Postremo deniq; loco sunt, qui de diuinis attributis, seu perfectionibus in numero plurali loquuntur, quorũ etiam aliqua testimonia in locis citatis reperies. Hi enim modi loquendi manifestè supponunt distinctionem rationis inter essentiam, & attributa ipsa. Nullatenus enim posse Patres quoad loquutiones istas intelligi de pluralitate aliquâ, seu distinctione reipsa conueniente attributis independenter à nostro modo concipiendi, satis superque in superioribus est demonstratum etiam, ex ipsis Patribus, tum contra alios, tum contra Scot.

216 Præterea probatur propositio primò ab experientiâ ipsâ. Nemo enim est, qui non experiatur plures se conceptus, eosque diuersos formare de perfectionibus diuinis, quod ipsum est eas distinguere per rationem. Confirmat id tam multiplex impositio nominum, quæ ad diuinas perfectiones significandas sunt imposita, nomina enim diuersa ad diuersos conceptus significandos solent communiter imponi. Perperamque, & prorsus temerè contra omnes Theologos, atque etiam contra Patres quispiam assereret omnia nomina, quæ de Deo dicuntur, esse synonima eumdem prorsus conceptum significantia. Secundò, quia sæpissimè agimus de aliquo attributo, de aliquâve perfectione Dei omnino immemores reliquarum: ergo hanc à reliquis manifestè tunc cognitione nostrâ præscindimus, atque distinguimus. Tertio sæpissimè vnum attributum alteri, aut vnam perfectionem alteri comparamus vt similem illi, vel dissimilem, vt æqualem illi, vel inæqualem, vt priorem illâ, vel posteriorem. Palam est autem tales comparationes non posse fieri, nisi inter extrema, quæ concipiuntur distincta. Quartò attributa, siue perfectiones Dei apud nos diuersas subeunt definitiones, descriptiones, demonstrationes, & reduplicationes. Quod licet argumento non sit eas distingui ex naturâ rei, vti prætendunt Scotistæ, apertè tamen probat eas per rationem nostram distingui. Quintò: non adeo est euidens vnum attributum ab alio ex naturâ rei non distingui, vt Scotistæ non opinentur oppositum: cùm tamen euidentissimum sit idem attributum à seipso nullatenus posse distingui; tum faciliùs assentimur propositioni, in quâ idem attributum dicitur de se ipso; quàm propositioni, in quâ vnum dicitur de alio: ergo concipimus ea inter se distincta. Patet consequentia: quia si non magis distinctam apprehenderemus sapientiam à iustitiâ, quàm sapientiam à sapientiâ, æque euidens, & assensu facile esset sapientiam esse iustitiam, quàm sapientiam esse sapientiam. Hæc satis modò. Nam, quæcumque producemus *quæst. seq.* ad probandum intellectum nostrum præscindere ex parte obiecti vnam diuinam formalitatem ab aliâ, apprimè propositionem, de quâ nunc agimus, comprobabunt.

Propositio 2.

Distinctio essentiæ Dei, & attributorum tum personalium, tum communium, de quâ in *propositi* 1. rationis ratiocinatæ est, non verò solùm rationis ratiocinantis. 217

Est certum primò, quia ita sentiunt omnes Theologi, & omnes Patres commemorati, cùm tribuant essentiæ Dei, & attributis tum personalibus, tum communibus distinctionem rationis, quæ verè talis sit, & eis conueniat ex modo ordinario, & communi, quem nos habemus ea concipiendi, & per nomina illis imposita significandi, qualis sola distinctio rationis ratiocinatæ est: nam distinctio rationis raciocinantis, iuxta vulgarem eius notionem verè non est distinctio, sed summa identitas, & repetitio eiusdem conceptus, neque illa vnquam in mentem scholasticorum antiquiorum, nedum priscorum Patrum venit, vt dictum *n.* 205. Prout autem à nobis admittitur, cum prorsus sit arbitraria, & à nullo fundamento ex parte rerum se habente dependens, nec potest ordinaria aut communis in concipientibus diuina esse, nec possunt diuinorum diuersa nomina iuxta eam tam vniformi consensu imposita fuisse, aut in dies ad illa significandi tam vniformiter vsurpari,

Secundò, quia certum est etiam, & ipsâ experientiâ manifestum eam conceptuum pluralitatem, quos formamus de Deo, iuxta dicta nuper, non ex me- 218

to arbitratu nostro, sed ex modo connaturali, quem cognoscendi habemus, & rebusque ipsis suam trahere originem, Quod ipsum est distinctionem inter conceptus eos plures repertam rationis ratiocinatæ esse.

219 Tertiò, quia certum est pariter non posse nos pro hoc statu omnes diuinas perfectiones distinctè vno obtutu complecti, atque adeo coactos esse naturaliter ad Deum paulatim, & quasi per partes cognoscendum; quod est coactos esse ad distinguendas per rationem ipsas perfectiones diuinas, & consequenter huiusmodi distinctionem non esse in nobis prorsus spontaneam, sed aliunde, quàm ab arbitrio nostro inductam, in quo consistit esse eam rationis ratiocinatæ.

220 Quarto denique, quia non minus est certum dari tam in Deo cognito, quàm in rebus, ad quas comparatur fundamenta, quæ nos inducant ad prædictam distinctionem faciendam, iuxta dicta *n.* 208. Ergo omnino credendum est eam in talibus fundamentis fundari, atque adeo rationis ratiocinatæ esse.

221 Obiici tamen potest primò contra vtramque propositionem statutam. Omnis distinctio faciens aliud, & aliud, atque adeo faciens pluralitatem, aduersatur vnitati, atque adeo simplicitati Dei. Sed talis est distinctio rationis ratiocinatæ. Ergo ea vnitati Dei, simplicitatique aduersatur, & consequenter à Deo procul est releganda. Distinguo maiorem: omnis distinctio faciens aliud, & aliud à parte rei (præter personarum distinctionem) aduersatur vnitati, atque adeo simplicitati Dei concedo: faciens aliud, & aliud dumtaxat per rationem; nego; & concessâ minore, nego consequentiam. Quoniam vt perfectio diuinæ simplicitatis à nostrâ conceptione non pendet in suo esse realis; ita neque per nostram conceptionem potest aliquid illi detrahi, quacumque demum ratione Deum concipiamus, vel vno, & simplici conceptu, vel pluribus. Aliàs etiam spiritualitati Dei obesset, quod illum instar corporei conciperemus, vti reuerà concipimus pro hoc statu, quin possimus aliter, iuxta dicta *disputat. 2. quæst. 3.*

222 Secundò obiicitur. Perfectæ simplicitati omnis compositio aduersatur: sed si in diuinis admittatur distinctio rationis, compositio saltem rationis est admittenda: ergo si in diuinis admittatur distinctio rationis, aliquid est admittendum oppositum perfectæ Dei simplicitati. Respondeo pariter perfectæ simplicitati reali, qualis est diuina, nullatenus aduersari compositionem solius rationis. Quare lubens ego illam, & absque vllo prorsus inconueniente admitto in Deo cum Vasq. *1. p. disp. 22. c. 2.* Soar. *lib. 1. de essen. & attrib. cap. 4. n. 8.* Gilli. *lib. 2. tit. 4. c. 14.* & *titul. 6.* Tann. *disputat. 2. quæst. 2. dub. 3. num. 9.* & aliis.

223 Tertiò obiicitur. Res omnino simplex, qualis est Deus non exigit repræsentari, & cognosci tanquam multiplex sub conceptibus, seu formalitatibus diuersis, sed potiùs tanquam vna & indiuisa, sicuti est in se. Ergo si vt multiplex à nobis concipitur, absque fundamento ex parte ipsius rei se habente concipitur, & consequenter non distinctione rationis ratiocinatæ, sed ratiocinantis distinguitur. Admisso imprimis antecedente, nego consequentiam; quia vt sit ex parte rei cognoscendæ fundamentum distinctionis rationis, non opus est, quòd ipsa talem exigat distinctionem, sed sufficit, quod ea sit talis, vt ab aliquo intellectu distinctè, quoad omnes suas veritates nequeat cognosci nisi distinctione rationis interueniente. Deinde distinguo antecedens: res simplex non exigit cognosci vt multiplex absolutè concedo; casu, quod ab intellectu nostro distinctè sit cognoscenda, nego. Et nego consequentiam.

Propositio 3.

Aliquæ perfectiones diuinæ absque respectu ad creaturas distinctas, vt ad extrinseca, atque diuersa connotata distinctione rationis ratiocinatæ distinguuntur à nobis. 224

Ita Ruiz *disp. 12. de Trinit. sect. 4. n. 2.* & Tañer. *suprà dub. 4.* cum S. Thom. Molin. Gillio, & aliis ab eo relatis. Constatque ex doctrinâ præmissâ suprà *num. 208.* vbi ostendimus citra omnem connotatorum extrinsecorum distinctionem, sæpe ipsas veritates rei cognoscendæ præbere nobis fundamentum sufficiens ad efformandam distinctionem rationis (quæ eo ipso rationis ratiocinatæ erit) quatenus illas eo, quem habemus, modo imperfecto cognoscendi, absque huiusmodi distinctione non valemus cognoscere. Sic personalitates diuinas ab essentiâ distinguimus; sic essentiam Dei metaphysicam ab eius passionibus: sic potentias, siue actus primos à secundis immanentibus, & alia huiusmodi.

Dixi absque respectu ad creaturas distinctas, vt ad extrinseca, atque diuersa connotata, quia aliter, quàm vt connotata, non possunt non distinctæ creaturæ, seu potiùs distincta phantasmata sensibilia interponi, quoties distinctos conceptus formamus de Deo, hoc ipso, quod eum per species alienas rerum sensibilium cognoscimus, iuxta doctrinam à nobis *suprà* statutam *disp. 2. quæst. 3.* tradendamque *quæst. seq.* Id enim fert secum modus connaturalis, quem habemus cognoscendi per species alienas. Neque aliud fortassis voluit Vasq. cùm dixit absque habitudine ad res distinctas non posse nos in Deo distinguere per intellectum attributa, Idque ipsum videtur velle Tann. *suprà assert. 2.* dicens cum aliis à se relatis, attributa diuina à nobis distingui non posse sine respectu quasi virtuali, seu habituali ad creaturas distinctas. 225

Propositio 4.

Relationes, seu personalitates diuinæ ab essentiâ, tanquam modi à re distinguuntur per nostram rationem. 226

Ita Ruiz *disput. 12. de Trinit. sect. 5.* cum Henr. Alex. Albert. Ricard. Bonauent. & aliis. Estque constantissima Patrum sententia sæpe appellantium modos essentiæ, siue substantiæ Dei personalitates diuinas, seu relationes, vt videre est in Iustin. *in expositione fidei de Trinit. sub initium*, & *q. 129. ad Orthodoxos.* Basil. *lib. 4. contra Eunom. sect. 2.* & *lib. 5. paulo post medium.* Nyssen. *libr. Quod non tres dij ad Ablauium prope finem.* Nazian. *orat. 29. inter medium & finem.* Cyrill. Alex. *lib. 11. Thesau. cap. 1. circa finem*, & *in Dialogo de Trinit. lib. 1 inter medium & finem*, & *lib. 2.* frequenter. Theodoret. *in in epitome diuin. decret. lib. 5. cap. 3.* Anastasio Synaita *de rectæ fidei dogmatibus libr. 1. propè medium.* Damasc. *lib. 1. fidei cap. 9. 11. & 13.* Alexand. Alexandri. *in epistola ad Alexand. Constantinopol. col. 3. lib. 1. Actorum ante Concilium Nicænum.* Richard. Victorin. *libr. 4. de Trinitat. capite 19. & 24. lib. 5. cap. 5. & 6.* Quorum verba recitat Ruiz *loco citato.*

Impulsi

227 Impulsi sunt autem Patres, teste Ruiz, ad asserendum personalitates diuinas esse modos essentiæ, vt defenderent contra hæreticos, ac potissimum contra Arianos totam substantiam, & essentiam Patris, & totum quod quid est Patris, conuenire Filio, licet illi non conueniat Paternitas, quia hæc non est substantia, & essentia, sed modus substantiæ, & essentiæ. Verùm ad hoc non satis esset quòd personalitates diuinæ essent modi essentiæ per rationem nostram dumtaxat, nisi etiam à parte rei virtualiter essent tales, iuxta doctrinam à nobis traditam *quæst. 6.* Inde tamen probatur debere nos etiam illas vt modos essentiæ concipere, vt hoc mysterium intelligere, atque defendere valeamus ad mentem Patrum.

228 Absolutè autem inde constat, concipere nos vt modos essentiæ personalitates diuinas; quia illas concipimus vt relationes, siue ut subsistentias per se ipsas necessariò affixas essentiæ ipsi, quod est esse eas ex suo conceptu ipsius essentiæ modos.

Propositio 5.

229 Reliqua etiam attributa communia tanquam modi quidam à re distinguuntur ab essentiâ Dei metaphysicâ per nostram rationem ex suo primario conceptu.

Quoniam vt ex doctrinâ generali traditâ *disp. 2. q. 4.* & *disput. 8. q. 1.* & *2.* colligitur omnia prædicata diuina, qualia sunt attributa, ex suo primario conceptu actus quidam sunt siue primi, siue secundi, & consequenter modi quidam vnius subiecti radicalis, de quo prædicantur, & in quo essentia Dei metaphysica posita est, vt suo loco ostendemus. Tametsi, quæ transcendentia sunt, aliorum insuper subiectorum, præterquam dictæ essentiæ, sint actus, atq; adeo modi iuxta ibi dicenda. Dico autem ex suo primario conceptu, quia ex secundariis aliter quàm vt modi essentiæ, sæpè concipi solent, iuxta doctrinam etiam vniuersalem traditam *disput. 2. quæst. 3.*

230 Ex quibus facile erit cuique colligere, quo pacto attributa communia Dei inter se se per rationem distincta sint. Quomodo autem modo distinctione adæquatâ, modo verò inadæquatâ, siue includentis ab incluso valeant, & soleant distingui aut ab essentiâ, aut inter se, ex dictis de differentiâ conceptuum abstractorum, & concretorum *disput. 2. q. 4.* citatâ compertum est; & ex dicendis in sequentibus magis conspicuum fiet.

Propositio 6.

231 Formalitates itidem cuiuslibet entis creati, quæ cùm sint identificatæ realiter, diuersos conceptus sibi vendicant oriundos ab intellectu nostro, diuersisque à nobis vocabulis non synonimis nuncupantur, distinctione rationis ratiocinatæ oriunda etiam à nostro intellectu sunt distinctæ inter se.

Huiusmodi sunt in homine formalitates substantiæ, viuentis, sensibilis, rationalis, admiratiui, risibilis, & cæteræ huiusmodi; & in quouis aliorum entium formalitates, ex quibus, illud per intellectum nostrum coalescit. In hanc propositionem omnes conueniunt: ex dictisque circa præcedentes satis conspicua est, quia, vt nos Deum intellectu nostro in multas formalitates partimur, ita quoque partimur quodlibet aliud ens, cùm cuncta à nobis pro statu præsente eodem modo, quod ad rem attinet, cognoscantur, vt experientiâ constat. Quare hic ampliùs non est morandum.

Solùm aduerto idem etiam esse dicendum de formalitatibus chymerarum impossibilium, quæ suapte 232
essentiâ, & quiditate re ipsâ sunt identificatæ, & tamen à nobis, sicut & aliæ entium possibilium distinctæ concipiuntur, distinctionemque proinde rationis, perinde ac illæ, sortiuntur ab intellectu nostro.

QVÆSTIO IX.

Vtrum formalitates tum diuinæ, tum creatæ identificatæ realiter ita per rationem nostram distinguantur, vt aliæ ab aliis ex parte obiecti, siue obiectiuè præscindantur?

QVæstio hæc celebris facta est hac ætate, post- 233
quam noster Petr. Hurtad. in sua Philosophiâ sententiam in hac re Nominalium penè sepultam iam, atque obliuioni traditam suscitauit, & illustrauit. Tota autem difficultas quæstionis in eo stat, an intellectus noster ita obiectum alias re ipsâ insectile valeat sua cognitione diuidere, siue præscindere, vt aliquid eius cognoscat, & aliquid non cognoscat. e. g. an per eamdem cognitionem, quâ attingit in Deo omnipotentiam, possit sapientiam non attingere; & per quam attingit essentiam, personas, aut personalitates possit non attingere, vel vice versâ? An possit in entitate hominis cognoscere animal, ignoto omnino rationali, cùm tamen sapientia, & omnipotentia, essentia, & personalitates realiter sint idem in Deo, pariterque animal, & rationale sint idem in homine. Si enim id possibile est, fiet vtique, vt dum omnipotentiam Dei, & sapientiam, siue animal, & rationale hominis diuisim per duas cognitiones concipimus, perinde nobis illi duo conceptus ex parte obiecti appareant duo, atque inter se distincti, ac si re verâ tales essent, quod est vnum conceptum obiectiuum, siue vnam formalitatem ab aliâ identificata cum illâ per rationem nostram distingui, siue præscindi ex parte obiecti.

Quanquam autem hæc controuersia apud Scoti- 234
stas locum non habeat, quatenus ipsi non modo per intellectum, sed ex naturâ rei censent formalitates obiectiuas realiter identificatas distingui tam in diuinis, quàm in creatis. Ab eius tamen difficultate non omnimodè exempti sunt, quatenus distinctio solùm formalis, suppositâ reali formalitatum identitate, non videtur sufficere ad hoc vt vna formalitas cognoscatur, altera cum eâ identificata ignota realiter, iuxta argumentum à nobis factum contra ipsos *q. 5. num. 102.* & *seqq.* Igitur prædictas obiectiuas formalitatum præcisiones ab humano intellectus oriundas omninò impossibiles esse tam in diuinis, quàm in creatis sententia Nominalium fuit. Ochami *in 1. dist. 2 q. 2.* Gabr. *quæst 1. art. 2.* Greg. *distinct. 8. q. 2.* Maior. *dist. 8. q. 1.* Alliac. *quæst. 6. art. 2.* Aureol. *dist. 8. q. 3.* Mayron. *quæst. 4.* & aliorum. Quam iam exoletam, vt dicebam, Petr. Hurt. renouauit, acriterque defendit in *Metaph.* sparsim quidem & obiter per totam *disp. 5.* ex professo autem *disp. 6. sect. 4.* Quem postea sequuti sunt Arriag. *disput. 5. Logicæ sect. 2.* & *tom. 1. in 1. p. disp. 9. sect. 1.* & *seqq.* Ouied. *contr. 4. Metaph. punct. 8.* & alij Recentiores. Excipit tamen Arriaga mysterium Trinitatis,

tatis, vbi necessario censet esse admittendas præcisiones obiectiuas inter essentiam, & relationes ob distinctionem virtualem, quam habent: etsi in attributis toti Trinitati communibus, tum inter se, tum cum essentia comparatis nullam apud ipsum distinctionem virtualem habentibus in ordine ad prædicata contradictoria, æquè atque in rebus creatis censeat esse negandas. Cùm tamen Hurtad. & Ouied. vbique illas negent. Accedit Franciscus Alphonsus rem tractans solùm in creatis, & illas negans in logica *Tract. 1. disp. 4. sect. 2.*

235 Communis tamen Theologorum, ac Philosophorum sententia tum in creatis, tum in diuinis præcisiones obiectiuas formalitatum à nostro intellectu pro hoc statu orundas admittit. Pro quâ sine dubio stant S. Thom. & eius expositores. Quin etiam præter modernos paucos, & Nominales commemoratos omnes Theologi, & Philosophi (quidquid Hurtado refragetur) vbicumque distinctionem rationis ponunt, tum inter attributa diuina, tum inter formalitates creatas, eamque ex parte obiectorum se habere supponunt, vt videre est apud citatos *q. præced.*

236 Acuti quidam Recentiores ex nostris media quadam via incedentes dixerunt primò intellectum nostrum in diuinis obiectiuè posse præscindere. Secundò inter creata quædam esse, in quibus præscindere possit, nimirum relatiua. Quædam verò, in quibus non possit, nempe absoluta. Et quia putabant virtutes cauſatiuas rerum creatarum esse absolutas à suis effectibus adhuc vt possibilibus; in solis tandem entibus modalibus dicebant posse inueniri præcisionem; qualem ponebant inter actionem, & passionem, aliisque huiusmodi.

237 Est autem potissimum argumentum, quo Hurt. & alij Recentiores in sententiam Nominalium impulsi sunt. Fore, vt si intellectus noster præscinderet ex parte obiecti vnam formalitatem ab alia, duo simul vera sequerentur contradictoria, nempe cognosci re vera aliqua cognitione, & simul non cognosci eamdem indiuisibilem entitatem. Si namque cognoscitur animal, rationali non cognito; cùm animal, & rationale sint idem, fit vtique, vt idem simul cognoscatur, & non cognoscatur. Quod argumentum fusiùs vrgebo inferiùs pro Nominalibus; libaui tamen illud modo, vt possim in eosdem retorquere inter probandum meam sententiam.

Propositio 1.

238 Intellectus noster pro hoc statu non solum potest, sed prorsus debet circa mysterium Trinitatis obiectiuè præscindere, vt credere, & confiteri valeat veritates catholicas, quæ in tali mysterio fundantur.

Etenim quanquam mysterium hoc in suo esse à nostris præcisionibus non dependeat (in quo plus æquo fidunt Hurt. & Ouied.) Verùm, vt à nobis illud pro hoc statu cum omnibus veritatibus ipsi subnixis possit intelligi, omnino est nobis necessarium obiectiuè præscindere. Quod vt ostendam, supponio aliqua manifesta, & prorsus indubitata principia. Primum est. Omni propositioni formali, siue vocali ex parte obiecti respondere propositionem obiectiuam, circa quam versatur iudicium nostrum correspondens propositioni formali: id namque significamus vocabimus, quod mente concipimus.

239 Secundum est, quoties propositio obiectiua omnino manet immutata, siue his, siue aliis vocibus ea significetur, veritatem, aut falsitatem immutatam manere. Quia veritas, aut falsitas propositionis obiectiuæ à varietate vocum illam eodem modo significantium non pendet; atque adeo nec veritas, aut falsitas propositionis formalis his vocibus, potiùs quàm aliis est alligata; sed ex quibuscumque compingatur, immobiliter erit vera, vel falsa, si semper est eadem propositio obiectiua per tales voces significata. Vnde manifestè consequitur, quoties duæ propositiones vocales eamdem prorsus obiectiuam significant, aut vtramque falsam, aut vtramque veram necessariò debere esse, nec fieri posse, vt altera sit falsa, & altera vera. Ita si hæc propositio est vera: *hæc vestis est mea*, & hæc necessariò erit vera: *hoc indumentum est meum*; & si falsa, falsa: quia vtriusque obiectum idem est prorsus.

Tertium est. Qui auditis diuersis propositionibus 240
formalibus, eamdem semper apprehendit propositionem obiectiuam, æquè illi poterit assentiri per iudicium, aut non assentiri, siue per hanc, siue per illam propositionem formalem significetur, quia impertinens est variatio vocum respectu apprehendentis semper idem significatum. Vnde, qui non potest, aut, cui non licet assentiri propositioni obiectiuæ apprehensæ ex vi huius formalis, nec poterit, nec ipsi licebit assentiri eidem apprehensæ ex vi alterius.

Quartum est. Si repugnat præscindi per cogni- 241
tionem vnam formalitatem ab alia, etiam repugnare præscindi per significationem vocis. Est clarum, primò: quia non est magis impossibile cognosci vnum, & non aliud identificatum cum illo, quàm significari vnum. & non aliud identificatum cum illo, vt constat; quandoquidem eamdem inuoluit, aut non inuoluit contradictionem significari vnum re verâ per aliquam vocem, & non significari per eamdem, quod est idem cum illo, ac repræsentari vnum re verâ per aliquam cognitionem, & non repræsentari per eamdem quod est idem cum illo. Secundò, quia, qui non potest cognoscere vnum ab altero præcisum, nec poterit ei significari, aut ab ipso significari per vocem vnum ab altero præcisum, vt etiam est notum. Vnde planè consequitur, qui negant possibiles præcisiones obiectiuas respectu cognitionis, non posse non pariter illas negare respectu significationis vocis.

Quintum est. Eidem prorsus propositioni obie- 242
ctiuæ assentiri simul, & dissentiri impossibile esse: quia id esset assentiri simul duobus obiectis formaliter, & immediatè contradictoriis, quod repugnat nostro intellectui, saltem loquendo naturaliter, vti fatentur omnes.

Ex his, quæ manifestissima sunt. Arguo sic primò 243
pro statuta propositione. Si repugnat, subindeque de facto non datur præcisio obiectiua circa mysterium Trinitatis facta per cognitionem, & consequenter neque facta per vocum significationem, iuxta principiũ quartum; hæ duæ propositiones vocales: *Pater distinguitur à Filio. Essentia distinguitur à Filio* eamdem prorsus significabunt propositionem obiectiuam; quia vocis *Pater*, & vocis *essentia*, in qua solùm discriminantur idem omnino significatum erit, nempe tota, & indiuisa entitas Patris. Igitur, vel ambæ erunt veræ, vel ambæ falsæ necessariò; nec fieri poterit vt altera sit vera, & altera falsa, iuxta principium secundum. Absurdum. Quia certâ fide tenendum est primam dictarum propositionum veram, secundam autem falsam esse. Ergo omnino dicendum est, ne tale absurdum necessariò sequatur, circa

mysterium

mysterium Trinitatis, per vocum significationem, atque adeo per cognitionem etiam nostram obiectiue præscindi. Ita, quod vox *essentia* non totum Patrem, sed aliquid eius commune etiam Filio significet, nullatenus significatâ proprietate paternâ, quæ re ipsâ cum eo communi prorsus est idem. Idem argumentum fieri potest circa plures alias huiusmodi propositiones, ex quibus altera est vera, & altera falsa secundum fidem. Cùm tamen propositiones obiectiuæ eis respondentes penès præcisionem obiectiuam dumtaxat alicuius termini discriminentur. e.g. *Deus est Trinitas: Pater est Trinitas: Paternitas non communicatur filio: essentia non communicatur Filio: Filius producitur à Patre: essentia producitur à Patre*; *Humanitas Christi Domini vnita fuit immediatè Verbo: Humanitas Christi Domini vnita fuit immediatæ naturæ Patris*, &c.

243 Secundò idem argumentum aliter potest sic formari iuxta principium secundum. Quotiescumque propositio obiectiua est eadem, veritas, aut falsitas immobiliter est eadem, quibuslibet demum vocibus ea propositio obiectiua significetur. Sed si non datur circa mysterium Trinitatis præcisio facta per vocis significationem, propositio obiectiua respondens huic vocali *Deus est Trinitas*, semper est eadem, siue per hanc eamdem significetur, siue per quamlibet illarum *Pater est Trinitas*: *Filius est Trinitas*: *Spiritus sanctus est Trinitas*, vt constat, quia tali præcisione sublatâ, omnes illi termini *Deus*, *Pater*, *Filius*, *Spiritus sanctus* non possunt non habere idem omnino significatum quod habet *Deus*. Ergo siue dicamus *Deus est Trinitas*, siue *Pater est Trinitas*, &c. eamdem semper veritatem, aut falsitatem proferemus; cùm tamen fide sanctum sit, qui profert primam, verum dicere; falsum autem, qui secundam, tertiam, aut quartam.

244 Tertiò sic arguo. Seclusâ omni præcisione obiectiuâ, qui audit hanc propositionem vocalem *Pater distinguitur à Filio*, eamdem prorsus apprehendit propositionem obiectiuam, quam apprehendit hâc auditâ, *essentia distinguitur à Filio*, quia seclusâ omni præcisione obiectiuâ, obiectum vtriusque prorsus est idem, quandoquidem prædicatum in vtrâque idem est, subiectum autem non potest non etiam esse in vtraque totum, quod reipsâ est idem cum Patre. Igitur, qui audit hæreticum affirmantem propositionem secundam, æquè potest ei assentiri, ac potest assentiri catholico affirmanti primam, vel si secundæ assentiri nefas est, pariter nefas erit primæ assentiri, iuxtà principium tertium. Quod est immane absurdum; quandoquidem prima de fide est, & ex obligatione credenda, secunda hæretica, & detestanda.

245 Quartò. Seclusâ omni præcisione obiectiuâ, nemo potest assentiri huic propositioni, *Pater distinguitur à Filio*, quin assentiatur huic, *essentia distinguitur à Filio*, quia seclusâ omni præcisione obiectiuâ, obiectum vtriusque prorsus est idem, iuxta super dicta. Sed secundæ non potest quis assentiri per actum fidei diuinæ, cùm sit hæretica: ergo nec primæ. Ergo seclusâ omni præcisione obiectiuâ, nemo potest credere fide diuinâ mysterium Trinitatis, creditis propositionibus de fide, quæ ad ipsum pertinent, qualis est illa prima, & cæteræ huiusmodi, de quarum singulis idem potest fieri argumentum.

246 Quintò. Ex duabus propositionibus propositis *n. præc.* primæ tenetur vnusquisque assentiri, secundæ autem dissentiri ex fidei obligatione. Sed seclusâ omni præcisione obiectiua, idem omnino ambæ habent obiectum, vt ostensum est. Ergo si nulla datur præcisio obiectiua, eidem omnino obiecto tenetur vnusquisque ex fidei obligatione assentiri simul & dissentiri. Quod est teneri ad impossibile, iuxta principium quintum. Vel conuertendo. Impossibile est eidem omninò obiecto assentiri simul & dissentiri; iuxta idem principium. Sed sublatâ præcisione obiectiuâ, vtriusque illius propositionis est idem omnino obiectum, vt dictum. Ergo citra obiectiuam præcisionem impossibile est assentiri primæ, & simul dissentiri secundæ, prout fieri debet secundum fidem. Et consequenter sine obiectiuâ præcisione, nequaquam possunt à nobis credi veritates catholicæ, quæ circa Trinitatis mysterium per fidem proponuntur credendæ. Tantumdemque eisdem argumentis concluditur de veritatibus catholicis, quas circa mysterium Incarnationis tenemur credere.

247 Sextò denique. Sublatis præcisionibus obiectiuis oriundis à significatione vocum iuxta principium quartum, idem significabit, qui dixerit *essentia distinguitur à Filio* ac, qui dixerit *Pater distinguitur à Filio*. Ergo integrum erit vnicuique affirmare primam harum propositionum, æquè ac secundam. Aut si nequit primam, quia hæretica; nec poterit secundam. Rursus si neget primam, vti debet, affirmatâ secunda, idem simul affirmabit, & negabit sibi contradicendo. Aut si nequit sibi ipsi serio, & ex animo contradicere, vt reuerâ nequit, nequibit serio, & ex animo negare primam, & simul affirmare secundam, & consequenter nec poterit veritates catholicas, quas circa mysterium Trinitatis atque adeo etiam circa mysterium Incarnationis confiteri tenetur.

248 Tandem ratio à priori huius doctrinæ est, quia nos neutiquam possumus de vnico, eodemque conceptu obiectiuo apprehenso ex parte subiecti duo simul prædicata contradictoria distinctè concepta enunciare, quia id esset eidem omnino propositioni obiectiuæ assentiri simul, & dissentiri, siue idem prædicatum de eodem omnino subiecto simul affirmare, & negare. Quod nobis repugnat iuxta principium quintum. Vnde quando alicui rei realiter indiuisibili reverâ ralia prædicata conueniunt eo quod ob suam eminentiam virtualiter duplex est, necessariò sunt nobis proponendæ, repræsentandæque vt distinctæ obiectiuè illæ duæ formalitates, in quas eiusmodi res relatè ad talia prædicata virtualiter distincta est, vt de illis, tanquam de duobus subiectis, diuisiuè, atque distinctè possimus ipsa prædicata enunciare. Quod vtique fit in mysteriis Trinitatis, & Incarnationis, vbi prout nobis viatoribus proponuntur credenda, prædicata ex suo genere contradictoria non eidem conceptui per eamdem vocem significato, sed distinctis, qui vocibus diuersis respondent, attribuuntur, vt in exemplis suprà positis cernere licet. Vtrum autem in iis, qui intuitiuè vident ista mysteria, huiusmodi etiam formalitatum præcisio sit necessaria, vt eis assentiantur *q.* 11. examinabimus.

249 Petrus Hurtado *disp. illâ 6. metaph. sec.* 4. citatâ, cum sibi argumenta similia, licet non ita digesta opposuisset, respondet à §. 134. primò. Argumenta eiusmodi æquè esse contra sententiam satis communem P. Soar. & aliorum asserentium essentiam diuinam in conceptu relationum includi formaliter. Sed contra: quia opinio illa de inclusione formali essentiæ diuinæ in relationibus, vel eo nomine fortasse erit itidem reiicienda, quod aduersus eam etiam militant argumenta à nobis facta contra non

præscin

præscindentes, de quo tractandum *suo loco*.

Secundò respondet. Mysteria fidei à nostrâ formalitatum præcisione non dependere, cùm illa independenter omnino à nostris cognitionibus, imò, & ab earum possibilitate subsistant. Sed contra: ego non contendo probare mysteria in suo esse pendere à nostris præcisionibus obiectiuis: quod esset ridiculum; sed non posse nos illa intelligere, neque credere pro hoc statu sine obiectiuis præcisionibus; quod est valde diuersum; & absque dubio probant facta argumenta.

251 Tertiò respondet: quam ingerunt dicta argumenta difficultatem, cuius catholico esse communem, potiúsque nasci ex mysteriorum profunditate, quàm ex specialitate opinionum. Quod probat: quia in creatis, iuxta quamuis sententiam siue adstruentem, siue negantem pluralitatem obiectiuam formalitatum, quidquid verè, & realiter prædicatur de rationali, vere etiã, & realiter prædicatur de animali, vt in hac propositione, *Rationale est principium discurrendi*. Principium discurrendi verè prædicatur de animali, quia animal est idem realiter cum rationali: & licet non cognoscatur immediatè, & formaliter; cognoscitur tamen materialiter per cognitionem de rationali; atq; ita licet propositio non sit vera de animali in sensu formal, & reduplicatiuo; est tamen vera in sensu reali & specificatiuo. Ergo si in diuinis, perinde atque in creatis, liceat philosophari, hæc propositio: *Paternitas est Filiatio*, non potest non esse vera saltem in sensu identico, quia hæc: *Natura est Filiatio* vera est, & Paternitas à parte rei idem est cum naturâ. Cùm tamen hæreticum sit asserere Paternitatem esse Filiationem adhuc in sensu identico. Idemq; euenit in similibus propositionibus, vnde concludit supradicta argumenta non minus premere præscindentes quàm non præscindentes. Sed contra; quia male supponit Hurt per cognitionẽ præcisiuã vnius formalitatis non posse non attingi etiam à nobis alteram identificatam cum illâ saltem materialiter, & identicè. Id enim falsum planè est, quia in nostrâ sententiâ, quâ ratione vna formalitas ab aliâ per cognitionem præscinditur, ita diuisiuè ab aliâ cognoscitur, vt alia per talem cognitionem nullo omnino modo tangatur: nihilo enim magis concipit intellectus alias eiusdem rei formalitates, præter eam, quam suâ apprehensione præscindit, quàm si illæ in tali re non essent. Quod maximè in diuinis formalitatibus, de quarum præcisione modò tractamus, locum habet, quidquid sit de aliis, de quibus postea: quia, quâ ratione Paternitati. e.g. conuenit formaliter à Filiatione distingui, quin id conueniat essentiæ adhuc materialiter, & identicè: ita eidem Paternitati conuenit formaliter per cognitionem nostram præcisiuam attingi, quin id ne materialiter quidem, aut identicè conueniat essentiæ. Quo semel statuto, tota redargutio Hurt. cassa fit, vt apparet.

252 Quartò: absurda illata per argumenta supradicta ex cognitione viatorum non præscindente circa mysteria commemorata in cognitionem, quam Deus, & beati habent eorumdem mysteriorum, quamque ipse supponit, nullatenus præcisiuam esse conatur Hurtad. transferre, vt inde probet difficultatem esse communem, & vtrobique ab omnibus esse soluendam. Sed contra; quia vel Deus, & beati præscindunt etiam obiectiuè, dum dicta mysteria cognoscunt, vt quibusdam placet: vel alia est ratio de cognitione, quâ Deus, & beati intuentur ipsa mysteria, nec locum in eâ habent argumenta facta, de quo *infrà q.* 11. tractandum ex professo est.

Quintò tandem magis ad difficultatem accedens 253
respondet Hurt. §. 148. *& seqq.* per hoc iudicium: *Natura est Filiatio* (& eadem est ratio de similibus) ex parte subiecti, & naturam, & Paternitatem immediatè attingi absque vllâ præcisione; nihilominus tamen Filiationem non affirmari de Paternitate, sed de naturâ: quia Paternitas non est subsectum, eo quod propter virtualem distinctionem, quâ à naturâ distinguitur, fugit rationem subiecti in ea prædicatione. Sed contra primò, quia nemo hactenus cogitauit, nedum asseruit fieri posse, vt per iudicium nostrum non affirmetur prædicatum de integro conceptu obiectiuo apprehenso ex æquo, & directè ex parte subiecti. Et quidem iurè; quia si id possibile est, tota vis iudicatiua nostri intellectus irrita penitus, & cassa redditur, quia nesciri poterit de quonam ex contentis ex æquo, & directè in subiecto de facto affirmetur prædicatum per quamlibet enunciationem externam, aut iudicium internum; semel enim statuto vt possibili, quod possit de partè, & non de toto subiecto affirmari, quantumuis eodem modo concipiatur, quidquid est in ipso subiecto, sciri vtique non poterit etiam affirmante ipso, de quo affirmetur.

Contrà secundò. Cùm dicit Hurt. Paternitatem 254
non esse subiectum illius iudicij, sed naturam; aut per nomen Paternitatis significat aliquid à natura præcisum, aut significat totam entitatem Patris? Tantumdemque inquiro vice versâ de nomine naturæ. Si primum ipsâ suâ solutione planè præscindit ex parte obiecti Paternitatem à natura, & è contra, tum per significationem vocum, tum per cognitionem, quia id sine dubio mente concipit, quod significat ore. Eamdemque subinde præcisionem, quam negat, ipso exercitio negandi adstruit. Quo quid absurdius. Si secundum? Eamdem omnino propositionem absurdo non minore simul affirmat, & negat, nempe totam entitatem Patris esse subiectum, & simul non esse subiectum prædicti iudicij. Si autem dicat rursus Hurt. etiam in suis ipsius propositionibus Paternitatem, & naturam fugere rationem subiecti. Iterum supra hoc dictum reflectetur argumentum, & sic sine fine; quin possit vnquam significare, quod intendit, nisi tandem præscindat. Præterquam quod hoc esset etiam de suis ipsis propositionibus mysterium facere cæteris nostris impugnationibus euidentiùs expositum.

Contra tertiò. Nam ex doctrinâ huius Doctoris 255
manifestè consequitur his duabus propositionibus. *Natura est Filiatio: Pater est Filiatio*, eamdem omnino obiectiuam propositionem correspondere. In vtraq; enim tota enim entitas Patris ponitur ex parte subiecti, & prædicatum est idem. Ergo sicut prior est vera, verissimèque ei assentimur: quia Paternitas significata, & apprehensa ex parte subiecti simul, & indiuisim cum natura, refugit nihilominus rationem subiecti ob distinctionẽ virtualem, qua ab illa distinguitur. Pariter secunda erit vera, verissiméq; ei assentiemur ob eamdem rationem. At hoc sine errore in fide dici non potest, quia posterior propositio planè est hæretica; hæreticusq; esset citra dubiũ, qui illi, vt sonat assentiretur: quantumuis postea reflexè assereret tam in propositione externa, quàm in suo iudicio interno Paternitatem fugere rationem subiecti, non obstante, quòd de illa, & natura indiuisim, eodemque modo concepta prædicatum tum externè, tam internè affirmetur. Vnde tandẽ impugnari potest Hurtado, quia, cùm prima dictarum

propositionum sit de fide, secunda autem hæretica, necesse est, vt non significent prorsus idem; & consequenter vox *Natura*, & vox *Pater*, in quibus solis discriminantur, diuersa habent obiecta. Sed secunda significat totam entitatem Patris: ergo prima non totam, sed aliquid illius solùm debet significare, & consequenter suâ significatione obiectiuè præscindere. Neque ad diuersum modum significandi, & concipiendi idem obiectum recurri potest. Quia posito, quod natura, & Paternitas per quamlibet vocem, per quamlibetque cognitionem eodem modo significentur, & concipiantur, prout necessarium est, si non præscinduntur, non possunt non eamdem fortunam subire respectu talis vocis, & cognitionis, quæcumque ea sit, vt satis ex se est notum.

256 Quiedo non satis quiescens in solutionibus Hurt. per alia insuper effugia à præsenti difficultate conatur euadere, *controuer. 4. Metaph. punct. 8. citato n. 49. & seqq.* Primum itaque respondet ex parte subiecti huius propositionis: *Natura communicatur*, idem esse obiectum cognitum atque ex parte subiecti huius: *Paternitas communicatur*. Nihilominus primam propositionem esse summè veram, secundam summè falsam: quia nos loquimur de eisdem conceptibus obiectiuis cognitis per diuersa media, ac si essent distincti in hoc mysterio; sicut præscindentes loquuntur de formalitatibus per rationem præcisis, ac si à parte rei distinctæ essent. Contra tamen primò, quia conceptus obiectiui, quos nos in mysterio Trinitatis formamus, non per diuersa media, sed idem diuinæ reuelationis nobis notescunt. Contra secundò, quia iuxta principium quintum statutum *n. 242.* eidem omnino propositioni obiectiuæ per nulla media possumus assentiri simul, & dissentiri: quia nulla media possunt intellectum nostrum inducere ad iudicanda simul duo contradictoria prorsus formalia, & immediata. Assentiremur autem, simulque dissentiremur eidem omnino propositioni obiectiuæ assentientes huic: *Essentia communicatur*, & dissentientes huic: *Paternitas communicatur*. Si ex parte subiecti vtriusque eumdem omninò apprehenderemus conceptum obiectiuum, vt constat. Contra tertiò, quia si huic vtriq; propositioni vocali eadem prorsus obiectiua respondet, vt est necesse, si vox *essentia*, & vox *Paternitas* eumdem omnino significant conceptum obiectiuum, impossibile est, quòd altera vera, & altera falsa sit (vti esse debent secundum fidem) iuxta principium secundum positum *n. 239.* Contra quartò: quia omnia argumenta à *n. 243.* proposita æquè, & vniuersaliter probant intètum, quibusuis tandem mediis sit cognoscibilis propositio obiectiua respondens formalibus, siue vocalibus *ibidem* in exemplum adductis, vt perpendenti singula compertum fiet. Contra deniq; quintò: quia media diuersa, per quæ res eadem concipitur, vt summum possent prodesse non præscindentibus loco diuersorum connotatorũ, per ordinem ad quæ tota res modò cognosci, & modò non cognosci diceretur. Verumtamen asylum hoc, quod perperam etiam ex mediis cognoscendi construitur, vt infrà ostendemus, in mysteriis, de quibus agimus, nullum omnino locum habet: quia dici non potest citra hæresim totam entitatem Patris respectiuè, ad tale medium communicari Filio, & totam non communicari respectiuè ad aliud. Iam verò, quod addit Quiedo, loqui nos in mysterio Trinitatis de formalitatibus tantùm per intellectum præcisis, ac si realiter distinguerentur, falsum est; quia vt veritates in illo repertæ sine contradictione constent reipsâ, nostra præcisio formalitatum facta per intellectum insufficiens est, & impertinens, vt contra plures suprà ostendimus *quæst. 7.* id namque habent à distinctione virtuali, quâ eiusmodi formalitates à parte rei distinctæ sunt, quâ ratione declarauimus *quæst. 6.* Tametsi vt tales veritates à nobis cognoscantur formaliter, insuper à nobis per intellectum formalitates ipsæ obiectiuè distingui debeant. Quod modo contendimus.

Deinde respondet Quiedo, vt in hac propositione: *Aliquis homo currit*, subiectum prædicationis, & subiectum verificationis non est idem; quia subiectum, de quo verificatur cursus est solus Petrus; cùm tamen non de solo Petro, sed de Petro, vel Ioanne sub disiunctione cursus prædicetur, ita in hac propositione. *Natura communicatur*, subiectum quidem prædicationis esse naturam & relationem, & totum quod est in Trinitate: subiectum tamen verificationis tantùm esse naturam, quia de illâ verificatur hoc, quod est communicari, non de personalitatibus. Sed contra primò. Nam quidquid modo sit de verificatione propositionum de subiecto vago, de quibus multa *suo loco*. Id prorsus certum, & minimè dubitabile debet esse, in propositionibus de subiecto determinato, vt non sufficit ad earum veritatem, quod conueniat alicui parti subiecti id, quod de subiecto integro prædicatur, vt constat; ita neque possibile esse, quod pars sola subiecti sit subiectum verificationis, quando illud integrum est subiectum prædicationis. Cùm igitur propositio illa: *Natura communicatur*, de subiecto determinato sit, si ex parte subiecti ponitur tota entitas Patris, necesse est omnino, vt vel propositio sit falsa, vel de tota entitate Patris verificetur prædicatum, quorum vtrumque hæreticum est. 257

Contra secundò: cùm asserit Quiedo de solâ naturâ verificari, quod communicatur, aut concipit ex parte subiecti huius suæ assertionis solam naturam, aut totam entitatem Patris? si solam naturam. Ergo eam à Paternitate præscindit ipso actu, quo intendit eius præcisionem negare. Si totam entitatem Patris: ergo imprimis errorem profert; erroneum namque est asserere, quod de totâ entitate Patris verificatur communicari. Deinde cùm dicat simul non verificari id de Paternitate pariter ponens ex parte subiecti huius dicti eamdem totam entitatem Patris, nequit non affirmare simul duo contradictoria, nempe de totâ entitate Patris verificari, & non verificari, quod communicatur. Quod si respondeat in eâ itidem suâ assertione quâ affirmat de solâ naturâ verificari, quod communicatur, subiectum prædicationis esse quidem totam entitatem Patris; verificationis verò solam naturam, ob idque illam nihil erroris continere; sicut neque aliam, quâ directè asseritur iuxta fidem naturam communicari. Contra est; quia quidquid sit modo de verificatione nequit non esse erroneum asserere, quod de totâ entitate Patris verificatur communicari, quibuslibet verbis asseratur. 258

Vnde sumitur tertia impugnatio præcipuæ solutionis, contra quam agimus. Qui interius iudicaret totam entitatem Patris communicari, apertè erraret contra fidem, veréque vt errans damnaretur, si id ipsum verbis affirmaret; quantumuis prætexeret suum iudicium, & assertionem de solâ naturâ verificari. Sed, qui interiùs iudicat obiectum illius propositionis: *Natura communicatur*, totam entitatem Patris communicari iudicat, iuxtâ præfatam 259

solutionem

solutionem, & idem ipsum verbis affirmat: ergo etsi addat iudicium suum, externamque affirmationem de solâ naturâ verificari; verè nihilominus errat in fide. Cùm tamen propositionem de fide iudicet, & affirmet. Quod est implicatorium.

260 Tandem si hæc propositio vera est: *Natura communicatur*, quantumuis subiectum prædicationis sit tota entitas Patris, quia prædicatum non de toto subiecto, sed de naturâ solâ verificatur. Igitur hæc quoque *Paternitas communicatur*, vera erit, quandoquidem idem ac prima habet subiectum prædicationis, idemque pariter subiectum verificationis dici potest habere. Quid enim interest ad rem poni ex parte subiecti vocem *Paternitas*, aut vocem *Natura*, quando idem omnino est conceptus obiectiuus per vtramque vocem significatus? Ast secunda propositio vera dici non potest, cùm sit hæretica: ergo nec prima, cùm sit de fide. Vel si prima, etiam secunda dicenda est vera. Quorum vtrumque absurdũ ipsi fidei aduersum est. Respondet Ouied. *n.* 52. In omni propositione prædicatum debere verificari de subiecto formaliter cognito tam ex parte obiecti, quàm ex parte actus: quo pacto de Paternitate verificari nequit, quòd cõmunicatur, & ideo falsa est propositio secunda. Sed male primò, quia prædicata merè realia quale est id, de quo modò agimus, non conueniũt subiectis formaliter, & reduplicatiuè prout cognitis, sed secundum se, & specificatiuè, vt aiunt, consideratis quoad id, quod habent à parte rei, vt est notissimum: alioquin cessante cognitione non conuenirent quod est absurdum. Quapropter ad eorum verificationẽ impertinens est, quòd subiecta per hãc potiùs, quàm per aliam cognitionem apprehendantur, dummodo conceptus obiectiui apprehensi semper sint idem, vti euenit in proposito, cùm concedatur, cõceptum obiectiuum vtriusq; illius propositionis, vt adæquatè conditinctum à cognitionibus, & vocibus idem omninò esse. Secundò, si per cognitionem respondentem voci *Naturæ*, idem omninò concipitur ex parte obiecti, ac per cognitionem respondentem voci *Paternitas*, idemq; ipsum per voces ipsas significatur. Igitur per neutram earum cognoscitur, aut significatur formaliùs, quàm per alteram id, quod in Patre est proprium Patris, aut id, quod in Patre est commune aliis personis. Sed per vtramque tota entitas Patris significata, & cognita æquè formaliter, aut æquè non formaliter significatur, & cognoscitur. Nullus ergo superest prætextus ad defendendum, suppositâ doctrinâ, quam impugnamus, secundam dictarum propositionum falsam esse, si prima est vera, aut primam veram esse, si secunda est falsa; cùm tamen prima de fide, secunda autem hæretica sit.

261 Stet ergo firmum circa mysterium Trinitatis, atque adeo etiam Incarnationis omnino esse nostro intellectui pro hoc statu necessarium obiectiuè præscindere, vt veritates catholicas ad talia mysteria spectantes possimus credere, & profiteri. Cui veritati tandem ad extremum annuit Ouied. *n.* 53. suis euasionibus non satis fidens. Annuentque, vt reor, quotquot nostra argumenta sincero studio veritatis perpenderint.

262 Aduertendum tamen est ad extremum per argumenta facta mutuam præcisionem obiectiuam probari inter essentiam diuinam, & relationes, de quâ dumtaxat est sermo in totâ *hac quæst.* Vtrum autem aliqua præcisio obiectiua non mutua possibilis sit, qualem nonnulli imaginantur, in conceptibus transcendentibus *quæstion. sequent.* examinabitur.

Propositio 2.

Vbicumque inter diuinas formalitates distinctionem virtualem in ordine ad prædicata contradictoria necessarium fuerit admittere; ibidem inter easdem præcisio obiectiua ab intellectu nostro oriunda necessariò admittenda est. 263

Quoniam nos non possumus ea prædicata contradictoria de talibus formalitatibus enunciare, nisi illas præcisas ex parte obiecti apprehendamus, vt probant omnia argumenta facta pro primâ propositione, quæ huic pariter sunt applicanda. Quam gratia vniuersalitatis adiicio, vt sciatur non solùm circa mysteria Trinitatis, & Incarnationis esse nobis necessariam omnino præcisionem obiectiuam formalitatum, sed etiam circa mysterium libertatis diuinæ (& si quid aliud est huiusmodi) vbi necessariò debere etiam admitti distinctionem virtualem inter actus Dei tum intellectionis, tum volitionis *suo loco* probandum est.

Propositio 3.

Præscindere nos obiectiuè in diuinis non solum relationes ab essentiâ, & ab attributis communibus; sed etiam attributa communia tum ab essentia ipsa, tum inter se, argumenta alia theologica in vniuersum persuadent. 264

Primum desumi potest ex illo Pauli 1. *ad Corint.* 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Cùm enim Paulus cõparans notitiam, quam de Deo habemus pro hoc statu, cum ea, quam in patriâ habebimus, dicat non solum cognoscere nos ipsum *per speculum*, scilicet creaturarum, & *in ænigmate*, puta phantasmatum sensibilium, iuxta dicta à nobis suprà *disp.* 2. *q.* 3. sed etiam *ex parte*, cognituros postea illum *facie ad faciem*, id est, intuitiuè, & sicut cogniti sumus ab ipso, plena nimirum, & adæquatâ cognitione totius essentiæ, seu substantiæ, vt exponũt Ambros. Theoph. Theodoret. Anselm. S. Thom. & alij ad hunc locum communiter. Cùm, inquam, dicat Apostolus modò nos *ex parte* cognoscere; planè videtur significare nos cognitione nostrâ obiectiuè partiri Deum cognoscentes de Deo ipso aliquid, & aliquid non cognoscentes atq; adeò præscindẽtes ex parte obiecti. Id enim est propriissimè cognoscere Deũ *ex parte.*

Secundum argumentum desumendum est nobis ab auctoritate Concilij Florentini ponentis expressè distinctionem rationis inter Personam, & essentiam diuinam. Et omnium communiter Patrũ ponentium illam tum inter essentiam, & relationes, tum inter attributa communia iam inter se, iam cum essentia cõparata; vti ipsis citatis ostendimus *q. præc.* Etenim Conciliũ, & Patres indubitate censendi sunt loqui de distinctione rationis, quæ verè, & propriè in suo genere talis sit, & ratione cuius perfectiones diuinæ verè, & propriè dici possint per rationem distingui. Sed talis distinctio rationis absque præcisione obiectiuâ diuinarum perfectionũ constare nequit. Igitur Concilium, & Patres docentes perfectiones diuinas per rationem nostrã distingui, eo ipso docent eas ex parte obiecti per rationem nostram præscindi. Maior est certa; consequẽtia legitima. Probo minorem. Ea dumtaxat dici possunt verè, & propriè distingui, quorum vnum non est alterũ, quâ ratione ab eo distinctum est: quandoquidẽ distingui verè, & propriè vnum ab altero, & vnum non esse alterũ aut formaliter, aut consequẽter in idem recidunt, vti fatentur 265

omnes. Ergo ea dumtaxat verè,& propriè dici poſſunt per rationem diſtingui;quorum vnum non eſt alterum per rationem. Eſt certum. Sed vnum non eſſe alterum per rationem nihil aliud eſſe poteſt, vt ſtatim oſtendam, quàm vnum non eſſe alterum, prout ſunt in mente concipientis illa,ſeu,quod idem eſt,quàm vnum non apparere alterum concipienti, ſiue, quàm ea concipienti apparere plura, quod ipſum eſt ex parte obiecti apparere diſtincta. Ergo ea dumtaxat verè,& propriè dici poſſunt per rationem diſtingui, quæ ex parte obiecti concipienti apparent diſtincta, ſiue plura. Aſt hoc in perfectionibus diuinis abſque præciſione obiectiuâ earum nullatenus conſtare poteſt. Ergo.Probo hanc minorem, quia perfectiones diuinæ non apparent nobis plura ex parte obiecti, quaſi plures Dij adæquatè inter ſe diſtincti, vt ſatis ex ſe eſt notum, ampliuſque poſtmodùm oſtendetur;ſed quaſi plures partes eiuſdē Dei,quod ipſum eſt eſſe eas per noſtrā rationē formalitates eiuſdē entis præcilas ex parte obiecti.

266 Dicent non præſcindentes, ad diſtinctionem rationis veram, & propriam neceſſarium non eſſe, quòd plura appareant ex parte obiecti;ſed ſufficere, quod idem obiectum pluribus cognitionibus,iiſque diuerſis attingatur. Sic enim fiet,vt illud prout cognitum per vnam cognitionem reduplicatiuè à ſe prout cognito per aliam diſtingui per rationem dicatur. Sed contrà primò, quia ex eo præciſè, quòd aliquid per plures cognitiones tangatur, dici nō poteſt, niſi perperam, & abuſiuè diſtingui per rationem; alioquin dum Deus pluribus cognitionibus idem obiectum tangit,nempe in ſe,& in alio,in hoc medio,& in illo,conditionatè,& abſolutè &c.vt docent Theologi communiter in materiâ de ſcientiâ Dei, tot modis diceretur illud per rationem diſtinguere. Nos etiam dum eamdem prorſus formalitatem e. g. ſapientiæ, exiſtentiæ,aut potentiæ Dei per apprehenſionem ſimul,& iudicium,aut per iudicium naturale,& ſimul per aliud ſupernaturale fidei attingimus, illam diceremur per rationem à ſe ipsâ diſtinguere.Duo etiam homines ſimul eamdem rem cognoſcentes tum intellectione internâ, tum externâ oculorum ſenſione, per rationem, & per oculos dicentur illam diſtinguere. Quæ omnia abſurda ſunt prorſus aliena à communi omnium conceptione,etiam Aduerſariorum.

267 Contrà Secundò. Quia ex eo,quòd aliquid plures denominationes ſiue intrinſecas, ſiue extrinſecas à pluribus formis accipiat,nullatenus dicitur diſtingui in ſe ipſo per tales formas. Quis enim,vel ſomniauit dicere,hominem per omnes amores,quorum eſt obiectum,& per omnes relationes,quarū eſt terminus, aut etiam per omnia accidentia,quorū eſt ſubiectū, diſtingui,quo ſēſu de diſtinctione loquimur in præſenti? Ergo ex eo,quod aliquid plures terminet cognitiones, pluresve denominationes cogniti ab illis recipiat, neutiquā dici poteſt per tales cognitiones diſtingui. Contra tertiò:quia eiuſdem à ſeipſo nulla eſt poſſibilis diſtinctio adhuc per rationē, vt ſatis conſtat ex dictis,*q. præced.* eo,quod omnis diſtinctio vera,& propria pluralitatem extremorū poſtulat ex conceptu ſuo:ergo idē à ſe ipſo per plures cognitiones,quas terminat,nequit diſtingui. Quanquā enim in quantum cognitum per vnam,& aliam quandam importare videatur pluralitatē;ſed tamen hæc pluralitas cognitionum dumtaxat eſt,à quā ne extrinſecè quidē obiectū ipſum plura in ſe fit, niſi cognitiones ſint tales, vt per illas plura in ſe appareat cognoſcenti,prout nos exigimus ad veram diſtinctionem rationis. Cōtra quartò:quia vt ea,quæ realiter plura ſunt,per rationem adunentur,ſiue fiant vnum, non ſatis eſt,quod illa vt cumque per vnicam cognitionem tangantur(alioquin intellectus diuinus,& quilibet alius diſtinctè per vnam cognitionem cognoſcens plura,vt plura,illa adunare diceretur,& facere vniuerſale vi talis cognitionis, idque non ſolùm ex ſimilibus,ſed ex omnino diſſimilibus particularibus ita cognitis.Quod eſt abſurdū)ſed inſuper requiritur,quod cognitio ſit talis,vt vi eius ea plura ex parte obiecti appareant vnum. Ergo vice versâ, vt id, quod realiter eſt vnum,per rationem diſtinguatur,& conſequenter per rationem ſit plura, non ſatis eſt, quòd illud vtcumq; per plures cognitiones tāgatur, ſed inſuper requiritur, quòd tales cognitiones ſint, vt illud ipsū vi earū ex parte obiecti appareat plura.

268 Dicent fors alij:debere quidē plura ex parte obiecti apparere ea,quæ per rationē diſtingui verè,& proprie dicūtur:idque euenire in attributis, ſeu perfectionibus diuinis Sed nihilominus eas ex parte obiecti non præſcindi,quia in conceptu cuiuſq; earum integrè attingitur totus Deus. Sed cōtra primò,quia iam hoc eſt deſerere ſententiā non præſcindentium, qui ſemper negant diſtinctionem rationis ſe habere ex parte obiecti, eamq; dumtaxat ponunt ex parte intellectus,vt videre eſt in Hurt.& aliis ſuæ opinionis ſuprà citatis. Contra ſecundo,quia perfectiones diuinæ,vt dicebā,nō ita apparent plura ex parte obiecti,vt quæl.bet videatur nobis eſſe integer quidam Deus,ſed ita apparent plura,vt videantur componere vnicum Deum verum. Et ideo, qui cognitā ſapientiâ Dei,non cognoſcit iuſtitiā,nō dicitur cognoſcere vnum Deum,& alium Deum apparentem tunc non cognoſcere;ſed potiùs aliquid veri Dei cognoſcere,& aliquid eiuſdē nō cognoſcere. Tum,qui plura diuina attributa ſimul habet cōcepta vt plura nō plures Deos apparentes,ſed plures eiuſdē veri Dei perfectiones dicitur habere conceptas. Quod adeo communi omnium conceptioni inſitū eſt, vt ſi quis aſſereret,dum concipimus ſapientiā,iuſtitiam,omnipotentiā,& cætera Dei attributa,nos non concipere plures eiuſdem Dei perfectiones; ſed plures Deos adæquatos,vel Deum multiplicatum in plures: riſu profecto,ac ſibilo ab omnibus tale aſſertum excipieretur. Quæ omnia ex dicendis in *ſeqq.* pleniùs conſtabunt. Igitur perfectiones diuinæ per noſtrā rationem non vt entia adæquata,ſed vt partes eiuſdem entis inter ſe diſſectæ multiplicantur ex parte obiecti,quod eſt ex parte obiecti à reliquis vnāquamque præſcindi. Ecce cur Nominales citati *ſupra q.* 8. præciſiones obiectiuas negantes etiā diſtinctionem rationis inter attributa diuina abſolutè nēgarunt,vt fertur. In quo quidē cōſequentiùs,quā Recentiores; tametſi apertiùs refragantes Patribus procellerunt.

269 Stat itaq; diſtinctionē rationis verā,& propriam, quam Patres attribuūt attributis,ſeu perfectionibus diuinis,ſine pluralitate ex parte obiecti,atq; adeo ſine præciſione obiectiuâ cōſtare nō poſſe. Quod confirmatur primò:quia,vt vidimus dicta *q.* 8. læpe dicūt Patres nomina,quę dicuntur de Deo,diuerſa habere ſignificata,quod falsū eſſet ni ex parte obiecti haberent pluralitatē ea,quę talia nomina ſignificāt,prout à nobis concipiuntur in Deo,eo,quòd nomina conceptus noſtros obiectiuos ſignificant ex ſuâ directâ impoſitione;non verò formales,vt conſtat.

270 Confirmatur Secūdò, quia ſæpe etiam dicunt Patres,vt ibidem notabimus,in Deo plura eſſe;ea tamē plura eſſe vnum. Sæpiſſimè etiā dicunt nomina, quæ Deo attribuūtur,nō eius eſſentiā;ſed quę circa eſſentiam ſunt,ſiue, quę in ipsâ inſpiciuntur,ſignificare. Quæ loquutiones manifeſtè ſupponunt pluralitatem attribu

attributorum diuinorum ex parte obiecti se habere secundum nostrum modum concipiendi, vt satis apparet.

271 Confirmatur tertiò ex S. Basil. *in particulari lib. 1. contra Eunom. circa medium*, vbi cùm dixisset de attributis diuinis: *hæc cum mente diuidantur*, expresse ponit paulò post hanc diuisionem rationis ex parte obiecti dicens. *Incorruptibilem, ac ingenitum Deum dicimus diuerso mentis obiectu his nominibus appellantes.* Idem sibi vult Cyril. Alex. dum ait attributa modo accidentium à nobis intelligi, verbis relatis à nobis *loco citato*. Accedat S. Thom. disertè exprimens, & latè explicans sententiam nostram *in 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 3.* dicit enim *in corp. initio. Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictum est sapientia, & bonitas, & omnia eiusmodi sunt omnino vnum re in Deo, sed differunt ratione. Et hæc ratio non est tantùm ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.* Statimque §. *Quantum ad primum* dicit; *Quod ratio, prout hic sumitur, nihil est aliud, quàm id, quod apprehendit intellectus.* Vnde patet S Thom. *per rationem* conceptum obiectiuum significare. Quo posito. §. *Quantum verò ad quartum.* Cùm dixisset intellectum nostrum non posse Deum vnà conceptione intelligere, prosequitur. *Et ideo oportet, quòd diuersas conceptiones de Deo habeat, quæ sunt diuersæ rationes, & quod diuersa nomina imponat significantia rationes illas, vnde nomina illa non sunt synonima, in quantum significant rationes diuersas.* Et paulo infrà. *Vnde patet, quòd pluralitas istarum rationum non tantùm est ex parte intellectus nostri; sed etiam ex parte ipsius Dei.* Nec dici potest obiectiuam eiusmodi rationum plulitatem penes plura connotata extrinseca, ad quorum singula totus Deus integrè, & indiuisim comparatur pensari à S.Th. vti solent non præscindentes philosopharì, quandoquidem ipse *art. 2.* eiusdem quæstionis ita scriptum reliquerat. *Quidam autem dicunt, quod ista attributa non differunt nisi penes connotata in creaturis, quod non potest esse*, &c. Lege insuper S.Thom. *1.p. q. 14. art. 14.* vbi eamdem exprimit doctrinam.

272 Tertium argumentum potest desumi ex alio Patrum testimonio asserentium relationes personales in Deo ex conceptu suo modos esse diuinæ substantiæ, vt vidimus *q. 8. sæpe citata*. Nequirent enim vllatenus concipi relationes vt modi substantiæ diuinæ, nisi ex parte obiecti ab ipsâ substantiâ præcisæ, distinctæque conciperentur; siquidem de ratione modi est distingui à re, cuius est modus, eâ ratione, quâ est modus eius, vti fatentur omnes.

273 Quartum argumentum capi potest ex vniformi Patrum, atque Theologorum sententiâ, asserentium cum S.Thom. *1. part. quæst. 13. art. 4.* nomina attributorum, quæ prædicantur de Deo, non esse synonima. Hoc namque planè falsum esset, si ex parte obiecti attributa ipsa non essent conceptus diuersi, quia nomina synonima sunt, quæ eumdem prorsus conceptum obiectiuum significant, vt *indumentum*, & *vestis*. Vnde quò non sint synonima, conceptus obiectiuos diuersos debent nomina necessariò significare. Dici enim non potest, sat esse, quod cognitiones sint diuersæ, nam si conceptus obiectiuus, ad quem significandum nomina imponuntur, prorsus est idem, ea vtique non possunt non esse synonima, quia aliud non est nomina esse synonima, quàm ea significare idem. Et quidem, si ad tollendam synonimiam diuersitas cognitionum eiusdem obiecti sufficeret, nulla essent nomina synonima, quod est absurdum; quia nulla sunt nomina, quorum obiectum non possit per diuersas cognitiones cognosci diuersis ipsis vocibus respondentes.

Nec rursus valebit dicere ad tollendam synonimiam nominum sufficere, quod ita ea significent idem, vt illud significent respectiuè ad connotata diuersa: nam licet solutio hæc admittatur vbi respectu diuersorum nominum Dei diuersa connotata assignari possunt; ast, quia sunt plura citra omne dubium non synonima, quorum significata, aut non habent connotata diuersa, aut maiorem postulant obiectiuam diuersitatem, quam extrinsecam connotatorum, vt patet in nominibus proprietatum Dei personalium, & essentiæ, attributorumque communium, quorum significata, pluspuam per connotata diuersa debent ex parte obiecti distingui, prout monstrant argumenta, quæ adduximus *propos. 1.* necnon in nominibus intellectionis, & volitionis eiusdem obiecti, siue increati, siue creati; in nominibus intellectus, & intellectionis, in nominibus essentiæ, & existentiæ, & similibus, quorum obiecta diuersa connotata non habent. Idcirca dicta solutio insufficiens est. Addo eam admittendam non esse, nisi diuersa nomina Dei connotata ipsa diuersa indirectè saltem significent, quod rarò reperitur in illis. Alioquin si idem prorsus obiectiuum significatum habeant; quantumuis conceptum relatè ad connotata distincta per alia nomina significanda, non desinent vtique esse synonima, stante Aduersariorum sententiâ; quia eorum significatum adæquatum omnimodis manebit idem; vti hæc nomina *indumentum*, *vestis* non desinunt esse synonima, ex eo, quod ego eorum significatum comparem ad connotata diuersa dicendo, *hoc indumentum est Petri*: *hæc vestis empta est à Ioanne*, &c. 274

Quintum argumentum vrgentius præcedentibus est. Pro quo suppono certissimum esse apud omnes mysterium Trinitatis nullatenus posse ratione naturali effectibus creatis cognosci, vt cum S.Thom. *1. part. q. 32. art. 1.* docent omnes Theologi, quorum multi putant id esse de fide, aut certè valde fidei proximum, vt videre est apud Valent. *1. part. disput. 2. quæst. 6. punct. 1* Soar. *lib. 1. de Trinit. cap. 11.* Ruiz *tom. de Trinit. disput. 41. sect. 3.* & alios. Deinde non minus certum, nec minus consentaneum est fidei posse ratione naturali ex eisdem effectibus perueniri ad notitiam Dei etiam demonstratiuam, vti *suo loco* ex scripturâ, & Patribus monstrandum est. Quocirca multi censent Aristot. & alios Ethnicos Philosophos euidenter fuisse assequutos naturali discursu vnam Deitatem, à quâ cætera cuncta promanant, tanquam à causâ primâ. Quibus suppositis ita argumentum formo. Deus cognoscitur à Philosopho perspicuâ cognitione, vt causa prima aliorum omnium productiua, & non cognoscitur Trinitatis personarum vllomodo. Ergo essentia, & aliqua attributa Dei præscinduntur ex parte obiecti eâ cognitione. Patet consequentia; quia cognoscitur Deitas, ignotis personalitatibus, quarum quælibet est idem realiter cum Deitate. 275

Respondet Hurt. *disp. 5. citata sect. 10. § 130.* Trinitatem quidem attingi illo actu naturali immediatè quia est idem cum naturâ diuinâ, tamen quia actus ille oritur ex cognitione creaturarum, ex quibus non arguitur Trinitas, hinc fit, vt Philosophus non possit diiudicare, sit ne trinum illud obiectum. Egregia petitio principii. Ergo contendo ex cognitione creaturarum arguendam esse Trinitatem æquè ac Deitatem. Quod ita probo. Arguitur Dei- 276

tas, sed eâdem claritate, ac Deitas, attingitur Trinitas: Ergo & arguitur Trinitas ex cognitione creaturarum. Quia argui aliquid ex cognitione alterius nihil aliud est, quam ex illo per discursum cognosci. Clariùs. Impossibile est cognosci Deitatem, quin eodem actu, eâdem claritate, eodemque modo cognoscatur Trinitas, iuxta doctrinam tuam, alioquin per talem actum obiectiuè præscinderetur Deitas à Trinitate, quod censes repugnare. Ergo impossibile est, quod intellectus noster inductus per creaturarum cognitionem veniat in notitiam Deitatis, quin pariter veniat in notitiam Trinitatis; quod est impossibile esse, vt ex creaturis inferatur, siue arguatur Deitas, quin itidem inferatur, siue arguatur Trinitas.

277 Respondet Ouiedo *contr. 4. cit. punct. 8. n. 44.* & 45. Philosophum naturalem eadem cognitione, quâ attingit Deum vt vnũ, necessariò attingere etiam Trinitatẽ personarum, siue Deum vt trinum; non tamen per conceptum respondentem his, vocibus, *Deus est trinus*; sed per alium confusiorem respondentem his *Deus est vnus*, ex vi cuius Deus trinus, & verus ab alio non trino, si esset, aut, qui fingi potest, non discernitur, sicut discernitur per priorem, sed cum eo, confunditur. Quę, inquit, diuersitas conceptuum non est formaliter, & directè in obiecto primario cognito, sed formaliter in ipsis cognitionibus, & obiectiuè in mediis, quibus obiectum directum cognoscitur. Quia quando formatur conceptus respondens his vocibus. *Deus est vnus*, cognoscitur obiectum per connotata distincta ab illis, quibus cognosceretur idem obiectum per conceptum correspondentem his vocibus *Deus est trinus*, *& vnus*: verba sunt eius.

278 Tria hic inuoluuntur, ad quæ se solent recipere non præscindentes, vt nostra soluant argumenta, nempe diuersitas conceptuum, seu cognitionum, diuersitas mediorum, & diuersitas connotatorum. Incipio ab hoc postremo. Nullum est excogitabile connotatum extrinsecum, quo solo ignoto, dici possit Trinitas ignorari, si tota Dei substantia intrinseca absque vllâ præcisione cognoscitur, vti in Aduersariorum sententiâ dicitur ignorari iustitia Dei ab eo, qui opera iustitiæ externa ignorat, etsi cognoscat totam Dei substantiam intrinsecam: igitur effugium diuersorum connotatorum nullum hic habet locum. Clariùs. Philosophus cognoscens solo lumine naturę Deitatem, non ideo Trinitatem ignorat, quia ignorat aliquod connotatum realiter distinctum à Deo, quod Christianus eiusdem Trinitatis gnarus cognoscit, vt est notissimum: ergo quia ignorat aliquid cum Deitate identificatum, à quo subinde illam suâ cognitione præscindit. Rursus cùm Deus Christianis suam Trinitatem reuelauit, non quidem extrinsecum aliquod suæ Deitatis connotatum ignotum antea reuelauit, sed perfectionem omnimodè intrinsecam sibi, cum ipsâque Deitate identificatam, vt est certissimum. Ergo Ethnicus, siue Iudæus aut ignorans, aut non assentiens veritati reuelatæ Christianis, id ignorat, aut non assentit, quod est identificatum Deitati, quam tamen simul pleno nescit assensu; atque adeo præcindit. Confirmatur. Nam si quis persuaderet Aristoteli eam omnium causarum primam, quam ipse agnoscebat, constare tribus personis cum vnâ essentiâ identificatis, nihil à tali primâ causâ distinctum, ab eoque ignotum ipsi notificaret, sed veritatem omnino indistinctã, ab illa, quam veritatem, cùm Aristoteles, causam primam cognoscendo, ignorabat vtique præscindebat.

279 Dicet aliquis fortasse negationem identitatis, à qua personæ diuinæ habent formaliter distingui, & quæ conceptus est negatiuus à parte rei distinctus à Deo, esse peculiare connotatum, ex cuius ignorantiâ præcisè nascitur, quod Ethnicus euidenter cognoscens Deum ignoret Trinitatem. Contra tamen est primò. Quia negatio identitatis, qua quoduis extremum ab alio distinctum dicitur non esse illud, nihil est à parte rei reale adhuc negatiuum præter extrema ipsa, quæ distingui dicuntur, vt doctrinâ à nobis datâ *disput. præced. quæst. 3.* satis constat, quod certius adhuc est de negatione identitatis, quâ vna persona diuina dicitur non esse alia. Ex quo patet eiusmodi negationem non posse esse connotatum reale distinctum à Deo, à cuius ignoratione dicatur Trinitas ignorari. Sed esto sit talis negatio conceptus verus à Deo distinctus. Contra secundò. Quia si Ethnicus totam Dei substantiam positiuam absque obiectiuâ præcisione cognosceret, sufficientem notitiam haberet de Trinitate, etsi non cognosceret talem negationem, quia clarè cognosceret distinctionem positiuam, quam habent inter se diuinæ personæ per suos conceptus positiuos, quâ cognitâ præcisè cognosceret esse eas tres personas, vti reuerâ sunt per se ipsas antecedenter ad dictam negationem. Contra tertiò. Quia, qui cognoscit clarè dictam distinctionem positiuam extremorum, confestim per euidentem discursum venit in cognitionẽ negationis identitatis talium extremorum, eoquòd ipsa extrema essentialiter connexa sunt cum tali negatione, dato, quod hæc ab illis distincta sit: ergo si Ethnicus clarè cognosceret totam substantiam Dei positiuam, confestim etiam deueniret in cognitionem prędictæ, negationis. Quo nihil deesset vt diceretur Trinitatem cognoscere. Vrgetur hoc; quia Ethnicus iudicans euidenter omnem veritatem positiuam identificatam cum Deo, vti iudicat, si non præscindit, iudicando Deitatem; eo ipso iudicat personas diuinas cum negatione prædictâ identitatis necessariò connexas esse per suos conceptus positiuos: tali autem iudicatâ connexione, euidenter inferre potest dari terminum eius, nimirùm dictam negationem. Quia ex quâuis connexione iudicatâ euidenter, statim intellectus noster mouetur ad iudicandum pariter terminum eius, vt apud omnes est certissimum. Quod est posse cognoscere Ethnicum Trinitatem etiam, quoad dictum connotatum contra suppositionem. Contra quartò. Quia per reuelationem de Trinitate, non ea sola negatio notificatur, sed multæ veritates positiuæ Dei, quas Ethnicus citra dubium ignorat, dum clarè cognoscit Deitatem, vt Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, in Deo esse aliquid producens, & aliquid productum, &c. Ex quibus liquet in præsenti (quemadmodum, & in aliis plurimis casibus) connotatorum asylum nihil prodesse.

280 Venio ad aliud de diuersitate mediorum, & arguo sic. Aut per medium naturale creaturarum scitur æquè euidenter à Philosopho Deum esse trinum, ac esse vnum; aut non? Primum dici non potest, iuxta principia suppositа pro præsenti argumento. Secundum sine obiectiuâ præcisione est prorsus impossibile, vt patet. Ergo. Dicis per medium naturale creaturarum sciri euidenter à Philopho Deum esse vnum conceptu respondente his, verbis, *Deus est vnus*, non verò conceptu respondente his, *Deus est trinus*, prout oportebat, vt diceretur pariter sciri ab illo Deum esse trinum. Contra tamen sic. Aut loqueris de conceptibus obiectiuis, aut de formalibus, qui sunt ipsi actus intellectus: de obiectiuis loqui non potes. Quia si præcisio obiectiua

iectiua est impossibilis cognitioni, etiam erit significationi vocum, vt arguebam in simili *propos.* 1. proindeque dictis duabus propositionibus idem omninò respondebit conceptus obiectiuus. Si autem loqueris de formalibus, dato, quod sint diuersi, qui per diuersa media habentur, quid id interest ad rem? cùm probet argumentum factum non posse Ethnicum per conceptum formalem, seu cognitionem, quæcunque ea sit, quam habet de Deo vt vno, eodem modo cognoscere Deum vt trinum, si non præscindit obiectiuè; quod est absurdum; vt amplius vrgebo paulò post.

281 Nec dici potest media diuersa, quibus Ethnicus, & Christianus cognoscunt Deum, ille vt vnum, hic vt trinum, diuersorum connotatorum vicem habere, à quorum notitiâ, vel ignorantiâ præcisè nascitur, quod Deus vt vnus, vel vt trinus dicatur ignorari, aut cognosci. Hoc, inquam, dici nequit: primò, quia media, per quæ obiectum cognoscitur, obiecti connotata non sunt, sed motiua, quæ prius cognita mouent, inducuntque intellectum ad tale obiectum cognoscendum quoad veritatem, quam ipsum habet in se. Ita enim per reuelationem de Antichristo futuro mouemur ad cognoscendam existentiam, quam Antichristus habebit in se absolutè, & independenter à tali reuelatione. Secundò, esto habeant media, vel non habeant connotatorum munus, ad rem, de quâ agimus, id nihil interest. Quia Ethnicus cognoscens Deum vt vnum, non ideo præcisè Trinitatem ignorat, quia non cognoscit reuelationem de Trinitate; sed quia non cognoscit Trinitatem ipsam. Alioquin si independenter à reuelationis notitiâ, ipsius reuelationis obiectum cognosceret, tali notitiâ accedente nihil in Deo cognosceret nouum, quod antea non noscebat, sed idem per diuersam viam: Ergo ante reuelationem eamdem noscebat Trinitatem, quam post eam noscit. Vrgetur clariùs. Pone Ethnico cognoscenti cum euidentiâ Deum vt vnum reuelationem fieri de Trinitate. Inquiro, vel hic præter reuelationem, aliquid reuelatum cognoscit, quod antea antea non noscebat, vel nihil? si aliquid? ergo antè præscindebat ab illo. Si nihil? ergo quidquid modò per reuelationem cognoscit à reuelatione distinctum, antea cognoscebat per discursum. Dices post reuelationem nihil cognoscere Ethnicum ex parte obiecti reuelati, quod non antea: sed idem diuerso modo. Hoc est recidere in tertium effugium commemoratum de diuersitate cognitionum. Quod iam nunc sequitur præcludendum.

282 Dicunt itaque Aduersarij, Ethnicum per iudicium naturale, & Christianum per iudicium fidei idem omnino obiectum tangere, nimirum totum Deum, seu quidquid realiter est Deus. Cæterùm, quia iudicia ista ex modo tendendi diuersa sunt, aliterque proinde Ethnico, & aliter Christiano exprimunt Deum ipsum: inde fieri, vt licet Christianus per suum iudicium dicatur cognoscere, seu iudicare Trinitatem; Ethnicus tamen per suum solam Deitatem, non verò item Trinitatem cognoscere, seu iudicare dicatur. Quia videlicet Ethnicus per suum iudicium, etsi discernat Deum ab omni non Deo; nequit tamen illum discernere ab omni non trino; proindeque intellectus eius per illud, & suaderi, & rationem reddere de Deitate; non item de Trinitate potest. Quod ipsum est Ethnicum ex parte modi, siue ex parte actus, vt non præscindentes loquuntur; non verò ex parte obiecti præscindere Deitatem à Trinitate. Ex solutionem celebriorem, atque vniuersaliorem, quâ se putant Recentiores plerique non solùm argumentum præsens; sed & cætera, quæ in ipsos fiunt, aut etiam fieri possunt dissoluere. Quam verò facilè, & efficaciter ea refellatur attende.

Argumentor ita. Ethnicus suo qualicunque iudi- 283
cio attingit per te quidquid realiter est Deus: ergo cognoscit, iudicatve quidquid realiter est Deus; neque enim aliter, quam cognoscendo, seu iudicando attingit, vt constat: Ergo cognoscit, & iudicat Trinitatem, quia Deus realiter est Trinitas. Deinde per tale iudicium eodem modo attingit Ethnicus integrum Deum etiam per te (alioquin si vno modo Deitatem, & alio modo Trinitatem attingeret, vel præscinderet vtrouis eo modo obiectiuè; vel tua illa, quæ in nos cõtendis, cõtradictoria sequerentur; nempe eamdem realem entitatem simul attingi, & nó attingi quouis ex dictis modis.) Igitur eodé omnino modo, eádemq; subinde expressione, & euidentiâ, quâ Ethnicus suo iudicio iudicat, atque cognoscit Deitatem, iudicat etiam, atque cognoscit Trinitatem. Absurdum contra principia suprà statuta pro præsenti argumento. Aut aliter. Dum euidenter iudicat Ethnicus, ac suadetur de Deitate, vel iudicat pariter, suadeturque de Trinitate; vel secus? si dicas primum, incidis in idem absurdum. Si secundum, inde conficio, vel præscindere suo iudicio Ethnicum Deitatem à Trinitate obiectiuè, vt ego contendo; vel iudicare eum, suaderique, & simul nec iudicare, nec suaderi de eodem obiecto, vt tu arguis. Hoc apud omnes implicat: ergo illud est verum.

Dices Ethnicum quidem iudicare, suaderique de 284
Deitate, & non de Trinitate, id tamen non quia præscindit obiectiuè vnum ab alio; sed quia iudicat, suadetur de toto Deo iudicio discernente illum ab omni non Deo, & non discernente eumdem ab omni non trino. Hoc namque sonat iudicare Ethnicum, suaderique de Deitate, & non de Trinitate; non illud. Sed contra primò. Quia sæpe iudicat Ethnicus, aut iudicare potest de Deo aliquid iudicio non discernente illum ab omni non Deo; quippè iudicium discernens Deum ab omni non Deo aliud non est; quàm, quo iudicatur Deus omni non Deo dissimilis, ab omnive non Deo diuersus, vt satis est notum. Quis autem neget multa Ethnicum posse iudicare de Deo identificata cum ipso, quin iudicet esse illum dissimilem, diuersumve ab omni non Deo? Igitur iudicare Deitatem præ Trinitate nequit esse discernere Deum per iudicium ab omni non Deo, non discernendo ab omni non trino. Contra Secundò: quia Trinitas non est conceptus comparatiuus, qualis est discretio obiectiua, siue diuersitas Dei ab omni non trino. Plerumque enim iudicamus catholici Trinitatem absque vllâ omnino comparatione ad entia non trina, immemoresque prorsus eorum, aliudque subinde in nobis iudicium est, quo iudicamus esse Deum trinum, ab eo, quo iudicamus esse eum ab omni non trino diuersum. Igitur dum Ethnicus iudicans, siue cognoscens Deitatem, Trinitatem ignorat, neutiquam dici potest eam ignorare, quia non scit per tale iudicium an Deus diuersus sit ab omni non trino, sed quia non scit Trinitatem ipsam, quod est obiectiuè præscindere Deitatem à Trinitate. Contra tertiò: quia semel factâ comparatione inter Deum, & omne non trinum, vt ab Ethnico fieri potest; hoc ipsum, quod est non discernere extrema ista, seu non cognoscere diuersitatem, dissimilitudinemve eorum, cognitis ipsis quoquo modo, præscindere obiectiuè est; siquidem sententiâ communi, & etiam Aduersariorum,

diuersitas. dissimilitudóque extremorum conceptus est identificatus realiter cum ipsis extremis. Igitur neque per istud circumloquium circumscribitur ab intellectu Ethnici præcisio obiectiua. Vide ad rem infrà plura in simili à *numero* 302. In summa Ethnicus Deitate cognitâ Trinitatem ignorat, vt nemini fas est negare, iuxta supra dicta principia. Sed Trinitas non est aliquid adhuc inadæquatè extrinsecum Deo, sed prædicatum penitus Deo intrinsecum, cum ipsoque adæquatè identificatum, vt planè constat, tum ex dictis, tum ex terminis ipsis. Ergo Ethnicus Deitate cognitâ, aliquid ignorat indistinctum realiter ab ipsâ Deitate, atque adeo obiectiuè præscindit.

285 Iam vero quod Aduersarij addunt. Eam esse Ethnici cognitionem de Deo, vt licet possit ille rationem reddere de Deitate; de Trinitate tamen non possit; nouam quidem verborum phasim præ se fert, sed sine nouo nucleo. Quoniam reddere rationem de obiecto, vel sonat, obiectum iudicatum notificare aliis, vel sonat, signare fundamentum, siue motiuum, vnde in obiecti iudicium deuentum est? Si primum. Ex dictis constat, Ethnicum, nisi præscindat obiectiue, neutiquam posse reddere rationem de Deitate, quin possit itidem de Trinitate, quia non præscindendo obiectiuè, nullatenus potest iudicare, aut aliis significare Deitatem, quin iudicet, significetque eodem modo Trinitatem. Si secundum. Ex dictis etiam patet nullo fundamento posse Ethnici intellectum moueri citra obiectiuam præcisionem ad iudicandam Deitatem, quo pariter non moueatur ad iudicandam Trinitatem, nullamque subinde citra obiectiuam præcisionem posse illum rationem reddere de Deitate, quam pariter non possit reddere de Trinitate. Ex quibus omnibus, quæ iterum, atque iterum in sequentibus tangenda venient, facile apparet, quàm efficax pro sententiâ nostrâ sit argumentum factum. Pergo, sitque.

286 Sextum argumentum eidem affine: sublatis præcisionibus obiectiuis, impossibiles omnino fuissent omnes errores, qui in decursu Ecclesiæ extiterunt circa substantiam Dei. Ergo necessariò illæ sunt asserendæ. Consequentia est necessaria; quia negari nequit plures huiusmodi errores hactenus extitisse. Probo ergo antecedens. Quoniam Arius, e. g. qui Verbi consubstantialitatem, atque adeo identitatem eius cum Deitate negabat, firmiter credebat, aut etiam euidenter iudicabat alias veritates obiectiuas realiter à Deitate ipsâ indistinctas, vt Deum existere, esse sapientem, & esse bonum, &c. Ergo si obiectiuè non præscindebat, minimè poterat interius dissentire consubstantialitati Verbi, quam verbis externis negabat; quia hæc propositio, *Deus est bonus*, & hæc, *Deus est suum Verbum*, sublata præcisione obiectiuâ, idem omnino obiectum habent, proindeque impossibile est, vt Arius assentiens priori, vt citra dubium assentiebat, posteriori dissentiret, cùm sit impossibile assentire simul, & dissentire intellectum eidem obiecto, vt ex sententiâ omnium statuimus *suprà num.* 242. Quæ ad hoc argumentum responderi possunt, ex dictis circa præcedens facile reuincentur.

287 Argumentum septimum. Si præcisiones obiectiuæ sunt impossibiles, eâdem expressione reuelauit Deus Istraelitis mysterium Trinitatis, ac reuelauit alias veritates ad se pertinentes, quia reuelatio illa e. g. facta Moysi Exod. 3. *Ego sum, qui sum*, non potuit nisi præscindendo obiectiuè suâ significatione, & expressione, & non notificare Trinitatem æquè omninò clarè, & expressè, ac notificauit Dei existentiam reipsâ à Trinitate indistinctam, vt ex superiùs dictis constat. Ast dici nullâ ratione potest æquè expressè fuisse Istraelitis reuelatam Trinitatem, ac existentiam Dei, vt est certissimum iuxta ac notissimum, & tradunt Theologi in materiâ de Trinitate. De quo videri possunt Bellarm. *lib. 1. de Christo.* Valent. *in contron. de Trinit. libro 1.* Vasquez 1. *part. disputatione* 108. Ruiz *disput.* 36. & alij. Igitur neque dici potest præcisiones obiectiuas esse impossibiles.

Octauum argumentum accipi potest ex aliquibus loquutionibus, quas sanctè docent obseruandas Theologi circa Deum; quæ tamen sine obiectiuis præcisionibus non videntur posse locum habere. Huiusmodi sunt. *Deus voluntate vult, non intellectu. Intellectu intelligit, non voluntate. Deus in quantum vnus causat, non inquantum trinus. Vt omnipotens; non vt æternus*; & similes. Si enim idem omnino conceptus obiectiuus est voluntas, & intellectus diuinus, æque impossibile est nobis seriò enunciare. *Deus voluntate vult, non intellectu.* ac *Deus voluntate vult, non voluntate.* Neque in vllo sensu potest complexum primum magis verum esse, quàm secundum. Idemq; de cæteris exemplis iudicium esto. Adde, seclusâ præcisione obiectiua, intellectionem, Dei, aut volitionem dici non posse esse actum intelligendi, aut amandi ex suo conceptu, contra receptissimum modum loquendi Theologorum, quia talis non est ex suo conceptu voluntas, substãtia Dei, personalitates, &c. quorum quodlibet, seclusâ præcisione, idem omnino conceptus est intellectionis, & volitionis. Nec prodest hic ad diuersa connotata appellare intellectus, & voluntatis; tum quia intelligere, & velle non tribuuntur in dictis propositionibus connotatis extrinsecis adhuc partialiter; sed potentiis intelligendi, & volendi adæquatè intrinsecis Deo: tum maximè, quia non sunt hic connotata diuersa, quia intellectio, & volitio realiter sunt idem, & seclusis præcisionibus, etiam formaliter, obiectum autem aut Deus ipse, aut vna, & eadem creatura vtriusque actus esse potest. 288

Nonum denique argumentum sit: quia si non præscindimus obiectiuè, multæ quæstiones in Theologicâ grauissimæ, accuratissimèque disputatæ ab omnibus Theologis, prorsus nugatoriæ sunt ac ridiculæ, aut saltem penitus vacuæ omni ratione dubitandi. Exemplo sint. Prima. In quo consistat essentia metaphysica Dei, an in radice attributorum, an in eorum aggregato, an in actuali intellectione, &c? Secunda: an attributa sint proprietates essentiæ metaphysicæ. Tertia: an habeant aliquem ordinẽ prioris, & posterioris? Quarta: an sint æqualia in perfectione? Quinta: an in Deo detur intellectus, & voluntas per modum actus primi? Sexta: an Deus suam intellectionem per ipsammet, vel per reflexam aliam intelligat. Septima; an omnipotentia diuina consistat in actuali Dei volitione? Et sexcentæ aliæ huius generis. Etenim si essentia, & attributa Dei sunt vnicus & idem omnino conceptus obiectiuus, nugatio est quærere, in quo conceptu essentia consistat? Nugatio, an sint attributa proprietates essentiæ? ridiculum, an attributa ordinem habent, vel sint æqualia in perfectione, vt si id de eodem conceptu simplici quæreretur. Ridiculum, an in Deo detur intellectus per modum actus primi, quandoquidem, si asseratur, nulla formalitas obiectiua tribuitur Deo, ampliusque, si negetur; idemque euenit in cæteris. Adde, sublatis præcisionibus, euanidum prorsus, & nugatorium reddi modum communissimum, quem omnes habẽt philosophandi, tum in Deo, tum etiam in 289

in creaturis, dum iuxta diuersas formalitates diuersa prædicata rebus attribuunt. Vt cùm dicimus, Deus ex prædicato à se habet, quod sit æternus; non ex prædicato creatoris. Actus charitatis ex prædicato supernaturalis exigit supernaturale principium; non ex prædicato vitalis: gratia habitualis non ex prædicato qualitatis; sed ex prædicato talis habet, quod non possit cum mortali coniungi, &c. Quæ omnia absurda ne quis deuorare cogatur, præcisiones obiectiuas admittat necessarium est.

Propositio 4.

Præscindere nos ex parte obiecti formaliter tam in creaturis, quàm in Deo, argumenta philosophica persuadent.

190 Quorum primum ab ipsâ petitur experientiâ in hunc modum, sæpe intellectus noster cognoscit aliquid de entitate aliquâ indiuiduâ, & aliquid ignorat eiusdem. Ergo præscindit in illâ obiectiuè vnam formalitatem ab aliâ. Consequentia est certa; Antecedens probari potest variis exemplis. Sæpe enim contingit, vt quis cernens à longè hominem, iudicet illum animal esse; quia videt in eo operationem aliquam animalis, vt motum progressiuum, aut quid huiusmodi; cùm tamen iudicare non possit vtrum sit homo, an brutum, quia nullam hominis, aut bruti proprietatem assequitur. Tum sæpè ignoramus virtutem talis, aut talis effectus productricem in rebus, quas alioquin noscimus esse talis, aut talis naturæ quoad alia prædicata; qui enim magnetem videbat antequam illa eius mirabilis virtus trahendi ferrum, & collimandi in polum detegeretur, bene noscebat esse lapidem, esse verò talis virtutis ne cogitabat quidem. Quot herbas, quot frutices, quot arbores passim offendimus, in quibus cùm cognoscamus planè esse plantas, esse viuentia, &c. nescimus prorsus esse productiuas, seu causatiuas plurium effectuũ, quorum aliqui iam notescunt medicis, multi adhuc latent eosdem. Igitur cùm esse rationale animal illud à longè visum; & plantam, aut lapidem compotem esse ad talem effectum causandum sit aliquid cum eis entitatibus identificatum, efficitur vt intellectus aliquid noscat in his rebus, ignoto alio identificato cum illo, quod est præscindere. Similiter sæpissimè euenit, vt homo aut ignarus, aut certè immemor omnino aliquarum Dei perfectionum; de aliis indentificatis cum illis iudicet, ratiocinetur, loquatur; Quod etiam est has ab illis tum mente, tum verbis præscindere.

191 Huic argumento respondent aliqui per cognitionæ illam, qua attingitur animal procul visum (& idem est de aliis exemplis) etiam attingi rationale; non tamen clarè, & explicitè vt animal, sed confusè, & implicitè. Verumtamen solutio hæc meritò ab aliis non præscindentibus repudiatur; vtpote ex quâ eadem, & eodem modo sequitur contradictio, quam ipsi improperant præscindentibus, nempe eamdem entitatem cognosci clarè, & simul non cognosci clarè. Etenim cognoscere animal clarè, & non cognoscere rationale clarè, sed confusè, manifestè est præscindere animal à rationali obiectiuè per eam cognitionis claritatem, si verba, vt absolutè sonant, sumantur.

192 Quare Petr. Hurt. *disput. 5. Met. §. 125.* & *disput. 6. §. 158.* Arria. *disputatione 5. Logicæ sect. 2.* Quied. *contr. 4. Met. punct. 8. num. 38.* & alij meliùs respondent per illam cognitionem attingi totam hominis entitatem relatam ad motum progressiuum, seu sensationem, sub quo respectu dicitur animal, non verò relatam ad discursum, sub quo respectu dicitur rationalis. Idem sibi vult Franc. Alph. *disput. 3. Logicæ sect. 3.* quamuis dicat cognosci per dictam cognitionem animal clarè, & rationale confusè; reducit enim totam confusionem in ignorantiam discursus, seu ratiocinationis, quæ est connotatum rationalis. Vnde in solo modo loquendi, eoque satis abusiuo, & improprio differt ab aliis.

Contrà hanc tamen solutionem est primò, quòd 193
hoc asylum connotatorum non semper adest ad similes effugiendas difficultates, vt ex dictis in superioribus constat, & dicendis ampliùs constabit. Vnde patet illud tutum non esse, suspectamque esse argumentorum solutionem illi subnixã, etiam si eâ specie tenus, & plausibilior sit & probabilior videatur.

Sed esto demus adesse vbique connotatorum asy- 194
lum, suppono pro casu præsenti cum sententiâ communi, quam plerique etiam tenent Aduersariorum, causas creatas transcendentaliter esse relatas ad suos effectus, siue cum illis vt possibilibus intrinsecè, & essentialiter esse connexas. Neque enim sententiæ oppositæ paucorum Recentiorum est alliganda doctrina non præscindentium, quando, etsi alligetur, nihil eis proderit, vt postmodum ostendam.

Deindè suppono, vt apud omnes certum, qui iu- 195
dicat de aliquo ente, quod scit existere, esse connexum essentialiter cum alio quopiam, siue id iudicet euidenter, siue probabiliter eo ipso posse induci ad iudicandum pariter terminum talis connexionis. Ob id enim, qui videt fumum existentem, inducitur ad iudicandum ibi esse ignem, quia iudicat fumum existere, & cum igne connexum esse, & in exemplo, quod versamus ob id, qui videt illam entitatem procul positam sentire, iudicat eam esse animal, seu principium sentiendi; quia iudicat sensionem illam, quam experitur existere, & necessariò connexam esse cum principio sentiendi; & vniuersè propterea in omni humano discursu, seu euidente, seu probabili, aut necessariò, aut pro discurrentis arbitrio iudicatur consequens, quia iudicatur esse antecedens, & illud esse connexum cum tali consequente, vt *suprà disput. 2. quæst. 5.* statutum est. Ex quo manifestè consequitur, qui iudicat de aliquâ entitate, quam scit existere, esse connexam intrinsecè cum aliquo ente vt possibili, eo ipso iudicare posse, tale ens possibile esse, quocumque iudicio iudicet illud seu euidenti, seu possibili. Est certum.

His positis retundo euidenter Aduersariorum so- 196
lutionem. In casu proposito, si iudicans illud ens procul visum esse animal, non præscindit obiectiuè, aut necessariò etiam iudicat, aut saltem potest iudicare pro arbitrio esse illud rationale, contra id, quod ex experientiâ supponimus. Ergo dicendum est præscindere. Consequentia est bona. Probo antecedens; quia, sublatâ præcisione obiectiuâ, iudicium de animalitate existente illius entis eminùs visi iudicium est de connexione existente, quam illud intrinsecè, & essentialiter habet cum ratiocinatione sibi possibili, iuxta suppositionem primam, tali autem iudicio posito in promptu est iudicare, seu necessario, seu pro libito ratiocinationem esse talem enti possibilem, iuxta suppositionem secundam, quo nihil desiderari potest neque ex parte recti, neque ex parte connotati, quominus iudicetur esse, tale ens rationale, siue principium ratiocinationis vt constat.

Dices: etsi cognoscens illud ens esse animal, co- 197
gnoscat pariter connexionem, quam illud habet cum ratiocinatione sibi possibili, non tamen ita expresè cognoscere connexionem istam, vt possit

quidpiam

quidpiam iudicare de termino eius ; neque enim omnis cognitio connexionis inducit ad cognoscendum terminum, vt patet in oculis, qui videndo colorem, vident connexionem, quam color habet cum Deo, quin possint vllo modo Deum ipsum attingere. Ignotâ autem ratiocinatione , quantumuis per illud iudicium dicta connexio cognoscatur , ignotum manere rationale defectu iudicij de connotato. Sed contrà primò ; quia vt constat ex certa doctrinâ ex omnium sententia statutâ in secundâ suppositione iudicium quoduis de connexione existente siue euidens, siue obscurum , & tantùm probabile sufficiens est ad inferendum terminum eius (alioquin impossibile esset ex antecedente solùm probabili iudicare adhuc probabiliter consequens , omnisque subinde humanus discursus solùm probabilis cessaret, quod patet esse absurdum. In quo iudicium intellectuale de connexione à simplici eius apprehensione, qualis est visio corporea, manifestè discriminatur) constat autem, qui iudicat illud ens eminùs visum esse animal , connexionem itidem existentem, quam ipsura habet cum ratiocinatione, eodem iudicio iudicare, si non præscindit obiectiuè. Contra secundò, quia non vtcumque, sed euidenter iudicat dictam connexionem, siquidem eodem omnino modo iudicat illam, atque animalitatem , si non præcindit : quis autem dicat iudicium euidens de connexione existente non sufficere ad inferendum terminum eius ? Contrà tertiò , quia si videns ens illud, fide humanâ aut diuinâ crederet esse ipsũ cum ratiocinatione sibi possibili connexum , citra dubium posset inferre inde esse illi ipsam ratiocinationem possibilem , vti ex quibusuis veritatibus fide creditis aliæ, cum quibus illæ connexæ creduntur, passim inferuntur à nobis. Sed longè euidentiùs, quàm per fidem iudicat dictam connexionem , si non præscindit. Ergo. Contra quartò ; quia æquè est euidens in casu posito esse illud ens animal, ac esse sensionem ab eo nascentem cum animalitate connexam : ergo seclusâ præcisione, æquè euidenter iudicatur connexio illius entis ab animalitate indistinctâ, ac iudicatur connexio cum sensatione identificatâ ; sed iudicium de connexione sensationis inducit iudicium euidens de termino eius , nempe de animalitate : ergo & iudicium de connexione illius entis aliud quoque euidens inducit de termino eius, nempe de ratiocinatione possibili. Mitto alia , quia hæc satis sunt in re comperta. Per quæ manifestè conuincitur in casu, quem versamus , euidenter iudicatum iri, seclusâ præcisione obiectiuâ , esse ens illud procul visum rationale , dum euidenter iudicatur esse animal , contra id , quod ex experientiâ supponitur : estò ad id sit necessarium iudicare ratiocinationem possibilem, quæ principij ratiocinandi extrinsecum connotatum est.

298 Addo tamen id necessarium minimè esse ; quia suppositâ doctrinâ , in quâ procedimus, de connexione causarum cum effectibus possibilibus, conceptus principij causatiui adæquatè est condistinctus ab effectu causabili , atque ita in proposito conceptus rationalis , siue principij ratiocinatiui à ratiocinatione possibili. Vnde si, vt Aduersarij fatentur , in casu nostro totum, quod rationale dicit in recto, iudicatur, ignotâ solùm ratiocinatione connotata , planè iudicatur totum, quod rationale dicit in suo conceptu , atque adeo nullomodo ignoratur esse ens illud rationale contra experientiam. Neque refert conceptum rationalis esse respectiuum ad ratiocinationem sibi extrinsecam. Inde enim aut sequitur contra Aduersarios illum non posse cognosci simul cum conceptu animalis , vti ipsi cognosci dicunt, non cognitâ ratiocinatione , prout dicunt etiam non cognosci. Aut certè (quod ego veriſsimum puto) sat est, quod ratiocinatio simpliciter apprehendatur , vt talis conceptus iudicetur, vti euenit quoties , iudicata relatione etiam connexionis , sistimus ibi , nec pergimus ad inferendum , seu iudicandum terminum. Quod etiam planè pugnat contra Aduersarios ; quia cum possimus pro libito simpliciter apprehendere ratiocinationem ipsi possibilem, quo nihil deerit, vt iudicet esse illud quoque rationale contra experientiam, si conceptum animalis à conceptu rationalis , quoad id, quod dicunt intrinsecè, non præscindit.

Hæc omnia dicta sunt factâ hypothesi , quod 299
causæ intrinsecè, & essentialiter sint connexæ cum suis effectibus possibilibus. Ne tamen Aduersarij nostra argumentatione pressi ab istâ hypothesi resiliant , sciant mutato casu ad aliam materiam , vbi similem connexionem negare nequeant , præclusum illis manere istud effugium. Posse autem mutari est certum , quia multa sunt connexa citra omne dubium cum suis connotatis, vbi idem argumentum effici potest , e. g. Posito , quòd vera sit sententia Theologorum communis affirmans actionem, qua in nobis de facto producitur gratia sanctificans , esse eductiuam , Scotistæ , qui id negant putantes creatiuam esse, dum iudicant talem actionem esse actionem , negantes eam esse passionem, planè præscindunt obiectiuè , aut simul ignorant talem actionem esse passionem , dum id negant, & sciunt, dum iudicant esse actionem , quod est implicatorium. Hic namque connotatum solùm passionis , nimirum subiectum passiuum nequit dici ignorari : tum quia passio iudicata iudicio de actione illud notificat iuxta argumentum factum , vtpote citrà omne dubium connexa cum illo : tum quia tale connotatum aliunde est cunctis manifestum , cum sit nostra ipsa anima recipiens dictam gratiam. Sufficiat hoc exemplum è multis, quæ possent afferri. Ex quibus omnibus liquidò apparet per experientias dictas satis conuinci, intellectum nostrum obiectiuè præscindere.

Quod aliter stando in eodem exemplo de enti- 300
tate hominis eminus visa probari potest, casu, quod videns illam ita iudicet esse animal , vt simul iudicet non esse hominem , vti potest contingere. Quo posito sic argumentor. Qui iudicat. *Illa entitas intrinsecam habet potentiam sentiendi* , si non præscinderet obiectiuè , nequiret simul iudicare : *Illa entitas intrinsecam potentiam non habet ratiocinandi* , quia id esset idem omnino de eadem entitate simul affirmare , & negare contrà principium ab omnibus receptum, à nobisque suppositum *suprà n.* 242. At simul iudicat vtrumque, vt ponimus: ergo præscindit obiectiuè. Nec potest satisfieri dicendo istas duas propositiones non esse eiusdem de eodem propter diuersa connotata , quæ habent ex parte prædicati. Tum quia non semper connotata diuersa impediunt contradictionem propositionum. Tum quia licet demus in præsenti impedire , cum propositio affirmatiua vt mimimùm inferat apertè contradictorium negatiuæ, iuxta superius dicta, perinde esset vtrique simul assentire , atque assentire simul duabus contradictoriis. Quod planè impossibile est.

Respondet Arriaga *suprà n.* 44. Non repugnare 301
me affirmare simul, & negare idem obiectum, quando ex ignorantia puto esse diuersa , vt patet in illis, qui negant definitionem de definito , quando falsò putant

putant non esse illam veram definitionem, verba sunt eius. Quæ quidem aut præcisionem admittunt, aut nihil noui adferunt. Nam dum affirmo de illâ entitate supradictâ esse animal, & simul nego esse hominem, aut puto hæc prædicata esse diuersa quoad intrinsecum, & ita manifestè præscindo, aut solùm quoad connotata extrinseca, & id non interest, vt ostendimus. Exemplum de negante definitionem de definito non est e re, vt e. dicendis infra constabit.

302 Propterea ad aliud effugium familiare Recentioribus non præscindentibus de discretione, & non discretione ab aliis obiecti cogniti, se se recipit Arriag. *n. 4. & seqq.* dicens primò, tunc cognitionem aliquam esse confusam, quando non discernit suum obiectum à reliquis, tunc claram e contra, quando discernit. Quò fit, vt quo à pluribus discernitur obiectum, eò clarius; quò verò à paucioribus, eò confusius cognoscatur. Deinde dicit, cognoscere aliquid esse animal nihil aliud esse formalissimè, quàm discernere illud à non animalibus; & cognoscere esse rationale, quàm discernere à non rationalibus. Vnde infert in casu argumenti facti cognosci quidem animal, & non rationale; non tamen, quòd aliquid ignoretur de entitate illa eminus visa, sed, quòd tota ea cognoscitur cognitione confusâ discernente illam duntaxat à non animalibus; non verò cognitione clariori discernente illam insuper à non rationalibus. Eadem doctrinâ vtitur Arriag. *tom. 1. in 1. part. disput. 9. à num. 5.* & rursus *à num. 35.* vt defendat etiam per visionem intuitiuam magis, vel minus confusam posse distingui formalitates ex parte actus, ita vt possit intellectus affirmare de Deo, quod est ens, aut substantia, aut etiam, quod est vnus &c. ignotis reliquis attributis, & Trinitate personarum; non quod aliquid ignoret substantiæ diuinæ, sed, quod illam totam discernat modo à non ente duntaxat, modo à non substantia, modo à non vno &c. O quot hic inuoluuntur. Procedamus paulatim.

303 Et primum admisso toto assumpto, infero. Ergo casu, quod vna cognitio non discernat obiectum suum à pluribus, quàm alia, nihil erit, quo respondeas ad argumentum, & experientiam propositam. Pono igitur argumentum idem in diuersâ materiâ, & en omnes tuæ expensæ cassæ penitus fiunt. Contingit passim inter scientificos, vt cognitâ aliquâ entitate quoad prædicatum specificum, plures proprietates cum ipsâ identificatæ ignorentur. Ponamus ergo e. g. id euenire in homine, ne longiùs ab exemplo proposito recedamus. De quo cognoscat quis esse principium ratiocinandi, & nesciat an sit principium risus, aut admirationis, aut fletus. Ecce in hoc casu redeunt omnia argumenta facta circa cognoscentem animal, ignoto rationali, & tamen hic non habet locum tua responsio: nam à tam multis secernitur entitas hominis per cognitionem rationalis, quàm secerneretur per cognitionem risibilis, aut admiratiui. Idem euenit in illis attributis diuinis, quæ insolidum sunt proprietates Dei, vt esse infinitum, omnipotentem, increatum, immensum &c. Constat enim non posse Deum discerni reuerâ à pluribus in quantum omnipotentem, quam in quantum immensum, vel increatum &c. & tamen certum est posse; de factoque sæpe ignorari aliquod horum attributorum, cognitis aliis. Quo iterum doctrina tua funditùs corruit.

304 Deinde, quis vnquam dixit ad cognoscendum hoc animal clarè, & expresè necessarium esse, quod illud à cæteris entibus non animalibus discernatur? nemo profecto; quandoquidem omnes experimur absque vllâ comparatione ad non animalia cognoscere nos vt plurimum vnumquodque animal indiuiduum, de quo vel cogitatio, vel sermo, vel externa sensatio occurrit, idque satis clarè, & expresè; sed demus ad distinctam cognitionem de hoc animali esse necessariam discretionem eius à non animalibus. Pariterque ad distinctam cognitionem de hoc rationali discretionem à non rationalibus; certè cùm tam non animalia, quam non rationalia confuso quodam conceptu ad talem comparationem comprehendi debeant, vt constat, sciri non potest per illam, vtrum eorum à pluribus discernatur, quàm alterum.

Dices non opus esse, quod sciatur vtrum discer- 305
natur à pluribus; sed hoc ipso quod entitas hominis discernitur à non animalibus, quotquot illa sint, quin possit discerni à non rationalibus, quotquot illa sint, cognosci solum inquantum animal, & non inquantũ rationalis. Sed contrà primò. Ergo iã maior, aut minor claritas cognitionis non stat penes hoc, quod obiectum cognitum à pluribus discernatur, vti dicebas. Cõtra secundò. Discernere entitatẽ hominis ab entibus, quæ non sunt animalia, & non ab entibus, quæ non sunt rationalia, nihil est aliud, quàm factâ comparatione eius cum non animalibus, atque etiam cum animalibus, deprehendere dissimilitudinem, quam habet cum non animalibus, & similitudinem cum animalibus. Et non posse diiudicare an inter animalia magis assimiletur rationalibus, quàm non rationalibus, vel vice versâ, vt ipse Arriãg. fatetur. Ergo qui non discernit eam entitatem à non rationalibus, ignorat dissimilitudinem eius cum non rationalibus, similitudinemque cum rationalibus sufficientem, vt illa sit rationalis, cognitâ sufficiente similitudine, quam habet cum vtrisque, vt sit animal, vt sit viuens, vt sit substantia, vt sit ens. Quod est manifestè præscindere obiectiuè vnam similitudinem ab aliâ, siue quamdam similitudinem à quadam dissimilitudine, quæ tum cum extremis similibus, ac dissimilibus, tum inter se sunt realiter prorsus idem, iuxta communem iam, ipsiusque Arriag sententiam de indistinctione relationum à fundamentis. Et sane non discernere vnum extremum ab altero, vtroque concepto, loquendo vniuersè, non potest non esse ignorare aliquod ipsorum prædicatum aut cum altero, aut cum vtroque identificatum, cognitis aliis prædicatis notioribus, quod euidenter est obiectiuè præscindere.

Præterea si cognoscere aliquod alicuius rei præ- 306
dicatum nihil est aliud, quam illam discernere, siue discriminare à non habentibus tale prædicatum, sequitur differentiam specificam, & omnes proprietates veras cuiusque rei vnum, & idem prædicatum esse, quandoquidem ab eisdem omninò extremis discriminatur quælibet res per differentiam specificam, & tales proprietates. Itaq; idem erit formaliter in homine esse rationalem, esse admiratiuum, risibilem &c. quandoquidem idem formaliter est in ipso esse re verâ dissimilem non rationalibus, ac esse dissimilem non admiratiuis, non risibilibus &c. vtpote, quæ reverâ eadem sunt omnino. Vnde sequetur, qui semel scit cuiusuis entis differentiam, nullam posse ignorare proprietatem eius, aut qui scit aliquam proprietatem, eo ipso scire omnes. Quod, quàm sit absurdum, nemo non videt.

Denique in casu argumenti facti, vt quis iudicet 307
eam entitatem procul aspectam esse animal, sat est, quod iudicet esse eam principium sensationis absque vllâ memoria discretionis talis entitatis ab aliis,

aliis. vt est notissimum. Pariterque absque memoriâ simili sufficeret iudicare eam esse principium discursus ad iudicandum esse eam rationalem. Ergo quod hoc non iudicetur, non nascitur ex ignorantia discriminis talis entitatis ab aliis, sed ex eo quod nescitur, an ea sit principium discursus, quod sine præcisione obiectiuâ nesciri non potest, vt ostendimus, ampliusque ostendemus *in seqq.*

308 Postremò, quis hactenus cogitauit, nedum asseruit, eos, qui vident intuitiuè, eiusmodi discretiuis comparationibus indigere ad iudicandum de obiectis visis? quando apud omnes citra omne dubium est statutum videntes intuitiuè, obtutu quodam adhæsiuo iudicare de obiecto viso, quod ipsum est in se citra omnem extrinsecam, extraneamque comparationem; idque vel magis, vel minus clarè iuxta qualitatem visionis. Stat itaque absque fundamento contra experientiam, ac demum sine successu intrudi huiusmodi rerum discretiones ad declinandam vim argumentorum, quæ pro præcisionibus obiectiuis ab intellectu nostro oriundis valide militant.

309 Quiedo suprà *num.* 37. cum sibi argumentum, de quo agimus, obiecisset, & parui momenti, & soluu facile, & instantiæ obnoxium illud esse arbitraretur, solutio ab ipso exhibita ipsa est, quam impugnauimus petita à diuersitate connotatorum, nam alia, quam adiungit, non est ad casum nostri argumenti, sed ad alium, quem ipse ponit. Instantiam autem desumit à visione coloris, ex vi cuius nec sensus, nec intellectus potest discernere an ille sit viridis, vel niger, etsi feratur in differentiam specificam eius; cùm tamen bene cognoscat rationem genericam. Vnde ita arguit. Totum præcisionum fundamentum desumitur ex eo quod intellectus discernat rationem genericam, & non specificam. Sed idem contingit in sensibus; & tamen in sensibus hæ præcisiones non admittuntur: ergo neque ex hoc fundamento præcisiones sunt in intellectu admittendæ. Quo destructo vix mediocre aliud reperitur ad has præcisiones suadendas. Verba sunt eius. Cæterùm cuius momenti, & quantæ difficultatis sit argumentum factum, & quot insuper aliis, quamque firmis fundamentis sententia præcisionum nitatur, legentibus totam hanc quæstionem iudicandum relinquo. Modo, vt perspicuè appareat, quam vim habeat instantia opposita, & quomodo potiùs prodest illa, quàm obest nostræ doctrinæ, suppeditans nobis materiam, vnde premamus Aduersarios. Suppono primò per sensus externos nullatenus obiectiuè præscindi, quia sua illi obiecta cognoscunt per proprias species; & præcisio obiectiua solùm effici potest per facultatem cognoscentem per species alienas, vt ex dicendis in decursu apparebit. Ex quo patet per sensum externum omnia prædicata cum obiecto identificata omninò indiuisim, eodemque prorsus modo tangi siue clarè, siue confusè iuxta qualitatem sensionis.

310 Suppono secundo intellectum nostrum solùm primas apprehensiones obiectorum singulorum oriundas ab externis sensionibus elicere per proprias species. Iudicia enim etiam prima absque vsu alienarum specierum elicere nequit. Et quamuis conceptus communes primarios sensibilium obiectorum quodammodo per species proprias efformet, atque adeò illi simplices sint nullam supponentes, aut inuoluentes formalitatum præcisionem; In cæteris tamen quibusque conceptibus, quos circa obiecta sensibilia format, perinde atque circa non sensibilia vtitur speciebus alienis, & ad extrinseca connotata comparationibus; vnde conceptus generici sensibilium obiectorum, atque etiam specifici secundarij nequeunt non esse comparatiui ad connotata extrinseca. Quæ omnia latiùs explicata sunt *suprà disput. 2. quæst. 3.* Ex quo patet conceptum genericum coloris non posse non connotatiuum esse, formatumque per speciem alienam. Arbitror autem illum consistere in conceptu obiecti condistincti à luce, & per solum visum tangibilis. Sicut conceptus odoris genericus nihil est aliud quàm qualitas solo olfactu tangibilis, & conceptus saporis genericus qualitas sensibilis per solum gustum, &c.

Suppono tertiò: vt intellectus noster ex vi sen- 311
sionum externarum inter obiecta sensibilia possit discernere, & cuiusnam illa sint naturæ, siue specificæ, siue etiam numericæ diiudicare, certum expressionis, seu claritatis gradum debere sensiones ipsas attingere, obiectaque item certum diuersitatis, aut conuenientiæ gradum habere. Iam remissæ enim, seu tam obscuræ possunt esse sensiones, tam exiguaque obiectorum aut differentia, aut conformitas, vt intellectus de propria ipsorum naturâ, seu specificâ, seu numericâ nequeat ferre iudicium; tametsi possit iudicare de illis aliquod prædicatum genericum, in quo cum rebus aliis conspirant, collectum scilicet per discursum captâ occasione ex sensationibus. His positis.

Respondeo ad instantiam propositam *num.* 309. 312
quando visio coloris viridis, vel propter distantiam obiecti, vel propter aduersam medij, aut organi dispositionem adeo est obscura, vt nequeat intellectus vi eius discernere num sit obiectum visum viride, vel nigrum, vel alterius coloris; cum tamen bene possit iudicare in genere esse illud coloratum, seu habens colorem. Tunc sanè per visionem externam nullatenus discerni genus coloris à differentiâ; imò nec per apprehentionem internam à tali visione immediatè oriundam; quia cognitiones istæ indiuisim omnino tangunt eâ obscuritate, quâ tangunt quidquid realiter est color viridis, in quem feruntur. Vnde neque intellectus præcisè ex vi notitiæ obiecti per talem visionem sibi ingestæ iudicat illud esse coloratum; sed aliunde ad id iudicandum discursu ducitur; nimirum quia manifestè experitur per oculos tale obiectum sentiri, & aliàs scit quidquid per oculos intrat, & non est lux, eo ipso esse colorem, quo discursu conceptum coloris, seu colorati obiecti format vtens ad id specie aliená. Sicque genus coloris à differentiâ præscindit, nullâ præeunte præcisione factâ per sensum. Paritérque euenit in iudiciis similibus, in quibus, vt dixi, semper, & necessariò interuenit vsus alienarum specierum. Recognoscantur plura ad rem dicta *disput. 2. quæst. 3.* En quomodò instantia nobis opposita à propositio experimento desumpta nihil momenti contra nos adfert. Videamus modò quantum contra Aduersarios inferat. Sitque.

Secundum argumentum. In dato exemplo de co- 313
lore viridi eminùs viso iudicat videns illum esse colorem, & nequit iudicare an sit viridis, imò fortasse delusus iudicat esse fuscum. Ergo præscindit obiectiuè genus à differentiâ. Probo consequentiam; quia hîc effugium connotati ignoti non videtur habere locum; cùm enim differentia coloris viridis conceptu absoluto sit cognoscibilis, citra omnem ordinem ad extrinsecum connotatum, vt constat ex dictis, ignorare differentiam, cognito genere, coloris viridis non erit ignorare connotatum entitatis talis coloris, sed ignorare aliquid de entitate ipsâ cognito alio

cum

cum eâdem identificato, atque adeo præscindere. Verùm huic exemplo non est hærendum, quando sexcenta alia pleniora suppetunt ad subuertendum hoc asylum connotatorum, præter illa, quæ iam produximus agentes de Deo. sit ergo.

314 Tertium argumentum. Sæpe scimus rem aliquam esse à Deo productam per creationem; ignoramus tamen an talis creatio realiter sit identificata cum ipsâ re creatâ, vel secus: ergo casu, quòd sit identificata citrà omnem extrinseci connotati ignorantiam, quæ hic non datur, ignoramus talem identitatem cognitis aliis rei prædicatis ab eâ indistinctis, quod est præscindere. Sæpe etiam cognoscimus duas res esse inter se similes; ignoramus tamen an sint æquales in perfectione, quo casu eas inter se præcisè conferimus, nullo forinsecus connotato spectato, vt patet. Ergo supposito quod similitudo, & æqualitas realiter non est quid distinctum ab ipsis rebus similibus, & æqualibus, vt fert communis, & vera sententia Aduersariorum, ineuitabilis est in tali casu præcisio obiectiua, vbi & similitudo cognita, & æqualitas ignorata adæquatè est idem realiter cum dictis duabus rebus. Tantumdemque euenit cùm, cognitis duabus rebus, quoad alia prædicata, nescimus an illæ sint inter se connexæ, aut an sint oppositæ, vel absolutè, vel respectiuè ad tertiam, quam, etiam noscimus. Sæpe insuper tam in physicis quàm in moralibus scimus aliquam entitatem esse actum alicuius subiecti, esse accidens eius, esse ei dissimilem in naturâ, & inæqualem in perfectione, tum posteriorem secundum originem, &c. & tamen ignoramus an sit ea tali subiecto consona, aut dissona, conueniens, vel disconueniens, bona vel mala, &c. Quocirca sæpè decepti putamus nobis bonum, & appetibile, quod nobis malum est, & odibile; gnari nihilominus aliorum prædicatorum, quæ illud re vera habet respectiuè ad nos. Ergo cum priores veritates cognitæ in omnibus huiusmodi casibus quoad nihil prorsus seu directum connotatum distinguantur à parte rei à posterioribus ignotis, ab his haud dubiè præscinduntur per cognitionem sæpe denique plurium conceptuum diuersorum eiusdem entis vnicum tantum est connotatum, vti euenit in conceptibus subiecti potentiæ, & actus, tum in conceptibus diuersorum actuum comparatis ad eumdem terminum, realiterque identificatis. Fitque, vt cognito aliquo horum comceptuum, alterum ignoremus; euidenter enim scire solemus Deum cognoscere aliquod obiectum, ignorantes, vel dubitantes an illud amet; cum tamen cognitio, & amor talis obiecti, quod vnicum est vtriusque actus connotatum, in Deo realiter sint idem. Verùm quia præcisio obiectiua actuum liberorum Dei specialem habet difficultatem infrà suo loco tangendam: pono alia exempla. Sæpe scimus aliquam entitatem potentiam habere ad aliquem actum; nescimus tamen, aut dubitamus an ea sit cum tali actu necessariò connexa, an illum exigat, vel appetat aut absolutè, aut datâ tali, vel tali hypothesi; Cum tamen potentia, connexio, & appetitus realiter sint idem, & idem habentes connotatum. Tum omnes sciunt solem existere, & esse idem sibi ipsi; & tamen multi dubitant, aut ignorant an sol realiter sit idem cum suâ existentiâ; cum tamen sol, eius existentia, & identitas vtriusque vel nullum, vel idem connotatum habeant. Mitto plura exempla, quæ passim occurrunt, & facile quisque poterit meditari. Per quæ connotatorum effugium euidentissime Aduersariis manet præclusum.

Quomodo autem eis non liceat, aut certè non 315
prosit recurrere ad alia effugia diuersorum mediorum, vel diuersarum cognitionum, quò in vrgentioribus angustiis, vbi connotatorum deest subsidium, se solent recipere, ex dictis iam in superioribus satis compertum est. Etenim quælibet veritas obiectiua indifferens est, vt per diuersa media noscatur, neque ex eo quod cognoscatur per media diuersa, desinit esse eadem veritas formalissimè. Ob id enim in scientiis ad eamdem formalissimam veritatem obiectiuam probandam pluribus, diuersisque argumentis, hoc est, pluribus, diuersisque mediis vti solemus. In ordinario etiam coniuctu idem ipsum formaliter modo per experientiam, modo per discursum, modò per fidem humanam, modò per fidem diuinam cognosci solet, vt est notissimum. Tantùm abest, vt cognita tota re adæquatè per vnum medium, veritas aliqua ab illa indistincta ignorari possit ex eo præcisè, quod non cognoscitur per aliud. Ratio à priori, quia medium, per quod aliud cognoscitur, eatenus ad cognoscendum illud inducit, quatenus præcognoscitur ipsum connexum cum illo: nihil autem vetat cum eâdem formalissima veritate obiectiua plurima, & diuersa media connexa esse, vt taliaque prænosci. Itaque si iudicans duas res esse inter se similes, & iudicans easdem esse inter se æquales, eamdem omnino, atque indiuisam ex parte obiecti veritatem in talibus rebus attingunt suis iudiciis, impossibile prorsus est, quantumuis per media diuersa illam attingant, quod non iudicet quilibet de talibus rebus, quidquid iudicat alius, & consequenter, quod aliquis ignoret id, quod in ipsis rebus alius agnoscit. Poterit quidem alius clariùs; alius obscuriùs idem ipsum cognoscere penes diuersitatem mediorum, quibus ad illud ipsum cogoscendum ducuntur: at ignorare aliquem in rebus eisdem, quod in illis alius cognoscit, quando idem ipsum, nec amplius, nec minùs in illis cognoscit vterque, euidentissimè profectò repugnat in terminis ipsis. Tum sic. Ergo impossibile est aliquem prædictorum iudicare de dictis rebus esse similes, & non iudicare esse æquales, quibuscumque demum mediis ad id iudicandum ducatur. Ast hoc manifestissimæ oppositum est experientiæ, per quam constat posse aliquem de rebus supradictis scire, quod sunt similes, ignorantem prorsus an sint æquales. Ergo qui iudicat eiusmodi res esse similes, non eamdem, sed diuersam ex parte obiecti iudicat veritatem, atque qui iudicat de eisdem esse æquales, & consequenter primus similitudinem ab æqualitate, secundus autem æqualitatem à similitudine manifestè præscindit; cum tamen similitudo, & æqualitas realiter idem omnino sint. Profectò discursus iste euidentissimè videtur rem demonstrare. Ex quo tandem planè consequitur, quòd sint cognitiones, aut non sint inter se diuersæ ad nostrorum argumentorum vim declinandam nihil prorsus præstare, quandoquidem diuersitas mediorum non præstat, à quibus potissimum cognitiones suam hauriunt diuersitatem.

Quo verò pacto nec aliud, quod interdum Ad- 316
uersarij tentant effugium, de discretione, aut non discretione obiecti propositi ab aliis, quidquam

illis prodesse possit, satis, supèrque ostensum est *supra n.* 302. & *seqq.* Constat enim ex *ibi* dictis hoc ipsum, quod est non discernere obiectum propositum ab aliis absque præcisione obiectiuâ constare non posse. Præterquam, quòd eiusmodi effugium alia fert secum satis aliena ab experientiâ, à ratione, & à veritate, vt *ibi* monstrauimus.

317 Quartum argumentum adhuc insistens in præcludendo connotatorum effugium est. Non solùm in re, quæ comparatur ad connotata diuersa, sunt distinguibiles per nostram rationem plures formalitates, adeo vt iudicatâ vnâ, alia ignoretur: sed etiam in ipsis connotatis, vt est notissimum: quia nullum est excogitabile connotatum, in quo non distinguat intellectus noster diuersa prædicata, vt genus proximum, & remotiora speciem, differentiam, proprietates &c. Igitur pro cuiusque rei connotatis alia sunt ab Aduersariis connotata quærenda, & pro his alia, & sic in infinitum; & consequenter dicendum, quoties nos ea, quæ concipimus, conceptibus inadæquatis concipimus, vt ferè semper fit, aut concipere infinitam seriem connotatorum, factis simul infinitis comparationibus, aut circulum agere comparando vnum ad aliud, & vice versâ, vel immediatè, vel mediatè. Quorum tamen neutrum ab Aduersariis dici posse manifestum mihi est. Si enim dicant primum, imprimis admittunt rem non solùm apertè falsam, sed planè impossibilem, facere scilicet intellectum nostrum infinitas comparationes infinitorum entium simul, quin sistat in aliquâ vltimâ, concipiendo e. g. A relatè ad B, & B relatè ad C, & C relatè ad D, & ita deinceps sine fine. Deinde, hoc etiam deuorato absurdo, integra remanet difficultas; quia cùm ea infinita connotatorum series conceptu inadæquato concipiatur, aut saltem possit concipi; quoad aliquam sc. formalitatem, & non quoad reliquas. Si ad istum modum concipiendi requiritur connotatum extrinsecum vltra omnia omnino connotata, aliud adhuc connotatum quærendum est, & assignandum quod est implicatorium in terminis. Si autem dicant secundum, dari videlicet mutuam, seu circularem connotationem, præterquam quod alienum hoc est ab experientiâ: quia verè non intelligimus hoc modo, iterum relinquunt integram difficultatem, quin præcisiones obiectiuas per hanc viam possint eludere, iuxta eam enim necessarium est, vt intellectus cognoscendo perueniat ad entitatem nullum connotatum habentem vltra entitates ab intellectu cognitas, quæ proximè, vel remotè connotant ipsam: vnde manifestè consequitur, dum talis entitas relatè ad aliquam ex dictis entitatibus retrogradâ, seu mutuâ connotatione cognoscitur inadæquatè, vti & reliquas cognosci ponimus, quoad vnam scilicet, aut alteram dumtaxat formalitatem, ignotis aliis, ineuitabilem prorsus esse præcisionem obiectiuam in illâ, quia iam, quod de ipsâ ignoratur in ignorantiam alicuius connotati reduci nequit, quandoquidem cuncta, quæ talis entitas connotare potest, cognita supponuntur. Nec dici potest talem entitatem postremam in connotatorum serie necessariò debere concipi adæquatè, quoad omnia sua prædicata, quo cessat argumentum; quando exploratissimum est experientiâ in quâuis serie connotationis omnes, & singulas entitates ad illam spectantes, quoad vnum tantùm, aut alterum prædicatum, & non quoad reliqua, quæ habent posse cognosci à nobis, vt quisque ad exempla descendens facilè deprehendet.

Quintum argumentum penitus tandem labefactans, & diluens connotatorum asylum, quod sanè pulchrum iuxta, atque validissimum est, ita formari potest. Hæc propositio est euidens. *Omnia, & singula, quæ Deus iudicat, obiectiuè sunt vera*, quia euidens est, Deum falli non posse; falleretur autem, si iudicaret aliquid, quod obiectiuè verum non esset. Igitur dum ego assentior tali propositioni, euidenter scio de omnibus, & singulis, quæ Deus iudicat, vera esse obiectiuè. At de plerisque, aut etiam de omnibus, vel cuncta, vel aliqua saltem prædicata cum ipsorum veritate obiectiuâ realiter identificata prorsus ignoro. Idque non ex ignorantiâ adæquatâ connotatorum eorum, quia nullum est excogitabile connotatum, de quo non sciam per dictum assensum esse obiectiuè verum, cum nullum sit excogitabile, quod Deus aliquo modo non iudicet. Igitur per talem assensum manifestè præscindo conceptum obiectiuum veri ab aliis prædicatis repertis in omni obiecto iudicabili à Deo, & à me ignotis. Confirmatur, & declaratur vis argumenti, Per iudicium, quo assentior dictæ propositioni, non scio quidquid scibile est in omnibus obiectis scientiæ diuinæ, vt est notissimum. Aliàs, quâ claritate cognosco de omnibus, & singulis, quæ Deus cognoscit, esse vera obiectiuè, cognoscerem cætera omnia prædicata, quæ illa habent, fierètque, vt eo solo iudicio plenè, & euidenter scirem quidquid per omnes scientias ab hominibus scibile est, quod est ridiculum. Ergo ignoro aliquid de dictis obiectis scientiæ Dei: Sed id, quod ignoro, nequit esse res, aut negatio rei adæquata, quia nulla est res, aut negatio rei siue possibilis, siue impossibilis, de quâ non sciam per dictum iudicium prædicatum veritatis obiectiuæ identificatum cum illâ, saltem ex parte. Ergo, quod ignoro, residua prædicata sunt, à quibus subinde illud obiectiuè præscindo. Hoc argumentum in aliis materiis similibus potest etiam formari. Per quæ omnia manifestissimè præclusum est non præscindentibus effugium adeo ipsis familiare diuersorum connotatorum. 318

Sextum argumentum. Sublatis præcisionibus obiectiuis è medio, tollatur necesse est omnis discursus humanarum scientiarum, quæ metaphysicè procedunt, hoc est, menstrando in rebus, de quibus agunt, ex primis passionibus metaphysicis secundas, ex secundis tertias, ex tertiis quartas, & sic deinceps. Cuiusmodi sunt Metaphysica, Mathematicæ disciplinæ, Ethica, legitima Logica, bonáque ex parte etiam Physica, & vniuersim reliquæ omnes, quæ his aliquo modo subalternantur. Tollitur etiam è medio labor has scientias addiscendi. Tollitur eiusmodi proprietatum ordo prioris, & posterioris. Quo & ipsarum scientiarum mirabiles ordines, seriesque ruunt. Tollitur inæqualitas doctrinæ in iis, qui docent, & addiscunt, præsertim quando in paucis principiis nituntur scientiæ conclusiones, vti euenit in Geometriâ, Arithmeticâ, Mechanicâ, & aliis huiusmodi. Quæ omnia, quàm sint absurda nemo non videt. Sequi autem illa ex ablatione præcisionum obiectiuarum, inde apparet; quia si non præscinderemus obiectiuè, cum primum quisque primas passiones, seu proprietates rerum, ex quibus principia scientiarum constant, assequeretur, eodem actu, eâdemque subinde 319

certitu

certitudine, & claritate cæteras omnes cum primis identificatas vno ictu obtineret, ceſſaretque diſcurſus, & labor, qui ad illas obtinendas impenditur, quin per ætates integras tum hominum, tum ſæculorum penitus poſſint exhauriri; eſſentque ſubinde pares in cuiuſuis ſcientiæ doctrina, quicumque ſemel principia talis ſcientiæ callerent. Aſſerere autem vlteriores veritates identificatas cum principiis ſcientiarum defectu notitiæ connotatorum ſtatim non detegi, atque ideo neceſſarium eſſe diſcurſum ad illas capiendas; recurrere eſt iterum ad aſylum funditus iam *ſuprà* ſubuerſum; & quod iterum multis exemplis in præſenti poſſet euerti. Sufficiat tamen vnicum ex Geometria, quæ apud Euclid. *libro* 1. *Elem. propoſ.* 32. demonſtrat in omni triangulo omnes tres angulos æquales eſſe duobus rectis: proprietas quidem triangulorum ante eam demonſtrationem ignota, citra ignorantiam omnium omninò connotatorum ac terminorum eius, qui ſunt *triangulum, angulus, angulus rectus & æqualitas* notiſſimi omnes per definitiones præpoſitas in ipſo ſcientiæ veſtibulo. Quin imò omnes veritates totius Geometriæ, Machanicæ, & aliarum Matheſis partium pro exemplo euidentiſſimoſunt; quia nulla earum ignoratur, dum ignoratur, defectu notitiæ connotati, cùm omnes intra metas pauciſſimorum, notiſſimorumque terminorum contineantur, conſiſtantque in æqualitate, aut inæqualitate, in proportione, aut improportione aliquarum quantitatum aliàs notarum, aut in paucis etiam & notis harum affectionum ſpeciebus. Recurſus etiam ad ignorantiam mediorum iam ſatis, ſuperque in vniuerſum *ſuprà* præcluſus, hic ſpeciatim potius comprobat præciſiones, quàm illas eludat; nam ignorare media, quibus ex principiis dictarum ſcientiarum deuenitur ad concluſiones, nihil eſt aliud, quàm ignorare connexiones, quibus priores rerum paſſiones, ex quibus principia coaleſcunt, cum poſterioribus connexæ ſunt. Quod ipſum plane eſt obiectiuè præſcindere, quandoquidem paſſiones metaphyſicæ rerum priores & poſteriores, ipſarumque connexiones idem reipsâ ſunt.

Septimum argumentum ex cunctis notiſſimâ humani iudicij naturâ depromi poteſt. Concors enim
310 omnium ſententia eſt nos pro hoc ſtatu nihil iudicare poſſe niſi componendo, ſi ſit iudicium affirmatiuum, vel diuidendo, ſi ſit negatiuum. Huiuſmodi autem compoſitionem, & diuiſionem eſſe obiectiuam, ita quod ex parte obiecti non poſſint non duo ſaltem conceptus nobis repræſentari, alter per modum actus reſpondens verbo, alter per modum ſubiecti reſpondens nomini; quorum alter per affirmationem alteri tribuatur, atque ita componatur, ſiue coniungatur cum illo, aut per negationem remoueatur, atque ita diuidatur, ſiue diſiungatur ab illo, *ſuperiùs diſputatione* 2. *quæſt.* 4. auctoritate, & ratione monſtratum eſt. Vnde patet, quoties id, quod alteri iudicando attribuimus, ab ipſo realiter diſtinctum non eſt, non poſſe non præciſionem obiectiuam, de quâ tractamus, interuenire. Tam familiare eſt noſtro intellectui obiectiuè præſcindere. Recole doctrinam traditam *loco citato* circa proprietates noſtri iudicij. Ex eis enim deprehendes ſatis apertè neutiquam poſſe nos iudicare abſque obiectiuis præciſionibus. Et ſanè, cùm plerique eorum, contra quos agimus, vt Hurt. *diſputatione* 7. *de Anim. ſection* 2. Arriag. *diſputatione* 6. *de Anim. ſect.* 4. Ouiedo *contron.* 6. *de Anim. punct.* 2. & alij opinentur iudicium noſtrum actum eſſe in ſe ſimplicem tangentem indiuiſibiliter ſubiectum, & prædicatum, & eorum conuenientiam, ſiue diſconuenientiam; aut habent contra Ariſt. & omnes aſſerere intellectum per iudicium nec componere, nec diuidere, aut debent fateri compoſitionem, & diuiſionem, quam facit, ex parte obiecti ſe habere, quod ſine pluralitate conceptuum obiectorum, atque adeo ſine præciſione obiectiuâ conſtare non poteſt.

Et confirmari poteſt hæc ratio: primò quia
311 iudicium humanum ſuâ naturâ eſt comparatiuum, vt experientia ipſa monſtrat, & omnes fatentur. Igitur vbi illud circa obiectum, aliàs reipsâ indiuiſum verſatur, non poteſt non præciſio obiectiua interuenire, quandoquidem comparatio, niſi inter conceptus diſtinctos, nullatenus poteſt fieri, vt conſtat, eoſque ex parte obiecti ſe habentes; conceptus quippe obiectiuos comparat iudicium noſtrum, non formales, vt etiam eſt notum. Secundò confirmatur: quia ex iſto naturali modo, quem habemus, iudicandi, & concipiendi obiecta, naſcitur diuerſitas concretorum, & abſtractorum tam obuia in ſcientiis, vt *loco citato* declaraiuimus; nemo autem eſt, qui non experiatur, ſi aduertat, & fateri velit, conceptus abſtractos, & concretos diuerſos ſibi ex parte obiecti, atque adeo inter ſe diſtinctos, ſiue præciſos obiectiuè repræſentari. Tertiò confirmatur ipſum ex diuerſitate nominum pro talibus conceptibus impoſitorum, nomina quippe diuerſa ordinariè conceptibus obiectiuis diuerſis; non verò eiſdem ſolent imponi. Neque enim nos ad imponenda diuerſa nomina ſolâ diuerſitate conceptuum formalium, hoc eſt, cognitionum inducimur, aliàs nullus eſſet obiectiuus conceptus, qui innumerâ nomina non haberet diuerſa, quia nullus eſt, qui innumeris diuerſis cognitionibus non ſit cognoſcibilis, aut per diuerſa media, aut aliter. Et quidem variari nomina dumtaxat penes varietatem conceptuum obiectiuorum, non itidem formalium, vel ex eo conſtat, quod non ad formales, ſed ad obiectiuos conceptus ſignificandos imponuntur, eoſque non vt cognitos reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè quantum ad id, quod cognitum; ſeu menti noſtræ repræſentatum eſt. Quartò confirmat idem ipſa nominum, cognitionum, obiectorumque nomenclatura ab omnibus, nemine refragante, hucuſque recepta. Cur namque alia nomina, obiectaque per illa ſignificata abſtracta, & alia concreta dicuntur, niſi quia priora aliquid abſtractum, ſiue præciſum ab alio; poſteriora verò aliquid compactum ex illo abſtracto, & ex reſiduo, præ ſe ferunt? Cur cognitio, quâ obiecta inſenſibilia per alienas ſpecies concipimus, in ſtatu præſenti abſtractiua vocatur, niſi quia ſuapte naturâ præciſiua formalitatum eſt abſtractio, quippe propriè dicta idem eſt, ac præciſio: quia vna veritas ab aliâ, cum quâ identificatur, non poteſt abſtrahi, ſeu (quod idem eſt) ſeparari abſque præciſione, vt eſt notum. Nomina præterea adiectiua ideo talia dicuntur, quia adiiciunt aliquid ſupra ſubiectum, de quo prædicantur, quod adiectum, quando realiter non eſt diſtinctum ab ipſo ſubiecto, vti ſæpiſſimè contingit, neceſſariò debet eſſe obiectiuè præciſum: nam idem omnino neutiquam dici poſſa diici ſibi ipſi.

Octauum argumentum ex iis, quæ paſſim euc- 312

niunt discursui nostro, potest sumi. Sæpissimè enim contingit in scientiis humanis, vt antecedens euidens sit, illatio autem, vi cuius consequens infertur, tantùm probabilis. Quod tamen absque præcisione obiectiuâ nequaquam posset euenire; illatio quippe in connexione antecedentis cum consequente ab ipso antecedente realiter indistincta nititur; nec aliud est illationem esse probabilem, quandò antecedens est euidens, quàm esse probabile iudicium de connexione antecedentis cum consequente, quando iudicium de antecedente ipso euidens est. Ambo enim ista iudicia vel formaliter, vel æquiualenter præcedunt ex parte antecedentis discursus nostri, antequam eliciatur conclusio, quam ipsum causat, vt latè explicui *disp. 2. quæst. 5.* Iudicare autem antecedens euidenter, & non iudicare euidenter, sed tantùm probabiliter connexionem eius cum consequente planè est præscindere obiectiuè. Quemadmodum iudicare vtcumque antecedens, & penitus ignorare connexionem, vt sæpe etiam vsu venit. Hic namque non possunt Aduersarij confugere ad ignorantiam connotati talis connexionis, quod est consequens ipsum, cùm certum sit ad iudicandam connexionem necessarium non esse, quod simul cum ipsâ iudicetur ex parte antecedentis consequens iudicandum postmodum per conclusionem, vt aliàs in hâc *q.* tetigi, *quæst. illa 5. citata* fusiùs exposui.

323 Nonum argumentum potest sumi à Memoriâ nostrâ, quæ tæpenumerò recordatur vnius formalitatis, immemor aliarum eiusdem entis, à quibus subinde & præscindit illam, & supponit præcisam per cognitionem prætiam, vnde ipecies memoratiua, quæ postea ad talem formalitatem præ reliquis cognoscendam excitatur, relicta est.

324 Decimum argumentum. Ex his duabus propositionibus obiectiuis nobis circa attributa Dei propositis, *Sapientia est Sapientia: Sapientia est Iustitia*, primæ longè faciliùs, promptiùsque assentimur, quàm secundæ. Prima euidentissima est ex terminis ipsis, imo ob euidentiam nimiam non doctrinalis dicitur. Secunda ex terminis non est nota, aliundèque subinde identitas realis prædicati cum subiecto debet nobis notescere, vt ei possimus assentiri. Prima in vtroque sensu formali, & identico vera est; Secunda solùm in sensu identico. Quæ differentiæ aliunde præfectò nasci non possunt, nisi quia sapientia, & iustitia perinde nobis apparent vt duo conceptus obiectiui inter se præcisi, & distincti, ac si realiter distincti essent; cùm tamen sapientia à se ipsâ nullatenus distincta repræsentetur. Hinc difficultas assentiendi secundæ propositioni. Hinc necessitas medij, quod ostendat eos duos conceptus reipsâ non esse distinctos, vt sunt in intellectu obiectiuè. Hinc esse propositionem ipsam falsam in sensu formali, iuxta quem affirmatur prædicatum esse idem cum subiecto non solùm re ipsâ; sed etiam prout apparent in mente quarum identitatum secunda desit in præsenti. Tantumdemque de similibus propositionibus tum in creatis, tum in diuinis licebit meditari. Ex quibus satis clarè colligitur formalitates eiusdem entis, quibus diuersa nomina non synonima imposita sunt, ex parte obiecti præscindi à nobis: diuersitas namque connotatorum dumtaxat, aut cognitionum, estò semper adesset, diuersitatem commemoratorum effectuum nullatenus causare, posset, vt cuique rem sincerè consideranti manifestum fiet.

Vndecimum argumentum. Si non præscindi- 325
mus obiectiuè, omninò è medio tollendus est modus ille vsitatissimus, & vtilissimus ad rerum essentias, ac proprietates perscrutandas argumentandi ex aliquâ hypothesi impossibili, quo passim vtuntur Theologi, atque Philosophi tum in diuinis, tum in creatis. Quotiescumque enim ex parte hypothesis ponitur vna formalitas, negatâ aliâ identificatâ cum illâ, vel è conuerso, vt fere semper fit, implicaretur in adiecto, vt aiunt, esseturque hypothesis, & tota argumentatio inutilis, sic quæstio illa celebris in materiâ de Trinitate. An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab illo, in nullo sensu posset tractari, qui non esset implicatorius in adiecto, reddensque subinde quæstionem inutilem, & nugatoriam; cùm enim processio passiua Spiritus sancti, quâ à Filio procedit, realiter sit idem cum totâ substantiâ, & existentiâ Spiritus sancti, si obiectiuam formalitatum præcisionem excludas; idem erit quærere. An si Spiritus Sanctus non procederet à Filio distingueretur ab illo? ac quærere: An si non daretur, nec esset in rerum naturâ. Spiritus sanctus, distingueretur à Filio? Quo, quid ad rem insulsius, ne dicam stultius? At verò præcisis in processione passiuâ Spiritus sancti duabus formalitatibus obiectiuis, altera respectiuè ad Filium, altera respectiuè ad Patrem; vtiliter negatâ priori, & affirmatâ posteriori ex parte hypothesis absque vllâ implicatione in adiecto procedit quæstio proposita in hunc modum. An si Spiritus sanctus non à Filio, sed à solo Patre procederet, à Filio ipso realiter distingueretur? Quanti autem momenti fuerit antiquitus hæc quæstio ad probandam contra Græcos processionem Spiritus sancti à Filio, in materiâ de Trinitate notatur. Tantumdemque dicendum venit de cæteris quæstionibus similibus.

Duodecimum argumentum. Contingit vt de 326
eisdem rebus secundum diuersa earum prædicata tractent scientiæ diuersæ, quod sine præcisione obiectiuâ non posset fieri. Sic de actibus nostri intellectus disquirit ea pars Physicæ quæ tractat de Anima; an sint vitales, &, quomodo, an spirituales, vel corporei; an in actione, vel in qualitate consistant &c. cum tamen Logica de eisdem disputet, quatenus sunt vniuersales, vel singulares, siue de obiecto vniuersali, vel singulari, quatenus sunt simplices, vel complexi, conditionati, vel absoluti &c. idemque in aliis diuersis scientiis pariter solet euenire.

Decimum tertium argumentum. Contingit 327
vt quis deceptus iudicet distingui inter se ea, quæ realiter sunt idem, vt, qui negabant Angelos esse Spiritus. Qui dicebant personalitates, aut etiam alia attributa Dei, & essentiam non esse idem. Decreta Dei ab eius substantiâ distingui, & similes. Quo casu, qui ita iudicat, nequit non duplici titulo obiectiuè præscindere; primò, quia nequit non concipere vt duo prædicatum, & subiectum, quicumque iudicat vnum non esse alterum. Si enim vtrumque vt vnum conciperet, neutiquam posset id iudicare, cùm euidentissimum sit vnumquodque à se ipso nullatenus distinctum esse. Secundò, nam, qui planè sciens essentiam secum ipsâ idem esse, iudicat eam non esse idem cum attibuto, manifestè præscindit identitatem, quâ essentia secum ipsa est idem, ab identitate, quâ cum attributo identificatur, cognoscens

cens euidenter primam, & penitùs ignorans secundam. Vel si non præscindit, idem omnino affirmat simul, & negat, scit euidenter, & prorsus ignorat, quod est chimericum. Esse autem hunc casum è numero eorum, vnde ad asylum diuersorum connotatorum non patet aditus, notissimum est.

328 Decimum quartum ab experientiâ peti potest, quâ omnes experimur formalitates rerum, quæ per diuersa nomina non synonima significantur, diuersas nobis siue dissimiles ex parte obiecti repræsentari, & apparere absque vllâ reflexione supra actus, quibus illæ repræsentantur. Eodem quippe modo apparent dissimiles, atque alia obiecta re verâ inter se dissimilia dissimilia nobis apparent. De quibus certum est non apparere nobis dissimilia dissimilitudine actuum, quibus ea cognoscimus, sed propriâ dissimilitudine ex parte iplorum obiectorum se habente. Quis enim neget rationalitatem Petri eodem modo repræsentari nobis dissimilem animalitati ipsius Petri, ac repræsentatur dissimilis animalitati bruti, cui verè à parte rei dissimilis est? Quo posito necessarium est, quòd rationalitas, & animalitas Petri ex parte obiecti appareant duo: quia vnum, & idem sibi dissimile apparere non potest. Quod est animalitatem, & rationalitatem Petri ex parte obiecti distingui, siue præscindi per cognitiones; & idem est de aliis quibusque cuiusuis entis formalitatibus. Confirmatur primò ex modo loquendi communissimo, quo eiusmodi formalitates diuersas nuncupamus, & tanquam de diuersis obiectis passim ratiocinamur, & loquimur. Confirmatur secundò: quia Petrus inquantum rationalis est dissimilis bruto; inquantum animal verò similis, quod impossibile esset, nisi rationalitas, & animalitas Petri essent dissimiles inter se, vt patet. Confirmatur tertiò: quia si quis per fidem simul, & naturalem cognitionem eamdem Petri animalitatem cognosceret; nemo profecto dicet vi earum duarum cognitionum plus distingui apud illum animalitatem Petri à se ipsâ, quàm de facto distinguitur apud omnes eadem Petri animalitas à rationalitate; & tamen illæ duæ cognitiones de animalitate magis essent inter se diuersæ, & dissimiles, quàm cognitiones de animalitate, & rationalitate, quas omnes habemus de facto; cùm hæ sint ambæ naturales, & æquè claræ, vel obscuræ; ex illis autem altera fidei, & obscura, altera naturalis esset, & clara. Igitur diuersitas, quam experimur inter animalitatem, & rationalitatem Petri non cognitionum, sed ipsorum obiectiuorum conceptuum diuersitas est. Ad connotata autem diuersa ne importunè recurras, quando in superioribus vidisti sexcenta posse exempla afferri, vbi non sunt connotata diuersa.

329 Decimum quintum argumentum sit. Quia si non præscinderemus obiectiuè, neutiquam possemus efficere vniuersalia generica per adunationem plurium specierum sub vno conceptu ipsis communi, quoniam vnicum fundamentum adunandi plura sub conceptu communi eorumdem plurium similitudo est; constat autem conceptus specificos adæquatè sumptos, vt homo, & equus, inter se dissimiles esse: necesse est ergo, vt in vnâquâque specie duplicem conceptum obiectiuum partiamur; alterum, cui in singulis speciebus alij exactè similes correspondeant, ex quibus adunatis sub conceptu communi genus efficitur; alterum exactè dissimilem cæteris speciebus, quæ est differentia. Quod sine præcisione obiectiuâ conceptus generici à differentiali fieri non potest, vt constat. Non posse autem intellectum nostrum adunare sub conceptu communi ad efficiendum vniuersale, nisi ea, quæ ipsi apparent exactè similia, tum experientia ipsa demonstrat, tum à posteriori probatur; quia alioquin à differentiis in quantum diuersis, vt à rationalitate, hinnibilitate, rugibilitate, &c. conceptus communis, & vniuocus abstrahi posset. Sicque homo, equus, leo, &c. non solùm in ratione generica animalis, sed in ratione etiam differentiali conuenirent, quærendæque essent aliæ rationes, quibus differrent, in quibus eadem rediret illatio, & sic in infinitum. Tum nulla alia essent, quantumtuis inter se diuersa, quæ vt talia sub conceptum communem, & vniuocum non caderent. Quo è medio prorsus tollenda esset omnis æquiuocatio, omnisque analogia nominum, & verborum. Quo rursus omnis metaphorica, aut quoquo modo translatitia loquutio prorsus cessaret. Quin imò cuncta iam sub hoc, iam sub illo conceptu communi arbitrario, & sine ordine fundato in rebus confunderentur. Quæ omnia, quàm sint absurda nemo non videt. Hic verò pariter, atque in præcedentibus diuersorum connotatorum agmen est abigendum.

330 Decimum sextum argumentum. Species ex genere, & differentiâ componitur secundum omnes, atque ita differentia extra conceptum generis est, vti etiam omnes fatentur cùm Arist. *lib. 3. Met. text. 10.* Tum differentia & genus diuersas quiditates habent, diuersasque subeunt definitiones. Quocirca de genere dicitur esse commune pluribus speciebus, & prædicabile de illis, secus de differentiis. Tum per differentias ipsas contrahi, atque determinari; sed non è conuerso. Differentiæ verò oppositæ inter se dicuntur, quale non est genus sibi ipsi. Circa genus discurrere, ratiocinari, ac disputare passim solemus immemores omnino differentiarum; & cætera huiusmodi, quæ sine præcisione obiectiuâ generis à differentiis haud quaquam possunt aptè componi, quidquid Aduersarij conentur. Quorum omnes componendi modi ad diuersitatem tandem vel connotatorum, vel cognitionum reuocantur. Quàm verò in cassum ex dictis in superioribut satis apparet. Ex quibus facile possem, sicut & alia singillatim reuincere (ni prolixitatem in re satis, vt reor, demonstratâ timerem) quæcumque ad cuncta proposita aut respondent, aut respondere possunt; sed quia & id quisque facile ex fundamentis iactis præstare poterit, ad reliqua pergo.

331 Decimum septimum argumentum. Sublatis præcisionibus obiectiuis sequitur primò, nulla esse prædicata metaphysicè transcendentia præ aliis, sed omnia æquè dicenda esse aut transcendentia, aut non transcendentia, quia omnia sunt vnus, & idem conceptus obiectiuus. Quod licet fateatur Arriag. *d. 11. Logicæ sec. 3. subs. 3.* alienum est à sententiâ reliquorum Philosophorũ, & Theologorũ, & à modo concipiendi communi. De quo plura dicemus *infra q. 10* Secundò sequitur nomina abstracta, & cõcreta prorsus esse synonima, quia eorum significata, ne penes diuersa quidem connotata, discriminantur, vt constat. Vnde sequitur tertiò has omnes prædicationes, *Homo est animal: homo est animalitas: humanitas est animalitas: rationale est animal: rationale est animalitas: rationalitas est animalitas*, & similes æquè, & omnimodis citra omne dubium esse veras, aut falsas. Frustraque subinde torqueri Philosophos, atque Theologos in examinando, quo inter se differant prædicationes concretorum de concretis,

cretis, abstractorum de concretis, & abstractorum de abstractis, communiter resoluentes posteriores in aliquo sensu esse falsas; cùm tamen primæ in omni sensu veræ sint.

332 Decimum octauum argumentum. Intellectus noster ea, quæ realiter sunt plura, ita valet adunare, vt ex parte obiecti vnum quid, & prorsus indiuisum appareant; ita enim apparent nobis citra dubium conceptus vniuersales à pluribus abstracti. Igitur vice versâ id, quod realiter est vnum, ita valet multiplicare, atque diuidere, vt ex parte obiecti appareat plura diuisa inter sese, siue dissecta. Quod ipsum est obiectiuè præscindere.

333 Decimum nonum argumentum ab ipsâ praxi, & vsu nostrorum Aduersariorum captari potest. Mirum enim est, quàm manifestè, quàmque frequenter in suis scriptis, dum à controuersiâ præsenti remoti, eiusque immemores incedunt, præscindunt obiectiue, ipsaque præcisiones obiectiuas supponunt tribuentes vni formalitati obiectiuæ, quod negant alteri eiusdem entis, reduplicantes circa vnã, alterâ exclusâ, appellantes illas diuersas; & in summâ ita ratiocinantes, qualiter sine obiectiuis præcisionibus ratiocinari aut impossibile, aut etiam interdum nugatorium, & ridiculum esset; vt quisque in dictis ipsorũ scriptis, si sedulò animaduertat, satis apertè deprehendet. Exemplo sit argumentum illud, quo Petr. Hurt. *disp. 7. de Ani. sec. 2.* Arriag. *disput. 6. sect. 4.* Oued. & alij Recentiores probant iudicium humanum indiuisim attingere subiectum, & prædicatum, & copulam obiectiuam propositionis, eo quod hæc respectus quidam est ex suo conceptu ad vtrumque, & cognitio tangens respectum, terminos etiam, quos ipse respicit, debet simul attingere; vbi vides, quomodo in hâc propositione obiectiuâ, *homo est rationalis*, tres conceptus obiectiuos distinctos per rationem, præcisosque subinde agnoscunt, supponuntque hominem, rationalitatem, & identitatem vtriusque, qui re ipsâ sunt idem. Passimque in similes cadunt suppositiones. Sanè non possunt non loqui, vt intelligunt, idcircò præscindunt verbis, sicut & mente. Si quando verò fortassè in hâc re conueniuntur, ne apertè capti videantur, vel præcisionis saltem vocabulo se protegunt dicentes (immani profectò eiusdem vocabuli abusu) se quidem formalitates etiam præscindere; non tamen ex parte obiecti, sed ex parte actus. Atque ita se vti præcisionibus formalibus, quas admittunt, non verò obiectiuis, quas negant. Quæ sanè fucata loquutio adeò abusiua, & impropria mihi est, vt in sententia Aduersariorum vix aliud ægrius feram, quàm illam.

334 Vigesimum argumentum sit lepidum illud dilemma, quo ego quondam non præscindentes parum cautos premebam hoc modo. Tu, qui negas præcisiones obiectiuas, vel præscindis, vel non præscindis. Si præscindis, negas idem, quod exerces; quo quid stultius? Si non præscindis, non negas præcisiones obiectiuas: quid ergo negas? Impossibile quippe tibi est præcisiones obiectiuas negare non præscindendo. Quod ita probo: quia impossibile est negare aliquid, non apprehenso eo quod negatur, vt est certissimum: ergo impossibile est negare sapientiâ Dei e.g. præcisam esse obiectiuè à iustitiâ, non apprehensâ sapientiâ Dei præcisâ obiectiuè à iustitiâ. Hoc autem ipsum est præscindere sapientiam Dei à iustitiâ; quia præcisio obiectiua non aliter fit, quàm concipiendo per cognitionem præcisa ex parte obiecti, siue diuisa, siue distincta ea, quæ à parte rei neque diuisa, neque distincta sunt. Confirmatur primò. Negas sapientiam, & iustitiam repræsentari nobis vt duo inter se distincta, & dissimilia ex parte obiecti, quod nos asserimus, seu quod idem est, sapientiam, & iustitiam, prout sunt in mente nostrâ obiectiuè, duo, eaque dissimilia esse. Ergo non potes non concipere sapientiam, & iustitiam vt duo distincta, & dissimilia: ergo nec possunt sapientia, & iustitia non repræsentari tibi vt duo distincta, & dissimilia; atque adeo nec potes non exercere ipsam præcisionem, quam negas, aut, si non exerces, non negas. Confirmatur secundò. Negas per cognitionem nostram tangi sapientiam sine iustitiâ: ergo concipis cognitionem, quam negas, tangentem sapientiam, & non iustitiam, atque adeo sapientiam, & iustitiam vt duo distincta apprehendis. Scio argumentum hoc ex vi formæ præcisè sophisticum esse; credo tamen ex vi materiæ bene concludere. Quia certum puto id, quod Franc. Alphon. *disp. illâ 4. Logicæ, sect. 3.* planè fatetur neutiquam posse Aduersarios præcisionem obiectiuam, quam nos asserimus, aut apprehendere, aut negare, quin concipiant vt duo ex parte obiecti distincta, & inter se dissimilia ea, quæ nos talia apparere asseueramus. Itaque in exemplo proposito non possunt non concipere sapientiam, & iustitiam Dei, vt duos conceptus obiectiuè diuersos, dum negant ita à nobis concipi. Quod autem in tali casu neuter eorum conceptuum obiectiuorum sit formalitas ficta, aut chimerica, vt asserit Franc. Alph. ex dictis, & ex dicendis satis compertum cuique fiet. Et confirmari modò potest: quia ill iconceptus obiectiui ipsissimi sunt, quos nomina hæc *sapientia Dei, iustitia Dei* nobis significant. Quis autem audeat asserere significatum alterutrius horum nominum esse chimericum? Quomodo autem nihilominus, qui intuitiuè cognoscunt, minimè obiectiuè præscindunt, quantumuis sciant nos præscindere *q. 11.* explicabitur.

335 Vigesimum primum tandem argumentum sit ratio à priori totius doctrinæ de præcisionibus obiectiuis ex modo operandi nostri intellectus pro præsenti statu desumpta. Hoc enim ipso, quod cognoscimus per species alienas, aliter nobis apparent res cognitæ, quàm realiter sunt in se, vnde nascitur vt, quæ reipsâ sunt indiuisa, diuisa nobis repræsentẽtur, & quod realiter est simplex, per partes nihilominus, & paulatim nobis appareat, non quidem per partes, quas in se habeat, sed quas habeat in mente nostrâ, prout nobis apparet, sicuti fusiùs à nobis explicatum est *suprà d. 2. q. 3. inferiúsque* itidem explicabimus dum argumentum potissimum Aduersariorum diluamus. Hæc satis modò.

336 Ex quibus omnibus concludo primò, adeò esse pro hoc statu intellectui nostro connaturalem modum cognoscendi præcisiuum ex parte obiecti, vt non possit non tum in Deo, tum in creaturis formalitates obiectiuas passim præscindere. Quod certè ita mihi per argumenta proposita factum est euidens, vt spem conceperim fore, vt quicunque ea sincero studio veritatis perlegerint ad communem, auitamque Philosophorum, atque Theologorum sententiam, quam illa propugnant, si fortè ab ipsâ desciuerant, reducantur. Præsertim si in residuo quæstionis validissimo illi argumento, quo in partem aduersam deturbati sunt Recentiores, satisfactum viderint, vt etiam spero.

337 Secundò concludo contra Arriag. & suos minùs consequenter negare eos obiectiuas præcisiones in creatis, atque etiam circa pleraque Dei attributa, dum illas circa mysterium Trinitatis admittunt.

Quan

Quanquam enim in eo mysterio, & in aliis, vbi perfectiones diuinæ relatè ad prædicata contradictoria sunt virtualiter distinctæ, iuxta doctrinam traditam *suprà q. 6.* peculiaris ratio inueniatur, ratione cuius non possint non à nobis eiusmodi perfectiones obiectiuè præscindi, vt ex dictis in hac *q. proposit. 1.* & 2. apparet; & ampliùs ex dicendis patebit. Cæterùm, quia talis præcisionis necessitas in nostro insuper intelligendi modo pro præsenti statu fundatur, neque in videntibus intuitiuè dicta mysteria locum habet, vt *quæst. 11.* probabimus, idcirco consequentius multo procedimus, qui vbique tam in creatis, quàm in diuinis præcisiones obiectiuas formalitatum à nostro intellectu oriundas adstruimus.

338 Tertiò concludo contra Recentiores *n. 236.* commemoratos, præcisiones obiectiuas formalitatum, quas facit intellectus noster, minimè esse dependentes ab eo, quòd causæ referantur transcendentaliter, aut non referantur ad suos effectus. Quanquam enim vnum, aut alterum argumentum eorum, quæ contra non præscindentes scripta relinquimus, eiusmodi relationem transcendentalem supponat. Cætera tamen ab illâ nullatenus pendent, sed absolutè demonstrant nostrum intellectum præscindere, siue adsit, siue non adsit talis relatio. Vide, si placet, Quied *contr. citata Metaph. punct. 8. §. 2.* fusè impugnantem mediam sententiam hanc Recentiorum. In quo ego nolo immorari, quia censeo ex hactenus à me dictis in vniuersum, manifestè eam ab vnoquoque retundi posse. Pergo iam ad diluenda argumenta, quæ contra nostram, & communem sententiam militant.

Potissimum fundamentum sententiæ non præscindentium diluitur.

339 Potissimum, imò vnicum, iudicio etiam Aduersariorum, argumentum, quo præcisiones obiectiuæ non modò acriter impugnari, sed penitus etiam expugnari videntur, & quo conuicti Recentiores *supra* relati eas cum Nominalibus negant, in hunc modum formari potest. Animal & rationale sunt omnino idem reipsâ: ergo impossibile est cognosci animal, quin cognoscatur rationale: ergo, quâ cognitione cognoscitur animal, eâdem rationale debet necessariò cognosci: ergo repugnat, quod animal à rationali ex parte obiecti præscindatur. Antecedens supponitur vt certum apud vtrosque contendentes. Consequentiæ autem vrgentur hoc syllogismo expositorio in primâ figurâ. *'Hoc animal cognoscitur cognitione A; hoc rationale est hoc animal: ergo hoc rationale cognoscitur cognitione A.* Consequentia est legitima; antecedens verum: ergo & consequens. Rursus si animal cognoscitur, rationali non cognito, sequuntur duo contradictoria simul vera: ergo. Probo sequelam; imprimis hæc est vera. *Hoc animal cognoscitur cognitione A*: sed etiam hæc est vera; *Hoc animal non cognoscitur cognitione A.* Ergo. Probo minorem, hoc syllogismo in *Ferio. Nullum rationale cognoscitur cognitione A. Hoc animal est rationale: ergo hoc animal non cognoscitur cognitione A.* Antecedens ponitur verum, ergo & consequens verum est. Dantur ergo duo contradictoria simul vera, si animal per aliquam cognitionem cognoscatur, rationali per eamdem non cognito. Et quidem cum animal, & rationale, vt supponitur, realiter sint prorsus vnum, & idem, vel ex ipsis terminis apparet cum euidentiâ non magis posse reuera cognosci animal, & non cognosci rationale, quam potest cognosci idem, & simul idem ipsum non cognosci reuerâ; hoc autem esse impossibile est clarum; cùm sit aperta contradictio. Hoc argumentum, quod variis aliis modis recidentibus in idem formari potest, & solet, vehementer torsit præscindentes, eosque in varias solutiones distraxit. examinemus singulas.

Prima est eorum, qui distinctionem virtualem in 340
ordine ad prædicata contradictoria, etiam in rebus creatis, non verentur admittere, quâ positâ, apertâ fronte ab argumento facto se expedium dicentes animal & rationale, etsi realiter sint vnum & idem, virtualiter esse duo in ordine ad cognosci, & non cognosci; proindeque hæc prædicata, quantumuis aliàs contradictoria, inter se inuicem non pugnare. Verùm, quàm sit detestandum istud philosophandi genus in rebus creatis, quàm multaque ex illo incommoda, & absurda sequantur abundè confecimus *suprà q. 6.* Quapropter nihil ampliùs contra hanc solutionem necessarium est addere.

Secunda solutio est dicentium, vt duo contradi- 341
ctoria physica, qualia sunt esse, & non esse, produci, & non produci, vniri, & non vniri, verificari possint, physicè debere esse distincta subiecta, de quibus prædicantur; ad verificationem tamen contradictoriorum intentionalium, vt sunt cognosci, & non cognosci sufficere, quod subiecta de quibus dicuntur, distinguantur intentionaliter, seu per rationem; qualiter in casu argumenti distinguuntur animal, & rationale, atque ita verum sine repugnantia esse potest cognosci animal, & non cognosci rationale. Sed contrà primò: quia, quidquid sit modo de appellatione contradictoriorum intentionalium, certum est à parte rei, & non fictitiè cognosci animal, quando cognoscitur: ergo si animal à parte rei idem, quod rationale est, æquè repugnat cognosci animal, & non cognosci rationale, ac repugnat animal ipsum cognosci simul, & non cognosci. Contra secundò; quia cognitio nostra, & distinctio rationis longè diuerso sensu appellantur intentionales. Prima enim dicitur talis, quia quasi euibratur, & intenditur ab intellectu versus obiectum procul positum, quod non tollit esse eam realem, & physicam entitatem. Secunda verò dumtaxat, quia ex vi talis intentionis concipitur ab intellectu, subindeque obiectiuè in illo habet esse, cùm verè, & realiter non sit. Quas duas appellationes perperam confundit respondens. Etenim cùm cognitio nostra, & hoc, quod est cognosci animal per illam, quid reale sit physicè existens; tametsi in sensu explicato, quid intentionale dicatur, hæc prædicata cognosci, & non cognosci, vt simul sine repugnantiâ verificari possint, non minorem distinctionem exposcunt ex parte subiectorum, quàm hæc produci, & non produci. Ex quo patet distinctionem rationis inter animal, & rationale, quæ non vera, sed solùm apparens distinctio est, nihilo magis prodesse, vt possit animal verè, & realiter produci, aut vniri, rationali non producto, aut vnito. Contrà tertiò. Quia, quo sensu dicuntur de subiectis prædicata contradictoria, eodem debent subiecta esse inter se distincta, vt talia prædicata de ipsis verificari valeant, vti *suprà q. 5.* contra Scotistas arguebam. Sed si animal obiectiuè à rationali præscinditur, in sensu omnino reali dicitur de animali cognosci, & de rationali non cognosci, vt constat ex dictis: ergo vt talia prædicata verificentur, realiter omninò debent animal, & rationale distingui, nec sufficit, aut quidquam præstat distingui per rationem, aut si realiter non distinguuntur, vt supponimus, cognosci animal, &

non cognoſci rationale impoſſibile eſt. Nec refert, quod alij reſpondent, eiuſmodi prædicata etſi realia, attamen extrinſeca eſſe: quia etiam remanent æque extrinſeca comparata ad animal ſolùm, de quo nihilominus ſecundum omnes verificari nequeunt, quia animal cognoſci ſimul, & non cognoſci impoſſibile eſt. Ad oppoſitionem namque contradictoriam nihil refert, quod ſint extrinſeca, vel intrinſeca contradictoria prædicata, dummodo ſit ſubiectum vnum, & idem, vt vel ipſi Logici ſciunt. Apud quos lex contradictoriarum enunciationum amplius non poſcit, quàm, quòd affirment ſimul, & negent idem de eodem. Tum contradictorias de prædicato extrinſeco neceſſariò ferre ſecum annexas alias de prædicato intrinſeco certiſſimum eſt; nempe his duabus, *Petrus cognoſcitur*: *Petrus non cognoſcitur*, annexæ ſunt iſtæ. *Aliqua cognitio Petri exiſtit. Nulla cognitio Petri exiſtit.* De quo plura *ſuo loco.*

342 Tertia ſolutio, ſuppoſitis quatuor modis dicendi per ſe enumeratis ab Ariſtot. *lib.* 1. *Poſt. cap.* 4. dicit. Per cognitionem de animali dumtaxat attingi animal per ſe quarto modo; atque ita etſi animal re ipſa, per ſe primo modo ſit rationale; in ordine tamen ad ſui cognitionem perinde ſe gerere, ac ſi rationale non eſſet; eodem quippè omnino modo per talem cognitionem attingeretur, etiamſi per impoſſibile re vera non eſſet rationale. Quemadmodum in ſententia ſatis communi, etſi cognitio, quâ Pater æternus cognoſcit ſe, cognitio ſit totius Trinitatis primo modo dicendi per ſe, at quarto modo dicendi per ſe ſolùm conuertit ad productionem Verbi in quantum eſt cognitio vel ſolius Patris, vt quidam volunt, vel Patris, & Verbi, non verò Spiritus ſancti, vt docuit Vaſq. ita, quod eodem modo procederet à Patre idem Verbum dato per impoſſibile, quod per Spiritum ſanctum non cognoſceret. Quo etiam pacto dici ſolet ſenſatio hominis à ſolâ animalitate eius procedere quarto modo dicendi per ſe; non item à rationalitate, quantumuis hæc cum animalitate re ipſâ ſit idem: eo, quod homo in quantum rationalis, ſed in quantum animal ſentit. Cæterùm doctrina, quam hæc ſolutio ſupponit, eamdem argumenti ſoluendi difficultatem patitur; imò euidentiùs illam patitur: quia clariùs cernitur repugnare, quod vna formalitas præ alia identificata ſecum, ſit cauſa per ſe à parte rei alicuius effectus, quàm, quod vna formalitas præ alia identificata ſecum tangatur à parte rei per cognitionem aliquam, quandoquidem magis intrinſecum, magiſque phyſicum prædicatum eſt eſſe cauſam per ſe, quam per cognitionem attingi. Itaque, ſi ex eo quòd animal ſit obiectum alicius cognitionis, cuius rationale non ſit obiectum, ſequuntur duo contradictoria ſimul vera, vt argumentum factum prætendit, quia animal & rationale re ipſâ ſunt idem; qui fieri poteſt, vt non etiam ſequantur ex eo, quòd animal ſit obiectum per ſe quarto modo alicuius cognitionis, cuius rationale non ſit obiectum per ſe quarto modo? quandoquidem æquè repugnat eſſe idem ſimul, & non eſſe obiectum per ſe quarto modo, atque eſſe idem ſimul, & non eſſe obiectum, vt patet. Certè doctrina Ariſtot. de quarto modo dicendi, ſeu cauſandi per ſe cum diſtributione accommoda capienda eſt, vt latiùs explico *ſuo loco.* Si enim ſermo ſit, vti eſt in præſenti, de cauſâ per ſe, quæ realiter, & phyſicè talis ſit, repugnat omnino, vt aliqua formalitas ſit cauſa per ſe alicuius effectus, cuius etiam non ſit cauſa per ſe omnis formalitas identificata cum illâ (loquor modo ſeclusâ virtuali diſtinctione, quæ inter aliquas dumtaxat formalitates Dei reperitur, iuxta doctrinam traditam *quæſt.* 6. iam citata) ex oppoſito enim duo contradictoria ſimul vera ſequerentur apertè, nempe idem ipſum comparatione eiuſdem effectus eſſe ſimul, & non eſſe cauſam per ſe. Si verò ſit ſermo de cauſâ per ſe, quæ talis ſit ſolùm formaliter ſeu noſtro modo concipiendi, tunc ſufficiet diſtinctio rationis formalitatum, vt altera cauſa per ſe in ſenſu formali, non item altera dicatur. Quo ſolùm ſenſu poteſt animalitas hominis præ rationalitate dici cauſa per ſe ſenſationis. Hic tamen ſenſus ad rem, de quâ modo tractamus, impertinens eſt: quia & ſupponit obiectiuam præciſionem formalitatum, & agit de rebus non prout ſunt ſolùm à parte rei: ſed prout à nobis concipiuntur. Ex quo patet nihilo magis per hanc ſolutionem, quàm per alias difficultatem argumenti emolliri. De ſententiâ autem commemorata Patris Vaſq. & aliorum circa productionem Verbi diuini ex his eiſdem principiis iudicium feram in materia de Trinitate.

343 Quarta ſolutio quorumdam Recentiorum eſt: quidquid à nobis cognoſcitur duplex habere *eſſe*; aliud phyſicum à parte rei; aliud intentionale in intellectu cognoſcentis, ab vno autem ad aliud non licere arguere, quia ex eo, quod animal, & rationale ſint idem quoad phyſicum *eſſe*, non ſequitur debere eſſe idem, quoad *eſſe* intentionale; quoad hoc enim cùm præciſiuè cognoſcuntur, diuerſa ſunt, atque adeò nihil vetat per vnam cognitionem cognoſci vnum, quin aliud per eamdem cognoſcatur. In hanc ſolutionem recidit alia aſſerentium animal, & rationale non cognoſci prout ſunt in ſe, ſed aliter, quàm in ſe ſunt, atque ita bene poſſe eſſe diſtincta prout in mente ſunt obiectiuè, quamuis prout ſunt in ſe à parte rei ſint idem. Vtraque hæc ſolutio verbo tenus ſcopum videtur veritatis attingere, vt ex dicendis apparebit; quoad ſenſum tamen ſuorum auctorum longè aberrat ab illo. Supponunt namque entitatem phyſicam animalis, & rationalis in ſe ipſa à nobis cognoſci, per cognitionémque transferri ab ſtatu phyſico ad ſtatum obiectiuum, ibique accipere illud *eſſe* diuerſum ab *eſſe*, quod habet re ipſa. Quo poſito, tota vis argumenti facti manet illæſa. Quoniam impoſſibile eſt entitatem phyſicam animalis transferri ad ſtatum obiectiuum, quin entitas rationalis, quæ eſt eadem pariter transferatur. Nec fieri poteſt, vt animal accipiat aliquod *eſſe* obiectiuum, quod non accipiat rationale, cum quo phyſicè eſt idem, aliàs eadem contradictio, quam obtendit argumentum, ſequetur. Tum ſtatus ille obiectiuus ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè accidit animali reali, vndecumque proueniat illi: ergo nequit non itidem accidere rationali, quod eſt idem cum animali, aut ſequetur eadem contradictio: ergo animal non poteſt poni ſub ſtatu obiectiuo ſine rationali; & conſequenter neque ſine illo cognoſci.

344 Mitto alias ſolutiones leuioris notæ, quæ ex dictis facilè reuincentur à quolibet. Omnes enim excogitabiles præter noſtram nox exhibendam, eo ipſo quòd ſupponant obiecta per cognitionem humanam tangi in ſe ipſis, & non in ſubſtituto alieno, vti nos arbitramur, in id neceſſariò debent recidere, vt concedant aliquod prædicatum ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum verè, & realiter conuenire vni formalitati reali, quin conueniat alteri re vera identificatæ cum illa. Pro quo ſemper argumentum factum recurrit inſtaurandum. Nam ſi animalitati

litati reali aliquid à parte rei verè conuenit siue intrinsecum, siue extrinsecum, siue physicum, siue intentionale, quod verè, & à parte rei non conuenit rationalitati reali, cum rationalitas, & animalitas verè, & à parte rei sint idem, conficitur planè eidem omninò prorsus indiuisæ entitati aliquid conuenire simul, & non conuenire verè, & realiter, quod sine apertâ contradictione constare non potest. Accedamus igitur iam ad solutionem nostram.

345 Pro quâ supponenda est tota doctrina *superius disp. 2. q. 3.* abunde tradita circa modum intelligendi nostri intellectus pro hoc statu. Statuimus ibi quidquid per sensus non ingreditur, ita per species alienas à nobis cognosci, vt non in se ipso; sed in phantasmate quodam sensibili, tanquam in substituto attingatur. Nihil enim non sensatum aliter, quàm per speculum creaturarum, & in ænigmate phantasmatum valemus in præsenti statu intelligere, iuxta Apost. 1. *ad Corinth.* 13. Itaque cùm primum intellectus noster vi principiorum ad aliquid concipiendum cuius non habet propriam speciem, mouetur eâ quam habet, promptitudine vtendi speciebus alienis obiectorum sensibilium, quas solas habet, easdemque innumeris propemodum modis miscendi, siue componendi phantasma quoddam obiectiuum, atque ex naturâ suâ sensibile pro natâ occasione rei cognoscendæ accommodatum sibi pro re ipsa substituit, vt sibi sit loco eiusdem rei in ordine ad cognoscendum de illâ quidquid notificant principia. Explicabamus hoc vtcunque *loco citato* exemplo imaginis materialis, quæ adeo esse solet nobis loco prototypi, vt de ea multa enunciemus, ac si esset prototypus ipse. Dicimus enim, signatâ imagine Alexandri. *Hic fuit Imperatorum potentissimus: maximam partem terræ sibi subiecit.* Tum signatâ imagine crucis dominicæ. *Ecce lignum crucis, in quo salus nostra pependit*, &c. Ad hunc ferme modum (nam simile non tenet in omni) se gerit intellectus noster circa phantasma illud, quod sibi subrogat pro re, quam apprehendere conatur, iudicans de illo, seu in illo; non tamen pro illo, sed pro re, cuius est substitutum, quidquid de ipsâ iudicandũ foret in ipsa, si in se per propriam speciem conciperetur; ita quidem vt assensus quantum ad suasionem, in quâ potissimum vis iudicatiua consistit, non in phantasma; sed in rem, pro quâ illud substituitur, feratur; attingens nihilominus illud, sed non pro illo, sed pro ipsâ re, quod est iudicare rem ipsam non in seipsa; sed in alieno substituto pro ipsâ apprehenso. Vide hanc doctrinam latiùs expositam, & multis argumentis probatam *loco citato*.

346 Ex qua, vt *ibi* etiam inferebam manifestè consequitur quidquid à nobis cognoscitur per species alienas, eodem omnino modo per apprehensionem apparere, siue repræsentari obiectiuè intellectui nostro, quo apparet phantasma subrogatum pro illo, quin imò cùm illud in se per apprehensionem non appareat; sed phantasma loco eius, ex eo solùm taliter, aut taliter apparere dicitur, quia phantasma per quod dumtaxat, tanquam per substitutum pro ipso apprehensum apparet, tali, vel tali modo obiectiuo repræsentatur; phantasma autem tale repræsentatur, & apparet, quale est in se, vnum, aut multiplex, diuisibile, compositum, magnum, aut paruum, cum hac, aut cum illa figura, &c. Sunt namque hæ omnes proprietates rerum sensibilium, quibus cum à sensibus percipi necessarium est, & phantasma illud, vt dixi, ex sua natura, & conceptu quid sensibile est, vtpote apprehensum virtute specierum propriarum rerum sensibilium.

Hinc iam se detegit, quâ ratione intellectus no- 347
ster præscindat obiectiuè; non enim præscindit, & secat res insectiles in se ipsis, sicut neque illas in se ipsis cognoscit, sed præscindit, & secat phantasma illud corporeum, & sectile, quod sibi pro aliis rebus veluti efformat, quodque sibi loco earum subrogat, & substituit; phantasma autem præscindi, & diuidi cognitione nihil prohibet, cùm sit in se quid corporeum, & diuisibile. A cuius subinde præcisione res ipsæ, pro quibus illud supponitur, præscindi etiam obiectiuè cum omni proprietate dicuntur, quia, quod non per se; sed per substitutum cognoscitur, quâ proprietate cognosci dicitur, eadem dicitur subire quæcumque suum substitutum participat à cognitione; constat autem ex doctrinâ datâ *loco citato* cum omni proprietate dici nos absolutè cognoscere quæcunque per alienas species cognoscimus, quantumuis cognitio hæc, vt *ibi* monstrauimus, per substitutum fiat modo proposito. Cæteroquin res ipsas insectiles in se ipsis cognitione præscindi impossibile est, vt argumentum factum, me quidem iudice, conuincit, & ex dicendis *q. 11.* amplius constabit. Modò, vt ad illud pro re præsenti in forma respondeam, & replicas, quæ fieri poterunt, pariter diluam.

Prænoto id, quod perdoctè obseruauit P. Suarez 348
disput. 2. Metaph. sect. 2. n. 21. voces, quibus ad res significandas vtimur, eodem modo se habere comparatione earum, ac se habent circa easdem conceptus nostri formales, seu cognitiones. Quippè vocibus vtimur ad explicandum, quod concipimus, non prout in se est, sed prout ex parte obiecti nobis apparet. Neq; enim fieri potest vt voces significent nobis res prout sunt in sese; aut imponantur à nobis ad illas ea ratione significandas; quando nos easdem res non possumus vt sunt in se percipere. Igitur sicut nostræ mentis cognitio, pro quâ vox subrogatur, dumtaxat cognoscit rem insensibilem per substitutum, nimirum per phantasma sensibile, ita vox ipsa rem eamdem per idem dumtaxat substitutum significat, ita, quod eius significatio ad phantasma sensibile terminatur, non quidem pro phantasmate ipso; sed pro re, cuius loco est. Quo fit, vt voces easdem induant proprietates, quas cognitiones; multiplicantur enim pro multitudine conceptuum obiectiuorum, danturque varia nomina eidem rei indiuisibili pro varietate obiectiuarum formalitatum eius oriunda à varietate phantasmatum ad cognoscendam illam substitutorum, &c.

Ex his ad argumentum positum *numer. 339.* res- 349
pondeo distinguendo maiorem. Hoc animal cognoscitur in se ipso cognitione A, nego. Cognoscitur in phantasmate substituto, concedo. Deinde minorem. Sed rationale est animal in se ipso, & à parte rei, concedo, in phantasmate substituto, nego; & nego consequentiam. Paterque ad syllogismum secundum propositum in argumento. Est dicere. Per cognitionem animalis attingitur phantasma quoddam, loco entitatis realis hominis, ipsaque entitas subinde cognoscitur in quodam phantasmate distincto ab eo, quod pro eadem entitate attingitur, & in quo ipsa cognoscitur per cognitionem rationalis. Ex vtroque autem coalescit tertium, sub quo dicitur cognosci homo. Quod, qua ratione fiat, paucis accipito ex pluribus, quæ *disput. 2. quæst. illa 3.* scripta relinquimus.

Experitur

350 Experitur quis sensationem nascentem ab entitate hominis eminus visâ, ex quâ sensatione lumine discursiuo, quo pollet, infert eiusmodi entitatem principium sensationis esse, quod est esse animal; quoniam verò ad id inferendum speciem propriam principij sensationis, non habet, vtens alienâ, phantasma quoddam sensibile subrogat, quod sibi est loco principij sensationis, & in quo subinde tanquam in substituto tale principium sensationis cognoscit. Et quia sensatio, quâ rationis sub experientiam cadit, solùm notificat quantum est ex se entitatem, à quâ nascitur, esse causam sui, non amplius; ideò phantasma illud vi talis notificationis conceptum dumtaxat & concipienti substitutiuè principium sensationis, non amplius. Quo fit, vt in illo dumtaxat possit iudicare intellectus entitatem illam procul visam esse animal, ignarus prorsus an sit homo, vel brutum. Quod tamen esset impossibile, si intellectus non in phantasmate substituto; sed in ipsomet attingeret tale sensationis principium; nam dato, quòd in eo etiam casu sensatio, si eodem pacto conciperetur, idem, quod modò, notificaret, quatenus est ex se, tamen intellectus nequiret aliunde non tangere, quidquid realiter esset tale principium sensationis, scilicet, quia nequiret præscindere, sicut dato, quod creaturæ tantùm notificent quantum est ex se Deum vt vnum, intellectus diuinus ex ipsis creaturis inductus, nequit aliunde non cognoscere Deum vt trinum, quia nimirum præcisiuus non est, vt dicemus, *in tit. de scientia.*

351 Dixi sensationem solùm notificare, quantum est ex se entitatem, à quâ nascitur, esse principium sui; non, quòd putem fieri posse, vt connexio per quam sensatio inducit ad cognoscendum suum principium, determinatè respiciat solam formalitatem principij, & non aliàs identificatas cum illâ, id enim repugnat, quia sequeretur respicere, & non respicere idem. Quod est contradictio; sed quia sensatio, quâ ratione sub experientiam cadit, solùm concipitur connexa cum aliquâ causâ sui, quæcumque illa sit. Proindeque ampliùs non exigit prout ita concepta, quàm, quòd sit principium sui illud, à quo nasci concipitur in ordine ad mouendum, determinandumue intellectum, vt illud intelligat, adeo vt eodem prorsus modo moueret, siue determinaret, etsi illud, à quo nasci cernitur amplius, quàm principium eius non esset, aut alia prædicata distincta ab iis, quæ re ipsâ habet, haberet. Pergat iam ille, & experiatur in illâ entitate, quam procul viderat ratiocinationem. Ecce pariter infert esse eam principium ratiocinandi, subrogato alio phantasmate diuerso à priori pro tali ratiocinationis principio, ex quibus duobus phantasmatibus apud ipsum obiectiuè coalescit homo. Et hic est modus, quo intellectus noster paulatim, & per partes, atque adeo præscindendo obiectiuè, intelligit, miro profecto Opificis summi Dei artificio.

352 Obseruare tamen oportet insuper maioris explicationis, atque vniuersalitatis gratiâ, duplex esse genus principiorum, quibus inducimur ad cognoscendum cum præcisione vnam formalitatem præ aliâ. Alia enim sunt principia doctrinalia; alia naturalia. Doctrinalia sum potissimum verba siue prolata; siue scripta, & vniuersim quælibet alia artificialia signa, quorũ significatio ab arbitrio hominum pendet. Naturalia autem voco cætera quæcumque naturâ suâ intellectum nostrum ad aliquid siue apprehendendum, siue iudicandum inducunt. Quæ quidem principia valde, quod ad rem attinet, inter se differunt; nam doctrinalia supponunt præcisionem iam factam per ipsam significationem artificialem, quam habent, aut certè per cognitionem præuiam; non vero inducunt ad eam faciendam, cùm significent res, non prout sunt in se ipsis, sed prout sunt obiectiuè in mente hominum, vt dicebam agens de vocibus *num.* 148. in mente autẽ hominũ iam supponuntur res præcisæ, vel nõ præcisæ. Quocirca de principiis his doctrinalibus nihil est amplius, quod ad propositũ dicamus. Principia verò naturalia reuera inducunt intellectũ nostrum ad præcisiones efficiendas suppositio modo cognoscendi, quem pro præsenti statu habet. Sed quomodo inducunt? Dico vniuersè cum notificant quantum est ex se vnam formalitatem præ reliquis. Notificare autem principia quantum est ex se vnam formalitatem præ reliquis, non est tribuere illi formalitati prout est à parte rei aliquam denominationem præ reliquis, aut illam in se ipsâ præ reliquis aliquo respectu respicere; hoc enim sæpe est impossibile ob argumentum factum. Sed est ita mouere intellectum ad subrogandum tale phantasma pro tali re, vt eodem modo, & ad eamdem subrogationem mouerent, etiam si talis res amplius non esset reuerâ, quàm dicta formalitas, siue talis subrogatio per simplicem apprehensionem præuiam ad iudicium fiat semper, vt ego autumo, de quo *suo loco*, siue fiat per iudicium ipsum, quod non interest ad rem. Ita enim subrogatione facta tota illa res apud cognoscentem amplius non est vi eius cognitionis, quam illa formalitas, quidquid sit amplius in se se. Tunc autem subrogatio fit dicto modo, quando intellectus prout talibus principiis instructus ad illam faciendam non dependet ex eo quòd res, pro qua subrogatur phantasma, sit aut non sit amplius in se, quàm ea formalitas, quæ per illud cognosci dicitur: eo quod eiusmodi principia, atque adeo potentia proxima intellectus ad talem subrogationem faciendam dumtaxat petunt, quòd talis res sit talis formalitas, non amplius; sit ipsa, vel non sit in se identificata cum aliis, De quo talis potentia, taliaque principia non curant. Quod est esse illa naturâ suâ ex se notificatiua vnius talis formalitatis præ aliis in phantasmate substituto.

Ecce regulam vniuersaliter determinantem, 353
quando principia mouentia, siue excitantia intellectum ad substituendum aliquod phantasma sensibile pro re insensibili solùm notificent, quantum est ex se vnam talis rei formalitatem præ reliquis, sub quâ regulâ tam comprehenduntur casus, in quibus formalitas cognoscenda per talem phantasmatis substitutionem pertinet ad consequens obiectiuum ex aliquo antecedente inferendum è quorum numero est casus, quem pro exemplo versamus de animali præcisiuè cognito, quàm casus, in quibus formalitas cognoscenda ad antecedens pertinet obiectiuum, ex ipsis terminis iudicandum. Quâ autem ratione in speciali, & quorum principiorum virtute fiant substitutiones phantasmatum ad cognoscenda tum principia scientiarum, tum ipsarum consequentia obiectiua *superiùs disp. 2. quæst. 3.* fusè explicatum est, vbi ad rem plura. Hæc modò satis sit indicasse pro diluendis iis, quæ contra doctrinam nostram possunt opponi.

Primum enim poterit aliquis obiicere. Præcisio- 354
nem, quam nos adstruimus, reuerâ non esse obiectiuam, aut certe non esse præcisionem vnius formalitatis ab alia identificata cum illa, de qua est

contro

controuersia, quandoquidem phantasmata illa, in quibus, iuxta doctrinam nostram, præcisio fit, nec sunt formalitates obiecti veri, quod in ipsis cognosci dicitur, nec sunt inter se identificata, sed re vera distincta. Respondeo tamen præcisionem, quam nos adstruimus, imprimis planè esse obiectiuam, siquidem omnino ex parte obiecti esse habet, quod & partibus distinctum, & ex eisdem compositum repræsentatur, ac apparet, cuiusque sæpe aliqua pars, ignotis aliis, innotescit. Deinde etiam præcisio formalitatum inter se identificatarum dici debet, non quidem, qua tales formalitates in se ipsis præcisæ sint, sed, quâ sunt præcisæ in phantasmatibus, in quibus tanquam in substitutis noscuntur. Nam ea ratione præscinduntur, qua cognoscuntur, nec aliter præscindi debent, quàm vt ea proprietate, quâ dicuntur obiecta cognita, eadem etiam dicantur obiecta præcisa. Præterea per huiusmodi præcisionem totum, quod est de re in præsente controuersia, componitur, quidquid sit de modis loquendi; nempe, quod & ea, quæ realiter sunt vnum, plurificata nobis appareant ex parte obiecti, & in re simplici aliquid cognosci, & aliquid indistinctum ab illo ignorari possit a nobis, vt experientia monstrat, & tamen ex his duobus nulla contradictio sequatur.

335 Dices non posse sine contradictione fieri, adhuc suppositâ nostrâ doctrinâ, quo vnum cognoscatur, & alterum ignoretur identificatum cum illo; atque adeo nec per illam expediri controuersiæ difficultatem, quæ in hoc potissimum puncto posita est. Vnde argumenta omnia, quæ nos contra Aduersarios cognoscimus circa tale punctum, in nos ipsos eadem vi retorqueri posse. Assumptum probare potes; primò, quia dum in illo exemplo de entitate hominis eminus visâ intellectus ad iudicandum esse eam animal substituit sibi phantasma animalis, siue principij sentiendi, pro vero, & reali animali subrogat illud: ergo illud itidem subrogat pro vero, & reali tationali, quod verè, & realiter idem cum animali reali est: ergo sub cognitionem animalis, qualis qualis illa est, non potest non eodem modo cadere rationale: ergo non præscinduntur. Secundò. Animal reale cognoscitur in illo casu, siue dicatur cognosci per substitutū, siue aliter, quàm in se est, siue quomodolibet. Sed animal, & rationale sunt idem: ergo rationale per eamdem cognitionem, eodemque modo debet cognosci. Tertiò. Id, quod intellectus intendit concipere per vtrumque phantasma animalis scilicet, & rationalis, quando vtrumque sibi substituit, est vnum quid, & indiuisum: ergo tantumdem concipit de entitate reali per vnum phantasma, quàm per vtrumque: ergo quando accedit secundum, nihil nouum cognoscitur de entitate reali, quod non fuerat cognitum per primum, & consequenter per primum solum tota entitas realis cognoscitur, quin aliquid eius ignoretur cognoscendum postmodum per secundum. Quartò. Eatenus dicitur entitas realis cognosci, quatenus cognoscitur phantasma, quod subrogatur loco illius. Sed phantasma animalis subrogatur pro tota, & eadem omnino entitate, quia ante subrogationem entitas quid prorsus simplex, & indiuisum est. Ergo, qua ratione cognoscitur entitas, ea ratione non potest non cognosci tota tam per phantasma animalis, quàm per phantasma hominis.

336 Vrgentia hæc fortasse, & efficacia contra nos aliquibus videbuntur obiecta; sed ea tamen in doctrina nostra verissimam solutionem habent, & solidam. Pro qua nihilominus penetranda, ac penitus percallendâ solertiâ, & acumine opus est, quia materia ipsa est subtilis, & valde implexa. Ad primum itaque, concedo antecedens, nempe in illo casu subrogare intellectum phantasma animalis pro vero, & reali animali; & distinguo primum consequens: ergo & subrogat pro rationali reali inductus principio notificante, quantum est ex se solum animal, concedo; inductus principio notificante itidem rationale, nego; & nego reliquas consequentias. Quoniam eo ipso, quòd intellectus ad subrogandum phantasma pro totâ illâ entitate, quam procul videt, mouetur sensatione notificante quantum est ex se dumtaxat principium sentiendi, iuxta doctrinam *paulò antè* statutam; tota illa entitas tali intellectui amplius non est in tali phãtasmate, quàm principium sentiendi, siue animal, phantasmaque ipsum non aliter illam refert, quàm si dumtaxat esset animal, eodem quippe modo referret illam, etsi re verâ ampliùs, quàm animal non esset. Quo fit, vt falsum sit absolutè sub cognitionem animalis eodem modo cadere rationale, ac ipsum animal; non, quod entitati reali, animalis conueniat à parte rei modus aliquis adhuc extrinsecus, qui non conueniat entitati rationalis, id enim repugnat: sed, quod tota entitas hominis respectu intellectus in casu posito nihil est ampliùs, quàm animal in phantasmate subrogato pro illâ. Vnde rursus efficitur, vt intellectus iudicans eam animal esse; ignorare nihilominus possit an sit rationalis, vel secus, donec succedat aliud phantasma in quo ipsamet vt rationalis, siue vt principium ratiocinandi repræsentetur.

Hinc ad secundum, concessa maiori, nempè cognosci animal in suo phantasmate vt in substituto; 337
distinguo minorem. Sed animal, & rationale sunt idem in se ipsis, concedo: sunt idem in phantasmatibus substitutis, nego; & nego consequentiam, nimirum per eamdem cognitionem, eodemque modo debere rationale cognosci, ac cognoscitur animal. Quoniam cùm quidquid cognoscitur per cognitionem animalis apud cognoscentem solùm sit animal, dici non potest per eam cognitionem eodem modo cognosci rationale, vtpote, quod apud cognoscentem aliud quid est ab animali nullatenus tactum per animalis cognitionem, quidquid sit de eo, quod sunt à parte rei in se. Hoc enim ipso, quod non cognoscuntur prout sunt in se, sed prout sunt in substitutis, in substitutis itidem ignorantur; atque ita sicut simpliciter est verum, positâ cognitione de animali cognosci animal reale, etsi hoc non in se, sed in substituto animalis cognoscatur: ita quoque simpliciter est verum, non stante cognitione de rationali, ignorari rationale reale, eo ipso, quòd ignoratur, seu non cognoscitur in substituto rationalis. Hoc enim nihil aliud est, quàm per cognitionem de animali, ita eam entitatem cognosci, vt apud cognoscentem solùm sit animal, non verò rationalis, qualis esset si cognosceretur insuper per cognitionem de rationali.

Ad tertium pariter distinguo antecedens. Id, quod 338
intellectus intendit concipere per vtrumque phantasma, animalis scilicet & rationalis, est vnum quid, & indiuisum in se, concedo; in phantasmatibus, nego. Deinde distinguo primum consequens. Ergo tantumdem concipit intellectus de entitate reali per vnum phantasma, quàm per vtrumque in ipsâ entitate, nego suppositum; quia entitas realis ab intellectu non concipitur in se ipsâ. In phantasmatibus, vbi ea verè concipitur, nego consequentiam: quia plus est apud cognoscentem entitas illa in vtroque phantasmate, quàm in vno, cùm in

vno

vno ſolum ſit animal, in vtroque animal rationale. Vnde tandem diſtinguo ſimiliter ſecundum conſequens. Ergo quando accedit ſecundum phantaſma, nihil nouum cognoſcitur de entitate in ſe ipsâ, nego ſuppoſitum, in phantaſmate nego conſequentiam: quia accedente ſecundo phantaſmate, iam illa entitas in ipſo rationalis apparet cognoſcenti, apud quem antea ſolùm animal erat. Ex quo patet per aduentum ſecundi phantaſmatis aliquid de entitate cognoſci, quod antea ignorabatur penitus; quia neque cognoſcebatur in ſe, neque in phantaſmate primo; in quo ſolùm cognoſcebatur id, quod in ipſo erat entitas cognoſcenti, erat autem non animal ſimul, & rationalis, vti in ſeipsâ eſt, ſed ſolùm animal. Vt hinc perſpicias obiter, quàm è communi omnium, ac veluti à naturâ inſitâ opinione noſtra doctrina eſt vulgò dicentium intellectum noſtrum pro hoc ſtatu cognoſcere aliter, ac ſunt in ſe ea, quæ per ſpecies cognoſcit alienas. Quid namque aliud eſt entitatem hominis eſſe cognoſcenti in phantaſmate dumtaxat animal, cùm in ſe ſit animal rationale, niſi eam apparere cognoſcenti, atque adeo ab illo cognoſci aliter, quàm in ſe ipsâ eſt?

359 Ad quartum denique concedo eatenùs cognoſci entitatem, quatenùs pro illâ cognoſcitur phantaſma loco ipſius ſubrogatum. Concedo etiam phantaſma animalis pro totâ entitate in ſe indiuisâ ſubrogari; non tamen vtcumque, ſed mouente ad id principio notificante ex ſe dumtaxat talem entitatem eſſe animal, iuxta *nnper* dicta. Nego verò ex his ſequi, quâ ratione cognoſcitur entitas, eâdem debere cognoſci totam, tam per phantaſma animalis, quàm per phantaſma hominis: quia cùm non cognoſcatur in ſe ipsâ; ſed in phantaſmatibus, id ſolùm de entitate cognoſci dicitur, quod ipſa entitas eſt in phantaſmatibus comparatione cognoſcentis, ex vi ſubſtitutionis, ſiue ſubrogationis eorum. Et quoniam in phantaſmate animalis, tota ipſa entitas ampliùs non eſt cognoſcenti, quàm animal: in phantaſmate verò hominis inſuper rationalis eſt; conficitur, per phantaſma animalis minus cognoſci de entitate, quàm per phantaſma hominis. Per primum namque ſolùm ſcitur eam entitatem eſſe animal, per ſecundum eſſe inſuper rationalem. Quod eſt per cognitionem terminatam ad primum præſcindi animal à rationali, atque adeo etiam ab homine.

360 Quorum omnium ratio à priori eſt. Quia hoc ipſo, quod intellectus noſter rem non in ſe; ſed in ſubſtituto cognoſcit, id ſolùm abſolutè, & ſimpliciter cognoſcere dicitur, quod res apud ipſum in ſubſtituto eſt obiectiuè, quidquid ſit amplius in ſe ſe: In ſubſtituto autem id tantùm eſt res apud cognoſcentem, quod ex ſe notificant principia ad cognitionem determinantia. Vnde, quoties principia ex ſe vnicam rei tantùm formalitatem notificant, vnica tantùm rei formalitas cognoſcitur in ſubſtituto vi eorum, non item reliquæ: quia tunc res comparatione cognoſcentis perinde ſe habet omninò, ac ſi eam vnicam dumtaxat formalitatem, non amplius haberet in ſe.

361 Quæ cùm ita ſint, iam facilè erit vnicuique, quælibet alia huiuſmodi, ſi forſam opponantur, diluere. Cætera verò, quæ opponi poſſent contra fundamentum, quo nitimur, de modo noſtro cognoſcendi per phantaſmata ſenſibilia loco obiectorum ſubſtitituta, ſatis, ſuperque complanata ſunt *ſuprà diſputatione 2. quæſt. 3.* Cuius hypotheſes de modo intelligendi noſtro omninò pro re præſenti ſunt recolendæ; mirum enim eſt, quanta cohærentia ex doctrinâ ibi traditâ tum aliæ multæ difficultates complanentur, tum maximè præſentis reſolutio naſcatur. Quæ quidem eo mihi minùs de falſitate ſuſpecta eſt, quò magis dependet ab illâ doctrinâ iamdudum à me excogitatâ, & ſtabilitâ, antequam de obiectiuis præciſionibus, deque hoc ſtrictiſſimo earum nodo ſoluendo cæpiſſem meditari. Porrò, quæ circa præciſionem animalis, & rationalis exempli cauſa dicta ſunt, cæteris quibuſque formalitatum præciſionibus tam in diuinis, quàm in creatis ſunt applicanda. Ex quibus iam etiam apparet, quomodo argumenta, quibus nos Aduerſarios torſimus, nullatenus in nos retorqueri valent.

Cætera non præſcindentium argumenta ſoluuntur.

Tam leuia ſunt cætera, quæ contra obiectiuas 362
præciſiones opponi poſſunt, comparatione eorum, quæ ſtant pro ipſis, vt niſi argumentum potiſſimum, in cuius ſolutione ante hac diſtenti ſumus, obſtaret, nequaquam aliis permoti fuiſſent Recentiores ad præciſiones obiectiuas, tot experientiis refragantibus deferendas. Quod bene vidit Ouiedo *cont. 4. Metaph. punct. 8. citato*, dum reiectis reliquis argumentis, quæ contra præciſiones infert Hurt; dumtaxat in prædicto potiſſimo nititur ad illas negandas.

Arguit itaque Hurt. 1. *diſp. 6. Metap.* §. 106. 363
Diſtinctio ratitionis non eſt in obiecto, ſed in intellectu; eſt enim ipſiſſimus intellectus actus: ergo præciſio conceptuum non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte actuum intelligendi. Nego antecedens: quia ex diuerſitate actuum intelligendi præcisè nulla poteſt naſci diſtinctio rationis, niſi inſuper ex parte obiecti diſtincti appareant, ſiue repræſententur conceptus, qui aliàs in ſe reipsâ ſunt idem; vt conſtat ex dictis in hâc *q.* præſertim *à n. 265.*

Secundò arguit §. 109. Animal ante cognitio- 364
nem non eſt aliud à rationali: ergo nequit cognoſci aliud à rationali: ergo neque præſcindi ab illo. Conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: nequit cognoſci aliud à rationali, ſi cognoſcatur vt eſt in ſe, concedo. Si cognoſcatur vt à nobis cognoſcitur aliter, quàm eſt, ſiue in alio, tanquam in ſubſtituto, nego: & nego ſecundam conſequentiam.

Tertiò §. 122. arguit Hurt. auctoritate ſancto- 365
ràm Baſilij, & Anſelmi, qui videntur aſſerere ea, quæ mente diuidi, aut ſeparari poſſunt, re ipsâ quoque eſſe ſeparabilia ſaltem à Deo. Ergo à contrario, quæ reipsâ indiuiſibilia ſunt, non poſſunt mente ſeparari, aut præſcindi. Verùm argumentum hoc, ſi quid probat, probat vtique hos Patres omnem negare diſtinctionem rationis inter obiecta realiter identificata, ſiue ea ex parte obiecti, ſiue ex parte actus eſſe dicatur, cuius diſcriminis ne meminerunt ipſi quidem. Id, quod præſertim præ ſe ferre videntur verba Anſel. *in Proſol. cap.* 18. ita cum Deo loquente. *Imò tu es ipſa vnitas nullo intellectu diuiſibilis.* Aſt nullo modo per noſtram rationem diſtinguì, quæ realiter idem ſunt, alienum eſt à ſententiâ certiſſimâ, non ſolùm Theologorum; ſed etiam Patrum, vt vidimus *q.* 8. Reſpondeo ergo Baſilium, & Anſelmum intelligendos eſſe de ſeparatione, ſiue diuiſione mentali factâ per iudicium firmum, & verum, quo quis non temerè, ſed verè iudicet vnum non eſſe alterum, aut alterum ſine altero manere poſſe; non verò de ſeparatione, aut diuiſione non iudicatâ, ſed apprehenſâ ſolùm inter formalitates eiuſdem entis, in quâ diſtinctio rationis, & obiectiua præciſio poſita eſt. Et quidem dum-

taxat

taxat voluisse Anselmum omnes perfectiones diuinas realiter esse vnum, & idem, vti ipsum explicat Vasquez 1. *part. disput.* 116. *cap.* 4. verba quæ subiunxit, declarant. *Ergo vita & sapientia, & reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt vnum.* Quàm autem Basilius pro nobis sit ex verbis eius relatis *suprà num.* 271. constat. Iam verò, dum propter sola verba Anselmi relata absolutè pronunciat Hurtad. §. 126. contra Sanctorum doctrinam esse præcisiones obiectiuas admittere in Deo, ponderasse vtique debuisset, iuxta argumentum à nobis factum *suprà à num.* 265. quam ægrè absque obiectiuis præcisionibus, retentâ proprietate verborum, possit defendi distinctio rationis, quam Concilium Florent. & omnes Patres vnanimiter admittunt in Deo. Quod si Concilia, & Patres dum distinctionem rationis ponunt in Deo, ne meminerunt quidem, an illa fiat, vel obiectiuè præscindendo, vel aliter; vt §. 156. dicit Hurt. quo iure Basil. & Anselm. specie solùm tenus eamdem distinctionem negantes præcisionis obiectiuæ meminisse dicuntur?

366 Quartò insuper argumentatur Arriaga *disputat. illa* 5. *Logicæ numer.* 31. Cognitio intuitiua non præscindit, vt Thomistæ fatentur: ergo nec abstractiua. Concesso antecedente, nego consequentiam, quia cognitio intuitiua tangit obiectum, vt est in se, abstractiua verò aliter quàm est in se, & vt apparet in substituto. Quo fit, vt hæc præcisiua esse possit; illa verò non item, vt constat ex dictis.

367 Quintò arguit idem *num.* 32. & 38. Ideo dicitur cognitio abstractiua præscindere, quia per illam ita cognoscitur obiectum, vt non possit reddi ratio de omnibus prædicatis: sed id ipsum euenit in cognitione intuitiuâ coloris eminus visi non discernente, quis color ille sit; & tamen hæc non est præcisiua: ergo absque fundamento idoneo adstruuntur præcisiones. Respondeo ex doctrinâ traditâ *suprà à n.* 309. quoties, quis ita obscurè videt colorem, vt nequeat eius intellectus vi talis visionis diiudicare, quis ille color sit; cùm tamen clarè iudicet obiectum visum esse colorem, esse accidens, esse ens, &c. huiusmodi iudicia sine vsu specierum alienarum ab intellectu nequaquam fieri: quibus interpositis, iam non est, vnde repugnet præcisio obiectiua. Itaque in huiusmodi casibus per apprehensionem intuitiuam immediatè oriundam à sensibus totum, quod re ipsâ est obiectum, apprehenditur ab intellectu, sicut & à sensu absque vllâ præcisione: inde tamen progreditur intellectus ad iudicandum abstractiuè, vel discursu facto, vel aliter, quidquid iudicat de obiecto apprehenso: quo fit, vt bene possit iam præscindere aliqua prædicata eius ab aliis. Quod, quâ ratione fiat, minutiùs explicatum est *suprà disputatione* 2. *quæst.* 3.

368 Sextò argui potest ex ipso Arriaga *num.* 42. prout ipse rursus argumentatur 1. *part. disputatione* 9. *citata num.* 4. Rusticus cognoscit hominem, & nescit an sit animal rationale; & tamen apud omnes est certum conceptum obiectiuum definitionis, & definiti esse idem omninò, nec posse definitum à definitione obiectiuè præscindi. Ergo malè arguunt præscindentes, Videns animal à longè ignorat an sit rationale: Ergo præscindit obiectiuè animal à rationali. Noto primò, vt respondeam, ex doctrinâ *suo loco* fusiùs tradendâ, definitionem aut posse dari per partes intrinsecè constituentes definitum vel metaphysicè, vel physicè; aut per passiones ipsi adiacentes, vel metaphysicè vel physicè. Noto secundò fieri posse vt quis, aut præ nimiâ rusticitate, aut aliâ de causâ, auditis verbis, non apprehendat eum conceptum obiectiuum, quem illa significant; sed aliud quidpiam. Hinc respondeo accidere posse primò, quòd, quis cognoscens definitum dicat se ignorare definitionem obiectiuam, non, quòd illam re verâ ignoret; sed, quòd putet per definitionem vocalem aliud quidpiam significari. Secundò, si definitio data sit per passiones definito adiacentes, bene potest fieri vt quis cognoscens definitum, re verâ ignoret definitionem; hoc tamen casu, si passiones sint metaphysicæ, præcisionem faciet obiectiuam. Sic apprehendens hominem conceptu entis siue substantiæ habentis talem externam figuram, vti plerumque apprehendunt rustici, bene poterit præscindendo obiectiuè aut ignorare, aut non aduertere an sit animal rationale. Tertiò, si definitio data sit per partes physicas definiti, bene etiam poterit, cognito definito, definitio ignorari, sed cum præcisione obiectiuâ à prædicato distinctionis positiuæ ipsarum partium, iuxta doctrinam iam *aliàs* datam in simili. Quartò denique, si definitio data sit per partes metaphysicas definiti; tunc, qui definitum adæquatè cognouerit, nequibit definitionem ignorare: quia in tali casu idem est formaliter definitum, & definitio ex parte obiecti, dumtaxátque differunt penes confusum, & distinctum earumdem formalitatum conceptum, iuxta dicenda *postmodum*. Et hic est casus, in quo loquuntur Auctores, cùm communiter asserunt definitum & definitionem ex parte obiecti non distingui formaliter. Ex quibus patet per argumentum factum nihil adferri contra nos.

Septimò denique, & fortasse vrgentiùs potest 369
opponi. Si ex parte obiecti à nobis præscindunt formalitates, necessariò sequitur esse eas ex suo conceptu aliquid pro sus chimericum, & impossibile. Ergo neutiquam dicendæ sunt ex parte obiecti à nobis præscindi. Consequentia est bona, quia dici non potest sapientiam Dei, iustitiam, omnipotentiam, &c. Tum animalitatem, & rationalitatem hominis esse conceptus chimericos, & impossibiles, vt patet. Probatur igitur antecedens. Quia cùm à parte rei sapientia diuina idem prorsus sit cum iustitiâ, hoc ipso, quod ego concipio sapientiam à iustitiâ distinctam, non concipio veram sapientiam diuinam, quæ re ipsâ est, sed aliam fictitiam. Dici enim nequit distinctionem dumtaxat fingi, extrema distincta non item. Quoniam distinctio positiua extremorum, de quâ sermo est, & à quâ habent extrema distincta esse plura, siue re ipsâ, siue obiectiuè in mente, nihilo prorsus differt ab ipsis extremis; se enim ipsis, & non per aliud superadditum, sunt sic distincta quæuis extrema. Ergo repugnat huiusmodi distinctionem esse fictitiam, & non esse extrema fictitia; quin imò esse talem distinctionem fictitiam, & esse fictitia extrema distincta idem formalissimè est. Hoc argumentum mihi demonstrat vniuersè esse impossibilem veram distinctionem rationis (qualis solùm est obiectiua, vt *in superioribus* ostendi) inter formalitates realiter identificatas, si obiecta in se ipsis, & non in substitutis alienis, per cognitionem attingantur. De quo succedet sermo *infrà q.* 12. Quemadmodum si in dictis substitutis cuncta insensibilia non tangimus, pro certo habeo omnes conceptus vniuersales prorsus esse chimericos, de quo *alibi*. Quocirca huiusmodi argumentum

potiùs confirmat meam doctrinam, quàm illam impugnet, iuxta quam in prõptu est eius solutio. Respondeo itaque sapientiam, & iustitiam diuinam verissimas formalitates esse ex conceptu suo, etiamsi nobis obiectiuè distinctæ appareant, quia cùm in se non cognoscantur;sed in substitutis,neque in se,sed in substitutis ipsis repræsentantur nobis distinctæ, nihil autem vetat esse in substitutis, prout sunt obiectiuè in mente distincta ea, quæ in seipsis, prout sunt à parte rei, sunt idem. Etenim cùm sapientia,& iustitia apud cognoscentem sint obiectiuè in substitutis aliud ab eo,quod sunt in se (nam hoc est,vt sæpè notauimus,aliter,quàm in se sunt,cognosci) bene possunt esse apud cognoscẽtem obiectiuè distinctæ, etsi à parte rei in seipsis sint vnum, & idem. Quod fieret, si in se,& non in substitutis cognoscerentur; tunc enim,si verè ipsæ cognoscerentur, id ipsum,& non aliud deberent esse in mente obiectiuè ab eo, quod sunt in se, nequirentque proinde esse obiectiuè in mente distinctæ, quandoquidem in se sunt idem. Quomodo autem per substituta aliena per se nobis repræsentata verè nihilominus res in se non tactæ cognoscantur;eo quòd illa etsi per se,non tamen pro se,sed pro ipsis rebus apprehenduntur,diffusè explicatum est *suprà disp.2.q.illa 3.citata*.Mitto alia leuiora, quæ opponi possent, aut etiam solent,& ex dictis, atque dicendis facilè ab vnoquoque poterunt dilui.

Consectaria quædam doctrinæ in præsenti quæstione traditæ.

Consectarium 1.

370 In iis, quæ per species proprias, atque adeo per se,& in se;non verò per substitutum,in substitutove cognoscuntur, neutiquam locum habet præcisio obiectiua.

Quia,quæ in se ipsis cognitione attinguntur,non possunt non tangi eodem modo,quoad omnia, quæ re ipsâ sunt, vt probat haud dubiè potissimum non præscindentium argumentum propositum *n.* 339. De quo plura *q.*11.

Consectarium 2.

371 Distinctio rationis,quâ per intellectum nostrum formalitates realiter identificatæ distingui dicuntur, re verâ ex parte obiecti se habet, neque alia est à distinctione phantasmatum, quæ pro ipsis formalitatibus,siue pro re,cum quâ sunt idem,modo explicato subrogantur.

Nisi,quòd respectu phantasmatum realis potiùs, quàm rationis dicenda videtur, quatenus phantasmata ipsa entia quædam realia possibilia sunt realiter inter se diuersa:respectu verò formalitatum,quæ ab illâ denominantur distinctæ, distinctio rationis dici debet, non quidem ficta;sed suppositicia, iuxta doctrinam traditam *suprà disput.2. q.3.* vbi ad rem plura videnda sunt. Quomodo autem præter huiusmodi suppositicium distinctionem alia insuper omninò ficta inter formalitates præcisas possit excogitari *ibidem* docuimus,& iterum *in hac disp. q.*8. vbi etiam posuimus simile distinctionem rationis suppositicium pro arbitrio solùm ratiocinantis fabricari posse per subrogationem plurium phantasmatum, in quibus idem omninò obiectum multiplicatum repræsenteturjeo tamen casu nulla erit præcisio formalitatum obiectiua,vt iam iam explico.

Consectarium 3.

372 Vt quælibet res in plures formalitates præscindi obiectiuè dicatur, non satis est, quòd pro illâ plura phantasmata subrogentur; sed insuper est necessarium vt certus modus subrogationis interueniat.

Etenim si singula principia,quæ mouent ad subroganda pro eadem re plura phantasmata,quantum est ex se tendunt ad diuersum quid in tali re notificandum, tunc in singulis phantasmatibus aliquid rei; non verò tota cognosci dicitur: fitque subinde circa ipsam obiectiua præcisio. Ita euenit, cum per sensationem visam deprehendit intellectus esse animal id, quod videt sentire; & rursus per ratiocinationem deprehendit pariter id ipsum esse rationale. Sensatio quippè tantùm notificat ex se animal; ratiocinatio tantùm rationale, iuxta doctrinam datam *suprà à numer.*350. Quo fit,vt per primam cognitionem pars tantùm illius rei, per secundam autem pars altera cognoscatur, per vtramque verò simul res ipsa, quasi coalescens, siue composita ex ipsis duabus partibus repræsentetur.Quando verò ex vi singulorum principiorum, vnde plurium phantasmatum pro eâdem re subrogatio prouenit, idem ipsum in tali re notificari intenditur: tunc non obiectiua præcisio, sed eiusdem rei, aut formalitatis vel diuersa conceptio, vel multiplicatio continget. Diuersa quidem conceptio, si singulatim, & successiuè talium phantasmatum subrogatio fiat; multiplicatio autem si simultaneè, & pro eâdem mensurâ. Sic cùm animam Diui Petri modò per speciem cuiusdam flammæ, modò per speciem cuiusdam nebulæ pro arbitratu concipio, nihil ex parte obiecti præscindo; sed idem ipsum adæquatè diuersis modis apprehendo. Cùm verò eamdem animam vel sub eisdem, vel sub aliis phantasmatibus simul in diuersis locis existentem aspicio, non vna; sed multiplex mihi repræsentatur. Quo casu sine obiectiuâ præcisione distinctio illa rationis ratiocinantis efficitur, cuius mentionem faciebam *numer. præcedent.* Ex quibus patet distinctionem rationis ex parte obiecti se habentem, prout debet, iuxta dicta *à numero 265.* alteram præcisiuam, alteram non præcisiuam esse, quarum prima rationis ratiocinatæ; secunda verò rationis tantùm ratiocinantis est. Quomodo autem subrogatio phantasmatum alia primaria sit,alia secundaria, abundè explicatum est *suprà disput.2.quæst.3.* Vtrum autem absque subrogatione phatasmatum ab iis, qui per proprias species cognoscunt,aliqua distinctio rationis effici possit, *quæst.*12. determinabitur.

Consectarium 4.

Præcisio obiectiua duplex est. Aliam appellant 373
negatiuam,aliam positiuuam.

Negatiua dicitur, quando conceptâ aliquâ rei formalitate, reliquæ penitus ignorantur, siue non concipiuntur; vt quando de entitate procul visâ cognosco esse animal, ignorans an sit rationalis. Positiua autem vocatur: quando conceptis simul duabus, aut pluribus eiusdem rei formalitatibus, quælibet à reliquis ex parte obiecti præcisa, siue distincta repræsentatur. Ego verò vniuersalius arbitror debere fieri hanc diuisionem, vt magis scientificè fiat. Dico itaque, sicut distinctio realis alia est absolutè existens re

re ipsâ, quando existunt ambo extrema distincta: alia semiexistens re ipsâ, quando alterum tantùm extremorum existit, iuxta diuisionem traditam *suprà quæst.* 2. Ita distinctio rationis alia est absolutè, siue adæquatè existens in mente, quando ambo extrema simul repræsentantur distincta: alia semiexistens in mente, quando alterum tantùm extremorum concipitur. Vtraque autem aut erit præcisiua, si talia extrema sint partes totius metaphysici, aut non præcisiua, si secus. Sicut & distinctio realis, aut inter partes totius physici, aut inter non partes versatur. Quomodo autem extrema per rationem distincta, veri nihilominus conceptus obiectiui maneant, tametsi in mente appareant ex parte obiecti distincta, cùm realiter idem sint *superius n.* 369. explicatum est.

Consectarium 5.

374 Præcisio obiectiua potissimùm sit inter actus, quos significant verba, quique iudiciorum nostrorum obiecta sunt, iuxta dicta *disput.* 2. *quæst.* 4. tum inter se, tum cùm subiecto, atque etiam cum termino comparatos.

Subiectum quippè omnium actuum, qui de eâdem re prædicantur, vnus, & idem conceptus obiectiuus est, vt plurimum, prout *ibidem* etiam statutum est. Modò tamen, iuxta doctrinam huius quæstionis sic, vel ipsâ praxi potest ostendi. Pone hominem, qui solo lumine naturali ductus ita discurrit; visis creaturis inducitur ad iudicandum existere aliquam rem, à quâ illæ habent esse, & quia sine duobus saltem conceptibus obiectiuis, quorum alter per modum actus, alter per modum subiecti talis actus concipiatur, nihil iudicare potest, vt etiam *loco citat.* ostendimus, dum iudicat rem illam existere, duas in illâ formalitates obiectiuè præscindit, quarum altera actus existendi, altera eiusdem actus subiectum est. Pergit, & de eâdem re iudicat posse causare creaturas, quandoquidem causat, sicque supra idem subiectum adiicit actum primum potentiæ ad causandum. Deinde ne progressum infinitum admittat in causis, iudicat rem illâ carere causâ sui, addendo eidem subiecto actum negatiuum carentiæ causationis passiuæ. Hinc rursus pergit, & iudicat eamdem rem per se subsistere, atque adeò substantiam esse, addito eidem subiecto actu subsistendi per se, pariterque discurrendo, & nouum semper actum eidem subiecto superaddendo, iudicat talem rem viuere, & posse viuere, intelligere, & posse intelligere, velle, & posse velle, & cætera huiusmodi. En quomodo obiectiua præcisio tum inter singulos actus, & subiectum cunctis commune, tum inter actus ipsos versetur. Ex quo fit, vt dum ex quolibet eorum actuum, & subiecto veluti ex materiâ, & formâ concretum metaphysicum altero diuerso, naturalissimoque nostro concipiendi modo componitur, iuxta doctrinam traditam etiam *loco citato*, ita plura, & diuersa concreta inter se præcisa, siue distincta obiectiuè proueniant, vt tota ipsorum pluralitas, diuersitas, præcisio, siue distinctio penes formas, siue actus dumtaxat sit; materia enim, siue subiectum eorum omnium concretorum eadem ex parte obiecti formalitas est. Quod sicut in exemplo posito, ita & in reliquis euenit, vbicunq; plures actus, pluraque concreta metaphysica eidem rei, cum quâ identificantur, conueniunt. Nec refert, deprehenso nouo actu eiusdem subiecti, vt nouâ passione eiusdem essentiæ, sæpe subiectum ipsum melius, & propriùs, quàm anteà, atque adeo diuerso conceptu concipi, prout diximus alibi, quia hoc non fit mutando formalitatem obiectiuam; sed eamdem diuerso modo concipiendo, subrogato scilicet diuerso phantasmate ad notificandum idem ipsum ac antea, iuxta dicta *num.* 372.

Dixi verò subiectum omnium actuum cuiusque 375
rei vt plurimùm idem esse, quia interdum vnus actus solet esse subiectum alterius, vti euenit in transcendentibus. Sic enim de omnipotentiâ, vt de subiecto prædicatur quod potest existere, quòd existit, &c. & in cæteris pariter. Ex quibus omnibus palam est, quâ ratione præcisio obiectiua ab intellectu nostro fiat in metaphysicis concretis, & eorum abstractis, tum inuicem, tum seorsim inter se comparatis.

Consectarium 6.

Actus etiam ipsi, quos verba significant, suas 376
in se præcisiones obiectiuas patiuntur ab intellectu nostro.

Quia sæpè etiam concipimus aliquam actus formalitatem obiectiuam, aut ignari penitus, aut immemores aliarum, quæ identificantur cum illâ. Primum enim actus, aut aliquæ eorum formalitates à prædicatis transcendentibus entis, boni, distincti, &c. tanquam eorum subiecta possunt, & solent obiectiuè præscindi, iuxta dicenda *q.* 10.

Deinde idem actus penes distinctas attingentias, 377
aut distinctorum subiectorum, quorum est actus, aut distinctorum terminorum, ad quos terminatur, distinctas formalitates obiectiuè à nobis præcisas subire solet. e. g. quando eadem actio à duabus causis egreditur, à nobis solet cõcipi prout est actio vnius, quin concipiatur prout est actio alterius. Pariterque quando duo effectus per eamdẽ actionem fiunt, ea prout terminata ad vnum; non verò item prout terminata ad alterum intelligi solet à nobis. Quod est præscindere nos obiectiuè in huiusmodi actionibus attingentiam, quâ illæ vnum subiectum, aut vnum terminum attingunt ab attingentiâ, quâ attingunt alterum; cùm tamen istæ attingentiæ realiter sint idem. Duo tamen in hoc casu adnotanda sunt. Primum non semper ob distinctionem subiectorum, aut terminorum præscindere nos in eodem actu eas duas attingentias; sed tantùm cùm iudicamus, aut iudicabilem apprehendimus talem actum per iudicia distincta relatè ad distincta subiecta, aut ad distinctos terminos seorsim. Cùm enim illum aut iudicamus, aut iudicabilem apprehendimus per vnicum iudicium relatè ad vtrumque subiectum, aut vtrumque terminum indiuisim, tunc vt vna indiuisa formalitas indiuisim tãgens aut vtrumq; subiectum, aut vtrumque terminum ille concipitur; quia plura vt plura non per vnum, sed per plura iudicia veniunt à nobis iudicanda, iuxta doctrinam stabilitam *disp.* 2. *q.* 3. Alterum adnotandum est: duas attingentias formaliter distinctas in eodem actu, quando eas præsciindimus; similes intrinsecè euadere, quando actus eodem modo intrinseco tangit, aut vtrumque subiectum, aut vtrumque terminum; etiamsi termini, aut subiecta dissimilia sint inter se: quia dissimilitudo intrinseca actuum, seu formalitatum eiusdem actus tantùm desumitur ex diuerso, siue dissimili modo intrinseco tendendi eorũ, vt apparebit ex dicẽdis.

Enimverò tunc plures formalitates diuersas, siue inter se dissimiles in eodẽ actu præscindimus, quando in eo ea, quam intellectus noster habet, virtute præcisiuâ plures diuersos tendẽdi modos intrinsecos ipsi

actui considerabimus, siue relatè ad idem subiectum, & terminum; siue ad distincta, eaque siue inter se dissimilia, siue similia. Sic in eadem cognitione eiusdem subiecti, & obiecti præscindimus formalitatem genericam cognitionis, in quâ omnes cognitiones sunt similes, à formalitate iudicatiuæ, quâ differt iudicium à simplici apprehensione, tum formalitatem intuitiuæ, quâ iudicium intuitiuum differt ab abstractiuo, &c. Similiterque in eodem amore eiusdem subiecti, & obiecti præscindimus formalitates actus amoris, desiderij efficacis, &c. Sic etiam in eadem actione præscindimus formalitatem actionis, quâ agens agit à formalitate passionis, quâ passum patitur: quia ea entitas actionis diuerso modo sibi intrinseco respicit agens, & passum. Quocirca actio eductiua diuersa est, siue dissimilis actioni creatiuæ, quia licet in ratione actionis sint similes; eductiua tamen dicit insuper formalitatem passionis à formalitate actionis dissimilem. Eodem iure diuerso etiam modo obiectiuo ob diuersitatem saltem partialem phantasmatis substituti concipimus quemlibet actum quatenus respicit subiectum, ac quatenus respicit terminum; eo quod actus intrinsecè habet diuersum modum attingendi subiectum, & terminum. Ob id enim dicebamus *suprà disp. 2. quæst. 4. hypothes. 3.* actum non posse non concipi à nobis, quasi adhærescentem subiecto, ipsumve tangentem intrinsecè, siue immediatè vt exercitium quoddam eius: cum tamen sæpe concipiatur respiciens eminus terminum, cuius vt talis exercitium non est. Ex quo etiam sequitur actum actiuum, quo agens agit, & passiuum, quo effectus fit, realiterque sunt prorsus idem, apud nos diuersos subire conceptus obiectuos ob diuersitatem phantasmatum, in quibus apparent; atque ita obiectiuè distinctos, præcisosque à nobis cognosci. Denique eadem de causâ plures, dissimilesque formalitates partimur in actu diuersis modis respiciente, aut plures terminos, aut plura subiecta. e.g. in actu amoris, quo volumus alicui bonum, formalitates beneuolentiæ, atque concupiscentiæ præscindimus, quarum prima in personam, secunda in bonum ei amatum, diuersis tamen modis tendunt, &c.

379 Itaque tunc formalitates à nobis in eodem actu præcisæ non solùm obiectiuè distinctæ, sed etiam obiectiuè dissimiles inter se euadunt, quando illæ diuersi quidam modi sunt ipsi actui intrinseci, & cum illo identificati, quibus ille diuersimodè dicitur respicere extrema, quæ se ipso intrinsecè, & essentialiter respicit, quæcunque demum sint talia extrema siue eadem, siue similia, siue dissimilia inter se. Quemadmodum plures actus integri distincti physicè dissimiles inter se sunt præcisè ex diuersis modis, quos habent tendendi in extrema, quæ respiciunt, quantumuis hæc aut inter se similia, aut etiam eadem sint, vt patet in actibus cognitionis, & amoris eiusdem subiecti, & obiecti.

380 Sed quid, quando distincti actus, aut distinctæ formalitates eiusdem actus eumdem modum intrinsecum habent tendendi in extrema dissimilia, euadentne tunc inter se dissimiles à dissimilitudine extremorum, quæ suapte essentiâ respiciunt? Respondeo, minimè, vt *nuper* dicebam. Ratio efficax est, quia sæpè idem actus, aut eadem actus formalitas respicit dissimilia extrema; & tamen ab eorum dissimilitudine non euadit à se dissimilis, quia id est impossibile: ergo dissimilitudo extremorum non valet inrrinsecam dissimilitudinem aut formalitatibus, aut actibus, quorum respectum terminant, communicare. Etenim si idem actus amoris in duo obiecta dissimilia feratur eodem modo, non ob id erit dissimilis à se ipso, vt constat; cur ergo erunt dissimiles duo actus tendentes in ea duo obiecta etiam eodem modo?

Obiicies tamen illicò. Actus specificantur à 381
terminis, & à subiectis, vtpote, quæ per suam essentiam respiciunt: ergo quando termini, aut subiecta diuersa sunt, aut dissimilia, nequeunt non esse actus specie diuersi, atque adeo dissimiles. Distinguo antecedens. Specificantur extrinsecè, concedo: intrinsecè nego. Et pariter consequês: nequeũt non esse specie diuersi extrinsecè concedo, intrinsecè nego. De quo vide dicenda *infrà disp. 16.* Et quidem vel ipsâ experientiâ videtur apertè notum, actus per idem verbum significatos semper apparere nobis intrinsecè similes, quantumuis dissimilium subiectorum, aut ad terminos dissimiles sint, vt cernere est, cùm sic iudicamus: homo videt albedinem, videt nigredinem, videt lucem, &c. Angelus amat, homo amat, Deus amat, &c.

Ex quibus liquido apparet, quomodo nos in 382
in actibus obiectiuè præscindamus formalitates, & quales. Omnem autem obiectiuam præcisionem actuum, quemadmodum, & aliarum rerum in phantasmatibus substitutis, in quibus illi nobis apparent, fieri, quâ ratione *in superioribus* explicuimus, indubitatum est: quia de actibus, quod ad rem attinet, perinde ac de cæteris rebus philosophandum est, vt constat.

Consectarium 7.

Iuxta connaturalem modum, quem cognoscendi habemus, in subiectis, & terminis actuum præcisè vt talibus rarò fiunt à nobis præcisiones formalitatum. 383

Imprimis enim ex eo quòd plurium actuum sint subiectum, aut terminus, præcisionem formalitatum non subeunt; siquidem eadem indiuisa formalitas connaturalissimè est subiectum omniũ actuum conuenientium eidem rei, vt vidimus *consectar. 5.* Similiterque in eumdem simplicem terminum connaturaliter plures actus possunt confluere, vt quando eadem simplex formalitas terminat tum cognitionem sui, tum amorem, tum identatem alterius eiusdem rei, tum distinctionem aliarum, tum productionem sui, tum alios huiusmodi actus seu physicos, seu metaphysicos. Nec refert, quando idem actus tangit plura subiecta, aut plures terminos fundamentum præbere vt plures in eo distinguamus formalitates, iuxta dicta *n. 377.* ad hoc, vt dicendum sit pariter, quando idem subiectum, aut terminus plures actus tangit, præbere etiam fundamentum, vt plures in eo formalitates distinguamus. Discrimen est primò; quia in actu ideò plures distinguimus formalitates in casu posito, quia illum pluribus iudiciis iudicamus, aut iudicandũ apprehẽdimus relatè ad ea plura subiecta, aut plures terminos, vt dicebamus *loc. citato*, præcisio autẽ formalitatum ad iudicia nostra ordinatur. At subiectum, & terminus, quâ talia non sunt obiecta idonea nostri iudicij; tametsi ad illud iuuent, vt statuimus *disp. 2. quæst. 4.* Ob idque pluralitas iudiciorum non arguit pluralitatem subiectorũ, aut terminorum, vti arguit actuum. Secundò est discrimen; quòd actus se ipso intrinsecè, & essentialiter attingit subiectum, & terminum, proindeque plures attingentiæ consideratæ

in

in actu plures formalitates sunt intrinsecæ eius. At subiectum, & terminus semiextrinsecè tan ùm dicuntur attingere actum sibi semiextrinsecè coëxistentem: proindeque plures attingentiæ in subiecto, & termino nõ sũt in ipsis plures formalitates intrinsecæ, sed plures denominationes semiextrinsecæ. In quibus conceptis etiam per modum actus in infinitum syncategorematicè potest intellectus noster procedere, & connaturaliter solet, vt sæpè *alias* notamus in præsenti opere. Dum enim concipimus animam e.g. corpori vniri, actum vnionis concipimus, & dum concipimus animam attingere talem vnionem, alium actum interpositum attingentiæ concipimus, rursusque si concipiamus animam tali attingentiæ subiici, alium actum subiectionis concipimus, & comparatione huius alium, & sic sine fine, manente semper conceptu animæ tanquam subiecto in se indiuiso omnium istorum actuum.

384 Dixi autem in consect. *in subiectis, & terminis prædicè vt talibus*, quia si aggregatum ex pluribus formalitatibus aliunde inter se præcisis, siue distinctis obiectiuè aliorum actuum superuenientium fiat subiectum, aut terminus, vt fieri potest; tunc in tali subiecto, aut termino plures erunt formalitatum præcisiones factæ; tamen non quia subiectum est, aut terminus talium superuenientium actuum, sed aliâ de causâ anteriore, vt satis ex se est notum.

385 Dixi etiam in subiectis, & terminis vt talibus rarò fieri formalitatum præcisiones, iuxta nostrum connaturalem intelligendi modum, quia in aliquo, aut aliquibus casibus extraordinariis benè possunt fieri, vt si fingamus subiectum, aut terminum physicè indiuisibilem ex pluribus partibus quasi integrantibus, & homogeneis metaphysicè, seu per rationem nostram esse compositum: tales enim partes formalitates erunt talis subiecti, aut termini, quarum nulla respectu aliarum actus sit. Ex quibus omnibus iam palam est, quo pacto circa omnem rem, omnemve conceptum excogitabilem præcisiones obiectiuæ formalitatum fiant, aut fieri possint, aut secus.

Consectarium 8.

386 Quoties in eâdem re plures formalitates ex parte obiecti præcisas, distinctasque concipimus, totidem etiam ex parte intellectus distinctas cognitiones habemus.

Constat ex doctrinâ statutâ *suprà disp. 2. quæst. 3. consect. 2.* vbi probauimus non posse à nobis pro statu præsenti concipi plura vt plura, nisi per plures cognitiones. Recognoscantur dicta *ibi*.

387 Vnde rursus infertur, quot sunt partes extensionis phantasmatis sensibilis, atque corporei, in quo nobis repræsentatur vnaquæque formalitas, totidem partes etiam extensionis habere intellectionem, quâ talem formalitatem concipimus. De quo item *loco citato* plura sunt dicta. Videantur.

388 Illud ad extremum quæstionis est adnotandum. Quoties formalitates diuinæ virtualiter inter se distinguuntur, iuxta doctrinam stabilitam *q. 6.* eò quòd illis prædicata ex se contradictoria conueniunt, subrogationem phantasmatum pro eis à nobis concipiendis diuerso modo fieri; ac fit pro aliis formalitatibus, vbi distinctio eiusmodi non intercedit; phantasma enim, sub quo apprehendimus Paternitatem e. g. non subrogatur pro totâ entitate Patris, sed pro solâ Paternitate, vt virtualiter ab essentiâ distinctâ; cùm tamen phantasma animalis identificati cum homine pro totâ entitate hominis subrogetur, iuxta dicta *à n. 356.* & in cæteris pariter. Etenim cùm Paternitas, & essentia apprehendantur à nobis in ordine ad attribuendum illis diuisim per iudicium nostrum comparatiuum ea prædicata contradictoria, quæ illis diuisim etiam re verâ conueniunt, non possunt non perinde distingui virtualiter in ordine ad nostram apprehensionem, ac distinguuntur in ordine ad prædicata ipsa. Alioquin quemadmodum de animali posito pro subiecto possumus prædicare saltem identicè, quidquid realiter conuenit rationali; eo quod phantasma animalis pro totâ hominis entitate substitutum est; Sic etiam de Paternitate positâ pro subiecto possemus saltem identicè prædicare, quidquid realiter conuenit essentiæ ob eamdem rationem. Quod tamen falsum est & absurdum. Itaque formalitates diuinæ virtualiter inter se distinctæ, etsi eodem modo, ac reliquæ à nostro intellectu præscindantur, quod attinet ad præcisionem ipsam; quod attinet tamen ad fundamentum præcisionis ab aliis differunt, quatenus in ordine ad illud perinde se habent, ac si essent entitates distinctæ verè, & formaliter à parte rei. Quomodo autem per visionem sui intuitiuam non præscindantur, & consequenter relatè ad illam distinctione virtuali non egeant, quâ egent in ordine ad alia munia *q. 11.* explicabitur. Vbi ad rem plura.

QVÆSTIO X.

Vtrum circa prædicata etiam transcendentia intellectus noster tum in diuinis, tum in creatis obiectiuè præscindat?

SVpponit hæc quæstio id, quod suam habet controuersiam à nobis *infrà* dirimendam *disp. 17.* dari scilicet aliqua prædicata tam in Deo, quàm in creaturis ita transcendentia omnes formalitates rei, cui conueniunt, vt de singulis non solùm in sensu identico; sed etiam in sensu formali cum veritate prædicentur. Cuiusmodi sunt in Deo esse æternum, immensum, incorruptibilem, & similia. In creaturis, & in Deo etiam esse ens, verum, bonum, & alia id genus. De quibus supposito modo, quòd sint transcendentia non solùm quoad nomina; sed quoad conceptus obiectiuos per nomina significatos, vt communis opinio fert: quærimus an præscindantur obiectiuè ab illis formalitatibus, quas dicuntur transcendere? Procedit autem quæstio ex suppositione, quod circa alia prædicata non transcendentiâ, præcisiones obiectiuæ sint admittendæ ob peculiarem difficultatem, quam circa transcendentia habere videntur. Neque verò nunc nobis disputandum est, an possit dari singulorum transcendentium vna ratio abstracta ab omnibus inferioribus, & illis communis. De quo agemus *infrà dictâ disp. 17.* Sed an in qualibet re singulari conceptus transcendens à conceptu, quem transcendere dicitur, obiectiuè sit præscindibilis, sicut conceptus non transcendens ab altero non transcendente præscindibilis est. 389

Negabunt haud dubiè, quotquot negant vnam rationem communem transcendentium prædicatorũ ad inferioribus abstrahi posse, vt sunt Caiet. Vasq. & alij *q. citatâ* referendi. Ex reliquis verò Petr. Hurt. 390

disput. 9. Logicæ sect. 4. subsect. 3. disput. 2. Metaph. sect. 3. præsertim à *num. 39.* Arriag. *disp. 11. Logicæ quæst. 1.* Ouied. *contron. 1. Metaph. punct. 5.* & alij Recentiores docent admissis præcisionibus obiectiuis dicendum esse prædicata transcendentia inadæquatâ solùm, seu potius non mutuâ præcisione præscindi posse à formalitatibus, quas transcendunt, non verò mutua, & adæquata, quali præscindi dicuntur alia, quæ non sunt transcendentia. Itaque dicunt formalitatem entis e. g. à formalitate rationalis in homine benè posse præscindi; formalitatem verò rationalis à formalitate entis non item. Similiterque in Deo formalitas boni, æterni, immensi, & aliæ huiusmodi à formalitate intellectus præscindi poterit: hæc verò ab illis minimè. Est autem in præsenti sermo dumtaxat de prædicatis transcendentibus metaphysicè, quâ ratione *ens*, *verum*, *bonum*, & alia huiusmodi omnes formalitates rerum dicuntur transcendere. De aliis namque generibus transcendentium prædicatorum, si quæ dantur, præsens controuersia non est. Vide dicenda *infrà disp. 17. q. 20.*

Propositio 1.

391 De facto prædicata metaphysicè transcendentia tum in Deo, tum in creaturis eodem modo seruatâ proportione, atque non transcendentia, mutuaque præcisione præscinduntur ab intellectu nostro.

Itaque sicut in homine animal mutuò præscinditur à rationali; sic ratio entis ab eodem rationali mutuò præscindi potest. Et sicut concretum *animal*, quod est potens sentire, ex duabus formalitatibus mutuò inter se præcisis coalescit, nempe ex potentiâ ad sentiendum, & ex subiecto talis potentiæ, iuxta dicta *n. 374.* ita concretū *ens* sumptum, prout modo sumitur, pro potente existere, ex duabus formalitatibus mutuò etiam inter se præcisis coalescit, nempe ex potentiâ ad existendum, & ex subiecto talis potentiæ. Eo differt concretum *ens* à concreto *animal*, quòd hoc vnicum est in homine coalescens ex subiecto communi aliis concretis, & potentiâ sentiendi, & ideo transcendens non est. Illud verò pro multitudine formalitatum hominis multiplicatur, & ideo est transcendens; quia nulla est formalitas in homine, quæ etiam vt præcisa à reliquis non sit formaliter potens existere per potentiam, non quidem in se imbibitam; sed sibi adiacentem; quæque subinde non sit subiectum, ex quo, & ex tali potentiâ resultet quoddam concretum ens. Cùm tamen sola formalitas subiecti communis prædicti sit formaliter potens sentire per potentiam pariter sibi adiunctam; non item aliæ formalitates. Quo tandem fit, vt in homine tot possint concipi concreta entis formaliter inter se præcisa, quot possunt concipi formalitates præcisæ pariter inter se; cùm tamen vnicum solum concretum animalis sit conceptibile. Vt hinc perspicias transcendentiam non per inclusionem, vt vulgò putatur, sed per adiectionē formalitatis transcendētis ad eas, quas dicitur transcendere, fieri; optimèque cum hoc componi, quòd aliæ formalitates transcendentes, aliæ non transcendentes sint. Vt enim aliqua formalitas sit transcendens, solùm requiritur, quod ea in sensu formali prædicetur de omnibus, & singulis formalitatibus, quas transcendere dicitur. Adhoc autem nullatenus est necessaria inclusio prædicati in subiecto, quia, vt constat ex vniuersali doctrinâ tradita *suprà disp. 2. q. 4. sect. 4.* Hæ propositiones: *rationalitas potest existere: rationalitas est potens existere* verissimæ sunt in sensu formali; & tamen in vtraque potentia ad existendum, quæ formalitas transcendens est, per modum actus, seu formæ adiacentis ipsi rationalitati tanquam subiecto prædicatur. Iste enim est naturalissimus modus, & necessarius nobis pro hoc statu iudicandi, vt *in eadem q. 4.* & sæpe *alibi* docuimus. Adiicere scilicet subiecto actum significatum per verbum, tanquam quid ei accrescens, & superadditum, siue id per verbum ipsum fiat, siue, quod eidem æquiualet, per participium, vel nomen adiectiuum interposito verbo *esse*. Iuxta quem iudicandi modum impossibile est, quod transcendentia metaphysica prædicatorum per inclusionem fiat, vt constat, & ampliùs constabit ex dicendis tum *in hac quæst.* tum maximè *disput. 17. q. 20.* vbi de hoc puncto ex professo futurus est sermo. Idem autem, quod de ente sumpto pro potente existere diximus, eodem modo locum habet in ente sumpto pro existente, quia existentia seu in abstracto, seu in concreto eodem omninò modo est transcendens formalitates rei existentis: atque potentia ad existendum formalitates rei potentis existere. Eodemque subinde modo de vtraque *in præsenti quæst.* philosophandum est. Igitur his pro explicatione propositionis suppositis, quæ etiam eodem modo locum habent in cæteris huiusce generis transcendentibus prædicatis siue creatis, siue diuinis.

Probo propositionem primò ex modo commemorato, quam iudicandi habemus, iuxta quem non possumus non præscindere ex parte obiecti actum significatum per verbum à subiecto, cui talem actum siue per verbum ipsum, siue per participium verbi, aut per nomen adiectiuum tribuimus. Cùm enim prædicata transcendentia aut semper, aut plerumque saltem sint actus significabiles per verbum, nequibunt non titulo isto ea à subiectis, quæ transcendunt, obiectiuè præscindi, vt vniuersè arguebamus *suprà quæst. præced. num. 320* Sic cùm dicimus, sapientia Dei existit à se, siue est ens à se, prædicatum essendi à se præcisum à sapientia Dei, & ei superadditum concipimus. Quod autem hæc præcisio sit mutua probatur primò; quia repugnat actum essendi à se repræsentari distinctum obiectiuè à sapientia, & quod sapientia non repræsentetur distincta obiectiuè ab ipso actu, vt patet, ampliúsque patebit ex dicendis *propos. 2.* Secundò, quia sæpe contemplantes sapientiam Dei, an ea sit ens à se, vel secus, nullatenus meminimus: ergo præscindimus attentione nostrā sapientiam à prædicato essendi à se. Tertiò, quia si conceptus sapientiæ ab actu existendi à se non esset præscindibilis, hæc propositio *sapientia est existens à se* synonima esset, & nugatoria; faceret enim hunc sensum. *Sapientia existens à se est existens à se.* Verùm de hoc plura *infrà propos. 2.* 392

Infertes. Ergo sapientia formaliter non est ens à se; atque adeo prædicatum essendi à se non transcendit sapientiam. Distinguo consequens sapientia formaliter non est ens à se per formam essendi à se ipsam constituentem intrinsecè, concedo; ipsi superadditam, nego: quod satis est vt talis forma dicatur transcendens, iuxta dicta. Instabis. Ergo eodem iure actus volendi, & alij quique reperti in Deo dici poterunt transcendentes; quia eodem modo, quo sapientiæ superadditur per iudicium actus essendi à se, poterit actus volendi, & quilibet alius superaddi. Nego consequentiam, & probationem. Quia sapientia ex conceptu suo non habet exerceri per actum volendi, sicut habet per actum essendi à 393

se,

se, vt pluribus explicandum est *infra disputatione 17. quæst. 20.*

394 Secundò probatur propositio. Quia si intellectus noster non præscinderet obiectiuè, mutuoque actum transcendentem à suo subiecto, neutiquam posset illum de subiecto ipso negare, vt sæpe negat. Etenim hæ duæ propositiones, e. g. *Petrus non existit. Petrus existens non existit*, sublatâ præcisione obiectiuâ eosdem omnino terminos obiectiuos haberent: ergo sicut nemo sanæ mentis potest assentire posteriori, vtpote euidentissimè falsæ, ita neque posset priori. Fieretque vt de nullâ re verè non existente possemus existentiam negare. Tum vt omnis propositio negans cuicumque rei existentiam apertè esset falsa, semper enim hunc sensum faceret. *Res existens non existit.* Quæ planè sunt absurda. Adhæc propositiones istæ. *Petrus non existit. Ioannes existit*, non essent de materiâ contingenti, vt citrà omne dubium sunt, quia æquiualerent his: *Petrus existens non existit. Ioannes existens existit*, quarum prima de materiâ remotâ, seu impossibili; Secunda de materiâ necessariâ est, etiam citra omne dubium. Nec putet quispiam huius argumentationis robur infringi exemplo Beatorum, qui absque præcisione vllâ obiectiuâ iudicant nihilominus vt quid contingens de re existente, quòd existit, & de re non existente, quòd non existit. Quoniam Beati non iudicant, sicut nos, multiplicando terminos, attribuendóque prædicatum subiecto apprehenso, aut illud ab hoc remouendo, sed simplici intuitu penetrando obiectum, sicut est in se. Proindéque illi ad iudicandas propositiones obiectiuas prædictas non egent præcisionibus obiectiuis, vt nos egemus, prout argumen tum factum probat.

395 Tertiò probari potest propositio omnibus ferè argumentis, quibus *quæst. præced.* probauimus præcisiones obiectiuas in vniuersum. Hic namque imprimis, quæ ab experientiâ petita sunt, eumdem, imo potentiorem locum habent saltem quantùm ad præcisionem, quâ prædicata transcendentia à subiectis, quæ transcendunt, præscindi possunt. Cùm enim transcendentia prædicata ob maiorem suam vniuersalitatem non transcendentibus sint vt plurimùm notiora, crebriùs eueniet in omnibus casibus, vnde argumenta huiusmodi sumpsimus, quod aliquod prædicatũ transcendens cognoscatur, ignotis aliis eiusdem entis, quodque subinde obiectiuè præscindatur ab illis, quàm, quod id ipsum eueniat in prædicato non transcendente. Quapropter dicta argumenta à Lectore sunt recolenda, & huc applicanda, à nobis tamen minimè repetenda. Quantum ad præcisionem verò mutuam subiectorum à prædicatis transcendentibus, quam, priori admissâ, negant Auctores *num.* 390. citati; hæc accipito experimenta. Sæpè contingit cognosci aliquid à nobis, & ignorari an illud sit distinctum ab alio, aut sit idem cum illo, e.g. euidenter scimus habere nos potentiam intelligendi, & volendi, an verò tales potentiæ sint ab animâ, & inter se distinctæ, an verò cum animâ, & inter se identificatæ, euidenter non scimus; & tamen distinctio, & identitas ex prædicatis sunt transcendentibus, vt constat: Ergo præscindimus ab eiusmodi prædicatis subiecta, quibus illa conueniunt. Sæpè de aliquo quoad alia cognito ignoramus, aut dubitamus an sit accidens, vel substantia, vt in exemplo de potentiis animæ cernere licet; & tamen hæc prædicata transcendentia sunt: ergo præscindimus ab eis subiectum. Multi cognoscentes Deum, negarunt ipsum esse vbique: Ergo præscindebant substantiam Dei ab eius immensitate, quæ ex prædicatis transcendentibus est. Sæpe etiam passim de rebus cogitamus, & loquimur immemores prorsus prædicatorum transcendentium earum: ergo eas ab illis præscindimus. Mitto alia experimenta, quæ ad rem poterit quisque excogitare. Per hæc enim sufficienter conuincitur obiectiuam præcisionem transcendentium mutuam posse esse, quod ampliùs constabit ex dicendis *propositione sequenti.* Adde pleraque etiam alia argumenta aliunde, quam ab experientiâ deducta *quæst. præced.* pro præcisionibus obiectiuis in vniuersum tam transcendentibus, quàm non transcendentibus communia esse, mutuamque vtrumque præcisionem obiectiuam probare, vt ipsa consideranti patebit.

Sed obiici potest ex Recentioribus citatis. Prædicata transcendentia vsque ad vltimas rerum differentias transcendunt: Ergo hæ nequaquam possunt sine illis concipi, atque adeo neque ab illis præscindi. Distinguo antecedens, transcendunt vsque ad vltimas differẽtias per inclusionem in illis, nego: per adiectionem ad illas, concedo, & nego consequentiam. Dicent, hoc non esse transcendere; Distinguo iterum: non est transcendere, vt ipsi concipiunt transcendentiam, transeat; vt debet secundum veritatem concipi, nego; ea enim, quam ipsi concipiunt, metaphysica transcendentia impossibilis prorsus est, vt amplius patebit ex dicendis *dictâ quæst. sæpe citatâ, disputatione 17.* 396

Deinde obiici potest. Semel admissâ præcisione obiectiuâ mutuâ in prædicatis transcendentibus, necessariò admittendus est progressus infinitus formalitatum: at hic est impossibilis: ergo & illa. Probatur maior in existentiâ creaturæ, vbi hoc argumentum maiorem vim videtur habere, opponiturque ab Arriag. *disput. 2. Metaph. sect. 4.* Quoniam si essentia per existentiam à se obiectiuè præcisam concipitur à nobis existens, nec aliter potest; ipsa existentia titulo indifferentiæ, quam habet vt concipiatur existens, aut purè possibilis, nequibit à nobis concipi existens, nisi per aliam existentiam à se præcisam obiectiuè, de quâ idem dicendum sequitur, & sic in infinitum. Hoc argumentum pariter fieri potest contra Arriagam ipsum, & contra omnes, qui confitentur, neque negare possunt, aliquam distinctionem rationis inter essentiam, & existentiam, siue ea sit obiectiua, siue formalis, quod non interest ad rem. Si enim essentia nequit concipi existens nisi per existentiam à se per rationem distinctam, ipsa existentia eodem titulo nequibit concipi existens nisi per aliam existentiam à se per rationem distinctam, & sic in infinitum. Contra me tamen nihil præstat argumentum propositum, qui in formalitatibus vltrò admitto progressum syncategorimaticè infinitum, non categorematicè. Puto enim illud connaturalissimum esse modo, quem iudicandi habemus, & concipiendi, nec vllum secum ferre incommodum. Si enim huiusmodi progressus passim in physicis admittimus, quidni in intentionalibus admittemus? Nemo namque mirari debet, quod possit intellectus noster post vnam formalitatem conceptam concipere aliam, & post hanc aliam, & sic deinceps sine fine quando ipse intellectus, sicut & aliæ causæ huiusmodi post vnum effectum a se causatum potest causare alium, & sic deinceps sine fine. Vide ad rem plura *infra disputatione 17.* 397

Propositio 2.

Præcisio obiectiua non mutua prædicatorum transcendentium 398

cendentium metaphysicâ transcendentiâ omninò impossibilis est.

Probatur primò ; quia si formalitas entis siue potentis existere, seu potiùs potentia ipsa ad existendum abstractè sumpta potest obiectiuè præscindi à rationalitate Petri e. g. cui re ipsâ conuenit, poterit quidem concipi obiectiuè distincta ab illâ, ita vt ex parte obiecti duo quædam diuersa sint respectu cognoscentis dicta potentia , & rationalitas. Est clarum : quia hoc ipso, quòd potentia existendi præscinditur à rationalitate (siue eam præcisione negatiuâ, siue positiuâ præscindi dicas, iuxta diuisionem traditam *num.* 373.) non potest non esse formalitas ex parte obiecti a rationalitate diuersa (alioquin idem esset cognitionem tangere potentiam existendi, & tangere rationalitatem , quo cessaret præcisio) ergo si perseuerante cognitione de potentiâ existendi, accedat alia de rationalitate , nequibunt non illæ apparere inter se diuersæ, & consequenter inter se distinctæ obiectiuè , quia idem à se ipso diuersum apparere non potest : hoc autem ipsum est apparere ipsas mutuo inter se distinctas, siue præcisas, vt constat. Repugnat ergo potentiam existendi esse obiectiuè præscindibilem à rationalitate , quin hæc vicissim ab illâ obiectiuè præscindibilis sit.

399 Dices. in casu posito non posse non potentiam existendi bis cognosci , semel per cognitionem sui præcisiuam, & iterum per cognitionem rationalitatis, in quâ imbibitur ; atque ita, etsi rationalitas à tali potentia vt cognita per cognitionem præcisiuam appareat ex parte obiecti distincta, absolute tamen non apparet ab illâ præcisa , quia aliunde imbibit illam in se. Bene. Sed contrà primò : ergo potentia existendi à rationalitate non præscinditur obiectiuâ præcisione , quæ verè , & propriè talis sit, sed tantùm duplicata concipitur in rationalitate scilicet, & extra. Contra secundò. Ideo per te rationalitas non est absolutè dicenda præscindi à potentiâ existendi , etsi repræsentetur ab illâ , vt extra se apparet, distincta, quia aliunde ipsam retinet imbibitam in se: Ergo eodem iure, ideo potentia existendi non est absolutè dicenda præscindi à rationalitate , etsi extra illam concipiatur , quia aliunde remanet in ipsâ imbibita. Contrà tertiò. Ergo duæ potentiæ existendi conueniunt rationalitati formaliter distinctæ inter se, quarum altera adæquatè est à rationalitate præscindibilis , altera nullo modo. Quod vtrumque contra Aduersarios est. Vnde rursus contra eosdem efficitur potentiam existendi à rationalitate præcisam non esse transcendentem, quæ autem rationalitatem transcendit , ab illâ impræscindibilem esse, quandoquidem non potest non semper intra illam manere. Quo iure Caiet. Vasquez & alij ,omnimodam transcendentiam abnegant abstractionem, seu præcisionem. Contra quartò. Vel potentia existendi imbibitur in rationalitate per inclusionem tanquam pars in toto , vel per identitatem. Si vt pars in toto. Ergo ab alterâ comparte erit præscindibilis mutuo, cessabitque transcendentia per inclusionem in vltimis differentiis. Si per identitatem, eadem omnino formalitas obiectiua erunt rationalitas, & potentia existendi, quo omnimodis cessat præcisio obiectiua vnius ab alterâ, quia idem à se ipso adæquatè non est præscindibile. De quo plura *infra dicta q.* 20. *disp.* 17.

400 Secundò probatur propositio. Id totum, per quod formaliter rationalitas est potens existere, separatur per præcisionem ab illâ: Ergo factâ præcisione nihil potentiæ ad existendum remanet in rationalitate. Consequentia est bona ; quia vndecunque extrahitur integrè aliquid, nihil eius remaneat ibi, necesse est. Antecedens supponitur ab Aduersarijs, & potest probari ; quia id totum , iuxta ipsos præscinditur à rationalitate, in quo rationalitas conuenit cum aliis entibus, conuenit autem in toto, per quod formaliter est potens existere , vt constat . Ergo rationalitas non potest non esse æquè præscindibilis à potentiâ existendi, atque hæc ab illâ præscindibilis est. Patet hæc consequentia, quia cognitio tangens rationalitatem , aut , id quod restat post præcisam potentiam existendi ab illâ , nihil in ipso tanget potentiæ existendi, quod est plenè eam præscindere à potentiâ existendi.

Dices , licet vnde aliquid integrè abstrahitur 401
physicè, ibi nihil remaneat eius ; at in abstractione intentionali longè aliter euenire : quia nihil vetat tangi per cognitionem totam potentiam existendi, quam habet rationalitas, sine rationalitate ipsa, & tamen non posse per cognitionem tangi rationalitatem sine potentiâ ipsa existendi. Sed contra. Aut per cognitionem tangentem totam potentiam existendi cognoscitur integrè rationalitas ; aut aliquid tantùm eius cognoscitur , & aliquid ignoratur. Si primum ; nulla fit præcisio , & destruitur casus, in quo procedimus. Si secundum : Ergo id , quod de rationalitate ignoratur, non claudit in se potentiam existendi, & redit argumentum factum. Probo consequentiam, quia repugnat tangi per cognitionem totam potentiam existendi, & aliquid ignorari potentiæ existendi ; ignoraretur autem si in eo, quod ignoratur, potentia existendi includeretur, vt cõstat.

Si dicas per cognitionem præcisiuam tangi to- 402
tam potentiam existendi, & nihilominus totam manere inclusam in residuo rationalitatis ignoto per talem cognitionem. Contrà tamen manifestè : quia dum per cognitionem præcisiuam tangitur tota potentia existendi , aliud est manere nihilominus totam eam potentiam inclusam in rationalitate prout cognitâ per aliam cognitionem simul tunc existentem, aliud manere inclusam in residuo, quod ignoratur, nullâ aliâ existente cognitione, vt ponimus in casu præsente. Primum possibile est, vt *supra* supposuimus , quia nihil est aliud , quàm cognoscere bis totam potentiam existendi semel extra rationalitatem per vnam cognitionem , & iterum intra per aliam. Vt si rationalitas ipsa semel extra hominem , & iterum intra conciperetur. Secundum verò omnino repugnat ; quia si id , quod adæquatè ignoratur , seu non cognoscitur per cognitionem præcisiuam , includeret in se potentiam existendi per ipsam cognitam, talis potentia simul cognosceretur, & non cognosceretur , quæ sunt contradictoria. Vide id in cognitione præcisiuâ animalis, quâ posità repugnat vt ignoretur integer homo includens animal quoad totum , quod includit ; quia ignoraretur simul, & non ignoraretur animal ; quæ est contradictio ; eatenusq ; solùm subinde dicitur, cognito solo animali, ignorari homo, quia ignoratur rationale, sine quo homo cognosci nequit. Si igitur cognitâ per cognitionem præcisiuam totâ potentiâ existendi, quam habet rationalitas, aliquid rationalitatis manet omnino, & adæquatè ignotum, conficitur id in se talem potentiam non includere, sed adæquatè etiam esse condistinctum ab illâ & consequenter mutuo ab eadem præscindibile , si vt sic per cognitionem alteram cognoscatur.

Obiiciunt Recentiores *suprà* citati. Animal po- 403
test præscindi non mutuo ab homine ; quia potest cognosci sine homine , homo verò sine animali, non item. Ergo nihil mirum , si prædicata transcendentia

cendentia sint præscindibilia non mutuò à subiectis, quæ dicuntur transcendere. Nego antecedens, si de propriâ præcisione sit sermo, quia animal propriè nequit præscindi ab homine, nisi præscindatur à se incluso in homine, à se autem propriè præscindi non potest; estò bis possit concipi, & obiectiuè multiplicari, vt constat ex dictis. Animal igitur solùm à rationali præscinditur propriè, eoque solum titulo, cognito animali, potest homo ignorari; quia potest rationale ignorari, cùm tamen homo includens vtrumque sine vtroque cognosci nequeat. Adde repugnare, quòd animal sit cognoscibile sine homine, non verò è contrà, quin sit in homine aliquid, à quo animal mutuo sit præscindibile, vt ex dictis compertum est. Vnde per hoc, quòd prædicata transcendentia cognoscibilia sine subiectis asserantur, & non vice versâ, non efficitur esse ea præscindibilia non mutuò ab omni formalitate contentâ in talibus subiectis, imò à nullâ, à quâ propriè possunt præscindi, sunt non mutuo præscindibilia, vt ex dictis etiam est notum. Ex quo patet, quàm debile sit argumentum sequens, in quo maximè Aduersarij nituntur.

404 Obiiciunt enim sic. Non repugnat, quòd vnum possit sine alio, & tamen hoc non possit vicissim cognosci sine illo, vt in relatione, & termino licet videre, terminus enim sine relatione bene concipi potest; relatio verò sine termino minimè. Ergo non repugnat, quòd prædicatum transcendens possit concipi sine differentiis, & tamen differentiæ non possint concipi sine illo. Sed hoc ipsum est prædicatum transcendens præscindi à differentiis non mutuò: ergo. Minorem hanc, in quâ est totum argumenti momentum, tanquam per se notam sine probatione relinquunt; cùm tamen ea falsissima sit. Quod vt euidenter inspicias, nota solerter, independentiam non mutuam quoad cognitionem ex triplici omnino independentiâ non mutuâ obiectorum enasci posse, nempe ex independentia non mutuâ quoad relationem, quoad inclusionem, & quoad identitatem. Ex quibus in postrema dumtaxat, si ea esset possibilis, posset fundari præcisio obiectiua non mutua, in reliquis verò minimè potest; vnde absolutè est impossibilis; quia identitas non mutua absolutè etiam est impossibilis. Itaque licet relatio nequeat cognosci sine termino, hoc tamen ipso, quod terminus potest sine relatione cognosci necesse est, quod relatio in mente eam concipientis distincta ex parte obiecti à termino repræsentari possit, ita vt relatio, & terminus non vnum quid, sed duo appareant, quod est relationem, & terminum mutuò ex parte obiecti præscindi, siue distingui. Sicut enim, quòd relatio quando est connexionis, nequeat existere realiter sine termino, non tollit esse eam realiter distinctam à termino; ita, quòd nequeat esse obiectiuè in mente sine termino non tollit esse eam obiectiuè in mente distinctam à termino; atque adeo ab illo præcisam. Similiter, etsi includens nequeat cognosci sine incluso, hoc tamen ipso, quòd inclusum potest cognosci sine residuo, & eo titulo sine ipso includente, necesse est, quod residuum mutuo præcisum obiectiuè ab ipso incluso repræsentari possit, vt ex superiùs dictis satis est notum. Relinquitur ergo, quòd A e. g. dumtaxat posset esse non mutuo præscindibile à B, casu quod, cognito simul vtroque, A distinctum, & aliud quid à B appareret ex parte obiecti, quin B vicissim distinctum, & aliud quid ab A appareret. Quia tamen hoc euidenter est impossibile non minùs, quàm, quòd A realiter distinguatur à B, & B realiter non distinguatur ab A, conficitur præcisionem obiectiuam non mutuam absolutè impossibilem esse. Atque adeo prædicata metaphysicè transcendentia nullatenus posse à differentiis, quas dicuntur transcendere, non mutuò præscindi, vt opinabantur Aduersarij. Vide *q.* 20. *illam sæpe citatam*, vbi & ad rem plura; & alia, quæ contra nos opponi possunt, diluta reperies.

QVÆSTIO XI.

Vtrum per intellectum Dei, aut aliorum videntium intuitiuè formalitates identificatæ realiter in Deo ipso, aut etiam in creaturis obiectiuè præscindi possint?

QVæstio hæc communiter, licet sub aliis termi- 405
nis, tractari solet à Theologis ad *q.* 12. 1. *p.* S. Th. vbi agitur de Visione Dei; dum disputant, vtrum beatus possit videre essentiam Dei sine attributis, aut relationibus, vel è conuerso? Cæterùm placuit illam duabus præcedentibus adiicere, vt doctrina de præcisionibus obiectiuis in illis tradita magis, ac magis eluceſcat.

Igitur circa quæstionem hanc Scot. *in* 1. *dist.* 1. *q.* 406
2. & *ibidem* omnes Scotistæ docent essentiam diuinam bene posse de potentiâ Dei absolutâ sine diuinis relationibus intuitiue videri, & quamuis Scot. non expresserit, idem censent Scotistæ communiter de relationibus respectu essentiæ, & de attributis tum inter se, tum cum essentiâ comparatis; quia pro his omnibus est fundamentum idem, nempe distinctio formalis ex naturâ rei, quâ gaudent iuxta ipsorum sententiam. Sic Basol. *ad locum citatum q.* 1. Mayron. *q.* 6. Bargius *q.* 6. Rubion *q.* 6. & alij. Ex reliquis verò, qui distinctionem Scoticam negant; in eadem nihilominus sententia sunt Salas 1. 2. *tit.* 2. *disp.* 4. *sec.* 2 *n.* 10. & *sec.* 3. *n.* 26. Gran. 1. *p. contr.* 1. *tit.* 5. *de visione d.* 5. 6. & 7. Alarc. *tit.* 1. *de visione d.* 4. *c.* 2. apud & eos Palud. D. Antonin. Ouandus, & alij. Cósentit Ægid. de Præsent. *l.* 5. *de Beat. art.* 4. §. 3. docens essentiam sine attributis intuitiuè posse videri; attributa verò sine essentiâ non item. Consentit etiam Arriaga *tom.* 1. *in* 1. *p. disp.* 9. quatenus ait non solùm Beatos, sed etiam Deum, dum vident Trinitatis mysterium de facto præscindere obiectiuè tum affirmatione, tum etiam apprehensione inter essentiam, & relationes, necnon inter intellectum, & voluntatem ob distinctionem virtualem in ordine ad prædicata contradictoria inter tales formalitates repertam, Ita habet *num.* 24, 29. & 40. Quod ipsum tradiderat antea *in Logica disp.* 5. *à num.* 58. vnde consequenter affirmat *dicto num.* 40. posse etiam intellectum creatum de potentiâ absolutâ videre intuitiuè essentiam sine relationibus, intellectum sine voluntate, & è contrà. Inter reliqua verò attributa, vbi similem virtualem distinctionem non admittit, præcisionem obiectiuam impossibilem omninò esse asseuerat *dicta disp.* 9. *n.* 8.

Addunt ipse Arriaga, & alij Moderni non præs- 407
cindentes obiectiuè citandi *q. seq.* ex parte actus, siue ex parte modi cognoscendi, vt ipsi loquuntur, bene posse per cognitionem intuitiuam præscindi quamlibet formalitatem ab aliâ. Esse enim possibilem visionem Dei e. g. intuitiuam adeò confusam, vt solùm sciatur per illam, Deum esse ens: tum aliam nonnihil clariorem, quâ sciatur Deum esse substantiam: tum aliam, quâ cognoscatur Deus vt

vnus,

vnus, non verò vt trinus, & sic discurrendo per attributa singula: idque non quia per huiusmodi visiones obiectiua præcisio fiat; sed quia vnaquæque ita tangit totam substantiam Dei, vt vel illam referat ad quædam connotata præ aliis, vel illam à quibusdam entibus, non item ab aliis discernat.

408 Communior tamen Theologorum sententia est per nullum intellectum intuitiuè videntem Deum posse præscindi ex parte obiecti adhuc de potentiâ absolutâ vnam formalitatem ab aliâ, aut vnam videri sine aliâ ex iis, quæ realiter sunt idem. Ita videtur sentire S.Th. 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 7. *ad* 2. & 3. expressiusque docuit 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *ad* 3. & 3. *part. q.* 3. *art.* 3. & tenent communiter Thomistæ, Caiet. 2. 2. *dicta quæst.* 2. *artic.* 8. Bañez 1. *part. dicta q.* 12. *art.* 7. *dub.* 2. Zumel *q.* 2. Molin. *art.* 8. *disput.* 4. Fasol. *art.* 2. *dubit.* 16. *num.* 65. Vasquez *disputat.* 48. *cap.* 2. Soar. *lib.* 2. *de attrib. capite* 22. & 23. Heriz. *disputatione* 50. *capite* 1. & 2. Tann. *disputatione* 2. *quæst.* 4. *dubit.* 1. Ruiz *disputatione* 12. *de Trinit. sec.* 6. & 7. Gaspar Hurt. *tit. de Incarnat. disputatione* 3. *diff.* 1. *numero* 6. Oviedo *contr.* 4. *Met. part.* 7. *num.* 7. Et apud eos alij plures.

Propositio 1.

409 Illæ perfectiones, seu formalitates diuinæ, quæ, cùm realiter sint idem, distinctione virtuali in ordine ad prædicata contradictoria non gaudent (vt sunt pleraque attributa communia, tum inter se, tum cum essentiâ comparata, iuxta doctrinam à nobis traditam *quæst.* 6.) nulla potentia, & à nullo intellectu tangente illas intuitiuè possunt obiectiuè præscindi; sine vnâ, vel plures, non visis reliquis, videri.

Hanc propositionem imprimis demonstrat mihi celebre illud argumentum, quod *supra quæst.* 9. *num.* 339. contra præcisiones obiectiuas à nostro etiam viatorum intellectu oriundas obiecimus pro sententiâ illas negantium. Hic namque suum integrum robur retinet, vbi agitur de cognitione intuitiuâ tangente obiectum præscindendum non in alienâ similitudine, hoc est, in phantasmate sensibili, vti nos modò tangimus; sed in se ipso, siue prout est in se. Etenim si sapientia Dei in se ipsâ, ignotâ Dei bonitate, cognosceretur, cùm sapientia in se ipsâ idem omnino sit, ac bonitas; fieret vtique, vt idem omnino cognosceretur, & simul non cognosceretur, quod manifestè est impossibile. Recole argumentum *loco citato* fusiùs expositum, & applica ad præsentem materiam, vnà cum impugnationibus solutionum exhibitarum ab aliquibus, si fortè eas huc etiam applicare tentauerint. Itaque argumentum dictum, vt bene viderunt, qui propter illud omnem præcisionem obiectiuam negarunt, manifestè conuincit eam esse impossibilem, si obiectum præscindendum in se ipso per cognitionem attingatur, vti ipsi, re parum examinatâ, supponunt tangi per cognitionem abstractiuam, & citra dubium per intuitiuam, de quâ modò tractamus, tangitur, cuiuscumque demum illa claritatis sit. Porro argumentum hoc contra Scotistas etiam pari efficaciâ militare, adhuc suppositâ distinctione formali ex naturâ rei, quam ipsi ponunt inter formalitates diuinas realiter identificatas, ex dictis à nobis contra eosdem *suprà quæst.* 5. constat. *Ibi* enim ostendimus per huiusmodi distinctionem formalem nihil euacuari de repugnantiâ prædicatorum contradictoriorum conuenientium formalitatibus eiusdem rei in sensu absolutè reali, qualia essent cognosci vnam, & aliam non cognosci intuitiuè.

Secundò monstratur propositio eo argumento, 410
quod euidens censuit. P. Vasquez, & quidem iure, præsertim si in eo sit sermo de cognitione intuitiuâ diuinarum perfectionum adeo perspicuâ, & clarâ, vt est de facto quæuis visio beatifica. Etenim per intuitionem tantæ claritatis non potest non repræsentari obiectum, sicuti est in se, ita vt eodem omnino modo se habeat prout est obiectiuè in mente illud intuentis, ac se habet prout est à parte rei in se, iuxta illud Ioan. epist. 1. cap. 3. *Quia videbimus eum sicuti est.* Ergo si in se est quid omnino simplex, & indiuisum, non potest non apparere omninò simplex, & indiuisum; & si quæuis eius perfectio reipsa est vnum quid, & idem cum reliquis, non possunt non omnes nullâ demptâ apparere vt vnum quid prorsus & idem. Quod & non posse vnam ab aliis obiectiuè præscindi. Id, quod non minus efficaciter, aut etiam euidenter ostendit mihi argumentum factum de quacumque demum in eo cognitione intuitiuâ, siue per propriam speciem habita sermo sit, seu clarâ, seu obscurâ. Quoniam hoc ipso, quod per eiusmodi cognitionem tangitur obiectum in se, nequit non esse illud apud cognoscentem obiectiuè idem ipsum, quod realiter est in se; alioquin si in mente cognoscentis aliud esset ab eo, quod est re verâ in se, iam non illud in se, sed aliud quid loco eius per cognitionem tangeretur, contrà suppositionem. Igitur si in se est vnum quid, & indiuisum, non potest non tale quoque esse in mente cognoscentis, & si quæuis eius perfectio reipsa est vnum quid, & idem cum reliquis, nequeunt non omnes nullâ demptâ apparere vt vnum quid prorsus & idem. Quod iterum est per cognitionem prædictam nullatenus posse vnum ab alia obiectiuè præscindi. De quo iterum erit sermo *quæst.* 12.

Obiicit tamen primò Gran. contra propositio- 411
nem *disput.* 5. *citata*, & ex illo Alarcon *supra*. Visus percipit colorem vt est in se, non percipiendo rationem communem qualitatis, neque intuendo relationes aliquas, quas color sectum habet indentificatas: Ergo nihil vetat per cognitionem intuitiuam, qualis visio corporea est, vnam formalitatem ab aliâ eiusdem rei obiectiuè præscindi. Respondeo, vt alias sæpe, per visum (& idem est de aliis sensibus) totum, quod realiter est obiectum sensibile eodem omninò modo tangi, neque vllam fieri ex parte obiecti præcisionem; atque ita per visum eodem prorsus modo percipi prædicatum qualitatis, & relationis, ac prædicatum coloris; licet non sub conceptibus respondentibus his nominibus, qui sunt intellectuales, & per species alienas formati. Quod si per visionem externam sæpe excitatur intellectus ad iudicandum de obiecto viso vnum prædicatum præ aliis; id sanè non euenit, quia visus inter ea prædicata discernat, aut vnum præ aliis aliquo diuerso modo percipiat. Sed quia intellectus aliunde motus per visionem externam, vtendóque speciebus alienis vnum rei visæ prædicatum præ aliis deprehendere potest, aut immediatè, aut per discursum; quod proinde vtpote conceptum iam per speciem alienam à reliquis obiectiuè præscindit; quin ex vi propriæ speciei luctatæ per visionem quidpiam in obiecto viso præscindere valeat. Recognosce doctrinam traditam *suprà disp.* 2. *q.* 3. *à num.* 104. *& in præsenti disp. à. num.* 309.

Secundò obiicit Gran. Angelus intuetur intel- 412
lectum suum, & tamen cognoscit potentiam obedientialem ad actus supernaturales identificatam cum

cum illo: ergo præscindit obiectiuè per intuitionem. Nego non cognoscere Angelum potentiam obedientialem sui intellectus, quoad intrinsecum prædicatum cum ipso intellectu identificatum, quâ ratione, quid naturale est ab Angelo naturaliter cognoscibile, sicut ipse intellectus; cum quo nihilominus stat posse Angelum ignorare, an suus intellectus potentiam obedientialem habeat ad prædictos actus, defectu notitiæ connotati extrinseci complentis eam potentiam obedientialem in esse talis, cuiusmodi est possibilitas talium actuum. De quo plura *suo loco* Quomodo autem videns intuitiuè quidquid realiter est Deus, vti de facto secundum certam Theologiam vident omnes beati, non cognoscat nihilominus ex vi talis visionis omnia decreta libera Dei. Neque omnes creaturas possibiles in particulari *in Tract. de visione Dei* exponetur.

413 Ex dictis infertur primò perfectiones diuinas, de quibus sermo est in propositione, per cognitionem sui intuitiuam non solùm impræscindibiles esse obiectiuè præcisione, quam negatiuam dicunt, ita vt vna, non visis reliquis, videatur; sed etiam præcisione, quam positiuam appellant, ita vt duæ, vel plures præcisæ inter se, atque distinctæ ex parte obiecti simul appareant, vtraque enim præcisio æquè illis repugnat. Hoc enim ipso, quòd bonitas Dei per visionem nequit repræsentari, non repræsentatâ eodem conceptu sapientiâ, impossibile est, quòd bonitas, & sapientia non sint vnus, & idem obiectiuus conceptus in mente videntis, & consequenter prorsus repugnat, quòd illi repræsententur vt duæ formalitates diuersæ, quarum altera obiectiuè sit bonitas, & non sapinntia, altera sapientia, & non bonitas, prout ad præcisionem requiritur. Vtrum enim integer Deus per intuitiuam cognitionem possit obiectiuè multiplicari, diuersam habet difficultatem *inferius* tangendam.

414 Secundò infero contra Gran. & Alarc. *suprà* inconsequenter negare eos possibilem præcisionem positiuam inter perfectiones diuinas, atque adeo distinctionem rationis oriundam à visione intuitiuâ, dum præcisionem negatiuam earum possibilem esse defendunt. Quoniam si bonitas Dei sine sapientiâ videri potest, & è conuerso, vti ipsi opinantur; non potest non bonitas visa sine sapientiâ esse conceptus obiectiuus diuersus à sapientiâ visâ sine bonitate, vt constat. Ponamus ergo, quòd perseuerante visione de solâ bonitate, accedat altera visio de solâ sapientiâ, in quo necunde potest excogitari repugnantia. Tum quidem impossibile erit, vt ex vi ambarum visionum non appareant sapientia, & bonitas, vt duo quædam inter se præcisa, atque distincta positiuè, quia non possunt non apparere vt conceptus obiectiuè diuersi, vti seorsim visæ apparebant; repugnat autem, vt idem à se ipso diuersum appareat, vt est notum. Liquet ergo vbicumque præcisio negatiua aut impossibilis, aut possibilis est, ibidem præcisionem positiuam impossibilem etiam, aut possibilem necessariò asserendam esse. Quod etiam vice versâ est verum, nisi fortasse relatio aliqua interueniens obstet, ne ex extremis positiuè præcisis alteruttum, ignoto altero, possit cognosci.

415 Sed dicet aliquis pro Gran. & Alarc. Bene intelligitur cognosci vnam formalitatem sine aliâ, quin cognoscatur distincta ab illa adhuc inadæquatâ distinctione, prout opus erat vt ambæ seorsim per duas cognitiones cognitæ inuicem distinctæ apparerent. Ergo benè intelligitur esse possibilem præcisionem negatiuam vnius formalitatis ab aliâ, quin sit possibilis inter vtramque præcisio positiua. Nego antecedens, quia cognosci bonitatem sine sapientiâ, hoc ipsum est cognosci bonitatem distinctam distinctione inadæquatâ à sapientiâ, quia hoc ipsum est bonitatem apparere aliud à sapientiâ, siue bonitatem in mente eam concipientis non esse sapientiam, in quo stat inadæquata distinctio ipsius à sapientiâ. Aliàs, si bonitas non appareret cognoscenti aliud à sapientia, sed (sicuti re ipsâ est) ita quoque in illius mente obiectiuè esset sapientia, non sine sapientiâ, sed simul cum illa, & tanquam vnum quid cum illa cognosceretur contra suppositionem. Ratio à priori; quia sicut à parte rei nequit esse vnum sine alio, quin sit à parte rei distinctum ab illo; ita neque obiectiuè in mente potest esse vnum sine alio, quin sit obiectiuè in mente distinctum ab illo. Ex quo patet cognosci vnum sine alio, & cognosci distinctum ab illo distinctione inadæquatâ (quæ ipsissimum vnicè est extremum distinctum) in idem omninò recidere.

Tertiò infero ex dictis, formalitates item cuiusuis 416
creaturæ realiter identificatas impræscindibiles esse obiectiuè per cognitionem intuitiuam siue increatam, siue creatam; quia ex vnâ parte huiusmodi formalitates è genere earum sunt, quæ distinctione virtuali in ordine ad prædicata contradictoria nullatenus gaudent, vt ex doctrinâ traditâ *supra q. 6.* constat. Ex alia verò eadem argumenta, quæ probant formalitates diuinas tali distinctione carentes, à nullo intellectu vidente eas intuitiuè posse ex parte obiecti præscindi, eadem prorsus vi, & efficacia conuincunt idipsum de formalitatibus creatis; cùm probent vniuersè neutiquam posse videri vnam formalitatem, non visâ aliâ realiter identificatâ cum illa, cuiuscunq; demum entis tales formalitates sint.

Quartò infero, per nullam omnino cognitionem 417
(siue ea clara sit, siue obscura) habitam per speciem propriam obiecti, illudque immediatè, & in ipsomet attingentem posse vllo modo præscindi obiectiuè vnam formalitatem talis obiecti ab aliâ (loquor etiam nunc de formalitatibus virtualiter inter se non distinctis) sed necessariò quidquid realiter est tale obiectum, eodè prorsus modo debere attingi per huiusmodi cognitionè: Quoniam id ita vniuerse probant argumenta facta *n.* 409. & 410. vt *ibi* etiam dicebamus.

Inferes. Ergo non est possibilis cognitio 418
quiditatiua per propriam speciem habita, & præscindens ab existentia obiecti, quam nos sæpe aliàs possibilem esse posuimus, atque in hoc opere ponemus. Nego consequentiam, quia eiusmodi cognitio non dicitur ab existentia obiecti præscindere, quòd aliquam eius formalitatem ab aliâ præscindat obiectiuè, sed, quòd de toto ipso obiecto, aut intra statum quiditatiuum, seu obiectiuum, aut intra statum conditionatum, vbi de existentia eius absolutâ non agitur, iudicium fert. De quo plura dicenda sunt *in Tract. de scient. Dei.*

Propositio 2.

De facto nullus intellectus beatus siue diuinus, 419
siue creatus præscindit ex parte obiecti vllo modo adhuc eas formalitates Dei, quæ in ordine ad prædicata contradictoria distinctione virtuali potiuntur, vt sunt relatio, & essentia, intellectio, & volitio, & si quæ aliæ.

Hæc propositio est contra Arriag. & alios Recentiores ei subscribentes. Probatur autem primò: quia in Concilio Florentino sess. vlt. in litteris vnionis definitum est, *Animas, quibus nihil purgandum*

gandum supereſt ; intueri clarè Deum Trinum , & vnum , ſicuti *eſt*. Iuxta illud Ioanis epiſt. 1. capite 3. *Cùm apparuerit , ſimiles ei erimus quia videbimus eum ſicuti eſt.* De Deo autem ipſo certo certius eſt videre ſe, imò, & penitus comprehendere, vti re ipsâ eſt. Igitur integrum Trinitatis myſterium, & Deus ipſe totus eodem omninò modo ſe habet prout eſt obiectiuè in quouis intellectu beato mediâ beatificâ viſione, atque prout eſt realiter in ſe ſe. Igitur diuina eſſentia , & quæuis perſonalis relatio eodem prorſus modo ſunt obiectiuè in mente beati , ac ſunt realiter in ſe ; ſed in ſe vna ab altera nullo modo eſt præciſa : Ergo in mente beati nullo modo eſt vna ab altera præcisâ obiectiuè.

420 Secundò. Per viſionem beatificam aut Dei , aut creaturæ non præſcinditur obiectiuè relatio ab eſſentiâ præciſione , quam negatiuam vocant , ita vt relatio videatur non visâ eſſentia , vel è contra , vti fatentur omnes, & citrà errorem in fide negari nequit : ſed nec præciſione poſitiuâ, ita vt relatio , & eſſentia obiectiuè repræſententur vt duo inter ſe diſtincta formaliter, quia iam non ſicuti ſunt in ſe apparerent , ſeu viderentur contra dogmata ſtabilita , quandoquidem in ſe non ſunt duo diſtincta formaliter , vt fides docet. Ergo nullomodo præſcinduntur , quia aliud genus præciſionis obiectiuæ non eſt.

421 Tertiò. Omnis cognitio præciſiua formalitatum quæ realiter non ſunt præciſæ , non poteſt non eſſe imperfecta , quacumque demum ratione excogitetur præciſio : quia nequit non repræſentare obiectum, ita , vt appareat cognoſcenti aliter , quàm re ipsâ eſt : cum nequeat non repræſentare præciſum id, quod re verâ non eſt præciſum;hoc enim ipſum eſt cognitionem eſſe præciſiuam:ſed viſio beatifica diuina nullo modo poteſt eſſe imperfecta ; creata verò etiam eſt immunis de facto ab imperfectione repræſentandi ſuum obiectum aliter, quàm re ipsâ eſt,vt conſtat ex dictis.Ergo nulla viſio beatifica eſt vllo modo præciſiua.

422 Dices cum Arriag. *ſuprà*. Hoc ipſo , quòd intellectus diuinus (& idem eſt de quouis alio beato) iudicat Paternitatem diſtingui à Filiatione , à quâ non diſtinguitur eſſentia,non poſſe non eum apprehendere Paternitatem diuerſo modo ac apprehendit eſſentiam (alias de eſſentiâ pariter iudicaret diſtingui à Filiatione, quod eſt impoſſibile) & conſequenter non poſſe non eum obiectiuè tali apprehenſione præſcindere. Hanc tamen imperfectam non eſſe, quia licet ſolam Paternitatem tangat directè, prout neceſſarium eſt, & ſufficiens ad verificationem dicti iudicij,eſſentiam etiam, & reſiduum totius Trinitatis tangit obliquè , inſuperque realiter identificatur cum notitiâ , quæ in recto concipit eſſentiam , & totam Trinitatem , nec amplius, quàm per rationem noſtram ab illâ diſtinguitur.

423 Sed contra primò ; quia impoſſibile eſt vt vnum concipiatur in recto,& aliud in obliquo, niſi appareat vnum,& aliud in mente concipientis, quia ſine comparatione aliquâ recti ad obliquum nullatenus poteſt vnum in recto, & aliud in obliquo cognoſci; Comparatio autem non ſtat ſine extremis diſtinctis : Ergo non poteſt ab intellectu diuino apprehendi Paternitas in recto , & eſſentia in obliquo; quin ipſi repræſententur vt duæ formalitates obiectiuè inter ſe diſtinctæ , ſiue præciſæ eſſentia, & Paternitas. Quod tamen repugnat , quia vt ſic conciperentur a Deo aliter,quàm in ſe ſunt,atque adeo imperfectè.

Contra ſecundò , quia cognitio Dei conſiderata 424
præcisè ; & formaliter in quantum tangens directè ſolam Paternitatem,aliunde etiam eſſet imperfecta, quia ſcilicet eo modo tangendi directo diſtinctam, ſiue præciſam negatiuè ab eſſentiâ repræſentaret Paternitatem , atque adeo aliter , quàm re ipsâ eſt. In Deo autem nulla formalitas cognitionis eſt admittenda , quæ intrinſecè ferat ſecum imbibitam imperfectionem.

Contra tertiò : quia vt Deus iudicet Paternita- 425
tem à Filiatione diſtingui nullâ eget apprehenſione ſimplici directâ ſolius Paternitatis, non enim iudicat comparando prædicatum ad ſubiectũ, vti nos, ſed intuendo, ſuâque intuitione penetrando, quidquid vnumquodque eſt in ſe.Ergo malè aſſeritur intellectum diuinum eiuſmodi apprehenſione præſcindere Paternitatem ab eſſentiâ. Patet conſequentia; tũ quia talis apprehenſio inutiliter, & cõſequenter tum falsò tribuitur intellectui diuino,ſi ad iudicandũ de Trinitate neceſſaria non eſt. Tum quia ſublatâ eius neceſſitate ad id muneris , nullo prætextu dici poteſt Paternitas diſtingui ab eſſentiâ virtualiter in ordine ad talem apprehenſionem, ſine diſtinctione autem virtuali relatâ ad illam,non poſſe Paternitatem ab eſſentiâ per illam vllo modo præſcindi,ipſius Arriagæ doctrina eſt. Quo eodem argumento probatur a nullo alio intellectu beato præſcindi per apprehenſionem Paternitatem ab eſſentiâ.

Et quidem ſi intellectus beatus,ſicut noſter, com- 426
paratiuè iudicaret de Trinitate , quemadmodum Arriaga ſupponit ; attribuendo ſcilicet vnum conceptum obiectiuum, vt prædicatum alteri in recto apprehenſo tanquam ſubiecto, eodem modo, atque nos, deberet apprehenſione præſcindere Paternitatem ab eſſentiâ, vt aliquid de ſolâ Paternitate,quod non de eſſentiâ itidem affirmaret, concipiendo videlicet Paternitatem in recto per diſtinctam apprehenſionem , ac conciperet in recto eſſentiam. Quia cùm apprehenſio, quæ iudicio comparatiuo ſupponitur, non poſſit ſecundum vnam ſui formalitatem, & non ſecundum omnes realiter identificatas illi ſupponi , vt conſtat , neceſſariò ſubiicit prædicato id totum , quod ſecundum totam ſuam realitatem attingit in recto, nec fieri ſubinde poteſt,vt per iudicium parti dumtaxat , & non toti ſubiecto tali apprehenſione in recto apprehenſo attribuatur prædicatum. Cùm ergo beatus , iuxta Theologiam Arriagæ non pluribus, ſed vnâ dumtaxat apprehenſione indiſtinctâ etiam à viſione beatificâ totam Trinitatẽ, atque adeo eſſentiam etiam,& Paternitatem apprehendat in recto ; nequibit vtique per iudicium aliquid Paternitati tribuere, quod non eodem modo attribuat eſſentiæ. Quo manet integra difficultas, quam Arriaga ipſe vitare molitur, dum in eâ vnicâ apprehenſione reali diuerſas formalitates ſuâ conſideratione diſtinguit , alteram tangentem in recto Paternitatem, & in obliquo eſſentiam ; alteram vice versâ , &c. Ex quibus omnibus concluditur longè abeſſe ab intellectu Dei , & beatorum eam apprehenſionem præciſiuam , quam eis adſcribit Arriaga.

Adhuc tamen contra noſtram propoſitionem 427
obiiciendum ſupereſt ex Arriaga ip o , & aliis, ſaltem per iudicium , cuiuſuis illud generis ſit , non poſſe non Deum , & Beatos , dum clarè intuentur Trinitatem, affirmatione præſcindere ex parte obiecti vnam formalitatem ab aliâ realiter identificatâ cum illâ. Quia non poſſunt non affirmare de vnâ, quod non affirmant , imo negant de aliâ, quod ipſum eſt affirmatione præſcindere vnam ab aliâ ex

parte

parte obiecti. e. g. de Paternitate affirmant esse relatam ad Filiationem, & ei oppositam, quod non affirmant, imò negant de Essentiâ : de Filiatione affirmant esse quid productum, de Essentia verò id ipsum non affirmant, sed negant. De Essentiâ affirmant esse communem tribus Personis, quod tamen de singulis Personalitatibus negant, & cætera huiusmodi. Et confirmari potest primò, quia impossibile est vt idem intellectus quicumque ille sit, simul affirmet, & neget idem de eodem omnino conceptu obiectiuo, præsertim iudicio eximiè euidenti, quale est iudicium Beatorum. Igitur dum Beati ipsi aliquid affirmant de Essentiâ, & simul idem ipsum negant de Personalitatibus, aut è conuerso, non possunt non Essentia, & Personalitates respectu intellectus eorum esse conceptus obiectiui diuersi, quod est Essentiam, & Personalitates per intellectum Beatorum præscindi obiectiuè. Confirmatur secundò, quia vniò hypostatica verè præscindit suâ terminatione Personalitatem Verbi ab Essentiâ, quandoquidem ad solam Personalitatem; non verò ad Essentiam terminatur immediatè, vt fides docet. Ergo intellectus beatus, qui affirmat Personalitatem Verbi, & non Essentiam talem vnionem terminare immediatè non potest non suâ affirmatione Essentiam à Personalitate præscindere. Confirmatur tertiò. Quoniam eo ipso, quòd Personalitas, & Essentia sunt virtualiter distinctæ in ordine ad prædicata contradictoria, quæ illis sine repugnantiâ conueniunt, nequeunt non esse etiam distinctæ virtualiter in ordine ad affirmationem, & negationem cuiuscumque intellectus ipsis eiusmodi prædicata cum veritate attribuentis. Confirmatur quartò; quia intellectus Viatorum nequaquam potest nisi præscindendo obiectiuè iudicare veritates, quæ circa mysterium Trinitatis ex fide credere tenetur, vt fusè à nobis demonstratum est *suprà q. 9. prop. 1.* Ergo cùm veritates sint eædem respectu intellectus Beatorum, neque ista poterit de illis sine præcisione obiectiua diiudicare.

418 Respondeo tamen ne affirmatione quidem præscindere intellectum Dei, aut Beatorum, dum Trinitatem intuetur, vnam formalitatem ab alia identificata cum illa; quia per visionem beatam, siue diuinam, siue creatam simul & indiuisim affirmatur quidquid Deus trinus, & vnus reipsâ est : omnes enim veritates, quas nos de Deo diuisim, & per diuersa iudicia affirmamus, quia id fert secum noster iudicandi modus pro hoc statu, intellectus beatus tum diuinus, tum etiam creatus vnico simplicissimo intuitu penetrat, & affirmat; atque ita licet affirmet de Personalitatibus aliquid, quod non affirmat de Essentiâ, & vice versâ (quia re vera aliquid conuenit Personalitatibus, quod non Essentiæ, & è contrario, tametsi re vera sint idem ob distinctionem virtualem, quâ gaudent, in quo mysterij profunditas posita est) nequaquam præscindit obiectiuè Personalitates ab Essentia, vel è conuerso, quia non ita affirmat aliquid de Personalitatibus, quod non de Essentia, vel è contrà; vt actus affirmationis terminetur ad Personalitates, & non ad Essentiam, vel è contrà, prout requirebatur ad præcisionem, sed ita vt actus affirmationis indiuisim terminetur ad totum Deum Trinum, & vnum, quasi vno ictu penetrans, & affirmans quidquid singulis formalitatibus eius seu distinctis, seu non distinctis virtualiter re ipsâ conuenit, quod longè abest à præcisione. Vnde, quod Aduersarios fefellit, & in argumento supponitur, nempe affirmare aliquid de vna formalitate, & non de alia identificata cum illa, id ipsum esse affirmatione præscindere vnam ab alia solerter distinguendum est. Affirmare aliquid de vna formalitate, & non de alia identificata cum illa ex defectu terminationis affirmationis ad vtramque est præscindere vnam ab aliâ, concedendum : ex defectu veritatis repertæ in vnâ, & non in aliâ, negandum. Et hoc est, quod in proposito euenit, & in mysterio, de quo agimus, singularissimum est, conuenire scilicet vni formalitati re ipsâ obiectiuam aliquam veritatem, quæ non conuenit alteri identificatæ cum illâ, ob distinctionem virtualem, quam habent : atque ita posse ab intellectu vidente illas intuitiuè, vti re ipsâ sunt, affirmare eam veritatem de vna, & non de alia, citra omnem omnino præcisionem ex parte obiecti. Hinc.

Ad primam confirmationem concedo nullum in- 429
tellectum posse simul affirmare, & negare idem de eodem conceptu obiectiuo; nego tamen inde sequi debere intellectum videntis Deum obiectiuè præscindere : quia videns Deum nihil negat de Personalitate, quod affirmat de Essentia, aut contrà. Sed quidquid Deus est re ipsâ vnico iudicio affirmatiuo iudicat, cum omne quod Deus est, positiua veritas sit. Nos verò, qui per iudicium affirmatiuo æquiualens de Personalitate negamus, quod affirmamus de Essentia, aut contrà, iam eas præscindimus obiectiuè, vt *q. 9. propos. 1.* statutum est.

Ad secundam confirmationem concedo vnionem 430
hypostaticam quodammodo dici posse, etsi minus propriè, præscindere suâ terminatione Personalitatem Verbi ab Essentia, quatenus Personalitatem solam, non verò Essentiam attingit immediatè. Nego tamen hinc sequi, quod Beatus videns intuitiuè hoc mysterium simile præcisionem efficiat per suam visionem, ea enim necessaria non est, nam penetratâ intuitiuè, adhæsiuéque per visionem ex vnâ parte totâ substantiâ vnionis, ex aliâ totâ substantia Dei, cognitum manet, & iudicatum citra obiectiuam præcisionem Personalitatis Verbi ab Essentia quidquid in isto mysterio cognoscibile, & iudicabile est.

Ad tertiam confirmationem nego Personalitatem, 431
& Essentiam diuinam eo ipso, quòd distinguuntur virtualiter in ordine ad prædicata contradictoria, debere quoque distingui virtualiter in ordine ad affirmationem, & negationem talium prædicatorum, vt titulo talis distinctionis valeat per talem affirmationem, aut negationem præscindi obiectiuè Personalitas ab essentia, aut è contrà. Cum enim eiusmodi prædicatorum affirmatio, & negatio, quando est intuitiua, citrà omnem obiectiuam præcisionē Personalitatis, & Essentiæ possint constare, vt constat ex dictis, impertinenter in ordine ad illas talis distinctio virtualis admitteretur; imò, vt ex dicendis posteà constabit, impossibilis est.

Pro solutione quartæ confirmationis, explicatio- 432
neque luculentiore doctrinæ traditæ prænoto. Multifariàm iudicium intuitiuum, & nostrum discriminari. Primò enim differunt quatenus videntes intuitiuè non iudicant, sicut nos, attribuendo prædicatum subiecto, sed penetrando adhæsiuè suâ intuitione quidquid veritatis est in obiecto viso. Secundò differunt, quòd nostrum iudicium attingit suum obiectum aliter, quàm est in se, ac proinde semper sub quadam confusione, & velamine : intuitiuum verò, de quo modò loquimur, suum, vt est in se clarè, & perspicuè. Tertiò differunt, quòd iudicium nostrum obiecta alias simplicissima necessariò præscindit in subiectum, & prædicatum; intuitiuum verò quidquid vnumquodque est reipsâ indiuisim penetrat vnico obtutu. Quartò, quòd obiectum proprium iudicij nostri necessariò

concipi debet per modum actus significabilis per verbum, qui sit quasi exercitium alicuius subiecti circa aliquem terminum. Qui quidem actus potissimum est prædicatum, quod tali subiecto per iudicium aut attribuitur, aut detrahitur, vt pluribus explicatum est *suprà disp. 2. q. 4.* Iudicium verò intuitiuum pro obiecto habet vnumquodque iudicabile, prout iacet, siue prout est in se. Vnde iudicium nostrum duas vt minimum apprehensiones simplices fert necessariò secum annexas, alteram subiecti, alteram termini illius, actus, qui ipsius iudicij proprium obiectum est; intuitiuum verò hisce non eget apprehensionibus.

433 Ex his quintum, & magis ad rem nostram discrimen sequitur. Quòd nos nullatenus possumus iudicare, nisi attribuendo actum verbo correspondentem integro conceptui obiectiuo apprehenso ex parte subiecti ex æquo, & directè. Parti enim attribuere, vel detrahere, & parti non item, nobis impossibile est, quando omnes partes per eamdem apprehensionem, eodemque modo supponuntur iudicio, vt cum dicimus: *omnis homo currit*, necessariò attribuimus actum currendi omnibus hominibus, nec possumus aliquibus, & non aliis attribuere, nisi mutando eam apprehensionem, quæ omnes ex æquo, & directè supponit iudicio ex parte subiecti. Similiter dum actum verbo correspondentem iudicãdo comparamus ad suum terminum ad totum conceptum obiectiuum apprehensum ex parte termini ex necessitate comparamus, vt cùm dicimus. *Deus cognoscit omnem hominem*, cuius ratio præter apertam experientiam ex naturâ huiusmodi apprehensionum iudicio nostro subseruientium sumenda est; ab eâ enim nascitur, vt nequeant modò penes totum suum obiectum, modò penes partem dumtaxat ei subseruire, sed immobiliter penes totum necessariò subseruiant. Id, quod ipsa nomina talibus apprehensionibus correspondentia satis, superque manifestant. Nam, vt non possumus sub nomine totius, eius semper significatione retẽtâ, aliquid de solâ parte enunciare, ita sub apprehensione totius, eius semper repræsentatione retentâ, aliquid de solâ parte iudicare non possumus. e.g. vt est impossibile, quòd accepto semper hoc nomine *homo* pro integro composito ex materiâ, & animâ, hæc vnquam enunciatio sit vera, *homo est spiritus*, qualis esset quidem sæpissimè, si sub nomine totius aliquid de solâ parte contentâ in toto possemus enunciare, quandoquidem anima contenta in homine verè spiritus est. Ita etiam est impossibile, quòd sub apprehensione de integro composito ex materiâ, & animâ huic nomini *homo* in mente nostrâ correspondente aliquid vnquam de solâ materiâ, aut de solâ animâ iudicemus. Requiritur enim ad vtrumque præstandum, quòd solam materiam, vel animam seorsim apprehendamus, & nominemus. Ea est natura nostri modi cognoscendi pro hoc statu, à quâ longè abest modus cognoscendi Intuentium: Ipsi enim eiusmodi apprehensionum genere non indigent ad iudicandam, vt constat ex dictis. Quando autẽ ad iudicandum aliquam relationem seu positiuam, seu negatiuam cognitione indigent termini, eo quòd relatio sine termino à nullo intellectu cognosci potest, non est necesse, quod partem tantùm termini concipiant, quando relatio ad partem solùm, & non ad totum terminatur: quia viso toto, & visâ relatione, vti iacent à parte rei, penitissimè iudicant talem relationem ad solam partem eius totius terminari naturâ suâ: sicut enim non obstat, quod totum integrum simul um relatione existat à parte rei, quominus relatio ad solam partem eius terminetur re ipsâ, ita nec potest obstare, quod totum integrum simul cum relatione existat obiectiuè in mente intuentis, quominus relatio ad solam partem repræsentetur terminata; quandoquidem in mente intuentis eodem modo se res habent, ac sunt à parte rei. Recognoscatur doctrina *suprà* statuta *disputatione 9. quæst. 5. proposit. 6.*

Quæ cùm ita sint, liquidò iam apparet, cur intel- 434
lectus noster pro hoc statu nequaquam credere, nedum intelligere potest absque obiectiuis præcisionibus veritates fidei ad mysterium Trinitatis spectantes. Cùm tamen intellectus Dei, & Beatorũ absque vllâ prorsus præcisione obiectiuâ easdem intuitiuo iudicio clarissimè intelligat, ac diiudicet. Etenim intellectus beatus vnico simplicissimo obtutu iudicat quidquid Deus est, ad quod non est necessaria præcisio obiectiua: quia integra substantia diuina eodem omnino modo est obiectiuè in intellectu Beati, atque realiter in se. In se autẽ Personalitas ab Essentiâ realiter non est præcisa. Quare substantia Dei integrè conceptâ, scire etiam clarissimè potest Beatus vnionem hypostaticam ad solam Personalitatẽ Verbi diuini terminari immediatè, quin inter talem Personalitatem, & Essentiam ipse præscindat, iuxta doctrinam *nuper* traditam. At verò intellectus noster cùm nequeat aliquid per suum abstractiuum, comparatiuumque iudicium parti totius attribuere, nisi apprehensâ ipsâ seorsim, vt paulò antè etiam ostensum est, nequit consequenter de solâ Personalitate, aut de solâ Essentiâ iudicare ea prædicata siue intrinseca, siue extrinseca, quæ illis seorsim, & in solidum ob suam, quam habent, distinctionem virtualem conueniunt, nisi apprehendendo seorsim Personalitatem, aut Essentiam, atque adeò vnam ab alterâ præscindendo obiectiuè. Ex quibus patet ad quartam facti argumenti confirmationem, & ad totam difficultatem.

Propositio 3.

Neque de potentiâ absolutâ sunt vllomodò præ- 435
cindibiles obiectiuè per visionem intuitiuam æquè claram, ac est visio beatifica, illæ formalitates diuinæ, quæ in ordine ad prædicata contradictoria distinctione virtuali potiuntur.

Hæc propositio duplici viâ probari potest. Prima est: quia supposito, quod dictæ formalitates absque vllâ sui præcisione obiectiuâ possunt intuitiuè videri, de factoque à Deo, & à Beatis videntur, vt *prop. 2.* monstratum est. Etsi illæ in ordine ad alia prædicata contradictoria distinctæ virtualiter sint, in ordine tamen ad hoc vt possint obiectiuè per visionem intuitiuam præscindi, visâ vnâ, & non aliâ, aut tactâ vnâ per visionem aliquo modo, quo non alia, neutiquam dicendæ sunt distingui virtualiter: quandoquidem, secundum doctrinam traditam *suprà, quæst. 6.* ex vna parte bene possunt virtualiter esse distinctæ in ordine ad suscipienda alia prædicata contradictoria, quin sint in ordine ad hæc, *tangi, & non tangi per visionem*: ex alia verò ne in Deo quidem est admittenda virtualis distinctio nisi in ordine ad ea contradictoria, quæ suppositâ fide, negari nequeunt, qualia hæc non sunt, semel autem sublatâ à formalitatibus diuinis virtuali distinctione in ordine ad visionem præcisiuam earum, non potest hæc non esse impossibilis, vt argumenta facta pro prima propositione conuincunt.

Secunda via est: quia licet beneficio distinctio- 436
nis virtualis benè cohæreant cum formalitatibus diuinis

diuinis realiter identificatis alia prædicata ex genere suo contradictoria, quæ per fidem constat eis conuenire. Quod tamen vna, & non alia per visionem, de quâ agimus, attingatur, adeò absolutè videtur impossibile esse, vt ne per virtualem quidem distinctionem videatur id vllo modo componi posse, quantumuis ea ad id muneris tentaretur admitti. Ratio autem est; quia visio intuitiua æquè clara,ac beatifica, non potest non ita perfectè suum obiectum repræsentare,vt illud eodem omnino modo appareat videnti ac est in se; eodemque subinde modo se habeat obiectiuè in mente videntis, ac se habet à parte rei: ergo impossibile est, quòd per visionem huius generis aliqua formalitas diuina aliter appareat videnti, quàm à parte rei est in se: sed si appareret quouis modo præcisa ab aliâ, cum quâ re ipsâ est prorsus idem,aliter,quàm in se est,appareret, alitérque se haberet in mente videntis,quàm se habet à parte rei: ergo absolutè, omnimodisque est impossibile, vt per visionem talis generis vna formalitas diuina aliquo modo ex parte obiecti præscindatur ab aliâ.

437 Loquutus sunt in propositione de visione æquè clarâ,ac beatifica. Tum quia istius generis est visio intuitiua, de quâ Theologi tractant in præsenti quæstione. Tum quia doctrina circa illam data luculentiùs in illâ cernitur, quàm in visione intuitiuâ magis obscura, tametsi ego vniuersaliter censeam eam esse extendendam ad omnem cognitionem intuitiuam, seu per propriam speciem habitam, iuxta dicenda *propos.* 4.

438 Obiicitur tamen contra nostram propositionem primò ex Scoto, & suis. Pater æternus est beatus prius origine, quàm generet Filium non per visionem Filij,& Spiritus sancti, qui nondum sunt in eo signo: ergo per visionem solius essentiæ,aut etiam, si placet, attributorum, & Personalitatis paternæ. Ergo benè intelligitur visio intuitiua clarissima, atque perfectissima essentiæ diuinæ præscindens eam à personalitatibus; atquè adeò potiori iure similis creata visio possibilis erit. Confirmatur:quia de sententiâ non solùm Scoti, sed aliorum, Verbum diuinum non procedit ex cognitione totius Trinitatis, sed vel solius Essentiæ, vt volunt Scotistæ, vel solius Patris, vt volunt alij, vel Patris, & ipsius Verbi,vt Vasquez opinatur cum aliis. Ergo cognitio, ex quâ Verbum procedit, præcisiua est ex suo conceptu diuinarum formalitatum.Respondeo ad argumentum Patrem æternum esse quidem beatum priùs origine, quàm generet Filium; non tamen visione ad solam Essentiam, aut ad se solùm terminatâ, sed visione terminatâ indiuisim ad totam Trinitatem: quia quamuis in signo antecedente ad Verbi generationem nondum sit Verbum, nec Spiritus S. videntur tamè nihilominus in suis signis posterioribus existêtes per visionem existentem in illo priori. Ad confirmationem nego Verbum non procedere ex cognitione totius Trinitatis cum plerisque Theologis. Quorum sententiam eo potissimum nomine censeo verissimam, quod intuitio clara, & perfecta ex parte obiecti præcisiua impossibilis est, vt ostendimus in præsenti; cognitio autem ex quâ Verbum procedit non solùm physicè sumpta, sed formaliter in quantum est cognitio ad Verbi processionè conducens,necessariò est asserenda infinitè clara,& perfecta.De quibus suo loco plura *in tract.de Trinitate.*

439 Secundò obiicitur ex eisdem. Essentia diuina nequit non esse obiectum primarium comparationè Relationum, quæ veluti proprietates sunt oriundæ ab Essentiâ,atque adeo ipsâ posteriores;sed quoduis obiectum primarium sine secundario potest cognosci:igitur Essentiâ diuina sine Attributis, & Relationibus,siue eis non visis,potest intuitiuè videri.Confirmatur. Essentia distinguitur à Relationibus formaliter ex naturâ rei:ergo nihil vetat,quod eis non visis videatur.Distinguo maiorem argumenti.Essentia diuina est obiectum primarium specificatiuè in quantum Essentia, transeat; reduplicatiuè in quantum obiectum visionis, nego.Deinde minorem.Sed obiectum primarium sine secundario potest cognosci,quando est primarium reduplicatiuè in quantum obiectum eius cognitionis, quâ est cognoscendum, transeat:quando tantùm specificatiuè est primarium nego; & nego consequentiam. Est dicere, tametsi Essentia Dei secundum se sit prior Relationibus aut per rationem nostram, aut etiam ex naturâ rei, de quo modo non curo: at hoc ipso, quod realiter est idem cum illis non est prius,quam illæ cognoscibilis per claram visionem, quia nulla est possibilis visio clara,per quam necessariò non debeat cognosci indiuisim,quidquid realiter est Deus,quod est Essentiam reduplicatiuè in quantum obiectum visionis non esse quid primarium respectu Relationum. Ad confirmationē imprimis nego antecedens,iuxta doctrinam statutam *suprà q.3.* contra distinctionem Scoticam.Deinde, eâ distinctione cum antecedente gratis admissâ,nego consequentiam: quia adhuc admissâ est impossibile,vt vna formalitas diuina clarè, & intuitiuè videatur sine aliâ identificatâ cum illâ, vt *suprà.num.*409. notatum est.

Tertiò obiicitur ex Gran.Alarc.& aliis. Personalitas verbi vnitur immediatè humanitati Christi Domini,secus natura diuina. Ergo & poterit intuitiuè videri Personalitas Verbi,non visâ naturâ,aut è contrà.Omissis variis solutionibus,quas exhibent Vasq. Soar.Hurt.& alij relati pro nostrâ sententiâ *n.* 408. Ego concesso antecedente nego consequentiam. Primò, quia Personalitas Verbi respectiuè ad vnionem hypostaticam distinguitur virtualiter à naturâ diuinâ,secus respectiuè ad visionē, iuxta dictâ *num.* 435.Quo fit,vt seorsim à naturâ per vnionem quidē immediatè possit attingi,non item per visionem.Secundò: quia specialis ratio est cur Personalitas clarâ intuitione sine naturâ nequeat videri,aut vice versâ. Tametsi possit hypostaticâ vnione tangi immediatè,non tactâ immediatè naturâ,vt constat ex *num.* 436.& ex *seq.* amplius constabit. 440

Simile capiunt Aduersarij argumentum ab aliis prædicatis, quæ ad intra conueniunt diuinis Personalitatibus, & non naturæ, vel è conuerso,cui simili etiam solutione satisfactum estò. Quomodò autem intellectus Dei, & Beatorum ex vi videndi nostras præcisiuas cognitiones non teneatur obiectiuè præscindere easdem, quas videt præscindi à nobis, formalitates *q. seq.* explicabitur. 441

Propositio 4.

Per nullam cognitionem intuitiuam etiam obscuram possunt adhuc de potētiâ absolutâ præscindi obiectiuè illæ formalitates diuinæ,quæ virtualiter sunt distinctæ in ordine ad alia prædicata contradictoria. 442

Accipio in præsenti, sicut & in sequentibus, cognitionem intuitiuam latè prout comprehendit omnem cognitionem habitam per speciem propriam, ab abstractiuâque condistinguitur,quæ habetur per speciem alienam,iuxta dicenda circa istas cognitionum appellationes *alibi.*

Potest autem hæc propositio, quemadmodum & præcedens duplici viâ probari.Primâ,negando prædictas Dei formalitates gaudere distinctione virtuali

ad hoc, quod vna per cognitionem huius generis, aliâ non cognitâ, cognoscatur, etsi illâ gaudeant in ordine ad alia prædicata contradictoria: quia ad talem distinctionem virtualem adstruendam nullum apparet fundamentum. Eâ autem sublatâ, impossibile omnino est, quòd vna formalitas diuina sine aliâ identificatâ secum aliquomodò cognoscatur, iuxta doctrinam *propositi.* 1. Hæc tamen probatio coniecturalis dumtaxat, & consequenter parùm efficax est: quia fieri posset vt aliqua diuina formalitas earum, de quibus tractamus in ordine ad aliquam cognitionem sui intuitiuam possibilem distingueretur ab aliâ virtualiter, & tamen id nos ignoraremus, sicut ante reuelatum Incarnationis mysterium ignorabamus in ordine ad vnionem hypostaticam terminandam distingui in Deo virtualiter vnam formalitatẽ ab aliâ.

444 Quare accedendo ad secundam viam, quæ magis metaphysica est, probo absolutè propositionem. Per cognitionem intuitiuam habitam per propriam speciem, quæcumque illa sit, ita repræsentatur obiectum, vt illud ipsum, quod est, aut esset, si daretur re ipsâ, sit obiectiuè in mente intuentis, non aliud loco illius. Id namque est obiectum per propriam speciem cognosci quòd ipsum per se, non aliud pro ipso repræsentetur cognoscenti. Igitur impossibile est, quòd sit obiectum aliquod in mente illud intuentis distinctum formaliter ab eo, à quo in se ipso formaliter distinctum non est. Patet hæc consequentia: quia si obiectum repræsentaretur, atque adeo esset in mente intuentis distinctum ab alio, à quo in seipso distinctum non est, non esset in mente intuentis idem ipsum, quod est in se, sed aliud quidpiam, siquidem, quæ in se sunt idem, non possunt non vbicunque per se ipsa sunt, esse idem, iuxta *propos.* 10. statutam *suprà q.* 3. quæ ad rem recognoscenda est. Igitur impossibile est, quod aliqua diuina formalitas repræsentetur intuenti distincta formaliter ab aliâ, à quâ re ipsâ formaliter distincta non est, & consequenter, quòd obiectiuè per intuitionem præscindatur ab illâ, adhuc adscitâ ad id muneris distinctione vnius ab alterâ virtuali. Ex confirmari potest: quia cùm Paternitas e. g. in se sit idem, quod Essentia, si conciperetur ab essentiâ distincta, non esset in mente concipientis idem, quod est in se, prout requiritur, iuxta dicta, vt conceptio sit intuitiua.

445 Sed potest opponi contra hanc doctrinam. Beneficio distinctionis virtualis potest Personalitas Filij produci, non productâ essentiâ, & vniri humanitati Christi immediatè, non vnitâ essentiâ: ergo beneficio distinctionis virtualis poterit pariter cognosci intuitiuè, non cognitâ essentiâ, si alias non desist talis distinctio in ordine ad hæc prædicata, vt non deest in ordine ad illa. Concesso antecedente, nego cõsequentiam. Discrimen stat penès diuersitatem horum, illorumque prædicatorum. Produci enim, & vniri Personalitatem Filij præ essentiâ benè intelligitur absque distinctione illarum formali, supplente vicem eius virtuali in ordine ad euitandam contradictionem, quia per productionem, aut vnionem solius Personalitatis nullatenus hæc ab essentiâ distinguitur formaliter (ob id dicebam *suprà num.* 430. vnionem hypostaticam impropriè dici præscindere suâ terminatione Personalitatem Verbi ab essentiâ.) At verò cognosci intuitiuè Personalitatem Filij absque essentiâ nullo modo potest intelligi sine distinctione illarum formali: quia ex vnâ parte nequit Personalitas sola per intuitionem repræsentari, quin appareat præcisa, siue distinctâ formaliter distinctione saltem inadæquatâ, siue semiexistente ab omni alio, quod per talem intuitionem non tangitur, atque adeo ab Essentiâ, vt constat ex dictis *suprà num.* 415. Propter hoc enim cognitio quæuis repræsentans vnam formalitatem sine aliâ dicitur propriè præcisiua, & formalitas cognita à non cognitis distincta esse ex suo conceptu obiectiuo: ex aliâ verò parte Personalitas Filij distincta formaliter ab Essentiâ, sicuti est obiectiuè in mente intuentis modo dicto, nequit prout postulat intuitio, esse eadem Personalitas Filij, quæ re ipsâ datur, nisi hæc in se distincta sit formaliter ab essentiâ, vti est in mente intuentis. Quod est non posse Personalitatem Verbi præscindi per intuitionem ab essentiâ, nisi re ipsâ formaliter sit ab illa præcisa, & consequenter talem præcisionem nullatenus possibilem esse, adhuc adscitâ pro illa virtuali distinctione.

446 Deinde potest opponi. De ratione intuitionis in vniuersum non esse repræsentare obiectum, vti re ipsa est, quandoquidem innumeræ dantur intuitiones saltem apprehensiuæ etiam in Deo de obiectis non existentibus, & chimericis, atque adeo necessarium nõ esse, quòd per intuitionem repræsentetur obiectum, sicuti ipsum est in se, quo tota argumentatio nostra videtur eneruari. Respondeo iam me hanc præoccupasse obiectionem, cùm dixi inter argumentandum obiectum intuitionis non posse non esse in mente intuentis id ipsum, quod est, aut esset in se, si daretur; hoc enim ad vim mei argumenti est satis: suppositio namque, quòd formalitas A, aut est de facto idem cum cum B, aut esset, si daretur, qui concipit intuitiuè formalitatem distinctam à B, eo ipso non concipit formalitatem A, quia conceptus proprius formalitatis A, qualis est intuitiuus, necessariò debet esse conceptus formalitatis identificatæ cum B. quo fit, vt repugnet conceptu proprio, & intuitiuo concipi formalitatem A, & non concipi illam identificatam cum B, in quo cognitio intuitiua habita per speciem propriam ab abstractiuâ habitâ per alienam discriminatur. Hæc enim, cùm non tangat obiectum in se, sed in alieno substituto, iuxta dicta *q.* 9. consequenter potest præscindere in substitutis alienis distinctis, ad quorum instar illas cognoscit, formalitates, quæ realiter præcisæ non sunt inter se, vti abundè *ibi* explicatum est.

Propositio 5.

447 Per cognitionem intuitiuam, siue per proprias species habitam nequaquam præscindi potest ex parte actus, seu modi cognoscendi dumtaxat vna formalitas ab aliâ, prout opinantur Recentiores relati *n.* 407.

Itaque impossibile omnino est, vt per iudicium intuitiuum, quodcunque illud sit, iudicetur, seu sciatur Deum esse ens, & non iudicetur, nec sciatur, an sit substantia, an sit spiritus, &c. vel vt iudicetur, sciaturque, seu cognoscatur bonitas Dei, non iudicatis, neque cognitis sapientiâ, omnipotentiâ, iustitiâ, immensitate, æternitate, cæterisque attributis. Qualiter per iudicium abstractiuum nostrum de facto passim testante experientiâ contingit. De vtroque enim putant Recentiores præfati eamdem philosophiam esse, quasi præcisiones formalitatum à nostris iudiciis oriundæ, quas experimur non ex parte obiecti, sed ex parte actus dumtaxat, seu modi cognoscendi se habeant, contra id, quod satis, superque ostensum reliquimus *suprà q.* 9. vbi & hæc quoque propositio satis, superque obiter mansit probata.

Probatur

448 Probatur tamen insuper primò. Quoniam, vel significata adæquata omnium, & singulorum nominum attributorum Dei sunt inter se distincta realiter, saltem ratione connotatorum significatorum obliquè, vel sunt realiter omnino identificata, tametsi per nostram rationem distincta sint. Si dicas primum: temerè imprimis dicis vt minimùm contra sententiam omnium PP. & Theologorum, absolutè pronunciantium diuina attributa à parte rei prorsus esse indistincta, per rationemque dumtaxat distingui, perque nomina attributorum vnum quid, & idem realiter indiuisum significari, vt vidimus *suprà quæst.* 4. Deinde nihil dicis ad rem. Quia si sapientia realiter est distincta à iustitiâ saltem ratione connotati, ad cognoscendum sapientiam, ignotâ iustitiâ, nullâ opus erit præcisione, adhuc ex parte modi. Quemadmodum ad cognoscendum Petrum, ignoto Ioanne, nullâ præcisione opus, est eo sensu, quo impræsentiarum de præcisionibus loquimur. Si autem dicas secundum. In tuum illud potissimum argumentum ad negandas præcisiones obiectiuas impingis, per quod sanè manifestè probatur nullatenus posse cognosci sapientiam Dei sine iustitiâ, si sapientia, & iustitia Dei sunt prorsus vnum quid, & idem realiter, in seque, vt sunt tanguntur per cognitionem, vt nequeunt non tangi per intuitionem, de quâ modò tractamus.

449 Secundò, etsi de aliquibus attributis Dei, aliorumque entium formalitatibus dici possit in ordine ad connotata distincta significari, eoque pacto sufficientem distinctionem habere re ipsâ, vt quædam sine aliis cognosci possint, atque adeo etiam, si placet, ex parte actus, siue ex parte modi præscindi. Id tamen de omnibus dici nequit, quia plura sunt, quæ non habent connotata distincta, ad quæ comparentur, vt satis etiam euicimus *quæst. 9. citatâ*. Quocirca nequibit ab intuente cognosci sapientia diuina, ignotâ bonitate, aut immensitate, aut æternitate, aut aliis huiusmodi attributis omni extrinseco connotato carentibus, contra doctrinam Recentiorum, quia id erit cognoscere vnum sine eo, quod cum illo prorsus est idem, quod per argumentum commemoratum, eorumdem Recentiorum sententiâ, impossibile est.

450 Tertiò, nec dici potest eatenus præscindibilem esse ex parte actus sapientiam Dei ab eius iustitiâ, aut æternitatem ab immensitate, &c. quatenus Deus integer cognoscibilis est per cognitionem discernentem eum ab omni non sapiente, & non discernentem eumdem ab omni non iusto, vel discernentem ab omni non æterno, non verò ab omni non immenso, &c. quia modus iste philosophandi satis iam etiam est confutatus *dictâ quæst. 9.* Etenim discernere Deum ab omni non æterno, non verò ab omni non immenso, nihil est aliud, quàm cognoscere Deum prout dissimilem omni non æterno, ignorando an sit dissimilis omni non immenso; quod tamen impossibile est, quia id esset cognoscere vnum, ignoto eo, quod prorsus est idem cum illo, quod argumentum prædictum etiam iudicio Recentiorum repugnat. Quippe cùm non æterna, & non immensa omnino sint eadem, nequeunt non esse omnino idem dissimilitudo, quâ Deus est dissimilis non æternis, & dissimilitudo, quâ est dissimilis non immensis, quandoquidem dissimilitudo, etiam sententiâ Recentiorum, aliud non est, ab ipsis extremis dissimilibus, & hîc extrema dissimilia vtrâque dictâ dissimilitudine eadem sunt, vt constat. Præterquam quod absurdum est dicere æternitatem, & immensitatem Dei aliud non esse à dissimilitudine, quâ Deus omni non æterno, & omni non immenso est dissimilis; siquidem hæc partim est extrinseca Deo; æternitas autem, & immensitas attributa eius sunt intrinseca omninò, vt satis apud omnes constat. Tum etiam absurdum est, quod sequitur; non posse scilicet cognosci æternitatem, aut immensitatem Dei, nisi comparando ipsum ad omnia non æterna, & non immensa. Quin imò maius adhuc ex hâc Recentiorum doctrinâ absurdum sequitur; nimirùm omnia attributa propria Dei nihilo omninò differre ab vnicâ dissimilitudine, quâ Deus dissimilis est omni non Deo. Quo absurdo posito, rursus ostenditur falsa sententia Recentiorum, quia sic vnum attributum sine alio nullatenus per intuitionem cognosci poterit, nullaque proinde intuitio possibilis erit præscindens vnum ab ab aliis adhuc ex parte modi. Mitto plura, quia hæc satis, donec aliud pro se tuendis quærant effugium Recentiores.

Id autem, quod in nos obtendunt à visione corporali desumptum, quasi per hanc, vt ipsi supponunt, aliquo modo præscindatur vnum prædicatum ab aliis, siue vnum sine aliis cognoscatur, satis dilutum est *suprà quæst. 9. citata*, vbi suppositmu negauimus, & rem ipsam totam exposuimus. Quod si suppositum esset verum, potiùs præcisionem ex parte obiecti, quàm ex parte actus ab intuitione oriundam probaret contra eosdem Recentiores, & omnes; nam effugia de diuersitate connotatorum, & de discretione obiecti cogniti ab his præ aliis in visione corporali nullum locum habent, vt constat. 451

Id autem, quod nonnulli pressi tentarunt, sufficere scilicet ad præcisionem ex parte actus vnius formalitatis obiecti ab aliis, quod actus, quibus obiectum totum tangibile est, sint diuersi, quasi Deus e. g. ex eo solùm appareat sapiens, & non iustus, quia cognoscitur per actum A, ex eo verò iustus, & non sapiens, quia per actum B. manifestissimè retunditur, quia si actus A attingit totum Deum in se, vt supponitur, idemque omninò in Deo est sapientem esse, ac iustum esse, impossibile omninò ostenditur per argumentum sæpè commemoratum, quod sciatur per actum A Deum esse sapientem, & non sciatur eodem modo, eâdemque claritate, aut obscuritate Deum esse iustum, aut, quod reddatur ratio de Dei sapientiâ, & non de iustitiâ (prout alij dicunt nouâ phrasi, sed sine nouo nucleo.) Tantundem dictum esto de actu A. 452

QVÆSTIO XII.

Vtrum perfectiones diuinæ, aut etiam creatæ ab intellectu Dei, vel aliorum intuitiuè videntium aliquod genus distinctionis rationis subire possint, vel etiam subeant?

NOn potest quæstio hæc prætermitti, vtpote annexa præcedentibus, nec parum lucis præbitura resolutioni earum. Quocirca operæ pretium duxi eam quoque illis adiicere, de quâ communiter tractant Theologi in materiâ de attributis diuinis, duplexque circa ipsam sententia est. 453

454 Prima vniuersaliter affirmantium intellectum beatum etiam diuinum diuinas perfectiones distinguere distinctione rationis. Ita Henric. *quodlib.* 5. *q.* 1. Varro apud Aureol. *in* 1. *dist.* 8. *q.* 3. *art.* 1. Canarien. 1. *part. q.* 28. *art.* 2. *disput.* 2. *dub.* 3. Molin. *ibidem disputatione.* 3. *concl.* 5. fauet Duran. *in* 1. *dist.* 2. *q.* 3. *num.* 20. consentit Arriag. quatenus docet tum *in logica disput.* 5. tum *tom.* 1. *in* 1. *p. d.* 9. *à n.* 5. & & rursus *à num.* 35. inter cognitionem intuitiuam, & abstractiuam, quod attinet ad præcisionem obiecti cogniti, nullum esse discrimen, quia per neutram potest illud obiectiuè præscindi, formaliter tamen per vtramque potest; quod etiam tenent Ouied. *contr.* 6. *de Anim. punct.* 4. *n.* 3. & 14. & *contr.* 4. *Met. p.* 7. *n.* 4. Franc. Alph. *disp.* 16. *de Anim. sect.* 3. & alij communiter, qui non præscindunt obiectiuè, apud quos præcisio formalis, siue præcisio ex parte actus, distinctio rationis in idem recidunt; ponunt enim distinctionem rationis in vniuersum ex parte cognitionis dumtaxat. Quibus, quodam modo videtur consentire Ruiz *disp.* 12. *de Trinit. sect.* 7. *n.* 4. quatenùs ait diuersos intellectus per distinctas, & inæquales visiones quodam modo efficere distinctionem rationis, in quantum per perfectiorem videtur in Deo aliqua veritas, quæ per imperfectiorem non videtur.

455 Secunda sententia est absolutè negantium per intellectum Dei, aut Beatorum distingui perfectiones diuinas aliquo genere distinctionis rationis. Huius sententiæ sunt Capreol. *in* 1. *dist.* 8. *q.* 4. *art.* 3. Soar. *disp.* 7. *Met. sect.* 1. & *disp.* 45. *sect.* 2. & *lib.* 1. *de essentiâ, & attrib. c.* 13. *n.* 6. & *l.* 4. *de Trinit. c.* 4. *n.* 17. Vasq. 1. *p. disp.* 118. *c.* 2. Tan. *disp.* 2. *q.* 2. *dub.* 4. Gran. *contr.* 1. *tit.* 2. Recupit *l.* 3. *de Deo q.* 8. *disp.* 6. & *tit.* 5. *disp.* 5. *n.* 12. Alarc. *tit.* 5. *disp.* 2. *c.* 9. Ruiz *suprà n.* 1. & alij. Pro quâ sententiâ, vt ponderat Vasq. videtur etiam stare D. Bern. *lib.* 5. *de Consid. ad Eugen.*

456 Pro resolutione suppono primò, nullam possibilem esse distinctionem rationis, quæ verè, & propriè talis sit, & tantùm se habeat ex parte cognitionis, quin appareat ex parte obiecti, repræsenteturque vt aliud, & aliud id, quod realiter est vnum. Probatur id latè contrà Non præscindentes *q.* 9. *à n.* 265. Vnde patet hocce genere distinctionis neutiquam posse intellectum Dei, aut Beatorum distinguere perfectiones diuinas. Addo etsi à cognitionibus confusis huiusmodi distinctionis genus colore aliquo dici posset enasci, nullo tamen titulo posse illud attribui visionibus clarissimis, quales de substantiâ diuinâ habent intellectus Dei, & Beatorum, & consequenter nec aliis eis similibus. Per quod confutati manent Arriaga, & Ouiedo, quatenus asserentes suo illo abusiuo loquendi modo tam per cognitionem intuitiuam, quàm per abstractiuam posse fieri præcisionem formalem, seu ex parte actus, supponunt per vtramque posse fieri distinctionem rationis, quæ solùm ex parte actus se habeat. Quocirca de commentitio isto distinctionis rationis genere nihil est amplius, quod dicamus in præsenti q. Quæ proinde solùm tractabit de propriâ, & verâ in suo genere distinctione rationis faciente aliud, & aliud ex parte obiecti, de eâque solùm erit sermo deinceps.

457 Suppono secundò, distinctionem rationis facientem aliud, & aliud ex parte obiecti aliam esse præcisiuam, aliam non præcisiuam, iuxta diuisionem traditam *q.* 9. *conf.* 2. & 3. Quarum vtraque rursus in supposititiam, & fictam diuidi posset, iuxta doctrinam *superiùs* statutam *disp.* 2. *q.* 3. *conf.* 7. Cæterùm diuisio hæc ad præsens institutum non interest, quia distinctio rationis suppositia dumtaxat potest habere locum in cognoscentibus per species alienas, vt ex dictis *loco citato* constat. vnde si quâ distinctione rationis intuentes, de quibus nunc agimus, distinguerent formalitates verè identificatas, ea vtique non posset non esse fictitia: fictitiam autem ne concipi quidem ab illis posse tum ex dicendis hîc constabit, tum plane colligitur ex dictis *disp.* 11. & 12. si quidem huiusmodi distinctio rationis ficta è genere eorum figmentorum est, quæ à cognoscentibus intuitiuè concipi nequeunt, quorum naturam *ibi* exposuimus.

Propositio 1.

458 De facto per visionem beatificam neque Deus, neque alij Beati distinguunt diuinas perfectiones aliquo genere distinctionis rationis.

Ratio est in promptu, quia, vt constat ex dictis *quæst.* 11. *propos.* 2. Per visionem beatificam siue creatam, siue increatam omninò sicuti sunt in se re ipsâ apparent, ac repræsentantur videnti perfectiones diuinæ. Ergo nullam habent distinctionem obiectiuè in mente videntis, quam realiter non habent in se. Quod est nullâ distinctione rationis distingui per ipsam visionem. Confirmatur primò. Quia si substantia diuina quouis genere distinctionis rationis distincta appareret per visionem beatificam, aliter appareret, quàm in se est: aft non aliter, sed sicuti est in se apparet, vt dictum. Ergo. Confirmatur secundò; quia impossibile prorsus est per cognitionem claram, & intuitiuam aliquam in obiecto cognito fieri distinctionem rationis, vt ex *sequentibus propositionibus* apparebit. Ergo de facto talis distinctio non fit per visionem beatificam.

Propositio 2.

459 Impossibile omnino est, quòd intellectus Dei aliquo genere distinctionis rationis distinguat aut perfectiones diuinas, aut diuinam substantiam.

Imprimis enim non potest eas distinguere distinctione præcisiuâ ex parte obiecti, vt constat ex doctrinâ tradita *q.* 11. constabitque amplius ex mox dicendis *in præsenti.*

Deinde neque potest distinguere distinctionenon præcisiua, sed integrè totam substantiam Dei multiplicatiua ex parte obiecti. Quod probo primò. Quia si substantia diuina duplex appareret obiectiuè in intellectu Dei, non vt est in se, sed aliter, quàm in se est appareret, quandoquidem in se non duplex, sed prorsus simplex est: cognitio autem repræsentans obiectum aliter, quàm est ipsum in se, eo ipso est cognitio imperfecta, atque adeo repugnans Deo, vt satis, superque constat ex dictis dicta *quæst.* 11. Secundò, quia prorsus repugnat vt per cognitionem quouis modo intuitiuam, seu per speciem propriam habitam repræsentetur obiectum, appareatque multiplicatum, seu in plura distinctum, cùm in se re vera sit vnum, iuxta dicendum *propos.* 4. Ergo multò magis repugnat, quòd fiat id per cognitionem perfectissimè intuitiuam, qualis quæuis diuina est. Quod si Deo nullatenus potest multiplex apparere id, quod realiter vnum, & indiuisum est, nullâ profectò distinctione rationis ex parte obiecti se habente poterit intellectus diuinus in plura illud vllomodò distinguere.

460 Obiici tamen potest primò contra propositionem. Deus cognoscit distinguere nos per rationem perfectiones diuinas tum distinctione præcisiua, tum non præcisiua, tum etiam omninò fictitia, qualis à nobis fingi potest, iuxta doctrinam datam *suprà q.* 8.

Ergo

Ergo & ipsam distinctionem per nostrum intellectum factam cognoscit. Ergo non potest non apprehendere distincta extrema, quæ per rationem nostram videt distingui. Ergo non potest non & ipse illa per suam rationem distinguere, cùm nihil sit aliud distinguere per rationem extrema, quàm ipsa distincta concipere. Ergo Deus tum præcisiuè, tum non præcisiuè, tum prorsus fictitiè distinguit perfectiones suas, quando nos totidem modis ea distinguentes cognoscit. Confirmatur; quia Deus non potest non concipere quæuis entia rationis, dum nos fingentes illa intuetur: sed distinctio, quâ intellectus noster distinguit perfectiones diuinas, è genere entium rationis est. Ergo & illam debet cognoscere, & consequenter ipsas perfectiones distinctas, sicut nos apprehendere, siue dicatur ipse talem distinctionem facere, siue secus; quæ est controuersia ferè de solo modo loquendi, & nihil referens ad rem.

461 Ab hoc argumento malè se expediunt multi ex Doctoribus relatis *suprà* pro nostrâ sententiâ, dum de distinctione rationis, quemadmodum de aliis quibusque entibus rationis omninò fictitiis philosophantur relatè ad intellectum diuinum. Cùm tamen distinctio rationis, quâ distincta nobis repræsentantur ordinariè, quæ realiter vnum, & idem sunt, nequaquam sit è genere entium rationis omninò fictorum, quæ & intellectui diuino, & nostro, & cuilibet alij siue abstractiue, siue intuitiuè cognoscenti citra omnem imperfectionem communia sunt: Sed è genere eorum entium rationis, quæ nos supposititia appellamus, iuxta diuisionem traditam *suprà disput. 2. q. 3.* & fusiùs *disput. 17.* propriaque sunt solius intellectus cognoscentis per species alienas siue abstractiuè, neque cognoscenti intuitiuè, siue per species proprias vllatenus possunt conuenire. Itaque nos modo cognoscendi ordinario eatenus per rationem distinguimus entitatem indiuisibilem, quatenus illam per substituta sensibilia distincta seu partialia, seu totalia concipimus; In quibus dumtaxat substitutis, non in se ipsis distincta nobis repræsentantur, vt pluribus est explicatum *locis citatis*. Si quando autem extraordinariè vltra hanc supposititiam distinctionem, quæ præcisiua est, cùm fit per substituta partialia, non præcisiua verò, cùm per totalia; aliam omnino fictitiam inter extrema realiter identificata concipimus, vt certè possumus, ea vtique è genere etiam eorum figmentorum est, quæ à cognoscentibus dumtaxat per substituta aliena possunt confingi. Nec in mentem cognoscentium per proprias species cadere possunt, vt etiam *locis citatis* expositum est.

462 Hinc respondeo ad argumentum facile. Deum quidem videre perfectissimè, quomodo nos per substituta sensibilia rem in se indiuiduam cognoscimus, & in substitutis ipsis distinguimus, quatenus in illis ea nobis multiplicata repræsentatur, & apparet, eo ipso, quòd talia substituta, quæ nostro intellectui sunt loco rei, plura re verâ sunt in se. Quo fit, vt Deo clarissimè scienti rem illam nobis multiplicem apparere, eadem multiplex non appareat, quia ipsi non vti nobis, in substituto multiplici. sed in se ipsâ apparet. Quod est cognoscere Deum clarissimè nos rem indiuisam præscindere, siue distinguere obiectiuè supposititi distinctione, quin ipse eam vllo modo præscindat, aut distinguat. Recognosce doctrinam traditam *disput. 12 q. 5.*

463 Pariterque quoties nos insuper distinctionem aliam fictitiam rei indiuisibili appingimus, Deus cognoscendo clarissimè cognitiones nostras, phantasmataque substituta, ad quæ terminantur, & cætera entia, vt sunt in se clarissimè scit nos tale figmentum confingere, quin ipse illud formaliter, sed fundamentaliter solùm, seu æquiualenter concipiat, quia conceptio eius sumpti formaliter ex modo cognoscendi nostro per substituta aliena, quem Deus non habet, dependet, vt pluribus est explicatum *ibidem*.

Ex quo ad confirmationem patet, quomodo Deus 464
scire possit nos per rationem nostram ea, quæ in se indistincta sunt, distinguere, seu distincta concipere tum distinctione supposititi, tum etiam ficta, quin ipse illa per suam rationem vllomodò distinguat, siue ita distincta concipiat, vt ibi plura, & distincta repræsententur, sicut nobis, prout ad distinguenda illa per rationem, siue ad faciendam illorum distinctionem rationis omninò necessarium est. De quibus omnibus plura *ibidem* videri possunt.

Secundò obiici potest contra propositionem. Deus reuelat hominibus vnam sui formalitatem præ aliâ intendens significare illam suâ reuelatione, & non aliam. Ergo non potest non suâ cognitione distinguere illam ab aliâ. Concesso antecedente, nego consequentiam; quia Deus in signis, quibus nobiscum loquitur, nobis se accommodat, in modo verò cognoscendi, nequaquam; longè enim aliter ille cognoscit, quod nobis cognoscendum proponit, ac cognoscendum à nobis scit, vt constat ex dictis.

Propositio 3.

Impossibile omninò est, quòd intellectus creatus 465
aliquo genere distinctionis rationis distinguat aut perfectiones diuinas, aut diuinam substantiam per intuitionem æquè claram, ac est visio beatifica.

Hæc propositio ex præcedente sequitur, ex dictisque circa illam constat. Nam de intuitione substantiæ diuinæ æquè clara ac est visio beatifica eodem modo est philosophandum, quod ad rem attinet, ac de cognitione diuinâ consentaneè ad doctrinam *q. 11.* quæ ad hanc ad etiam extendenda, proportione seruatâ.

Propositio 4.

Impossibile omnino est, quòd intellectus creatus 466
aliquo genere distinctionis distinguat aut perfectiones diuinas, aut diuinam substantiam per cognitionem intuitiuam etiam obscuram.

Hæc propositio per doctrinam datam *quæst. 11.* probanda venit. Quoniam, vt *ibi* argumentabar, per quamuis intuitiuam cognitionem ita repræsentatur obiectum, vt illud ipsum appareat intuenti, sitque obiectiuè in mente eius, quod est in se re ipsâ, si datur, aut esset, si deratur. Ergo impossibile est, quòd ea, quæ in sunt vnum, & idem, appareant intuenti plura, sintque subinde plura in mente eius obiectiuè. Sic enim aliud essent in mente intuentis ab eo, quod sunt in se; contra naturam intuitionis. Ergo impossibile est, quòd distinguantur ab intuenti per rationem, quandoquidem ad omnem distinctionem rationis est necessarium vt plura appareant cognoscenti, quæ realiter vnum sunt, vt constat ex dictis. Confirmatur primò, & declaratur, quia si A in mente intuentis ex suo conceptu obiectiuo, atque adeo per essentiam, quam ibi habet, non est B, repugnat, quòd idem ipsum A à parte rei positum sit B; sicut repugnat, quòd homo, qui in mente intuentis est essentialiter animal rationale, idē ipse à parte rei

positus non sit animal rationale. Ergo conuertendo, repugnat, quòd A realiter identificatum cum B, distinctum sit à B in mente intuentis, & nihilominus sit idem A, prout postulat natura intuitionis. Confirmatur secundò, quia etiam natura distinctionis rationis poscit, vt eademmet appareant intellectui plura, quæ realiter vnum sunt; alioquin ea non per rationem tantùm; sed realiter distincta essent: repugnat autem apparere plura eadem, quæ in se sunt vnum, si apparent in se, & non in alieno substituto; qualiter necessario apparent per cognitionem intuitiuam, vt satis ex se est notum. Recognosce propositionem illam 10. *suprà quæst.* 3. stabilitam, vbi vniuersè est demonstratum. Quæcumque alicubi sunt idem, vbicumque per se ipsa, & non per substituta aliena sunt, necessariò esse idem. Et consequenter, quæ à parte rei sunt vnum, & idem, si in mente illa cognoscentis per se ipsa sint, vt sunt quando cognoscuntur per propriam speciem, non posse non esse ibi etiam obiectiuè vnum, & idem.

470 Sed obiici potest contra propositionem. Per intuitionem corporalem apparet sæpè nobis plura id, quod in se re ipsâ est vnum: tantumdemque consequenter euenit per intuitionem intellectualem corporali correspondentem, poteritque haud dubiè euenire per alias intuitiones possibiles habitas per species infusas independenter à sensibus. Ergo saltem distinctione rationis non præcisiuâ possunt per cognitionem intuitiuam distingui, seu multiplicari obiectiuè, quæ realiter neque distincta, neque multiplicata sunt.

471 Respondeo. Quoties per externam sensionem videtur nobis plura apparere id, quod realiter est vnum, re verâ non apparere plura, sed vnum in diuersis locis, quod est valde diuersum. Neque enim sensiones illæ suum obiectum repræsentant in plura inter se distincta multiplicatum (sic enim, vt constat ex dictis non repræsentarent obiectum verum, per cuius proprias species gignuntur, sed aliud fictitium, cuius sensus nullam speciem habet, quod patet esse impossibile) sed in pluribus spatiis collocatum, fingendo scilicet aliquam, aut aliquas eius præsentias. Quod quidem valet sensus præstare virtute propriæ speciei acceptæ ab obiecto. Quippe sensibilium communium, quorum potissimum est præsentia, non dantur sensibus externis particulares species, sed per easdem sensibilium propriorum illa cognoscunt, quæ indifferentes sunt suâ naturâ ad repræsentandum proprium sensibile, à quo nascuntur, sub hoc, aut alio sensibili communi; determinantur autem à parte sensiterij, cui imprimuntur penes illius quantitatem, figuram, situm, ordinem, &c. Quo fit, vt sensibile proprium, aut in spatio, vbi non est, aut cum maiore, vel minore quantitate, quam habet, aut sub diuersâ figurâ possit repræsentari virtute eiusdem propriæ speciei. Et ideo circa sensibilia communia fallacia in sensibus potest accidere; circa sensibilia verò propria, nequaquam. Esset autem fallacia circà proprium sensibile, si multiplex sensui appareret id, quod re ipsâ non multiplex, sed simplex est; quandoquidem esse vnum, vel multiplex non accidens extrinsecum, vt præsentia, figura, situs, &c. sed prædicatum est intrinsecum proprij sensibilis. Quæ omnia fusiori calamo sunt exposita *suprà disput.* 1. *quæst* 2. Quemadmodum autem in casu proposito sensui externo non plura, sed vnum in distinctis locis apparet; ita sensui interno, & intellectui non plura, sed vnum pariter apparet in distinctis locis ex vi apprehensionis intuitiuæ oriundæ ab externâ sensione, per propriamque genitæ speciem obiecti sensibilis.

Nec refert sæpe intellectum decipi putantem re 472
verâ esse plura, aut saltem plura apparere sensui id, quod, cùm in se sit vnum, in pluribus locis repræsentatur, nam talis deceptio in promptu est, hoc ipso, quòd ordinariè, quæ in pluribus locis apparent, plura re verâ sunt; aliundeque intellectus vi externæ sensionis nequit discernere an, quod in pluribus locis cernitur, sit vnum, vel plura similia. Quemadmodum si in eodem loco plura exactè similia successiuè proponerentur, discernere non posset intellectus vi externæ sensionis, an illa re verâ essent plura, vel vnum repetitè propositum. Huiusmodi autem intellectus fallax iudicium per alienas species fit, quibus pro vero obiecto apparente in pluribus locis plura similia, atque conficta supponuntur. Ex quibus omnibus concluditur per cognitionem intuitiuam, quæcumque illa sit, siue sensus, siue intellectus nullatenus posse diuidi, siue multiplicari in plura id, quod realiter est vnum. Atque adeo nullâ ratione fieri posse distinctionem rationis. Adde, esto sensus cognosceret duo, vbi vnum dumtaxat re ipsâ est, fingendo alterutrum, aut vtrumque, quâ ratione fingit præsentias, distinctionem ab illo oriundam non fore eius generis, quas dicimus fieri non posse per cognitionem intuitiuam: quia non esset distinctio extremorum alias in se non distinctorum, sed potius distinctorum in se.

Quod si circa substantiam diuinam per nullam 473
omninò cogitationem intuitiuam distinctio aliqua rationis effici potest, vti probauimus; neque circa entia creata poterit effici, quia, quod ad rem attinet, eadem prorsus circà omnia obiecta intuitiuè cognoscibilia est philosophia, vt est notissimum.

DISPVTATIO XIV.

De connexione, deque oppositione entium seu rerum: atque adeò obiectorum intellectus humani. Vbi etiam de relatione.

1

CONIVNGO in eadem disputatione connexionem, & oppositionem entium, seu rerum: quia termini isti quodammodo sunt inter se oppositi; siquidem id dicitur connecti cum altero, quod sine illo esse non potest: id autem alteri opponi, quod non potest esse cum illo. Et termini oppositi sub eamdem disciplinam; atque adeò sub eamdem disputationem iuxta rectam scientiæ methodum aptissimè cadunt. Quoniam autem ex vnâ parte oppositio, & connexio relationes quædam sunt ex conceptu suo; ex aliâ verò inter oppositionum genera, oppositio relatiua censetur. De relatione generatim ante omnia tractare opus est; summariè tamen, & breuissimè, vt sequitur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quid sit relatio in vniuersum, & quotuplex?

2 ARistot. in lib. Prædicam. cap. de *Ad aliquid* (ita enim appellat ipse relatiua) reiectâ antiquiore relatiuorum definitione, suam sic exhibet: *Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodò se habere.* Id est, relatiua sunt, quæ ex conceptu suo ad aliquid referuntur, ipsumve respiciunt aliquomodò. *In lib.* autem. 5. *Metaph. c.* 15. ad tria genera reducit omnes omninò relationes; ita, quòd primi generis sint, quæ fundantur in vnitate, & numero quavis ratione; cuiusmodi sunt relatio similitudinis habentium vnam qualitatem, æqualitatis habentium vnam quantitatem, & identitatis habentium vnam substantiam, siue essentiam. Tum relationes dupli, & dimidij, tripli, & tertiæ partis, excedentis, & excessi, & cæteræ huiusmodi; necnon relationes dissimilium, inæqualium, distinctorum, &c. Secundi autem generis relationes fundatæ in actione, & passione, eaque siue præsente, siue præteritâ, siue futurâ, vt causæ, & effectus, patris, & filij, domini, & serui, mariti, & vxoris, & aliæ huiusmodi. Tertij denique generis relationes fundatæ in quouis alio actu, siue secundo, siue primo; vt sunt relationes scientiæ, seu scientis, & scibilis; intellectus, seu intelligentis, & intelligibilis; sensus, seu sentientis, & sensibilis; mensuræ, seu mensurantis, & mensurabilis, & similes. Quas omnes aliqui dicunt in mensurâ, & mensurabili vniuersè fundari, quasi id voluerit Arist. non tamen benè: quia Arist. dumtaxat intendit inter alia exempla relationum ad hoc tertium genus spectantium, pro exemplo ponere relationes mensuræ, & mensurabilis, vt constat ex textu.

3 Cæterùm pro resolutione breuissimâ multarum difficultatum, quæ latissimè ab Auctoribus controuertuntur circa materiam huius quæstionis, suppono primò ex vniuersali doctrinâ actuum traditâ *suprà disputatione* 8. omnem relationem, quâ talem ex suo conceptu formali actum quemdam esse alicuius subiecti ad aliquem terminum, per quem tale subiectum ad talem terminum referri dicitur. Sicut è conuerso omnis actus, quo quoduis subiectum circa quemuis terminum exerceri concipitur, relatio quædam est ex suo conceptu formali, qua tale subiectum dicitur ad talem terminum referri, siue ipsum respicere. Quocirca de relatione in vniuersum proinde in præsenti philosophandum nobis est, atque de actu in vniuersum ibi philosophati sumus.

4 Vnde suppono secundò, iuxta dicta *ibidem*, aliquos actus; atque adeò aliquas relationes realiter esse tales, quales à nobis concipiuntur; atque adeò quales sunt formaliter, siue ex conceptu suo formali: quia realiter sunt modi quidam subiecti superadditi, eisque adhærentes, quibus subiecta ipsa circa terminos exerceri, siue versari, ad ipsosque subinde referri, siue ipsos respicere dicuntur. Talis enim est conceptus, quem nos formamus omnis actus significabilis per verbum; atque adeò etiam omnis relationis qua talis, prout latiùs *loco citato* explicatum est. Sunt autem actus; atque adeò relationes huius generis, actio, quâ efficiens producit effectum; passio, quâ passum recipit illum; vnio, quâ vnum extremum vnitur alteri, cognitio, quâ facultas cognoscitiua cognoscit obiectum; volitio, qua obiectum vult facultas volitiua, &c.

Suppono tertiò iuxta dicta *ibidem*, plerosque 5
actus; atque adeò pleraque relationes non esse realiter tales, quales à nobis concipiuntur; atque adeò quales sunt formaliter; siue ex conceptu suo formali; tametsi realiter dentur fundamenta, vnde nos tales desumimus conceptus; seu potius quæ nos per tales conceptus cognoscere intendimus. Huiusmodi autem fundamenta in triplici imprimis sunt differentia. Nam quædam adæquatè sunt identificata cum subiectis actuum, seu relationum; quædam adæquatè sunt ab illis distincta; & quædam partim identificata cum illis, & partim ab illis distincta sunt. e. g. actus, siue relatio, quâ dicitur scientia respicere tum obiectum scitum, tum intellectum scientem, aliud reale fundamentum non habet præter essentiam, siue entitatem ipsius scientiæ; atque adeò formalitas quædam est realis cum scientiâ ipsâ identificata adæquatè. Tantumdemque est de actu actu, siue relatione, quâ actio respicere dicitur principium, & effectum; & quâ vnio respicere dicitur extrema vnita; & quâ omnis creatura respicere dicitur Deum, vt causam primam sui, & quâ omne accidens physicum, & intrinsecum respicere dicitur suum subiectum inhæsionis, siue adhæsionis, &c. Actus verò, siue relatio, quâ obiectum prout cognitum, respicere dicitur cognoscentem, à quo cognoscitur pro vnico fundamento reali habet ipsius cognoscentis cognitionem, quæ adæquatè ab obiecto ipso distincta est. Tantumdemque venit dicendum de actu, quo dicitur obiectum amari ab amante, videri à videnti, audiri ab audiente, &c. Actus denique, siue relatio, quâ dicitur vnum extremum assimilari alteri, pro fundamento reali habet entitates vtriusque extremi: quo fit, vt fundamentum eius partim identificatum sit cum eius subiecto, & partim distinctum ab illo. Et idem est de actu, siue relatione æqualitatis, dissimilitudinis, inæqualitatis, distinctionis vnius extremis ab alio, &c. Similiterque relatio paternitatis pro fundamento habet entitates patris, & filij, & generationem præteritam: & relatio dominij pro fundamento habet entitates domini, & serui, & titulum dominij præteritum, siue ille sit aliquis contractus, siue captio in bello, siue alius, &c. Deinde fundamenta relationis ab eius subiecto distincta siue adæquatè, siue tantùm inadæquatè in triplici rursus sunt differentiâ. Aliquando enim requiritur, quòd omnia illa sint existentia de præsenti ad hoc, vt subiectum de præsenti denominetur, siue dicatur esse relatum aliquando verò tantùm requiritur, vt aliquod eorum, vel aliqua existant de præsenti; aliquando denique nullius eorum existentia de præsenti requititur, prout in exemplis adductis, in aliisque, quæ vniusquisque potest adducere, cernere est.

Appello autem fundamenta relationis ea omnia, 6
quæ ex parte rerum requiruntur, vt subiectum denominetur relatum: quia hic est congruentior modus loquendi: tametsi ab aliis communiter fundamentum relationis appelletur solum subiectum: terminus autem eius id, ad quod subiectum referri dicitur. Cætera autem, si quæ interueniunt requisita, ratio fundandi.

His

7 His positis, prima difficultas est, quid sit relatio prædicamentalis, quid transcendentalis, & quomodò differant inter se. Circa quã quot capita, tot ferme sunt diuersi modi dicendi, in quibus modò recensendis non est, cur moremur. Videri enim possunt apud Tolet. Conimb. Rub. Arriagam & alios, qui de relatione agunt in *Log.* ad lib. Prædicam. Arist. cap. de *Ad aliquid*. Tum apud Suar. *disp.* 47. Petr. Hurt. *disp.* 15. Ouiedo *contr.* 9. & 10. *Metaph.* & alios, qui in *Metaph.* agunt de relatione ad lib. 5. Arist. cap. similiter de *Ad aliquid*, satisque sit impræsentiarum scire primò: Relationem transcendentalem ab omnibus communiter appellari eam, quæ adæquatè est identificata realiter cum subiecto, quod per illam referri dicitur: pro vnicoque subindè fundamento reali habet solam essentiam, siue entitatem talis subiecti, iuxta dicta *suppositione tertia*. Secundò, actus relatiuos, qui re ipsa formalitas sunt, id est, tales, quales à nobis cõcipiuntur iuxta dicta *suppositione secunda*, communiter numerari ab Auctoribus inter relationes transcendentales; non, quòd tales sint comparatione subiectorum, quorum sunt actus; sed, quòd per essentiam suam respiciunt tum ipsa subiecta, tum terminos. Tertiò, omnes communiter condistinguere relationem prædicamentalem à transcendentali; vocareque prædicamentalem eam, quæ pertinet ad speciale prædicamentum relationis; ad quod proindè censent non pertinere transcendentalem, & consequenter; neque cadere sub definitionem Arist. *suprà* propositam, vtpotè, quæ solius prædicamentalis definitio est. Vtrum autem præter relationes, quas diximus appellari communiter transcendentales, cæteræ omnes commemoratæ, *suppositione tertia*, vel aliquæ tantùm earum, & quænam dicendæ sint prædicamentales, & quomodò prædicamentales à non prædicamentalibus differant, & qua ratione definitio dicta Aristotelis sit accipienda, vt solis prædicamentalibus conueniat; variè ab Auctoribus explicari contenditur, vt apud præcitatos videri potest. De quibus omnibus, quid ego sentiam, *paulò infrà* subiiciam.

8 Secunda, & potissima difficultas est. Quâ ratione relatio dicta prædicamentalis à dictâ transcendentali, aut etiam ab aliis diuersa distinguatur à fundamẽtis, quibus innititur; siue, vt loquuntur alij, à suo fundamento, & termino, & ratione fundandi, aut identificetur cum illis. Prima sententia asserit, posito fundamento, & termino, & ratione fundandi pullulare modum quemdam ab his tribus distinctum, per quem sibi superadditum, & inhærentem euadit fundamentum ipsum formaliter relatum ad terminum. Ita Rub. *suprà q.* 2. cum Caiet. Capreol. Ferrar. & aliis. Secunda sententia est, eiusmodi relationem cum fundamento, quod denominat adæquatè esse identificatam realiter, requirere tamen, vt illud denominet relatum tanquam extrinsecam conditionem, quòd terminus, & ratio fundandi subsistant. Ita aliqui Thomistæ, tribuiturque Patri Soar. *suprà sect.* 2. Sed re verâ Soar. ibi omninò censendus est stare pro tertia sententiâ, licèt ad secundam relatam quantum ad modum loquendi videatur accedere. Est autem tertia, relationem prædicamentalem cum suo fundamento, termino, & ratione fundandi realiter esse identificatam; atque ita hæc tria omninò, & nihil amplius includere in suo conceptu reali. Ita cum multis à se relatis tenent Petr. Hurt. Arriag. & Ouied. *suprà*, & omnes alij Recentiores communiter; estque sententia S. Th. vt multis comprobat Hurt.

Ego circa hac difficultatem assero primò, secundam sententiam commemoratam, quam Connotantium, siue Connotatorum, siue de connotatis appellant, omninò falsam esse, vt constat ex doctrina tradita à nobis, & demonstrata *suprà disp. 9. q. 5. proposit.* 19. quæ ad rem videnda. 9

Secundò assero, relationem dictam prædicamentalem neutiquàm esse modum realem superadditum, & intrinsecum subiecto relato, vt prima sententia commemorata fert; sed prorsus esse idem loquendo realitèr cum rebus, in quibus fundatur, siue cum suo fundamento, & termino, & ratione fundandi, vt fert tertia sententia. Itaque relatio similitudinis à parte rei aliud non est ab extremis similibus, & relatio æqualitatis aliud non est ab extremis æqualibus, & relatio distinctionis aliud non est ab extremis distinctis, & relatio paternitatis aliud non est ab entitatibus patris, & filij, & generationis præteritæ à quibus eisdem relatio filiationis etiam est indistincta, & in cæteris pariter. 10

Probatur autem assertum, primò: quia eo præcisè, quòd vna quantitas à parte rei non excedit alteram dicitur ei æqualis; & eo præcisè, quòd vna alteram excedit dicitur ei inæqualis, & eo præcisè, quòd vna res est sicut altera, dicitur ei similis; & eo præcisè, quòd vnus homo genuerit alterum dicitur ille pater, hic filius: omni alio modo realiter superaddito penitùs circunscripto; aliundeque talis modi realitèr superadditi ex hisce rebus resultantis nullum extat indicium: ergo superfluè talis modus, & sine fundamento adstruitur. 11

Secundò probatur: quia, posito Petro in rerum natura, Deus euadit illi dissimilis, est inæqualis in perfectione, & eius dominus à sola coëxistentia cum Petro; quin Deo vllus modus intrinsecè inhærens accrescat, vt est notissimum: cùm Deus ejusmodi modorum prorsus sit incapax, vt constat: ergo Petrus pariter absque vllo eiusmodi modorum sibi accrescente à sola coëxistentia cum Deo euadet ipsi dissimilis, & inæquàlis, & seruus. Tantumdem ergo ob eamdem prorsus rationem de cæteris extremis relatis prædicamentalitèr censendum est. 12

Tertiò probatur: quia, supposito fundamento, & termino, & ratione fundandi omninò necessariò fundamentum euadit relatum ad terminum. Ob id enim veritas hæc. *Tres anguli cuiusuis trianguli sunt æquales duobus rectis*; & vniuersim omnes veritates geometricæ, & arithmeticæ ex diuersarum quantitatum comparationibus resultantes, in huiusmodique proinde relationibus consistentes, omninò sunt necessariæ, vt constat: at si tales relationes in modis superadditis consisterent, etiam supposito fundamento, & termino, & ratione fundandi non euaderet necessariò fundamentum relatum ad terminum: quia adhuc eis suppositis, nõ esset cur Deus non posset impedire cuiusuis modi superadditi productionem, & existentiam, saltem de potentiâ suâ absolutâ: ergo. 13

Quartò probatur: quia supposito subiecto relationis, si ad positionem termini, & rationis fundandi naturaliter resultaret, produceretur que in ipso subiecto modus intrinsecus superadditus, quo euaderet relatum ad terminum, ad motũ vnius cuiusq; atomi, & vniuersè ad positionẽ vnius cuiusq; creaturæ producerentur in reliquis omnibus vniuersi innumeri intrinseci modi, quibus intrinsecè mutarentur; siquidem posita denuò quauis creatura, omnes reliquæ euaderent denuò similes illi, vel dissimiles, æquales, vel inæquales, distinctæ, distantes &c. Quis autem non censeat absurdum asserere, 14

ad

ad positionem singulorum accidentium, & substantiarum, quæ in omnibus temporis instantibus producuntur, cœlos, & elementa, & mixta, & singulas eorum partes seorsim; omnes Angelos, & animas, & omnes demum mundi entitates tam remotè dissitas loco, tot per singula instantia temporis intrinsecas pati mutationes? maximè cùm nulla se prodat earum necessitas.

15 Quintò probatur: quia si relatio esset modus realis resultans in subiecto ad positionem termini; atque adeò in omnibus rebus ad positionem cuiusuis, iuxta *nuper* dicta; ad positionem cuiusuis relationis resultaret alia in omnibus rebus, & ad positionem huius alia, & sic in infinitum: quia, quauis positâ, euaderent omnes res similes illis, vel dissimiles, æquales, vel inæquales, &c. processus autem infinitus effectuum de facto saltem admitti nequit, vt in confesso est apud omnes, & nos ostendemus *suo loco*. Neque suppositâ doctrinâ, quam impugnamus, talis processus vitari potest: quia licèt vnius modi non detur, alius ei præstans, quod ipse habet per suam essentiam (ob id enim vnio non vnitur per aliam vnionem extremis per eam vnitis: quia vnitur eis per suam essentiam; & actio non fit per aliam actionem ab agente per eam effectum, quia fit ab ipso per suam essentiam, &c.) at vnius modi aliùs debet dari ad præstandum illi, quod ipse non habet per suam essentiam, quando id sine modo superaddito præstari nequit; vti euenit in proposito iuxta sententiam, quam refellimus: Propterà enim licèt vnionis partium caloris non detur alia, quâ eis vniatur, quia per se essentialiter eis vnitur: at alia datur, quâ vniatur subiecto, cui vnitur calor: quia vnio partium caloris non magis, quàm calor ipse habet per suam essentiam vniri subiecto: supponimus autem, calorem per vnionem superadditam subiecto vniri. Pariter ergo licèt relatio, quâ Petrus est simili Ioanni aliâ relatione non egeat, quâ ad Petrum, & Ioannem referatur: quia ad eos referri habet per suam essentiam; attamen, vt referatur ad alias relationes aliorum extremorum, & omninò ad alias omnes entitates, ad quas non per essentiam, sed ex accidente refertur: nequit non aliâ egere superaddita relatione, suppositâ aduersâ sententiâ. Ex quo processum infinitum commemoratum statim sequi, compertum est.

16 Sextò probatur. Quia nemo est etiam Aduersariorum, qui non admittat aliquas denominationes extrinsecas, aut semiextrinsecas nullum modum superadditum appingentes subiecto denominato. Tales enim videntur omnes reputare denominationes cogniti à cognoscente, amati ab amante, coëxistentis cum alio in eadem tempore, cohabitantis cum alio in eadem domo, vel vrbe, & similes: at istæ denominationes non minùs sunt relatiuæ ex conceptu suo quàm denominationes patris, filij, similis, æqualis, dissimilis, inæqualis, & cæteræ, quas relationes appellant prædicamentales, vt satis ex se apparet: igitur neque relationes, quas dicunt prædicamentales appingunt modum superadditum subiecto relato; sed omnes æquè denominationes merè extrinsecæ, aut merè semiextrinsecæ sunt. Mitto alia: nam hæc sufficiunt pro opinione iam exoletâ penitus abiiciendâ.

17 Ex his infertur, relationes, quas prædicamentales appellant ex suo conceptu formali relationes rationis esse non fictas, sed suppositicias, quales sunt denominationes extrinsecæ, & semiextrinsecæ, prout *suprà disput. 12. q. 3.* statutum est. Quod tamen non tollit, quominus eæ, loquendo absolutè, relationes appellentur reales: quia fundamenta, vnde à nobis sumuntur, seu potius, quæ ab intellectu nostro cognoscere intenduntur, dum earum conceptus formatur, realia sunt. De quo plura *in ea q. 3. aliisque in locis ibi citatis* videnda sunt,

18 Sed contra doctrinam statutam obiici solet. Sequi ex sententia stabilita non dari speciale genus, seu prædicamentum relationis, contra Arist. & omnes. Tum quia fundamenta realia, à quibus relatio prædicamentalis dicitur non distingui entitatiue sunt ad alia prædicamenta spectantes, vt est notissimum: tum quia plerumque saltem sunt entitates suapte naturâ non relatæ, sed absolutæ: atque adeò nisi per relationem superadditam referantur ad prædicamentum relationis spectare prout relatæ non possunt.

19 Respondent communiter Recentiores, & benè, vt apud Quiedo, & alios videre est, entitatem pertinentem ad vnum prædicamentum sub vno conceptu formali, posse sub alio ad aliud item pertinere: indeque etiam fieri, vt entitates in se absolutæ, provt cadentes sub nostrum conceptum comparatiuum, & relatiuum ad prædicamentum relatiuum, seu relationis pertinere dicantur. Aristot. quippe eo solùm fine adstruxit prædicamenta, vt ad certas, diuersasque classes reduceret omnia prædicamenta, quæ nos de rebus prædicamus, congruenterque reuocauit ea ad decem genera, cùm posset ad plura, aut ad pauciora; nec tam ad diuersitatem realem prædicatorum, quàm ad formalem, quæ ex nostro modo concipiendi sortiuntur attendit. Propterea *actionis*, & *passionis* ob earum diuersitatem formalem diuersa prædicamenta constituit, tametsi realiter sint idem. Et, quæ relatiuè concipiuntur sub genere *relationis* reposuit quidquid sit de eorum entitate in se absoluta, aut non absoluta. *Situs* etiam speciale fert prædicamentum, cùm situs quædam præsentia sit contenta sub *Vbi*; sicut, & *Habere*, cuius itidem posuit speciale prædicamentum, quædam relatio est contenta sub *Ad aliquid*; ipsumque *Vbi* speciale prædicamentum fecit, cùm locum, à quo non distinguitur, sub genere quantitatis posuerit; sub quo etiam posuit tempus, & tamen *Quando*, quod quoddam tempus est, speciale etiam prædicamentum fecit. Numerum item sub prædicamento quantitatis locauit; cùm tamen numerus pro materiali; & quoad suam entitatem realem per omnia genera vagetur: potest enim esse numerus substantiarum, aut relationum, aut qualitatum, aut actionum, &c. Ex quo patet, benè etiam posse relationem prout talem ad speciale prædicamentum relationis spectare, aut etiam ipsum constituere, tametsi materialiter, siue fundamentaliter sumpta per omnia prædicamenta vagetur. Vt hinc appareat, Arist. maiore cum latitudine processisse in constituendis, & numerandis prædicamentis, quàm Expositores eius communiter existimare videntur.

20 Vnde iam pro plena resolutione difficultatis primæ propositæ *num.* 7. videtur inferendum. Primò contra plerosque, Aristot. in lib. Prædicam. cap. de *Ad aliquid* omnem omninò relationem etiam, quam vocant transcendentalem sua illa definitione *suprà num.* 2. relata voluisse complecti. Agit enim *ibi* manifestè, sicut & *lib. 5. Metaph. cap. 15.* de omnibus prorsus, quæ sunt ad aliquid, pro exemplisque affert inter alia habitum, dispositionem, sensum, scientiam, positionem, accubitum, stationem, sessionem, &c. quorum multa saltem sunt ex genere eorum, quæ relata transcendentaliter nuncupantur. Et quidem, legenti textus Aristotelis *locis citatis*

compertum,

compertum fiet, eum de omnibus omninò, quæ sunt ad aliquid vniuersalissime agere;& alioquin parùm scientificè procederet. Quod autem relatio dicta transcendentalis per plura, aut omnia prædicamenta vagetur entitatiuè (quo titulo appellatur transcendentalis)nihil obstat,quominùs sub speciali rationis conceptu ad speciale prædicamentum relationis pertineat;siquidem etiam relatio, quæ prædicamentalis dicitur, & sine controuersiâ pertinet ad speciale prædicamentum relationis, per plura, aut omnia alia prædicamenta vagatur entitatiuè, vt ex dictis *n.præced.*liquidum est.

21 Ex quo videtur inferendum secundò, relationem in vniuersum non benè diuidi communiter in prædicamentalem, & transcendentalem;siquidem vtraque sic appellata, & prædicamentalis dici deberet, vtpote spectans sumpta formaliter ad prædicamentum relationis ab Arist. institutum, & transcendentalis dici posset, vtpotè entitatiuè transcendens alia prædicamenta. Quarè relatio constitutiua prædicamenti relationis, quæ, vt reor, omnem omninò relationem realem amplectitur aliter mihi est diuidenda consentaneè ad diuisionem actus in genere traditam *disp.* 8. *quæst.* 3. Primò quidèm, in relationem re ipsâ formalem, id est, talem re ipsâ, qualis concipitur à nobis, cuiusmodi sunt actus relatiui *supra num.* 4. commemorati (qui proùt respectiui formalitèr ad prædicamentum relationis pertinere censendi sunt; tametsi quidam eorum, quâ talium specialia prædicamenta constituant) & in relationem re ipsâ non formalem; sed fundamentalem dumtaxat, quales sunt reliquæ omnes *num.* 5. recensitæ. Relatio autem non re ipsâ; sed ex modo tantùm concipiendi nostro formalis, rursus est triplex, iuxta *ibi* dicta secundum *esse* fundamentale, quod re ipsâ habet considerata: alia, quæ adæquatè identificatur cum subiecto per eam relato; alia, quæ adæquatè ab illo distinguitur; alia, quæ partim identificatur, partim distinguitur. De quo plura *ibidem.* Aduerto tamen, sub hanc diuisionem vniuersaliùs acceptam, etiam cadere relationem re ipsâ formalem, vtpote, quæ à suo subiecto realitèr adæquatè distincta est. Est quippè,vt sic diuisio adæquata relationis vniuersalissimè sumptæ.

22 Vndè tertiò videtur inferendum, omnem denominationem extrinsecam, aut semiextrinsecam ex suo conceptu formali respectiuam iuxta doctrinam statutam *disp.* 12. *q.* 3. ad prædicamentum relationis Aristotelicũ pertinere, siquidem omnis talis denominatio sub membris prædictis relationis prædicamentalis continetur, vt constat. Et quidem denominationes scibilis, sensibilis, mensurabilis, & aliæ huiusmodi,quæ extrinsecæ reputantur communiter inter ea, quæ dicuntur ad aliquid; ad dictumque proinde prædicamentum pertinent, numerantur ab Aristotele

23 Iam tertia difficultas est; quænam relationum appellanda sit relatio secundum dici, & quænam relatio secundum esse. In quo varij etiam sunt Auctores, vt apud præcitatos videri potest. Illi tamen sequendi sunt, qui solam relationem rationis vocant secundum dici; loquuntur autem de relatione rationis fictâ. Nam, quæ supposititia est non obest, quominùs conceptus, cui conuenit relatio realis, atque adeò secundùm esse dicatur iuxta dicta *n.*17.

24 Quarta difficultas est. Quot aliis diuisionibus præterea relatio sumpta vniuersè diuidenda est. Primò namque, diuidi solet in realem, & rationis. De quâ diuisione nihil est quod oporteat addere ad dicta *d.*12.de natura entis rationis, prout condistincti ab ente reali. Vnde etiam constat,quomodò relationi reali, & rationis vnus conceptus communis, & vniuocus dari possit, aut secùs. Id solùm aduerto, Caiet. & Canar. communitèr ab omnibus reiici, quatenus 1. *p. q.* 28. *art.* 2. dixerunt, relationem quantumuis realem secundum *esse in*, neque realem, neque rationis esse secundum *esse ad*; sed quid præscindens à reali, & rationis;sed non benè: quia relatio tam quoad respectum ad terminum, quem vocant *esse ad*, quàm quoad respectum ad subiectum, quem vocant *esse in* potest esse, aut purè realis,aut purè rationis, aut quid præscindens à reali,& rationis, prout ex doctrinâ traditâ *disp.* 12. *q.* 1.& *in præsenti q.* quisque potest colligere.

Secundò diuidi solet relatio in mutuam, & non 25
mutuam, rursusque mutua in æquiparantiæ, & disquiparantiæ. Appellant autem mutuam, quando ita subiectum refertur ad terminum, vt etiam terminus referatur ad subiectum; quando autem relatio termini ad subiectum diuersa est à relatione subiecti ad terminum, vt euenit in relationibus patris, & filij, tunc vocant relationem mutuam disquiparentiæ: æquiparantiæ autem, quando non est diuersa, vti euenit in relationibus, quibus duo extrema inuicem sunt similia, aut æqualia. Non mutuam autem relationem dicunt, quâ subiectum ita refertur ad terminum, vt terminus ad subiectum nullatenùs relatus sit, qualem censent relationem, quâ creatura refertur ad Deum. Ego verò arbitror primò, iuxta hunc loquendi modum nullam esse relationem non mutuam: quia nequit subiectum referri ad terminum, quin terminus ad subiectum referatur relatione diuersâ; siquidèm eo ipso, quòd subiectum per suam relationem respicit terminum, nequit non terminus denominari relatiuè respectus à subiecto, terminansque relationem eius, vt patet; quod etiam euenit in Deo respectu creaturæ. Vnde arbitror secundò, multò aptiorem fore loquutionem, si tantùm dicamus, relationem esse mutuam, quando subiectum, & terminus inuicem referuntur relationibus eiusdem rationis specificæ, vti sunt similitudinis, æqualitatis, distinctionis, & aliæ huiusmodi. Secùs, quando diuersæ, vt sunt relationes paternitatis, & filiationis, mariti, & vxoris, domini, & serui, & similes. Quo ego pacto loquar, cum opus fuerit. Mitto alias diuisiones,quæ in iam *supra* traditas recidunt, aut recidere debent.

Quinta difficultas est. An relatio prædicamen- 26
talis requirat terminum existentem. Affirmant communitèr Auctores, vt videre est apud Soar. *disp.* 47. *Metaph. sect.* 8. & Ouied. *controu.* 9. *Metaph. punct.* 3. Ego verò, vt certum apud omnes statuo, ex relationibus tum adæquatè indistinctis, tum adæquatè distinctis, tum partim indistinctis, & partim distinctis realiter à suo subiecto aliquas esse, quæ non requirunt terminum existentem; vt cernere est in relatione, quâ scientia de obiecto non existente refertur ad ipsum, & in relatione, quâ obiectum existens à scientiâ non existente scibile dicitur; & in relatione, quâ hodiernus dies dicitur prior crastino; & aliquas esse, quæ requirunt terminum existentem; vt etiam apparet in relatione connexionis creaturæ cum Deo, & in relatione, quâ obiectum ab existente visione dicitur visum, & in relatione domini serui existentis. Quo posito, videant nunc Auctores, ad quod horum trium generum (omnem relationem

excogi

excogitabilem comprehendentium iuxta dicta *numer.* 21.) relationem prædicamentalem reducunt, vt sua assertio vera sit. Vel quam ipsi appellent relationem prædicamentalem, vt difficultas proposita locum habeat. Apud me enim, qui omnem omninò relationem prædicamentalem censeo appellandam, conspicua est eius resolutio, vt constat ex dictis; nimirum aliquas relationes prædicamentales exigere terminum existentem, aliquas verò secus. Quomodò autem relatio, quæ denominatio est re ipsa subiecto extrinseca, aut semiextrinseca, & consequenter essentia quædam per accidens dici possit existere tametsi non omnes partes eius sint existentes, ex doctrinâ vniuersali traditâ *suprà disp. 9. q. 5.* constat. Quæ ad rem rocolenda.

27 Sexta difficultas est; vtrum relatio terminetur ad absolutum: an verò ad respectiuum. Sunt, qui censeant, ad respectiuum, qua tale, terminari. In quibus est Rub. *suprà quæst. 7.* Soar. verò *sect. 17.* Hurtad. *sect. 7.* Ouied. *punct. 5.* & cæteri ferè omnes communiter ad absolutum terminari asseuerant; quibus assentior: nempè relatio paternitatis ex suo conceptu non respicit filium reduplicatiuè prout filium; siue prout relatum ad patrem; sed præcisè prout homo quidam est; & relatio, quâ A, est dissimilis B, non respicit B, prout dissimile ipsi A, sed præcisè quoad entitatem, quam habet, & in cæteris pariter. Quod certè adeò ex terminis ipsis videtur notum, vt miror, aliquos esse, qui oppositum senserint. Probatur tamen insuper primò: quia oculi non vident candorem, vt visum; sed præcisè secundum se: & agens non producit effectum vt productum; sed præcisè secundum se: & creatura non respicit Deum vt respectum; sed præcisè secundum se, vt est notissimum: ergo tantumdem est dicendum de cæteris relationibus. Secundò: quia si A, esset dissimilis B, prout sibi dissimili, esset dissimilis illi, vt supponitur, & simul non esset dissimilis: quia A, & B formaliter, prout dissimilia inuicem non sunt dissimilia: sed similia à relationibus similibus dissimilitudinis, quas habent. Est igitur vnumquodque eorum dissimile alteri quoad entitatem præcisè considerato. Tertiò: quia homo eius tantùm termini dicitur esse pater, quem physicè genuit: at non genuit physicè filium reduplicatiuè prout filium; siquidem in conceptu reali filij, quâ talis, entitas filij, & entitas patris & entitas generationis intrat: prout constat ex doctrinâ traditâ *suprà num.* 8. & certum est, non genuisse suam, generationisque entitates: sed solam entitatem filij: ergo huius tantùm pater est: ad haneque proinde præcisè terminatur paternitatis relatio. Quartò denique à priori: quia, vt subiectum referatur ad terminum impertinens est, quod terminus vicissim referatur ad subiectum ipsum. Nam sicut relatio subiecti ad terminum non poscit, quòd terminus, referatur ad subiectum relatione eiusdem rationis, vt patet, quando relatio subiecti ad terminum non mutua est: ita non poscit quòd vllomodo referatur: ergo subiectum non refertur ad terminum, prout ad se vicissim relatum; sed tantùm ad termini entitatem præcisè. Hæc satis. Quæ autem ex aduerso obiici possunt leuiora sunt, quàm, vt in eis dicendis morari oporteat: apud Auctores commemoratos videri possunt.

28 Septima difficultas est. An relationes suscipiant magis, & minus. Dico cum communi, aliquas suscipere, vt relationes inæqualitatis, dissimilitudinis, &c. Aliquas verò non suscipere, vt relationes æqualitatis, distinctionis, & similes.

Octaua difficultas est. Vtrum aliqua relatio ad terminum impossibilem esse possit. Vasquez & alij videntur negare, dum requirunt ad omnem relationem terminum aut existentem, aut possibilem. Sed communis sententia affirmat, quam tenent Soar. *disputat. 47. Metaph. sect. 4.* Ruiz *tom. de scient. disputatione 5. sect. 2.* Albertin. de prædicam. *ad aliquid quæst. 5.* Ouied. *controuers. 10. Metaph. punct. 2.* & apud eos alij. Egoque vt prorsus certam amplector: quia scientia de obiecto impossibili relatio quædam est ad ipsum, negatio etiam eius à nobis respectiuè ad ipsum concipitur cum fundamento: relationes etiam similitudinis, dissimilitudinis, inæqualitatis, distinctionis, oppositionis ad chimeras terminari sæpissimè ex suo obiectiuo conceptu manifestum est, cum possibilia impossibilibus, & impossibilia ipsa inter se verè sint ex conceptibus suis, aut similia, aut dissimilia, aut æqualia, aut inæqualia, aut opposita, aut distincta, &c. 29

Nona difficultas est. Vtrum eiusdem ad se ipsum relatio realis esse possit. Communis sententia videtur negare, quam latè tuetur Ouid. *contr. 10. Metaphys. punct. 3.* Ego verò cum Ruiz *tom. de scient. disputat. 5. sect. 2.* affirmo. Primò: quia cognitio quâ intellectus creatus cognoscit se ipsum, relatio quædam eiusdem ad se ipsum est, non solùm realis; sed etiam re ipsâ formalis. Similiterque amor, quo se amat voluntas creata. Secundò: quia connexio, quâ vnumquodque secum ipso est connexum, & identitas, quâ vnumquodque sibi ipsi est identificatum, relationes quædam sunt ex suo conceptu formali fundamentaliter reales: quod satis videtur, vt relationes reales absolutè dicantur; tametsi formaliter sumptæ relationes sint rationis supppositiuæ: sicut relationes similitudinis, æqualitatis, paternitatis, & aliæ, quæ prædicamentales vulgò appellantur, ex suo conceptu formali relationes rationis suppositiuæ sunt, & nihilominus, loquendo absolutè, reales relationis vocantur: quia fundamenta vnde sumuntur conceptus formales earum: seu potius, quæ per tales conceptus intenduntur ab intellectu nostro cognosci realia sunt, iuxta doctrinam statutam *suprà numer. 17.* Quo etiam iure relationes, quibus idem sibi ipsi dicitur simile, & æquale, reales appellari poterunt. Vnde iure potiori relationes scientiæ, & amoris, quibus Deus se cognoscit, & amat, eiusdemq; proinde sunt ad se ipsum, reales, loquendo absolutè, dicendæ venient, vt censuit Ruiz *vbi suprà.* Porrò relatio eiusdem ad se ipsum circularis vocari potest, sicuti actum eiusdem ad se ipsum *suprà disputat. 8. quæst. 3.* circularem vocauimus. 30

Quomodo autem omnium relationum vnus conceptus vniuersalis; atque adeo vniuocus, qualis per definitionem Aristotelicam principio positam exponitur, dari possit, ex doctrinâ generali tradendâ *infrà disp. 17.* compertum fiet. Vtrum autem ad relationem detur per se motus, necne, alibi est examinandum, vbi de motu sermo sit. Veniamus iam ad agendum de relationibus connexionis, oppositionisque speciatim. Quo tanquam ad scopum potissimum spectat præsens disputatio. 31

QVÆSTIO II.

Quid sit connexio rerum, & quotuplex?

32 ID dicitur vniuersè cum alio quopiam connecti; siue connexum esse, quod ita cum suâ naturâ est colligatum, vt sine eo esse non possit. Vnde patet, connexionem ex suo conceptu actum quemdam esse significabilem per verbum, quo vnum extremum tanquam subiectum cum alio, tanquam cum termino connecti, seu colligari dicitur iuxta doctrinam vniuersalem actuum traditam *suprà disput.* 8. Ex quo rursus fit, connexionem omnes conditiones, seu proprietates actus expositas ibi sortiri. Est autem connexio actus metaphysicus adæquatè per identitatem intrinsecus suo subiecto adæquato iuxta doctrinam *in ea disput.* traditam *q.* 3. atque adeò relatio quædam cum suo subiecto adæquato adæquatè identificata, iuxta doctrinam *quæst. præced.* Vnde connexio in suo conceptu reali non inuoluit terminum, cum quo suum adæquatum subiectum connecti dicitur, quando subiectum à termino adæquatè distinctum est. Id quod inde monstrandum venit. Nam, vel tale subiectum per suam entitatem præcisè est impotens esse sine tali termino, vel non? sed per suam simul, & termini entitatem? si primum, per suam entitatem præcisè erit cum termino connexum, quod ipsum est connexionem eius cum ipso esse adæquatè identificatam. Si verò dicatur secundum, tale subiectum cum tali termino connexum non erit, vt patet; tametsi cum illo connectatur coniunctum ex subiecto, & termino, vt omne totum connectitur cum sua parte, qui est casus excluſus. Constat igitur, connexionem cum suo subiecto adæquato esse adæquatè identificatam, quando subiectum à termino adæquatè distinctum est.

33 Dico autem, connexionem adæquatè esse identificatam realiter cùm suo subiecto adæquato: quia licèt sæpè aliqua res cum alio quopiam connectatur ex suppositione alicuius circumstantiæ extrinsecæ sibi; quo casu talis connexio cum tali re non est identificata adæquatè. At tunc subiectum adæquatum talis connexionis non sola res; sed coniunctum ex ipsâ, & tali circunstantiâ censendum est, cum quo certum est, esse eam adæquatè identificatam realiter; siquidem perinde est, rem ex suppositione circumstantiæ connecti cum termino, atque coniunctum ex re, & circumstantiâ connecti cum termino, vt patet. Cæterùm, quia res ex suppositione circunstantiæ, potiùs, quàm coniunctum ex re, & circunstantiâ solet plerumque dici connexa cum termino; talis connexio respectiuè ad tale subiectum actus est metaphysicus semiextrinsecus; id est, inadæquatè tantùm identificatus cum illo; cui etiam proinde contingens erit, quando circunstantia ex quâ etiam ille desumitur, ipsi subiecto fuerit contingens.

34 Dico etiam. Quando subiectum à termino adæquatè est distinctum: quia sæpè etiam idem secum ipso, & totum cum suâ parte connecti dicitur (connexione scilicet circulari, iuxta dicenda *postmodũ.*) Quo casu subiectum adæquatũ connexionis; atque adeò etiam ipsa connexio abeo indistincta realiter; aut adæquatè; aut inadæquatè identificantur cum termino. Ita tamen, vt connexio eo solùm titulo identificetur cum termino: quia subiectum, cum quo ipsa adæquatè est idem, identificatur cum termino. Vnde rursus apparet de ratione connexionis in vniuersum esse, cum suo subiecto adæquato adæquatè identificari realiter, quâ ratione explicatum est.

Iam verò connexio in metaphysicam, physicam, & moralem primâ diuisione diuiditur. Connexio metaphysica est, quâ subiectum ita est colligatum cum termino suapte naturâ, & essentiâ, vt sine illo nullâ potentiâ possit esse; adeò, vt si esset sine illo, duo necessariò sequerentur contradictoria simul vera: quod penitus est impossibile. Hoc pacto connectuntur actio cum effectu per illam facto, & cum principio efficiente: Cognitio omninò infallibilis cum suo obiecto: creaturæ cum Deo, &c. Connexio physica est, quâ subiectum ista est colligatum cum termino, vt sine illo naturaliter, & citra miraculum esse non possit; tametsi possit miraculo interueniente. Sic connectuntur ignis cum calore, Sol cum lumine, accidens physicum cum substantiâ, &c. Connexio denique moralis ea est, quâ subiectum ita est colligatum cum termino, vt sine illo esse non possit, spectato modo, quo cuncta, aut semper, aut ferè semper, aut plerumque solent accidere: tametsi possit absolutè: atque etiam spectato iure naturæ. Vnde connexio moralis varios gradus potest habere, quos ad supremum, medium, & infimum possumus reuocare, quales sunt tres insinuati: supremus scilicet, quando subiectum sic se habet ad terminum, vt in eadem rerum, & circumstantiarum peristasi nunquam sit sine illo. Medius, quando ferè nunquam. Infimus, quando maiori ex parte, etsi aliàs tum absolutè: tum naturaliter sine illo esse posset. Exemplum sit primi gradus, connexio, quam habet cum existentiâ Romæ testimonum eorum omnium, qui Romam esse testati sunt. Exemplum secundi connexio, quam habet indigentia parentis inopis cum largitione muneris à filio prædiuite, & probo facienda. Exemplum tertij, preces filij cum re faciliter præstandâ à matre.

Porrò connexio metaphysica in ipsis rerum essentiis, in essentialique exigentiâ nullâ potentiâ refragabili, quam illæ habent termini connexionis, fundatur: Connexio verò physica in exigentiâ naturali, iuridicâ, siue in naturali debito, quo terminus connexionis subiecto connexo debetur, adeò, vt nequeat citra miraculum illi negari; tametsi per miraculum possit: Connexio verò moralis in propensione, inclinatione, necessitudine, siue propinquitate, quam subiectum aliàs indifferens respectu termini connexionis præ extremo contradictorio habere censetur. Quæ tanta esse potest, vt de existentiâ talis contradictorij: ne physicam quidem formidinem, siue suspicionem relinquat, vel tanta, vt non relinquat formidinem prudentem, licèt relinquat physicam, iuxta primum, & secundum dictorum graduum, vel denique tanta, iuxta tertium, vt locum det, aut suspicioni prudenti, aut iudicio minùs probabili de existentiâ dicti contradictorij. Pro quo videnda dicta *suprà disput. 5. & 6.* 35 36

Secundò, quælibet cõnexio ex prædictis in immediatam, & mediatam diuiditur. Immediata est, quando vnum extremum cum alio per se immediatè; seu nullo medio interposito connexum est. Mediata verò 37

quando

quando vnum extremum cum alio connectitur per mediam aliquod, aut per plura media interposita. E. g. si A connectitur per se cum B, & B cum C, & C cum D, & D cum E, &c. Connexio, quam A habet cum B immediata est, sicut, & quam habet B cum C, & C cum D. & D cum E &c. quam verò habet A cum C, cum D, cum E &c. mediata est: sicut & quam habet B, cum D, cum E &c. necnon, quam habet C cum E &c. Ex quo patet primò, connexionem immediatam vno tantùm modo, siue vno tantùm gradu posse esse talem; mediatam verò multis: quia potest esse magis, aut minùs mediata; siue remota in quouis gradu numerabili, nempe in secundo, in tertio, in quarto, & ita deinceps. Secundò patet, quomodò series, siue progressio continua connexionum, terminorúmque cõnexorum possit compingi, si A cum B, B cum C, C cum D, D cum E & ita deinceps connectantur. Tertiò patet, seriem connexorum continuam aut posse excogitari ab vtraque parte infinitam, aut ab vtraque finitam, aut ab alterutra infinitam, finitámque à residua. Quæ autem ab vtraque parte est finita, aut potest esse circularis, vt si in hac connexorum serie A B C D E, E immediatè connectatur cum A, cuius remotissimam terminat connexionem; aut potest esse non circularis, vt si E in assignatâ serie cum nullo alio termino connectatur. Vtrum autem series connexorum ab vno latere, vel ab vtroque infinita possibilis sit, suo loco determinabitur.

38 Tertiò, diuiditur connexio quæuis in mutuam, & non mutuam. Mutua est, quando vnum extremum cum alio, & vicissim hoc cum illo connexa sunt. Non mutua verò, quando vnum extremum cum alio connexum est; sed non è conuerso. Connexio autem mutua; aut potest esse immediatè talis, vt si A cum B, & B cum A immediatè connexa sint; aut potest esse talis mediatè, vt si A mutuò immediatè cõnectatur cum B, & B similiter cum C, quo casu A, & C mutuò mediatè connexa erunt: aut potest esse talis partim immediatè, partim mediatè, vt in omni serie circulari alias non mutuò connexorum contingit. Si enim in illâ serie A B C D E, E connectitur immediatè cum A connexo secum remotissimè, A, & E partim immediatè, & partim mediatè mutuò inter se connexa erunt.

39 Quartò, connexio metaphysica in circularem, & rectam est diuidenda, iuxta diuisionem actus circularis, & recti traditam *disputatione* 8. *quæst.* 3. Circularis dicitur ea, quâ vnumquodque secum ipso connexum est; tum etiam ea, quâ totum quoduis connexum est cum qualibet suarum partium, à qua inadæquatè tantùm distinguitur. Recta verò dicitur ea; quâ quoduis subiectum cum termino adæquatè à se distincto connexum est; idque siue subiectum, & terminus per nostram rationem; siue realiter distinguantur. Dari quippe formalitates suopte conceptu connexas cum aliis, à quibus non distinguuntur realiter, sed per nostram rationem tantùm indubitatum est, vt ex dicendis apparebit.

40 Quintò, connexio sumpta vniuersè, alia est secundum *esse* quiditatiuum; siue subiecti; siue termini; alia secundum *esse* existentiale; alia secundum vtrumque *esse*. Quocircà nouem imprimis combinationes facindæ veniunt. Quiditas enim subiecti connecti potest cum quiditate termini, aut cum existentia termini; aut cum vtraque. Ecce tres; similiterque existentia subiecti, vnde aliæ tres; similiterque coniunctum ex quiditate, & existentia subiecti, vnde tres reliquæ. Et quoniam tam quiditas, quam existentia siue subiecti, siue termini aut absoluta, aut conditionata esse potest, iuxta doctrinam latè traditam *disputatione* 10. hinc crescunt combinationes; atque adeò connexionum genera vsque ad 225. in quibus prolixè recensendis non est, cur immorer: id enim facilè præstabit quisque versatus in combinando. Appello autem impræsentiarùm *esse* quiditatiuum, & quiditatem siue subiecti, siue termini, quamlibet veritatem spectantem ad statum quiditatiuum eorum; siue ad essentiam; siue ad passiones eorumdem pertineat illa. *Esse* verò existentiale, & existentiam dico, quamlibet similiter veritatem pertinentem ad statum ipsorum existentialem, iuxta dicta *loco citato*. Idque siue subiectum, aut terminus connexionis sit quid positiuum, cui formaliter, & propriè conuenit habere quiditatem, aut existentiam, aut vtrumque, siue sit quid negatiuum, cui tantùm per quandam æquiualentiam id conuenit, iuxta dicta *disputatione* 9. *quæst.* 3. de quo etiam *disputatione* 10. plura sunt dicta, quæ ad rem recolenda.

Hinc sextò, connexio sumpta vniuersè subiecti 41
ad terminum esse potest, aut respectiuè ad idem tertium, in quo ambo esse, siue habere suum *esse* dicantur, aut respectiuè ad diuersa: nimirum respectiuè ad eumdem statum, aut ad diuersos; ad idem tempus, aut ad diuersa, ad eumdem locum, aut ad diuersos; ad idemque subiectum, aut ad diuersa: res quippè esse, siue habere suum *esse* dicuntur in aliquo statu, in aliquo tempore, in aliquo loco, aut etiam in aliquo subiecto, sumpto subiecto vniuersè pro quouis alio tertio, aut pro subiecto prædicationis, quod tertium vniuersalissimum est; in quo prædicatum, quod ad rem attinet, dici potest sæpeque dicitur habere suum esse.

Vnde itidem multæ aliæ combinationes; atque 42
multa connexionum genera pullulant, quas numerare opus non est. Sat sit scire. e. g. fieri posse, vt A prout habens esse in statu existentiali connectatur cum B prout habente esse in eodem statu existentiali, aut in diuerso; nempe in quiditatiuo: primumque eueniet, si A non possit existere, quin existat B: secundum, si A non possit existere, quin B sit possibile; aut sit tale, vel tale quid ex suo conceptu obiectiuo. Tum fieri potest, vt A prout habens esse in tempore præsente connectatur cum B prout habente esse in eodem tempore; aut in diuerso: nempe in præterito, vel futuro. Primumque eueniet, si A nequeat existere in tempore præsente, quin in eodem existat B. Secundum, si A nequeat existere in tempore præsente, quin B vel extiterit in tempore præterito, vel sit extiturum in futuro. Tum fieri potest, vt A prout habens esse in hoc loco connectatur cum B prout habente esse aut in eodem; aut in alio. Primumque eueniet, si A nequeat existere in hoc loco, quin in eodem existat B. Secundum, si A nequeat existere in hoc loco, quin existat B in aliquo alio. Tum denique fieri potest, vt A prout habens esse in hoc subiecto connectatur cum B prout habente esse aut in eodem, aut in alio: primumque eueniet, si A nequeat conuenire huic subiecto; idque siue intra statum quiditatiuum, siue intra existentialem, quin conueniat eidem B pariter, aut quiditatiuè, aut existentialiter. Secundum. Si A nequeat conuenire huic subiecto, quin alteri subiecto conueniat B. Similitèrque in reliquis casibus residuarum combinationum, quas multas esse constat ex dictis, philosophandum est. Ex quibus omnibus satis apparet, quid sit connexio rerum, & quotuplex.

QVÆSTIO III.

Quid sit oppositio rerum. Et quotuplex?

43 ARistot. *in lib. Prædicam. cap.* 11. Vbi de iis incipit agere, quæ Postprædicamenta vocant, quatuor genera oppositorum exposuit. Alia enim, inquit, opponuntur relatiuè, vt duplum, & dimidium; alia contrariè, vt bonum, & malum; alia priuatiuè, vt visus, & cæcitas; alia contradictoriè, vt affirmatio, & negatio; siue, vt esse, & non esse. Quid verò sit oppositio in genere non definit Philosophus.

44 Quam, vt ego definiam suppono, ea vniuersè dici opponi, siue opposita esse, quorum vnum ita aduersatur alteri, siue ei repugnat, vt simul cum illo esse non possit. Ex quo patet, oppositionem ex suo conceptu actum quemdam esse significabilem per verbum, quo vnum extremum tanquam subiectum alteri tanquam termino, ita aduersari, & opponi dicitur, vt ambo simul esse non possint; sed sit necesse, alterum non habere esse, si alterum habet, & vice versa, consentaneè ad doctrinam vniuersalem actuum traditam *suprà disputatione* 8. Quæ subinde oppositioni conuenit quatenus actus est. Vnde etiam apparet oppositionem relationem quamdam esse ex conceptu suo formali, iuxta dicta *quæst.* 1. huius disputationis.

45 Hinc autem fit primò, oppositionem necessariò esse mutuã, vt est distinctio, dissimilitudo, inæqualitas, & alia huiusmodi, necesse quippe est, vt B non possit esse simul cum A, si A non potest esse simul cum B; sicut necesse est, vt B sit distinctum ab A, aut ei dissimile, aut inæquale, si A est distinctum à B, aut ei dissimile, aut inæquale, prout *infrà q.* 4. explicatius monstrabimus. In quo oppositio differt à connexione, quæ plerumque est non mutua, vt constat ex dictis *q.* 2.

46 Secundò fit, oppositionem actum quemdam esse metaphysicum semiextrinsecum respectu vniuscuiusque ex extremis oppositis; sicut est distinctio respectu vniuscuiusque ex extremis distinctis, dissimilitudo respectu vniuscuiusque ex extremis dissimilibus, & cæteri huiusmodi; & consequenter relationem semiextrinsecam esse, siue partim cum suo subiecto identificatam, & partim ab illo distinctam; In conceptu enim eius reali ambo extrema oppositionis includuntur vt minimùm: atque ita, dum vnum eorum tanquam subiectum alteri vt termino opponi dicitur, actus hic oppositionis, non solùm cum suo subiecto adæquato; sed etiam cum suo termino est identificatus realiter; in quo etiam ab actu connexionis discriminatur, qui solùm cum suo subiecto adæquato; non item cum suo termino, quando hic à subiecto distinguitur est identificatus realiter, vt vidimus *q.* 2.

47 Dico autem conceptum realem actus, seu relationis oppositionis ambo extrema opposita, vt minimùm includere in suo conceptu reali: quia sæpe fit, vt aliquam aliam præterea circumstantiam includat. Quia sicut sæpè res aliqua cum aliâ quapiam connexa est, non absolutè; sed ex suppositione alicuius circumstantiæ; quo casu nequit non talis circumstantia in conceptu reali talis connexionis includi, iuxta dicta *q.* 2. ita etiam sæpè res aliqua alteri cuipiam est opposita, non absolutè; sed ex suppositione alicuius circumstantiæ; quo etiam casu nequit non talis circumstantia includi in conceptu reali talis oppositionis, vt patet.

Includuntur autem in conceptu reali oppositionis extrema opposita, non quoad esse, secundum quod sunt opposita; (siquidem verum est, ea esse opposita, cùm non sit verum, habere illa tale *esse*, hoc ipso, quòd sunt secundum illud opposita, vt patet) sed quoad aliud esse quidditatiuum sui, à quo habent vt sint opposita secundum illud. e.g. A, & B opposita secundum vtriusque existentiam, non componunt suam oppositionem prout habentia existentiam; (siquidem verè habent ambo illa inter se oppositionem; cùm tamen verè non habeant ambo illa existentiam: imò neque possint habere) sed prout habentia talem essentiam, â quâ habent, vt ambo simul non possint existere. Et in cæteris pariter. 48

Quòd autem relatio oppositionis sit semiextrinseca modo dicto inde probatur. Primò: quia tales citra dubium sunt relationes distinctionis, dissimilitudinis, inæqualitatis, & aliæ huiusmodi, quibus apertè assimilatur. Secundò: quia si relatio oppositionis esset identificata adæquatè cum subiecto relato, quoduis ex extremis oppositis titulo oppositionis esset intrinsecè connexum cum quiditate alterius, ipsamque exigeret essentialiter, iuxta doctrinam demonstrandam *q.* 4. *propos.* 17. Hoc autem, quis non censeat absurdum? siquidem talis connexionis, & exigentiæ nullum extat indicium; & Deus titulo oppositionis, quam habet cum altero Deo chimerico, cum eius quiditate connexus non est, vt *suo loc.* ostêdemus, quod manifesto argumento est, ex titulo oppositionis non nasci talem connexionem, vti deberet, iuxta *propos. citatam.* Si relatio oppositionis esset identificata adæquatè cum subiecto relato, vt *ibi* videbimus. 49

Iam verò oppositio sumpta vniuersè in contradictoriam, & contrariam venit imprimis diuidenda. Contradictoria est, quâ duo quæque extrema opponuntur, quorum vnum est negatio alterius. Contraria, quâ opponuntur duo quæque, vel plura extrema, quorum nullum est negatio alterius, siue ea sint positiua, siue negatiua, siue mixta. Ex quo patet, omnes omninò oppositiones ad ista duo membra reduci. Oppositio enim priuatiua reducitur ad contradictoriam; relatiua autem ad contrariam. 50

Nam oppositio priuatiua, & contradictoria dumtaxat differunt penes connotationem subiecti apti, vel inepti ad habendum earum positiuum extremum, iuxta dicta *disp.* 9. *q.* 4. de discrimine priuationis, & negationis. Quâ proinde connotatione præcisa in eamdem oppositionem, nimirum contradictoriam recidunt ambæ; siquidem ambarum extrema ita se habent, vt vnum sit negatio alterius. Oppositio verò relatiua aliud non est ab oppositione duarum relationum, quarum neutra est negatio alterius respectiuè ad idem subiectum, quo nihil desideratur, vt ea sit oppositio contraria, iuxta definitionem datam: siquidem extrema correlatiua non ob aliud relatiuè opponi dicuntur, nisi quia relationes amborum alterutri eorum simul conuenire non possunt. e.g. pater, & filius idcircò relatiuè opponi dicuntur, quia paternitas, & filiatio in illis reperta in eorum alterutro simul reperiri non possunt. Non enim potest pater esse etiam filius filiatione repertâ in filio, aut filius esse etiam pater paternitate reperta in parte: quia pater esset filius sui tanquam distincti 51

stincti à se, & filius esset pater sui tanquam distincti à se quod planè repugnat: hos namque effectus formales præstant subiectis, quibus insunt hæ relationes. Quod ipsum est illas respectiuè ad idem subiectum contrariè esse positas.

52 Et hæc oppositio relationum in omnibus omninò extremis correlatiuis inuenitur, vt ex se patet; siue relationes eorum dissimiles inter se sint, vt in exemplo posito, siue sint similes, vt sunt relationes æqualitatis, inæqualitatis, similitudinis, dissimilitudinis, aliæque huiusmodi extremorum æqualium, inæqualium, similium, dissimilium, & huiusmodi cæterorum. Quando verò relationes extremorum correlatiuorum dissimiles sunt inter se, alia insuper relatiua oppositio solet in illis reperiri, quatenus in alterutro talium extremorum non solùm coniungi non possunt eædem numero relationes amborum; sed neque coniungi possunt aliæ illis similes, eædemve secundum speciem; idem enim homo non solùm non potest esse pater, & simul filius eadem numero filiatione, quam habet suus filius; sed nec potest esse absolutè respectu eiusdem simul pater, & filius. Similiter neque idem ens respectu eiusdem potest esse simul causa, & effectus; nec eadem quantitas respectu eiusdem simul dupla, & dimidia; aut totum, & pars. Pariterque euenit in aliis huiuscemodi correlatiuis.

53 Quæ cùm ita sint, oppositionem priuatiuam sub contradictoriâ, relatiuam autem sub contrariâ comprehendemus deinceps, quoties aliud non notauerimus expresè, vt vniuersaliùs, & expeditiùs oppositionum scientiam texamus. Quomodo autem negatio quæuis, tametsi re ipsâ sit nihil, extremum nihilominus oppositionis contradictoriæ; atque etiam contrariæ dicatur ex dictis *suprà disputat. 9. quæst. 3.* circa finem, *& quæst. 5. proposit. 8.* compertum est. Quibus positis, pergamus iam ad alias earum diuisiones.

54 Secundò itaque venit diuidenda oppositio, quemadmodum *quæst. 1.* diuisa est connexio, in metaphysicam, physicam, & moralem. Oppositio metaphysica est, quâ extrema opposita ita sibi aduersantur, vt nulla omninò potentia possint simul esse; adeò vt si essent simul, duo necessariò sequerentur contradictoria simul vera. Quod prorsus impossibile est. Oppositio verò physica est, quâ extrema opposita ita sibi aduersantur, vt naturaliter, & citra miraculum simul esse non possint. Oppositio denique moralis ea est, quâ extrema opposita ita sibi aduersantur, vt non possint esse simul, spectato modo, quo cuncta, aut semper, aut ferè semper, aut plerumque solent accidere: Vnde oppositio moralis varios gradus potest habere, quos ad supremum, medium, & infimum reducere possumus, iuxta dicta de connexione *num. 35. & 36.* quæ pariter oppositioni, suâ proportione seruatâ, applicanda sunt. Sed est adnotandum, oppositionem contradictoriam dumtaxat, posse metaphysicam esse, vt constat. Vnde in rigore diuisio facta soli oppositioni contrariæ conuenit, quæ aut metaphysica, aut physica, aut moralis, esse potest.

55 Tertiò, oppositio aut inter duo tantùm extrema, aut inter plura potest esse. Et quidé oppositio contradictoria inter duo tantùm censetur semper esse, quorum vnum negatio alterius est, siue ea sint incomplexa, siue complexa, seu composita ex pluribus; siue ambo sint determinata, siue alterum vagum, vt fieri potest. Oppositio verò contraria tum inter duo tantùm, tum inter plura extrema esse potest, quorum singula singulis mutuò opponantur. Dum enim vnum extremum collectioni plurium inter se non oppositorum, aut alicui eorum vagè opponitur, talis oppositio inter duo tantùm extrema censetur esse, quorum alterum simplex, & alterum complexum, seu compositum ex pluribus est; siue, quorum alterum est determinatum, & alterum vagum, aut quorum vtrumque vagum est. Tot enim modis potest dari contraria oppositio.

Quartò. Oppositio sumpta vniuersè alia esse po- 56
test quoad *esse* quiditatiuum extremorum oppositorum, alia quoad *esse* existentiale; alia quoad vtrumque. Quocirca nouem imprimis combinationes faciendæ veniunt, quando extrema opposita sunt duo. Potest enim quiditas primi opponi quiditati secũdi; aut existentiæ, aut vtrique; similiterque existentia primi, coniunctumq; ex quiditate, & existentiâ eiusdem: quo nouem dictæ combinationes resultant. Et quoniam tam quiditas, quàm existentia extremorum oppositorum aut absoluta, aut conditionata esse potest, hinc crescunt combinationes; atque adeò oppositionum genera, vsque ad 225. vt dicebamus in simili *n. 40.* Vbi etiam, quid per *esse* quiditatiuum, & quiditatem extremi oppositionis tum negatiui, tum positiui veniat intelligendum in simili expositum est. Quod si verò extrema oppositionis non duo tantùm: sed plura sint, crescent profectò combinationes, generaque oppositionum commemorata proportionatè ad numerum extremorum, vt constat.

Adnotare tamen oportet circa hanc diuisionem, pleraque earum oppositionum, quæ per illam recensentur à cognoscentibus per proprias species non esse conceptibiles: quia extrema, in quibus consistũt solùm per species alienas conceptibilia sunt; vnde nec sunt oppositiones veræ formaliter: sed tantùm per æquiualentiam. Quod vtique euenit, quoties alterum ex extremis oppositionis quiditas aliqua ficta est (vt est in plerisque: siquidem ex extremis oppositis, quâ talibus alterum sit fictum necesse est, vt constat.) A cognoscentibus quippè per proprias species nulla quiditas ficta concipi potest: vtpote necessariò inuoluens identitatem, aut distinctionem fictam non conceptibilem ab illis, iuxta doctrinam stabilitam *disp. 10. 11. & 12.* vnde plena huius adnotationis intelligentia petenda est.

Quintò oppositio extremorum sumpta vniuersè, 57
aut potest esse respectiuè ad idem tertium, puta statum, tempus, locum, aut subiectum, in quo ea dicantur non posse simul esse: siue habere simul suum esse: aut potest esse respectiuè ad diuersa. Vnde multæ itidem aliæ combinationes, multaque subinde genera oppositionum resultant, vt dicebamus in simili de connexione *num. 41.* Itaque oppositionis extrema imprimis possunt esse opposita quoad existentiâ vtriusq, atque adeò respectiuè ad eumdẽ statum existentialem; insuperque quoad existentiam vtriusque, aut in eodem tempore, aut in eodem loco, aut etiam in eodem subiecto. Deinde possunt esse opposita quoad existentiam vnius, & quiditatem alterius; atque adeò respectiuè ad diuersos status, scilicet existentialem, & quiditatiuum. Præterea possunt esse opposita quoad existentiam vnius in tempore, aut in loco, aut etiam in subiecto A, & existentiam alterius in tempore, aut in loco, aut etiam in subiecto B; atque adeò respectiuè ad diuersa tempora, aut ad diuersa loca, aut ad diuersa subiecta, &c. omni factâ combinatione terminorum, quorum mentionem fecimus *n. 56.*

Est tamen aduertendum, etsi oppositione contra- 58
riâ possint extrema aliqua opposita esse respectiuè ad quæuis diuersa tertia commemorata: oppositione

tamen contradictoriâ nullatenus posse, nisi respectiuè dumtaxat ad vnum, & idem, siue illud sit status, siue tempus, siue locus, siue subiectum: quia extremum positiuum, & eius negatio eatenus contradictoriè opponuntur, quatenus extremum positiuum per sui negationem indo omninò remouendum venit formaliter, vbi habet esse, non aliundè. Itaque negatio Petri remouens Petrum ab statu existentiali absoluto tantùm opponitur contradictorie ipsi Petro, proùt habente esse in statu existentiali absoluto; non verò proùt habente esse in statu quiditatiuo, aut in existentiali conditionate. Quocirca hæ propositiones contradictoriè opponuntur. *Petrus est existens: Petrus non est existens*, hæ verò non item. *Petrus est homo: Petrus non est existens*; sicut neque hæ: *Si Petrus extiterit existet: Petrus non existet.* Tametsi omnes nihil importent aliud à Petro, & negatione eius. Quia scilicet in duabus prioribus Petrus, & eius negatio pertinent ad eumdem statum: In quatuor autem posterioribus ad diuersos: similiterque, imò, & potiori iure negatio remouens quidpiam positiuum ab hoc tempore, aut ad hoc loco, aut ab hoc subiecto tolùm opponitur contradictoriè tali positiuo, proùt habenti esse in eodem tempore, aut loco, aut subiecto; non verò proùt habenti esse in aliis distinctis, vt est notum.

60 Sextò: oppositio sumpta vniuersè alia dici potest recusans medium, alia verò admittens medium inter extrema opposita. Sunt namque quædam extrema opposita, inter quæ non datur medium; quædam verò inter quæ datur, vt phrasis est Arist. tum *loco citato supra*, tum *alibi*. Dicitur autem, inter ea extrema opposita non dari medium, quæ ita non possunt simul esse, vt neque possint simul deesse; sed alterum esse, alterumque deesse necesse est. Inter ea verò extrema opposita dicitur medium dari, quæ ita non possunt esse simul, vt nihil vetet, simul deesse: proindeque necesse non est, alterutrum esse. Et quidem omnis oppositio contradictoria recusans medium inter extrema opposita est: quia ex duobus quibusque extremis contradictoriis, alterum esse, & alterum non esse, siue alterum verum, & alterum falsum esse, necesse est. Ob id enim in omnium ore circumfertur, inter duo contradictoria non dari medium. Oppositionum verò contrariarum quædam sunt, quæ recusant, & quædam, quæ admittunt medium inter extrema opposita. Recusant, quæ inter hæc extrema inueniuntur idem, & distinctum, simile, & dissimile, æquale, & inæquale, par, & impar, aliaque huiusmodi: siquidèm necesse est, vt quoduis ens collatum cũ alio, aut idem cũ illo sit, aut ab eo distinctum, vt quæuis qualitas cum aliâ collata aut sit ei similis aut dissimilis. Paritèrq; vt quæuis quantitas alteri sit aut æqualis, aut inæqualis: demùm, vt quilibet numerus, aut sit par, aut impar &c. Admittunt autem medium oppositiones, quæ inueniuntur inter extrema ista. Album, & nigrum; calidum, & frigidum; assentiens, & dissentiens; volens, & nolens, & similia; siquidèm possibile est, vt subiectum quoduis neque sit album, neque nigrum. Tum neque sit calidum, neque frigidum. Tum neque sit assentiens, neque dissentiens. Tum denique neque sit volens, neque nolens &c. Per quæ omnia satis videtur explicatum, proùt ad præsentem quæstionem attinet, quid sit oppositio rerum, & quotuplex.

QVÆSTIO IV.

Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

Dico elici, quæ sequuntur. 61

Propositio 1.

Connexionem, aut non mutuam, aut mutuam esse, possibile est. 62

Supposuimus *id q. 1. n. 38.* modò affirmamus, & ostendimus Quia imprimis nihil est, quod vetet, posse vnum esse sine alio, tametsi hoc sine illo esse non possit; siquidem Deus sine creaturâ esse potest; tametsi creatura non possit esse sine Deo, vt est certissimum; passimque occurrunt similia exempla. Deinde: quia neque est aliquid, quod vetet, ita esse extrema aliqua inuicem colligata, vt neutrum possit sine altero esse, vt cernitur in diuinis personis, in essentiis, & proprietatibus, in aliisque huiusmodi, aut citra dubium possibilibus, aut etiam existentibus.

Propositio 2.

Impossibile est, vt consortium quoduis vnius extremi cum alio mutuum non sit. 63

Est clarum: quia quoduis consortium vnius extremi cum alio quædam est amborum coniunctio, siue simultaneitas, siue societas, vt est notissimum Repugnat autem, duo esse coniuncta, aut esse simul, aut inter se associata; quin vnum cum altero, & hoc vicissim cum illo aut coniunctum, aut simul, aut associatum sit, vt patet.

Vnde constat, consortium vnius extremi cum alio necessario esse mutuum, siue sit consortium eorum quoad esse existentiale, quod coëxistentia dicitur; siue sit quoad esse quiditatiuum, & vtrumque siue absolutum, siue conditionatum. Tum, siue sit consortium quoad esse eiusdem rationis in vtroque extremo repertum; siue quaod esse vnius rationis in vno, & alterius in altero. 64

Propositio 3.

Quâ ratione vnum extremum alteri opponitur, eadem cum negatione eius, siue cum eius contradictorio connexum est. 65

Est clarum ex ipsis terminis, insuperque demonstratur. Primò quia esse vnum extremum alteri oppositum; est non posse esse simul cum illo per difinitionem expositam *q. 3.* Non quæ autem esse simul cum illo idem est, ac non posse esse, quin illud non sit; quod ipsum est non posse esse sine illius negatione atque adeò cum illius negatione connexum esse. Secundò: quia si extremum alteri oppositum cum negatione eius connexum non esset, absque tali negatione esse posset, hoc autè ipsum est posse illud esse simul cum talis negationis contradictorio, quod alterum extremum est; & consequentèr non esse illud oppositũ alteri extremo, cui est oppositũ, vt supponitur. Quod est chimericum.

Ex hâc propositione constat. Si vnum extremum metaphysicè est alteri oppositum, metaphysicè quo- 66

que

que connexum cum negatione eius ; paritérque, si physicè tantùm , aut moraliter est oppositum, physicè tantùm, aut moraliter erit connexum.

66 Et tamen animaduertendum connexionem, quam habet extremum quoduis cum negatione sui oppositi ; ei adæquatè intrinsecam per identitatem non esse;sed semiextrinsecam : quia fundatur in oppositione , quam habet cum extremo contradictorio talis negationis , quæ semiextrinseca ipsi est,ipsumque extremum quoad eius *esse* quiditatiuum muoluit in suo conceptu reali,vt vidimus *quæst. 3.* quod idem *esse* quiditatiuum proindè inuoluit etiam in suo conceptu reali dicta connexio. Itaque pono A, & B esse opposita quoad vtriusque existentiam , & dico,quemadmodum A,& B in conceptu realis talis oppositionis includuntur, non prout existentia ; sed prout habentia talem essentiam , à quâ habent , vt simul existere non possint , prout *ibidem* statutum est ; sic etiam A,& B non prout existentia;sed prout habentia eamdem essentiam includuntur in conceptu reali connexionis, quâ quoduis eorum est connexum cum negatione alterius , sine illaque proindè existere nequit.

66 Ex quâ doctrinâ inferemus suo loco ; connexionem, quâ Deus connectitur cum negationibus chimerarum,quibus quoad existentiam suapte essentiâ oppositus est, vt sunt peccatum proprium , secundus Deus , & similes , non esse adæquatè intrinsecam ipsi Deo ; sed partim extrinsecè desumptam à veritatibus quiditatiuis , seu obiectiuis, quas essentialiter , & de suo habent tales chimeræ. De quo *ibi* plura.

Propositio 4.

68 Quâ ratione vnum extremum cum altero connexum est, eâdem eius negationi , siue eius contradictorio oppositum est.

Est clarum : quia extremum connexum cum altero eo ipso sine illo esse non potest, iuxta definitionem datam *quæst.* 2.Hoc autem ipsum est non posse esse cum eius contradictorio ; atque adeò illi oppositum esse iuxta definitionem datam *q. 3.*

69 Ex hac propositione infertur,si vnum extremum metaphysicè est cum alio connexum, metaphysicè quoque esse oppositum contradictorio eius;physicè autem si physicè , moraliter, si moraliter.

Propositio 5.

70 Oppositionem esse non mutuam impossibile est. Necessariò enim est mutua.

Statuimus hoc *quæst.* 4. *num.* 45. explicatiùs hic monstraturi. Ponamus enim , si fieri potest, extremum A quoad existentiam oppositum esse extremo B, non tamen è conuerso (idem quippe est , quod ad rem attinet , de oppositione quoad existentiam, ac de aliis omnibus, vt patet.) Fiet vtique inde primò, extremum B posse coëxistere extremo A,vtpotè ei non oppositum quoad existentiam, quin possit extremum A coëxistere extremo B , vtpote oppositum ipsi quoad existentiam. Quod est extremum B posse coëxistere extremo A coëxistentiâ non mutuâ, contra *propos.* 4. Secundò fiet , existente extremo A , posse quoque existere extremum B , vtpotè illi quoad existentiam non oppositum ; atque ita extremum A extremo B oppositum quoad existentiam absque negatione existentiæ eius existere posse ; proindeque cum tali negatione connexum non esse quoad existentiam,contra *propositionem 3.* Repugnat ergò , oppositionem quoad existentiam extremi A cum extremo B, & consequenter quamlibet aliam esse non mutuam. Quod erat demonstrandum.

Propositio 6.

Positio cuiusuis ex extremis contradictionis suo- 71
pte conceptu formalis est alterius exclusio , siue defectus. Et è conuerso,cuiusuis exclusio,siue defectus formalis est alterius positio.

Ita omnes : quo verò pacto vera sit & intelligenda propositio hæc *disputatione 9. quæst. 5. propos. 2.* notauimus.

Propositio 7.

Quoties duo aliqua extrema connexionem inter 72
se habent , eorum contradictoria inuersam connexionem habere necesse est.

Est dicere. Si A connectitur cum B necesse est, vt contradictorium ipsius B connectatur cum contradictorio ipsius A. Si enim A nequit esse sine B, necesse est, vt deficiente B , deficiat A ; hoc autem ipsum est , defectum ipsius B , qui est contradictorium eius, sine defectu ipsius A, qui etiam est eius contradictorium,esse non posse;atque adeò cum illo connexum esse.

In hoc certissimo principio fundatur regula illa 73
Logicorum. *Quoties est bona consequentia à contradictorio consequentis, ad contradictorium antecedentis est etiam bona.* Nam tunc est bona consequentia,quando antecedens est connexum cum consequente, quo casu , cùm nequeat non itidem contradictorium consequentis esse connexum cum contradictorio antecedentis , iuxta præsentem propositionem nequit non esse itidem bona consequentia à contradictorio consequentis ad contradictoriuin antecedentis.

Habet autem propositio locum intra quoduis ge- 74
nus connexionis seorsim, metaphysicæ scilicet,physicæ,& moralis quidem,vt, quam connexionem inter se habent [illegible]ema vel metaphysicam,vel physicam, vel moralem, eamdem inuersâ vice inter se habeant contradictoria eorum. Vnde planè sequitur : si duo quæpiam extrema mutuo inter se connexa sint aliquo genere connexionis,& eorum contradictoria mutuo inter se connexa esse eodem connexionis genere.

Argui tamen potest contra propositionem hoc 75
modo.Quando contradictorium extremi terminantis connexionem alterius cum ipso extremo , cuius est contradictorium connexum est suopte conceptu , vt sæpe euenit , cùm tale contradictorium chimericum est, iuxta doctrinam latè traditam *disputatione* 11. tunc non est necesse,vt tale contradictorium cum contradictorio alterius extremi habentis connexionem connexum sit : Igitur propositio data non est vniuersaliter vera. Consequentia est bona,& antecedens videtur certum : quia quantumuis A sit connexum cum B , si tamen contradictorium ipsius B cum ipso B connexum est suopte conceptu , opus non est , quòd contradictorium ipsius B connexum sit cum contradictorio ipsius A. Cuius ratio conspicua est : quia inuersa connexio , quam habent contradictoria extremorum inter se connexorum , tunc solùm necessariò datur, quando per contradictorium extremi terminantis connexionem alterius simpliciter , & vndequaquè excluditur ; atque adeò deficit tale extremum;

mum ; tunc enim necesse est, quòd deficiat alterum, & consequenter, quòd adsit eius contradictorium : in casu verò proposito per contradictorium extremi terminantis connexionem alterius non excluditur ; atque adeò nec deficit extremum ipsum simpliciter, & vndequaque: quia ita deficit, vt etiam adsit, eo quòd ita per tale contradictorium tanquam per sibi oppositum destruitur, vt simul per idem tanquam per connexum adstruatur.

77 Respondeo, in propositione datâ de contradictoriis simpliciter talibus sermonem esse ; atque ita vniuersaliter esse veram : quia contradictoria simpliciter talia ea sunt, quæ simpliciter, & vndequaque excludunt extrema, quibus contradicunt ; quoties autem contradictorium extremi terminantis connexionem alterius simpliciter, & vndequaque excludit ipsum extremum, cui contradicit; impossibile est adesse tale contradictorium, quin adsit quoque contradictorium alterius extremi habentis connexionem ; proindeque non potest non illud cum hoc connexum esse, vt propositio data fert; in ipsoque argumento opposito planè supponitur. Cæterùm, contradictorium chimericum, de quo in eo termo est, non simpliciter; sed secundum quid tantùm est contradictorium extremi, cui contradicit; atque adeò licèt sit contradictorium extremi terminantis connexionem alterius, non opus est, quòd sit connexum cum contradictorio alterius extremi habentis connexionem, vt benè per argumentum ipsum probatur. Ex quibus patet, nihil per illud derogari propositioni nostræ.

78 Ex cuius tamen doctrinâ venit colligendum pro multis casibus, qui fors occurrent, regulam illam Logicorum. *A contradictorio consequentis bonæ argumentationis ad contradictorium antecedentis arguitur benè*, quò vniuersaliter sit vera, de contradictorio consequentis simpliciter tali, esse dumtaxat intelligendam. A contradictorio enim chimerico consequentis cum ipso consequente connexo, quod tale est secundum quid, ad contradictorium antecedentis non benè arguitur, vt argumentum factum probat. Pro cuius maiore intelligentiâ, quæ *suprà* dicta sunt in simili *d. 3. & disp. 9. q. 5. propos. 1.* videri possunt.

Propositio 8.

79 Vnum ens sæpè est connexum quoad existentiam cum alio ente proùt existente.

Ita enim connectitur omne ens ab alio cum aliquâ causâ effectiuâ sui ; & omnis actio cum termino per illam facto, & omnis vnio cum extremis, quæ vnit, & vniuersè omnis modus physicus cum subiecto, cuius est modus, vt in confesso est apud omnes. Nec solùm metaphysicâ connexione, vt in exemplis datis euenit; sed etiam physicâ tantùm, aut morali est vnum ens sæpè quoad existentiam connexum cum alio, proùt existente, vt cunctis manifestum est, sexcentisque exemplis potest ostendi.

Propositio 9.

80 Vnum ens sæpè est oppositum quoad existentiam alteri enti prout existenti.

Sic enim opponuntur assensus, & dissensus; amor, & odium ; volitio, & nolitio eiusdem obiecti, & subiecti. Sic peccatum, & gratia ; calor, & frigus ; albedo, & nigredo respectiuè ad idem subiectum. Tum similitudo, & dissimilitudo ; æqualitas, & inæqualitas, & alia innumera, vt cunctis est notum: idque, aut metaphysicâ oppositione, aut tantùm physicâ, vel morali.

Propositio 10.

Nulla negatio quoad existentiam cum aliquo 81
ente proùt existente distincto à Deo connexa est.

Quo pacto per quamdam solùm æquiualentiam dicantur verè negationes existere suppono explicatum *superiùs disp. 9. q. 3.* & consentaneè ad doctrinam traditam *ibi* loquor semper de negationum existentiâ.

Igitur nullam negationem earum, quæ verè exi- 82
stunt, aut possunt, potueruntve existere in sensu suppositò, siue possibilium, siue impossibilium entium sint negationes (de iis enim omnibus loquor) connexam esse quoad existentiam cum aliquo ente, proùt existente distincto à Deo, certum secundum fidem est : quia certum est secundum fidem, nullum ens distinctum à Deo extitisse ab æterno ; & consequentèr omnes negationes omnium entium distinctorum à Deo absque vllo eorum proùt existente ab æterno extitisse. Quod ipsum est, nullam ipsarum, quoad existentiam cum vllo ente proùt existente distincto à Deo connexam esse.

Propositio 11

Sæpè vnum, ens quoad existentiam cum aliquâ 83
negatione proùt existente connexum est.

Quoties enim vnum ens quoad existentiam alteri enti proùt existenti oppositum èst, vt sæpè fit, iuxta *propos.it. 9.* tale ens cum negatione sui oppositi proùt existente connexum est, quoad existentiam, iuxta *propos.it. 3.*

Propositio 12.

Vna negatio quoad existentiam sæpè cum aliâ 84
quoad existentiam connexa est.

Quoties enim vnum ens quoad existentiam, cum alio ente proùt existente connexum est, iuxta *propos.it. 8.* non potest non negatio huius simpliciter excludens illud, pariter esse connexa cum negatione illius, iuxta *propos.it. 7.* Connexio autem negationis cum negatione talis erit, qualis erit entis cum ente, metaphysica videlicèt, physica, vel morâlis.

Propositio 13.

Nulla negatio quoad existentiam, alicui negatio- 85
ni entis à Deo distincti proùt existenti opposita est.

Tum quia omnes simul coëxtiterunt ab æterno secundum fidem ; tum quia aliqua negatio quoad existentiam, cum aliquo ente distincto à Deo proùt existente connexa esset, contra *propos.it. 10.* siquidem extremum negationi oppositum, nequit non esse connexum cum negationis contradictorio, iuxta *propos.it. 3.*

Propositio 14.

Sæpè vna negatio quoad existentiam alicui enti 86
proùt existenti opposita est.

Quia sæpe vna negatio, quoad existentiam, cum aliquâ negatione proùt existente connexa est, iuxta *propos.it. 12.* Nequit autem esse sic connexa cum illâ, quin sit quoad existentiam opposita enti contradictorio eius proùt existenti, iuxta *propos.it. 4.*

Propos

Propositio 15.

87 Sæpè vnum ens quoad existentiam alicui negationi prout existenti oppositum est.

Quia sæpè vnum ens quoad existentiam cum alio ente prout existente connexum est, iuxta *prop.* 8. Nequit autem esse sic connexum cùm illo, quin sit quoad existentiam oppositum negationi eius prout existenti, iuxta *propositi.* 4.

Propositio 16.

88 Omne ens quoad existentiam cum suâ quiditate connexum est.

Quia nullum ens potest existere sine suâ quiditate, & consequenter, quin sit id, quod quiditatiuè est; vt constat.

89 Vnde sequitur, omnem etiam negationem, quâ ratione per æquiualentiam existere dicitur, iuxta dicta *disputatione* 9. *quæst.* 3. quoad existentiam esse connexam cum quiditate suâ: quâ ratione per æquiualentiam itidè dici potest, habere quiditatem.

Propositio 17.

90 Omnis actus quoad quiditatem cum quiditate subiecti, cuius est actus, & termini, ad quem est actus ex suo conceptu obiecto connexus est.

Hanc propositionem obiter statuimus *suprà disputat.* 8. *quæst.* 4. *propositi.* 2. quia tamen magni momenti est, hic tanquam in proprio loco eam distinctius, atque explicatius demonstrare. Demonstratur autem sic. Primò: quia omnis actus ex suo conceptu, & essentiâ alicuius subiecti, ad aliquem terminum est actus, vt *loco citato* statutum est; satisque cunctis ex ipsis terminis erit euidens, semel apprehenso conceptu actus exposito *in eâ disputat. quæst.* 1. Ergo impossibile est, stare quiditatem actus, quin stet quiditas sui subiecti, & sui termini; quod ipsum est, etiam quoad quiditatem cum quiditate sui subiecti, & sui termini connexum esse. Patet consequentia: quia si subiectum, aut terminus non esset id, quod quiditatiuè est, neque actus esset actus eius, vt modò est; atque adeò neque haberet quiditatem, quam modò habet. Confirmatur, & declaratur ampliùs: quia nequit quidpiam suapte essentiâ esse actum huius subiecti ad hunc terminum præ cæteris, quin hoc subiectum, & hic terminus, talem essentiam habeant, qualem modò habent distinctam à cæteris. Si enim hoc subiectum, & hic terminus, aliud quid essent ab eo, quod sunt, actus non huius subiecti ad hunc terminũ; sed alius ad aliũ esset actus suapte essentiâ, aliamq; essentiam ab ea, quam modò habet, haberet. Quod patet impossibile esse.

91 Secundò demonstratur id ipsum: quia omnis actus ex suo conceptu obiectiuo respectus quidam est per se tangens suum subiectum, & suum terminum, vt ex dictis *loco citato* liquidum est. Repugnat autem intelligere, hunc actum tangere hoc subiectum, & hunc terminum, non intellectis hoc subiecto, & hoc termino: est clarum: ergo repugnat esse hunc actum quid tangens hoc subiectum, & hunc terminum, quin hoc subiectum sit hoc subiectum, & hic terminus sit hic terminus; atque adeo, quin hoc subiectum, & terminus sint id, quod sunt. Quid clarius? Hoc autem ipsum est, hunc actum quoad suam quiditatem cum quiditate sui subiecti, & sui termini esse connexum, vt patet.

92 Tertiò impossibile est, quòd actus retinens suam essentiam non respiciat suum subiectum, & suum terminum; siquidem ex suo conceptu quiditatiuo respectus quidem est ad talia extrema, vt statuimus: ergo impossibile est, quòd actus retinens suam essentiam, non respiciat essentias sui subiecti, & sui termini: Est clarum. Ergo impossibile est, quòd retentâ essentiâ actus subiectum, & terminus non retineant suas essentias; quod ipsum est, actum quoad quiditatem cum quiditate subiecti, & termini connexum esse. Patet consequentia: quia, cum retentâ essentiâ actus, necesse sit, actum respicere suum subiectum, & terminum, vt statuimus; si retentâ essentiâ actus, subiectum, & terminus non retinerent suas essentias, retentâ essentiâ actus, actus respiceret subiectum, & terminum, quin respiceret eorum essentias ab ipsis penitus indistinctas. Quod est chimericum.

93 Ex hâc propositione sequitur primò: quando actus à parte rei est formalis, per seque immediatè tangens, respicienſve subiectum, & terminum, vt est vnio, actio, passio, cognitio per propriam speciẽ habita, amor eam supponens, & similes. non posse non talem actum quoad quiditatem cum quiditatibus talis subiecti, & talis termini tanquàm cum extremis à se adæquatè distinctis connexum esse. Quandò verò actus dumtaxat euadit formalis per intellectum nostrum, cùm sit solùm fundamentalis à parte rei; tunc non posse non in conceptu eius reali, in aggregatoue fundamentorum eius includi aliquid quoad suam quiditatem connexum cum quiditate subiecti, & termini, à cuius connexione totus actus, tanquàm à connexione suæ partis connexus euadat. Itaque, si actus sit adæquatè intrinsecus subiecto per identitatem; siue ei adæquatè identificatus realiter, necessariò erit tale subiectum connexum cum quiditate termini à se adæquatè distincti, sicut, & secum ipso. Si verò actus subiecto semiextrinsecus sit, vtpotè inuoluens in suo conceptu reali subiectum, & terminum, eatenus cum subiecto, & termino erit per essentiam connexus, quatenus subiectum secum ipso, & terminus etiam secum ipso suapte essentiâ connectuntur. Recognoscatur doctrina actuum tradita *disp.* 8. *q.* 3. Pariterque, venit philosophandum de relatione, ac de actu, quod ad rem attinet, cùm omnis relatio sit actus quidam, & vice versâ, iuxta dicta *suprà q.* 1.

94 Secundò sequitur, cognitionem iudicatiuam per propriam speciem habitam de quiditate cuiusuis entis, proindeque per se immediatè tangentem quiditatem ipsam, non posse non esse veram, si affirmatiua sit: quia non potest non esse suapte essentia connexa cum obiecto suo. Aliud est de cognitione iudicatiuâ habitâ per speciem alienam de quiditate cuiusuis entis; proindeque non per se immediatè; sed per substitutum alienum tangente talem quiditatem; hæc enim cum illâ prout est in se non est connexa; atque adeò, etsi affirmatiua falsa esse potest, vt pluribus explicatum est *suprà disput.* 3. *q.* 1. *propositi.* 5. Vnde deprehendes, propositionem datam de actibus venire intelligendum, qui per se immediatè; non verò per substitutum alienum subiecti ad terminum sunt actus; secus de illis, qui aut circa subiectum, aut circa terminum peraguntur per substituta, qui quidem rati admodum sunt.

95 Tertiò sequitur, omnem actum de quo in propositione quoad quiditatem mediatè esse connexum cum omni illo, cum quo connectitur quiditas sui subiecti, aut sui termini, de quo plura *in seq.*

Propositio 18.

96 Omnis actus quoad existentiam cum quiditate sui subiecti, & sui termini connexus est.

Quia omnis actus quoad quiditatem cum quiditate sui subiecti, & sui termini connexus est, iuxta *propositi.*

*posit.*17.Sed omnis actus quoad existentiam est connexus cum suâ quiditate, iuxta *prop.*16.ergo omnis actus quoad existentiam cum quiditate sui subiecti, & sui termini connexus est de primo ad vltimum connexione mediatâ.

Propositio 19.

97 Omnis negatio quoad suam qualem qualem quiditatem;atque etiam existentiam cum quiditate entis,quod negat,connexa est.

Quia omnis negatio ex conceptu suo actus quidam est entis,quod negat,vt subiecti;siquidem hoc per illam formaliter dicitur negari,remoueri,excludi,deficere,&c. sed omnis actuis quoad suam quiditatem ; atque etiam existentiam cum suo subiecto connexus est,iuxta *prop.*17.& 18.Igitur omnis negatio,&c. Et quidem veritatē hanc negatiuam *Petrus non existit* neque in se re ipsâ stare;neque à Deo cognosci posse absque eo, quòd Petrus de suo sit Petrus, ex terminis est manifestum:siquidem si Petrus de suo *non esset Petrus*, sed lapis,à nullo intellectu esset iudicabile;atque adeò neque in se verum hoc obiectum *Petrus non existit*;sed loco eius hoc : *lapis non existit*,vt ex se patet. Vnde infertur ex duobus extremis contradictoriis existentialibus negatiuum semper esse connexum cum quiditate positiui.

Propositio 20.

98 Omnis actus contingens prout talis cum possibilitate sui contradictorij, cumque potentia ad illud connexus est.

Est clarum:quia actus contingens dicitur ille,qui potest deficere ; posse autem actum deficere absque possibilitate, potentiâque ad eius defectum stare non potest, vt constat. Quod ipsum est, stare non posse absque possibilitate,potentiâq; ad suum contradictorium ; vt etiam constat. In quocumque demùm consistat eiusmodi possibilitas,atque potentia.

99 Ex hâc propositione sequitur, omnem actum contingentem impossibilitati , impotentiæque ad suum contradictorium oppositum esse;siquidem extremū connexum cum alio, eius contradictorio est oppositum, iuxta *prop.* 4. & impossibilitas possibilitatis, impotentiaque potentiæ contradictorium est.Est autem in propositione sermo de actu vniuersalissimè sumpto ; atque adeò comprehendente tam negatiuum, quam positiuum.

Propositio 21.

100 Omnis actus necessarius cum impossibilitate ad suum contradictorium, & omnis actus impossibilis cum necessitate ad suum connexus est. Primusque proinde oppositus est necessitati sui contradictorij, & secundus impossibilitati sui.

Hæc propopositio post precedentē adeò est ex terminis nota,suppositā eorū explicataione *d.* 11.tradita, vt in eâ amplius explicanda non opus sit morari.

Propositio 22.

101 Si primum extremum cum secundo,& secundum cum tertio,& tertium cum quarto , & ita deinceps connexū sit,primum vtique cum tertio,& cum quarto,& cum reliquis connexū erit mediatā cōnexione.

Hæc propositio cunctis est euidens ex terminis: quia si A non potest esse sine B,& B non potest esse sine C,& C sine D, & sic deinceps, euidens est, A non posse esse sine C,nec sine D,nec sine reliquis.

102 Hoc autem non ita euenit in oppositis : quia ex eo quòd A sit oppositum B, & B sit oppositum C, non sequitur , A esse oppositum C : poterunt namque A,& C simul esse, si aliunde non obstet, quantumuis nec A possit esse simul cum B, nec B possit esse simul cum C. Ita enim gratia nequit esse simul in anima cum peccato graui actuali;& hoc nequit esse simul in anima cum necessitate ad non peccandum ; & tamen gratia benè potest esse simul in animâ cum necessitate ad non peccandum, vt est in paruulis, & in beatis.

Propositio 23.

Quoties vnum extremum alteri oppositum est;& 103
omnibus cum illo connexis oppositum est.

Est clarum : quia si A non potest esse simul cum B;nec poterit simul esse cum aliis,quæ nequeunt esse sine B. Alioquin si cum his posset esse, & cum eisdem necessariò annexo posset esse contra suppositionem : vt est notissimum.

Propositio 24.

Quoties vnum extremnm cum altero connexum 104
est, omnibus aliis , quibus illud fuerit oppositum, oppositum est.

Est etiam clarum : quia si A nequit esse sine B,& B simul cum aliis esse non potest ; necesse est, vt A simul cum eisdem non possit esse: Alioquin si posset, & B, quod secum fert necessariò annexum , posset contra suppositionem : vt satis ex se est notum.

Propositio 25

Duo, vel plura extrema sumpta seorsim ; siue di- 105
stributiuè cum eodem tertio possunt esse connexa, & sæpè sunt.

Ita namque connectuntur omnes creaturæ, quoad existentiam cum vnâ causâ primâ : nimirum cum Deo, & plures actus fidei diuinæ de eodem obiecto cum ipso obiecto ; plures actiones cum eodem principio effectiuo , & vniuersè plures modi cum eodem subiecto.

Propositio 26.

Duo, vel plura extrema sumpta indiuisim ; siue 106
collectiuè, cum eodem tertio possunt esse connexa, sæpeque sunt. Cum quo tamen sumpta seorsim;siue distributiuè non sunt connexa.

Quia sæpè euenit vt coniunctum duorum sine alio quopiam tertio esse non possit,sine quo benè potest esse alterutrum eorum duorum seorsim sumptum E. g.hæc veritas conditionata:*Si detur Petro auxilium A consentiet*, benè potest subsistere seorsim ab existentiâ absolutâ auxilij A,absque existentiâ absolutâ consensus Petri. Similitérque existentia absolutâ auxilij A seorsim à tali veritate:Cùm tamen coniunctum ex tali veritate,ex talique existentiâ auxilij A absque existentiâ absolutâ consensus Petri stare non possit. Similiter veritas maioris cuiusuis syllogismi legitimi seorsim à veritate minoris,& veritas minoris seorsim à veritate maioris bene possunt stare absque veritate conclusionis:coniunctum verò ex vtrâque nequaquam. Pariterque in similibus.

Ex hâc propositione sequitur primò , extremum 107
quod absolutè cum alio connexum non est,cum illo posse connexum esse ex suppositione alterius adiuncti : quia in idem recidit , esse primum ex suppositione secundi connexum cum tertio , cum quo citrà talem suppositionem connexum non est;atque coniunctum ex primo , & secundo esse connexum cum tertio, cum quo primum sumptum seorsim connexum non est, vt constat.

Vnde sequitur secundò ; etsi negatio quoad exi- 108
stentiam cum nullo ente distincto à Deo prout existente

stente absolutè connexa sit, iuxta *propositi.* 10. ex suppositione tamen alicuius entis bene posse eam cum aliquo connexam esse. Ita enim negatio amoris connexa est cum cogitatione retrahente ab amore, ex suppositione cogitationis trahentis voluntatem ad illum: quia tali suppositione factâ, impossibile est, voluntatem omittere amorem absque dictâ cogitatione retrahente ab amore, vt notum est ex principiis de libertate.

Propositio 27.

109 Quoties plura extrema seorsim cum aliquo tertio connexa sunt, & collectim connexa sunt; sed non vice versâ.

Posterior pars constat ex *propositi.* 25. Prior autem monstratur: quia si nulla pars aggregati potest esse sine aliquo tertio, neque aggregatum ipsum poterit esse, vtpotè, quod sine omnibus suis partibus esse non potest; siquidem qualibet earum deficiente, ipsum deficiat necesse est iuxta *propositi.* 9. 13. *statutam disp.* 9. 9. 5. Vnde patet: aggregatum plurium cum eo etiam tertio connexum esse, cum quo, vel vna tantùm pars eius connexa est.

110 Itaque: quia quoduis aggregatum plurium collectim sumptorum cum omnibus, & singulis suis partibus quantumuis seorsim acceptis connexum est; ideò nequit illud connexum non esse cum eo tertio, cum quo partes eius, aut aliqua eorum seorsim sumptæ connectuntur: quia tamen partes è conuerso cum suo toto seorsim sumptæ connexæ non sunt: ideò potest totum collectim sumptum cum aliquo tertio connexum esse; quin cum eodem partes eius seorsim sumptæ connectantur, iuxta *dictam propositi.*

Propositio 28.

111 Vnum extremum cum pluribus tum collectiuè, tum distributiuè sumptis potest connexum esse, & sæpè est.

Ita enim connectitur actus fidei diuinæ de aggregato plurium rerum cum ipso aggregato, & partibus eius; ita quæuis essentia cum aggregato suarum passionum, & cum earum singulis; ita vnio cum extremis, quæ vnit, & multi alij actus cum suo subiecto, & suo termino, &c.

112 Vbi nota: quia partes totius non possunt sumptæ distributiuè habere esse, quin habeant sumptæ collectiuè, nec vice versâ, iuxta doctrinam stabilitam *disputatione* 9. *quæst.* 5. Et connecti vnum cum aliis aliud non est, quàm illud non posse habere esse, quin habeant alia; inde nasci manifestè, vt non possint vnum cum omnibus partibus totius distributiuè sumptis connexum esse, quin sit connexum cum eisdem collectiuè sumptis, nec è conuerso.

Propositio 29.

113 Vnum extremũ cum aliquo plurium vagè, seu distinctiuè sũpto connexũ esse potest, & sæpe est; quin sit connexum cum eorum vllo sumpto determinatè.

Sic enim connectitur effectus cum aliquâ actione productiuâ sui; sic actus fidei diuinæ de obiecto vago cum ipso, & alia sexcenta. Quomodò autem connexio vnius extremi cum alio vago re ipsâ ad illud, prout vagum est, non terminetur; sed potiùs ad vnumquodque determinatum eorum, per quæ illud vagari concipitur sub conditione defectus aliorum, ex vniuersali doctrinâ traditâ *disp.* 10. *quæst.* 2. constat. Quæ ad rem recognoscenda est.

114 Vt autem, vnum extremum cum aliquo alio vagè sumpto modo dicto potest connexum esse, & sæpè est; ita pariter plura extrema tum collectiuè tum distributiuè vsurpata cum aliquo alio vagè sumpto connexa esse possunt, & sæpè sunt. De quo nullum est dubium.

Quomodè verò vice versâ aliquod extremum ex 115
aliquâ multitudine vagè sumptum cum alio nequeat esse connexum; quin sit vllum talis multitudinis determinatum, determinatéve assignabile connexum cum illo, ex doctrina generali omnia entia vaga remouente à rerum naturâ, & *loco citato* etiam traditâ colligere est.

Propositio 30.

Plura extrema sumpta seorsim eidem tertio pos- 116
sunt opposita esse, & sæpè sunt.

Talia enim sunt, quæ sic connectuntur cum eodem tertio, iuxta *propositi.* 25. comparatione contradictorij ipsius tertij, iuxta *propositi.* 4.

Propositio 31.

Plura extrema sumpta indiuisim eidem tertio pos- 117
sunt esse opposita, & sæpè sunt: cui tamen seorsim seorsim non sunt opposita.

Talia enim sunt, quæ sic connectuntur cum eodem tertio, iuxta *prop.* 26. comparatione contradictorij ipsius tertij, iuxta *prop.* 4. Vnde, seruatâ proportione, possunt circa oppositionem inferri, quæ dictâ *prop.* 26 illata sunt circa connexionem.

Propositio 32.

Quoties plura extrema seorsim elicui tertio oppo- 118
sita sũt, & collectim opposita sunt; sed nõ vice versa.

Quia sic per oppositionem se gerunt relatè ad contradictorium tertij iuxta *prop.* 4. quæ sic se gerunt relatè ad tertium per connexionem iuxta *prop.* 27. cuius doctrina ad rem perpendenda, & seruatâ proportione applicanda est.

Propositio 33.

Vnum extremum pluribus tum collectiuè, tum 119
distributiuè sumptis potest oppositũ esse, & sæpè est.

Tale enim est, quod cum pluribus ita est connexum, iuxta *propositi.* 28. relatè ad contradictoria singulorum ipsorum plurium iuxta *propositi.* 4. vbi notanda est doctrina adiuncta dictæ *propositi.* 28. & huic pariter, suâ seruatâ propositione, adiungenda.

Propositio 34.

Vnum extremum alicui plurium vagè sumpto 120
potest oppositum esse, & sæpè est, quin sit oppositum eorum vlli sumpto determinatè.

Hæc propositio per doctrinam *propos.* 29. suâ seruatâ proportione, est demonstranda, & explicanda: quia, quod ad rem attinet, de oppositione eadem philosophia est; ac de connexione, de quâ *ibi*, vt consideranti patebit.

Propositio 35.

Duo extrema contradictoria sumpta seorsim, cum 121
eodem tertio possunt esse connexa, sæpèque sunt.

Duo enim quique actus contradictorij contingentes cum eâdem alterutrius possibilitate, potentiâque connexi sunt; siquidem quilibet eorum cum possibilitate, potentiâque ad alterum est connexus, iuxta *propositi.* 20. itidèmque cum suâ possibilitate, & potentiâ, iuxta *propositi.* 3. *statutam disp.* 8. *q.* 4. Quo fit, vt ambo cum eâdem vniuscuiusque possibilitate, & potentiâ; atque adeò cum eodem tertio connexi sint. Duo etiam quique actus existentialiter contradictorij, quorum alter necessarius, & alter

impossibilis est, cum quiditate positiui;atque adeò cum eodem tertio connexi sunt; siquidèm existentia positiui nequit non esse connexa cum suâ quiditate, iuxta *propos.* 16. & negatio talis existentiæ, qui est actus negatiuus,nequit non cum eâdem quiditate connexa esse iuxta *propos.* 19. Sic existentia necessaria Dei, & eius negatio impossibilis cum ipsius quiditate connectuntur ex suo conceptu. Similitèrque negatio necessaria, & existentia impossibilis cuiusuis chimeræ habentis de suo quiditatem cum quiditate ipsâ connexæ sunt.

Propositio 36

122 Tertium, cum quo duo extrema contradictionis connexa sunt, nequit non esse necessarium.

Si enim esset contingens, ad eius defectum possibilem possent ambo contradictoria deficere contra *propos.* 1. *statutam disp.* 9. *quæst.* 5. Si autem esset impossibile, ad eius defectum necessarium deficerent ambo contradictoria contra *eamdem propos.* Nequit ergò necessarium non esse:quia nihil superet,quod sit;quandoquidèm omne conceptibile aut sit necessarium,aut impossibile, aut contingens necesse est,iuxta*propos.*7.*statutam disp.* 11.*quæstione* 5.

123 Vnde egregie confirmatur doctrina tradita *disp.* 11. de veritate necessariâ quiditatis cuiusuis chimeræ habentis in se quiditatem, cum quâ duo extrema contradictoria connexa sunt, vt dictum *propositione* 35 nempé, negatio necessaria, & existentia impossibilis talis chimeræ.

124 Colligi autem obiter potest ex dictis in hac, & *præced. propos.* maioris claritatis gratiâ,extrema contradictoria necessariò debere esse aut ambo contingentia,aut alterum necessarium, & alterum impossibile, vt est notissimum. Necessitas enim ad vnum fert secum impotentiam ad alterum, & vice versâ. Indéque fit, vt quandò vnum est necessarium,alterum, neque necessarium possit esse;neque contingens;sed impossibile debeat esse. Et quando vnum est impossibile, alterum neque impossibile, neque contingens esse possit, sed necessarium esse debeat. Et quando vnum est contingens,alterum neque necessarium, neque impossibile possit esse;sed pariter debeat esse contingens Porrò contradictoria contingentia semper existentialia sunt ea verò,quorum alterum necessarium, & alterum impossibile est,aut existentialia,aut quiditatiua esse possunt;id est, spectantia, aut ad statum existentiale,aut ad quiditatium rerũ,iuxta doctrinã traditam *suprà d.* 10.& 11.

Propositio 37.

125 Quoties duo extrema contradictoria cum eodem tertio connexa sunt,contradictorium talis tertij cum ipsis contradictoriis extremis connexum est.

Quoniam contradictorium talis tertij cum contradictorio vniuscuiusque ex extremis contradictoriis cum tertio ipsò connexis connexum est iuxta *propos.* 7. hoc autem ipsum est, contradictorium talis tertij cum ambobus ipsis extremis esse connexum; siquidèm contradictorium vniuscuiusque eorum alterum est.

126 Ex quo fit, à contradictorio tertij, cum quo duo quæque extrema contradictionis connexa sunt, ad quoduis eorum extremorum optimam consequentiam fieri; vti semper fit, ab antecedente connexo ad consequens, cum quo illud verè connexum est. Quoniam verò, bonitas talis consequentiæ in materiis specialioribus scientiarum sæpè est occultissima; adeò, vt sæpè pessima appareat consequentia, quæ re verâ est bona; pulcherrima hinc, & profundissima nascuntur sophismata, quibus ego non semel in publicis disputationibus respondentes vexaui, imò manifestè concluſi.

Arguitur enim sic primò, ad probandum, decretum Dei prædefiniens actum liberum prout liberum, & impedibile per libertatem(proùt esse debet, ne eam tollat)esse impossibile: quia cùm actus liber prædefinitus quà talis cum possibilitate carentiæ,seu non existentiæ talis decreti debeat esse connexus, vt constat; consequenter tale decretum erit mediatè connexum cum possibilitate suæ carentiæ; fietque subinde, vt tam decretum, quàm eius carentia,quæ sunt duo contradictionis extrema, cum possibilitate ipsius carentiæ connexa sint; certissimum quippè est,carentiam connecti cum suâ possibilitate.Ex quo sic: Hæc est mala consequentia: *Carentia decreti non est possibilis: ergo existit*;sed esset optima,si existeret dictum decretum: ergo illud impossibile est. Maior ab omnibus statim conceditur (quia re verâ videtur mala consequentia, quam malam asserit, cùm sit à negatione potentiæ ad actum.) Et illatio est legitima. Minor autem sic demonstratur. Hæc est bona consequentia: *decretum existit: ergo eius carentia est possibilis*, vt constat ex dictis:igitur à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis erit hæc quoque bona iuxta *propos.* 7. *suprà statutam*,& apud omnes certam: *Carentia decreti non est possibilis: ergo decretum non existit.* At idem est prorsus decretum non existere, & carentiam eius existere, vt est notissimum: ergo hæc est bona consequentia. *Carentia decreti non est possibilis:ergo existit.* Quod erat demonstrandum.Conclusum ergo videtur ab absurdo, dictum decretum esse impossibile. 127

Similiter ad probandum, Christum Dominum per opus præceptum non potuisse mereri, arguitur sic. Tale meritum, si daretur,titulo libertatis, quam inuolueret, esset connexum cum Christi potentiâ ad carendum illo; cum quâ pariter connexa esset ipsa carentia, vt est notissimum. Ex quo sic. Hæc est mala consequentia: *Christus non potest carere merito: ergo caret illo*; sed esset optima,si Christus meritum haberet:ergo nequit habere illud. Maior conceditur statim, & illatio est legitima. Minor autem sic demonstratur. Hæc est bona consequentia: *Christus habet meritum: ergo potest carere illo*: igitur,& hæc quoque est bona, iuxta *dictam propos.*7. *Christus non potest carere merito: ergo non habet illud.* At idem est prorsus illud non habere, atque illo carere: ergo hæc est bona consequentia: *Christus nõ potest carere merito:ergo caret illo.* Quod erat demonstrandum Conclusum ergo videtur ab absurdo Christũ nõ potuisse mereri per opus præceptum. 128

Quo eodem pacto venit vniuersè probandum: impossibilem esse omnem actum connexum cum possibilitate suæ carentiæ;siue cum potentiâ ad suam carentiã;cùm tamen omnis cõtingens titulo contingentiæ cõnexus sit iuxta *prop.* 20.& multi specialioribus aliis titulis in variis materiis:circa quos subinde forma proposita arguendi magis occultam habet suam fallaciam, quæ tota in eo stat, vt indicauimus, quod consequentia illa: *carentia actus non est possibilis: ergo existit*; *siue*: *subiectum non potest carere actu ergo caret*, specie tenus pessima est, taliſque ab omnibus eam audientibus reputatur: cùm tamen re verâ sit optima: quia est consequentia ab antecedente impossibili connexo ex conceptu suo cum actu, & cum carentiâ actus: eo ipso, quòd actus,& carentia actus connectuntur cum eius contradictorio, iuxta *præsentem propositi.* 129

Cuius doctrina suppositâ, secundo aliter in eisdem casibus, & aliis pluribus sophisticè potest sic 130

argui

argui, ad probandum, actum, & carentiam actus cum eodem tertio connecti non posse; cùm tamen certissimum sit, sæpissimè connecti, vt demonstrauimus. Nam, si actus, & eius carentia connectuntur cum eodem tertio, sequitur ex duobus extremis contradictionis alterum cum altero connexum; atque adeò prorsus ab illo inseparabile esse; sed hoc est absurdum: cùm duo extrema contradictionis potiùs se ad inuicem excludant, & destruant, vt est notissimum: ergo actum, & eius carentiam cum eodem tertio connecti impossibile est. Hoc audito syllogismo, omnes sophismatis ignari facilè reputant absurdam sequelam in maiori propositam; atque ita intrepide negant maiorem. Quæ tamen facilè etiam sic demonstratur. Actus connectitur cum tertiò: ergo iuxta *propos.t. 7. suprà statutam*, & cunctis notam: contradictorium tertij connectitur cum contradictorio actus, quod est eius carentia: ergo si hæc, vt ponitur cum eodem quoque tertio connexa est, contradictorium tertij media ipsa carentia connectitur cum ipso tertio, iuxta *propos.t. 22. suprà statutam*, & cunctis certam: ergo, si actus, & eius carentia connectuntur cum eodem tertio, planè sequitur: ex duobus extremis contradictionis alterum cum altero esse connexum, quod erat absurdum demonstrandum. Cæterùm, quia hæc sequela nullatenus absurda est; eo quòd quando extremum contradictionis est impossibile, vti euenit in casu argumenti; licèt ex vnâ parte excludat alterum, ex alterâ connectitur cum illo, vt ex generali doctrinâ impossibilium traditâ *disp.* 11. constat. Ideò tota fallacia argumenti in eo est, quod reputatâ absurda dicta sequela, negetur maior syllogismi primò propositi: debet enim planè concedi: quia planè demonstrabilis est, vt constat ex dictis.

Propositio 38.

131 Duo extrema contradictoria sumpta seorsim eidem tertio possunt opposita esse, & sæpè sunt.

Quia possunt esse connexa cum eodem tertio, sæpéque sunt iuxta *propos.t.* 35. Eo autem ipso possunt esse, & sunt opposita contradictorio talis tertij, iuxta *propos.t.* 4.

Propositio 39.

132 Tertium, cui duo contradictoria opposita sunt, non potest non esse impossibile.

Quia contradictorium eius, cum quo ipsa contradictoria non possunt non eo ipso connexa esse iuxta *propos.t.* 3. nequit non esse necessarium, iuxta *propos.t.* 36. Quoties autem, vnum ex contradictoriis est necessarium, nequit non alterum esse impossibile, iuxta dicta circa *eamdem propos.t.* Tum, quia, si tertium, cui duo contradictoria opponuntur; esset contingens, ambo possent deficere: si autem esset necessarium, ambo necessariò deficerent. Quod vtrumque repugnat ex *propos.t.* 1. *statuta disputat.* 9. *quæst.* 5. Restat ergo, vt sit impossibile iuxta dicta etiam circa *propos.t.* 36. *citatam.*

133 Vnde colligitur: tertium impossibile, cui duo contradictoria opposita sunt; tum illis oppositum esse: quia oppositio nequit non esse mutua, iuxta *propos.t.* 5. tum cum illis esse connexum iuxta *propos.t.* 37. Nec mirum: quia nihil est, quod prohibeat extremum impossibile cum suo contradictorio connexum esse, iuxta dicta *ibidem*, cui etiam titulo contradictionis oppositum est. Quippe huiusmodi repugnantiæ chymeris impossibilibus annexæ sunt, vt ex dictis *disp.* 11. satis etiam est notũ.

Ex quibus etiam patet, quomodo vnum extremum cum duobus contradictoriis possit esse connexum; sæpeque sit, eisdemque item oppositum, dummodo illud sit impossibile. 134

Propositio 40.

Duo extrema contraria sumpta seorsim cum eodem tertio possunt esse connexa, & sæpè sunt. 135

Ita enim connectuntur amor, & odium: assensus, & dissensus: aliaque huiusmodi contrariè opposita cum quiditate, aut etiam cum existentiâ eiusdem subiecti; cum quiditate eiusdem obiecti; cum causâ primâ, &c.

Tertium autem, cum quo contraria connectuntur necessarium esse debebit, si illa sint ex genere eorum, quæ medium recusant; atque adeò; nec simul esse; nec simul deficere possunt. Aliàs ad tertij defectum, aut contingens, aut necessarium ambo illa simul possent deficere contra suppositionem. Si verò contraria ex genere aliorum, quæ medium non recusant, sint, tertium cum quo connexa sunt; aut necessarium; aut contingens; aut impossibile esse poterit, dummodo, quando tertium est impossibile; ipsa quoq; contraria impossibilia sint Possibile quippe, cum impossibili cõnexum esse nequit, vt constat. 136

Vnde etiam apparet, duo contraria eidem tertio posse esse opposita, & sæpè esse: talia enim sunt respectu contradictorij tertij cum quo connectuntur. Quæ omnia ex dictis *in præcedentibus* satis euidenter sunt nota. 137

Ex quibus satis item conspicuum est. Quomodò vnum extremum cum duobus contrariis connexum esse possit, si sit impossibile. Quomodò etiam duobus contrariis possit esse oppositum, si sit similiter impossibile; quando contraria recusant medium; quando verò non recusant, siue illud sit impossibile, siue necessarium, siue contingens. 138

Propositio 41.

Idem secum ipso necessariò connexum est; sibi verò esse oppositum impossibile est.

Quia idem non potest esse sine se ipso; esset namque, & non esset simul contra *propos.t. 1. statutam disp. 9. q. 5.* Vnde patet: quæcumque re ipsâ sunt inuicem identificata, re quoque ipsâ inuicem esse connexa. Atque hæc satis modò. 139

Aduerto tamen ad extremum, in omnibus huius quæstionis propositionibus, de metaphysicâ imprimis connexione, oppositioneque rerum sermonem esse; tametsi pleræque earum connexioni etiam, oppositionique physicæ, atque morali, sua proportione seruata, communes sint; vt consideranti patebit. Quomodò autem, quæ sunt connexa, aut opposita metaphysicè, physicè quoque, & moraliter connexa, aut opposita sint; sed non vice versâ, ex dictis *in superioribus* liquidum est. 140

QVÆSTIO V.

Quomodo obiecta intellectus prout talia relata, connexa, aut opposita esse possint, vel etiam sint.

BIfariam dici possunt duo, vel plura extrema relata, aut connexa, aut opposita, prout obiecta sunt intellectus. Primò: quia cognoscenti apparent relata, aut connexa, aut opposita; idque siue talia sint in se re ipsa, qualia cognoscenti apparent; siue non item. 141

Secundò: quia in ordine ad hoc ipsum, quod est esse obiecta intellectus, aut conuexa sunt quia nequit vnum sine alio cognosci; aut sunt opposita quia nequit vnum cognosci simul cũ alio; sicq; subindè sunt relata, aut connexiõnis, aut oppositionis relatione.

142 Hoc posito, ex dictis *in superioribus* certum est primò; multa apparere nobis relata, quæ in se re ipsâ non sunt relata; quo casu relatio quædam rationis suppositicia interueniat necesse est. Relatio autẽ rationis ficta tunc etiam interueniet, quando per conceptum relatiuum; non solùm, quæ re ipsâ sunt; sed insuper ea relatio ficta cognosci ab intellectu intendatur, prout *suprà disp. 12. est in præsenti disp. quæst. 1.* satis est explicatum. Quo pacto, connexione, aut oppositione ficta connexa, aut opposita possumus, solemusque concipere, quæ in se realiter; neque connexa; neque opposita sunt. A cognoscentibus autem per proprias species; neque relatio suppositicia; neque relatio ficta; proindeque neque connexio; neque oppositio ficta concipi possunt: quia cuncta hæc ex genere eorum entium rationis sunt, quæ solùm sunt conceptibilia à cognoscentibus per species alienas; prout etiã cõstat ex dictis *locis citatis.*

143 Secundò est certum, à cognoscentibus; tum per proprias; tum per alienas species sæpe concipi relata, aut connexa, aut opposita extrema, quæ re ipsâ sunt talia. Quo casu, licèt relatio, aut oppositio rationis non dicatur interuenire, illa tamen non solùm prout in se sunt; sed insuper prout obiectiuè in intellectu, siue prout sunt obiecta intellectus, aut relata, aut connexa, aut opposita dici poterunt, quatenùs talia apparent, seu cognoscuntur.

Tertiò certum est apud omnes, & ex se satis notum, relationem, quæcumque ea sit, sub expresso
144 conceptu relationis, à nullo intellectu cognosci; quin simul cognoscatur terminus eius. Ex se enim perspicuè appareat, nullatenùs posse concipi vnum quatenùs relatum ad aliud, non concepto alio. Vnde omnis relatio, qua talis cum suo tetmino connexa est in ratione obiecti; id est, nequit obiectiuè esse in intellectu, quin simul sit ibi obiectiuè terminus eius. Quomodò autem, cum hoc bene stet, necessarium non esse, quòd relatio, & terminus eius per eamdem cognitionem concipiantur, sed possunt concipi per duas, quarum prima cum secunda connexa sit; imo, & debeant, si sermo sit de nostro intellectu pro hoc statu, *superius d. 2. q. 3. conclus. 3.* monstrauimus. Dixi verò, *sub conceptu expresso relationis* nam aliter confusè, aut obscurè benè potest cognosci relatio, etiam per speciem propriam, quin simul cognoscatur terminus eius, vti per cognitionem sensus, perque intellectionem ei respondentem habitam per speciem propriam cognoscitur relatio creaturæ identificata cum accidente sensibili, nullatenùs cognito Creatore, qui est terminus eius, vt experimur.

Quartò certum est, quæ in se re ipsâ sunt euiden-
145 ter contrariè opposita; etiam in ordine ad sui iudicium affirmatiuum opposita esse; minimè verò in ordine ad sui positiuam apprehensionem: quia nullus intellectus, cui est euidens, A, & B simul esse nõ posse affirmare potest, simul esse A, & B affirmaret enim obiectum sibi euidenter falsum; quod ei repugnat, vt constat ex doctrinâ traditâ *disp. 7.* Omnis verò intellectus potest simul simplici, & positiuâ apprehensione apprehẽdere A, & B, quantũuis ea euidenter simul esse non possint; quia potest simul affirmare esse vnum, & negare esse alterum; ad quod præstandum est necesse, quòd ambo positiuè apprehendat, vt ex doctrinâ datâ *suprà disp. 2. q. 4.* notum est. Vnde patet, extrema re ipsâ opposita in ratione obiectorum simplicis apprehensionis, etiam positiue opposita non esse; esse tamen in ratione obiectorum iudicij affirmatiui, secùs in ratione obiectorum iudiciorum, quorum alterum affirmatiuum, & alterum negatiuum sit. Ex quo rursùs patet, obiecta, de quibus saltem probabiliter constat, opposita non esse re ipsâ, nullatenùs in ratione obiectorum opposita esse.

Quintò est certum, quæ in se re ipsâ sunt contra- 146
dictoriè opposita, in ordine ad sui iudicium proportionatum; etiam esse opposita: quia nullus intellectus, cui euidens est oppositio eorum, vt omnibus, aut ferè omnibus est, potest simul idem affirmare, & & negare, quod esset iudiciis proportionatis iudicare simul ambo contradictionis extrema. Adde, in ordine etiam ad sui iudicium affirmatiuum, & ad sui iudicium negatiuum opposita esse comparatione nostri intellectus; quatenùs hic, licèt possit quoduis eorũ seorsim affirmare, aut negare iudiciis saltem æquiualẽtibus dictis proportionatis; ambo tamen simul, aut affirmare, aut negare in casu dicto euidentię oppositionis non potest, vt est notissimum. In ordine verò ad sui apprehensionem simplicem positiuam comparatione intellectus nostri non sunt opposita: quia nos ambo simul possumus simpliciter, & positiuè apprehendere: quia ex vnâ parte possumus positiuè apprehendere non solùm contradictorium positiuum; sed etiam negatiuum iuxta doctrinam stabilitam *disp. 9. q. 3.* Ex aliâ verò negare per iudicium possumus, ambo simul existere, quod absque amborum apprehensione positiuâ stare non potest.

Sed dubitati potest: an comparatione intellectus 147
cognoscentis per proprias species, extrema contradictoria obiectiuè opposita sint, non solùm in ordine ad iudicium; sed etiam in ordine ad simplicẽ apprehensionem. Ratio dubitandi est: quia condictorium negatiuum nihil est positiuè conceptibile comparatione intellectus cognoscentis per proprias species, vt *dicta q. 3. nuper citatâ* ostensum est; eatenusq; sub talem intellectum iudicatiuè cadere potest; quatenus ab eo iudio recessiuo negari potest contradictorium positiuum iuxta dicta *ibidem.* Hoc autẽ pacto merè apprehensiuè sub illum non videtur cadere posse: quia apprehensio recessiua, seu negatiua contradictorij positiui, non videtur possibilis. Asserendum tamen est nihilominus, possibilem talem apprehensionem esse intellectui cognoscenti; tum per proprias; tum per alienas species. Quo cessat ratio dubitandi. Cùm enim quiuis intellectus hanc veritatem iudicat: *Si Petrus existeret simul, & nõ existeret, existeret, & non existeret*; ex parte hypothesis apprehendit existentiam Petri; tum positiuè; tum recessiuè, seu negatiuè, atque ita ambo simul contradictionis extrema subiectum apprehensiuè cadunt; caderéve censenda sunt, quâ ratione positiuè, & negatiuè cadere possunt, obiectiuéque proinde non sunt opposita in ordine ad simplicem apprehensionem sui; idemque euenit circa similes veritates, circa quas videnda sunt, quæ scripta reliquimus *disp. 3. q. 4.* & *disp. 9. q. 5. proposit. 1.*

R. P. SEBAST. IZQVIERDO

ALCARAZENSIS SOC. IESV,
SVPREMI S. INQVISITIONIS SENATVS CENSORIS,
ET OLIM COMPLVTI SS. THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

PHARI SCIENTIARVM.

PARS ALTERA.

VBI, QVIDQVID AD COGNITIONEM HVMANAM humanitùs acquisibilem pertinet, vbertim iuxtà, atque succinctè pertractatur.

SCIENTIA DE SCIENTIA, OB SVMMAM VNIVERSALITATEM vtilissima, Scientificisque iucundissima, scientificâ methodo exhibetur.

ARISTOTELIS ORGANVM IAM PENE LABENS Restituitur; illustratur, augetur, atque à defectibus absoluitur.

ARS DEMVM LEGITIMA, AC PRORSVS MIRABILIS SCIENDI, OMNESQVE Scientias in infinitum propagandi, & methodicè digerendi; à nonnullis ex Antiquioribus religiosè celata; à multis studiosè quæsita; à paucis inuenta; à nemine ex propriis principiis hactenus demonstrata, demonstratiuè, apertè, & absque inuolucris mysteriorum in lucem proditur. Quò veræ Encyclopediæ Orbis facilè à cunctis circumuoluendus, eximio scientiarum omnium emolumento, manet expositus.



LVGDVNI,
Sumpt. CLAVDII BOVRGEAT, & MICH. LIETARD.

M. DC. LIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

PHARVS SCIENTIARVM.

DISPVTATIO XV.

DE ORDINE, SIVE ORDINATIONE entium, seu rerum; Atque adeò obiectorum intellectus humani.

MATERIA huius Disputationis ex vniuersalissimis est Metaphysicæ, exactaque notitia eius eximium vsum habet in scientiis humanis; potissiméque in Sacra Theologia. Quam notitiam multi, vt video, propterea non sunt assequuti: quia nemo hactenus, quod sciam, materiam ipsam vniuersaliter, & ex professo pertractauit. Quo factum est, vt dum illam passim offendunt, quo pedem figant, nil fixum habeant. Tantùm interest, pro veritatibus per scientias sparsis reperiundis, vniuersalitatis imprimis fontem aperire; vnde suam vnaquæque trahat originem necesse est. Id, quod nos modò circa materiam præsentem facere aggredimur. 1

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit ordo, siue ordinatio rerum, & quotuplex?

DVOBVS modis entia dicuntur ordinata: secundum seriem, & secundum proportionem. Secundum seriem ordinata sunt illa, quæ in aliquâ serie sunt constituta, vel quæ seriem aliquam componunt, siue conficiunt; series autem (quæ vix per quidpiam notius est explicabilis, vtpotè terminus per se notissimus) ex pluribus entibus coalescit, siue componitur, quæ tractu quodam continuo sibi succedunt; seu, quæ inter se referuntur continuâ quâdam successione. Huiusmodi est series partium, siue punctorum eiusdem lineæ; tum series partium temporis; atque etiam motus. Series causarum, & effectuum cum causâ causat effectum, & effectus causat alium effectum, & hic iterum causat alium, &c. Series etiam connexorum; cùm primum connectitur secundo; secundus tertio; tertius quarto, &c. Sic denique series quorumuis relatorum, ex quibus primus ad secundum; secundus ad tertium, & tertius ad quartum, ac deinceps pariter comparantur. Quæ igitur in aliquâ serie huiusce-modi disposita sunt, ea ordinata voco secundum seriem. Secundum proportionem autem ordinata dicuntur illa, quæ inter se proportionem aliquam seruant, cuiusmodi sunt ea, ex quibus constat pulchritudo, harmonia, consonantia, analogia, temperamentum; ac demum quæcunque inuicem comparata aliquam proportionem habent, aut seruant, siue ea naturalis sit, siue artificialis; tam enim Natura, quàm Ars in suis operibus ordinatè procedunt, iuxtà istud ordinationis genus. 2

Porrò in præsenti disputatione de ordine seriei potissimum est nobis agendum, siue de entibus ordinatis secundum seriem. De ordinatis autem 3

secundum proportionem nonnihil fortasse tangemus *disp.16.* dicturi plura suo loco, vbi de quantitate rerum in vniuersum sermo nobis sit.

4 Ergò ordinata secundum seriem, alia sunt ordinata suapte naturâ; alia sunt ordinata ex accidente. Illa suapte naturâ ordinata sunt, quæ per suam essentiam, nihilo prorsùs superaddito, seriem, seu ordinem constituunt; vel in serie, seu ordine sunt; vel ordinem habent. Huiusmodi sunt plures præsentiæ suapte essentiâ ordinatæ secundum seriem in spatio locali; & plures durationes similiter in spatio temporali; atque adeò etiam plures partes temporis (quæ à durationibus seu actualibus, seu possibilibus non distinguuntur, vt dictum alibi) necnon plura entia suapte essentiâ ordinatè, seriatimque connexa, & cætera similia. Ordinata autem ex accidente sunt, quæ non ratione suæ essentiæ, siue naturæ; sed ratione accidentis adiuncti in serie aliquâ ponuntur; atque adeò, eo accidente deficiente, eadem extra seriem, seu non ordinata sunt, vti erant prius. Hoc pacto per ordinatas præsentias corpora ordinantur in loco, quæ eadem, eâ serie præsentiarum sublatâ, non ordinata permanebunt. Similiter per ordinatas durationes aliqua ordinantur in tempore, quibus durationibus variatis, & eorum ordo potuit variari; ita vt, quæ posteriora sunt modò fuissent priora quoad existentiam, & vice versâ. Vnde series, & ordo, quem habuerunt de facto ex accidente prouenit non ex naturâ; nimirùm quia cum talibus partibus temporis per tales durationes coniuncta sunt quoad existentiam, & non cum aliis per alias, vt potuerunt. Paritérque in similibus.

5 Hinc duplex ordo secundum seriem est distinguendus; alter dici potest ordo naturæ; ille videlicet, qui in ipsâ ordinatarum rerum natura immediatè fundatur; atque adeò consistit re ipsâ: Alter dici potest ordo accidentis, qui prouenit ex accidente rebus ordinatis adiuncto. Quoniam autem omnis series, seu ordo in alicuius rei naturam, à quâ proueniat immediatè tandem est referendus, vt est notissimum; efficitur planè, vt ordo accidentis eorum, quæ accidentaliter ordinata sunt, in naturam accidentium, quæ illis accrescunt referri debeat, tanquam in id, à quo ducit originem. Vnde eiusmodi ordo, aut ipsemet erit ordo naturæ, respectu accidentium, à quibus, veluti à primo fonte promanat; aut saltem ex ordine naturæ eorumdem accidentium nascetur. Nulla enim entia ex accidente ordinata dicuntur, nisi accidentia, vnde emanat ordo, sint ordinata ex suâ natura. Nam corpora, quæ ordinantur accidentaliter in aliquo loco, seu spatio, idcircò ita dicuntur ordinata, quia eorum præsentiæ suapte naturâ in eo spatio ordinatæ sunt, adeò, vt repugnet prorsùs, eas talem, qualem habent, ordinem non seruare. Similiter, quæ ordinantur in tempore, ideò eum ordinem habent: quia durationes, quas accidentaliter habent, & partes temporis, quibus accidentaliter respondent, essentialiter seruant ordinem, vnde alter accipitur. Idemque contingit in reliquis ordinatis ex accidenti, vt per singula discurrenti constabit, atque ex discursu disputationis satis conspicuum fiet.

6 Rursus ordo seriei, siue naturæ sit ordo, siue accidentis, duplex est; alius enim est ordo prioris, & posterioris, in quo ordinata sic se præcedunt, vt primum secundo, secundum tertio, tertium quarto, paritérque deinceps priora sint; idque aut suapte naturâ cum ordine naturæ ordinatur, aut ex accidente dumtaxat, quandò ordo eorum est accidentis. Alius est ordo sine priori, & posteriori, in quo nullum ordinatorum præcedit aliud, si inter se præcisè comparentur. Primi ordinis exemplum sit, series durationum, & partium temporis; ex quibus aliæ præcedunt alias suapte naturâ; tum series rerum, quæ per durationes sibi accidentarias in tempore ordinantur, ex quibus aliæ, præcedunt alias ex accidenti. Exemplum autem alterius ordinis sit series præsentiarum, quæ ita ex naturâ suâ ordinatæ sunt in spatio locali, vt nulla earum comparata ad aliam præcisè prior sit illa, vel posterior ex suâ natura; tum series corporum præsentium, quæ ita ratione præsentiarum ordinata quoad locum sunt, vt alterum altero non sit prius ex accidente ratione præsentiarum, dum comparantur inter se.

7 Cæterùm, quanquam in serie secundi generis non sit prioritas, & posterioritas inter res ordinatas præcisè inter se comparatas, vti est in serie primi generis; Est tamen prioritas, & posterioritas in illis, prout comparantur alicui tertio, respectu cuius in quâuis serie, quod propinquius est, prius dicitur remotiori. Hæc tamen strictè potius est maior, vel minor propinquitas respectu tertij, quàm prioritas, & posterioritas, vt ex dicendis apparebit.

8 Alius præterea ordo seriei excogitari posset mixtus ex ordine naturæ, & ex ordine accidentis. qui rursus in plures diuidendus esset iuxta diuersos modos mixtionis, qui fieri possunt; sed non oportet de his ordinibus mixtis sermonem miscere, ne materia hæc obscuretur multitudine terminorum: quia si quid in aliquo casu de eorum naturâ, aut proprietatibus scire opus fuerit, id facillimè ex dicendis circa simplices ordines dignoscetur.

QVÆSTIO II.

Quid sit ordo prioris, & posterioris. Et quotuplex.

9 ARistot. *in lib. Prædicam. cap.12. de modis prioris*, quinque omnino modos enumerat, quibus alterum altero prius dicitur. Primò enim id prius altero, & propriissimè dicitur secundum tempus, quod antiquius eo, & vetustius est. Secundò dicitur prius altero, quod non conuertitur cum illo secundum subsistendi consequentiam; vt vnum duobus prius est: quia, duobus existentibus, consequens est, vt vnum existat; sed non è conuerso. Tertiò inquit Philosophus, vnum altero dicitur prius secundum aliquem ordinem, vti in Geometriâ elementa priora sunt iis, quæ ex elementis demonstrantur. In Grammatica elementa priora sunt syllabis; & in orationibus proœmium prius est narratione; Quartò quod melius, & honorabilius est, priùs naturâ esse videtur ait Arist. addit tamen, hunc penè alieniss[imum] esse modum priorum. Quintò denique eorum, quæ conuertuntur secundum essendi consequentiam, quod alterius est causa quauis ratione, prius naturâ illo esse docet Arist. Quo pacto prius est, inquit, hominem esse, quàm esse veram orationem id affirmantem; esse enim hominem re ipsâ

ipsâ causa est quodammodo, cur sit vera propositio, quâ, hominem esse, affirmatur.

10 *In lib. autem 5. Metaph. cap. 11.* ea in vniuersum, dicit Philosophus, esse aliis priora, quæ propinquiora sunt alicui principio, sicuti ea sunt priora secundum locum, quæ alicui præfinito loco propinquiora sunt: tempore autem, quæ propinquiora sunt instanti præsenti priora vocantur reliquis, cùm sunt futura. Ex præteritis verò, ea sunt priora, inquit Aristoteles, quæ respectu instantis præsentis remotiora sunt. Secundum motum similiter id est prius alio, quod primo alicui mouenti propinquius est; siue illud mouens sit natura aliqua; siue sit electio. Ratione enim huius tanquam principij Princeps prior dicitur esse subditis, vtpotè magis remotis ab ipsa Principis electione. Denique secundum ordinem in rebus discretis ea dicit esse priora quæ alicui primo propiora sunt; vt in chorea, qui secundas tenet, prior est eo qui tenet tertium locum. Deinde docet, esse quædam priora aliis secundum cognitionem: vniuersalia namque priora sunt singularibus quoad cognitionem intellectiuam; quoad sensitiuam verò è conuerso singularia priora sunt vniuersalibus. Item accidens prius est cognitione composito conflato ex accidente, & subiecto. Præterea inquit priora sunt passiones priorum, vt rectitudo læuitate: rectitudo enim est passio lineæ, & læuitas passio superficiei; linea autem prior est superficie. Postremò dicit, ea secundum naturam priora esse, quæcumquæ contingit esse sine aliis, ista verò non sine illis, qua diuisione vsus est Plato. Hæc Arist. *in summâ de ordinibus prioris, & posterioris.*

11 Ego verò, vt distinctius procedam, suppono ex *quæst. præced.* quædam esse priora aliis secundum naturam; quædam ex accidente tantùm, Tum prioritatem ex accidente in prioritate naturæ fundari, vti fundatur ordo accidentis in ordine aliquo naturæ iuxta *ibi* dicta.

12 Suppono deinde, ea quæ sunt priora aliis secundùm naturam duplicia esse, vt *q. præced.* indicaui. Alia enim sunt priora aliis prioritate absolutâ à tertio, quæ est propria, & stricta prioritas: qua ratione vna pars temporis prior alterâ est, & causa causalitate est prior, &c. Alia sunt priora aliis prioritate respectiuâ ad tertium, quæ potiùs est maior propinquitas, quàm prioritas. Quo pacto in serie præsentiarum A. B. C. D. præsentia B. prior dicitur esse comparatione præsentiæ A, quam præsentia C. quia B propinquior est suâ naturâ ipsi A; quam C, cùm tamen respectu præsentiæ D prior sit C quam B: quia propinquior. Id, quod in quâlibet omninò serie siue ordine naturæ licebit meditari; quod enim alteri in vnoquoque ordine immediatum est, id propinquius est illi, quàm mediata; atque adeo priusquam illa respectu: eius intermediata autem, illud est prius respectu tertij, sine propinquius illi, à quo ad tertium pauciora media intercepta sunt, vt est notissimum. Simili modo sunt in duo membra diuidenda ea, quæ non suapte natura sunt aliis priora; sed ex accidente dumtaxat. Alia enim sunt, quorum prioritas accidentalis est absoluta à tertio: quia sumitur à prioritate absolutâ à tertio accidentium: qua ratione, qui natus est heri prior est tempore absolutè, quàm, qui nascitur hodie. Alia sunt, quorum prioritas accidentalis est respectiua ad tertium quoddam: quia sumitur ex prioritate accidentium respectiuâ ad tertium. Quo pacto, qui propinquior est alteri ratione præsentiæ propinquioris, prior dicitur respectu eius, quàm qui sunt remotiores. Hinc factum est, vt quoties plura aliqua mobilia in locum aliquem determinatum per motum tendunt, extremum illud totius seriei, quod propius accedit ad destinatum locum, absolutè dicatur primum reliquis in eiusmodi motu; cum tamen extremum alterum seriei dicatur postremum. Tum primum illud anteire dicitur, & præcedere; subsequi autem reliqua: inter quæ etiam, quæ propinquiora sunt illi primo; atque adeo loco, quo omnia tendunt, priora reliquis appellantur.

His ita positis, prioritates omnes naturæ 13
imprimis recensendæ sunt; inde enim facilè fier gradus ad numerandas prioritates ex accidente, vt satis ex dictis notum est. Quod autem de prioritate dixero, pariter est intelligendum de posterioritate, hæc enim duo vicissim inter se referuntur.

Dico ergo primò, quatuor omninò modis esse 14
alia aliis priora secundum naturam eâ prioritate, quam absolutam à tertio diximus, nempè, durationе, origine, inconnexione non mutuâ, & dignitate, seu perfectione. Duratione dicuntur aliæ aliis priores suapte naturâ partes temporis, quia vnaquæque ita se habet, vt essentialiter ex conceptu suo sit prior respectu alterius subsequentis, posteriórque respectu antecedentis. Tempus quippe in serie quadam durationum, seu actualium, seu possibilium consistit suapte essentiâ ordinatarum, ac se succedentium temporaliter, provt aliàs iam tetigi, & suo loco fusius exponam. Origine autem illud altero est prius, quod in id influit quoquo modo siue vt principium influxiuum, siue vt causa, siue vt conditio, siue vt causalitas. Inconnexione verò non mutuâ, vnum altero prius est, quando posterius cum priore necessariò connectitur; sed non vicissim. Qui modus prioritatis ille ipse est, in quo non valet subsistendi consistentia iuxta Aristot. phrasim. Dignitate denique, seu perfectione id est prius alio, quod dignius, seu perfectius est illo quauis ratione.

Item sunt species simplices prioritatis, ex 15
quibus aliæ compositæ emergunt, cum earum duæ vel plures in eodem ente reperiuntur respectu eiusdem. Sunt autem mixtiones possibiles ex quatuor simplicibus dictis omnino vndecim; & ex regulis conbinationum tradendis à nobis alibi constat, & quisque ipsas efficiendo poterit experiri. Cæterùm quia prioritas dignitatis minus propria est, nec multum vsum in scientiis metaphysicis habet, satius erit, quod attinet ad rem præsentem, prætermittere illam: quâ prætermissâ, mixtiones ex tribus residuis possibiles omninò erunt quatuor. Ex quibus, ea potissimum præ oculis habenda est, quæ resultat ex prioritate originis; & ex prioritate inconnexionis non mutuæ, vtpotè, quæ frequentius potest, atque etiam solet occurrere. Omnis quippe causa non necessitata ad causandum prioritate originis, & simul inconnexionis non mutuæ est prior suâ causalitate; cùm tamen omnis causa, & causalitas cum effectu connexa solius originis prioritatè sit prior ipso effectu.

Secundò dico, prioritatem naturæ respectiuam 16
quâ eatenùs vnum dicitur esse prius altero respectu tertij, quatenus tali tertio propinquius est, in

omni omninò serie, siue ordine naturæ posse inueniri, vt dicebam *num.* 12. siue series sit earum, vbi datur prioritas, & posterioritas naturæ absoluta à tertio, quales sunt quatuor commemoratæ, & compositæ ex illis; siue earum, vbi non datur, quales sunt reliquæ omnes excogitabiles.

17 Venio ad prioritates ex accidente, quæ tot ferè modis, ac prioritates naturæ recensendæ sunt. Imprimis enim prioritate ex accidente, quam respectiuam ad tertium appellauimus, ea aliis priora sunt, quæ ratione alicuius accidentis tertio, ad quod omnia comparantur sunt propinquiora; vt in serie locali corpora illa ratione præsentiarum sibi accidentium priora sunt aliis ex accidente respectu tertij, ad quod comparantur, quæ propinquiora sunt ipsi tertio ratione earumdem præsentiarum. Et vniuersim quæcumque in quolibet ordinum genere ex accidente ordinata sunt; ex accidente etiam priora, aut posteriora erunt respectu tertij, ad quem comparantur, prout magis propinqua, aut magis remota illi tertio fuerint in ea serie, in qua ordinantur ex accidente.

18 Prioritate autem ex accidente absolutâ à tertio illa sunt priora aliis in vniuersum, quibus priores gradus obueniunt eorum ordinum naturæ, à quibus accidentariè denominantur ordinata. In serie enim durationis, seu temporis, qui natus est heri prior est secundum tempus; quàm, qui nascitur hodie: quia natiuitas illius accidentaliter fuit coniuncta tempori hesterno, quod prius est tempore hodierno suapte naturâ; cùm tamen natiuitas alterius tempori hodierno etiam accidentaliter coniuncta sit: fieri enim potuit, vt vtriusque natiuitas eidem tempori coniungeretur: quo casu neuter esset prior altero secundum tempus; sed simul essent duratione. Similiter in serie dignitatis, seu perfectionis, illud est accidentaliter prius altero, quod est illo dignius; aut perfectius non ratione suæ naturæ; sed ratione alicuius accidentis adiuncti. In serie autem inconnexionis non mutuæ id vniuersè prius altero erit accidente, quod aliqua ratione, accidentariè tamen coniunctum fuerit cum gradu eius seriei suapte natura priore. Hoc pacto prius est in intellectu Dei obiectiuè obiectum conditionatum, quàm absolutum: quia scientia Dei conditionata naturâ præcedit absolutam isto genere prioritatis, prout explicabitur suo loco. Denique iuxta seriem originis illud erit ex accidente prius, quod à priori sua natura in ea serie denominatur tale; posterius verò, quod denominatur à posteriore. Sic obiectum cognitum per cognitionem influentem in cognitionem alterius, prius altero ex accidente iuxta seriem hanc appellabitur quoad esse obiectiuum, seu intentionale. Huc spectat prioritas illa, qua finis prior dicitur esse, quàm media ordine intentionis: quia intentio, quam terminat finis prior est secundum originem, quàm electio mediorum, quæ sane prioritas in fine intento tantum est prioritas ex accidente, vt ex dicendis apparebit.

19 Dubitari potest hîc primò: vtrùm in serie originis, prioritas mediata dicenda sit prioritas ex accidente, quando extrema possunt existere, ablato medio, quin alterum prius altero sit. E. g. causa, quæ mediâ actione, cum qua non connectitur producit effectũ, prior est ipso effectu mediatè: quia est prior actione, quæ est prior effectu; & tamen si effectus ab aliâ causâ produceretur, vt potuit: possent existere effectus, & causa, à quâ modò est, quin vnus esset prior altero secundum originem: imò res ita fortasse potuissent disponi, vt qui modò est effectus, aliàs esset causa suæ causæ. Respondeo, hîc solùm posse esse quæstionem de nomine, censeo tamen, apriùs loquutum iri, si dicatur causa prior esse effectu natura sua. Nam licet causa ratione actionis sibi accidentis sit prior effectu; actio tamen non pertinet ad aliam seriem naturæ, sed eamdem seriem cum causa constituit; tum causa ipsa naturâ suâ emittit actionem, esto contingenter, vt cum eâ eamdem seriem constituat originis: posita autem actione, iam causa non potest non esse prior effectu. Adde, causam mediatè tantùm esse priorem effectu; prioritas autem mediata essentialiter postulat medium inter extrema; nec sine tribus entibus potest subsistere; sicut prioritas immediata nequit esse sine duobus. Vnde sicut natura ordinata dicuntur duo entia immediatè, quorum alterum non potest non esse prius altero, casu, quòd ambo existant; ita etiam mediatè dicentur illa secundum naturam ordinata, quæ, posito medio, ratione cuius ordinatur mediatè, nõ possunt nõ esse ordinata. Sic se habent causa, & effectus, posità actione, siue influxu intermedio. Itaque, loquendo propriè, illud solum dicitur prius alio ex accidente, quod participat prioritatem ab accidente existente in aliâ serie naturæ, quam ipsum non constituit; sed supponit, vt patet in omnibus exemplis commemoratis. Quod verò prioritatem participat à re existente in eâdem serie, quam ipsum cum illâ constituit, etsi accidentariè coniungantur, prius naturâ erit dicendum prioritate mediatâ.

Secundò dubitari potest, num causa per accidens sit dicenda prior naturâ effectu; an verò solùm prior ex accidente. Respondeo, causam per accidens, quæ verè influit in effectum priorem illo naturâ esse: quæ autem non influit; sed coniungitur causæ influenti, eam ex accidente tantùm posse esse priorem. Quæ autem influat, & quæ secus, suo loco dicetur. 20

Supereſt dicendum de prioritate cognitionis, siue cognoscibilitatis entium. Quædam enim aliis priora dicuntur secundum cognitionem, vt *suprà* ex Arist. dictum est: nimirum, quia priùs quàm alia cognoscuntur, siue cognoscibilia sunt. Bifariam autem dici solet, vnum prius, quam alterum cognosci. Primò, sumptâ prioritate ex parte obiecti. Secundò, sumptâ prioritate ex parte cognitionis. Priori modo cognoscitur prius altero id, cuius prioritas cognoscitur; seu quod ex parte obiecti prius altero apparet: posteriori verò id, cuius cognitio est prior, quàm cognitio alterius. Porrò cognitio vnius tot ferè modis potest esse prior, quàm cognitio alterius; quot aliud ens quoduis reale potest esse prius altero; nempe prioritate temporis, prioritate originis, prioritate inconnexionis non mutuæ, &c. Ad prioritatem autem cognitionis secundùm tempus, reducitur prioritas numerationis: quia series numerationis successiua (in qua aliæ vnitates aliis dicuntur esse priores ab vnicâ omnium primâ incipiendo) in serie successiua cognitionum numerantis fundatur; ordo enim iste numeri (vt modò alios, quos habere potest omittam) denominatio est extrinseca sumpta ab ordine cognitionum. Ex quo patet, ordinem, quem obiecta participant ab ordine cognitionum, quibus noscuntur, aut numerantur, non esse ordinem naturæ; sed accidentis; vt iam *suprà* indicatum est. Iam verò, quod ex parte obiecti prius altero apparet, aut habet re vera eam prioritatem, cum quâ cognoscitur, & 21

& sic ea erit aliqua ex prioritatibus realibus iam recensitis; aut verè non habet eam prioritatem, sub quâ concipitur; & sic illa erit prioritas factitia, siue prioritas rationis ficta.

22 Prioritas autem ista rationis multifariam confingi potest. Primò cum fundamento in rebus ipsis. Secundò sine fundamento. Deinde, aut inter conceptus identificatos realiter, aut inter entia distincta; sed non ordinata realiter. Præterea aut inter conceptus reales siue identificatos, siue distinctos, aut inter conceptus purè fictitios, aut inter conceptus mixtos, iuxta dicta de Ente rationis vniuersè *disp.* 12. Denique prioritas rationis ficta, aut esse potest eiusdé generis cum prioritatibus realibus, quas recensuimus; accommodata tamen rebus, quibus verè non competit; aut potest esse aliorum generum variè, provt cuique libuerit confictorum. Prioritas demùm rationis suppositicia alia non est à prioritate reali phantasmatum pro rebus cognoscendis ab intellectu nostro substitutorum; sicut distinctio rationis suppositicia alia non est à distinctione reali ipsorum substitutorum, prout *in dictâ disp.* 12. explicatum est.

23 Ex dictis constat, ordinem prioris, & posterioris in vniuersum aliud non esse à serie rerum, quarum aliæ aliis succedunt; aliæque subindè aliis priores, & aliæ aliis posteriores dicuntur; idque vel suapte essentiâ, siue naturâ, vel ex accidente sibi adiuncto: tum aut prioritate, posterioritatéque absolutâ à tertio; aut prioritate, posterioritatéque respectiuâ ad illud. Qui omnes termini adeò ex se, & ex dictis sunt noti, vt amplius nequeant explicari. Nonnulla tamen de singulis prioritatibus (tantumdémque de posterioritatibus censeo) singillatim sunt adnotanda, quò luculentiùs innotescat earum essentia. Et primùm, de illis prioritatibus naturæ, quas absolutas à tertio dicimus: inter quas primum locum obtinet prioritas durationis.

24 Porrò prioritas durationis, quâ aliæ partes temporis aliis partibus sunt priores suapte naturâ omnium profectò prioritatum naturæ notissima est. Vnde & reliquarum solet nobis esse mensura, ad cuius instar eas concipere, seu imaginari consueuimus. Quid enim notius, quàm diem hodiernum esse priorem crastino, qui nondum accessit, & posteriorem hesterno, qui iam præteriit. Ad quam naturæ prioritatem, pertinet prioritas durationum respondentium partibus temporis, vtpotè, quod re ipsâ consistit in serie quâdam successiuâ huiuscemodi durationum, seu actuali, seu possibili; vt iam tetigimus, & latiùs *suo loco* explicabimus. Quocirca prioritas naturæ talium durationum, in prioritatem naturæ partium temporis recidit; subindéque æque, atque illa nota, seu cognoscibilis ex terminis censenda est.

25 Sequitur prioritas originis, quâ alio dicitur prius esse, quod influit in illud quoquo modo. Quæ sanè prioritas, quod attinet ad sui cognoscibilitatem, secundum locum post prioritatem durationis habet. Cuilibet enim satis ex ipsis terminis innotescit id, per quod aliud est, vel à quo aliquo modo accipit *esse*, prius illo esse debere aliquo genere prioritatis, neque enim intelligibile videtur, quod vnum alteri det aliquâ ratione existentiam, aut communicet *esse*, nisi illud prius altero aliquo modo sit: quia nemo dare intelligitur, quod nullo modo habet, &, quod alicui datur, prius esse concipitur in dante quàm inaccipiente; vnde id, quod dat alteri per influxum aliquo modo *esse*, aut existere, priùs censetur habere in se virtualiter illud *esse*, quod dat; quòd non est aliud, quàm habere prius proprium *esse*, à quo veluti à virtute quâdam promanat aliud.

Prioritas dignitatis non est propria, & stricta 26
prioritas, vt bene aduertit Arist. *cap. illo 12. supra citato*; cùm dixit, tunc penè alienissimum esse modum priorum. Quod enim dignius, seu perfectius est alio, eatenùs solum videtur dici prius illo, quatenùs ipsi præfertur, & anteponitur, quod attinet ad æstimationem. Digniori namque primus accubitus conceditur in conuiuiis: digniori primæ epulæ ministrantur; digniori primus locus traditur in consessibus ac demùm in quolibet ordine rerum primus obtinere solet, qui dignior est. Et quod melius, siue perfectius est in vnoquoque genere id prius appetitur, prius eligitur, prius quæritur, prius insequitur, prius capitur quam deterius. Quoniã igitur huiusmodi prælationum causa, seu radix est maior dignitas, vel perfectio: ideò per quamdam analogiam, quod dignius est, aut perfectus prius dicitur minùs digno, siue minùs perfecto: quemadmodum medicina analogicè dicitur sana: quia est causa sanitatis animalis, quod propriè à sanitate suâ dicitur sanum.

Supereſt prioritas inconnexionis non mutuæ, 27
qua vnum altero prius esse dicitur, quoties posterius cum priori connectitur, eóque iure ab illo dicitur dependere; prius tamen non est connexum cum posteriori; atque adeo nec dependet ab illo. sic possibilitas prior est existentiâ, & status conditionatus prior est statu absoluto: sic etiam vnitas prior binario dicitur esse, & vniuersale prius particularibus. Fundatur autem hæc naturæ prioritas, in dependentiâ non mutuâ oriundâ à non mutuâ connexione, præsertim metaphysicâ. Quando enim connexione metaphysicâ (de quâ, quod ad rem attinet, semper loquimur, loquemurque, *in sequentibus*, nisi aliud expresserimus,) non mutuâ duo quæpiam quoad esse referuntur, ideò profectò, quod cum altero non est connexum dicitur prius illo suapte naturâ; quia ab illo quoad esse non dependet; cum tamen connexum ratione connexionis pendeat à non connexo. Quoniam, dum non connexum A terminat connexionem connexi B. A, quidem aliquâ ratione conducit, vt sit B, cumque B nihil conducat, vt sit A, eo quòd A aliundè habet esse omninò independenter à B; efficitur sanè, vt A priùs concipiatur esse, quam B, & verè sit prius naturâ suâ, eo ferè pacto, quo in serie originis, quod in aliud influit, priusillo concipitur, vt explicuimus, & verè est. Vt enim id, quod per originem non mutuam ab alio est, posterius est illo suâ naturâ, eo quod habet esse ab alio, quin aliud pariter esse habeat ab ipso. Ita, quod per connexionem non mutuam dependet ab alio posterius etiam est illo naturâ suâ: quia ab illo quodam modo videtur habere esse quin aliud pari ratione habeat esse ab ipso. Illud inter originem, & connexionem discrimen est; quod origo non potest vllo modo esse mutua, vt *supra disp. 9. q. 5. proposit. 29.* monstratum est; connexio autem mutua esse potest, vt vidimus *disp. 14. q. 4.* Quo fit, vt quod ab alio dependet quoad esse ratione connexionis, possit non esse posterius illo, quando aliud pariter per connexionem pendet ab hoc: quia dependentia mutua quoad esse non posterioritatem facit, sed simultatem: Non enim est maior ratio, cur aut sit prius illo quàm contrà. Idem autem prius & posterius natura sua respectu eiusdem esse non potest, vt *infrà*

videbimus. Quod autem dependet ab alio ratione originis, non potest non esse posterius illo. Putarem tamen posse, si esset possibilis origo mutua ob rationem dictam.

28 Cæterùm, etsi prioritas originis, & prioritas inconnexionis non mutuæ adeò sint similes, id nihilominus apud omnes certum esse debet, prioritatem originis longè strictioris conditionis esse, quàm prioritas inconnexionis non mutuæ; quemadmodum dependentia per originem prior est dependentia, quàm dependentia per connexionem. Quis enim non videat, propriùs ab alio dependere, quod ab illo accipit suum esse tanquam à principio influxiuo, quàm quod cum alio connectitur tanquam cum termino quodam, sine quo non haberet esse. Quanquam enim vinculum connexionis metaphysicæ strictius sit, quàm coniunctio originis; eo quod sine contradictione non potest esse sine alio, quod metaphysicè cum eo connectitur; cùm tamen, quod ab alio est per originem sæpè esse possit sine illo: tamen semper illud est verum, propriori modo dependere vnum ab alio per originem, quàm per connexionem. Tum eam prioritatem strictiorem & præstantiorem esse, quæ in propriori dependentiâ fundatur, qualis est prioritas originis comparatione prioritatis inconnexionis non mutuæ.

29 Ex quo fit, prioritatem originis omninò præualere; prioritatem verò inconnexionis non mutuæ prorsùs irritari, & euanescere, quoties ambarum fundamenta sibi ex aduerso occurrunt. Si enim A. influit in B; A. quidem prius erit, quàm B prioritate originis; & B nullatenus dicetur prius esse, quam A, tametsi A metaphysicè, & non mutuò connectatur cum B, quo iure B prius esset A. prioritate inconnexionis non mutuæ, nisi A. influeret in B. Hâc ratione actio prius est termino secundum originem; cùm tamen terminus nullatenùs sit prior actione; etiamsi actio cum termino metaphysicè connectatur connexione non mutuâ. Cuius rei ea ratio est: quia ex vnâ parte idem comparatione eiusdem prius, & posterius suapte naturâ concipi nequit, ex aliâ verò parte independentia non mutua, quam actio habet respectu termini secundum originem vincit dependentiam non mutuam, quam habet secundum connexionem respectu eiusdem, vt ea non obstante prius illo dicatur. Similiter, esto A & B mutuò connexa sint, non dicentur illo modo simul naturâ ob eam mutuam connexionem: quia influxus, quem A. habet in B multò melius eiusmodi simultatem absorbet impeditve, vt benè vidit Arist. *q. seq.* referendus.

30 Quælibet autem ex dictis prioritatibus, posterioritatibúsque naturæ, denominatio, siue relatio quædam est semiextrinseca subiecto priori, aut posteriori; id est, realiter identificata partim cum ipso, partim cum cæteris fundamentis, vnde illa desumitur. Fundamenta autem sunt subiectum dumtaxat, & terminus, quando prioritas, aut posterioritas est immediata; quando autem mediata; cæteræ insuper entitates, quæ mediant. Vnde prioritas, & posterioritas naturæ in suo conceptu reali ista omnia fundamenta inuoluit: formaliter tamen acceptæ relationes quædam rationis suppositiæ sunt; perinde ac similitudo, æqualitas, distinctio, & cæteræ huiusmodi, iuxta doctrinam vniuersa em traditam *suprà disp. 14 q. 1.* & hæc de prioritatibus naturæ absolutis à tertio.

31 De respectiuis autem ad tertium nihil fermè est, quod addamus præter iam dicta. Ex quibus constat, eas omnes in omni serie reperiri, eiusdémque rationis esse; cùm omnes in maiori propinquitate ad tertium consistant; quemadmodùm posterioritates consistunt in minori. Vnde illæ formaliter relationes quædam rationis suppositiæ sunt; realiter verò ab aggregato fundamentorum, vnde sumuntur, sunt indistinctæ, quorum vnum est ipsum subiectum, quod dicitur prius, aut posterius, id est, magis, aut minùs propinquum ad tertium, relatè ad quod dicitur talis. Quæ omnia ex dictis, tum *in superioribus*, tum *loco citato* satis sunt nota. De prioritatibus demum ex accidente, déque quidditate earum nihil est, quod addamus præter dicta. Ex quibus, in quo illæ; tum formaliter, tum realiter consistant, facilè quisque colliget.

QVÆSTIO III.

Quid sit simultas rerum. Et quotuplex?

32 APpello simultatem ob vocabuli inopiam eam coniunctionem, à quâ res habent; siue dicuntur esse simul. Tametsi nomen *simultas* aliud diuersum significet apud Latinos.

33 Arist. *in lib. Prædicam. cap. 13. de modis simultates* dumtaxat assignat modos, quibus aliqua simul esse dicuntur. Primum enim, inquit Philosophus, simul dicuntur simpliciter quidem, & propriissimè ea, quorum generatio in eodem est tempore. Deinde naturâ simul dicit esse quæcumque conuertuntur quidem secundũ eius, quod est essendi consequentiam; sed nequaquam alterum alteri causa est, vt sit. Præterea simul naturâ appellat species, quæ ex æquo diuidunt idem genus siue immediatè, siue mediatè; hoc est, quæ æqualiter distant ab eodem genere. Hæc Arist.

34 Ego verò, vt vniuersaliùs rem explicem, suppono primò de simultaneis, perinde ac de prioribus, & posterioribus, siue cum proportione ad illa philosophandum esse; atque ita dicendum, alia esse simultanea suapte naturâ, alia ex accidente dumtaxat. Deinde alia sunt simultanea simultate absolutâ à tertio; alia simultate respectiuâ ad tertium. Præterea, alia sunt simultanea re ipsâ; alia verò tantummodò secundum rationem, alia secundum cognitionem, &c.

35 Secundò suppono, simultatem rerum prioritati, posterioritatique earum oppositam esse. Nam, quâ ratione vna res alteri prior est, aut posterior, eâdem simul cum illâ esse non potest, nec vice versâ. Vnde, quot sunt prioritates, & posterioritates rerum, tot sint oppositæ simultates necesse est. Ex quo rursùs fit, vt simultates rerum intra eas dem omninò series considerandæ veniant, & collocandæ, intra quas considerantur, & collocantur oppositæ rerum prioritates, & posterioritates.

36 Ex quibus dico vniuersè ea in vnâquâque serie, siue ordine simultanea dicenda esse, quæ ad eundem talis seriei, siue ordinis pertinent gradum. Erunt autem simultanea suapte naturâ, si ordo ad quem pertinent sit ordo naturæ; ex accidente verò erunt simultanea, si ordo, ad quem pertinent sit ordo accidentis, iuxta diuisionem factam *quæst. 1.* Tum simultanea erunt simultate absoluta à tertio, quæ

quæ simultatem habent oppositam prioritati absolutæ à tertio; quæ verò simultatem habent oppositam prioritati respectiuæ ad tertium, & ipsa eorum simultas ad tertium respectiua erit.

37 Hinc in serie durationis, seu temporis simul naturâ sunt plures quæque durationes eidem mensuræ temporis respondentes. Ex accidente verò sunt simul in serie similiter durationis, seu temporis, plures quæque res per durationes sibi accessorias in eodem tempore existentes. In serie autem originis simul naturâ sunt plures quæque causæ ex æquo influentes physicè in eumdem effectum; atque etiam plures quique effectus ex æquo prouenientes physicè ab eâdem causâ. Ex accidente verò simul erunt in serie originis plura quæque obiecta ex æquo mediâ sui cognitione; atque adeò intentionaliter, siue moraliter ad eumdem effectum concurrentes. In serie autem connexionis simul naturâ erunt plura quæque subiecta ex æquo connexa non mutuò cum eodem termino. Necnon plures quique termini ex æquo terminantes non mutuam connexionem eiusdem subiecti. Ad quod simultatis genus pertinet, quam habent plures species ex æquo diuidentes idem genus; siue immediatè, siue mediatè, vtpotè quibus ex æquo est prius genus ipsum prioritate inconnexionis non mutuæ. Extrema verò mutuò connexa, non quidem, quòd ad eumdem gradum seriei connexionis pertineant; sed aliunde ab Aristotele, & ab aliis communiter dicuntur esse simul naturâ, nempe: quia mutuò sunt inseparabilia; quæcunque autem ab inuicem separari non possunt, simul naturâ esse censentur. Iam verò ex accidente in serie connexionis simul esse dicentur, quæcumque ad eumdem gradum talis seriei quoquo modo accidentariè tamen spectauerint. Denique in serie dignitatis simul naturâ dicenda veniunt quæcunque æqualem dignitatem, seu perfectionem habent suapte essentia. Ex accidente verò, quæ ab accidentibus superadditis illam habuerint. Et hæc de rerum simultate absolutâ à tertio. Simultate verò respectiuâ ad tertium, imprimis simul naturâ sunt plures quæque præsentiæ eidem spatio locali correspondentes: ex accidente verò plures quæque res per superadditas præsentias in eodem spatio locali, siue in eodem loco existentes. Et vniuersim plures quæque res per suam essentiam pertinentes ad eumdem gradum cuiuslibet omninò seriei, simul naturâ dicendæ veniunt in tali serie, simultate respectiuâ ad tertium; hoc est, æquali ad tale tertium propinquitate. Ex accidente verò, quæ per accidens superadditum ad eumdem gradum spectauerint.

38 Quæ cùm ita sint; vniuersaliter factum est, vt quæcunque in eodem tertio coniunguntur, simul in eo esse dicantur; idque, vel per suam naturam, vel per accidens superadditum; siue tale tertium sit idem locus; siue idem tempus; siue idem status; siue idem subiectum; siue aliud quidvis, in quo pluta dici possunt habere esse. Cuius ratio est: quia nullum huiusmodi tertiorum erit, quod alicuius seriei, seu ordinis aliquem gradum constituere, aut saltem ad aliquem gradum reduci nequeat. Nec solùm, quæ ad vnum, eumdemque seriei gradum pertinent, simul in eo esse dicuntur; sed etiam interdum, quæ pertinent ad gradus contiguos, siue immediatos: imo nonnunquam, quæ in essendo quovis modo consortium habent. Ita enim simul esse, siue simul habere esse dici solent, quæ aut se se tangentia, aut contigua, aut coniuncta, aut associata sunt quoquo modo, aut demùm quodvis genus habent consortij in essendo; tametsi modi isti loquendi laxi sint, & improprij.

Porrò quævis rerum simultas denominatio quædam earum est aut semiextrinseca, aut extrinseca consistens realiter in aggregato fundamentorum, vnde desumitur: formaliter vero in quâdam relatione rationis supposititia, provt dictum est de prioritate *quæst.* 2. consentaneè ad vniuersalem doctrinam traditam, tum *disp.* 12. *quæst.* 3. tum *disp.* 14. *quæst.* 1. quæ ad rem recolenda. 39

Denique, quotmodis aliqua possunt esse simul re ipsâ, tot modis, & aliis pluribus possunt esse simul per rationem, vti de prioribus, & posterioribus dictum est *quæst.* 2. secundum cognitionem autem simul esse dicuntur, quæ simul dicuntur cognosci: dicuntur autem simul cognosci, propriè loquendo, quæ, vel per vnicam cognitionem, vel per plures simultaneas cognoscuntur. Cognitiones autem tot modis, quot cæteræ res simultaneæ esse possunt. Alio item sensu dicuntur simul cognosci illa, quorum simultas attingitur ex parte obiecti, quidquid sit de cognitionibus, quibus attingitur, vt *de prioribus, & posterioribus ibidem*, etiam dictum est. 40

QVÆSTIO IV.

Virum prioritas naturæ aliquibus in casibus impediatur. Et qua ratione?

TVnc dicitur impediri prioritas naturæ, quando dantur in rebus prædicata ex se sufficientia ad eam fundandam; ab aliis tamen prædicatis interuenientibus eneruantur, ne illam fundent. Examinandum ergò suscipimus in *præsenti quæst.* in quibus id casibus eueniat 41

Propositio 1.

Prioritas naturæ respectiua ad tertium in nulla serie constante vt minimùm tribus gradibus potest vllo modo impediri. 42

Sit enim series quævis compacta ex A. B. C. ea posita impossibile prorsùs erit, vt B. respectu C. non sit prius, quàm A. quia impossibile est, vt B. non sit propinquius ipsi C. quàm A, vt ipsa seriei constructio supponit. Id autem ipsum est, B. respectu C. prius esse, quàm A. vt constat ex *superiùs* dictis.

Propositio 2.

Prioritas naturæ absoluta à tertio in serie durationis non potest vllo pacto impediri. 43

Quia impossibile est, vt dies hodiernus, & quæuis duratio ei correspondens, non sit suapte naturâ prior die crastino, & cuivis durationi ei correspondenti, vt ex se patet; tantumdemque est de cæteris partibus temporis, & durationibus correspondentibus illis quibus solis prioritas naturæ; conuenit in serie durationis. Nulla enim est, quæ in illo casu possit non esse prior naturâ subsequentibus, & posterior antecedentibus, cùm omnes sint, quod ad rem attinet, eiusdem rationis, vt etiam patet.

Propositio 3.

44 In serie itidem dignitatis, seu perfectionis impossibile est, vt prioritas naturæ impediatur aliquo modo.

Quia, quod semel dignius est alio, siue perfectius per suam essentiam, non potest non semper esse dignius, siue perfectius illo per suam essentiam, & est notissimum. Hoc autem ipsum est, non posse non semper esse prius illo per suam essentiam. Verum est, quod per essentiam est perfectius, per accidens superueniens posse reddi imperfectius, aut æquè perfectum; semper tamen dicetur per essentiam, seu per naturam prius, tametsi insuper in eo casu dicendum veniat posterius, aut simultaneum ex accidente.

Propositio 4.

45 In serie similiter originis, nullatenus impediri potest prioritas naturæ.

Quoniam, quod alteri dat *esse*, aut ex parte dantis *esse* ipsius facultatem quoquo modo complens se habet, eo ipso nequit non esse prius illo naturâ suâ, quidquid occurrant alia. Tum quia dependentia per originem strictissima est; per nullamque subinde oppositam impediri potest, quominùs gignat posterioritatem naturæ ad seriem originis pertinentem; cùm potiùs ea obstet, quominùs quæuis alia opposita dependentia minùs stricta, qualis est dependentia per connexionem, posterioritatem naturæ in suâ propriâ serie causet. Quo iure actio non mutuò connexa cum termino per illam producto, prior est naturâ ipso termino prioritate originis, & nullomodo posterior ipso posterioritate connexionis non mutuæ: talis enim connexio ab alio prædicato actionis eneruatur, quominus in eâ posterioritatem causet. quam in alio ente causaret. Quæ omnia ex dictis iam *quæst.* 2. *à num.* 25. satis sunt nota.

Propositio 5.

46 In serie verò connexionis variis modis impeditur connexio, ne causet posterioritatem naturæ; & consequenter prioritas naturæ pariter in eâ serie impeditur.

Primò enim quoties connexio siue immediatè, siue mediatè mutua est, prioritas, & posterioritas naturæ cassantur, solaque simultas naturæ datur in serie connexionis. Nam si cum A. connectitur B, & cum B. connectitur C; etiamsi quantum est ex parte talium connexionum, præcisè A. esset prius, quam B, & C; & B. esset prius, quàm C, si tamen A vicissim sit connexum cum C, omnia tria A B C connexa mutuo fiunt, siue mediatè, siue immediatè; atque adeo simultanea euadunt, iuxta dicta *quæst.* 3. omni eorum prioritate, posterioritatéque naturæ impeditâ. Inferes. Ergo si detur etiam mutua causalitas, siue mediata, siue immediata in serie originis, prioritas naturæ impedietur in illâ serie, contra doctrinam statutam *propos.* 4. Respondeo, in tali hypothesi fore quidem, vt prioritas naturæ in serie originis impediretur: quia tamen hypothesis est impossibilis, eo quòd mutua causalitas physica impeditura prioritatem naturæ, allaturaque simultatem prorsùs repugnat, vti *disputat.* 9. *quæst.* 5. *propos.* 29. statuimus. Idcircò casus non est contra *propos.* 4. absolutè asserentem: impedibilem esse in serie originis prioritatem naturæ: quia non est possibilis mutua origo, quâ impediretur in serie originis, vt est possibilis mutua connexio, quâ, vt dictum est, impeditur in serie connexionis.

Secundò, in serie connexionis prioritas naturæ 47
impeditur, vbi interuenit origo opposita, vt dicebamus *propos.* 4. Ob id causa, vel actio non mutuò connexa cum effectu, etsi titulo talis connexionis præcisè deberet esse posterior illo; absolutè tamen non est posterior: quia titulo influxus ea posterioritas, & prioritas effectus illi respondens penitùs impediuntur, solæque manent prioritas naturæ causæ, vel actionis, & posterioritas effectus ad seriem originis pertinentes. Similiter simultatem mutuæ connexionis impedit influxus causæ in effectum, quando causa, & effectus inuicem connectuntur, vt bene vidit Aristot. citatus *suprà quæst.* 3. Quando autem causa mediatè connectitur cum effectu connexione non mutuâ, prioritas effectus inde aliàs oriunda etiam impeditur per influxum causæ. Sed dubitari potest, quomodo id medio, quo causa connectitur cum effectu ad causam, & ad effectum sit comparandum, quando nullius respectu eius influxus interuenit, vt fieri potest. Censeo, comparandum esse, vt posterius naturâ causâ posterioritate mediatâ coalescente ex connexione, quâ tale medium dependet non mutuo ab effectu, & in influxu, quo effectus dependet non mutuò à causâ. Quocirca censeo, in tali casu, etiam impediri posterioritatem immediatam causæ, aliàs oriundam à dependentiâ non mutuâ connexionis, quâ causa dependet à dicto medio: quia dependentia mediata, quam medium habet à causâ coalescens ex connexione, & influxu, contra dependentiam immediatam solius connexionis, quam habet à medio, videtur prævalere.

Tertiò. Quando duo connexa non mutuò per 48
eamdem actionem fiunt, videbitur alicui fortasse impediri prioritatem, posterioritatémque oriundam à connexione non mutuâ eorum, eo quòd in tali casu, inuicem illa dependentia quoad *esse* euadunt, quatenus quodvis eorum per originem immediatè dependet ab actione. & per connexionem mediâ actione dependet ab altero, cum quo actio ipsa immediatè connexa est. Ego verò arbitror, in eo casu, nõ impediri prioritatem, posterioritatémque dictam: quia quamuis mutuam dependentiam quoad *esse* ea duo sortiantur, maiori tamen dependentia dependet ab altero, quod cum altero est connexum non mutuò, quàm è conuerso: siquidem dependet ab illo, tum mediâ actione cum vtroque connexa, in quo ambo sunt paria; tum insuper mediâ sui connexione non mutuâ, quo iure adhuc posterius illo manere videtur. Vnde multò certius est, manere posterius natura altero, quod ab eo per originem dependet; tametsi rursus ambo indiuisim per eamdem actionem fiant; mutuámque quamdam vt sic dependentiam sortiantur. Hæc namque refunditur in dependentiam per connexionem, quam talis actio habet cum vtroque; dependentia autem per connexionem contra dependentiam per originem non potest prævalere, vt constat ex dictis.

Hinc sequitur, quando vnum dependet ab alio 49
non mutuo, siue per connexionem: siue per originem, prioritatem, posterioritatémque naturæ in eâ dependentiâ fundatam, nequaquam impediri ex eo, quòd ambo indiuisim peridem decretum Dei efficax decernantur, ab eoque quamdam mutuam dependentiam sortiantur; quatenus ambo à decreto depen

dependent per originem, & quoduis eorum ab altero medio decreto cum eo connexo: quia de decreto efficaci tangente indiuisim prædicta extrema, perindè ac de actione, quod ad rem attinet, philosophandum est, vt constat. Quod autem dictum est pro casu, quod eiusmodi extrema tangantur eâdem actione, aut eodem decreto: pariter venit dicendum pro casu, quo duabus actionibus, aut duobus decretis mutuò inter se connexis tangantur, vt satis ex se notum est.

50 Mitto alios casus, qui excogitari possunt, & ab vnoquoque per ea quæ diximus facilè resoluentur.

QVÆSTIO V.

Qualiter ex pluribus ordinibus naturæ vnus, & idem componi possit.

51 Bifariam potest vnus ordo naturæ ex pluribus excogitari compositus. Primò veluti mixtione quâdam in eisdem entibus repertâ. Secundò veluti quadam cõcatenatione repertâ in entibus diuersis. Priori modo erit ordo cõpositus ex pluribus in his entibus A.B.C.D. si A. aut duobus, aut tribus, aut quatuor generibus prioritatis, omni combinatione facta, sit prius, quam B; & eisdem prorsus B. sit prius: quam C, & C, quam D. Posteriori autè modo erit ordo compositus ex pluribus in his entibus, A. B.C.D. si A, vno prioritatis genere sit prius, quam B & B. alio prius, quam C, & C. alio prius, quam D. Igitur vtroque modo posse ex aliquibus vnus ordo componi certũ est, vt ex dicendis constabit. Examinare tamen oportet, ex quibus, discurrendo per singulos. Agemus autem primum de primo; deinde verò de secundo compositionis genere; & in vtroque imprimis de prioritate, & posterioritate absolutâ à tertio; dicturi nonnihil ad calcem de respectiuâ ad illud.

Propositio 1.

52 Vnum ens esse prius alio, & hoc prius tertio, & ita deinceps, tum duratione simul, & dignitate; tum origine, & dignitate, tum inconnexione non mutuâ; & dignitate possibile est.

Est clarum: quia nihil vetat esse perfectius, seu dignius alio id quod aut duratione, aut non mutua inconnexione prius eodem est. Et hoc rursus esse perfectius, seu dignius tertio similiter se posteriore, & ita deinceps. Vt est notissimum.

Propositio 2.

53 Vnum ens esse prius alio, & hoc tertio, & ita deinceps prioritate inconnexionis non mutuæ, & simul prioritate aut durationis, aut originis possibile est.

Hæc etiam propositio est certissima: quia eiusmodi prioritates sæpe in eisdem entibus, aut coniunguntur de facto, aut possunt coniungi, vt cunctis satis, superque, si rem considerent, notum fiet.

Propositio 3.

54 Vnum ens esse prius alio, & hoc tertio, & ita deinceps prioritate durationis, & simul prioritate originis possibile est.

Hæc propositio non adeò est certa vt præcedentes, loquendo, vt loquimur modò de prioritate naturæ, quam in serie durationis partes dumtaxat temporis, & aliæ entitates, eis per essentiam alligatæ habent: quia, quod per essentiam prius est tempore, quam aliud, non videtur posse, in illud influere; vt sit etiam prius origine, quam illud; eo quod causa & effectus, eidem tempori correspondere debent. Sed probatur nihilominus: quia licet causa dans esse effectui in eâdem mensurâ temporis simul cum effectu esse debeat, conditio tamen requisita, vt causa sit proximè potens causare effectum (quæ eo ipso, prius etiam est origine, quàm effectus) in ipsâ eâdem mensurâ temporis non semper esse debet; sed vel in antecedente; vel subsequente esse potest, iuxta doctrinam statutam *disp. 9. q. 5 propositi.* 30. quo locus datur, vt idem comparatione eiusdem, tum duratione, tum origine simul naturâ sit. Sic, dum mobile mouetur localiter ab spacio A. ad spatium B. immediatum, vt est conditio requisita habuisse illud præsentiam in spatio A ad hoc, vt possit per motum producere præsentiam in spatio B; ita, & durasse illud sub præsentiâ spatij A in in tempore immediatè antecedente, vt producat in præsente præsentiam spatij B. quo fit, vt duratio eius in tempore antecedente tanquam conditio quædam concurrat ad productionem præsentiæ spatij B (quam tempori præsenti suapte essentiâ affixam ponamus) atque ita tali productione tum tempore, tum origine prior naturâ sit. Sic etiam, vt intellectus sit hodie proximè potens ad eliciendũ actum fidei diuinæ, de durationè Adami, præterita conditio requisita est, extitisse talem durationem; sub hypothesi saltem, quòd hodiè existat talis actus, atque ita illa tum tempore, tum origine ipso actu fidei prior naturâ est. De quo iterum redibit sermo *q. 7.*

Ex dictis colligitur, vnum ens posse esse prius 55
alio, & hoc tertio, & ita deinceps; tum omnibus quatuor prioritatibus prædictis; tum tribus earum, omni combinatione factâ. Agamus ergò iam de secundo compositionis genere per cõcatenationem.

Propositio 4.

Ex serie dignitatis, & ex reliquis, non coalescit 56
vnus ordo naturæ concatenatione compositus, qui simplicium retineat proprietates, quod ad prius attinet, & posterius

Nam in simplici quolibet naturæ ordine, quod est prius priore, prius est etiam posteriore, vt ostendemus *q. 7. propositi.* 2. Quod secus euenit in ordine compositõ ex ordine dignitatis, & reliquis, si enim A. sit dignitate prius naturâ, quàm C. B. & B. sit prius naturâ quàm aut duratione, aut origine, aut inconnexione non mutuâ; non mox sequitur, A, prius esse; quam C. Potest namque naturâ esse posterius illo, vel simul cum illo, tum dignitate, tum etiam, aut duratione: aut origine, aut inconnexione, vt consideranti notũ fiet. Tantumdémque euenit, si A. prius naturâ sit quàm B. aut duratione, aut origine, aut inconnexione non mutuâ, & B. prius dignitate, quàm C.

Propositio. 5

Ordo naturæ concatenatione compositus ex 57
serie

serie originis, & ex serie connexionis perinde se habet, ac si esset vnus simplex ordo naturæ, quod ad prius attinet, & posterius.

Itaque, si A. prius naturâ est, quàm B. prioritate inconnexionis non mutuæ, & B. prius naturâ est, quàm C prioritate originis, absolutè est dicendum, A. prius naturâ, quàm C. Quòd si iterum C. prius naturâ, fuerit, quàm D prioritate inconnexionis non mutuæ, A, & B; priora quoque naturâ dicentur absolutè, quàm D, & ita pariter deinceps. Fundatur, autem propositionis veritas in similitudine horum duorum naturæ ordinum, exposita iam à nobis *suprà quæst.* 2. Et confirmari potest primò: quia A in exemplo posito ideò est prius naturâ, quàm B: quia B. dependet quoad esse ab A. ratione connexionis, & non è conuerso; sed etiam C. dependet quoad esse ab A. ratione originis simul, & connexionis; & non è conuerso: quia C. origine dependet à B, & B connexione dependet ab A; non autem è contrà. Igitur A prius naturâ est etiam, quàm ipsum C. similitérque potest argui ad probandum, A ipsum prius naturâ esse, quàm D. Secundò, si C connexione non mutuâ penderet à B, quemadmodum B. ipsum pendet ab A: A prius naturâ esset, quàm C sine dubio prioritate mediatâ: sed dependentia per originem, quâ C. pendet à B. præstantior est in genere dependentiæ, quàm dependentia per connexionem: ergo in casu nostro potiori iure dicendum est, A esse prius, quàm ipsum C. mediatè. Pari ratione, si C. penderet à B. connexione non mutuâ; B quidem sine controuersia prius esset, quàm D, quo etiam magis mediatè prius esset A: ergo dependente C. per originem non mutuò à B potiori iure B, & A. dicenda sunt priora, quàm D. Tertiò C, & D. non se habent disparatè respectu A: quia ab illo mediatè dependent quoad esse; neque sunt priora, quàm A, ad quod nullo modo conducunt; neque simul sunt naturâ cum illo: quia nec habent mutuam dependentiam cum illo; nec sunt in eodem seriei gradu: ergo à fortiori sunt illo posteriora.

58 Itaque ex dictis duobus ordinibus concatenatione fit vnus, qui proprietates simplicium habet. Quo fit, vt in eo, quâ parte est ordo connexionis prioritas, & posterioritas naturæ impediri possit; quatenus in ordine connexionis impedibilis est, iuxta dicta *quæst.* 4. *posit.* 5. licèt, quâ parte est ordo originis impediri non possit: quia in eo non est impedibilis, iuxta dicta *in eadem quæst. propos.* 4. Vndè multi casus excogitandi veniunt præter tactos ibi; qui tamen consentaneè ad doctrinam *ibidem* traditam ab vnoquoque resolui poterunt.

Propositio 6.

59 Ex serie durationis, & ex serie originis non coalescit vnus ordo naturæ concatenatione compositus perinde se habens, ac si esset simplex, quod ad prius attinet, & posterius.

Quia in omni serie simplici naturæ, ex vnâ parte, quod est prius priori, & posteriori debet esse prius. Ex aliâ verò, idem se ipso prius esse non potest, vt *infrà quæst.* 7. *propos.* 2. & 4. ostendemus. Hæc autem duo in ordine naturæ concatenatione composito ex serie durationis, & ex serie originis semper stare non possunt: quia cum possit esse in serie durationis prius naturâ altero, id quod eodem in serie originis est posterius naturâ, vt *in eadem quæst. posit.* 5. videbimus. Casu, quòd A. sit prius duratione, quàm B. & B. prius origine, quàm C. si C. vice versâ sit, vt potest prius duratione, quàm B, & B prius origine, quàm A; fiet vtique, vt vel A. non sit prius, quàm C; neque C prius quàm A, vt postulat ordo concatenatione compositus; vel si est, aut A. erit prius remotè se ipso, aut cùm sit prius priore, nempè ipso C non erit prius posteriore, nempe se ipso, quod vtrumque simplici ordini naturæ repugnat. Ordo igitur naturæ concatenatione compositus ex serie durationis, & serie originis coalescere nequit perinde se habens, ac si esset simplex, quod ad prius attinet, & posterius, vt propositio fert.

Propositio 7.

Ex serie durationis, & ex serie connexionis non 60
coalescit vnus ordo naturæ concatenatione compositus perinde se habens, ac si esset simplex, quod ad prius attinet, & posterius.

Hæc propositio eodem modo, ac præcedens probanda venit: quia sicut in serie durationis potest esse prius naturâ altero id, quod eodem in serie originis posterius est; ita quoque in serie durationis potest esse prius naturâ altero, id, quod eodem est posterius in serie connexionis, vt *q. 7. propos. 5. iam citatâ* ostendimus: ergo sicut in primo probatio præcedentis propositionis fundata est; ita in secúdo fundari ab vnoquoque potest probatio præsentis. 61

Et hæc de vtraque compositione vnius ordinis naturæ ex pluribus, quod attinet ad prioritatem, posterioritatémque absolutam à tertio. Iam verò, quod ad prioritatem, posterioritatémque respectiuam ad tertium attinet, dico vno verbo, eodem modo de illâ philosophandum esse in quovis ordine naturæ qualibet ratione composito; atque in ordine naturæ simplici. Quoniam, si A. B. C. D. serie quâdam continuâ semel ponantur ordinata, quocumque demum modo talis series concipiatur composita ex pluribus, semper B. prius erit, quàm C. respectu A, & C. prius erit, quàm D. quia B. propinquius est ad A, quàm C. & C. propinquius, quàm D in tali serie.

Ex dictis autem de compositione vnius ordinis 61
naturæ, ex pluribus, facilè quisque potest colligere: quid sit dicendum de compositione vnius ordinis accidentis ex pluribus, discurrendo per omnia genera ordinum accidentis; vti discurrimus per omnia ordinum naturæ. Quem propterea discursum vnicuique, ne hîc diutius immoremur, faciendum remittimus.

QVÆSTIO VI.

Vtrum prioritas, & posterioritas ad seriem connexionis pertinens, non solùm in connexione Metaphysicâ, sed etiam in Physicâ, & morali fundari possit?

QVod fundetur in connexione Metaphysicâ, & 63
quâ ratione *quæst.* 2. statutum, & explicatum est. Nunc autem pro resolutione supponimus ex dictis *disp.* 14. id cùm alio esse connexum metaphysicè, quod nulla potentia potest sine illo esse. Physicè autem, quòd naturaliter, & citra miracu-

lum

lum non potest: moraliter denique, quod non potest moraliter. Vnde connexio Metaphysica in quiditate rei connexæ, provt penitus inseparabili à termino connexionis fundatur. Connexio autem physica in debito, siue iure connaturali, quo ex suppositione rei connexæ terminus connexionis debet existere, siue ipsi debetur existentia. Connexio verò moralis in inclinatione, quâ ex suppositione rei connexæ causæ termini connexionis ad ipsum inclinatæ sunt.

64 Hinc: quia terminus connexionis metaphysicæ non potest non conducere; vt habeat *esse* res connexa hoc ipso, quòd hæc absque tali termino nullatenùs potest habere *esse*, & consequenter nullatenus potest ab ipso in suo *esse* non dependere. Ideò terminus connexionis metaphysicæ, quando est non mutua, nequit non esse prior naturâ, quàm res connexa, nisi aliundè talis prioritas impediatur iuxta dicta *q. 4.* vtpotè, quia talis prioritas, & posterioritas ei correspondens nequeunt non fundari; nisi quid obstet in eiusmodi conducentiâ, atque dependentiâ non mutuâ, vt satis constat ex dictis *quæst. 2.*

65 Quia verò terminus connexionis physicæ, seu naturalis; neque vt aliquid omninò requisitum ad hoc, vt existat res connexa; neque aliter ad eius existentiam conducit: potius res connexa conducit ad existentiam termini connexionis, quatenùs eius debitum, seu ius connaturale inducit, quo Deus mouetur ad illi existentiam præstandam: vt cernere est in materiâ vltimò dispositâ ad formam, vt sicque connaturaliter connexa cum forma, quatenùs hæc illi connaturaliter debetur. Forma enim nullatenus conducit, vt existat materia disposita; cum tamen materia disposita conducat, vt existat forma, quatenùs iure suo connaturali poscit à Deo, vt illam causet. Quia, inquam, hæc ita se habent, conficitur, in connexione physicâ, seu naturali, quantumuis ea non mutua sit, nullam fundari prioritatem, quâ terminus connexionis prior euadat, quàm res connexa, vti fundatur in connexione metaphysicâ. Prioritatem autem in eo fundatam, qua res connexa prior est termino connexionis, vtpotè ad huius existentiam modo dicto conducens, ad seriem originis pertinere; non verò ad seriem connexionis: quia est prioritas cuiusdam influxus, non quidem physici; sed quasi moralis, seu obiectiui: id est exerciti mediâ diuinâ cognitione de iure connaturali, quo Deus mouetur ad causandum terminum connexionis. Vnde non est prioritas naturæ; sed prioritas ex accidente; ad seriémque proindè originis non naturæ, sed accidentis spectat, iuxta huiusmodi serierum discrimen satis expositum *in superioribus*. Vnde tandem concluditur, in connexione physicâ, seu naturali, nullam prioritatem, aut posterioritatem fundari, quæ ad seriem connexionis pertineat.

66 Ex quo planè videtur colligi, neque fundari in connexione morali. Quia terminus connexionis moralis minùs adhuc videtur conducere ad existentiam rei connexæ, quam terminus connexionis physicæ: prioritas autem, & posterioritas ad seriem connexionis pertinens in huiusmodi conducentia fundanda erat, vt constat ex dictis. Stet ergo, prioritatem, posterioritatémque pertinentem ad seriem connexionis in solâ connexione metaphysica fundari; non item in physicâ, aut morali. De solâque connexione metaphysicâ sermonem esse, quoties de serie connexionis, de prioritate, posterioritatéque ad illam spectante sermo est.

QVÆSTIO VII.

Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

DIco, elici, quæ sequuntur. 67

Propositio 1.

In omni ordine, siue serie naturæ, quod est prius priore, & posteriore prius est prioritate mediatâ. 68

Si enim A prius naturâ est, quàm B, & B prius naturâ est quàm C intra eamdem seriem naturæ, non potest A non esse mediatè prius naturâ, quàm C. Id, quod ex ipsis terminis satis est euidens; sed declarari amplius potest discurrendo per singulos naturæ ordines. Et quidem, si sermo sit de prioritatibus respectiuis ad tertium, quæ per omnes omninò series excogitabiles vagantur, propositio plane est aperta. Si enim B respectu A prius est, quàm C, quia propinquius, & C respectu eiusdem A prius est, quàm D; necessum planè est, vt B respectu A prius sit, quàm D prioritate mediatâ. Repugnat enim, B esse propinquius ad A, quàm C, & non esse propinquius, quàm D, quo propinquius est C. Hìc autem idem est, esse propinquius, ac esse prius. Si autem sit sermo de prioritatibus absolutis à tertio, quæ, vt ex dictis *in superioribus* constat, ad quatuor series reuocantur, non minùs certa, perspicuáque videtur propositio.

Primùm namque in serie dignitatis, seu perfectionis, quod est prius priore, non potest non esse prius posteriore prioritate mediatâ. Impossibile quippe est, vt A sit dignius, seu perfectius, quàm B, & B, quàm C, quin A quoque sit dignius, seu perfectius, quàm C, sicut A non potest esse maius, quàm B, quin etiam sit maius, quàm C, quò maius est ipsum B. In præsenti autem idem est esse prius, atque esse dignius, seu perfectius, siue maius quoad dignitatem, vel perfectionem. 69

Deinde in serie durationis, quod est prius priore, non potest non esse etiam prius posteriore prioritate mediatâ. Dies enim hesternus, qui prior est hodierno, non potest non esse prior etiam crastino, quo hodiernus est prior, vt patet. 70

In serie etiam connexionis, quod prius est alio priore, prius est quoque posteriore suapte naturâ: Nam si A est prius, quàm B: quia inconnexionem non mutuam habet cum illo, & B est prius, quàm C ob similem inconnexionem; necesse est, vt A sit etiam prius, quàm C. Etenim idcircò A. prius est, quàm B. in huiusmodi ordine: quia A. conducit, vt sit B. (eo quòd B. ratione connexionis quoad esse dependet ab A.) B tamen nullatenùs conducit, vt sit A; vtpotè, quod non est connexum cum ipso B; sed A etiam conducit, vt sit C, quia conducit, vt sit B, sine quo nequit esse C; C verò nullo modo conducit, vt sit A 71

(quia

(quia, vt ſupponimus, A ; neque cum C connexum eſt :) ergo A. prius eſt etiam, quàm C: prioritate tamen mediatâ. Quod ſi verò A connexum eſſet, immediatè cum C, nequiret vtique prius illo eſſe ; tametſi non connecteretur immediatè cum B ; imò neque eſſet tunc prius ipſo B ; ſed omnia tria ſimul eſſent naturâ, iuxta doctrinam ſtatutam *quæſt.* 3. quia omnia tria eſſent mutuò connexa, & inter ſe dependentia, vel mediatè, vel immediatè : ſiquidem A immediatè penderet à C, & mediatè à B, à quo pendet C, & C mediatè penderet ab A ; & immediatè à B, quod immediatè pendet ab A. Nihil autem intereſt ad ſimultatem naturæ, quòd mutuæ connexiones, ſeu dependentiæ immediatæ ſint, vel mediatæ : cùm etiam dependentiæ, & connexiones mediatæ verè ſint dependentiæ, & connexiones, & tam ſtrictæ, quàm immediatæ. Nam connexiones Metaphyſicæ (de quibus habemus ſermonem, iuxta *quæſt.* 6.) æquè ſunt neceſſariæ, cùm ſunt mediatæ, atque cùm ſunt immediatæ, vt ex ſe patet, & ex dictis *diſputat.* 14.

72 In ſerie denique originis, quod prius eſt alio priore, non poteſt non eſſe etiam prius poſteriore prioritate mediatâ. Hoc tamen aſſertum non videtur adeo eſſe certum apud omnes, vt ſunt præcedentia ; cùm ſint multi, qui probabiliter doceant in ſerie cauſarum, & effectuum poſſe effectum remotum influere ſaltem moraliter in cauſam remotam. Ex quo videtur ſequi, cauſam remotam poſſe non eſſe priorem effectu remoto, ſeu mediato ; etſi ſit prior, quàm cauſa proxima, quæ prior ipſo effectu eſt ; ſed verò aſſertum dictum, ſi ſtemus in eodem ordine naturæ, non poteſt non eſſe apud omnes certum. Nam qui dicunt, effectum remotum poſſe moraliter influere in cauſam remotam ; non ſtant in eodem ordine naturæ, provt iuxta præſentem propoſitionem ſtari debet ; ſed effectum provt influentem in ſuam cauſam remotam in ordine collocant accidentis; dicunt enim effectum provt cognitum influere in ſuam cauſam moraliter media ſui cognitione. Quod eſt, eum in accidentis ordine collocare, vt conſtat ex dictis *in præcedentibus*, & ex dicendis *in ſequentibus* ampliùs conſtabit. Nemo autem dixit effectum phyſicè influere poſſe in ſuam cauſam adhuc remotam eodem genere influxus, quo cauſa remota influit in ipſum : quo pacto in eodem ordine naturæ ſtaretur. Deinde in præſenti aſſerto id ſupponitur quod *ſuprà diſp. 9. q. 5. prop* 29. ſtatutum eſt, ex omnium ſententia : repugnare ſcilicet, quòd aliqua duo, vel plura entia ſe mutuò phyſicè cauſent quoad idem ſui *eſſe*, atque adeo effectum remotum per eamdem Phyſicam exiſtentiam, quâ accipit mediatè à cauſâ remotâ, neutiquam poſſe viciſſim ipſi cauſæ exiſtentiam dare ; ipſamve phyſicè cauſare. Quo poſito, non poteſt non cauſa remota iuxta ſententiam omnium eodem iure eſſe prior naturâ effectu prioritate mediatâ, quo per influxum phyſicum non mutuum cauſa eius mediata eſt.

73 Stet ergo certum, in omni ordine, ſiue ſerie naturæ, quod eſt prius priore, & poſteriore, prius eſſe prioritate mediatâ, dummodò intra eamdem ſeriem naturæ ſemper ſtetut, cùm fit comparatio. Vnde conſequenter efficitur, intra vnamquamque ſeriem naturæ, quod eſt poſterius poſteriore ; priore quoque poſterius eſſe poſterioritate mediatâ, vt patet. Ex quibus etiam perſpicuè apparet, quo pacto omnis ordo naturæ ex pluribus gradibus coaleſcat, quorum quilibet vnico aliorum prior, aut poſterior eſt immediatè, & reliquis omnibus mediatè, eóque magis, aut minus mediatè, quò gradus intermedij plures ſunt, aut pauciores.

Propoſitio 2.

Quod prius naturâ altero eſt, eodem poſterius 74
naturâ non poteſt eſſe ; nec vice versâ intra eamdem ſeriem naturæ.

Eſt clarum : quia, quod prius eſt, eâ ratione, quâ prius eſt, neutiquam poteſt poſterius eſſe, cùm prioritas, & poſterioritas eiuſdem generis reſpectus ſint omninò oppoſiti, & ſibi inuicem repugnantes, vt cunctis notiſſimum eſt. Si autem, quod prius naturâ altero eſt ; naturâ etiam poſſet eodem poſterius eſſe intra eamdem ſeriem, idem, quâ ratione eſt prius, eâdem prorsùs eſſet poſterius ; aliámque ſubinde naturam ab eâ, quam habet, haberet. Quod planè eſt chymericum. Et quidem in ſerie durationis ſatis eſt euidens : non poſſe diem hodiernum, qui prior eſt craſtino naturâ ſuâ, eodem craſtino eſſe poſteriorem ſuâ eâdem naturâ. Idem patet in ſerie dignitatis. Nam, quod eſt alio dignius naturâ ſuâ non poteſt ſecundum eamdem naturam, quæ inuariabilis eſt ; eodem minus dignum eſſe ; nec minùs certa res eſt in ſerie originis, & in ſerie connexionis non mutuæ ; vt ſatis ex ſe conſtat.

Eſt autem propoſitio vera non ſolùm de priori- 75
tatibus immediatis ; ſed de mediatis etiam tum inter ſe, tum cum immediatis comparatis : ſi enim A eſt prius, quàm C mediatè, quia eſt immediatè prius, quàm B prius ipſo C, impoſſibile eſt, vt C prius ſit, quàm A vel mediatè, vel immediatè, vt conſtat ex dictis. Etenim cùm eſſe A naturâ ſuâ immediatè prius, quàm B, & B prius, quàm C ; & conſequenter A mediatè prius, quàm ipſum C, aliud non ſit à parte rei ab eſſentiis prorſus inuariabilibus horum trium entium A B C, impoſſibile eſt, vt talia non ſint. Non eſſent autem talia, ſi eſſet A naturâ ſuâ poſterius, quàm B ; vel, quàm C aut B poſterius, quàm ipſum C : quandoquidem eſſe prius, & ſimul poſterius idem comparatione eiuſdem ſuâ naturâ, & in eâdem ſerie ; atque adeo prioritate, poſterioritatéque eiuſdem generis, euidenter eſt impoſſibile ; cùm ſint euidenter oppoſitæ metaphyſicè talis prioritas, & poſterioritas non minus, quàm æqualitas, & inæqualitas, ſimilitudóque, & diſſimilitudo, & aliæ huiuſmodi relationes, ſeu denominationes. Et hæc de prioritate, poſterioritatéque abſolutâ à tertio.

De reſpectiuâ autem ad tertium euidentior ad- 76
huc eſt propoſitio noſtra : quia euidentius adhuc eſt, non poſſe idem naturâ ſuâ eſſe ſimul magis, & minus propinquum ; quàm aliud comparatione tertij ; quod ipſum eſt, non poſſe idem naturâ ſuâ eſſe prius, & poſterius, quàm aliud reſpectiuè ad tertium, vt ex dictis *in ſuperioribus* liquet.

Propoſitio 3.

Quod prius, aut poſterius naturâ altero eſt, eo- 77
dem ſimul naturâ eſſe non poteſt, nec vice versâ intra eamdem ſeriem naturæ.

Hæc propoſitio æquè, ac præcedens euidens eſt, eamdémque, atque illa explicationem, confirmationémque ab vnoquoque præſtandam habet : quia, quàm euidens eſt, prioritatem naturæ poſteriori tati naturæ eiuſdem ſeriei eſſe oppoſitam, tam euidens

euidens est, prioritatem, posterioritatémque naturæ simultati naturæ eiusdem etiam seriei oppositas esse.

Propositio 4.

78 Idem prius, aut posterius natura se ipso esse impossibile est.

Hæc propositio ex terminis imprimis est satis euidens, si sermo in eâ sit de prioritatè, ac posterioritate immediatâ; cùm sit compertum: hanc nisi inter duo distincta extrema aliquam seriem componentia dari non posse. Prioritas siquidem, & posterioritas naturæ quemadmodum distinctio, dissimilitudo, inæqualitas, & aliæ huiusmodi relationes euidentissimè sunt ex genere earum; quæ duo minimùm extrema depoſcunt ex conceptu suo, neque vnius tantùm ad se ipsum vllatenus esse possunt.

79 Si autem sit sermo in propositione, vt verè etiam est, de prioritate, ac posterioritate mediatâ; non adeo clarè se prodit veritas eius: posset enim quispiam fortasse concipere tamquam possibile, quòd A sit prius naturâ, quàm B, & B, quàm C, & C, quàm ipsum A: atque ita, quòd A mediatè prius naturâ se ipso sit. Cæterùm, hoc prorsus esse impossibile demonstratur. Primò: quia si A esset mediatè prius, quàm C, atque immediatè posterius ipso C, vt ita esset mediatè prius se ipso, A simul esset prius, & posterius naturâ eodem C intra eamdem seriem contra *propositionem* 2.

80 Secundò, id ipsum demonstratur discurrendo per singulos naturæ ordines, quo, & ampliùs confirmatur doctrina *dictæ propositionis* 2. Compertum est enim, in serie durationis diem hesternum hoc ipso, quòd naturâ suâ prior est crastino mediatè, nullatenùs posse ipso crastino naturâ posteriorem esse, vt ita posset esse prior se ipso mediatè. In serie autem dignitatis, quis non cernat esse impossibile, vt A suâ naturâ sit dignius mediatè C: quia dignius B digniori ipso C, & simul sit suâ naturâ ipso C indignius immediatè? Iam in serie connexionis res adhuc est clarior, in quâ, vt A sit prius naturâ, quàm C. mediatè: quia prius est B priori ipso C; ita debet C esse mediatè connexum cum A, vt A nullatenus sit connexum cum C; alioquin A, & C; atque etiam B simul naturâ essent; vt dictum est *propositione* 1. sublatâ autem connexione ipsius A cum C, non potest A in tali serie esse posterius ipso C, vt constat. Denique in serie originis ex dictis *propositione* 1. constat, non posse naturâ posteriorem mediatè suâ causâ remotâ, naturâ quoque esse immediatè priorem illâ: quia mutuò influxu physico in illam influere nullo modo potest; sed esto influeret: adhuc non esset prior illâ, potiùs illius prioritate impedita simul cum illa esset: quia, vt mutua dependentia per connexionem facit naturæ simultatem in serie connexionis, iuxta nuper dicta; ita mutua dependentia per influxum physicum, si possibilis esset, naturæ simultatem etiam efficere in serie originis, vt constat ex dictis *quæstione* 4. Postremò, in nullâ serie potest respectiuè ad tertium, esse aliò prius naturâ immediatè illud, quod eodem est naturâ posterius: quia nullo modo potest esse propinquius alio ad tertium id, quod eodem ad idem tertium aliquo modo remotius est, vt est notissimum. Ex quibus patet, idem se ipso naturâ suâ prius, aut posterius esse non posse, vt præsens propositio fert; sicut neque esse naturâ prius alio immediatè, quod eodem est posterius mediatè, vt fert *propositio* 2.

Propositio 5.

Quod in vnâ serie naturæ prius naturâ altero est, eodem potest esse in aliâ posterius naturâ. 81

Hæc propositio ita indefinitè prolata certissima est: quia in aliquibus seriebus manifestè verificatur; tametsi non verificetur in aliis. Discurramus per singulas, prænotantes, sermonem esse de prioritate, & posterioritate naturæ absolutâ à tertio. Nam alia non habet hîc locum. Etenim, quod prius naturâ altero est in serie originis, eodem in serie dignitatis bene potest esse posterius: quia instrumenta, vt fatentur omnes, sæpissimè influunt in effectum se perfectiorem, est actio, cùm accidens sit, in substantiam se perfectiorem influit; atque ita instrumenta, & actio priora suâ naturâ sunt in serie originis iis, quibus in serie dignitatis sunt posteriora. Vnde etiam infertur, naturâ simultanea esse posse in serie dignitatis, quæ in serie originis comparantur, vt prius, & posterius: quia certum est, id, quod influit in aliud, posse esse illi æquale quoad perfectionem.

Similiter, quod prius naturâ altero est in serie connexionis, eodem in serie dignitatis potest esse posterius: quia non repugnat; imo sæpè datur entitas connexa non mutuò cum aliâ se imperfectiore; quæ idcircò posterior naturâ illa est in serie connexionis, & prior in serie dignitatis, vt cernere est in actu fidei diuinæ de accidente aliquo se imperfectiore, cum quo non mutuò connexus est. Vnde etiam infertur, quæ sunt in serie connexionis simul naturâ, in serie dignitatis, vt prius, & posterius habere se posse, & vice versâ: quia possunt esse mutuò connexa, quæ sunt perfectione inæqualia, & è conuerso, æqualia perfectione esse, quæ connexa non mutuò sunt, vt satis ex se apparet. 82

In serie etiam durationis, naturâ prius potest esse, quod in serie dignitatis posterius est. Actus enim fidei diuinæ suapte essentiâ durans hodie; atque adeò affixus hodiernæ mensuræ de duratione Adami præteritâ, suâ naturâ, in serie durationis est posterior duratione Adami, & prior in serie dignitatis vtpotè illâ perfectior. Vnde etiam infertur. Quod est altero prius naturâ in serie durationis, eidem simultaneum esse posse in serie dignitatis, & vice versâ. Prioris namque generis sunt, durationes perfectione æquales diuersis temporis mensuris correspondentes. Posterioris autem durationes perfectione inæquales eidem correspondentes temporis mensuræ, vt est notum. 83

Iam quod prius naturâ altero est in serie durationis, eodem potest esse posterius naturâ in serie connexionis. Actus enim fidei diuinæ se ipso existens hodie de duratione Antichristi futura, prior est ipsâ duratione in serie durationis, & posterior in serie connexionis ob connexionem non mutuam, quam cum illâ habet. Ob eam namque dicunt omnes communiter, prius esse, Antichristum fore, quàm credi futurum: verumque esse ideo credi futurum: quia re verâ futurus est; non tamen è contrà: ideò futurum esse quia creditur fore, eo quòd esse futurum conducit, vt credatur futurum, non tamen è conuerso. Vnde etiam infertur. Quod est altero prius naturâ 84

in serie durationis; eidem simultaneum esse posse in serie connexionis, & vice versâ. Prioris enim generis erunt, durationes mutuò connexæ diuersis mensuris temporis respondentes Posterioris autem durationes correspondentes eidem tempori connexæ non mutuò, quæ omnes citra dubium possibiles sunt.

85 Interdum etiam, quod prius naturâ altero est in serie durationis, posterius eodem esse potest in serie originis. Hæc pars non adeò, vt præcedentes est certa. Probatur tamen: quia licèt causa dans *esse* effectui, non possit non existere in eâdem mensurâ temporis, in quâ existit effectus; nonullæ tamen conditiones ex parte causæ requisitæ; atque adeò complentes eius potentiam proximam ad causandum possunt existere provt vidimus *disp. 9. q. 5. prop.* 30. Accidere ergo poterit, vt aliqua eiusmodi conditionum posteriùs tempore sit effectu, in quem aliquo modò cum causâ influit, ipsóque subindè in serie originis priùs naturâ est. Sic veritas saltem conditionata de futuritione durationis Atichristi sub conditione quod intellectus noster eliciat actum fidei diuinæ de illâ se ipso affixum mensuræ hodiernæ ex vnâ parte prior naturâ est ipso actu fidei in serie originis vtpotè complens potentiam proximam nostri intellectus ad illum eliciendum iuxta dicta *loco citato*: Ex aliâ verò, posterior naturâ est eodem in serie durationis, vt constat. Posse autem, imò, & fæpè debere esse simul naturâ in serie durationis ea, quæ, vt prius, & posterius comparantur in serie originis, manifestum ex dictis est; tametsi è conuerso fortasse nequeant esse simul naturâ in serie originis, quæ vt prius, & posterius naturâ se habent in serie durationis, nisi quis velit, durationem hodiernam, & crastinam, dum eodem decreto Dei decernuntur, & exequuntur, ob id natura simultaneas in serie originis appellare, quod à doctrinâ traditâ *suprà q.* 3. non multum fors erit alienum.

86 Denique, quod prius natura est altero in serie originis, eodem in serie connexionis nequit posterius esse, etsi possit esse cum eo connexum non mutuò: quia posterioritas naturæ ex tali connexione oriundâ per prioritatem originis impeditur; sicut & simultas naturæ oriunda ex mutuâ connexione iuxta doctrinam statutam *quæstione* 4. vnde patet, nec simultanea posse esse in serie connexionis, quæ in serie originis vt prius, & posterius naturâ se habent. Quomodò autem nec vice versâ simul naturâ in serie originis esse possint, quæ, vt prius, & posterius naturâ in serie connexionis se habent, ex dictis in *eadem q.* facilè quisque potest colligere.

Propositio 6.

87 Quod prius naturâ altero est in quauis serie respectiuè ad vnum tertium, eodem potest esse posterius respectiuè ad aliud.

Est clarum. Quia in serie naturæ A B C D quæcumque ea sit compertum est C respectu D prius esse, quàm B: quia propinquius; B autem posterius: quia remotius. Cum tamen respectù A vice versâ B prius sit, quam C, quia propinquius; C autem posternus, qua remotius. Tantumdemque obeandem rationem euenit in quâlibet serie accidentis.

Propositio 7.

Quod in vnâ serie naturæ prius naturâ altero est, 88
in correspondente serie accidentis potest eodem ex accidente posterius esse, & vice versâ.

Sermo est imprimis de prioritate, & posterioritate, quas dicimus absolutas à tertio, & quæ in quatuor omninò naturæ ordinibus, siue seriebus, durationis scilicet, originis, connexionis, & dignitatis, in totidemque accidentis eis respondentibus dumtaxat reperiuntur. Appello autem seriem accidentis vnicuique seriei naturæ correspondentem, quæ in ipsâ fundatur, eamdémque sortitur nomenclaturam. Series quippe accidentis durationis seriei naturæ durationis respondet, & series accidentis originis seriei naturæ originis &c. Quæ ex dictis. *quæstione.* 1. & 2. satis sunt nota.

Igitur propositio sic intellecta, & indefinitè 89
sumpta certissima est, quatenus in aliquibus seriebus naturæ, & accidentis manifestè verificatur; tametsi in aliis, aut non ita certò, aut nullo modo verificetur. Discutiamus per singulas. Enim verò in serie dignitatis quod prius naturâ altero est, eodem ex accidente manifestè potest esse posterius; atque etiam vice versâ. Planè enim potest contingere, vt A perfectius, seu dignius sit, quàm B suapte naturâ, & tamen B. ab accidentibus sibi adiunctis perfectius, seu dignius euadat, quàm ipsum A. Tum etiam, & A imperfectius seu indignius suâ naturâ sit, quàm B; & tamen B ab accidentibus adiunctis imperfectius, seu indignius euadat, quàm A. Vnde etiam patet, in serie dignitatis quod prius aut posterius natura est altero, eidem ex accidente posse euadere simultaneum; & è conuerso, quod alteri naturâ est simultaneum, eodē posse ex accidente euadere prius; aut posterius.

In serie item originis electio mediorum, & ipsa 90
media priora naturâ sunt fine intento, quem physicè causant, quo eodem ex accidente sunt posteriora; quatenus finis prout apprehensus, aut etiam intentus, quod ipsi accidentarium est, ad ea omnia mouet; in eaque subindè media sui cognitione, aut etiam intentione influit. Nec solùm bonitas finis, & eius quiditas sumpta secundum se, quo pacto diuersa veritas obiectiua est ab existentiâ exercitâ eiusdem, mouet ad electionem mediorum, ad ipsâque media, & in ea influit; sed etiam existentia ipsa exercita, quæ per electionem, & media physicè exequutioni mandatur. Hæc enim est, quæ per intellectum proposita intenditur à voluntate per intentionem; siquidem, quod intendit voluntas est, vt existat finis; tametsi non per iudicium; sed per simplicem apprehensionem proponi debeat, siue iudicium de possibilitate eius insuper requisitum sit, siue secus. De quo suo loco. Hinc in serie mediorum, & finis communiter ab omnibus dici solet esse prius in intentione, siue ordine intentionis; quod in executione, siue ordine exequutionis posterius est.

Iuxta quam doctrinam dicam suo loco, ex 91
præuisione etiam iudicatiuâ, & absolutâ effectus, posse Deum ad decernendam causam eius moueri. Quo casu effectus cùm sit posterior naturâ causâ, eadem erit prior ex accidente in serie originis. De quo *ibi* plura. Quemadmodum autem effectus provt habens esse intentionale in sui cognitione dicitur in serie originis prior ex accidente sua causa; qua

qua posterior natura est, hoc ipso, quod cognitio effectus influit in causam; Ita è conuerso causa provt habens esse intentionale in sui cognitione posteriot ex accidente dicitur esse in serie originis effectu, quo est prior naturâ, quando effectus ipse in cognitionem causæ influxerit, vt fieri potest. Ita namque causa esse intentionale dicitur habere ab effectu, cui ipsa communicat esse physicum.

92 Ex quibus etiam patet, quæ simul naturâ sunt in serie originis, vt prius, & posterius ex accidente habere se posse, & vice versâ. Primum enim eueniet, quando ex duobus effectibus ex æquo, atque adeo simul naturâ ab eadem causâ productis, alterum mediâ sui cognitione in alterum influxerit siue immediatè, siue mediatè. Secundum, quando causa prior naturâ effectu, & effectus ipse indiuisim mediâ sui cognitione, aut concurrant ad aliud causandum, aut ab alio quoad esse intentionale causentur, vtroque enim modo etunt ex accidente simul in serie originis.

93 Similiter in serie durationis, si detur actus fidei diuinæ affixus hodiernæ mensuræ de duratione futurâ Antichristi, duratio Antichristi, quæ posterior naturâ est die crastino, prior ex accidente erit eodem quoad esse intentionale, quod hodie habebit in actu fidei. Quo iure veritas obiectiua durationis futuræ Antichristi ex accidente, est prior die crastino naturâ priore duratione ipsâ, quatenus iam hodie est, totoque tempore antecedente fuit verum, id est, iudicabile verè Antichristum fore. Paritérque in serie durationis posterius ex accidente, quoad esse intentionale esse poterit, quod est prius natura. Tum simul ex accidente, quæ, vt prius, & posterius naturâ se habent, & vice versâ, vt consideranti patebit. Quoad esse verò physicum, in serie durationis non potest esse posterius alio ex accidente, quod prius naturâ eodem est, nec vice versâ. Ad id namque necesse erat, vt duratio naturâ prior, atque adeo tempori priori correspondens redderetur insuper correspondens tempori posterioti per aliam superadditam durationem, aut vice versa. Quod est impossibile, vt satis ex se est notum, & amplius innotescet suo loco.

94 Denique in serie connexionis, quod altero prius naturâ est, eodem ex accidente posterius poterit esse quoad esse intentionale, & vice versâ. Casu enim, quòd in tali serie sit A prius naturâ quàm B, & B prius naturâ, quàm C; si C sit cognitio de ipso A, vt accidere potest, A quidem, quod prius est naturâ quàm B, posterius eodem erit ex accidente quoad esse intentionale, quod obiectiuè habebit in C: è conuerso autem, si A sit cognitio de ipso C, vt etiam potest euenire; C quidem prius erit ex accidente, quàm B quoad esse intentionale; quod obiectiuè habet in A, quo eodem B posterius suâ naturâ est. Quoad esse verò physicum non apparet, quomodo in serie connexionis, quod prius naturâ altero est, eodem possit ex accidente posterius esse, aut vice versâ.

95 Iam verò de prioritate, posterioritatéque respectiuâ ad tertium eodem fermè pacto, quod ad rem attinet, philosophandum est; atque ita dicendum, quod in vnâ serie naturæ prius naturâ altero est, in correspondente serie accidentis posse eodem ex accidente posterius esse. Hoc enim ipso, quòd prioritate, posterioritatéque absoluta à tertio in quavis serie A B C D; C provt habens accidentaliter esse in A est prius ex accidente, quàm B, quo posterius naturâ est, consequens est, vt prioritate, posterioritatéque respectiuâ ad D, sit C prius naturâ, quàm B: quia propinquius, quo eodem posterius est ex accidente provt habens esse in A remotiori. Per quam generalem doctrinam quid in singulis seriebus speciatim dicendum sit quisque dispiciet.

Propositio 8.

Quod in vna serie naturæ prius naturâ altero est, in serie accidentis non eidem, sed alteri seriei naturæ correspondente potest eodem ex accidente posterius esse, & vice versâ. 96

Hæc propositio ita indefinitè sumpta etiam est certa, quatenus in aliquibus saltem seriebus naturæ, & accidentis, de quibus agit, apertam veritatem habet, vt facto discursu per singulas notum fiet: agit autem de prioritate, posterioritatéque talium serierum absoluta à tertio. Etenim, quod in serie naturæ dignitatis prius naturâ altero est, in serie accidentis durationis manifestè potest eodem ex accidente esse posterius. Similitérque in serie accidentis connexionis saltem quoad esse intentionale, vt per doctrinam in superioribus traditam vnicuique consideranti satis conspicuum fiet. Pariterque vice versâ potest accidere, vt quod posterius naturâ est altero in serie naturæ dignitatis, eodem ex accidente sit posterius in qualibet dictarum serierum accidentis. Vnde etiam colligitur, simultanea ex accidente, posse esse in eisdem accidentis seriebus, quæ vt prius, & posterius naturâ in serie dignitatis se habent. Et è conuerso, quæ in serie dignitatis naturâ simultanea sunt, in aliis seriebus vt prius, & posterius ex accidente posse se habere.

Item, quod in serie naturæ durationis prius naturâ altero est, in serie accidentis dignitatis manifestè potest eodem esse posterius ex accidente; necnon in serie accidentis originis, & in serie accidentis connexionis, saltem quoad esse intentionale, vti in casu præcedente dicebam. Ex quo cætera ad præsentem pari ratione transferenda, & applicanda sunt. Imò verò in reliquis casibus possibilibus omni eorum combinatione factâ, eamdem doctrinam locum habere, quisque discurrendo per singulos deprehendet, consentaneè ad doctrinam traditam *propos*it. 7. pro omnibus itidem casibus ad eam spectantibus, cùm sit manifestè facilius; atque adeo certius, posse esse ex accidente posterius, quod naturâ est prius in seriebus naturæ, & accidentis sibi non correspondentibus, de quibus modò, quam in sibi correspondentibus, de quibus ibi. Quocirca huiusmodi discursum, ne prolixiùs immorer, legenti faciendum relinquo. 97

Propositio 9.

Quod in vnâ serie accidentis prius ex accidente altero est, in aliâ diuersâ serie accidentis ex accidente etiam potest eodem posterius esse, & vice versâ. 98

Hæc propositio perinde, atque duæ præcedentes, est certa: locumque habet in omnibus casibus, qui, factâ omni combinatione, coalescere possunt

sunt ex quatuor seriebus accidentis, vbi prioritas & posterioritas absoluta à tertio, de qua sermo est, reperitur; diguitatis scilicet, durationis, originis, & connexionis, vt vnicuique per dictos casus discurrenti consentaneè ad doctrinam traditam *propositi.* 7. compertum fiet. In quo propterea discursu faciendo non oportet multùm morari. Etenim, quod prius ex accidente esse potest in serie dignitatis, eodem posterius ex accidente esse potest in serie durationis; necnon in serie originis, & in serie connexionis, saltem quoad esse intentionale, & vice versâ, vt ex se, & ex dictis satis est notum. Similitérque, quod prius ex accidente altero est in serie durationis, eodem posterius ex accidente potest esse in serie originis, & in serie connexionis saltem quoad esse intentionale, & vice versâ. Et in cæteris pariter.

Propositio 10.

99 Idem se ipso prius, aut posterius ex accidente potest esse, sæpéque est.

Quotiescumque enim ex accidente est posterius altero id, quod eodem est prius naturâ, vel vice versâ, in seriebus naturæ, & accidentis sibi correspondentibus, iuxta *propositi.* 7. nequit non idem se ipso mediatè esse prius, aut posterius ex accidente. Si enim in serie A, B, C, prius naturâ est B, quàm C, provt habens esse in se, quo eodem provt habente esse in A, est posterius ex accidente, nequit non C provt habens esse in A, esse mediatè prius ex accidente se ipso provt habente esse in se. Et è conuerso. Si B posterius est naturâ, quàm A, provt habens esse in se, quo eodem provt habente esse in C; prius ex accidente est; nequit non A, mediatè provt habens esse in C posterius ex accidente esse se ipso provt habente esse in se. Hoc pacto finis provt in intentione prior ex accidente est se ipso provt in exequutione prioritate originis. Similitérque effectus oriundus mediatè à sui cognitione, provt in cognitione est prior ex accidente se ipso provt in se. Sic etiam duratio Antichristi futura provt habens esse in actu fidei de se hodierno ex accidente est prior se ipsa provt habitura esse in se prioritate durationis. Paritérque vice versâ est posterior ex accidente se ipsâ duratio præterita Adami. Tantumdemque dicendum est de cæteris huiusmodi casibus.

100 In aliis verò casibus spectantibus ad *propositi.* 5. 8. & 9. ex eo quod idem comparatione eiusdem possit esse prius, & posterius respectiuè ad diuersas series, non sequitur, idem posse esse prius, aut posterius se ipso, adhuc ex accidente prioritate, aut posterioritate mediata: quia eiusmodi diuersæ series non ita concatenantur ad componendum vnam, vt in eis quod est prius priore, eo ipso dicatur prius posteriore prioritate mediatâ, provt opottebat, vt quod est prius altero in vnâ serie priore se in aliâ, prius se ipso mediatè esset ex accidente. Recognoscatur doctrina tradita *suprà quæst.* 5.

Propositio 11.

101 Prioritas, quam multi appellant maioris vniuersalitatis, ipsa inconnexionis non mutuæ prioritas naturæ est. Túncque propterea, & non aliàs conceptibus vniuersalioribus respectu minùs vniuersalium conuenit, quando hi cum illis suâ naturâ metaphysicè, & non mutuò connexi sunt.

Quòd Aristoteles inter exempla priorum ea magis vniuersalia respectu minùs vniuersalium posuerit, in quibus subsistendi consequentia non valet, vt phrasis est eius; eo videlicet, quòd connexionem non mutuam inter se habent, vulgò introductum est, vt magis vniuersalia indiscriminatim dicantur priora minùs vniuersalibus prioritate maioris vniuersalitatis; quasi prioritas sic nuncupata specialem quamdam constituat speciem prioritatis in maiori vniuersalitate fundata. Cæterùm hic concipiendi, & loquendi modus abusiuus est, & ab Aristotelis mente prorsùs alienus. Tum, quia non omnia magis vniuersalia minus. Vniuersalibus sunt priora, vt mox dicemus. Tum, quia, quæ sunt, non à maiori vniuersalitate, sed ab inconnexione non mutuâ, quæ in multis aliis conceptibus non magis vniuersalibus reperitur, habent talia esse; proindéque prioritas maioris vniuersalitatis non specialis quædam prioritas solis magis vniuersalibus respectu minùs vniuersalium competens, sed ipsa inconnexionis non mutuæ prioritas est, quæ ad multò plura quàm magis vniuersalia se extendit, vt ex dictis in superioribus satis est notum.

Quòd autem non omnia magis vniuersalia minùs vniuersalibus, etiam iis, de quibus vt de inferioribus prædicantur, priora sint est; certum: quia vniuersalia accidentalia inferioribus, de quibus, vt sic prædicantur priora non sunt; nullo quippe genere prioritatis est prius in homine esse album, aut mouerí, aut currere, quàm esse hominem, vt ex se patet: cùm tamen esse album, moueri, aut currere prædicatum sit vniuersalius homine, atque conueniens vt inferiori. Solùm ergo ea magis vniuersalia minùs vniuersalibus sunt priora, cum quibus hæc sunt connexa non mutuò, cuiusmodi non sunt vniuersalia accidentalia, sicut nec, quæ ad minùs vniuersalia disparatè se habent; eo quòd hæc illorum inferiora non sunt. Per quæ propositio sufficienter est demonstrata. 103

Propositio 12.

Omnis veritas quiditatiua entis distincti à Deo prior natura est veritate existentiali sibi correspondente prioritate inconnexionis non mutuæ. 104

Est certum: quia omnis veritas existentialis entis distincti à Deo cum veritate quiditatiua sibi correspondente connexa metaphysicè est connexione non mutua. Ob id enim sic benè arguitur: homo existit: ergo est possibilis: homo existentialiter, est rationalis: ergo quiditatiuè est rationalis: homo existentialiter est risibilis: ergo quiditatiuè est risibilis; non tamen è conuerso. Dico autem, veritates quiditatiuas, & existentiales inuicem sibi correspondentes eas, quæ conueniunt eidem enti; entitatiuéque proinde inuicem identificantur, vt cernere est in exemplis datis. Veritas quippe quiditatiua vnius entis veritate existentiali alterius non est prior naturâ ex eo præcisè, quòd illa quiditatiua, & hæc existentialis sit, nisi existentialis aliundè connexa non mutuò sit cum quiditatiuâ, vt est connexa omnis veritas existentialis creaturæ, cum veritate quiditatiua Dei; & vniuersim omnis veritas existentialis rei connexæ non mutuò,

mutuo cum veritate quiditatiua termini talis connexionis. Excepi autem in propositione Deum: quia quiditas eius mutuò cum eius existentia connexa est, atque adeo non est prior illa.

104 Inferet aliquis. Ergo idem potest se ipso prius naturâ esse contra doctrinam statutam prop. 4. distinguo consequens. Idem tam verificatiue, quàm entitatiue; siue tam quoad statum, quàm quoad entitatem, de quo dumtaxat sermo est in ea propos. 4. potest se ipso prius naturâ esse; nego. Idem entitatiuè tantum, non item verificatiuè, & quoad statum potest se provt verificatiuè, & ratione status diuerso prius natura esse; concedo. Quod non est contra dictam prop. 4. Recognoscatur doctrina tradita *disp.* 10. *q.* 1. vbi monstrauimus, quomodo veritas quiditatiua, & existentialis, etsi entitatiuè identificatæ, diuersæ nihilominus veritates; imò & separabiles sunt, ad diuersósque, & separabiles status pertineant. Quod satis est, vt vna prius naturâ possit esse, quàm altera; etiamsi vna, & eadem veritas ad vnum, & eumdem statum pertinens prius natura se ipsa esse non possit iuxta doctrinam statutam *dicta prop.* 4.

105 Ex quo item patet, quomodo status rerum quiditatiuus statu earundem existentiali prior natura sit; nam status isti ab ipsarum rerum veritatibus obiectiuis quiditatiuis, & existentialibus nihilò differunt, vti etiam *disp.* 10. *q.* 1. citatâ explicatum est.

Propositio 13.

106 Omnis veritas conditionata creaturæ, prior naturâ est veritate absoluta sibi correspondente prioritate inconnexionis non mutuæ.

Hæc propositio æquè est certa, ac præcedens, eodémque modo, atque illa, exponenda venit, & comprobanda, in quo morari opus non est. Solùm aduerto veritatem conditionatam, & absolutam illi correspondentem, quales sunt, quæ eidem enti conueniunt, siue de eodem subiecto verificantur; aut ad statum quiditatiuum; aut ad statum existentialem spectare posse, prout vidimus *disp.* 10. *q.* 1. citata nuper, vbi ad rem plura. Ex quibus etiam apparet, quomodo status conditionatus statu absoluto sibi correspondente prior natura sit.

Propositio 14.

107 Omnis pars prior naturâ suo toto est prioritate saltem inconnexionis non mutuæ; nisi quando pars cum toto mutuò connexa est.

Est clarum: quia pars cum toto regulariter non mutuò connectitur, etsi mutuò connectatur nonnunquam. Addidi autem *saltem*: quia, si pars est re verâ causa totius, aliquo modo influens in illud, vt multi putant, de quo suo loco, prioritate etiam originis erit dicenda prior illo. Quo titulo prior semper illo dicenda erit, etiamsi mutuò cum illo connexa sit; siquidem prioritas originis per mutuam connexionem non impeditur, quemadmodum prioritas spectans ad seriem connexionis, vt ex dictis in superioribus satis est notum.

Propositio 15.

Quidquid per se influit in aliud, siue tanquam 108
principium, siue tanquam causa, siue tanquam conditio, siue tanquam causalitas prius natura illo est prioritate originis, idque prioritate immediata, si influxus immediatus est; mediata verò, si mediatus.

Hæc propositio ex dictis in superioribus satis supérque nota est. Ex ea autem sequitur primò contra quosdam recentiores: actionem, passionem, & quamlibet aliam causalitatem realiter ab effectu distinctam priorem naturâ esse effectu ipso prioritate originis. Quod enim illa cum effectu connexa metaphysicè sit, non impedit prioritatem eius originis comparatione effectus; tametsi impediat aliam inconnexionis non mutuæ, quam insuper habet causa comparatione ipsius causalitatis, & effectus, quando cum his, vt sæpè euenit, metaphysicè non est connexa.

Secundò sequitur, Patrem æternum prioritatem 109
originis habere respectu Filij; similitérque Patrem & Filium respectu Spiritus sancti: quia Filius re verâ producitur à Patre, Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Quamuis autem ista prioritas prioritas naturæ sit, quatenùs prioritas naturæ à prioritate ex accidente condistincta est. Absolutè tamen loquendo, non dicitur à Theologis prioritas naturæ; sed tantùm prioritas originis; ne eo loquendi modo innuatur distinctio aliqua realis naturæ Patris à naturâ Filij, naturæque Patris, & Filij à natura Spiritus sancti; eandémque quippè naturam, essentiámque Thologicam habent Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vt fides docet; tametsi proprietates personales distinctas habeant, in quibus prout talibus fundatur; atque adeò re ipsâ consistit eiusmodi originis prioritas, & posterioritas.

Tertiò sequitur decretum Dei prædefinitiuum 110
actus liberi compatibile cum libertate, quod eo ipso remotè tantum debet in actum ipsum influere, prioritatem naturæ habere remotam comparatione talis actus ad seriem originis pertinentem. Vnde necessitas, quæ datur ad actum ex suppositione existentiæ talis decreti, ob connexionem, quam illud habet cum actu, necessitas antecedens remotè ad talem actum dici posset. Cæterùm, quia necessitas antecedens ad actum, simpliciter, & absolutè loquendo, ea dumtaxat dici solet, quæ libertati actus opposita est; vtpote oriunda ab aliquo antecedente connexo cum actu, quod per arbitrium voluntatis, à qua actus est, impediri non potest, & talis non est necessitas per dictum decretum inducta; vtpotè, quod per arbitrium voluntatis, cuius actum prædefinit est impedibile. Idcircò necessitas per eiusmodi decretum inducta non solet appellari antecedens, simpliciter, & absolutè loquendo; sed potius consequens: per istam tamen loquutionem non est censenda negari prioritas naturæ remota, quam tale decretum habet ad talem actum. De quo plura suo loco. Mitto alia plura, quæ ex data propositione possunt inferri singillatim, & vnusquisque facilè inferre poterit.

DISPVTATIO XVI.

DE SIMILITVDINE, ET DISSIMILITVDINE; Deque æqualitate, & inæqualitate entium, seu rerum; atque adeò obiectorum intellectus humani.

1 AD multa conferet explicatio, notitiaque horum terminorum, vt apparebit ex dicendis. Quocirca disputatio de illis prætermitti non debet. Et quamuis de æqualitate, & inæqualitate rerum iterum agendum sit alibi, dum sermo sit de quantitate, cuius propriæ passiones sunt: modò tamen, tum ob affinitatem, quam habent cum similitudine, & dissimilitudine, tum, quòd earum notitia ad sequentia præmitti debet; De ipsis etiam tractare necesse est.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit similitudo, oppositáque dissimilitudo rerum. Et quotuplex?

2 SIMILIA dicuntur ea, quorum vnum sicut alterum est, seu quorum vnum eodem modo in suo esse sese habet, ac alterum. Dissimilia autem è contrà ea, quorum vnum aliter, ac alterum est; seu quorum vnum aliter in suo esse sese habet, ac alterum. Nec ampliùs termini isti sunt explicabiles; cùm sint ex notissimis. Hinc similitudo relatio quædam, siue denominatio est semiextrinseca, siue actus quidam semiextrinsecus, quo vnum extremum alteri assimilari, siue alteri esse simile dicitur, consistens formaliter quidem in actu quodam suppositiuè respectiuo, siue in relatione quâdam rationis suppositiuè vnius extremi tanquam subiecti ad alterum tanquam ad terminum, realiter verò in ipsismet entitatibus extremorum, in quibus adæquatè fundatur; cum quibúsque subinde realiter, & adæquatè est idem, iuxta doctrinam vniuersalem actuum, & relationum traditam *disp.* 8. & 14. quæ ad rem recognoscenda est. Pariterque dissimilitudo sumpta formaliter relatio quædam est, siue actus, quo vnum extremum alteri dissimilari, siue dissimile esse dicitur. Sumpta verò realiter, aliud non est ab ipsis extremis dissimilibus. Vtraque autem, cùm sit mutua, inter duo quæque extrema duplicatur sumpta formaliter; quatenus primum secundo assimilari, aut dissimilari concipitur per actum distinctum ab eo, per quem secundum primo: cuius vtriusque actus, siue relationis formalis eadem prorsus fundamenta realia sunt; nimirum ambo extrema ipsa similia, aut dissimilia.

3 Sunt autem similitudo, & dissimilitudo relationes positiuæ; atque adeò contrariè oppositæ: sicut identitas, & distinctio, æqualitas, & inæqualitas, veritas, & falsitas, aliæque huiusmodi: quia tamen citra medium ita opponuntur, quatenus non possunt non esse similia extrema, quæ non sunt dissimilia; & vice versa; idcircò vnaquæque earum per negationem alterius potest, & solet definiri, siue explicari; vti etiam euenit in identitate, & distinctione, iuxta dicta *disput.* 13. in cæterisque huiusmodi extremis contrariè oppositis citra medium.

Porrò, sicut distinctio, æqualitas, veritas, & alij 4
huiusmodi conceptus ex eorum genere sunt, qui in indiuisibili consistunt; atque adeò non suscipiunt magis, & minus, vt dici solet, eo quod nullâ quantitate aut physicâ, aut metaphysicâ prædita sunt, iuxta dicenda *suo loco*. Vbi de quantitate in genere sermo sit. Ita pariter similitudo, rigorosè loquendo, in indiuisibili consistere; atque adeò non suscipere magis, & minus dicenda esset; nisi vsu introductum esset, vt ea etiam extrema similia dicantur, quæ non omninò talia sunt; sed aliquid dissimilitudinis admixtum habent. Quemadmodum enim ea solùm dicuntur æqualia, quorum alterum tantum omninò quantum alterum est; alterúmque subinde ab altero nihilo excedit, sicque nihil inæqualitatis admixtum habent; ita etiam ea dumtaxat in rigore similia erant appellanda, quorum alterum omninò sicut alterum est, nec aliquid dissimilitudinis admixtum habent. Supposito tamen vsu oppositio, duplex claritatis gratia similitudo distingui poterit, & debebit. Quarum altera dicetur similitudo exacta, seu pura, vtpotè nihil omninò dissimilitudinis admixtum habens, & hæc in indiuisibili consistit, sicut æqualitas. Altera dicetur similitudo mixta, seu temperata, cum aliqua scilicet dissimilitudine; & hæc eo maior, aut minor erit, quo minor, aut maior fuerit opposita dissimilitudo, quâ metaphysicè temperari concipitur, ad eum modum, quo calor, & frigus vicissim temperantur physicè. Dissimilitudinem quippe suscipere magis, & minus certissimum est, sicut & inæqualitatem. Constat enim, alia magis inter se esse dissimilia, quàm alia, sicut alia magis inter se inæqualia, quàm alia sunt. In quo exacta similitudo, & æqualitas à suis oppositis discriminantur.

Iam verò similitudo, oppositaque dissimilitudo alia realis est, alia rationis. Realis, quâ extrema à parte rei similia, aut dissimilia sunt. Rationis, quâ extrema talia sunt tantùm per nostram rationem: Similitudo autem, dissimilitudoque rationis, quemadmodum, & alia entia rationis rursus est duplex: alia suppositicia: alia ficta. Suppositicia, quâ extrema similia, aut dissimilia euadunt in mente nostrâ obiectiuè à phantasmatibus substitutis similibus inter se, aut dissimilibus, in quibus à nobis concipiuntur: Ficta autem, quâ extrema talia euadunt à similitudine, dissimilitudi- 5
nève

néve sibi per intellectum directè, & ex intentione tributa; quam tamen verè in se non habent, iuxta dicta latiùs de duplici isto entium rationis genere *suprà disp.* 12. quæ ad rem videnda. Vtraque denique, dicta similitudo, dissimilitudóque rationis, aut potest concipi in extremis distinctis realiter, vt si extrema re ipsa similia concipiantur dissimilia, vel vice versa, aut potest concipi in extremis, quæ cùm realiter sint idem, distincta à nobis concipiuntur, sicque aut similia, aut dissimilia.

QVÆSTIO II.

Quid sit æqualitas, oppositáque inæqualitas rerum, & quo tuplex.

6 ÆQualia dicuntur, ea quorum vnum tantùm est, quantum alterum: inæqualia verò ea, quorum vnum maius, aut minus altero est. Vnde esse æqualia, vel inæqualia proprium est extremorum habentium in se quantitatem aliquam, seu magnitudinem siue physicam consistentem in physica, formalique multitudine partium; siue metaphysicam consistentem in multitudine partium dumtaxat æquiualente, siue fundamentali, iuxta dicenda latiùs suo loco. Esse quippe æqualia, vel inæqualia non solùm conuenit quantis physicis, siue continuis, vt loco, & tempori, &, quæ illis commensurantur; siue discretis, vt numero; seu numerabili multitudini: sed etiam quantis metaphysicis, cuiusmodi sunt bonitas rerum etiam indiuisibilium, perfectio, malitia, imperfectio, potentia, virtus, & cætera prædicata, quæ susципere dicuntur magis, & minus. De quibus plura sunt dicenda *loco citato*.

7 Hinc æqualitas sumpta formaliter relatio quædam rationis suppositiua est: est sumpta verò realiter ab ipsis extremis æqualibus nihilo differt. Tantumdémque de inæqualitate venit dicendum, prout de similitudine, dissimilitudinéque dicebamus *q. præced.* Est autem æqualitas, quemadmodùm & similitudo relatio mutua, iuxta *ibi* dicta; inæqualitas verò non itidem, in quo à dissimilitudine differt; siquidem extremorum dissimilium eodem modo est vtrumque dissimile alteri; extremorum verò inæqualium non est eodem modo vtrumque inæquale alteri, cùm sit necesse, vt alterum maius, & alterum minus altero sit, nisi quis velit, dissimilitudines formales inter duo quæque extrema dissimilia repertas suam etiam diuersitatem habere penes diuersitatem subiecti, & termini vniuscuiusque, iuxta dicenda *infra q.* 4. Id certum; non esse pro illis diuersa nomina, aut concreta, aut abstracta, vti sunt pro inæqualitatibus, quarum altera suum subiectum maius, & altera suũ minus denominat; alteráque subinde maioritas, & altera minoritas venit dicenda. Itaque similitudines, & æqualitates formales citra omne dubium sunt relationes mutuæ in rigore: quia duo quæque extrema similia, aut æqualia relationibus eiusdem omninò rationis concipiuntur inter se vicissim similia, aut æqualia. inæqualitates verò formales; atque etiam dissimilitudines, si inter se sunt diuersæ, etsi mutuæ quoque dici possint, & soleant; quatenus nequit vnum extremum esse dissimile, aut inæquale alteri, quin hoc vicissim sit alteri dissimile, aut inæquale; rigorosè tamen loquendo, mutuæ non sunt dicendæ, quatenus dissimilitudine inæqualitatéque diuersæ rationis est primum extremum dissimile, aut inæquale secundo, ac est secundum dissimile, aut inæquale primo.

Sunt autem æqualitas, & inæqualitas relationes 8
positiuè; atque adeò contrariè oppositæ, sicut de similitudine, & dissimilitudine est dictum *quæst. præced.* Non tamen sunt, sicuti hæ contrariè oppositæ citra medium, loquendo vniuersè; quia dantur multa extrema, quæ inter se comparata, nec sunt æqualia, nec inæqualia, cùm tamen nulla omninò dentur, quæ inter se comparata non sint similia, aut dissimilia. Cum enim æqualitas, & inæqualitas quantorum proprietates sint, extrema expertia quantitate tam physica, quàm metaphysica æqualia, aut inæqualia esse nequeunt. Huiusmodi sunt omnes conceptus obiectiui, qui in indiuisibili cõsistere dicuntur; atque adeò non susципere magis, & minus, vt essentiæ, existétiæ, identitates, distinctiones, veritates, & alij id genus. Vnde deprehendes, similitudinem, & dissimilitudinẽ latiùs patere, quàm æqualitatem, & inæqualitatem. Illæ enim transcendunt omnia entia, omnéſq; omninò conceptus obiectiuos; quatenus nulli non sunt inter se similes, aut dissimiles: cùm tamen hæ solis conueniant entibus, conceptibusque obiectiuis quantis, respectu quorum dumtaxat possunt proinde citra medium opponi, non tamen semper sic opponuntur; sed tantùm quandò eorum quantitas eiusdem est generis. Ob id enim superficies, & linea, quà tales, nec æquales, nec inæquales esse possunt, propriè loquendo: quia licèt linea sit quanta quoad longitudinem, non habet tamen quantitatem quoad latitudinem, quoad quam est quanta superficies, qua talis. Dico autem *propriè loquendo*: quia improprie interdum solet extremum quantum extremo non quanto dici inæquale, & vice versâ, vt superficies latior, quam linea, & corpus profundius, quàm superficies; vel è contrà linea minùs lata, quàm superficies, & superficies minus profunda, quàm corpus; cum tamen nec linea vllam latitudinem, nec superficies vllam profunditatem habeat. De quibus plura suo loco, vbi de quantitate.

Quomodo autem ipsa æqualitas expers sit quan- 9
titate adeò vt nulla extrema magis in se æqualia, quam alia inter se possint esse, cùm tamen inæqualitas opposita quanta sit, ob idque alia extrema magis inter se inæqualia, quàm alia inter se possunt esse, sæpéque sunt. Similitérque vnum extremum magis, quàm aliud inæquale eidem tertio *quæstione præceden.* retigimus, & satis ex se notum est.

Iam verò æqualitas, oppositáque inæqualitas 10
alia realis est, alia rationis. Et hæc alia suppositiua, alia ficta; tum alia conuenientis extremis distinctis realiter, alia extremis distinctis tantùm per rationem, iuxta dicta de similitudine, de oppositáque dissimilitudine *q. præced.* quæ huc pariter applicanda sunt.

QVÆSTIO III.

Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

11 DIcò, elici, quæ sequuntur.

Propositio 1.

12 Similitudo, & æqualitas relationes mutuæ sunt cum toto rigore. Dissimilitudo verò, & inæqualitas; quadamtenus etiam mutuæ dicendæ veniunt.

Itaque impossibile est, vnum extremum esse simile, aut æquale alteri, quin hoc vicissim simile sit illi aut æquale: paritérque impossibile est, vnum extremum esse dissimile, aut inæquale alteri, quin hoc vicissim dissimile sit, aut inæquale illi. Differunt similia, & æqualia à dissimilibus, & inæqualibus, quod similia, & æqualia relationibus eiusdem rationis; atque adeò cum toto rigore mutuis inuicem talia sunt. Inæqualia verò relationibus diuersæ rationis; atque adeo minùs strictè mutuis sunt inæqualia. Idemque de dissimilibus venit dicendum; si tamen diuersis etiam relationibus sunt dissimilia iuxta dicta *q.*2. & dicenda *q.*4. vnde collige, impossibile esse, vt vnum extremum sit inæquale alteri per excessum; atque adeò maius illo, quin hoc per defectum sit illi inæquale; atque adeò minus illo.

Propositio 2.

13 Quæ eidem tertio sunt æqualia, inter se sunt æqualia; & quæ eidem tertio sunt similia inter se sunt similia.

Vtraque pars propositionis ex se est satis euidens. Prima autem primum Geometriæ Axioma est traditum ab Euclid. *lib.*1. *Elem.* ex quo Auctore alia quædam sunt sumenda per sequentes propositiones, etiam ex terminis euidentia, & satis, superque cunctis nota, ad æqualitatem. & inæqualitatem spectantia, quibus singulis affinia æquè euidentia spectantia ad similitudinem, & dissimilitudinem, vbi ea locum habuerint, adiiciemus.

Propositio 3.

14 Si æqualibus æqualia adiecta sint, tota sunt æqualia. Euclid. *ibidem Axio.* 2. Et si similibus similia adiecta sint, tota sunt similia,

Propositio 4.

15 Si ab æqualibus æqualia ablata sint, quæ relinquuntur sunt æqualia. Euclid. *ibidem Axiom.* 3. Et si à similibus similia ablata sint, quæ relinquuntur sunt similia.

Propositio 5.

Si inæqualibus æqualia adiecta sunt, tota sunt 16
inæqualia. Euclid. *ibidem Axiom.* 4. Et si dissimilibus similia adiecta sint, tota sunt dissimilia.

Propositio 6.

Si ab inæqualibus æqualia ablata sint, reliqua 17
sunt inæqualia. Euclid. *ibidem Axiom.* 5. Et si à dissimilibus similia ablata sint, reliqua sunt dissimilia.

Propositio 7.

Quæ eiusdem duplicia sunt, inter se sunt æqua- 18
lia: Et quod vnius æqualium duplum est, duplum est & alterius æqualium. Euclid. *ibid. Axiom.* 6.

Propositio 8.

Quæ eiusdem sunt dimidia, inter se sunt æqua- 19
lia, & è contrà, quæ æqualia sunt eiusdem sunt dimidia. Euclid. *ibid. Axiom.* 7.

Propositio 9.

Totum suâ parte maius est. Euclid. *ibid. Axio.* 9. 20
Totum suâ parte, aut simile, aut dissimile potest esse.

Propositio 10.

Si æqualibus inæqualia adiiciantur, erit toto- 21
rum excessus adiunctorum excessui æqualis. Euclid. *ibidem Axiom.* 19. Et si inæqualibus æqualia adiungantur, erit totorum excessus excessui eorum, quæ à principio erant, æqualis. Idem *ibidem Axiom.* 16.

Propositio 11.

Si ab æqualibus inæqualia demantur, erit resi- 22
duorum excessus excessui ablatorum æqualis. Euclid. *ibid. Axiom.* 17. Et si ab inæqualibus æqualia demantur, erit residuorum excessus excessui totorum æqualis. Idem *ibidem Axiom.* 18.

Propositio 12.

Omne totum æquale est omnibus suis partibus 23
simul sumptis. Euclid. *ibid. Axiom.* 19.

Propositio 13.

Si totum totius est duplum, & ablatum ablati; 24
erit & reliquum reliqui duplum. Euclid. *ibidem Axiom.* 20.

Nullam adiicio explicationem istis propositionibus: quia satis per se sunt claræ, & notæ. Si quis tamen desiderauerit aliquam, adeat nostrum Clauium *ad locum citatum* Euclid.

Propositio 14.

Idem sibi ipsi dissimile, aut inæquale esse im- 25
possibile est.

Propositio per se est clarissima. Ex eâ autem sequitur, idem sibi ipsi quodammodo simile; & æquale censendum esse; tametsi hæc loquutio fortassè minùs propria videri possit, eo quòd similitudo, & æqualitas propriè dicta extremorum similium, æqualiúmque distinctionem videtur postulare.

postulare. Cæterum, sicut idem sibi ipsi identificatum, & secum ipso connexum à nobis concipitur per actus quosdam circulares identitatis, & connexionis, vt aliàs diximus, & est certum. Ita sanè concipi à nobis bene potest, & sæpè concipitur idem simile sibi ipsi, & æquale per actus quosdam circulares similitudinis, & æqualitatis. Quâ conceptione suppositâ cum fundamento in re, non est, cur non appellemus quamuis essentiam, quemuisve obiectuum conceptum simile, & æquale sibi ipsi, æquo fermè iure, ac appellamus secum ipso identificatum, connexúmque.

Propositio 15.

26 Extrema similia possunt esse æqualia, vel inæqualia; & extrema æqualia possunt esse similia, vel dissimilia.

Propositio est certissima, & per exempla geometrica demonstrari potest. Constat enim ex illâ scientiâ atque etiam ex ipsis terminis, duo quadrata, duos triangulos æquilateros, duos circulos, & duas quasque alias eiusmodi figuras inter se similes, aut æquales inter se, aut inæquales esse posse. Tum triangulum, & quadratum, quadratum, & parallelogrammum, aliasque huiusmodi figuras inter se dissimiles, aut æquales inter se, aut inæquales posse esse. Vnde patet, inter extrema etiam metaphysicè tantum quanta, & quæ similia sunt posse esse æqualia, vel inæqualia, & quæ æqualia sunt posse esse similia, vel dissimilia. Sic duæ essentiæ, inter se similes aut æquales, aut inæquales quoad perfectionem esse possunt; patitérque duæ dissimiles aut inæquales, aut æquales.

Propositio 16.

27 Extrema similia, quâ talia eiusdem speciei esse dicuntur; dissimilia autem diuersæ, simpliciter, & absolutè loquendo.

Ita enim omnes censent, atque loquuntur, vt est notum. Vnde fit primò, ad hoc vt extrema censeantur, dicanturque eiusdem speciei simpliciter, & absolutè loquendo, nihil obstare, quòd sint inter se inæqualia, si sunt similia, vt patet in circulis, quadratis, triangulis, aliisque huiusmodi figuris inter se inæqualibus, & similibus; necnon in qualitatibus similibus, & inæqualibus quoad intensionem, quæ ab omnibus censentur, asseruntúrque citra dubium eiusdem speciei, vnde vulgatum illud proloquium emanauit: *Magis, & minus non variant speciem.* Secundò fit, extrema inter se dissimilia, quantumuis sint inter se æqualia, diuersæ speciei venire dicenda, loquendo absolutè, & simpliciter, vt cernere est in quadrato, & triangulo æqualibus, quæ ob dissimilitudinem, quam habent figuræ specie diuersæ citra dubium vocantur. Vnde fit tertiò, neque æqualitatem ad identitatem specificam; neque æqualitatem ad diuersitatem specificam extremorum sufficere. Cum quo stat, extrema inæqualia secundùm quid dici posse diuersæ speciei: etsi simpliciter sint eiusdem ob similitudinem, quam habent, patitérque secundum quid eiusdem, quæ æqualia sunt; tametsi ob dissimilitudinem sint diuersæ simpliciter; quatenus æqualia sub aliquem conceptum communem cadere possunt, ratione æqualitatis, sub quem inæqualia non possunt cadere. Quocirca Recentiores aliqui duas ad rem distinguunt species, physicam scilicet, & logicam. Vocantes eiusdem speciei physicæ extrema similia; diuersæ autem dissimilia, eiusdem verò speciei logicæ extrema æqualia, aut aliam à similitudine conuenientiam habentia; diuersæ autem inæqualia, aut aliam à dissimilitudine habentia discrepantiam, vt pluribus exponemus *infrà disp.* 17. *q.* 8. vbi etiam videbimus quænam similitudo, & æqualitas ad vnitatem, quænamque dissimilitudo, & inæqualitas ad diuersitatem specificam sit requisita, & quâ ratione.

Modò obseruandum superest, vnumquodque 28
indè dici specificari, siue suam speciem sumere, vnde habet, quod talis speciei sit præ aliis: Esse autem talis speciei præ aliis inde vnumquodque habet, vnde habet, quod talibus extremis simile, & talibus dissimile sit, si agitur de specificatione quoad speciem, quam physicam dicunt; aut quod talibus extremis æquale, & talibus inæquale, vel aliter cum talibus conueniens à talibúsque discrepans sit: Si agitur de specificatione quoad speciem, quam dicunt logicam. Quoniam autem vnumquodque à suâmet essentiâ habet hæc omnia suppositâ essentiâ aliorum extremorum ad quæ comparatur (quandoquidem similitudo, dissimilitudo, æqualitas, inæqualitas &c. aliud non sunt realiter ab essentiis extremorum, quibus conueniunt, iuxta dicta *q.* 1. & 2.) conficitur, vnumquodque à suâmet essentiâ intrinsecè specificari, suppositâ essentiâ aliorum, ad quæ comparatur. Verumtamen, quia essentia actus siue relationis in vniuersum ex proprio, & formali conceptu intrinsecè respectiua est ad subiectum, & terminum extrinsecè à tali subiecto, & termino censetur habere, quod talis essentia præ aliis sit, quatenus actus, siue relatio ex eò talem essentiam præ aliis habet, quia talis subiecti ad talem terminum præ aliis actus, siue relatio est: quo iure etiam à tali subiecto, & tali termino extrinsecè specificari censetur, passimq; dicitur. Sed quâ ratione hoc vetũ sit, & in quibus casibus, ex dicendis *q.* 4. cõstabit.

Propositio 17.

Quæ eidem tertio sunt dissimilia, aut inæqualia, 29
inter se tum dissimilia, aut inæqualia, tum similia, aut æqualia, esse possunt.

Prior pars cernitur in tribus quibusque essentiis specie inter se diuersis, aut physicâ, aut logicâ: atque adeò inter se dissimilibus, aut inæqualibus: vnaquæque enim aliis duabus dissimilis, aut inæqualis est, sicque duæ quæque, tum inter se, tum eidem tertio dissimiles sunt, aut inæquales. Secunda autem pars cernitur, quoties duæ essentiæ eiusdem speciei physicæ, aut logicæ; atque adeò similes inter se, aut æquales à tertiâ essentiâ distinguuntur specie physicâ, aut logicâ; eidémque subinde dissimiles, aut inæquales sunt.

Propositio 18

Quæ inter se sunt dissimilia; aut inæqualia, ei- 30
dem tertio similia, aut æqualia esse nequeunt.

Nam, alioquin possent similia, aut æqualia eidem tertio non esse similia, aut æqualia inter se contra *prop.* 2.

Propositio 19.

Quæ inter se sunt similia, aut æqualia, eidem 31
tertio tum similia, aut æqualia possunt esse; tum dissimilia, aut inæqualia.

Quod

Quod possint esse eidem tertio similia,aut æqualia ex *propos.*2. compertum est. Quod dissimilia item,aut inæqualia possint esse ex *propositt.*17. est conspicuum.

Propositio 20.

32 Idem tertium extremis inter se dissimilibus,aut inæqualibus simile,aut æquale esse nequit.

Nam aliàs extrema similia, aut æqualia eidem tertio possent inter se non esse similia,aut æqualia contra *propos.*2.

Propositio 21.

33 Idem tertium extremis inter se similibus, aut æqualibus tum simile, aut æquale, tum dissimile, aut inæquale esse potest.

Vtraque pars propositionis constat ex *propositt.* 19.cùm enim iuxta illam extrema inter se similia, aut æqualia eidem tertio sunt similia, aut æqualia, tunc per *propositt.*1. & tertium vicissim est illis æquale,aut simile, tunc verò inæquale,aut dissimile,cum iuxta eandem sunt ipsi tertio inæqualia, aut dissimilia extrema ipsa inter se similia, aut æqualia.

Propositio 22.

34 Quoties primum secundo, & secundum tertio simile est,aut æquale,non potest non primum tertio simile quoque esse, aut æquale.

Quia in tali casu nequit non tertium esse vicissim simile, aut æquale secundo iuxta *propositt.*1. Státque primum simul, & tertium similia; aut æqualia esse eidem secundo, atque ita etiam inter se,iuxta *propos.*2.

Propositio 23.

35 Quoties primum secundo,& secundum tertio dissimile est, aut inæquale, primum tertio; tum dissimile itidem,aut inæquale; tum simile,aut æquale esse potest.

Quia in tali casu nequit non tertium esse vicissim dissimile, aut inæquale secundo, iuxta *propositt.*1.Statque primum simul & tertium dissimilia, aut inæqualia esse eidem secundo. Quoties autem, duo quæque extrema eidem tertio, quale in dato casu est secundum, sun dissimilia, aut inæqualia inter se tum dissimilia,aut inæqualia,tum similia, aut æqualia esse possunt, iuxta *propositt.*17.

Propositio 24.

36 Quod vni plurium inter se similium,aut æqualium simile, aut æquale est,& cæteris est simile, aut æquale.

Est clarum: quia si alicui eorum simile, aut æquale non esset,simile,aut æquale esset vni simili, aut æquali alteri, quin huic alteri tale esset; atque ita primum secundo, & secundum tertio simile esset,aut æquale, quin ipsum primum ipsi tertio simile esset,aut æquale contra *propos.*22.

Propositio 25.

37 Quæcumque pluribus inter se similibus, aut æqualibus similia, aut æqualia sunt, eidem tertio sunt similia, aut æqualia.

Quia quoduis illorum cuilibet horum est simile,aut æquale,iuxta *propos.*24. ergò omnia, & singula illa vnicuique horum, & consequenter eidem tertio similia,aut æqualia sunt.

Propositio 26.

Quod vni plurium similium inter se,aut æqua- 38
lium dissimile, aut inæquale est, & cæteris est dissimile,aut inæquale.

Si enim primum dissimile, aut inæquale secundo,quod simile,aut æquale ponitur tertio,ipsi tertio non esset dissimile,aut inæquale; tam primum, quàm secundum esset simile,aut æquale eidem tertio,& nihilominùs inter se, vt ponitur,essent dissimilia,aut inæqualia contra *propos.*2.

Propositio 27.

Quæcumque pluribus inter se similibus, aut 39
æqualibus sunt dissimilia, aut inæqualia, eidem tertio sunt dissimilia,aut inæqualia.

Quia,quoduis illorum cuilibet horum est dissimile,aut inæquale, iuxta *propositt.* 26. Ergò omnia, & singula illa vnicuique horum, & consequenter eidem tertio sunt dissimilia, aut inæqualia.

Propositio 28.

Quoties plura pluribus aliis inter se similibus, 40
aut æqualibus sunt similia,aut æqualia; & inter se sunt similia,aut æqualia.

Est clarum: quia sunt similia,aut æqualia eidem tertio, iuxta *propos.*26. atque adeò etiam inter se, iuxta *propositt.*2.

Propositio 29.

Quoties plura pluribus aliis inter se similibus, 41
aut æqualibus sunt dissimilia, aut inæqualia,inter se tum dissimilia,aut inæqualia, tum similia, aut æqualia esse possunt.

Quia sunt dissimilia, aut inæqualia eidem tertio iuxta *propos.*27. Quæ autem eidem tertio sunt dissimilia,aut inæqualia inter se,tum dissimilia, aut inæqualia, tum similia, aut æqualia esse possunt, iuxta *propos.*17.

Propositio 30.

Quæ non possunt esse similia,eo ipso sunt ne- 42
cessariò dissimilia;atque item vice versâ. Et, quæ non possunt esse æqualia, & quanta sunt eiusdem generis,eo ipso sunt necessariò inæqualia; atque item vice versâ.

Propositio est certissima: quia similitudo, & dissimilitudo in quibusuis extremis sunt relationes citra medium oppositæ; paritérque æqualitas, & inæqualitas in extremis quantis eiusdem generis,vt constat ex dictis *q.*1. & 2. Vndè extrema, quæ non habent vnam necessariò habent alteram, & è conuerso.

Propositio 31.

Quoties plura inter se sunt dissimilia,aut in- 43
æqualia pluribus aliis similibus inter se,aut æqualibus,similia,aut æqualia esse nequeunt.

Quia nequeunt esse similia, aut æqualia eidem tertio, iuxta *propositt.*18. essent autem similia, aut

aut æqualia eidem tertio, si pluribus aliis similibus inter se aut æqualibus essent similia, aut æqualia iuxta *propos.* 25. Vndè iuxta *propos.* 30. sequitur: quoties plura sunt inter se dissimilia, aut inæqualia pluribus aliis similibus inter se, aut æqualibus necessariò esse dissimilia, aut inæqualia.

Propositio 32.

44 Quoties plura pluribus aliis inter se dissimilibus, aut inæqualibus sunt similia, aut æqualia inter se sunt dissimilia, aut inæqualia.

Nam alioquin, cùm in tali casu posteriora plura prioribus sint vicissim similia, aut æqualia iuxta *propos.* 1. si priora essent inter se similia, aut æqualia, posteriora, quæ inter se dissimilia, aut inæqualia ponuntur prioribus inter se similibus, aut æqualibus essent similia, aut æqualia contra *propos.* 31.

Propositio 33.

45 Quoties plura inter se sunt similia, aut æqualia, pluribus aliis inter se dissimilibus, aut inæqualibus similia, aut æqualia esse nequeunt.

Quia posteriora plura vicissim per *propos.* 1. Similia, aut æqualia essent prioribus; atque ita plura inter se dissimilia, aut inæqualia pluribus aliis similibus inter se; aut æqualibus, similia, aut æqualia essent contra *propos.* 31. Vnde iuxta *propos.* 30. sequitur, quoties plura sunt inter se similia, aut æqualia, pluribus aliis inter se dissimilibus, aut inæqualibus necessariò esse dissimilia, aut inæqualia.

Propositio 34.

46 Quæcumque eidem tertio sunt similia; aut æqualia, & cæteris, quibus tale tertium est simile, aut æquale sunt similia, aut æqualia.

Quia talia cætera tali tertio vicissim sunt similia, aut æqualia, iuxta *propos.* 1. omnia autem eidem tertio similia, aut æqualia; similia, aut æqualia sunt inter se iuxta *propos.* 2.

Propositio 35.

47 Quæcumque eidem tertio sunt dissimilia, aut inæqualia, & cæteris similibus, aut æqualibus tali tertio sunt dissimilia, aut inæqualia.

Quia, quod vni similium, aut æqualium dissimile, aut inæquale est, & cæteris tale est iuxta *propos.* 26.

Propositio 36.

48 Quoties plura sunt inter se similia, aut æqualia, pluribus aliis inter se similibus, aut æqualibus, tum similia, aut æqualia, tum dissimilia, aut inæqualia esse possunt.

Quia talia esse possunt eidem tertio, iuxta *propos.* 19. Quæ autem eidem tertio tum similia, aut æqualia, tum dissimilia, aut inæqualia esse possunt; consequenter talia esse possunt omnibus tali tertio similibus, aut æqualibus, iuxta *prop.* 34. & 35.

Propositio 37.

49 Quoties plura sunt inter se dissimilia, aut inæqualia, pluribus aliis inter se dissimilibus, aut inæqualibus dissimilia, aut inæqualia possunt imprimis esse omni modo. Deindè possunt esse similia, aut æqualia; non tamen singula omnibus singulis; sed per distributionem accommodam.

Prima pars propositionis apparet in his duobus aggregatis A, B, C, D. & E, F, G, H. singulæ enim partes prioris omnibus singulis posterioris, & totum toti sunt dissimilia, necnon in his 1.2.3.4. & 5.6.7.8. Prioris namque singulæ partes omnibus singulis posterioris, & totum toti sunt inæqualia. Secunda autem pars propositionis apparet in his A, B, C, D. & A, B, C, D. Prioris enim quælibet pars in posteriore habet aliquam sibi similem; atque ita totum toti est simile; singulæ tamen partes vnius alterius omnibus singulis non sunt similes; necnon in his 1.2.3.4. & 1.2.3.4. prioris namque, quælibet pars in posteriore habet aliquam sibi æqualem; atque ita totum toti est æquale: singulæ tamen partes vnius alterius omnibus singulis non sunt æquales.

Propositio 38.

Quoties plura pluribus aliis inter se dissimilibus, aut æqualibus sunt dissimilia, aut inæqualia, inter se tum dissimilia, aut inæqualia, tum similia, aut æqualia esse possunt. 50

Possunt esse dissimilia, aut inæqualia: quia bene stat, esse inter se dissimilia, aut inæqualia, quæ pluribus aliis dissimilibus inter se, aut inæqualibus sunt dissimilia, aut inæqualia, iuxta *propos.* 37. Possunt item esse similia, aut æqualia: quia bene etiam stat, esse inter se similia, aut æqualia, quæ pluribus aliis dissimilibus inter se, aut inæqualibus dissimilia sunt, aut inæqualia, iuxta *propos.* 33.

Propositio 39.

Quoties essentiæ compositæ partes inter se sunt dissimiles, & ipsi essentiæ sunt dissimiles, vicissimque essentia ipsa earum singulis dissimilis est. 51

Nam aliàs, quæ inter se sunt dissimilia, eidem tertio possent esse similia contra *propos.* 18. ipsumque tertium posset illis simile esse contra *propos.* 20.

Propositio 40.

Quoties omnes partes essentiæ compositæ, sunt inter se similes, & ipsi essentiæ sunt similes, vicissimque essentia ipsa earum singulis similis est. 52

Hæc propositio certissima est, constatque in omnibus compositis homogeneis, quæ manifestè sunt similia singulis suis partibus; hoc ipso, quòd istæ inter se vicissim sunt similes; vt cernere est in aquâ compositâ ex aquis partialibus mutuò similibus, & eis propterea prorsus simili; in lumine composito pariter ex luminibus partialibus in aliisque huiusmodi compositis ex partibus inter se similibus. Et ratio quasi à priori est: quia quoties cuiusuis compositi omnes partes sunt inter se similes, necundè potest nasci dissimilitudo inter ipsas, & compositum; vtpotè quod cum aggregato omnium suarum partium est idem omnino.

Ex hac, & præced. propos. colligitur primò: discrimen inter æqualitatem, inæqualitatémque ex vnâ parte, & similitudinem, dissimilitudinémque ex alterâ. Quod totum nunquam esse potest æquale singulis suis partibus, quantumuis omnes 53

illæ

illæ inter se sint æquales, siquidem totum semper est maius suâ parte iuxta primam partem *propos. 9.* Potest tamen tum simile, tum dissimile singulis suis partibus esse, iuxta secundam; siquidem, quando aliquæ suarum partium sunt inter se dissimiles, earum singulis est dissimile : simile autem quandò sunt omnes inter se similes, iuxta *hanc, & præced. propos.*

54 Secundò colligitur ratio, cur pars dissimilis reliquis, essentialis composito dici soleat, & debeat, similis verò non essentialis, sed integralis. Ratio enim est : quia, deficiente parte dissimili reliquis, eadem essentia specifica, quæ erat in composito permanere non potest; essentia siquidem residui, quæ permanet, diuersa specificè est ab essentiâ compositi, vtpotè dissimilis illi; proindéque, pars dissimilis reliquis omninò necessaria, atque adeò essentialis est ad hoc, vt essentia specifica compositi valeat subsistere. At, deficiente parte simili reliquis, eadem essentia specifica compositi permanet in residuo; siquidem essentia compositi, & essentia talis residui ob similitudinem, quam habent, eiusdem speciei sunt simpliciter talis (de quâ hîc agitur) eadémque subindè appellantur essentia specifica. Quo fit, vt pars similis reliquis necessaria non sit; atque adeò nec essentialis ad hoc, vt subsistere valeat essentia specifica compositi; proindéque non essentialis composito; sed integralis dicitur. Sic forma aquæ pars essentialis aquæ est; quia absque tali formâ essentiâ specifica aquæ stare non potest : aqua verò partialis, aquæ totali ex illâ, & ex aliis compositæ essentialis non est : quia absque illa essentia specifica aquæ stare potest in residuo.

Propositio 41.

55 Quoties aliqua pars vnius compositi omnibus, & singulis partibus alterius compositi dissimilis, aut inæqualis est, & ipsa composita inter se sunt dissimilia, aut inæqualia.

Est certum, euidénsque ex terminis ipsis : quia planè repugnat esse composita inter se similia, aut æqualia, quandò aliquid vnius nihil omninò habet in altero, quod sibi sit simile, aut æquale; vti in casu propositionis euenit : multóque magis consequenter id repugnabit, quando plures, aut omnes partes vnius nullam sibi similem, aut æqualem in altero habuerint, vt constat.

Propositio 42.

56 Quoties omnes, & singulæ partes vnius compositi totidem sibi similes, aut æquales habent in altero, & vice versâ, non possunt non talia composita esse inter se similia, aut æqualia.

Quia, nihil est in tali casu, vnde eorum dissimilitudo, aut inæqualitas nasci possit, vt est notissimum, idque siue partes vniuscuiusque compositi dissimiles, aut inæquales sint comparatæ inter se, siue sint similes, aut æquales. Ob id enim composita ista A B C D. A B C D similia, & æqualia inter se sunt; tametsi partes vniuscuiusque dissimiles; & inæquales sint inter se : quia omnes, & singulæ partes vnius totidem sibi similes & æquales habent in altero, & vice versâ : atque hæc satis modò.

Propositio 43.

57 Omnis diuersitas rerum ad tres omninò species reducitur nempè ad distinctionem, dissimilitudinem, & inæqualitatem, ex quibus secunda, & tertia necessariò sunt connexæ cum primâ; sed non vice versâ. Inter secundam autem, & tertiam neque connexio datur, neque oppositio.

Prima propositionis pars inde constat; quia, vt vnicuique consideranti apparebit, ob nihil aliud dicuntur res intrinsecè inter se diuersæ, nisi, quia, vel distinctæ, vel dissimiles, vel inæquales sunt inter se; extrinsecè autem ob nihil aliud diuersæ dicéndæ veniunt, nisi quia ea, à quibus diuersificantur extrinsecè, vel distincta pariter, vel dissimilia, vel inæqualia inter se sunt. Diuersitas autem statuum eiusdem rei his omnibus est minor : quia extremis inter se identificatis conuenit. Quocirca minus propriè diuersitas dicitur, de quâ satis est dictum *supra disp. 10.*

Secunda autem propositionis pars inde mon- 58
stratur : quia, cùm idem sibi ipsi dissimile, aut inæquale esse nequeat, iuxta *propos. 14.* consequens est, vt non possint extrema vlla esse inter se dissimilia, vel inæqualia, quin inter se distincta sint; cùm tamen posse aliqua extrema esse inter se distincta, quin sint inter se dissimilia, vel inæqualia prorsùs indubitabile sit.

Tertia denique propositionis pars inde constat: 59
quia, cùm extrema similia possint esse æqualia, vel inæqualia, & extrema æqualia possint esse similia, vel dissimilia, iuxta *propos. 15.* conficitur planè, dissimilitudinem nec poscere; nec recusare consortium inæqualitatis; paritérque inæqualitatem nec poscere; nec recusare consortium dissimilitudinis; quod ipsum est inter illas nec oppositionem dari, nec connexionem.

QVÆSTIO IV.

Vtrum actus in vniuersum ita à suis subiectis, & terminis specificentur, vt non possint non esse specie diuersi, quotiescumque aut subiecta specie diuersa, aut terminos specie diuersos habent.

NOmine actus omnem omninò respectum, siue 60
relationẽ amplector iuxta dicta *disp. 8. & 14.* specie autem diuersa dico tum, quæ talia sunt simpliciter, vt dissimilia, tum quæ talia sunt secundum quid, vt inæqualia iuxta dicta nuper *q. 3. propos. 16.* Itaque, quæstio imprimis est : vtrum actus respicientes aut subiecta inter se dissimilia, vel inæqualia, aut terminos inter se dissimiles, vel inæquales à tali subiectorum, vel terminorum dissimilitudine, vel inæqualitate sibi extrinseca necessariò inter se dissimiles, vel inæquales intrinsecè euadere debeant. Videntur affirmare plerique, dum in specialioribus materiis penes diuersitatem subiectorum, aut terminorum ponunt communiter actus specie diuersos simpliciter; atque etiam inæquales quoad perfectionem penes inæqualitatem, quam habent eorum termini, aut subiecta; atque ita eò perfectiorem censent esse, cæteris paribus, conceptum quemuis respectiuum, quo perfectius est id, quod respicit, Cæterùm, nisi ego fallor, distinctione multâ opus est.

Pro resolutione suppono primò. Duplex genus 61
actuum,

actuum, quod ad rem attinet, distingui oportere consentaneè ad doctrinam traditam *disp.* 8. alterum eorum, qui re ipsâ formales sunt; atque ita realiter, & adæquatè à subiecto, & termino sunt distincti, vt actio, passio, vnio, cognitio, volitio, præsentia, & cæteri huiusmodi: alterum eorum, qui re ipsâ non sunt formales; atque ita in suo conceptu reali includunt vel subiectum, vel terminum, vel vtrumque, vt distinctio, oppositio, consonantia, dissonantia, resistentia, potentia, & similes.

62 Suppono secundò, vnum eumdémque actum re ipsâ formalem aut duo subiecta, aut duos terminos indiuisim, posse respicere, quod fit, quando totus, & integer actus per quamdam sui repetitionem respicit vnum, & alterum; totius enim actus vnum, & totus alterum nequit respicere, provt opus est, vt respiciat indiuisim vtrumque, nisi per sui repetitionem circa vnum, & alterum, vt est notissimum: termini autem, aut subiecta per eumdem actum indiuisim respecta aut similia, aut dissimilia inter se esse possunt tum aut inæqualia, aut æqualia, vt constat. Cernitur id in actione haud dubiè possibili, per quam indiuisim duo effectus produci possunt aut similes inter se, aut dissimiles, aut æquales, aut inæquales; tum in cognitione tangente pariter duo obiecta, tum in volitione, & aliis huiusmodi.

63 Suppono tertiò, actum re ipsâ formalem per suam essentiam physicam respicere quidquid respicit: quia respicit respectu sibi intrinseco, & adæquatè identificato realiter, quo nihil desideratur, vt talis respectus de essentiâ eius physicâ sit. Vnde patet, talem respectum tali actui essentialem esse, ac penitus indefectibilem; proindéque actum habentem talem respectum non posse non esse diuersum, seu differentem saltem numericè ab actu non habente illum; sed alium. His positis sit

Propositio 1.

64 Quoties aut termini, aut subiecta in conceptibus realibus actuum clauduntur, iuxta dicta suppositione primâ, sùntque inter se dissimilia, vel inæqualia, non possunt non actus ipsi esse inter se dissimiles, aut inæquales re ipsâ.

Est clarum: quia in tali casu, aggregata fundamentorum, in quibus actus sumpti realiter consistunt dissimilia sunt, aut inæqualia à dissimilitudine, aut inæqualitate partium, quas habent, iuxta *propos.* 41. *Statutam q.* 3.

65 Vtrum autem huiusmodi actus sumpti formaliter; seu provt concipiuntur à nobis dissimiles etiam, aut inæquales necessariò debeant euadere quoad suos intrinsecos conceptus, aut solùm quoad terminos, aut subiecta extrinseca ipsis, ex postmodum dicendis constabit.

Propositio 2.

66 Actus re ipsâ formales iuxta dicta suppositione primâ non necessariò euadunt dissimiles quoad suum esse intrinsecum ex eo quòd eorum termini dissimiles inter se sint; sed similes esse possunt intrinsecè, quantumuis eorum termini sint inter se similes.

Probatur propositio primò: quia, quando vnus actus indiuisim; atque adeò per sui repetitionem iuxta suppositionem secundam respicit duos terminos dissimiles à terminorum dissimilitudine non euadit dissimilis sibi ipsi; quia id est impossibile, vt constat ex se, & ex *propos.* 14. *statutâ q.* 3. Ergò, neque quando duo actus diuisim respiciunt duos terminos dissimiles, à terminorum dissimilitudine dissimiles euadent; atque adeò intrinsecè similes esse poterunt, quantumuis eorum termini dissimiles inter se sint. Consequentia videbitur bona: quia nō est cur termini dissimiles terminent necessariò dissimiles actus, quandoquidē vnum, & eumdē, qui sibi simillimus est, terminare valēt. Et cōfirmari potest: quia vnio extremorū dissimiliū, vt animæ, & corporis nequaquā, provt respiciens vnum sibi, provt respicienti alterum realiter, & intrinsecè dissimilis est: quia penitùs est id impossibile, vt diximus: ergò respicere dissimilia, loquendo absolutè, nullam importat intrinsecam dissimilitudinem; poterunt ergò duo etiam, vel plures actus dissimilia respicere, quin inter se quoad suas entitates intrinsecas dissimiles sint.

Secundò probatur propositio: quia certum est, 67
actus dissimiles circa terminos similes, aut etiam circa eumdem versari posse, vt patet in actibus productionis, & cognitionis similium terminorum, aut etiam eiusdem: ergò è conuerso actus similes circa dissimiles terminos versari poterunt: quia non satis apparet, cur termini dissimiles debeant necessariò refundere realem dissimilitudinem in actus aliàs futuros similes, & termini similes non debeant necessariò refundere similitudinem realem in actus aliàs futuros dissimiles.

Tertiò probatur: quia certum est etiam, actus 68
habentes dissimiles terminos ex præciso modo tendendi in ipsos similes prorsùs esse posse, vt patet in productionibus, quibus dissimiles effectus eodem prorsùs modo dependent ab eodem principio, in cognitionibus, quibus dissimilia obiecta eodem prorsus modo cognoscuntur ab eodem intellectu, & in aliis huiusmodi; sed nihil est excogitabile in actibus prout respicientibus terminos ab ipsis terminis condistinctum propter tendentiam; atque adeò propter modum tendendi eorum in tales terminos, vt satis ex se videtur norum: & consequenter in actibus habentibus terminos dissimiles, & ex præciso modo tendendi in ipsos similibus nihil est excogitabile, vnde intrinsecè, realitérque habeant esse dissimiles propter dissimilitudinem extrinsecam terminorum: ergò huiusmodi actus ex præciso modo tendendi similes realiter, & vndequaque sunt similes, quantumuis termini eorum dissimiles inter se sint.

Quartò probatur: quia actus distincti circa termi- 69
nos identificatos versari possunt; & actus inconnexi circa terminos connexos, & actus non oppositi circa terminos oppositos, vt est certissimum: ergò & actus non dissimiles; atque adeò similes circa terminos dissimiles.

Quintò probatur: quia nulla videtur excogita- 70
bilis idonea ratio, cur actus in se ipsis necessariò debeant esse dissimiles ex eo quòd eorum termini dissimiles sint inter se: cùm enim actus suis terminis possint esse dissimiles, & sæpè sæpiùs sint, vt constat, terminorum dissimilitudo similitudini actuum obstare non potest; siquidem, bene possunt esse inter se similia, quæ pluribus aliis inter se dissimilibus sunt dissimilia; iuxta *propos.* 38 *Statutam q.* 3. tametsi nequeant esse inter se similia, quæ pluribus aliis inter se dissimilibus sunt similia, iuxta *prop.* 32. *Statutam ibid.* Ob idque actus habentes terminos inter se dissimiles nequeant similes inter se esse, sed necessariò debeant esse dissimiles, quando ipsis terminis sunt similes.

71 Sextò denique probatur propositio: quia bene possũt esse actus, de quibus agimus, intrinsecè æquales, quamtumuis eorum termini sint inæquales, vt videbimus *propos.* 4. Ergò benè quoque possunt esse actus, de quibus agimus, intrinsecè similes, quantumuis eorum termini dissimiles sint. Eadem quippe, quod ad rem attinet, est ratio de similitudine, ac de æqualitate, vt est notum.

72 Verùm, contra statutam propositionem obiici potest primò. Actus, quorum termini sunt inter se specie diuersi, eo ipso sunt inter se specie diuersi, iuxta communem, firmamque Philosophorum, ac Theologorum persuasionem: ergò actus, quorum termini sunt inter se dissimiles, eo ipso sunt inter se dissimiles. Consequentia est bona: quia ea dumtaxat, simpliciter, & absolutè loquendo specie inter se diuersa dicuntur, quæ sunt inter se dissimilia, vt constat ex dictis. Antecedens autem probatur: quia iuxta communem omnium sententiam, actus virtutum, & vitiorum specie inter se diuersi sunt, hoc ipso, quòd obiecta eorum præsertim formalia inter se sunt specie diuersa: Cognitiones etiam obiectorum, præsertim formalium specie inter se diuersorum specie inter se diuersæ reputantur communiter; paritérque, productiones diuersorum effectuum, vniones diuersorum extremorum, & vniuersim relationes diuersorum terminorum.

73 Pro solutione noto primò ex dicendis *infrà disp. 17. q. 8.* quoties termini actuum apparent inter se dissimiles, actus quantumuis intrinsecè sint similes, sub vnum conceptum cunctis communem neutiquam cadere posse. Et quoniam, quæ defectu similitudinis sub vnum conceptum cadere nequeunt, specie diuersa reputantur, atque dicuntur; idcircò actus, quantumuis inter se intrinsecè similes, quorum termini sunt dissimiles, specie diuersi reputantur, atq; dicuntur; diuersitate scilicet non quidem intrinsecâ sui, sed extrinsecâ terminorũ. Vnde notãdũ est secundò, bifariã dici posse actus specie diuersos. Primò diuersitate intrinsecâ, quandò ipsi inter se sunt dissimiles. Secundò diuersitate extrinsecâ, quando non ipsi; sed eorum termini sunt dissimiles; & hæc de actibus non includentibus terminos in suis conceptibus realibus. De includentibus verò notandum est tertiò, tametsi illi quoad conceptus formales similes apparere possint, iuxta dicenda postmodum: quia tamen quoad conceptus reales dissimiles intrinsecè sunt à dissimilitudine terminorum, quos intrinsecè claudunt, non solùm extrinsecâ; sed intrinsecâ item diuersitate posse eos, aut etiam solere dici specie diuersos.

74 Ex his ad argumentum respondeo vniuersè; actus, quorum termini sunt specie diuersi, eo ipso specie diuersos meritò reputari, ac dici, loquendo absolutè; tametsi multi eorũ non intrinsecâ, sed extrinsecâ tantùm diuersitate sint specie diuersi; eo quòd non intrinsecâ, sed extrinsecâ tantùm suorũ terminorum dissimilitudine sunt inter se dissimiles. Hæc namq; dissimilitudo terminorum sufficit, vt illi cadere non possint sub vnũ conceptũ cõmunẽ; atq; adeò, vt absolutè dicantur esse non eiusdem; sed diuersæ speciei. Vnde patet, propositionem nostram sententiæ communi non refragari absolutè, & indistinctè asserenti, esse diuersæ speciei actus, qui terminos habent specie diuersos; verè enim sunt diuersæ speciei: diuersitate tamen vel intrinseca, vel extrinseca. Vnde, ad specialiora descendens dico, actus virtutum, & vitiorum habentes obiecta formalia specie diuersa esse quidem diuersos specie tam quoad esse morale, quàm quoad physicum saltem diuersitate extrinsecâ; quoad morale verò, speciatim fortasse etiam intrinsecâ: quia fortasse quoad esse morale includunt in suo conceptu reali ipsa obiecta formalia tanquam vnum ex fundamentis suæ bonitatis, aut malitiæ moralis, De quo suo loco. Cognitiones similiter, quorum obiecta specie differunt diuersitate saltem extrinsecâ sunt specie diuersæ; paritérque actiones diuersorum effectuum, vniones diuersorum extremorum, & vniuersim relationes diuersorum terminorũ; nisi earum aliquæ ex speciali modo tendendi insuper diuersitate intrinsecâ sint specie diuersæ.

Secundò obiici potest. Omnes actus specificantur à suis terminis: ergo quoties termini sunt specie diuersi, & actus sunt specie diuersi. Distinguo antecedens. Specificantur intrinsecè, nego: extrinsecè, concedo. Tum etiam consequens: ergò quoties termini sunt specie diuersi, & actus sunt specie diuersi diuersitate intrinsecâ, nego, extrinsecâ, concedo. Ex quo contra nos nihil. 75

Tertiò obiici potest. Actus seorsim tendentes in terminos indiuidualiter diuersos necessariò sunt inter se indiuidualiter diuersi diuersitate intrinsecâ: ergò actus seorsim tendentes in terminos specificè diuersos necessariò sunt inter se specificè diuersi diuersitate intrinsecâ. Concesso antecedente, nego consequentiam: quoniam distinctio realis terminorum absque distinctione reali actuum tendentium in ipsos seorsim contradictionem implicat, vt patet in casu, quòd idem actus tenderet in A & non in B; atque etiam in B, & non in A. Dissimilitudo verò realis terminorum absque dissimilitudine reali actuum tendentium in ipsos seorsim nullum fert secum inconueniens, vt constat ex dictis. Vnde apparet ad rem discrimen inter diuersitatem specificam consistentem in dissimilitudine, & numericâ consistentem in distinctione eorum, quæ diuersa dicuntur. Itaque, vt actus tendant seorsim in terminos distinctos realiter ampliùs non exposcunt, quàm esse inter se distinctos realiter, siue termini vltra realem distinctionem realem etiam dissimilitudinem habeant, siue non habeant: Quia tendere seorsim in terminos distinctos dumtaxat importat distinctionem in ipsis tendentiis, qualescumque demùm termini sint, vt ex se patet, sicut tendere indiuisim in terminos distinctos dumtaxat importat identitatem in ipsâ tendentiâ, qualescumq; demum sint termini, vt etiam est notum. 76

Ex dictis circa hanc propositionem colligitur primò, actus re ipsâ formales, de quibus in ea fermo est, ex vi præcisè habendi terminos dissimiles; atque adeo specie diuersos non euadere specie diuersos diuersitate intrinsecâ; euadere tamen specie diuersos diuersitate intrinsecâ, quod satis est, vt absolutè dicantur specie diuersi: quatenus satis est, vt sub eumdem conceptum specificum absolutè non possint cadere; eâ suorum terminorum diuersitate retentâ. Euadent tamen insuper specie diuersi diuersitate intrinsecâ, si aliundè ex proprio modo tendẽdi dissimiles intrinsecè sint, vt sæpè fit. 77

Secundò colligitur, actus re ipsâ formalis habentes terminos similes absolutè esse eiusdem speciei, quando ipsi intrinsecè etiam sunt similes; diuersæ autẽ, quando ipsi intrinsecè ex proprio modo tendendi dissimiles sunt; quia in hoc etiam casu, sunt absolutè non adunabiles sub eumdem conceptum specificum; imò in hoc casu eorum diuersitas specifica intrinseca est, vt est notum. 78

Tertiò colligitur, actus non re ipsâ; sed tantùm ex 79

ex modo concipiendi nostro formales, includentesque in suo conceptu reali terminos inter se dissimiles, etsi re ipsâ sint propterea dissimiles dissimilitudine intrinsecâ, iuxta *prop.* 1. atque adeò absolutè specie diuersi non solùm extrinseca, sed etiam intrinsecâ diuersitate dicendi veniant. Quod attinet tamen ad suos conceptus formales intrinsecè similes esse posse; sæpeque esse: quia, cùm concipiantur à nobis, vt quid adæquatè distinctum à suis terminis tendens in ipsos, nihil vetat, eos concipi similes; etsi eorum termini concipiantur dissimiles, sæpèque ob id sic concipiuntur, siquidem nihil vetat, actus re ipsa formales reipsâ esse similes, etsi eorum termini, in quos tendunt, sint re ipsâ dissimiles, sæpéque etiam ob id sunt tales iuxta præsentem propositionem. Vnde, si ad conceptus formales, quos tantùm in mente nostrâ obiectiuè habent prædicti actus, attendatur, diuersitate illi tantùm extrinsecâ specie diuersi dici poterunt.

Propositio 3.

80 Actus re ipsâ formales non necessariò euadunt dissimiles quoad suum esse intrinsecum ex eo, quod eorum subiecta dissimilia sunt inter se; sed similes esse possunt intrinsecè, quantumuis eorum subiecta inter se dissimilia sint.

Hæc propositio eodem prorsus modo, ac præcedens, probanda venit: quia actus, de quibus in eâ sermo est, eodem prorsùs modo, quod ad rem attinet, ad sua subiecta, atque ad suos terminos comparantur. Quare quæcumque pro præcedente propositione sunt dicta, huic pariter applicanda sunt. Solùm aduerto: etsi actus intrinsecè similes perindè à dissimilitudine subiectorum, atque à dissimilitudine terminorum absolutè specie diuersi diuersitate extrinseca veniant dicendi; tum prout se habentes re ipsâ; tum prout à nobis in abstracto concepti; eo quod vt sic sub eumdem conceptum specificum absolutè cadere nequeunt: Concreta tamè, quæ ex talibus actibus, ex talibusque subiectis resultant, prout concipiuntur à nobis eiusdem speciei dici posse, & sæpe solere, eo quòd prout concipiuntur à nobis similia inter se; atque adeò sub eumdem conceptum specificum adunabilia apparent; occultatâ videlicet dissimilitudine subiectorũ præ confusione conceptionis eorum sub similitudine actuum, qui expressiùs concipiuntur, iuxta dicenda fusiùs *infrà disp.* 17. *q.* 8.

Propositio 4.

81 Actus re ipsâ formales non euadunt necessariò inæquales quoad suum esse intrinsecum ex eo, quòd eorum termini inæquales sint inter se; sed æquales esse possunt intrinsecè, quantumuis eorum termini sint inter se inæquales.

Hæc propositio eisdem argumentis, quibus probata est secunda, probanda venit, quæ illi propterea ab vnoquoque sunt applicanda. Insuper tamen inde primùm probatur: quia certum est, obiecta inæqualia quoad intensionem physicam per cognitiones, aut volitiones æquè physicè intensas attingi posse: quis enim neget, posse æquè intensè videri, imaginari, intelligi, aut appeti accidentia intensa inæqualiter. Ergò certum quoque esse debet, circa obiecta quouis alio modo inæqualia physicè, aut metaphysicè actus quouis etiam modo æquales versari posse.

82 Deinde certum est etiam, per actus cognitionis, & volitionis diuinos, aut etiam creatos indiuisibiles physicè; atque adeò quoad quantitatem physicam tam intensionis, quam extensionis intrinsecè æquales obiecta multa de facto tangi quanta inæqualiter physica quantitate tum intensionis, tum extensionis: ergò nihil vetat, per actus æquales quouis alio genere quantitatis terminos quouis etiã alio genere quantitatis inter se inæquales attingi.

Præterea certum est etiam; per cognitiones æque 83
claras; atque adeò æque perfectas quoad claritatem, obiecta inæqualia quoad quoduis genus perfectionis seu physicæ, seu metaphysicæ posse cognosci, sæpéque cognosci de facto: omnes enim cognitiones diuinæ, & multæ creatæ, quibus obiecta quouis modo inæqualia cognoscuntur, æquales sunt quoad claritatem: ergò inæqualitas terminorum actuum tendentium in ipsos æqualitati nihil obstat in quouis genere.

Obiici tamen potest contra propositionem. 84
Melius est videre obiectum formosum, quàm fœdum, formosiúsque, quàm minùs formosum, & vniuersim melius est cognoscere obiectum perfectius, quàm minùs perfectum; ob id enim cognitio de Deo tam abstractiua, quàm intuitiua cognitionibus de creaturis præstantior est, & appetibilior. Meliùs est etiam amare maius bonum, quàm minùs bonum, maiórque semper delectatio capitur de maiori bono, quàm de minori, propterea amor Dei amore cuiusuis obiecti præstantior est. Ergo, quò perfectior est terminus, eò perfectior est actus tendens in illum; atque adeo circa terminos perfectione inæquales actus perfectione æquales versari non possunt. Respondeo primò, esto actus cognitionis, & amoris ob suam peculiarem naturam non possent esse æquè boni, siue perfecti, quando versantur circa obiecta inæqualiter bona, siue perfecta, inde tamen necessariò non sequi, debere id ipsũ reperiri in cæteris omnibus actibus respectiuè ad suos terminos.

Respondeo secundò, in actibus cognitionis, & 85
amoris duplicem bonitatem, seu perfectionem spectari posse: aliam absolutam, quâ in se sunt boni, siue perfecti: aliam respectiuam, quâ boni sunt, siue conuenientes suis subiectis; vtraque autem aut adæquatè intrinseca, siue identificata cum ipsis actibus esse potest, aut partim extrinseca; atque adeò, tum ex eorum entitatibus; tum ex adiunctis distinctis ab illis coalescens iuxta doctrinam de bonitate in vniuersum tradendam *suo loco*. Quo posito, dico, etsi plerumque actus cognitionis, & amoris bonitate semiextrinsecâ, præsertim respectiuâ includente in suo conceptu reali ex connotato obiecta ipsorum eò meliores sint, quò obiecta ipsa sunt præstantiora; bonitate tamen, seu perfectione adæquatè intrinseca præsertim absoluta sæpè esse, aut æquè, aut minùs perfectum actum habentem perfectius obiectũ, quàm habentem minùs perfectum. Constat enim, actum de obiecto perfectiori sæpè esse aut æquè, aut minùs clarum, vel intensum; atque adeo aut æquè, aut minùs perfectum perfectione claritatis, vel intensionis sibi adæquatè intrinseca, quàm actum de obiecto imperfectiori. Cùm constet, sæpè homines; aut etiam Angelos clariùs cognoscere, intensiúsque amare creaturas, quàm Deum, aut creaturas minùs perfectas, quàm magis perfectas. Tantumdémque, quod ad cæteras perfectiones adæquatè intrinsecas attinet, sæpè etiam euenire censendum est.

Itaque, quò perfectius obiectum est, eò melius est 86
cognoscenti, cæteris paribus, illud cognoscere, non quia cognitio obiecti perfectioris intrinsecè, cæteris paribus, perfectior sit ex eo præcisè, quòd

sit obiecti perfectioris ; sed quia, quò perfectius est obiectum, extrinsecè ab illo, tanquam à circumstantiâ quâdam euadit ea conuenientior, appetibiliórque cognoscendi, si cætera sint paria. Quo eodem pacto amor obiecti perfectioris conuenientior amanti est, tametsi intrinsecè non propterea perfectior sit, quòd est obiecti perfectioris. Quamuis autem, maius bonum connaturaliter, & regulariter, maiorem de se, atque adeo magis intensam intrinsecè delectationem pariat : Id tamen necessarium non est, cùm videamus sæpè homines intensius de minoribus bonis, quàm de maioribus delectari.

87 Quæ quidem doctrina inde etiam confirmanda venit: quia in actibus odij, eò minor bonitas, cæteris paribus, reperiri solet, quo eorum obiecta sunt meliora, ob id actus odij Dei reliquis peius est. Quod argumentũ imprimis est, intrinsecam bonitatem actuum penes intrinsecam ipsorum naturam ; non verò penes bonitatem obiectorum, seu terminorum taxandam esse. Deinde ne intrinsecam quidem bonitatem illorum eò semper maiorem esse, quo obiectorum, vel terminorum maior est bonitas.

Vnde planè colligitur, effatum illud, quod vulgò solet circumferri : *eò perfectior est actus, cæteris paribus, quò perfectior est eius terminus*, falsum imprimis esse, si intelligatur de perfectione actus intrinsecâ. Deinde, etiamsi intelligatur de extrinsecâ non vniuersaliter ; sed suis cum exceptionibus esse verum. 88

Propositio 5.

Actus re ipsâ formales non euadunt necessariò inæquales quoad suum esse intrinsecum ex eo quòd eorum subiecta sunt inæqualia ; sed æquales esse possunt intrinsecè quantumuis eorum subiecta inæqualia sint inter se. 89

Hæc propositio perinde ac præcedens probanda venit: quia actus, de quibus agit, perindè veniunt, quod ad rem attinet, comparandi ad sua subiecta ; atque ad suos terminos. Supponitur autem in tota hac quæstione ex dictis *disp.* 8. de subiectis prædicationis actuum sermonem esse, sub eisque proindè principia actuum, de quibus illi prædicantur comprehendi.

DISPVTATIO XVII.

DE VNITATE, ET MVLTITVDINE ENTIVM, seu rerum ; atque adeò obiectorum intellectus humani.

1 IN hac disputatione primùm de vnitate, & multitudine entium in vniuersum breuiter disseram. Deinde de vnitate, & multitudine obiectorum intellectus nostri prout talium agam, atque ita de obiecto vniuersali, quod definitur *vnum in multis*, déque ipsi correspondente particulari generatim sumptis imprimis ; mox verò de eisdem speciatim acceptis ; atque adeo de singulis prædicabilibus potissimus mihi sermo erit ; circa quæ breui etiam perstringam, vt soleo, quæ apud Autores obuia sunt, & vel minore egent explicatione, vel ad institutum, quod insequor minus conferunt, nonnihil amplius cætera producturus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit vnum, quid vnitas, & quotuplex ?

2 VNVM sic solet vulgò definiri : *est ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio.* Arist. tamen, *lib.* 5. *Metaph. cap.* 6. ita vnum vniuersè sumptum descripsit : *vniuersaliter namque quotcumque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur.* Et quibus verbis apertè constat vnum sufficienter definiri per illa priora verba definitionis vulgaris : est *ens indiuisum in se.* Vnde plerique à definitione vnius remouent reliquas particulas, *& diuisum à quolibet alio*, quasi ad rationem vnius formalem non pertinentes. Ità Soar. *disp.* 4. *Metaph sectione prima*, Fonsec. *libro quarto, Metaph. cap.* 2. *q.* 5. *sec.* 5. Gillius *in* 1. *p. lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 5. Fasol. plures pro eâdem sententiâ referens *in* 1. *p. q.* 11. *art.* 1. *dub.* 14. contra Nazar. Suesan. & alios etiam à se relatos. Id quod haud. dubiè sentit itidem S. Th. dum *in ea q.* 11. *aliisque in locis* sæpe vnum definit per solam indiuisionem entis in se.

Sed est difficultas in hac quæstione vadè celebris, quid addat vnum supra ens, quidue per indiuisionem, à qua ens indiuisum in se ; atque adeò vnum euadit intelligatur ? an positiuum quid, an potius aliqua negatio ? Prima sententia est, vnum supra ens nihil omninò positiuum addere ; sed meram negationem. ita S. Th. 1. *p. q.* 11. *art.* 1. *aliisque in locis.* Soar. *supra n.* 6. Fonseca *sec.* 4. Fasol. *dub* 5. Gillius *cap.* 3. Arriag. *disp.* 1 *Metaphysicæ sec.* 3. & apud eos alij plures ; qui tamen inter se non conueniunt in assignandâ negatione, quam vnum addit supra ens. Nam Caiet. Argent. Nazar. apud Fasol. & Gill. *suprà* censent, esse negationem, quâ ens nõ est diuisũ à seipso. Soar. verò Fas. & alij esse negationẽ, quâ ens in se non est diuisũ in plura. 3

Secunda sententia est, id, quod addit vnum suprà ens, non negationem ; sed aliquid positiuum esse. Ita Vasq. *tom.* 2. *in* 1. *p. disp.* 128. *c.* 2. cum S. Bon & aliis. Petr. Hurt. *disp.* 4. *Metaph.* Auic Scot. & plures alij apud Soar. & Fasol. *suprà*. Qui etiam inter se non consentiunt, quatenus Auic. Scot. & sui ex naturâ rei distinguunt ab ente id positiuum, quod vnum supra ens in ipsorum sententia addit ; cæteri verò, dumtaxat distinguunt per rationem. 4

Pro

5 Pro resolutione suppono primò, ea dici propriè diuisa, quæ, cùm sint inuicem distincta, vnita inuicem non sunt: diuisio quippè propriè sumpta negatio vnionis est distinctorum; duoque proindè inuoluit in conceptu suo; distinctionem scilicet, & carentiam vnionis extremorum, quæ diuisa dicuntur. Quocirca ea dicuntur propriè indiuisa, quæ vel inuicem identificata, vel inuicem vnita sunt. vnde colligitur, indiuisionem entis in se, per quam definitur vnum, non propriam, & strictam; sed latam indiuisionem esse, qualis est indistinctio, diuisio enim, & distinctio, indiuisioque, & indistinctio pro eodem sæpè in hac materiâ vsurpari solent, vt apud præcitatos Authores cernere est. Et quidem nomine indiuisionis, per quam vnum definitur, non indiuisionem strictam; sed indistinctionem venire intelligendam tum apud. Arist. tum apud alios Antiquiores (quidquid recentiores aliqui contra sentiant) manifestum est in S. Th. id sæpè supponente. Ait enim in 1. dist. 24. q. 1. art. 3. ad 1. *Ad primum ergo dicendum, quòd in multitudine negatio est secundum quod vna res distinguitur ab aliâ per negationem; vnde in multitudine est negatio, vel priuatio realis, secundum quod vna res non dicitur esse alia, & huiusmodi distinctionem per negationem negat negatio importata in ratione vnitatis.* Et 1. p. q. 11. art. 2. ad 4. *Primò*, inquit, *cadit in intellectu ens: secundò, quod hoc ens non est illud ens, & sic secundò apprehendimus diuisionem.* Ecce diuisionem appellat distinctionem illam à quâ vnum ens non est aliud ens. Et *q. 29. art. 4. in corp.* ita definit indiuiduum, cuius definitio aut est eadem, quæ vnius, aut illam ineludit, vt infrà suo loco exponemus. *Indiuiduum autem est, quod est in se indistinctum, ab aliis verò distinctum.* Itaque nomine indiuisionis, per quam definitur vnum, non indiuisio propria, & stricta; sed indistinctio debet intelligi. Id, quod ratio etiam manifestè suadet: quia, vt aliqua verè sint plura; atque adeo non vnum, non opus est, quòd in se sint propriè, & strictè diuisa; sed satis, est, quòd in se sint distincta; plura enim membra nostri corporis, & plures quæque partes cuiusuis compositi verè sunt plures partes, non vna, & tamen propriè, & strictè loquendo, non sunt in se diuisæ; sed indiuisæ, cùm sint vnitæ. Indiuisio ergo propria, & stricta in se non facit vnum; sed indistinctio in se. Vt iam iam explico.

6 Suppono enim secundò, ad rationem vnius non omnimodam indistinctionem entis in se requisitam esse; altoquin, nullum ens compositum esset vnum: quia omne ens compositum habet in se distinctionem omnium suarum partium; atque adeo non est omnimodis indistinctum in se: solùm ergo ad entis vnitatem requiritur indistinctio eius in plura talia, quale ipsum est, qua ratione dicitur vnum E. G. vt aliquod ens sit vnus homo satis est, quòd sit in se indistinctum in plures homines; vt sit vnum animal, quod sit in se indistinctem in plura animalia; vt sit vnum membrum, quòd sit in se indistinctum in plura membra eiusdem rationis; vt sit vna pars, quòd sit in se indistincta in plures partes eiusdem rationis &c. Id quod Arist. haud dubiè sibi voluit, cùm dixit lib. 5. Metaph. cap illo 6. citato. *Vniuersaliter autem, quotcumque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur, vt putà, si prout homo non habet diuisionem, vnus est homo: quòd si prout animal, vnum animal*, &c. Hinc plane constat, cur exercitus, populus, numerus, ac demum multitudo quæuis suam nihilominùs vnitatem habeant, tametsi aliundè sint quædam multa; quia nimirùm, tametsi exercitus, aut populus sit plures homines, eo quòd in se habeat distinctionem omniù eorù; proindéq; in se indiuisus, siue indistinctus non est in plures homines, at in plures exercitus, aut plures populos eiusdè rationis verè indiuisus, siue indistinctus est in se; atq; ita vnus verè est exercitus, aut vnus populus. Et numerus, aut multitudo quæuis similiter verè vnus numerus, aut vna multitudo est: quia in sed istinctionem non habet pluriùm numerorum, aut pluriùm multitudinem eiusdem rationis; tametsi aliundè sint multa quædam eo quòd in se habent distinctionem omnium earum vnitatum, seu partium, ex quibus coalescunt, cuiuslibet demum rationis sint tales vnitates, seu partes. Vnde obitet colliges cõtra plerosque Recentiores, ad vnitatem cuiusuis aggregati, seu multitudinis nullam necessariam esse vnionem adhuc moralem partium eorum; quantumuis enim partes sint inunitæ constituent quoddam in se indiuisum in plura aggregata, seu multitudines eiusdem rationis.

7 Suppono tertiò ex dictis *disp.* 13. distinctionem sumptam formaliter aliam esse positiuam, quæ propriè dicitur distinctio, in actúque obiectiuo consistit, quo concipitur, vnum extremum distingui ab alio, & è conuerso: aliam esse negatiuam, quæ solùm per quamdam illationem, atque adeò minus propriè distinctio appellatur, consistitque in negatione identitatis, quâ vnum extremum non est aliud, & vice versâ. Vnde indistinctio etiam est duplex, alia opposita distinctioni positiuæ, quæ negatio quædam est eius: alia opposita distinctioni negatiuæ, quæ est ipsa identitas concepta per modum negationis sui contradictorij, provt dicebamus *ibi*. Quomodo autem negatio distinctionis positiuæ extremorum identificatorum, & negatio positiuæ identitatis extremorum distinctorum per quamdam æquiualentiam, non verò formaliter veræ, & reales negationes dicendæ veniant respectu nostri; tametsi formaliter dici debeant negationes à nobis fictæ, eò quòd negationes sunt conceptuum solùm in substitutis alienis, non verò in se; atque adeo solùm à nobis, non verò à Deo, aut ab aliis intuentibus conceptibilium ex dictis *disp.* 11. & 12. satis est notum. Quomodo etiam, dum nos aliquid positiuum per modum negationis sui contradictorij concipimus; tamen illud conceptus positiuus absolutè dicendus sit, quædam nihilominus negatio rationis ibi interueniat non ficta; sed suppositicia ex doctrinâ *disp.* 12. & sæpè alibi tactâ compertum est.

8 Suppono quartò, distinctionem positiuam duplicem rursus considerari posse; aliam adæquatè intrinsecam alicui essentiæ, qualis est ea qua partes essentiæ compositæ inuicem distinguuntur, & intra essentiam ipsam est; sicut & ipsæ partes, cum quibus est realiter idem; aliam semiextrinsecam cuius essentiæ, qualis est ea, quâ quæuis essentia ab aliâ quâpiam sibi extrinsecâ distingui dicitur, quam vtramque distinctionem positiuam sua negatiua proportionata consequitur. Et à distinctione quidè prioris generis essentia, quæ illam habet, distincta in se dici potest, aut etiam solet: à distinctione verò posterioris generis, quæuis omnino essentia dicitur distingui ab aliâ quâpiam. Hinc fit, vt duplex pariter indistinctio veniat considerãda; alia opposita distinctioni prioris generis, à quâ essẽtia, habẽs illã dicitur indistincta in se, alia opposita distinctioni posterioris generis, à quâ essentia,

siue formalitas gaudens illa, aut à se ipsâ, aut ab aliâ formalitate dicitur indistincta. Igitur indistinctio, à quâ vnumquodque ens euadit vnum, & in quâ subindè vnitas cuiusque entis consistit, ex illis est; quæ distinctionem remouent prioris generis, prout suppositione secunda expositum est; non verò ex illis, quæ remouent posterioris, vtpotè quæ etiam conueniunt multitudini, siue multis. Multa enim etiam quâ talia à seipsis sunt indistincta; non tamen sunt indistincta in se; sed potius distincta; & ideò multa.

9 Suppono quintò, vnitatem, à quâ habet vnumquodque ens esse vnum, & posse sumi fundamentaliter, pro eo videlicet, quòd in se realiter est, & posse sumi formaliter; pro conceptu scilicet obiectiuo, quem habet in mente nostrâ obiectiuè, iuxta ordinarium modum, quem illam concipiendi habemus pro statu præsenti. Quo etiam pacto identitatem, & distinctionem entium in fundamentalem, & formalem diuisimus *suprà disp.* 13. His positis sit

Propositio 1.

10 Vnitas, quam vnum supra ens addit non est quidpiam positiuum aut realiter, aut ex naturâ rei formaliter distinctum ab ente.

Primò: quia illud positiuum non posset non esse etiam vnum, vt patet. Vel ergò tale esset per aliud pariter superadditum, & sic abiretur in infinitum: Quod plane est impossibile. Vel per seipsum, & sic idem ob eamdem rationem de ente ipso venit dicendum; quòd superadditum illud ad entis vnitatem non confert; atque adeo vnitas eius esse non potest. Secundò: quia, illo positiuo præciso, adhuc manet ens in se indiuisum, & nullo modo multiplicatum: ergo tale positiuum rursus redundat, nec vnitas entis potest esse.

11 Et quidem, quòd vnitas entis non sit aliquid positiuum realiter ab ente distinctum, & ei superadditum apud omnes est certissimum, & prorsùs in confesso. Quòd autem, neque sit aliquid positiuum realiter identificatum cum ente, distinctum tamen ab illo, & ei superadditum formaliter ex naturâ rei, vt censent Scotistæ, satis, supérque constat ex dictis à nobis contra eosdem *disp.* 13. *quæst.* 5. vbi huiusmodi distinctionem formalem ex naturâ rei, tanquam penitùs impossibilem multis rejicimus, in quo ampliùs non oportet morari.

Propositio 2.

12 Vnitas fundamentalis, à quâ vnumquodque ens est vnum à parte rei, & independenter à nostris conceptibus, nihilo prorsùs differt ab ipso ente, seu ab eius essentiâ.

Quia, nec est aliquid positiuum ipsi enti superadditum, iuxta *propos.* 1. neque est aliqua negatio realis adiuncta à parte rei ipsi enti (quâ ratione negationes à parte rei entibus positiuis dici possunt adiungi consentaneè ad doctrinam traditam *disp.* 9. *quæst.* 3.) vt videbimus *propos.* 3. nec est aliquid coalescens ex ipso ente, & ex alio quopiam extrinseco, vt est distinctio fundamentalis, quia illud ab alio quopiam distinctum est: quia vnumquodque ens, vt sit vnum, non indiget consortio alterius, quemadmodum, vt ab altero distinctum sit, vt est notissimum. Relinquitur ergo, vt vnitas fundamentalis entis ab ipso ente, seu ab eius essentiâ nihilo prorsus differat à parte rei.

Propositio 3.

13 Vnitas formalis, quam vnum addit supra ens, seu potius supra subiectum, quod dicitur vnum, si sumatur pro indistinctione opposita distinctioni positiuæ entis in se, negatio quædam est æquiualenter quidem vera; sed formaliter ficta: Si verò, sumatur pro indistinctione, opposita distinctioni negatiuæ entis in se, formalitas est positiua concepta per modum negationis; atque adeò secum ferens negationem rationis non fictam, sed supposititiam.

Hæc tota propositio integrè constat ex suppositionibus factis: quoniam vnitatem formalem entis consistere in quadam indistinctione entis in se suppositione 1. statutum est: nimirùm, in indistinctione, qua ens in se est indistinctum in plura talia, quale ipsum est, quâ ratione dicitur vnum, iuxta *suppos.* 2. huiusmodi autem indistinctionem entis in se (diuersam quidem ab indistinctione entis, vel à se, vel ab alio quopiam, iuxta *suppos.* 4.) duplicem esse, alteram negantem distinctionem positiuam: alteram negantem distinctionem negatiuam entis in se, constat ex *suppos.* 3. vbi etiam ex dictis alibi fusiùs statutum est; Primam in negatione quâdam consistere æquiualenter quidem vera respectu nostri: formaliter tamen à nobis ficta. Secundam in identitate positiua entis in se concepta per modum negationis sui contradictorij: atque adeò ferente secum quandam negationem rationis supposititiam. Liquet ergo ex suppositionibus factis integra propositio.

14 Per quam quidem vnam quodammodo veniunt componendæ duæ commemoratæ, oppositæque Doctorum sententiæ, quarum altera in aliquo negatiuo, altera in aliquo positiuo ponit vnitatem, quam vnum dicitur addere supra ens. Etenim S. Th. per negationem rationis, quam nos suppositiam vocamus, complet conceptum vnitatis, de quo non negat nihilominus; sed potius supponit esse quid positiuum. Loquitur enim de vnitate consistente in indistinctione oppositâ distinctioni negatiuæ entis in se; quæ nequit non esse quædam identitas entis in se, vt constat ex dictis; atque ita *in* 1. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 1. post verba recitata à nobis *suprà n.* 5. addit. *Vnde dico, quòd negatio ista, in qua perficitur ratio vnitatis, non est nisi negatio rationis tantùm. Omnis enim respectus, qui est entis ad negationem, vel ad non ens, non est nisi rationis; vnde relatio, qua refertur ens ad non ens, non est nisi tantùm in ratione: & similiter priuatio, qua de ente negatur non ens est in ratione tantùm, vt priuatio priuationis, vel negatio negationis.* Quod etiam repetit *in respons. ad* 2. Cui sententiæ non refragantur Vazq. & sui: Fatentur enim, id positiuum, in quo vnitatem entis ponunt, concipi per modum negationis, quod ipsum est ferre secum negationem dictam rationis suppositiam. Soar. verò, & alij qui censent, in quâdam negatione reali constituendam esse vnitatem, loquuntur de vnitate consistente in indiuisione oppositâ distinctioni positiuæ entis in se, quæ vnitas, quædam negatio est; æquiualenter quidem realis; sed ficta formaliter, vt nos censemus.

15 Dixi autem in propositione, vnitatem potiùs subiecto, quod vnum dicitur, quàm enti superaddi; quia ens, & vnum duo concreta metaphysica sunt vnicum tantùm subiectum habentia; cui proindè amborum concretorum formæ superadduntur ad ipsa concreta cõponenda, vt constat ex generali doctrinâ

ctrinâ traditâ *disp. 9. q. 1. & 2.* concreti autem secundi forma vnitas est.

16 Iam verò, ex dictis colligitur primò contra Petrum Hurtad. *suprà*, vnitatem entis compositi nullatenus in vnione partium eius consistere, vt ipse putat: fieret enim inde, vt aggregatum, quorum partes non sunt vnitæ nullatenus posset dici vnum. Tum, vnitas entis compositi, & vnitas entis simplicis non essent eiusdem rationis; proindéque, quæ conueniunt in ratione entis, in ratione vnius non conueniunt. Tum denique, vnitas entis vniuersè non esset indiuisio, siue indistinctio entis in se. Quæ omnia plane falsa esse, & contra omnes constat ex dictis.

17 Secundò colligitur, vnitatem. quæ transcendentalis, & passio entis appellatur, & vnitatem, quæ numerica, & principium numeri dici solet, eatenus solùm differre, quatenus secunda supra primam addit respectum mensuræ ad mensuratum, & partis ad totum. Numerus quippe vnitate, seu potiùs vno mensuratur, ex pluribúsque vnitatibus, seu potiùs ex pluribus vnis compositus est. Vtrum autem ex solis vnis quantis quantitate continuâ coalescat numerus, qui est species quantitatis discretæ, vt volunt aliqui Thomistæ; an potiùs ex quibusvis vnis etiam non quantis, vt volunt alij *suo loco* à nobis dicetur. Videantur interim Soar. *disp. 3. Metaph.* & Vasq. *1. part. disput. 128. & 129.* Quomodo verò differat transcendentalis vnitas ab vnitate singulari, quæ etiam dicitur numerica, iuxta illud Aristot. *lib 3. Metaph. text. 14. Singulare dicimus, quod vnum numero est.* in sequentibus explicabitur.

18 Tertiò colligitur, inter prædicata, quæ passiones entis dicuntur priorem esse ratione nostrâ distinctionem, quam vnitatem, quâ prioritate id, quod negatur prius est conceptione nostrâ negatione, per quam negatur; siquidem, vnitas negationem distinctionis præ se fert in suo conceptu, provt explicatum est.

19 Quartò colligitur, vnum, & multa quodammodo contrariè, & quodammodo priuatiuè, siue contradictoriè opponi, provt videtur docere Aristot. *lib. 10. Metaph. c. 5.* fundamentaliter enim sumpta contrariè opponuntur; cùm sint vt sic tam vnum, quàm multa extrema quædam positiua, vt constat ex dictis; sumpta verò formaliter tanquam negatio quædam, & id, quod per illam negatur, opponenda veniunt, siquidem, vnitas, indistinctio, atque adeo negatio quædam est, siue remotio distinctionis entis in se. Qua ratione est satis, superque *in superioribus* explicatum.

20 Restat iam; vt pro secunda quæstionis parte dicamus, quotuplex sit vnum, & vnitas. Aristoteles *lib. 5. Metaph. cap. 6.* Vnum diuisit in vnum per se, & vnum per accidens, nonnullâque vtriusque exhibuit exempla. Ex quibus apparet, vnum per accidens ab Aristotele appellari quodvis concretum adiectiuum dicens in recto subiectum, & formam in obliquo, vt album, musicum, iustum, & similia: cùm enim talis formæ talis subiecti accidens sit, quodcumque huic ab illâ prouenit per accidens dicitur ei conuenire; atque ita provt illam habens, quo pacto concretum est adiectiuum, ens per accidens esse dicitur, haberéque essentiam per accidens, provt ex eodem Aristotele à nobis explicatum est *suprà disputat. 9. quæst. 2.* Vnde similiter factum est, vt vnum per accidens dicatur. Et hæc est genuina, Aristotelicáque appellatio entis, & vnius per accidens, quidquid nonnulli contradicant; iuxta quam ens per se venit appellandum quidquid vel quidpiam simplex est, vel si est compositum non adiectiuè, sed substantiuè capitur; sumptis videlicet omnibus partibus eius ex æquo, & directè, quo pacto, vt est ens per se; essentiamque per se habere dicitur sicuti vidimus *loco citato*, quantumvis sit aggregatum coalescens ex pluribus casu, & fortuitò concurrentibus; vel vt cumulus lapidum; ita etiam vnum per se dicendum est, quod planè significauit Aristoteles *loco citato*, dum in exemplum vnius per se attulit fascem vinculo colligatum, & ligna conglutinata visco; si verò, cuipiam nihilominus visum fuerit, aggregatum coalescens ex pluribus casu concurrentibus citra omnem naturalem, aut etiam moralem connexionem eo titulo vnum per accidens dici debere, non multum renuam: quia dissidium de solo modo loquendi est, quod, re intellectâ, parum interest.

Deinde, diuiditur vnum in simplex, & compositum. Simplex est, quod expers partibus, atque adeo penitus indiuisibile est. Compositum, quod ex partibus quoquo modo coalescit. Quod rursus, tot diuisionibus, quot totum diuidendum venit, de quibus *infrà suo loco* nobis agendum est. 21

Præterea vnum aliud vnitate reali tale est, aliud vnitate rationis; vnitas autem rationis, tum supposititia, tum etiam ficta potest esse iuxta doctrinam generalem datam *suprà disputat. 12.* & aliàs sæpè commemoratam: supposititia autem vnitas, aut vniuersalitatis, aut collectionis, aut disiunctionis esse potest iuxta doctrinam datam etiam *disp. 2. quæst. 3. sect. 5.* de quâ iterum redibit sermo *infrà quæst. 8.* 22

Denique, vnum in vagum, & determinatum diuidi potest. Vagum dicitur, quod, cùm sit vnum ex suo conceptu, per plura tamen disiunctiuè vagatur, de pluribúsve disiunctiuè dicendum, siue verificandum venit: vt aliquis homo de Petro, vel Ioanne, vel Francisco, vel alio quouis, omnibus reliquis sub disiunctione pariter recensitis. Vnde, vnitas constituens vnum vagum illa vnitas rationis est, quam disiunctionis nuper diximus: quia à parte rei non datur quidpiam vagum, aut disiunctiuum vt satis ex se notum est, & ex dictis *disputat. 10.* satis conspicuum. Vnum autem determinatum est quodlibet aliud, quod non est vagum; atque adeo tum essentiam, tum vnitatem habet assignabilem determinatè, seu citra disiunctionem. 23

QVÆSTIO II.

Quid sit multitudo, quid multa, & quotuplicia.

EX *quæst. 1.* constat, ea venire dicenda multa, quæ in se sunt distincta, siue inter se; quatenus talia, vel, vt definiunt alij cum Arist. *lib. 10. Metaph. text. 9.* ea quæ in se diuisa sunt; sumptâ nimirum diuisione pro distinctione, iuxta *ibi* notatâ. Etenim, cùm vnum, & multa opposita sint, eo ipso, quo vnum est indistinctum in se, quatenus tale, provt explicuimus ibidem, consequens est, vt multa sint distincta in se quatenus talia; multitudo autem iuxta vulgatam huius nominis acceptionem, nihil est aliud ab aggregato multorum vt constat. 24

25 Sed dubitari hic solet primò: an ad rationem multitudinis, siue multorum, sit necessarium, quòd quoduis eorum sit in se vnum. Censeo, non esse: quia hoc ipso, quòd quæuis extrema sint inter se distincta sunt multa, siue sit quoduis eorum vnum, siue etiam multa. Vnde multò minùs necesse erit, quòd concipiatur vnum formaliter quoduis eorum extremorum, ex quibus multitudo coalescit. Potest enim vnumquodque concipi distinctum à reliquis; atque adeò cum illis faciens multa, quin concipiatur indistinctum in se; atque adeò formaliter vnum, vt satis ex se est notum.

26 Secundò dubitari solet: an in conceptu multitudinis, siue multorum aliqua negatio inuoluatur præter extrema positiua, quæ multa dicuntur? Affirmat Soar. *disp. 4. Met. sec. 6. & lib. 1. de Trinit. cap. 10.* cum aliis. Negat Vazq. *1. p. disp. 129.* etiam cum aliis. Ego eos compono dicens. Si per multitudinem, siue multa intelligamus distincta in se distinctione positiuâ, multitudo, & multa nullam negationem inuoluent: inuoluent tamen, si intelligamus distincta in se distinctione negatiuâ. Quid autem vtraque hæc distinctio sit, *num. 17.* tetigimus & latiùs explicuimus *suprà disp. 13. q. 1. & 2.* recognoscantur *ibi* dicta. Quòd si multitudinem concipiamus, significemúsque per negationem vnitatis, vt fieri potest, dicentes, ea multa esse, quæ non sunt vnum (quoduis enim oppositorum citrà medium per negationem alterius exponi potest, & sæpè solet, vt *alibi* dictum) tunc in conceptu multitudinis negatio quædam vnitatis inuoluetur, vt constat. An autem talis negatio realis sit, vel potiùs rationis, eaque vel supposititia, vel ficta; ex dictis *q. præced.* facilè quisque potest colligere. Id namque pendet ex naturâ vnitatis per eam negatæ, quam *ibi* distinctè explicuimus.

27 Tertiò dubitari solet: an vnitas vnicè, & determinatè sit passio entis; an potiùs vnitas, vel pluralitas sub disiunctione, omissis variis modis dicendi, suppono contra Vazq. *1. p. disp. 128. c. 3.* vni enti, & pluribus, quà talibus, rationem communem entis dari non posse: quia vnum, & multa, quà talia aut sunt ex suo conceptu dissimilia, aut saltem inæqualia, proindéque in vnum conceptum communem coire non possunt, iuxta dicenda *infrà q. 8.* Id quod ipsa vocabula manifestant, nam *ens* significat vnum, *entia* autem multa; nec datur tertium significans conceptum communem. Quod si infinitiuum *esse*: tum de vno, dum de multis dicitur; id sanè æquiuocè fit, significat enim vnum actum essendi, cùm dicitur de vno subiecto, multos autem, cùm dicitur de multis; nunquam autem quidpiam commune vni, & multis, propter rationem dictam. Hinc fit primò, vnitatem, vel pluralitatem sub distinctione non posse esse passionem entis præscindentis ab vno, & multis: quia tale ens non datur. Secundò, entis per nomen *ens* in singulari significati vnicè, & determinatè esse passionem vnitatem. Tertiò, entium per nomen *entia* in plurali significatorum passionem esse pluralitatem, hoc est, distinctionem in se, à quâ habent talia entia esse plura formaliter, iuxta dicta.

28 Iam verò multa aut realiter, aut solùm per rationem talia esse possunt, multa realiter sunt, quæ inter se realiter distincta sunt: multa verò solùm per rationem, quæ solâ ratione sunt distincta inter se; quocirca multa per rationem tot diuisionibus diuidi possunt, quot distinctio rationis, de quibus iam actum est *supra disp. 12. & 13.*

Multitudo autem alia est finita, alia infinita. 29
Finita, quæ numerando successiuè finiri potest: infinita, quæ secùs: Vnde, multitudo finita, & numerus in idem recidunt: *numerus etenim est multitudo vno mensurabilis*, vt definit Arist. *lib. 10. Met. text. 21.* qualis est etiam omnis multitudo finita; vnum quippè aliquoties sumptum, ac successiuè repetitum metiri potest quemuis numerum, quamuisque multitudinem finitam; cùm tamen multitudo infinita ita mensurari vno non possit, cùm sit omnino successiuè; atque ideo numerus non est. Ex quo patet, multitudinem vniuersè sumptam quasi genus esse numeri, & multitudinis, quæ non est numerus, vt expressit Aristot. *loco citato.*

Aduerto, ad extremum huius quæstionis, tametsi 30
negationes entium sint à parte rei merè nihil nostro modo eas concipiendi, & per quamdam æquiualentiam suam vnitatem, aut pluralitatem habere, vt suum esse habent, iuxta doctrinam stabilitam *disp. 9. q. 3.* dicitur autem esse vna negatio, quæ vnius entis remotio est, plures autem, quæ plurium, vt ex dicendis ampliùs constabit.

QVÆSTIO III.

Quænam propositiones euidentes, aut alias certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

DIco, elici, quæ sequuntur. 31

Propositio 1.

Quod semel est vnum, semper, & necessariò est 32
vnum, & quæ semel sunt plura, semper, & necessariò sunt plura.

Est euidens ex ipsis terminis; cùm constet, vnitatem, & pluralitatem reales, de quibus solùm est sermo in propositione, ex prædicatis omnino necessariis esse subiectorum, quibus conueniunt, vt sunt identitas, & distinctio, in quibus fundantur.

Propositio 2.

Vnum, quâ ratione est vnum esse plura, aut 33
plura, quâ ratione sunt plura esse vnum impossibile est.

Quia vnitas, & pluralitas sub eâdem ratione penitus sunt oppositæ, vt constat, æquè, ac identitas, & distinctio; sic nec vnus homo potest esse plures homines, nec plures homines possunt esse vnus homo, &c. Habet autem propositio locum suâ seruatâ proportione, tam in vnitate, & pluralitate rationis, quàm in vnitate, & pluralitate reali. Vtrique enim inuicem æquè opponuntur, vt etiam constat.

Propositio

Propositio 3.

34 Vnitas, & pluralitas rerum ad earum essentiam Physicam spectat intrinsecè.

Sicut earum identitas, & distinctio, in quibus fundantur, iuxta *prop.* 8. *datam disput.* 13. *quæst.* 3. in quam hæc recidit.

Propositio 4.

35 Vbicumque sunt res vna, vel plures, ibi esse vnitatem, vel pluralitatem earum necesse est.

Sicut earum identitatem, & distinctionem, iuxta fundantur, iuxta *propositr.* 9. eiusdem quæstionis, recidit.

Propositio 5.

36 Quæ alicubi sunt vnum, aut multa, vbicumque per se sint, erunt vnum, aut multa.

Hæc etiam recidit in *propositr.* 10. eiusdem quæstionis, eademque consectaria habet, ac illa. Recognoscantur.

Propositio 6.

37 Vbicumque sunt multa, ibi esse vnum necesse est, non tamen è conuerso.

Quia multitudo ex vnitatibus componitur: vbicumque autem est compositum, ibi esse aliquam eius partem omnino est necessarium; sed non vice versâ, vt est notum.

Propositio 7.

38 Multitudo cum vnitate in se inclusa connexa est non mutuò, atque adeò posterior illa suâ naturâ in serie connexionis.

Prior pars propositionis ex præcedente, & ex se constat: quia multitudo sine vnitate in se inclusa esse non potest: vnitas verò, bene esse potest sine multitudine, nisi cum aliis vnitatibus multitudinem componentibus sit connexa. Quod causale, siue accidentarium erit ad rem: posterior autem pars ex dictis *disp.* 15. manifesta est.

Propositio 8.

39 Vnum, & multa contrariè citra medium opposita sunt.

Quia plane sunt extrema opposita, iuxta *propos.* 2. & non contradictoria, siquidem aliud alterius negatio non est. Sunt ergo opposita contrariè; Citra medium autem; quia impossibile est quidpiam esse, quin sit vnum, aut multa, atque hæc impræsentiarum sint satis: quia de terminis huius disputationis mixtis cum aliis plura iam in præcedentibus dicta sunt.

QVÆSTIO IV.

Quid sit vniuersale.

40 QVatuor potissimum modis solet vox *vniuersale* vsurpari. Primò pro vniuersali in causando, quale est causa aut ad omnes; aut ad plerosque effectus concurrens, vt Deus, cœli, planetæ, & cæteræ huiusmodi. Secundò pro vniuersali in significando, quale est vox ad plura significanda se extendens, vti istæ, *viuens*, *animal*, *homo*, & similes. Tertiò pro vniuersali in repræsentando, quale est cognitio humana voci vniuersali respondens, & eadem plura, quæ talis vox significat, eodémque modo repræsentans. Quartò denique pro vniuersali in prædicando, aut etiam in essendo, quale est conceptus obiectiuus per cognitionem vniuersalem cognitus, per vocémque vniuersalem significatus. Ergo in præsenti de vniuersali hoc quarto modo vsurpato nobis sermo est.

Quod sic definit Aristoteles lib. 7. Metaphysicæ, 41
cap. 13. text. 45. *Hoc enim dicitur vniuersale, quod pluribus ineſſe natum est.* Et *lib.* 1. *Periherm. cap.* 5. ita habet. *Dico autem vniuersale, quod de pluribus natum est prædicari, singulare verò, quod non vt homo quidem vniuersale est, Plato verò eorum, quæ singularia sunt.* & lib. 1. Post. cap. 8. *Tamen verum est dicere necessariò, vnum esse de pluribus prædicandum. Nam si id non sit vniuersale sanè non erit. Esse igitur vnum quid oportet, idemque de pluribus non solum communi nomine prædicandum.* Et *lib.* 2. *Post. cap. vlt.* Loquens de vniuersali ait: *Quod est vnum præter multa, quodque in omnibus illis vnum ineſt.* Denique *lib.* 1. *de part. animal. cap.* 4. dicit: *Quæ enim in pluribus insunt, hæc vniuersalia appellamus.* Ex quibus has duas definitiones vniuersalis desumunt Authores communiter. *Vniuersale est vnum potens esse in pluribus. Vniuersale & vnum potens prædicari de pluribus.* Quarum primam essentialem, secundam descriptiuam dicunt, quia prius est in naturâ vniuersali posse esse in pluribus siue eis conuenire, quàm posse prædicari de pluribus; atque ita primum essentia, secundum verò proprietas vniuersalis reputatur.

Igitur vniuersale ita est vnum conueniens plu- 42
ribus, vt formaliter, seu logicè idem reperiatur in singulis; tametsi realiter, seu physicè distinctum in singulis, multiplicatúmve inueniatur. Hoc enim præ se ferunt verba Aristotelis, & experientia manifestat. Eumdem quippe conceptum obiectiuum vendicat sibi in mente nostrâ, eâdemque subinde voce significatur animal abstractum ab homine, & bruto, atque in ipsis per eorum differentias contractum; tametsi animal hominis, & animal bruti sumpta seorsim tum ab se inuicem, tum ab animali communi vtrique realiter distincta sint. De quo plura in sequentibus. Itaque defectu vnitatis aggregatum plurium cum distinctione conceptorum non est vniuersale, etsi in plura ipsa diuisibile, seu multiplicabile sit. Defectu autem identitatis in singulis compositum physicum non est vniuersale, quia licet sit vnum, & multiplicabile in plura, nimirum in partes, ex quibus constat; non tamen ita vt maneat idem in singulis formaliter, seu logicè. Defectu denique multiplicationis in plura essentia diuina non est vniuersalis; tametsi vna sit, & conueniens pluribus, nempe tribus personis, eadémque manens in singulis.

De quo vltimo puncto vide plura apud Conimb. 43
in Præf. Porphyr. quæst. 8. *art.* 4. vbi censent casu, quod eadem albedo in multis subiectis poneretur, tametsi essent multa alba sumpta adiectiuè, conceptum tamen albi etiam adiectiuè vsurpatum, nequaquam fore vniuersale respectu talium subiectorum defectu multiplicationis formæ albedinis in eisdem. In hoc tamen mihi non placent, quia sat est ad vniuersalitatem concreti albi in casu dicto, quòd illud ratione subiecti realiter sit multi-

tipli

tiplicatum, vt verè est in eis, de quibus est prædicabile, nempe in subiectis multis prædictis. Dummodo enim conceptus per rationem vnus re ipsâ sit plura, vniuersalis vtique erit, vndecumque illi proueniat illa pluralitas.

44 Ex quibus manifestè apparet præter voces communes pluribus conceptus obiectiuos vniuersales per voces ipsas significatos, & à rebus indistinctos necessariò asserendos esse, vt perspicuè docet Aristoteles, tum suprà, tum aliis in locis, & cum eo S. Thom. cæteique omnes Scholastici contra quosdam paucos Nominales ponentes vniuersalitatem dumtaxat in vocibus, in quorum sententiâ refellendâ non immoror, vtpotè, quæ iam ab omnibus etiam Nominalibus, seu Nominalium quoad alia sectatoribus despecta protsus est. Videantur Conimbr. *in Præf. Porphyr. q. 1. art. 2.*

QVÆSTIO V.

Vtrum independenter ab operatione intellectus detur à parte rei vniuersale, aut aliqua vnitas multis communis; atque adeo minor vnitate numericâ, quâ vnum est in se quodvis singulare?

45 ARistoteles *lib. 1. Metaphysicæ, cap. 6. & lib. 7. cap. 8. & lib. 1. ethic. cap. 6. & alibi*, cui consentiunt S. Thom. 1 *part. quæst. 25. art. 1. & quæst. 84. art. 1.* & alij Scholastici, Platoni adscribit quamdam sententiam asserentem dari re ipsâ ante intellectus operationem naturas vniuersales præsertim specificas separatas à singularibus, & eis communes, vtpotè à quarum participatione ipsa singularia habent esse. Tametsi ab hac sententiâ tanquam absurda, tantóque Philosopho indigna multi conantur variis modis vindicare Platonem, vt sunt Iamblic. Apull. Eustra. S. Aug. & alij, de quo videantur Conimb. *in Præf. Porphyr. q. 1. art. 3.* Ouied. *contr. 3. Log. pun. 2.* & alij.

46 Secunda sententia, quam multi Thomistæ attribuunt Scoto *in 2. distinct. 3. q. 1. & 7. Metaphys. quæst. 18.* est, naturam pluribus communem formaliter ex naturâ rei esse distinctam à differentiis eorum, formalitérque subinde ex naturâ rei esse in se vnam ante intellectus operationem. Quo nihil videtur desiderari; quominus à parte rei independenter ab intellectu detur vniuersale. Cæterùm Merinero nobilis Scotista in Logicâ *cap. 1. de vniuers. disp. 2. quæst 1.* multis contendit demonstrare longè abfuisse Scotum ab istâ sententiâ; quod credo. Tametsi putem eam non longè abesse ab Scoti principiis. Nam vt distinctio formalis ex naturâ rei secundum Scotum cum identitate reali extremorum potest componi; ita è conuerso identitas, siue vnitas plurium formalis ex naturâ rei cum eorum distinctione reali bene posset componi. Bene ergo dici posset in Scoti principiis naturam humanam in omnibus, & singulis hominibus existentem non solùm esse distinctam formaliter ex naturâ rei ab eorum differentiis numericis, tametsi sit cum illis idem realiter (quod fatetur Scotus) sed etiam esse in se vnum quid multis commune formaliter ex naturâ rei, tametsi sit plura realiter. Sícque dari à parte rei vniuersale independenter ab intellectus operatione. Imò id tandem ab Scotistis necessariò fatendum esse, si volunt in suis principiis consequentiam seruare, latius probatum à nobis est suprà contra ipsos *disputat. 13. quæst. 5.* vbi de distinctione Scoticâ. Quo iure noster Fonseca *lib. 5. Metaph.* insistens vestigiis Scoti plane fatetur naturam specificam in signo quodam antecedente sui contractionem per differentias numericas vniuersalem esse ante omnem intellectus operationem, quia in eo signo habet vnitatem multis communem, atque adeo aptitudinem vniuersalis propriam, vt insit multis, & prædicetur de illis.

Sed verò Caiet. *cap. 4. de ente, & essentiâ, quæst. 6.* 47
paulò aliter intelligit, & sequitur Scotum, *vbi sup.* Cum quo etiam sentiunt Scotistæ Rada *tom. 2. contr. 3.* Merin. *suprà disputat. 1. quæst. 3.* & alij. Dicunt itaque naturam specificam in signo ante contractionem pet differentias numericas vnitatem quamdam negatiuam habere ante omnem intellectus operationem, in eo omnino consistentem, quòd talis natura pro tunc non est singularis; verùm non esse vniuersalem, quia ad vniuersalitatem requiritur vnitas positiua.

Reliqui tamen omnes Doctores tam Theologi, 48
quàm Philosophi vnanimiter asseuerant cum sancto Thoma *1. part. quæst. 29. artic. 7. & quæst. 85. art. 12.* Sæpéque alibi; ante operationem intellectus nullatenus dari vniuersale, aut vnitatem aliquam multis communem minorem vnitate numericâ.

Propositio 1.

Vniuersale illud Platoni adscriptum, de quo 49
num. 45. omnino chymericum est.

Primò, quia natura illa realiter à singularibus separata, & illis communis ex vnâ parte debet realiter esse ab illis distincta, quia ponitur realiter separata, aut separabilis ab ipsis: ex aliâ verò indistincta, quia ponitur communicabilis ipsis; siquidem natura specifica non aliter, quàm per identitatem communicatur indiuiduis. Quæ duo contradictoria sunt. Aut conuertendo. Natura specifica reperta in Petro realiter est idem cum ipso: ergo æquè repugnat eam, aut separabilem à Petro, aut aliis indiuiduis communem esse, atque repugnat Petrum aut à se ipso separabilem, aut aliis indiuiduis esse communem.

Secundò; aut illa natura realiter à singularibus 50
separata est quid increatum, aut quid creatum? Si quid increatum erit Deus, & consequenter Deus erit quid vniuersale per cætera entia contrahibile. Quod est ridiculum. Si verò quid creatum, id nequit non esse quid singulare per singularem actionem factum, vt cætera entia creata. Chymerica ergo est vndaquaque dicta natura realiter vniuersalis. Hæc satis in re comperta.

Propositio 2.

Natura specifica in nullo signo potest habere ex 51
naturâ rei vnitatem, quâ reddatur vna communis pluribus, atque adeò vniuersalis ante intellectus operationem.

Probatur: quia natura specifica nulla omnino distinctione distinguitur ex naturâ rei ante intellectus operationem à differentiis singularium, cum quibus realiter est idem, atque adeo in nullo signo potest ex naturâ rei esse sine talibus differentiis,

prout

provt opus erat, vt esset in illo indiuisa, seu non multiplicata per illas, & donsequenter vna communis pluribus, ac pro signo alio multiplicabilis per differentias ipsas. Porro naturam specificam nullatenus distingui ex natura rei ante intellectus operationem à differentiis numericis singularium, cum quibus est realiter idem, *disp. 13. q. 5.* citatis monstratum est, vbi contra Scotistas affatim est probatum, chymericam omninò esse distinctionem ex naturâ rei formalem, quam ipsi ponunt inter formalitates identificatas realiter, quæ quidem clariùs adhuc cernitur impossibilis inter prædicata transcendentia, & formalitates, quas dicuntur transcendere, qualis est indiuiduatio respectu omnium formalitatum cuiuscumque indiuidui. Semel tamen admissâ huiusmodi distinctione formali ex naturâ rei inter naturam specificam, & omnes indiuiduationes, cum quibus ea est idem realiter, consequenter ponit Fonseca naturam specificam vnam, & communicabilem pluribus ante intellectus operationem in aliquo signo antecedente ipsas indiuiduationes, non quidem vnitate reali (realiter enim talis natura semper est multiplex) sed vnitate formali ex natura rei, quæ cum multiplicitate, & distinctione reali compatibilis censenda est, iuxta doctrinam Scoti, vti cum identitate reali compatitur distinctio formalis ex naturâ rei, vt *suprà* dicebam. Quocirca dictâ distinctione naturæ ab indiuiduationibus semel suppositâ, male impugnatur communiter opinio Fonsecæ; modò tamen meum non est talibus impugnationibus repugnare; sat fuerit exhibuisse solidam subuertentem distinctionem Scoticam formalitatum, cui Fonsecæ opinio subnititur.

Propositio 3.

52 Vnitas negatiua, quam Caiet. & alij ponunt in naturâ specificâ ante intellectus operationem, etiam est impossibilis.

Quia supponit distinctionem formalem ex naturâ rei inter naturam specificam, & differentias singularium, cum quibus est idem, quam distinctionem esse chymericam statuimus. In quo ampliùs non oportet morari.

53 Quod si in naturâ specificâ nulla vnitas est reddens illam vniuersalem ante intellectus operationem, neque in genericâ, neque in differentiali, neque in accidentali erit, vt constat. Nullumque subinde erit vniuersale, quod per intellectum non fiat, vt fert sententia communis penè omnium Doctorum.

QVÆSTIO VI.

Qualis sit vnitas ab intellectu oriunda, quâ constituitur vniuersale? Qualis item aptitudo eius ad essendum in pluribus, & ad prædicandum de illis?

54 SVppono vt certum fere apud omnes contra Caiet. *in opusc. de ente, & essen. cap. 4. q. 6.* Sot. *q. 3. vniuersalium*, & Zumel *1. p. q. 13. art. 7.* vniuersale nequaquam fieri per operationem aliquam intellectus agentis: quia intellectus agens non est potentia cognoscitiua, sed productiua simul cum actu Phantasiæ specierum intelligibilium, provt *suprà disp. 1. q. 2. sub finem* expositum est: vniuersale autem solùm per potentiam cognoscitiuam valentem concipere plura vt vnum effici potest; qualis dumtaxat est intellectus possibilis. Quo autem sensu dici possit intellectus agens abstrahere à materiâ obiecta, quorum species causat, ibidem etiam est declaratum. Supposito itaque, quòd vniuersale, atque adeo vnitas, quâ constituitur, per intellectionem efficitur, Quærimus, qualiter, & qualiter illud aptum euadat inesse pluribus, ac prædicari de illis.

Prima sententia est Nominalium, & Recentio- 55
rum non præscindentium obiectiuè; qui censent tunc ab intellectu nostro effici vniuersale, quando ille vnicâ cognitione plura simul cognoscit, atque complectitur obiecta; adeo tamen confusè, vt eorum non discernat pluralitatem: perinde enim apparere ea plura per talem cognitionem, ac si essent vnum; non quidem, quòd vnitas aliqua ex parte eorum repræsentetur, sed quòd ipsa eorum pluralitas repræsentatur confusè, totâ confusione se habente ex parte cognitionis. Vnde concludunt vnitatem vniuersalis neutiquam esse quid cognitum per dictam cognitionem, aut ex parte obiecti se habens, sed esse cognitionem ipsam, à quâ dumtaxat plura illa confusè cognita extrinsecè denominantur vnum. Ita cum Nominalibus à se relatis Petr. Hurt. *disp. 5. Metaph.* Arriag. *disp. 6. Logicæ.* Ouid. *contr. 3. Logic.* & alij. Qui consequenter arbitrantur ab eâdem cognitione, à quâ vniuersale habet esse vnum, habere quoque esse commune pluribus, atque adeo aptum inesse illis, ac prædicari de illis, citra omnem aliam formam superadditam realem, vel rationis.

Communior tamen tum Thomistarum, tum cæ- 56
terorum, qui præcisiones obiectiuas aut expressè defendunt, aut indubitatè supponunt, sententia est, vniuersale per cognitionem fieri repræsentantem plura vt vnum vnitate quadam rationis ex parte obiecti se habente, per ipsamque cognitionem cognitâ. Plerique tamen censent, aut certè supponunt, huiusmodi vnitatem rationis, quâ vniuersale constituitur, fictitiam esse, sicut sunt in sententiâ eorum omnia entia rationis. Plerique item arbitrantur eiusmodi cognitionem repræsentantem plura vt vnum eo ipso esse abstractiuam, seu præcisiuam conceptus obiectiui adunati à differentiis singulorum, quibus ille conuenit; quasi nequeant plura sub vnico conceptu adunari nisi per cognitionem abstrahentem, seu præscindentem conceptum ipsum à differentiis singulorum. Quam abstractionem debere esse negatiuam nonnulli censent. Alij positiuam etiam admittunt, vt non minus idoneam ad vniuersale efficiendum. Iam verò aptitudo, quam vniuersale habet, vt sit in multis, & prædicetur de illis, ab omnibus pene Doctoribus huius factionis ponitur in respectu quodam rationis ipsius vniuersalis ad sua inferiora facto per cognitionem alteram comparatiuam. De quibus omnibus singillatim dicemus.

Propositio 1.

Vniuersale nullatenus constitui potest per cogni- 57
tionem attingentem plura confusè absque aliâ vnitate per ipsam cognitâ, & ex parte obiecti se habente, provt cum Nominalibus putant Recentiores nuper relati.

Probatur

Probatur primò. Quia nisi plura appareant vnum cognoscenti, non fit vniuersale, quantumuis ea per vnicam cognitionem tangantur, vt Aduersarij ipsi fatentur. Alioquin Deus, & alij intuentes per vnicam cognitionem plura vt plura tangentes, vniuersale compingerent, quod est absurdum. Sed impossibile est plura apparere vnum, nullâ ipsorum apparente vnitate, siquidem vnum ex suo conceptu per vnitatem constituitur, vt notum est: ergo vt fiat vniuersale, aliqua vnitas plurium debet ex parte obiecti se habere distincta à cognitione, quâ fit, & per illam cognita, reddénsque vnum plura ipsa, constituénsque subinde cum illis ipsum vniuersale. Dicunt; vt plura appareant vnum sat esse, quòd attingantur per cognitionem confusam non discernentem differentias. Sed contrà. Aut ista confusio cognitionis in causâ est, vt plura cum vnitate appareant, aut secus? si primum, ergo ex parte obiecti talis cognitionis est vnitas. Si secundum. Ergo plura non apparent per illam vnum, quia nequeunt apparere vnum sine vnitate.

58 Aliter tamen probo plane per nullam cognitionem nostram quantumvis obscuram posse iuxta Aduersariorum sententiam plura apparere nobis vnum, provt ipsi necessarium putant ad faciendum vniuersale. Quoniam iuxta Aduersariorum sententiam, quidquid ab intellectu nostro cognoscitur, quantumvis obscurè, in se immediatè, non verò in substituto alieno attingitur per cognitionem: Ergo quidquid ab intellectu nostro cognoscitur, quantumvis obscurè, id ipsum omnino, & non aliud est in mente nostrâ obiectiuè, quod est realiter in se. Est clarum; quia si res cognita aliud esset in mente nostrâ obiectiuè ab eo, quod realiter est in se, hoc aliud loco rei, non verò res in se immediatè tangeretur per cognitionem, contra suppositionem, vt constat. Pergo. Ergo impossibile omninò est, vt ea, quæ in se re ipsâ sunt plura, obiectiuè in mente nostrâ sint vnum, quantumvis obscurè cognoscantur, nam essent aliud in mente ab eo, quod sunt in se, vt est notissimum. Ergo, & vt nobis appareant vnum, quod est idem ac esse in mente nostrâ obiectiuè vnum. Recognosce *proposit.* 5. *suprà q.* 3. statutam, & *proposit.* 10 statutam *disputat.* 13. *quæst.* 3. Igitur iuxta Aduersariorum sententiam de modo cognoscendi nostro per nullam nostram cognitionem possunt plura apparere vnum, provt opus est, vt per illam vniuersale fiat, etiam in ipsorum sententiâ. Tota ergo eorum Philosophia, quod ad rem attinet, & sibi inconstans, & plane falsa est.

59 Sed dicet aliquis. Si duo alba in eodem loco penetrarentur, vnum ea apparerent oculis, etiamsi in se, & per proprias species cognoscerentur ab ipsis: ergo bene possunt plura apparere vnum, quantumvis in se cognoscantur. Respondeo in casu penetrationis duorum alborum fore, vt ea non vnum, sed duo apparerent oculis, vt probat ratio facta. Visio tamen eorum in vno loco in causâ esset, vt falleretur intellectus putans ea vnum esse; id tamen non fieret absque interuentu vnius phantasmatis ab intellectu vtente iam specie alienâ subrogati pro vtroque. Quemadmodum vnum album visum simul in duobus locis oculis quidem vnum est, quia in se ab ipso cognitum: tamen, quia sub præsentiâ duplici, intellectui inde decepto sæpè duplex apparet, non in se quidem iam, sed in phantasmate duplici substituto, provt dicebamus *disp.* 10. *quæst.* 9.

Secundo; si constituitur vnicè vniuersale per vnitatem cognitionis, ab eâque solâ plura cognita denominari possunt vnum, quin vlla alia vnitas obiectiua interueniat, quoties per vnicam cognitionem quantumvis claram plura attingantur, efficietur vniuersale; siquidem nec claritas detrahit, nec confusio addit aliquid vnitatis. Quod tamen contra omnes est absurdum. 60

Tertiò; distinctio rationis, quâ ab intellectu distinguuntur. quæ sunt realiter indistincta, nullatenus potest consistere in distinctione reali, quâ distinguuntur inter se cognitiones, quibus illa tanguntur, vt contrà eosdem Authores probaui *suprà dictâ disputatione* 13. *quæstione* 9. Ergo neque vnitas rationis, quâ ab intellectu adunantur, quæ realiter sunt distincta, in vnitate reali cognitionis, quâ cognoscuntur, potest vllo modò consistere. 61

Quartò; vniuersale ita debet esse vnum commune pluribus; vt idem formaliter, seu logicè reperiatur in singulis, provt *suprà quæstione prima*, ex Aristotele, & experientiâ statuimus; sed hoc cum sententiâ Aduersariorum constare non potest; quia neque plura confusè cognita reperiuntur in singulis, neque eadem cognitio confusa plurium potest ad singula terminari: Ergo cum sententiâ Aduersariorum vniuersale Aristotelicum, & verum non potest constare. 61

Quintò. Fundamentum necessarium, vt intellectus noster faciat vniuersale per adunationem plurium à suâ cognitione oriundam eorumdem plurium exacta similitudo est; vti fatentur omnes, & experientia manifestat, iuxta dicenda *infrà quæstione octaua*. Ob id enim à pluribus, quæ inter se dissimilia apparent, qualia sunt differentiæ omnes specificæ tum inter se, tum, cum generibus comparatæ; & alia huiusmodi obiecta, conceptum eisdem communem, atque adeo vniuersalem neutiquam abstrahere possumus, aut efformare. Ergo cum Aduersariorum sententiâ neutiquam possunt componi vniuersalia saltem generica. Probo consequentiam. Nam in Aduersariorum sententiâ ea plura, ex quibus erat abstrahendum, seu compingendum vniuersale genericum, neutiquam possunt nobis apparere exactè similia; quandoquidem neque apparent nobis præcisa, siue distincta obiectiuè à suis differentiis, de quibus est certum apparere nobis dissimiles, neque apparent nobis in substituto alieno, sed in se ipsis, quo pacto certum est etiam esse dissimilia inter se. Itaque in Aduersariorum sententiâ animal hominis idem conceptus est obiectiuus, ac rationale; & animal bruti idem ac irrationale; homoque integer indiuisim, vt est in se est in mente nostrâ obiectiuè, pariterque integrum brutum. Ergo eamdem dissimilitudinem habent in mente nostrâ obiectiuè animal hominis, & animal bruti, quam habent rationale, & irrationale, quamque re ipsâ inter se habent homo, & brutum: Ergo in sententiâ Aduersariorum nequaquam possumus defectu similitudinis requisitæ formare conceptum vniuersalem, atque genericum animalis communem homini, & bruto. Quod erat probandum. Recurrere autem ad connotata similia, tutum non est, vt multis monstrauimus in simili *disp.* 13 *q.* 9. Tum, quia sæpe numero prædicata generica non habent connotata similia. Tum, quia conceptus vniuersalis genericus non ex extrinsecis connotatis, sed ex prædicatis intrinsecis speciebus, & cum earum differentiis identificatis consurgit, vt satis ex se notum est.

Sextò.

Sextò. Ex dicendis circa sequentem hæc propositio confirmabitur.

Propositio 2.

64 Vnitas constituens vniuersale obiectiua est; ea nimirum, quam sortiuntur plura cognita, vt vnum ab vno phantasmate substituto, in quo ita cognoscuntur à nobis.

Hoc enim ipso, quòd cuncta cognita à nobis per species alienas, non in se ipsis, sed in phãtasmatibus sensibilibus, vt in quibusdã substitutis repræsentantur, prout latè monstrauimus *suprà disp. 2. q. 3.* vt ea, quæ re ipsâ sunt vnum, cognita in pluribus phantasmatibus multiplicata nobis apparent, atque adeo inter se distincta, vel præcisa obiectiuè; ita, quæ re ipsâ sunt plura, cognita in vnico phantasmate adunata nobis apparent, atque adeo obiectiuè, quod est vniuersale

65 Probatur autem hæc propositio, primò ex perspicuâ cohærentiâ, quam doctrina de modo nostro cognoscendi in substitutis alienis *q. illâ 3. traditâ* habet cum hoc puncto, & cum cæteris, quæ concernunt.

66 Secundò; quia nisi in substitutis alienis cognosceremus, quæ cognoscimus per species alienas, nequaquam possemus facere vniuersale, vt *dicta q. 3. conf. 4.* statuimus, insuperque modò probatur. Imprimis enim non possemus facere vniuersale extrinsecè constitutum per cognitionem absque vllâ vnitate rationis habente sed ex parte obiecti; eò quòd tale vniuersale prorsus repugnat, vt satis constat ex dictis *propositione 1.* sed neque possemus facere vniuersale constitutum vnitate obiectiuâ, quâ nobis plura apparerent vnum, quia cognoscentibus res in se ipsis, & non in substitutis alienis, vt nequeunt plura apparere ea, quæ sunt realiter vnum; proindéque nullam distinctionem rationis inter extrema identificata facere possunt, vt constat ex doctrinâ traditâ *disp. 13. q. 12.* ita neque unt apparere vnum, quæ realiter sunt plura, nulláque proinde vnitate rationis possunt plura inter se distincta adunari. Cuius vtriusque ratio à priori est, quam in *eadem q. 12.* atque etiam nuper *propositione 1.* exhibuimus, iuxta propositionem 5. haud dubiè euidentem *suprà q. 3.* statutam. Quia nimirum, quæ in se cognoscuntur, & non in substituto alieno, non possunt non esse apud cognoscentem, siue in eius mente obiectiuè id, quod re ipsâ sunt in se; atque ita non possunt esse obiectiuè in mente cognoscentis plura, quæ in se realiter sunt vnum, neque vnum, quæ in se sunt plura. Ex quibus patet idcircò nobis plura apparere vnum, cùm facimus vniuersale, quia ea à nobis non in se ipsis, sed in vno substituto phantasmate cognoscuntur, ac proinde vnitatem, quâ vniuersale à nobis factum in esse talis constituitur, aliam non esse ab eâ, quàm plura ipsa ab ipso phantasmate vno, in quo nobis apparent, obiectiuè in mente nostrâ sortiuntur, vt dicimus in propositione.

67 Quæ tandem inde tertiò probatur, quia cum doctrinâ eius bene cohærent quæcumque de naturâ vniuersalis tum Aristoteles, tum alij plerique Philosophi, duce experientiâ, conceperunt. Sit primum. Vniuersale ita esse vnum commune pluribus, vt idem ipsum formaliter, seu logicè reperiatur in singulis. Quod cum toto rigore euenit, dum intellectus noster idem phantasma sensibile subrogat ad concipiendum singula seorsim in statu contractionis, quod subrogarat ad concipienda omnia simul in statu abstractionis. Inde enim fit, vt licet plura, ex quibus vniuersale compingitur, à singulis seorsim acceptis, & ipsa singula ab se inuicem realiter, & physicè, & provt sunt in se, sint distincta, formaliter tamen; & logicè, & provt sunt in mente nostrâ obiectiuè distincta non sint. Itaque animal hominis, & animal bruti tum ab se inuicem, tum ab animali communi vtrique, atque adeo complectente vtrumque, realiter, & physicè in se ipsis distincta sunt; formaliter tamen, & logicè in phantasmate substituto, in quo nobis repræsentantur, vnum, & idem esse solent, atque ita idem, & eodem modo nobis apparent, vt experientia monstrat, eodemque propterea nomine significanda veniunt. Cæterum, quam. quam plerumque hæc ita eueniant, nihil est, quod vetet conceptum vniuersalem sæpe multiplicari à nobis in inferioribus etiam formaliter, & logicè secundum numerum dumtaxat, subrogatis scilicet, pro singulis, ex quibus coalescit, phantasmatibus distinctis numericè, sed exactè similibus: quo pacto nomina etiam eis respondentia numericè distincta esse solent. His tamen etiam in casibus idem conceptus communis pluribus dicitur reperiri in singulis non rigorosâ identitate, sed latâ, qualis exacta similitudo appellari solet, eo quod fundamentum est promptum identitatis, quam nuncupamus formalem, seu logicam, seu obiectiuam.

Secundum, quod omnes communiter circà vniuersalis structuram censent, est, vt intellectus concipiat plura vt vnum, atque ita faciat vniuersale necessarium omnino esse, quod ea appareant illi exactè similia. Quod tamen cum sententiâ non præscindentium, saltem quoad vniuersalia generica componi non potest, vt nuper monstrauimus. Cum nostrâ verò cohæret optimè, nam iuxta illam in singulis naturis specificis, quibus immediatè conuenit ratio generica, duas concipit intellectus noster rationes obiectiuè præcisas; alteram exactè similem in omnibus à similitudine exactâ phantasmatum substitutorum, & consequenter adunabilem ad constituendum vniuersale genericum: alteram in omnibus dissimilem à dissimilitudine pariter subrogatorum phantasmatum; & consequenter differentialem, & non adunabilem. e. g. animal hominis, & animal leonis omnino similia appareat nobis à similitudine omnimodâ phantasmatum substitutorum, & ideo vtrumque adunamus ad compingendum animal vniuersale, quod hominis, & leonis est genus: cùm tamen rationale hominis, & rugibile leonis dissimilia nobis appareant à dissimilitudine subrogatorum phantasmatum. Quòd si homo, & leo secundum totum, quod sunt, & in se ipsis, vti Aduersarij putant, conciperentur, non possent non apparere dissimiles, quo inadunabiles prorsus essent sub vno conceptu vtrique communi, atque adeò vniuersale genericum penitus pessum iret. Ex quo patet ad faciendum vniuersale genericum omninò necessarium esse præcisionem, quâ ratio generica ex parte obiecti à differentiis præscindatur. 68

Tertium, quod de vniuersali dicunt communiter Philosophi, est. Vniuersale per abstractionem fieri, quâ natura multis communis à differentiis singulorum abstrahitur. Quod in sententiâ non præscindentium obiectiuè locum non habet; benè tamen in nostrâ. Loquuntur enim Philosophi de abstractione propriè dictâ, quæ præcisio obiectiua est, vt nomen ipsum præse fert, eo quòd per hanc, 69

vt plurimùm, & regulariter fiunt vniuerſalia cuncta, & quædam eorum niſi per illam non poſſunt fieri, tametſi quædam alia poſſint per abſtractionem minus propriam, quæ non eſt præciſio obiectiua. Quod vt planè intelligatur, notandum eſt abſtractionem dici vniuersè in hac materiâ eum actum intellectus, per quem vt vnum concipiuntur, quæ re ipsâ ſunt plura; quæ duplex eſt. Propria & impropria. Propria, quæ eam rationem obiectiuam, formalitatémve, quam adunat, ex parte obiecti præſcindit ab aliis rationibus: abſtrahere quippè propriè præſcindere eſt. Impropria, quæ adunat ſolùm non præſcindendo; ſed complectendo ſuo conceptu omnes rationes obiectiuas rerum adunatarum. Vnde adunatio potius plurium, quàm abſtractio dici deberet; cùm tamen altera & adunatio ſit, & abſtractio. Quo iure ſatius fuerit dicere vniuerſale per adunationem plurium à nobis fieri; hanc autem aut abſtractiuam rationis adunatæ ab aliis, aut non abſtractiuam eſſe poſſe. Tametſi plerumque de facto interdúmque ex neceſſitate per abſtractiuam adunationem vniuerſale fiat. Etenim cùm differentia indiuidualis vltimata aliud non ſit à diſtinctione, quâ vnumquodque indiuiduorum ab aliis diſtinguitur, vt infrà oſtendemus, & hanc non reſpuat, ſed potiùs ſupponat ſimilitudo exacta plurium, in quâ fundatur vniuerſale ex illis per adunationem compactum, iuxta dicta *num. præced.* conficitur plura quæque indiuidua omnino ſimilia quoad totum, quod re ipsâ ſunt, nullâ relictâ formalitate, poſſe ab intellectu adunari, atque ita poſſe per adunationem non præciſiuam, ſeu non abſtractiuam vniuerſale fieri. Quod eueniet, ſi intellectus noſter pro eiuſmodi pluribus indiuiduis vnicum phantaſma ſubſtituat in ordine ad cognoſcendum totum, quod omnia illa, & ſingula re ipsâ ſunt; quo caſu nulla interueniet præciſio, vt conſtat ex doctrinâ traditâ *diſput. 2. quæſt. illâ 3. citatâ.* Quod ſimiliter euenire poteſt, dum vniuerſale accidentale ſumptum in concreto compingimus; cuius inferiora quoad totum, quod re ipsâ citrà omnem præciſionem poſſumus adunare ſub accidentali conceptu concretè ſumpto, vt ex dicendis in ſequentibus notum fiet. Regulariter tamen non videtur ita fieri à nobis vniuerſale ex pluribus indiuiduis, quantumuis omninò ſimilibus, ſed factâ præciſione obiectiua eius rationis, quæ adunatur à differentiis indiuidualibus; eò quòd dum intellectus vnicum phantaſma ſubſtituit pro cognoſcendis illis vno conceptu, regulariter non videtur tendere ex ſe vi principiorum, quibus mouetur, ad cognoſcendum talitates, ſeu differentias indiuiduales eorum, ſed tantum rationem ſpecificam; quo fit, vt hanc ab illis obiectiuè præſcindat, ſecundum doctrinam commemoratam nuper ex illâ quæſtione tertia. Cuius conſectarium quintum omnino ad rem videndum eſt. Pariterque videtur philoſophandum de vniuerſali accidentali etiam concretè accepto, vti regulariter fit, iuxtà dicenda infrà ſuo loco. Quomodo autem vniuerſale genericum ſine obiectiuâ præciſione rationis genericæ à differentiali niſi per adunationem abſtractiuam non poſſit fieri, ex dictis *num. præced.* conſtat. Similéque venit dicendum de vniuerſali differentiali, de aliiſque innominatis eſſentialibus vt condiſtinctis ab ſpecifico, provt ex dicendis in ſequentibus apparebit. Ex quibus omnibus palàm eſt, quod propoſuimus in præſenti, nempe vt plurimùm, & regulariter vniuerſalia cuncta fieri à nobis per adunationem abſtractiuam, & quædam eorum niſi per illam non poſſe fieri. Tametſi quædam alia poſſint per non abſtractiuam.

Quartum, quod de vniuerſali communiter exiſtimatur, & mihi videtur veriſſimum, eſt, illud ſolùm à cognoſcentibus abſtractiuè, ſiue per ſpecies alienas, non item à cognoſcentibus intuitiuè, ſiue per ſpecies proprias effici poſſe. Quod ſententiæ noſtræ præ cæteris clarè conſpicitur quadrare. Si enim cognoſcentes per ſpecies alienas, non in phantaſmatibus ſubſtitutis ſed in ipſiſmet immediatè attingerent obiecta cognita, non aliter vniuerſale, facerent quàm cognoſcendo, plura obſcurè, vt cum Nominalibus cenſent Recentiores ſuprà relati; cognoſcere autem plura obſcurè etiam cognoſcentibus per proprias ſpecies poteſt citrà dubium competere, quare & hi quoque poſſent vniuerſale facere contrà ſuppoſitam exiſtimationem communem Si tamen cognoſcentes per ſpecies alienas in phantaſmatibus ſubſtitutis cognoſcunt cuncta, vt nos cenſemus, atque adeò non aliter vniuerſale faciunt, quàm ſubſtituendo pro pluribus cognoſcendis ſimul vnum phantaſma; palam eſt nequaquam poſſe vniuerſale facere, qui cognoſcunt per proprias ſpecies; quia per proprias ſpecies nihil poteſt in ſubſtituto alieno cognoſci; cùm omnia cognoſcantur in ſe, vt eſt notum. 70

Propoſitio 3.

Vnitas conſtituens vniuerſale vnitas rationis 71
eſt non ficta, ſed ſuppoſitia, iuxta doctrinam ſuprà ſtatutam *diſp. 2. q. 3. conſect. 7.*

Nam vt conſtat ex propoſit. præced. vnitas conſtituens vniuerſale alia non eſt ab vnitate, quam plura cognita à nobis in vno phantaſmate ſubſtituto ab vnitate ipſius phantaſmatis ſortiri in mente noſtrâ dicuntur, quatenus in illo nobis vnum apparent, atque ita in mente noſtrâ obiectiuè vnum quid ſunt, tametſi in re ipsâ ſint plura. Huiuſmodi autem vnitatem ita eſſe vnitatem rationis, vt non fictitia ſit, ſed ſuppoſitia, ex doctrinâ illius conſect. 7. latiùs expoſitâ *diſp. 12.* conſtat, quæ ad rem recolenda, non repetenda eſt.

Hinc collige vniuerſale non conſiſtere in illo 72
phantaſmate ſenſibili, ſeu ſpectro, ſeu idolo præciſè ſumpto, quod intellectus noſter ſubrogat pro pluribus à ſe cognoſcendis, quando facit vniuerſale, vti nonnulli malè intelligentes ſententiam noſtram ſupponunt; quia huiuſmodi ſubſtitutum phantaſma, ſicut non eſt, quod abſolutè cognoſci dicitur, dum pro abſolutè cognoſcendis ſubrogatur, vt *q. illâ 3.* affatim explicuimus; ita abſolutè prædicari, aut poſſe prædicari de pluribus dici non poteſt, provt ad vniuerſale requiritur. Conſiſtit ergò vniuerſale in conceptu illo obiectiuo: qui ex pluribus cognitis vt vnum obiectiuè in mente noſtrâ compingitur, dum plura ipſa in vno ſubſtituto phantaſmate à nobis cognoſcuntur. De quo conceptu obiectiuo ſimpliciter, & abſolutè venit dicendum eſſe vnum quid commune pluribus, & prædicabile de illis, atque adeo vniuerſale.

Quæ autem contrà hanc, & præcedentes propoſitiones opponi poſſunt, abundè iam *q. 3. ſæpè illâ citatâ* diluta ſunt. 73

Pro

Propositio 4.

74 De potentiâ, quam vniuersale habet ad essendum in multis, & ad prædicandum de illis, perinde ac de aliis potentiis philosophandum est. Atque ita dicendum eam sumptam materialiter, & quasi physicè nihilo prorsus differre à fundamentis, vnde habet vniuersale denominari potens aut esse in multis, aut prædicari de illis; sumptam verò formaliter, seu logicè respectum quemdam rationis esse non fictum, sed supposititicium.

Pro cuius intelligentia notandum est pleraque potentias denominationes quasdam semiextrinsecas esse identificatas realiter partim cum subiecto, quod potens dicitur, partim cum possibilitate actus, partim cum aliis, quæ fundant eiusmodi denominationes. Quæ proinde sumptæ physicè, seu materialiter ab aggregato suorum fundamentorum non distinguuntur. Sumptæ verò logicè, seu formaliter actus quidam primi sunt ex conceptu suo, atque adeò respectus quidam inter subiectum, & terminum, iuxta doctrinam supra traditam *disputat. 2. quæstione 4.* & fusiùs *disputat. 8. quæstione 2. & sequentibus.* Sic potentia ignis ad comburendum realiter ab entitate ignis, & à possibilitate combustionis non differt. Formaliter tamen actus quidam primus est, quo ignis ad combustionem referri concipitur, eò quòd phantasma substitutum pro fundamentis talis actus è genere respectiuorum est. Quocirca respectus huiusmodi respectus rationis est non fictus, sed supposititicius, iuxta doctrinam sæpè citatam ex *disp. 2. q. 3.* atque ex *disp. 12.*

75 Similiter ergo potentia, quam habet vniuersale ad essendum in pluribus, materialiter, & quasi physicè nihilo differt ab eo conceptu obiectiuo, in quo vniuersale posuimus, & à possibilitate actus essendi in pluribus: formaliter verò, siue logicè actus quidam primus est ex conceptu suo, atque adeo respectus rationis non fictus, sed supposititicius, iuxta dicta. Pariterque philosophandum est de potentia, qua vniuersale potens est prædicari de pluribus quæquidem diuersa ab alterâ est vtpote terminata ad diuersum actum. Actus quippè vniuersali competens essendi in multis, & actus prædicandi de illis diuersi sunt, vt iam expono.

76 Etenim actus prædicandi de multis denominatio semiextrinseca est, quâ natura vniuersalis passiuè dicitur prædicari de multis, putà prædicatione verâ; cuius denominationis fundamenta sunt prædicatio actiua, siue mentalis consistens in iudicio intellectus, siue vocalis, quæ affirmatio vocalis est, & conuenientia realis quâ natura vniuersalis verè conuenit illis multis, de quibus prædicari dicitur. Qui quidem actus prædicationis passiuæ sumptus formaliter respectus rationis est non fictus, sed supposititicius. Sicut & cæteri actus extrinsecè, aut semiextrinsecè denominantes iuxta generalem doctrinam datam locis citatis.

77 Actus verò essendi in multis vniuersali competens nequit consistere vt quidam censent, generatim acceptus in identitate reali naturæ vniuersalis cum multis, quia vniuersale accidentale significabile per verbum non identificatur realiter cum eis multis, relatè ad quæ est vniuersale, & de quibus prædicabile est. vt cernitur in loquutione, cursu, & similibus prædicabilibus sic de multis. *Petrus loquitur. Ioannes loquitur. Franciscus loquitur. Petrus currit. Ioannes currit. Franciscus currit*, &c. Neque consistit, vt alij putant, in inclusione naturæ vniuersalis in multis, quia neque includitur in multis, respectu quorum vniuersale est, vniuersale accidentale prædictum, vt patet in exemplis datis. Consistit ergo in conuenientiâ, quâ omne vniuersale re ipsâ conuenit eis multis, de quibus vt de subiectis prædicatur, siue per identitatem, siue per adhæsionem, siue aliter eis conueniat. Perinde enim est posse vniuersale multis inesse, ac posse eis sic conuenire, vt verè de illis fit prædicabile.

Ita tamen vniuersale est potens esse in multis, 78
& prædicari de multis, vt licet formaliter, & logicè sumptum idem indiuisim possit, aut etiam soleat in singulis reperiri, iuxta dicta *numero 67.* physicè tamen, & materialiter acceptum non indiuisim, sed diuisim, seu distributim illis conueniat; pariterque proinde & eis inesse, & de eis prædicari possit, vt dicebamus *quæstione 4.* & omnes confitentur communiter. Itaque animal commune homini, leoni, & equo, animal hominis, & animal leonis, & animal equi, quæ realiter inter se distinguuntur, complectitur in suo conceptu. Proindeque dum talis conceptus homini, leoni, & equo figillatim tribuitur, sic distribuitur, seu diuiditur, vt homini animal hominis, leoni animal leonis, & equo animal equi solummodò tribuatur.

Superest notandum duplex à multis dialecticis 79
distingui hic vniuersale consentaneè ad doctrinam traditam, Metaphysicum scilicet, & logicum. Vniuersale metaphysicum dicunt naturam abstractam à differentiis inferiorum, ad vnumque subinde conceptum obiectiuum redactam: eò quòd proprium Metaphysicorum est ita considerare naturas, de quibus disputant aut tractant. Vniuersale autem logicum vocant naturam communem, prout potentem formaliter inesse multis, & prædicari de illis; quia ad logicos spectat naturam multis communem ad sua inferiora comparare. Vnde concludunt vniuersale metaphysicum constitui præcisè per vnitatem rationis cadentem suprà naturam re ipsâ multiplicem. Vniuersale autem logicum addere insuper potentiam formalem, quâ expressè ea natura adunata concipitur potens inesse multis, aut etiam prædicari de illis. Cæterùm his appellationibus non multùm est hærendum. Nam & vnitas rationis, quâ vniuersale metaphysicum constitui dicitur, vnitas logica, siue secunda intentio logica nuncupatur, ipsumque vnum totum logicum ad distinctionem totius physici, atque etiam metaphysici iure optimo dicitur. De quo alibi.

Postremò obseruandum est: vniuersale, quod- 80
cumque illud sit, bifariam vsurpari posse. Primò adiectiuè, siue, vt alij dicunt, pro subsituto, hoc est pro naturâ, vt subest vniuersalitati, siue vt eam connotans in obliquo. Secundò substantiuè, siue, vt dicunt alij, pro constituto: hoc est, pro composito dicente ex æquo & in recto naturam, & vniuersalitatem. Id, quod omnibus concretis ex subiecto, & formâ commune est, vt iam non semel in superioribus dictum reliquimus, præsertim *disput. 2. quæstione 4. & disp. 9. q. 1. & 2.*

Consectaria Præcedentis doctrinæ.

Consectarium 1.

81 In actuali contractione, quâ vniuersale contrahitur ad singula sua inferiora, siue per actualem prædicationem, siue per alium actum, non retinet eamdem vniuersalitatem, quam antea in suo statu abstractionis, siue adunationis habebat.

Sententia est communis, & satis constans ex dictis. Indeque declarari ampliùs, & confirmari potest. Quia qui dicit *Petrus est homo*, non identificat cum Petro omnem humanitatem contentam sub conceptu vniuersali hominis; sed aliquam. Et, qui dicit; *Homo est animal*, non identificat cum homine omnem animalitatem, quam animal vniuersale complectebatur anteà, sed aliquam; & in cæteris pariter. Alioquin omnes eiusmodi propositiones essent falsæ: quod est absurdum. Similiter, qui concipit hominem vt conuenientem soli Petro, aut animal vt conueniens soli homini, conceptus hominis, & animalis ampliores anteà contrahit, vt iam non omnem humanitatem, & omnem animalitatem, quam anteà, complectantur; sed aliquam; siquidem nec Petro omnis humanitas, nec homini omnis animalitas, sed aliqua solùm re verâ conuenit. Non ergo in actuali contractione retinet vniuersale eamdem vniuersalitatem quam in statu abstractionis, siue adunationis habebat.

82 Sed est aduertendum. Regulariter, & vt plurimum conceptum anteà vniuersalem per actualem contractionem non manere determinatum, sicut est conceptus subiecti, de quo prædicantur, sed vagum, eoque modo indifferentem ad alia subiecta, sicut & vox, quâ significatur, indifferens est. Ita enim euenit cùm dicimus. *Petrus est homo: Homo est animal*, qui est modus ordinarius contrahendi vniuersalia. Dico tamen *regulariter*, & *vt plurimùm*, quia interdum euenit oppositum. Vt cùm dicimus, *Petrus est hic homo: Homo est hoc animal*. Quam doctrinam latiùs expositam, & probatam reperies *suprà disp.* 2. *q.* 3. *consect.* 4. *circa medium.*

83 Quam autem vniuersalitatẽ habeat in actuali prædicatione conceptus, qui de subiecto vniuersali, seu distributo, seu non distributo prædicatur, *inferiùs disp.* 18. vidimus, vbi de terminorum suppositione sermo nobis sit.

Consectarium 2.

84 Vniuersale propriè dictum non est conceptus vagus complectens multa vagè, seu disiunctiuè hoc est, vnum, vel aliud, vel aliud sub disiunctione sed determinatus complectens multa determinatè.

Hoc consectarium contrà Petr. Hurt. est, docentem, seu supponentem oppositum *disp.* 5. *Metaph. sec.* 10. §. 157. & 175. sed illud tenent Arriag. *in log. disp.* 6. *sec.* 6. *subs.* 2. Ouied. *controu.* 3. *log. pun.* 8. & alij communiter. Probatur autem, non vt probat Ouied. quia per actum vagè attingentem plura, hoc est; vnum, vel aliud, vel aliud sub disiunctione necessariò debeant illa tangi vt distincta, non verò vt vnum. Hoc enim falsum est, quia dum intellectus noster in vnico subsituto phantasmate vagè cognoscit multa, vnum vtique apparent illa, vt experientia monstrat; sed quia conceptus vagus, seu disiunctiuus, qui per singularia vagatur, quâ talis est, non reputatur vniuersalis in communi existimatione. Ob id enim hęc propositio, *aliquis homo currit*, non vniuersalis, sed de subiecto vniuersali, sed particularis, seu de subiecto particulari ab omnibus reputatur, & dicitur. Cuius ratio à priori est, quia conceptus vniuersalis multa debet in se complecti, quibus per quamdam sui distributionem communis sit, vt ex superioribus liquet. At conceptus vagus prædictus vnum dumtaxat ex multis complectitur in se re verâ; tametsi, non determinatè; sed vagè, quo fit, vt ex illis omnibus quadamtenus communis sit non per distributionẽ, sed per disiunctionem. Quo iure si quis illum vniuersalem minus propriè per analogiam ad alterũ appellare voluerit, non multum renuam. Hoc tamen pacto vniuersale vsurpatum eamdem retinebit in actuali prædicatione vniuersalitatem, quam habebat anteà; vt ex dictis *consect.* 1. colligere est.

Consectarium 3.

Vniuersale tum per abstractionem negatiuam, 85
tum etiam per positiuam effici potest.

Abstractio, siue præcisio negatiua appellatur, quâ cognoscitur vna rei formalitas, ignoris aliis, cum quibus illa est idem. Abstractio verò positiua dicitur, quâ cognoscitur vna rei formalitas vt condistincta ab aliâ, vel aliis simul cognitis, cum quibus illa idem est. Ergo prior pars consectarij apud omnes est in confesso, qui præcisiones obiectiuas admittunt. (Qui enim negant impropriè solùm, & abusiuè dicere possunt; dicunt tamen per abstractionem negatiuam vniuersale fieri.) Et probatur, quia nihil vetat cognosci à nobis animal, e. g. vt vnum, atque commune multis, ignotis penitus differẽtiis rationalis, & irrationalis, cum quibus illud re ipsâ est idem, vt experientia docet. Quod est fieri à nobis vniuersale per abstractionem, seu præcisionem negatiuam.

Secunda verò pars consectarij non adeò est com- 86
munis. Negant enim illam nonnulli putantes, hoc ipso, quòd animal e.g. cognoscitur à nobis vt positiuè cõdistinctum à rationalitate hominis, à rugibilitate leonis & ab aliis huiuscemodi differentiis non posse non concipi contractum per differentias ipsas, atque adeo non vniuersale, quod est per abstractionem positiuam vniuersale fieri non posse. Fallũtur tamen, quia nihil prohibet concipere nos animal vt vnum, atque commune pluribus, quantumuis illud concipiamus positiuè distinctum à differentiis singulorum. Cùm enim animal hominis, & animal leonis, vt condistincta à rationali, & rugibili sint ex conceptu suo exactè similia, poterunt vtique vt sic condistincta à rationali, & rugibili sub vnico conceptu adunari, siue concipi vt vnum: Siquidem fundamentum adunationis plurium exacta eorum similitudo est. Quo fiet vt animal vnum commune pluribus appareat, simulque positiuè distinctum à differentiis singulorum. Quod est per positiuam abstractionem vniuersale fieri.

Ex quo patet ad contractionem naturæ aliàs vni- 87
uersalis auferentem, & impedientem eius vniuersalitatem non satis esse, quòd ea concipiatur vt positiuè condistinctè à differentiis inferiorum, in quibus ea reperitur, sed insuper esse necessarium, quod concipiatur in ipsis multiplicata, aut etiam determinata ad singula per coniunctionem: cum talibus differentiis, vt iam ampliùs declaro.

Con

Consectarium 4.

88 In contractione vniuersalis ad sua inferiora duo regulariter interueniunt; Nempe & multiplicatio obiectiua eorum, quæ prius apparebant vnum; & coniunctio obiectiua eorumdem cum differentiis ipsorum inferiorum, cum aliisve formalitatibus in illis repertis; interdum tamen primum inuenitur sine secundo.

Etenim tunc dicitur vniuersale contrahi ad sua inferiora, quando conceptus illis antea communis, eoque iure latiùs patens, quasi constringitur, seu coarctatur, atque limitatur in singulis. Id autem fit cum intellectus noster naturam antea vniuersalem multiplicatam, atque distinctam vti re ipsâ est, concipit in suis inferioribus, atque adeo etiam coniunctam cum inferiorum differentiis, cum aliisve formalitatibus in eis repertis, quando ab illis fuerat abstracta, siue præcisa, vti regulariter euenit. Quando enim natura re ipsâ multiplex per adunationem non abstractiuam, seu non præcisiuam facta fuerat vniuersalis, & euenire potest interdum, iuxta doctrinam suprà traditam n. 6. 9. tunc quidem ea per solam sui multiplicationem obiectiuam contrahenda venit citra omnem coniunctionem eius cum differentiis, formalitatibusve ab eâ præcisis, quæ in tali casu nullæ sunt. Itaque contrahere vniuersale genericum ad suas species, nihil est aliud, quam concipere illud multiplicatum in illis, coniunctumque cum illarum differentiis specificis. Pariterque de vniuersali differentiali, de aliisque essentialibus innominatis philosophandum est, iuxta inferiùs dicenda. Contrahere autem vniuersale specificum ad sua indiuidua similiter nihil est aliud regulariter, quàm concipere illud multiplicatum in illis, coniunctumque cum illorum differentiis numericis. Interdum tamen dumtaxat est concipere illud in indiuiduis multiplicatum citra omnem coniunctionem cum differentiis. Tantumdemque venit dicendum de contractione vniuersalium accidentalium in concreto sumptorum, vt ex dicendis apparebit.

Consectarium 5.

89 Natura abstracta ab vno indiuiduo, siue à differentiâ eius numericâ non est vniuersalis, neque vnitatem habet mediam inter vnitatem vniuersalis, & vnitatem singularis. Si autem abstrahatur à multis, vt fieri potest, quamuis sint eorum aliqua impossibilia, vniuersalis erit.

Prima pars huius consectarij eatenus est contra Petr. Hurt. *disp. 5. Metaph. sec. 9.* & Smiglecium *disp. 4. log. q. 4.* quatenus asserunt naturam abstractam ab vno indiuiduo, eo ipso ab omnibus, & pro omnibus esse abstractam, & consequenter vniuersalem esse. Eam autem ferè omnes alij communiter tenere videntur, & probatur. Quia natura abstracta ab vno indiuiduo eius indiuidui propria est: ergo nequit esse aliis communis. Tum de eo dumtaxat indiuiduo est prædicabilis, quia cum eo solo est re ipsâ identificata: ergo non est vniuersalis. Natura quippè vniuersalis, & communis pluribus, & prædicabilis plutibus esse debet, vt constat. Confirmatur, & declaratur. Quia natura vniuersalis ita est vna ratione nostrâ, vt re ipsâ sit plures; inde enim habet esse communem pluribus, & prædicabilem de pluribus, vt ex superiùs dictis satis est notum: sed natura abstracta ab vno indiuiduo re ipsâ non est plures, sed vnica: Ergo.

90 Sed arguunt Aduersarij primò. Natura abstracta ab vno indiuiduo cognoscitur sine vlla singularitate: Ergo abstrahitur ab omni singularitate, quia abstrahi ab aliquo, & cognosci sine illo idem est in præsenti: Ergo natura abstracta ab vnico indiuiduo, eo ipso est abstracta ab omnibus, atque adeo vniuersalis. Egregia æquiuocatio. Abstrahi vnum ab alio, provt ad præsentem rem attinet, non est vtcunque sine illo cognosci, sed cognosci sine illo suppositâ identitate reali amborum; alioquin, qui cognosceret integrum Petrum, nullo alio homine cognito, conceptum obiectiuum haberet abstractum à multis, & consequenter vniuersalem, quod est ridiculum. Igitur, qui abstrahit naturam ab vno indiuiduo, etsi eam absque vllâ singularitate sicut & absque vllo alio integro indiuiduo cognoscit; non tamen abstrahit illam à pluribus abstractione ad rem pertinente, idoneâque ad faciendum vniuersale.

Deinde arguunt. Qui abstrahit naturam ab vno 91
indiuiduo, non magis clarè cognoscit illud, quàm reliqua similia: Ergo cõfundit illud cum aliis: Ergo conceptum habet confuso quodam modo abstractum ab omnibus, atque adeo communem omnibus, & prædicabilem de omnibus. Et confirmari potest; quia aliàs ad faciendum vniuersale omnibus indiuiduis commune, ab omnibus expresè faciendа esset abstractio naturæ, quod videtur à praxi alienum, imò impossibile. Nemini enim possunt simul occurrere omnia indiuidua, vt ab illis naturam abstrahat.

Respondeo ad argumentum. Qui abstrahit na- 92
turam ab vno indiuiduo magis clarè cognoscere illud, quàm reliqua, quæ penitus ignorat; siquidem cognoscit illud quoad naturam cum præcisione à differentiâ, reliqua verò, quoad nihil cognoscit, vt supponimus. Et quamuis cognitio abstractiua naturæ vnius indiuidui à differentiâ eius confusa ob id quodammodo dici possit, sed non confusione confundente tale indiuiduum cum aliis, quo pacto confundi dicuntur, quæ per eamdem cognitionem, sed indistinctè, siue ignotâ ipsorum distinctione, attingũtur. Vnde abstrahens naturam ab vno tantum indiuiduo non habet conceptum vllomodò abstractum ab omnibus abstractione, de quâ hîc tractamus; atque adeo neq; communem omnibus; nec prædicabilem de illis. Ad confirmationem respondeo: ad faciendum mediâ abstractione vniuersale commune omnibus indiuiduis ab omnibus omnino debere naturam abstrahi. Ad hoc tamen non requiri, quòd omnia distinctè occurrant menti abstrahentis; sed sufficere occurant aliqua, aut etiam vnicum, vndemens excitetur ad concipiendum vno conceptu tum eorum, illiusve, tum omnium illis similium naturam cum præcisione à differentiis, quod non solùm possibile, sed praxi consentaneum est. De quo iterum redibit sermo *q.* 8.

Quod si vniuersale specificum, vt tale sit, pluribus 93
eget indiuiduis, ex quibus illud abstrahatur, siue adunetur; etiam vniuersale genericum egebit pluribus speciebus, & quodvis aliud vniuersale pluribus eorum inferiorum, respectu quorum vniuersale est.

Aduerto tamen Conimbr. *in Præf. Porph. q. 8. art. 3.* vbi punctum hoc tractant, asserere concre- 94
tum hoc *creator*, tametsi soli Deo conueniat, vniuersale esse, quia forma eius est creatio communis: sed mihi non placent, quia quidquid sit de formâ concreti, si illud in se nullomodò est multiplex, sed vnicum tantùm, vndecunque ei proueniat vnitas, & consequenter neque in mente nostrâ est vnum multis commune, atque adeò conueniens multis,

& prædicabile de illis, non potest esse vniuersale, vt ex definitione vniuersalis ab omnibus recepta constat.

95 Iam secunda pars consectarij aliàs communis contra vnum, aut alterum est sentientem oppositum. Probatur tamen; quia omnis vnitas aut constituit vnum commune pluribus communitate vniuersalis, aut constituit vnum non ita pluribus commune; non enim datur medium, cum sint extrema contradictoriè opposita. Si primum; est vnitas vniuersalis. Si secundum; vnitas singularis: Ergo vnitas media repugnat: Ergo vnitas naturæ abstractæ ab vno indiuiduo non media, sed singularis vnitas est.

96 Dices, præscinditur à singularitate: Ergo non manet ex suo conceptu vnitas singularis. Distinguo antecedens. Præscinditur à singularitate formali: concedo: fundamentali, siue reali: nego: & nego consequentiam; quia vt aliquid dicatur vnum vnitate singularis, sat est fit illud indistinctum ex conceptu suo à singularitate fundamentali, siue reali; eo ipso, quod singularitas ex prædicatis est transcendentibus omnes omninò formalitates cuiuscunque indiuidui, vt pluribus exponam inferiùs.

97 Denique tertia pars consectarij contra Petr. Hurt. Qui licet loco citato teneat naturam ab vnico indiuiduo abstractam vniuersalem esse, vt vidimus, requirit tamen ad id, vt talis naturæ plura indiuidua sint possibilia. Vnde *disp. 5. log. sect. 3.* enixè contendit casu, quòd aliqua species vnum dumtaxat habeat indiuiduum possibile, vt de speciebus Angelorum censent Thomistæ, neutiquam posse talem speciem vniuersalem esse. Cuius sententiæ etiam sunt Rub. *cap. de specie, q. 4.* Arriag. *disp. 7. log. subs. 2.* & alij Recentiores: sententiam tamen nostram tenent communiter Thomistæ cum Caiet. *1. p. q. 13. art. 9. §. Aduerta hic, & cap. 3. de ente, & essentiâ, & cap. de specie dub. 3.* Pro eâdemque Conimb. *in Præf. Porph. q. 8. art. 3.* referunt S. Th. Capr. Soncin. & alios. Qui cùm doceant singulas Angelorum species vnicum tantùm indiuiduum habere posse; censent nihilominus tales species vniuersales posse esse respectu talis indiuidui, & aliorum ratione nostrâ conceptibilium. Ratio autem huius sententiæ est, quia nihil est, quod vetet naturam chymericam aliquod ex conceptu suo obiectiuo prædicatum habere exactè simile, & æquale prædicato naturæ veræ, vt patet ex naturâ compactâ ex homine, & leone identificatis, quæ nequit non habere ex conceptu suo prædicatum hominis exactè simile, & æquale prædicato hominis veri: ergo neque erit quidpiam quod vetet prædicata illa exactè similia, & æqualia naturæ chymericæ, & naturæ veræ sub vnico conceptu adunari ab intellectu nostro, siquidem ad huiusmodi adunationem præter exactam similitudinem, & æqualitatem prædicatorum nihil aliud requiritur, vt vel ipsa experientia ostendit, constabitque ampliùs ex dicendis *infrà q. 8.* Talis igitur vnus conceptus talibus naturis veræ, & chymericæ communis erit, & prædicabilis de illis, vtpote ab ambabus abstractus, proindeque vniuersalis propriissimè, vt ex definitione constat.

98 Dices: vniuersale est potens esse in multis: Ergo debent illa multa esse posse, atque adeo esse possibilia, vt vniuersale re verâ sit potens esse in illis. Caue æquiuocationem. Distinguo antecedens: Vniuersale est potens esse in multis determinatè, & semper in statu absolutè existentiali, nego antecedens; est potens esse in multis vel in statu existentiali, vel in statu quiditatiuo, iisque vel absolutis, vel conditionatis, iuxta diuersas materias vniuersalitatis, concedo; & nego consequentiam. Quia etiam chymeris in statu quiditatiuo, aut etiam existentiali conditionato conueniunt sua prædicata vniuersalia, hæcque proinde concipi possunt vt potentia illis inesse; atque de illis prædicari intra huiusmodi status, vt est notissimum.

99 Deinde obiici potest. Ens rationis dicitur ens per analogiam tantùm ad ens reale: Ergo nequit dari conceptus vnus vniuersalis, & communis enti reali, & enti rationis: Hìc etiam æquiuocatio cauenda est. In ente enim rationis ficto duplex venit ratio entis considerandа; nimirum ratio entis ficti, & ratio entis intentionalis. Prima ex parte obiecti se habet, per actumque fingentem cognoscitur, realisque est ex genere, siue ex conceptu suo, provt reale intentionali opponitur tametsi sæpe non sit vera, quia sæpe non est in se, vt concipitur. Secunda per actum fingentem non cognoscitur, ab eo tamen desumitur, quatenus obiectum medio illo intentionaliter, seu obiectiuè dicitur esse, seu existere in mente cognoscentis, proindeque à potentiâ, quam habet ad sic intentionaliter existendum, ens intentionale, seu ens rationis appellatur, quæ ratio entis vera quidem est, non tamen realis, provt reale intentionali opponitur, sed intentionali, quia tale obiectum verè potest obiectiuè existere in mente cognoscentis, tametsi verè non possit existere in se à parte rei. De quo plura sunt dicta à nobis suprà *disp. 12.* Itaque ens impossibile duplici titulo dicitur ens. Primò, quia verè est potens existere intentionaliter in mente illud cognoscentis, & hoc pacto analogicè tantùm conuenit in solo nomine cum ente reali, quia potentia ad existendum intentionaliter, & potentia, ad existendum realiter non habent omnimodam similitudinem, vt in vnicum conceptum vniuersalem coire possint, sed aliqualem dumtaxat, quæ analogia dicitur. Secundò, vel quia verè est id, quod de suo est, ex suo conceptu obiectiuo: vel quia tametsi fictitiè, etiam est suo conceptu obiectiuo potens realiter existere similiter ac verum ens; tale enim à fingente concipi potest. Atque ita in vtrâque ratione entis vnicâ, vniuersali, & vniuocâ cum ente reali, & possibili potest conuenire. Pariterque in aliis rationibus obiectiuis, quæ præcisè spectatæ cum similitudine omnimodâ sunt in vtroque conceptibiles. Ex quo patet ad obiectionem. Quam quidem doctrinam, quia multi non animaduerterunt, ideo conceptus vniuersales, vniuocéque communes entibus realibus, & chymericis, abs iure tamen abnegarunt.

Consectarium 6.

100 Vniuersale, quod metaphysicum appellant, per adunationem naturæ re ipsâ multiplicis seu abstractiuam, seu non abstractiuam fit. Vniuersale autem logicum insuper per comparationem, qua natura adunata potens concipitur inesse multis, aut etiam prædicari de illis.

Vtraque pars communis est, & ex dictis in superioribus satis conspicua. Quod dubitant hìc aliqui, est: An comparatio, per quam fit vniuersale logicum, sit simplex aut composita; hoc est an sit apprehensio simplex, vel potius iudicium? Et quidem non esse iudicium, quo natura vniuersalis de suis inferioribus affirmatur, certum est apud omnes

omnes, contra nescio quos tacito nomine citat Rub. q.6. Quia per tale iudicium potius desinit esse vniuersalis natura, vt vidimus consect. 1. solùm ergo potest esse dubium de iudicio, quo iudicatur natura vniuersalis potens esse in multis, aut prædicari de illis.

101 Dico vniuersè per nullum iudicium nostrum effici vniuersale, aut aliquod aliud ens rationis seu supposititium, seu fictum. Quia cùm ad omne iudicium nostrum præsupponatur apprehensio simplex obiecti iudicati, vt *suprà disp. 2. q. 4 consect. 2.* statuimus; quando aliquod iudicium nostrum circà aliquod ens rationis versatur, iam præsupponit illud factum per præuiam apprehensionem, atque adeò non facit, vt pluribus explicatum est suprà *disp. 12.* vbi vidimus etiam, quomodo propter eumdem titulum, inter alios, per nullum actum voluntatis, alteriusve potentiæ appetitiuæ, vt præsupponentem cognitionem sui obiecti, aliquod ens rationis effici possit.

102 Quod autem neque à Deo, neque ab Angelis, neque ab alio quopiam cognoscente per species proprias possit vniuersale fieri ex dictis *in disp. citata*, atque etiam in præsente satis est notum.

Consectarium 7.

103 Potentia ad essendum in multis, quâ vniuersale logicum constitui dicitur, proprietas quædam est vniuersalis metaphysici, quemadmodum prædicabilitas, siue potentia vt prædicetur de multis, proprietas vniuersalis logici dici solet. Quæ subinde proprietas mediata erit vniuersalis metaphysici.

Ratio est; quia hoc ipso, quòd natura per adunationem ex multis facta est vna, atque adeo vniuersalis metaphysicè, consequenter euadit potens inesse eisdem multis, siue eis conuenire, vt conuenit prædicatum subiecto. Ad quod rursus consequitur, vt possit prædicari de illis, quod est potentiam dictam ad essendum in multis esse immediatam proprietatem vniuersalis metaphysici, mediatam autem eiusdem potentiam, vt prædicetur de multis, quæ propterea proprietas erit immediata vniuersalis logici, si hoc, vt ponimus, constituitur per illam ad essendum in multis.

Consectarium 8.

104 Eodem iure dicendum est proprietatem vniuersalis metaphysici esse subiicibilitatem respectu eorum, quæ de ipso possunt prædicari; atque adeo etiam præuiam potentiam, vt subsit illis tanquam subiectum prædicato.

Ratio conspicua est; quia quidquid à nobis est conceptibile, quemadmodum confestim à nobis est prædicabile de illis, quibus conuenit, vt subiectis; ita confestim quoque à nobis est subiicibile illis, quibus conuenit vt prædicatis; atque ita sicut citra prædicationem concipi potest inesse illis, quibus conuenit vt subiectis; ita pariter citra prædicationem concipi poterit subesse illis, quibus conuenit vt prædicatis, vt est notissimum: sed vniuersale metaphysicum à nobis conceptibile est, vt constat. Ergo.

105 Solùm dubitare quis poterit, quibusnam prædicatis sit subiicibile vniuersale, quorumnamve prædicatorum possit subiectum esse? Dico imprimis, prædicatione indirectâ iis omnibus subiicibile esse, de quibus prædicatione directâ prædicabile est: putà factis prædicationibus per verbum substantiuum *esse*, vt semper fieri possunt, tametsi sæpe etiam possint fieri per alia verba iuxta doctrinam suprà datam *disp. 2. q. 4. confes. 1.* Ratio est; quia cùm verbum *esse* substantiuum significet identitatem extremorum, quæ non potest non mutua esse, quidquid prædicatur verè de aliquo, eidem verè quoque subiici potest, saltem prædicatione indirectâ. Quænam autem prædicatio directa dicatur *q. illâ 4. citatâ* consect. 4. exposuimus. Itaque, quia homo e. g. de Petro, Ioanne, Francisco &c. directè prædicabile est ita, *Petrus est homo: Ioannes est homo: Franciscus est homo:* &c. idcirco eisdem est indirectè subiicibilis sic, *Homo est Petrus: Homo est Ioannes: Homo est Franciscus*, &c. Facta nimirum hominis contractione, eiusque vniuersalitate amissâ in his indirectis prædicationibus æque ac in illis directis, iuxta doctrinam paulò ante consect. 1. statutam. Ex quo patet, quomodò non minus sit proprietas vniuersalis posse subiici suis inferioribus indirectè, quam posse prædicari directè de illis.

Deinde prædicatione directâ iis omnibus præ- 106
dicatis est subiicibile vniuersale, quæ illi directè conueniunt, quæ multa esse solent essentialia, & accidentalia. e. g. homini conuenit directè esse animal, esse rationalem, esse admiratiuum, esse risibilem, esse diuersum à bruto, esse coloratum, esse quantum, esse relatum, esse alicubi, &c. quibus propterea prædicatis directè est homo subiicibilis. Esse tamen hominem directè his prædicatis subiicibilem non est proprietas eius in quantum vniuersalis (sicut esse indirectè subiicibilem Petro, Ioanne, & Francisco, &c.) sed in quantum hominis, eo quod per talem subiicibilitatem non est homo multiplicabilis in talia prædicata, (sicut per subiicibilitatem, quâ Petro, Ioanni, & Francisco, &c. subiici potest) ob id enim quoduis hominis indiuiduum nullatenus vniuersale eisdem prædicatis, eodemque modo directè subiicibile est. De Petro enim, non minus quàm de homine est prædicabile directè esse animal, esse rationalem, esse risibilem, &c.

Ex quibus patet ex eo, quod aliquid sit vnum 107
directè subiicibile pluribus, non esse vniuersale nisi sit in eis pluribus multiplicabile, nam quoduis indiuiduum est vnum directè subiicibile pluribus, iis scilicet omnibus prædicatis, cuius subiectum esse potest, nec tamen est vniuersalis defectu multiplicationis in illis. Quemadmodum neque ex eo, quod aliquid sit vnum directè de pluribus prædicabile, & vniuersale, nisi sit multiplicabile in ipsis pluribus, vt patet in vnâ, indiuiduâque essentiâ Dei directè de tribus personis prædicabili, in vnâque albedine positâ in pluribus subiectis, & prædicabili de illis.

Quod dubitari potest est. An sicut pleraque vni- 108
uersalia in quantum huiusmodi prædicabilia sunt directè de multis; eisdemque subinde indirectè subiicibilia, vt vidimus, aliquod sit possibile vniuersale, quod in quantum vniuersale, vice versâ, directè sit subiicibile multis, de eisdemque consequeretur indirectè tantùm prædicabile. Dico esse possibile. Tale enim est conceptus vniuersalis subiecti ad multa prædicata distincta inter se comparatus, quæ de illo possunt directè prædicari, mediâ eius multiplicatione, siue distributione, atque adeò contractione sic: *subiectum est album: subiectum est nigrum: subiectum est frigidum: subiectum est calidum*, &c. Quæ prædicationes directæ sunt, & de prædicatis distinctis. Quibus proinde subiectum

realiter multiplex, & per nostram rationem vnum per sui multiplicationem & contractionem directè subiicibile est, & indirectè prædicabile. Ita *Album est subiectum: Nigrum est subiectum: Frigidum est subiectum, &c.* Quo nihil desideratur, vt subiectum sic vsurpatum respectu talium prædicatorum vniuersale sit. Cui alia similia præterea absque dubio sunt possibilia, faciléque possent excogitari.

Consectarium 9.

109 De vniuersalitate negationum, seu carentiarum rerum perinde philosophandum est suâ proportione seruatâ, & per quamdam æquiualentiam, ac de vniuersalitate rerum ipsarum.

Nam licèt negationes rerum nihil omninò sint positiuè in se conceptibile, & adhæsiuè iudicabile, proindeque iudicium negatiuum rei non circà rei negationem per modum positionis, siue adhæsionis; sed circa rem ipsam per modum recessus, siue remotionis versetur, vt *suprà disput. 2. quæst. 4. proposit. 4.* statuimus, & latiùs *disput. 9. quæst. 3.* Cæterùm, quia, vt ibi etiam adnotauimus, nos in præsenti statu ad instar rerum in phantasmatibus substitutis negationes positiuè concipimus, de eisque vt sic positiuè, & adhæsiuè per æquiualentiam quamdam iudicia ferimus; perinde enim est apud nos iudicare. *Negatio Petri existit*, ac iudicare. *Petrus non existit.* Hoc imprimis pacto per quamdam etiam æquiualentiam de negationibus rerum perinde, atque de rebus ipsis poterimus philosophari, quod ad earum vniuersalitatem, & singularitatem attinet. Sicut enim ex hoc, & illo, & illo homine abstrahimus, siue adunamus rationem hominis ipsis communem, & specificam; ita ex hâc carentiâ hominis, & illâ, & illâ poterimus abstrahere, siue adunare rationem carentiæ hominis ipsis communem, & specificam. Et sicut ex homine, equo, & leone abstrahimus, & adunamus rationem animalis genericam; ita ex carentiis hominis, equi, & leonis poterimus abstrahere, & adunare rationem carentiæ animalis genericæ; & in cæteris pariter. Sicque per simplicem apprehensionem ante iudicij adhæsiui, seu positiui aduentum facimus vniuersalia negatiua, non aliter, ac positiua, iuxta dicta *consect. 6.*

110 Veruntamen, quia cùm procedimus per iudicia negatiua rerum, quibus iudicia positiua negationum rerum æquiualent, nulla negatio obiectiua à nobis concipitur, quia per apprehensiones præuias dumtaxat apprehenduntur, ac proponuntur ipsæ res, in quas eadem iudicium tendit per modum recessus, seu remotionis; idcirco in huiusmodi casibus nullum vniuersale negatiuum in rigore formamus, quod se habeat ex parte obiecti; illud tamen per quamdam etiam æquiualentiam poterimus dici formare, quando conceptus positiuus per apprehensionem propositus, & per iudicium negatiuum remotus vniuersalis est, taléque vniuersale negatiuum dicetur fieri, quale est conceptus ipse. Sic, qui iudicat nullum hominem existere, vniuersale negatiuum specificum, & qui iudicat nullum animal existere vniuersale negatiuum genericum, & qui iudicat nullum equum currere, vniuersale negatiuum accidentale dici poterunt fabricari; & in cæteris pariter.

111 Recole alia, quæ *supra* de vniuersali diximus *disput. 1. quæst. 3. in consectariis*, quibus ampliùs adhuc tibi innotescent natura, & affectiones eius. Quæ autem hic à multis logicis de prædicationibus actualibus scribuntur, supra etiam *disput. 2. quæstione 4. consectar. 3. & 4.* reperies exposita.

QVÆSTIO VII.

Quotuplex sit vniuersale?

112 VAriis modis potest vniuersale diuidi. Celebris tamen ille est, quo diuiditur in quantum prædicabile penes diuersas habitudines, quas potest habere ad subiecta, de quibus prædicabile est. Diuiditur autem vt sic primâ diuisione in duo membra: Secunda verò in septem omninò venit exactè diuidendum, quidquid Porphyr. & cæteri quique logici post ipsum diuiserint in quinque. Quæ rursus septem membra in alia plura possunt subdiuidi, & prorsus debent, vt in materiâ prædicabilium cum eâ distinctione, quâ par est, procedatur. Igitur,

Diuisio 1.

113 Vniuersale vt prædicabile aliud essentiale, aliud accidentale est.

Etenim, quod prædicatur de subiecto per verbum substantiuum *esse*, (vt omne vniuersale prædicari potest, iuxta doctrinam statutam *disputat. 2. quæst. 4. consect. 1.*) aut nihil adiicit suprà subiectum, sed vel totum ipsum, vel partem aliquam eius repetit, aut adiicit aliquid supra subiectum? Si primum. Prædicatum est subiecto essentiale. Si secundum, accidentale, sumpto vocabulo accidentis cum omni latitudine pro eo quod essentiæ adiicitur quoquo modo; affectioque essentiæ vniuersè solet vocari. Essentia enim subiecti dicitur (sicut & cuiusvis alterius conceptus obiectiui siue simplicis, siue compositi) id totum, quod subiectum est ex suo conceptu adæquato siue id, quod subiectum in essentiali prædicatione adæquatè sibi identificat per actum essendi substantiuum, qualem significat vnicè verbum *esse* substantiuè vsurpatum: idque siue subiectum sit simplex, siue compositum vel physicè, vel metaphysicè. Quamquam enim vox *essentia* primitùs actum essendi substantiuum significaret, quem verbum substantiuum *esse* significat tanquam nomen verbale eius; iam tamen non pro tali actu vsurpatur, sed pro conceptu medio ipso actu identificato subiecto, vt pluribus explicatum est suprà *disputat. 9. quæst. 1. & 2.*

114 Vbi essentiam sic vniuersè sumptam in quatuor primùm membra diuisimus; nempe in essentiam physicam, metaphysicam, transcendentalem, & logicam. Deindeque quamuis earum in essentiam per se; & in essentiam per accidens. Essentia per se physica est totum, quod res physicè est ex æquo, & directè. Essentia verò physica per accidens concretum adiectiuum est physicum constans ex subiecto in recto, & actu, seu forma in obliquo distinctis physicè, quod obiectum seorsim à formâ etiam dicetur essentia per se physica talis concreti. Essentia per se metaphysica est subiectum omnium actuum vnicuique rei conuenientium, & solâ tatione nostrâ à tali subiecto distinctorum. Essentia verò metaphysica per accidens concretum adiectiuum metaphysicum erit coalescens ex tali subiecto in recto, & ex talibus actibus, aut aliquo eorum in obliquo. Essentia transcendentalis est, quæ non solum

solum rebus, sed etiam formalitatibus omnibus conuenit, eritque per se, si totum suum conceptum dicit in recto. Per accidens autem, si partim in recto, & partim in obliquo. Denique essentiam logicam appellamus, quæ ex genere, & differentiâ composita est. De quibus vide plura loco citato. Hæc summatim retuli, vt notem doctrinam præsentis diuisionis in quauis harum essentiarum habere locum, quia quæuis potest poni ex parte subiecti, repetique ex parte prædicati aut sine additione, aut cum illâ. Itaque prædicatum, quod repetit totam subiecti essentiam quæcumque ex dictis sit, aut partem eius citra additionem essentiale dicitur. Quod autem vltra aliquid adiicit, accidentale.

Diuisio 2.

115 Vniuersale, seu prædicabile essentiale in quinque omnino: Accidentale verò in duo membra sequitur statim diuidendum diuisione immediatâ.

Nam prædicatum, quod nihil adiicit subiecto, vel repetit totum ipsum subiectum siue sub eodem siue sub diuerso conceptu; vel partem subiecti dumtaxat? Si totum; est prædicatum specificum quo prædicatur tota essentia. Si partem; aut illa est per alteram contrahibilis, & sic est prædicatum genericum; aut est alterius contractiua, & sic est prædicatum differentiale; aut neque contrahibilis per alteram, nec contractiua alterius, & sic est prædicatum anonymum; aut simul est contrahibilis per alteram & contractiua alterius, & sic est prædicatum mixtum ex differentiâ & genere. Quod etiam potest esse mixtum ex prædicato anonymo, & differentiâ, aut ex omnibus hisce tribus, vt paulò infrà exponam. Hasce tamen omnes mixtiones sub vniquo nomine vnius prædicati mixti comprehendimus. En itaque quinque imprimis species prædicatorum essentialium, quæ ex diuisione adæquatè provt oportet factâ resultant. Dicuntur autem, & sunt essentialia, quia primum est totae ssentia subiecti; reliqua partes intrinsecè constitutiuæ eiusdem essentiæ.

116 Prædicatum autem adiiciens aliquid subiecto; aut est necessarium subiecto, quia hoc cum illo connexum est, & accidens inseparabile, seu potius passio subiecti appellari solet; vel certè ita id distinctionis gratiâ expediet appellare vniuersè; aut est contingens subiecto, quia ita illi conuenit, vt possit non conuenire, & sic subiecti accidens seperabile, seu potius subiecti accidens absolutè dici solet, & debet, sumpto hoc vocabulo paulò strictiùs, quàm antea, pro additamento scilicet essentiæ non necessario.

Diuisio 3.

117 Rursus quoduis ex quinque prædicatis essentialibus recensitis in duo membra est diuidendum. Quoduis autem ex duobus accidentalibus in alia duo immediatè: mediatè autem suo ordine in alia plura.

Quando enim essentia subiecti est composita ex partibus seorsim de subiecto ipso prædicabilibus, vti plerumque fit, hæc compositio aut physica, siue realis, aut metaphysica, siue rationis esse potest, iuxta quam differentiam singula dictorum prædicatorum duo membra subeant. Atque ita prædicata, siue prædicabilia essentialia decem omnino sunt. Et quinque quidem metaphysica; quinque autem alia physica dici poterunt.

Iam verò tam passio subiecti, quàm accidens (quæ sunt duo commemorata prædicabilia accidentalia) aut conuenit huic soli subiecto, & non aliis: & sic vel passio propria, siue proprietas; vel accidens proprium subiecti est; aut conuenit insuper aliis; & sic, vel passio communis, vel accidens commune dicetur. Eruntque quatuor huiusmodi prædicabilia; nimirum proprietas; passio communis, accidens proprium, & accidens commune. 118

Quorum singula præterea in physica, & metaphysica sunt diuidenda; quatenus id, quod subiecto adiiciunt, aut metaphysicè dumtaxat, seu per rationem nostram; aut physicè, & re ipsâ ipsi subiecto adiectum est. Quo pacto iam sunt octo. 119

Et quoniam id, quod physicè subiecto adiicitur, aut potest esse intrinsecum, siue adhærens ipsi subiecto, aut extrinsecum, & à subiecto remotum; aut partim intrinsecum, partim extrinsecum, seu mixtum ex vtroque, alia hinc octo pullulant prædicata, quibus accidentalia physica duodecim sunt. 120

Similiter, quia, quod subiecto metaphysicè adiicitur, aut potest re ipsâ esse adæquatè idem cum ipso: aut inadæquatè dumtaxat, quatuor hinc etiam accrescunt prædicata accidentalibus metaphysicis, quibus ea sunt octo. 121

Itaque accidentalia omnia viginti omnino sunt, iunctaque decem essentialibus triginta prædicata, seu prædicabilia conficiunt. Pluráque erunt, si accidentale necessarium subiecto, quod passionem vocamus, rursus multiplicetur, vt potest, penes necessitatis diuisionem in metaphysicam, physicam, & moralem superius explicatam à nobis *disp.* 11. Ex quibus prædicabilibus licet omnia accidentalia ad duo priora, sub quibus continentur, reduci possint, & decem essentialia ad quinque. Aft ex his septem, quæ supersunt, nullum ad aliud congruè potest reduci; quia prædicabile anonymum sub nullo aliorum continetur: mixtum verò ex differentiâ & genere, etsi partim ad genus, partim ad differentiam videntur spectare, quatenus vtriusque exercet munus; sumptum tamen adæquatè, & indiuisim ad neutrum spectat, sed suam vt sic propriam constituit classem. Tantumdémque pariter de aliis mixtis dicendum est. De reliquis autem nullum est dubium, quin singula propriam classem constituant. Vnde plane concluditur Porphyrium, & Asseclas eius insufficienter hactenus, & diminutè in quinque dumtaxat species prædicabile diuisisse. 122

Aduerto hîc Porphyrium *cap. de Proprio*, & cum eo alios Logicos in quatuor membra Proprium diuidere. Nempe in illud, quod conuenit soli, non tamen omni, idest, soli alicui speciei, non tamen omnibus indiuiduis eius; & in illud, quod conuenit omni, non tamen soli: & in illud, quod conuenit omni, & soli, non tamen semper; & denique in illud, quod conuenit omni, & soli, & semper. Sed primùm perperàm diuisum huius diuisionis dicitur esse Proprium: quandoquidem aliquod membrum eius non quid proprium, sed quid commune dici debet, vt re verâ est; nimirum illud, quod non solùm alicui speciei, sed & aliis conuenit. Deindè diuisio facta sub assumptis terminis manca est, & diminuta, defectu exactæ combinationis eorum: sunt namque membra, quæ resultant, omnino octo sic recensenda. Quod conuenit omni, soli, & semper. Quod conuenit omni, non tamen soli, nec semper. Quod conuenit omni, & soli, non tamen semper. 123

Quod

Quod conuenit omni, & ſemper, non tamen ſoli. Quod conuenit ſoli, non tamen omni, nec ſemper. Quod conuenit ſoli, & ſemper, non tamen omni. Quod conuenit ſemper, non tamen omni, nec ſoli. Quod conuenit non tamen omni, nec ſoli, nec ſemper. En adæquatam diuiſionem ſub terminis datis; in eâ tamen exponendâ non immoror ampliùs, quia multa eius membra in eadem recidunt aliarum diuiſionum. De cæteris autem, ſi quid fuerit notatu dignum, inferiùs notabo, cùm de prædicabilibus accidentalibus in ſpeciali ſermo ſit.

124 Ne autem exemplum deſideres prædicabilis anonymi, ſume concretum adiectiuum ex aliquâ eſſentiâ per ſe metaphyſicâ, e. g. ex eſſentiâ metaphyſicâ entis vt ſic, & ex duabus, aut pluribus eiuſdem eſſentiæ proprietatibus, iuxta doctrinam concretorum, & eſſentiarum nuper propoſitam, & datam *ſuprà diſp. 1. quæſt. 2. & diſput. 9. quæſt. 1 & 2.* De eoque prædica vnam earum proprietatum pariter in concreto, eritque prædicatio eſſentialis, quia partis de toto: non generis; quia talis proprietas aliis eſſentiis non eſt communis, alioquin non eſſet proprietas, vt ponimus: non differentiæ; quia in toto, de quo prædicatur, nulla alia ponitur pars aliis eſſentiis communis, & contrahibilis per illam. Speciei autem eſſe non poteſt, quia non eſt totius eſſentiæ; ſed partis, & multò minus paſſionis, aut accidentis, cùm ſit prædicatio eſſentialis. Erit igitur ſexti prædicabilis anonymi, vt ponebamus.

125 Iam verò ſeptimi prædicabilis mixti in homine imprimis habes exemplum. De quo tum animal, quàm rationale ſimul vt genus, vt differentiáque prædicatur: ambóque propterea prædicabilia ſunt mixta ex differentiâ, & genere. Conuenit namque homo in eſſe rationalis vt ſic cum Angelis, in eſſe animalis cum brutis: in coniuncto verò cum neutris: quo fit, vt ambo ea prædicata viciſſim ſe ſe contrahant, & à ſe mutuò contrahantur; atque ita vtrumque & munus differentiæ, & munus generis exerceat.

126 Paritérque prædicabile mixtum ex genere, & differentiâ erit, ſi ſit pars ſubiecti, in quo ſint duæ aliæ partes, quarum alteram ipſum contrahat vtpotè vniuerſaliorem, & ab alterâ contrahatur, vtpotè minus vniuerſali. Prædicabile autem mixtum ex genere, & prædicabili anonymo erit, ſi ſit, pars ſubiecti habentis alias duas partes, alteram minus vniuerſalem, & alteram æqualem ipſi. Mixtum, verò ex differentiâ, & prædicato anonymo, ſi ex duabus aliis ſubiecti partibus, altera æqualis, & altera vniuerſalior eo ſit. Mixtum denique ex omnibus tribus, ſi ſubiectum alias duas partes habeat, quarum alteram illud contrahat, ab eâque contrahatur viciſſim, cum alteráque ſit æqualis. Vel ſi ſubiectum tres alias partes habeat, aliam magis, aliam minùs vniuerſalem, quàm prædicatum ipſum, & aliam ipſi æqualem. Qui omnes caſus poſſibiles ſunt, vt conſideranti patebit. Quandoquidem tam ex parte ſubiecti, quàm ex parte prædicati pro libito ponere poſſumus quaſlibet formalitates rei, de quâ ſermonem inducimus, relictis aliis. Conſtat autem in vnâquâque re multas eſſe formalitates, quoad vniuerſalitatem æquales, vt ſunt omnes rei proprietates ſpecificæ, atque etiam genericæ viciſſim inter ſe comparatæ: & multas inæquales, vt ſunt omnes ſubordinatæ in categoriâ talis rei ab infimâ ſpecie vſque ad ſupremum genus, & earum pariter ſubordinatæ proprietates.

Quod ſi verò exempla itidem exoptas prædicabilium eſſentialium phyſicorum, quæ inſuper addimus. Accipe imprimis concretum adiectiuum ex aliquâ eſſentiâ phyſicâ, & ex paſſione communi, ex proprietateque phyſicâ eiuſdem eſſentiæ; de quo prædica paſſionem communem concretè ſimiliter ſumptam, eritque prædicatio generis. Deinde prædica proprietatem, & erit differentiæ: poſtmodum prædica totum concretum aut de ipſomet, aut de aliquo eius indiuiduo, & erit prædicatio ſpeciei. In primâ quippe prædicatum eſt pars eſſentiæ ſubiecti aliis communis, contrahibiliſque ſubinde per aliam eiuſdem eſſentiæ partem; atque adeo genus; in ſecundâ prædicatum eſt pars eſſentiæ ſubiecti propria, & aliam contrahens; atque adeo differentia. In tertiâ prædicatum eſt tota eſſentia ſubiecti, atque adeò ſpecies. Vbi vides eſſentiam ex genere, & differentiâ compoſitam, quæ tum inter ſe, tum ab eſſentiâ ipsâ realiter diſtincta ſunt ſecundum formas concretorum, quæ in obliquo capiuntur. Quod fors, ſi non videres, non crederes. Præterea, ſi accipias concretum ex eſſentiâ phyſicâ, & duabus phyſicis proprietatibus, de eoque ſingulas prædices ſeorſim, duo prædicata phyſica habebis eorum, quæ anonyma dicebamus. 127

Denique ſi ſumas concretum ex eſſentiâ phyſicâ, & duabus paſſionibus communibus reſpectu diuerſorum quælibet harum prædicata de toto concreto redder prædicatum mixtum ex differentiâ, & genere: illudque phyſicum: quemadmodum in exemplo hominis animal, & rationale mixta ſimiliter prædicata ſunt metaphyſicia. Aliáſque pariter mixtiones facies ponendo in concreto ex parte ſubiecti paſſiones, & proprietates phyſicas mixtas cæteris modis. 128

Quæ omnia, vt clariùs appareant, adnotandum eſt primò. Cùm dicimus prædicatum ſpecificum repetere totum ſubiectum, ſeu totam eſſentiam ſubiecti, cætera autem prædicata eſſentialia partem eiuſdem; aut intelligendum id eſt de ſubiecto vniuerſali omninò indiſtincto à prædicato ſpecifico, quale eſt natura ſpecifica ex pluribus indiuiduis adunata, vel etiam abſtracta, aut ſi intelligitur etiam de ſubiecto indiuiduali, de quo item prædicatum ſpecificum, & cætera prædicari poſſunt, putandum non eſt ſermonem eſſe de eſſentiâ ſubiecti indiuiduali, quæ præter naturam ſpecificam inſuper includere ſolet in ſuo conceptu differentiam numericam, proindéque per prædicatum ſpecificum integrè non repetitur; ſed de eſſentiâ ſubiecti vniuerſali, omnibúſque indiuiduis communi, quæ ſemper repetitur integrè per prædicatum ſpecificum. Nam huius dumtaxat eſſentiæ, atque adeò etiam partium eius habetur impræſentiarum ratio, vbi ſermo dumtaxat eſt de prædicatis, ſeu prædicabilibus vniuerſalibus; non item de indiuidualibus, de quibus agendum *infrà ſuo loco.* 129

Secundò adnotandum eſt, vt pars eſſentialis phyſica verè prædicari poſſit de ſuo toto, in concreto, eoque adiectiuo ſumi debere; quia, vt pars phyſica abſtractè ſumpta non eſt idem cum ſuo toto, ita de illo per verbum ſubſtantiuum *eſſe*, quod identitatem ſignificat; verè prædicari non poteſt; bene tamen ſumpta in concreto adiectiuo, cuius ſubiectum idem ſit cum ſubiecto totius pariter adiectiuè ſumpti. e. g. ſume concretum adiectiuum ex ſubiecto dulci ſimul, & albo, ex eiuſque albedine, & dulcedine; vocaque illud *dulce album.* Hæ propoſitiones erunt omnino falſæ: 130

falsæ, *Dulce album est albedo. Dulce album est dulcedo.* Hæ tamen prorsus veræ. *Dulce album est dulce: Dulce album est album:* erúntque essentiales, quia partis de toto, & prædicabilis mixti, quia partium se mutuò contrahentium. Dulce album enim per esse album distinguitur ab omni dulci non albo, cum quo conuenit in esse dulce, & per esse dulce distinguitur ab omni albo non dulci, cum quo conuenit in esse album. Quo exemplo facilè duci poteris ad alia excogitanda pro cæteris prædicabilibus physicis essentialibus, quæ prædicantur, vt pars physica de toto physico. Suntque genus, differentia, & anonymum. Pars verò essentialis metaphysica abstractè sumpta verè prædicatur de suo toto in sensu reali, & identico; quia verè est idem cum suo toto realiter: vt tamen in sensu formali verè de illo prædicetur; in concreto, eoque adiectiuo accipi debet.

131 Pro quo tertiò adnotandum. Tum aliquid prædicari verè de altero per verbum substantiuum *esse* in sensu reali, identico, & materiali, quando prædicatum, & subiectum realiter sunt idem. Tunc autem prædicari insuper in sensu formali, quando formaliter, seu obiectiuè in mente nostrâ insuper idem sunt. Per cætera autem verba adiectiua, tunc actus de subiecto prædicari formaliter, quando ei formalitati subiecti attribuitur, cui per se conuenit non solùm à parte rei, sed etiam in mente nostrâ obiectiuè; tunc verò tantùm materialiter, quando ei tribuitur, cui conuenit tantùm à parte rei, non verò in mente nostrâ, vt pluribus explicatum est *suprà disp. 2. q. 4. sect. 4.*

Diuisio 4.

132 Hinc alia insuper resultat prædicatorum, seu prædicabilium diuisio.

Fit enim primò prædicationes essentiales, quibus pars metaphysica de toto metaphysico prædicatur, siue ea sit genus, siue differentia, siue prædicabile anonymum, siue mixtum, tum materiales, seu identicas, tum etiam formales esse posse; imò verò prædicatio, quâ totum metaphysicum de toto metaphysico est prædicabile, eamdem subire potest fortunam, ob diuersos modos, quibus tale totum accipi potest substantiuè, vel adiectiuè. Quo quinarius iste numerus prædicatorum essentialium iterum duplicatur: suntque proinde prædicabilia essentialia quindecim. E. g. Hæc prædicatio generis est formalis, *Homo est animal*, sicut & hæc differentiæ, seu potius prædicabilis mixti: *Homo est rationalis*, sumpto animali adiectiuè pro habente animalitatem, quæ est potentia ad sentiendum, & rationali similiter pro habente rationalitatem, quæ est potentia ad ratiocinandum; sumptóque homine pariter adiectiuè pro habente simul animalitatem, & rationalitatem, vt sic enim dictæ prædicationes veræ sunt in sensu formali: Eo quòd id, quod in recto dicit homo, & id, quod in recto dicunt animal rationale, quodque dumtaxat identificat verbum *est*, idem est non solùm realiter, sed etiam in mente nostrâ obiectiuè. Hæ verò prædicationes tantum sunt identicæ, & materiales, seu veræ in sensu identico, & materiali; *Homo est animalitas: Humanitas est animalitas: Homo est rationalitas: Humanitas est rationalitas*, eo quod subiectum, & prædicatum earum non sunt idem in mente nostrâ, etsi sint idem à parte rei. Cùm tamen duæ priores nihilominùs sint prædicationes generis, quia sunt partis de toto per aliam contrahibilis; Duæ autem posteriores prædicabilis mixti; quia partis de toto simul contrahibilis per alteram, & contractiuæ alterius. Tantumdèmque venit dicendum de aliis duabus prædicationibus prædicati differentialis, & prædicati anonymi.

Simili modo prædicationes horum quatuor præ- 133
dicabilium partialium tantùm erunt veræ in sensu materiali, & identico, non item in formali, quando subiectum, & prædicatum ita sumantur in concreto, vt vel ambo substantiuè, vel alterutrum substantiuè, alterutrumque adiectiuè accipiantur: quia tunc etiam tantùm erunt idem re ipsâ, non verò in mente nostrâ obiectiuè. Si verò subiectum sumatur in abstracto, & prædicatum in concreto, vt si dicas: *Humanitas est animal*, prædicatum ad accidentalia spectabit, quia adiiciet aliquid subiecto in eo non inclusum.

De prædicatione autem prædicati specifici me- 134
taphysici ad se vt subiectum comparati, vt si dicas: *Homo est homo*, dico tunc esse veram in sensu formali, quando subiectum, & prædicatum, aut simul substantiuè, aut simul adiectiuè vsurpantur, quia vtroque casu erunt idem in mente nostra. Tunc autem esse veram in sensu identico siue materiali dumtaxat, quando subiectum sumitur adiectiuè, & prædicatum substantiuè, aut è conuerso: quia licet subiectum humanitatis, hoc est animalitatis, & rationalitatis, & compositum metaphysicum ex tali subiecto, & tali humanitate coalescens sint idem realiter non sunt tamen idem in mente nostrâ.

Quod si prædicatum specificum metaphysicum 135
comparetur ad indiuiduum cum præcisione à differentiâ numericâ; tunc de illo, quod ad rem attinet, sicut de aliis prædicatis partialibus philosophandum est, quia in tali casu prædicatum specificum pars etiam metaphysica est indiuidui. Addidi *tamen cum præcisione à differentiâ*; quia si absque illâ ad indiuiduum comperetur, vt potest contingere, iuxta doctrinam in superioribus traditam de adunatione possibili naturæ specificæ ex indiuiduis sine abstractione à differentiis, perinde erit ad propositum, ac si comparetur ad se.

Stat itaque quinque prædicabilia essentialia 136
metaphysica tum in sensu formali, tum in identico solùm, seu materiali prædicabilia esse, quando ea tum in concreto ex subiecto, & actu, seu formâ, tum in abstracto, aut iam substantiuè, iam adiectiuè sumi possunt, vti euenit in exemplis datis. Vnde infero, quando in abstracto solùm, & substantiuè sumi possunt; vti euenit citra dubium, quando metaphysica compositio diuersarum formalitatum, seu partium peragitur in ipsis abstractis siue actibus, siue formis, tunc quidem eiusmodi prædicabilia in sensu dumtaxat identico, seu materiali prædicabilia esse, non item in formali. E. g. istæ prædicationes: *Apprehensio simplex est cognitio: Creatio est actio: Eductio est passio. Iudicium est persuasio obiecti. Hæc creatio est creatio. Hoc iudicium est iudicium*, quarum duæ primæ sunt generis, duæ secundæ differentiæ, duæ tertiæ speciei; aliæque similes tum ad hæc, tum ad alia duo prædicabilia essentialia spectantes peractæ in huiusce modi actibus abstractè sumptis, in sensu identico dumtaxat, seu materiali veræ sunt; non item in formali, quia licet earum prædicatum, & subiectum sint idem realiter, in mente tamen nostrâ obiectiuè, atque adeo formaliter distincta sunt: ibi enim prorsus se habent vt pars, & totum, de quibus notum est inter se distingui. Excipe tamen

ab

ab hâc doctrinâ prædicabile ſpeciei ad ſe comparatum, aut ad indiuiduum ſine præciſione à differentiâ numericâ, quia tunc idem omnino conceptus, qui ponitur ex parte ſubiecti, ponitur ex parte prædicati, proindèque prædicatio in ſenſu formali vera erit, vt ſi dicas; *creatio eſt creatio*, vel *hæc creatio eſt creatio*, ſignante particulâ, *Hæc* non talitatem ſubiecti, quæ ſit formalitas ſubiecto addita, nec poſita ex parte prædicati, vt ſignat in exemplis paulò antea poſitis, ſed tantùm maiorem expreſſionem prædicati, quod prorſus ſit idem cum ſubiecto: vtrumuis enim ſignare poteſt, iuxta diuerſos modos, quibus prædicatum ſpecificum contrahitur ad indiuidua, quando erat adunatum ex illis cum præciſione à differentiis, & quando ſine tali præciſione, quod vtrumque eſt poſſibile, vt conſtat ex doctrinâ commemoratâ nuper, & latiùs traditâ *in ſuperioribus*.

136 Ex his infertur primò prædicabilia eſſentialia metaphyſica, quæ iam in abſtracto, iam in concreto, & ſi in concreto, iam adiectiuè, iam ſubſtantiuè ſumi poſſunt, tum formaliter, tum ſolùm identicè prædicari poſſe cum veritate, iuxta modum; quo accepta fuerint reſpectiuè ad ſubiectum. Prædicabilia verò eſſentialia metaphyſica, quæ ſolùm in abſtracto ſumi poſſunt, vt ſunt, quæ conueniunt actibus, quos ſignificant verba, ſumptis abſtractè, dumtaxat poſſe prædicari cum veritate in ſenſu identico, vno excepto caſu, quando prædicatum, & ſubiectum idem conceptus ſunt adæquatè.

137 Secundò infertur prædicabilia eſſentialia phyſica in ſenſu ſolùm formali prædicari cum veritate; in ſenſu verò purè identico minimè. Supponitur enim ea à parte rei diſtingui à ſubiecto (eo namque iure dicuntur phyſica) quoties metaphyſica in mente noſtrâ, & non re ipsâ diſtinguuntur. Quo in phyſicis locum non habet prædicatio identica, ſicut habet in metaphyſicis.

138 Venio iam ad prædicabilia accidentalia, quæ omnia tam phyſica, quàm metaphyſica tum in ſenſu formali, tum in ſenſu ſolùm materiali prædicari poſſunt; iuxta doctrinam ſtatutam *num.* 131. Si enim prædicatio fiat per verbum ſubſtantiuum *eſſe*, tunc erit formalis, ſiue vera in ſenſu formali, quando prædicatum, & ſubiectum non ſolùm re ipsâ, ſed inſuper in mente noſtrâ ſunt idem quantum ad id, quod directè dicunt, quodque ſolùm identificat verbum *eſſe*, vt, *Homo eſt albus: Album eſt dulce: Petrus eſt currens*, quæ ſunt prædicationes de prædicato accidentali phyſico. *Animal eſt homo. Animal eſt rationale. Rationale eſt animal*, quæ ſunt de prædicato accidentali metaphyſico. Tunc verò prædicatio tantùm erit identica, ſeu materialis, in ſenſu ve identico ſolùm, ſeu materiali vera, quando prædicatum, & ſubiectum in ſe à parte rei idem ſunt, ſecus in mente noſtrâ, vti euenit in his de prædicato metaphyſicè accidentali. *Animalitas eſt rationalitas. Animalitas eſt animal. Rationalitas eſt animal? Actio eſt paſſio*, & ſimilibus. Si autem prædicatio fiat per alia quæuis verba adiectiua; tunc erit vera in ſenſu formali, quando prædicatum ei ſubiecti formalitati attribuitur, cui per ſe conuenit non ſolùm à parte rei, ſed etiam in mente noſtrâ obiectiuè, vt in his: *Rationale ratiocinatur: Animal ſentit: Voluntas Dei vult*. Tunc verò in ſenſu ſolùm materiali, quando prædicatum ei ſubiecti formalitati tribuitur, cui tantùm à parte rei conuenit; non verò in mente noſtrâ, vt ſi dicas, *Animal ratiocinatur: Rationale ſentit: Intellectus Dei vult, &c.* Per quam diuiſionem integer numerus ſuprà poſitus prædicabilium accidentalium duplicatur.

Diuiſio 5.

Aliter pones diuerſitatem aliam prædicationis directæ, & indirectæ, multa ſaltem ex recenſitis prædicabilibus in duo membra diuidi poſſunt. 139

Etenim omne ſubiectum verè prædicatur, ſed indirectè de concreto adiectiuo ſeu phyſico, ſeu metaphyſico coaleſcente ex ipſomet ſubiecto in recto, ex actuque, ſeu formâ in obliquo, vt, *Currens eſt homo: Rationale eſt ſubiectum rationalitatis, &c.* Quæ prædicatio, cùm ſemper ſit partis de toto, erit eſſentialis, atque adeo vel generis, vel differentiæ, vel prædicabilis anonymi, vel mixti, iuxta diuerſitatem terminorum prædicationem componentium. Deinde omne vniuerſale inferiùs indirectè prædicatur de vniuerſali ſuperiori, vt, *Animal eſt homo: Album eſt equus*. Quæ prædicatio, cùm ſemper ſit totius de parte, erit accidentalis ratione eius, quod adiicit prædicatum ſubiecto; atque adeo vel erit paſſionis propriæ, aut communis, phyſicæ, aut metaphyſicæ, &c. vel accidentis proprij ſimiliter, aut communis phyſici, aut metaphyſici, &c. iuxta diuerſitatem terminorum prædicationem integrantium. Ex quo patet, quomodo multa ſaltem prædictorum prædicabilium iterum duplicentur. Quid ſi eorum rurſus faceremus mixtionem penes mixtionem prædicationum indirectæ, & directæ cum prædicationibus formali, & materiali? Sed has mixtiones, ne prolixus videar, aliorum conſiderationi remitto.

Diuiſio 6.

Deinde prædicabile vniuerſale ratione materiæ in ſubſtantiale, & accidentale diuidi poteſt, accepto nunc *accidentale* aliter, quàm hucuſque. 140

Pro quo ſciendum eſt. Ens immediatè diuidi in ſubſtantiam, & accidens. Subſtantia dicitur ens per ſe ſtans, per ſéque ſubſtans aliis entibus phyſicè ſibi accreſcentibus, ſiue accidentibus. Quæ ob id accidentia dicuntur, & ab Ariſtotele *lib. Prædicam. cap.* 4. in nouem genera diuiſa ſunt, nempe in quantitatem; relationem, qualitatem, &c. poſt præmiſſum ſubſtantiæ genus, quod decem prædicamentorum eſt primum. De quibus ſuo loco. Hinc bifariam ſumi ſolet accidens. Primò pro ente phyſicè ſuperueniente ſubſtantiæ, quod accidens prædicamentale appellari ſolet. Secundò pro conceptu ſeu phyſicè, ſeu metaphyſicè ſuperadiecto ſubiecto per prædicationem. Quod accidens prædicabile dici conſueuit, & de quo nos in ſuperioribus hactenus egimus. Ex quibus patet accidens prædicabile latiùs, quàm prædicamentale patere; nam omne accidens prædicamentale eſt etiam accidens prædicabile, ſed non è conuerſo, cùm ſæpe ſit accidens prædicabile quid ſubſtantiale contrapoſitum prædicamentali accidenti. Et quamuis nomen *ſubſtantia* vt implurimùm pro prædicamentali nuper expoſitâ vſurpetur; Interdùm tamen ſolet ſumi pro eſſentiâ, quæ latiùs patet, cùm & accidentibus conueniat.

Igitur in præſenti diuiſione vniuerſale ſubſtantiale dicimus, cuius materia ſubſtantia prædicamentalis eſt, vt homo, animal, &c. Accidentale verò, cuius materia accidens eſt prædicamentale, 141

vt

vt actio, relatio, &c. Concretum autem, cuius subiectum est substantia, & forma accidens, vt album, legens &c. aut accidentale etiam, sumptâ denominatione à formâ significatâ expressè, aut potiùs mixtum dici poterit Quæ quidem diuisio per omnia, & singula prædicabilia in superioribus recensita vagatur, eorumque subinde numerum duplicat.

Diuisio 7.

142 Ampliùs, vniuersale in incomplexum, & complexum diuidi potest.

Incomplexum dicitur, quod vno conceptu concipitur, & vnâ voce significatur, vt *homo*: complexum, quod pluribus, vt *animal rationale*. Quâ item diuisione cuncta hactenus numerata prædicabilia iterum duplicantur.

Diuisio 8.

143 Præterea vniuersale aliud positiuum est, aliud negatiuum.

Et positiuo quidem inprimis competunt omnes hucusque propositæ diuisiones. De negatiuo autem, quo pacto ad instar positiui suâ proportione seruatâ philosophandum sit, *quæst. 6. prædic. conf. 9.* docuimus.

Restat tamen nunc adnotandum primò aliqua esse prædicata positiua re verâ, quæ nihilominus per aliquas negationes concipiuntur, & explicantur à nobis; propterea quod ad rem attiner, ea inter prædicata positiua censenda sunt e. g. distinctio inter Petrum, & Paulum prædicatum positiuum eorum est, positiuè solùm conceptibile à cognoscentibus per species proprias, quod tamen nos per negationem identitatis sæpe concipimus, & explicamus, aut negatiuè iudicando, & dicendo. *Petrus non est Paulus*, aut positiuè iudicando, & dicendo: *Petrus caret identitate cum Paulo*. Quocirca huiusmodi negatio distinctio negatiua vocari solet, provt *suprà. disp. 13. q. 2.* exposuimus. Similiter immortalitas Dei apud intuentes, & re verâ quid positiuum est nullatenus ab eis iudicabile negatiue. A nobis tamen per negationem mortalitatis est iudicabile, aut dicentibus. *Deus non est mortalis*; aut dicentibus *Deus caret mortalitate*. Tantumdemque venit dicendum de aliis plerisque Dei attributis, quæ negatiua nuncupantur, & de similibus aliorum entium prædicatis. Vnde sola negatio rerum non existentium prædicatum negatiuum; atque adeo vniuersale negatiuum est, quia de solis rebus non existentibus iudicant negatiuè intuentes earum remouendo existentiam: neque alia iudicia negatiua præterquam remouentia existentiam rerum non existentium habere possunt, sicut nos, eo quod cæteros conceptus chymericos; quos nos per cætera quæque nostra iudicia negatiua, & vera remouemus, ipsi concipere non possunt, vt pluribus explicatum est *suprà disp. 11.* Quo fit, vt sola negatio rerum non existentium speciale sit verificatiuum iudiciorum negatiuorum; quæ talium rerum existentiam remouent, ab omni positiuo distinctum: (quo pacto, quod prorsus est nihil verificatiuum iudicij, & ab omni positiuo distinctum dici potest, de quo *loco citato*) verificatiua enim cæterorum nostrorum iudiciorum negatiuorum, quibus remouentur à nobis chymeræ ab intuentibus non conceptibiles; veræ aliquæ, & positiuæ entitates sunt, vt ibidem tradidimus. Proptereà dico solam negationem existentiæ rerum, quæ verè non existunt, prædicatum negatiuũ, atque adeo vniuersale negatiuum censendum esse.

Secundò cùm vniuersale negatiuum ex parte materiæ prorsus sit nihil, vt supponimus, loquendo cum toto rigore, nec prædicabile essentiale, nec prædicabile accidentale; atque adeò nec prædicabile vllomodò poterit esse, quia, quòd nihil est, nec essentia, nec accidens alicuius potest esse in rigore. Per quamdam tamen æquiualentiam, seruatâque proportione conceptuum positiuorum, quos remouet, tum prædicabile essentiale, tum prædicabile accidentale poterit dici; tum omnes fermè diuisiones prædicabilis positiui hucusque expositas subire. Sic hæ prædicationes essentiales, seu de prædicato essentiali venient dicendæ. *Negatio hominis est negatio animalis: Negatio hominis est negatio rationalis. Hæc negatio hominis, seu negatio Petri est negatio hominis.* Primaque dicetur prædicatio generis, secunda differentiæ, tertia speciei, pariterque censendum de cæteris. Tum hæ propositiones de prædicato accidentali dicendę sunt. *Lapis non intelligit, seu caret intellectione: Homo non currit. Substantia non inhæret subiecto.* Quarum prima passionis communis, secunda accidentis communis, tertia proprietatis censenda est, & sic de aliis: vniuersaliter enim quoties subiectum est positiuum, & prædicatum negatiuũ nequit hoc non esse illi accidentale; quia essentiâ intrinsecâ conceptus positiui nihil negatiuum esse potest. 144

Hinc tertiò si subiectum sit mixtum ex positiuo, & negatiuo, prædicatum simplex seu positiuum, seu negatiuum, aut pars essentiæ subiecti, aut eius accidens esse poterit, non verò tota essentia: prædicatum verò mixtum etiam tota essentia esse poterit, vt satis ex dictis est notum. De subiecto autem negatiuo prædicatum negatiuum tum essentialiter, vt vidimus, tum etiam accidentaliter dici poterit, quia benè potest vna negatio alteri accidere; prædicatum verò positiuum aut mixtum nõ poterit esse essentiale, sed accidentale tantùm, vt etiam est notum; quinimò inter accidentalia nec passio nec proprietas necessitate metaphysicâ tali subiecto annexa esse poterit, quia nulla negatio cum aliquo positiuo est metaphysicè connexa, vt *suprà disp. 14. q. 4.* ostensum est. 145

Diuisio 9.

Insuper vniuersale, seu prædicabile aliud transcendens est; aliud non transcendens. 146

Transcendens dicitur, quod de omnibus, & singulis formalitatibus, seu partibus, tum metaphysicis, tum physicis earum rerum, quibus conuenit, prædicatur formaliter, vt ens, verum, bonum, &c. Non transcendens autem, quod non ita prædicatur de omnibus, vt animal, rationale, homo, &c. De quibus plura *inferius*.

Diuisio 10.

Denique prædicabile seu prædicatum aliud dicitur primæ intentionis; aliud secundę intentionis. 147

Prædicata secundæ intentionis ea accidentalia dicuntur, quæ rebus proueniunt ab actibus nostri intellectus, quibus illæ aut cognoscuntur, aut sunt cognoscibiles, vt esse subiectum, esse prædicatum, esse genus, esse speciem, & huiusmodi alia. Prædicata verò primæ intentionis appellantur cætera cuncta præter ista.

Diuisio 11.

148 Postremò vniuersale in quantum subiectum, aut prædicatum vniuersè in categorema, & syncategorema diuidi potest.

Categorema dicitur, quod ratione sui est prædicatum, aut subiectum; atque ita per se solum prædicari potest, aut subiici. Syncategorema verò, quod solùm ratione alterius est tale; atque ita nisi adiunctum alteri nec potest prædicari, nec subiici. De quibus iterum erit sermo *disp.* 18 Modò solum aduerto omne significatum verbi categorema esse, & vniuersim quidquid aut ex parte subiecti, aut ex parte prædicati in recto siue directè sumitur, concipiturve ab intellectu. Cætera verò omnia, quæ in obliquo, siue indirectè, siue ex connotato, vt dicunt, sumuntur, seu concipiuntur ab intellectu, aut ex parte prædicati, aut ex parte subiecti syncategoremata sunt. Vnde ad horũ pertinent classem formę omnium concretorum adiectiuorum, vtpotè, quæ in obliquo semper sumuntur. Sunt autem tanti momenti huiusmodi syncategoremata, vt tota diuersitas prædicationum accidentalium, & essentialium ab eorum adiectione dependeat, aut remotione, vt ex dictis, & ex dicendis in decursu apparebit.

149 Porro inter omnia prædicata vniuersalia, quæ recensuimus, duo sunt, quæ in scientiis humanis potissimum obtinent locum, nempe proprietas, & passio communis. Eo enim tendunt præcipuè scientiarum discursus, vt passiones tam proprias quàm communes rerum, de quibus in illis agitur, deprehendant: mediâ videlicet connexione, quâ res ipsæ proximè, vel remotè cum talibus passionibus connectantur. Connexio quippè rerum in vniuersum fundamentum vnicum est, cui nititur humanus discursus, vt aliàs explicui *suprà*, inferiúsque explicabo. Cæterum quia connexio rerum, siue essentiarum cum prædicatis sibi accrescentibus, siue accidentibus triplex esse potest, metaphysica, physica, & moralis, iuxta diuisionem traditam *suprà disp.* 2. *q.* 5. & latiùs *disp.* 14. tot modis prædicatum accidentale potest esse passio subiecti: nimirum aut metaphysicè, aut physicè, aut moraliter ei annexa, seu necessaria, hoc est, vel omnimodâ necessitate, vel naturali, vel morali.

150 Ecce quot diuisionibus (præter alias aut minus vtiles, aut dandas alibi quas omittimus) prædicabile vniuersalè diuidi potest, atque debet. Quibus ferè omnibus itidem prædicabile singulare diuidemus inferiùs, vt videant Logici, quàm diminutè prædicabile in vniuersum diuiserint hactenus.

151 Hoc vnum ad extremum aduertimus. Quâ ratione de vniuersali vt prædicabili philosophati sumus, eâdem de vniuersali vt subiicibili, suâ seruatâ proportione philosophari posse. Quod etiam logici tacuerunt. Etenim non minus est proprietas logica vniuersalis metaphysici posse subiici multis seu esse subiectum multorum, quàm posse prædicari de multis, seu esse multorum prædicatum. Et primùm quoduis vniuersale iis omnibus est subiicibile prædicatione indirectâ, de quibus prædibile est prædicatione directâ per verbum substantiuum *esse* factâ, vt constat. Deinde omnia vniuersalia de multis indirectè prædicabilia, iuxta dicta *suprà diuis.* 5. eisdem erunt directè subiicibilia, vt etiam est notum. Præterea multa saltem vniuersalia de multis prædicabilia directè, multis quoque ab illis diuersis erunt subiicibilia etiam directè. Exempli gratia homo est directè prædicabilis de Petro, Ioanne, Francisco &c. idemque homo directè est subiicibilis albo, nigro, rufo, &c. Esse autem diuersas denominationes logicas, imò & oppositas relatiuè, & consequenter diuersas vniuersalis proprietates prædicabilitatem, & subiicibilitatem indubitatum est; siquidem planè est munus diuersum logicum in quouis obiectiuo conceptu esse illum prædicatum, ac esse subiectum prædicationis.

Abstineo tamen nihilominus à diuidendo spe- 152
ciatim in varia membra vniuersale vt subiicibile, quemadmodum diuisi illud vt prædicabile, quia diuisiones inde oriundæ in iam datas recidunt. Vel enim subiectum in suo conceptu aliquid ampliùs dicit, quàm prædicatum, vel nihil amplius dicit? Si dicit ampliùs, prædicatio erit partis de toto, atque adeo essentialis, easdemque, quas suprà dedimus, prædicationis essentialis partis de toto diuisiones subibit. Si nihil amplius dicit. Aut iustè dicit integrum prædicatum, & erit prædicatio speciei. Aut dicit minùs, quam prædicatum, & erit prædicatio prædicati accidentalis (vtpotè addentis aliquid subiecto) toties, ac suprà, eodemque modo diuidenda. Etenim denominatio essentialis, & accidentalis, aliæque sub illis contentæ prædicationibus conuenientes, à prædicato potiùs respectu subiecti, quàm à subiecto respectu prædicati sumuntur.

QVÆSTIO VIII.

Quod fundamentum requiratur ex parte obiectorum ad faciendum vniuersale?

SVpponimus ex dictis *suprà q.* 5. ad faciendum 153
vniuersale omnino esse requisitum ex parte intellectus, quòd hic per species alienas, atque adeo in substitutis alienis ea cognoscat, ex quibus vniuersale faciendum est; nam per species proprias nequaquam possunt plura concipi vt vnum, prout ad vniuersale requiritur, vt ibi monstrauimus. Quid verò insuper ex parte obiectorum sit requisitum, modò inquirimus.

Conueniunt omnes Philosophi, atque indubi- 154
tatè supponunt ad faciendum vniuersale ex multis sub vnico conceptu adunatis, necessarium omnino esse, quòd ea inter se similia sint. Ob id enim multæ differentiæ specificæ vt tales in vnum conceptum coire nequeunt, quia inter se dissimiles sunt, atque adeo ita sunt ex propriis conceptibus, quo species differunt, vt nullatenus esse possint, in quo conueniunt. Qualis verò, & quanta, & quâ de causâ requisita ista similitudo sit, quâ multa in vniuersale adunanda similia esse debent; & an loco similitudinis, aut præter illam eorumdem sufficiat, aut insuper requiratur æqualitas, vel aliud genus conuenientiæ, seu concordantiæ, nemo, quem viderim, ex professo examinauit, aut explicuit.

Pro exactâ explicatione suppono primò tribus 155
modis, quod ad rem attinet, posse duo quæuis, aut plura extrema vicissim inter se comparari. Primò vt distincta, vel indistincta; secundò vt similia, vel dissimilia; tertio vt æqualia, vel inæqualia. Ad hæc enim tria capita reuocantur omnes diuersitates rerum, vt *suprà disp.* 16. explicatum est. Distincta

cta dicuntur, quorum vnum non est alterum: indistincta, quorum vnum est alterum. Similia dicũtur, quorum vnum est sicut alterum: dissimilia, quorum vnum non est sicut alterum. Æqualia dicuntur, quorum vnum tantum est, quantum alterum: Inæqualia, quorum vnum maius, aut minus est altero. De quibus *disp.* 13. & 16. plura scripta relinquimus; quæ ad rem recolenda.

156 Suppono secundò, quæ æqualia sunt, dissimilia esse posse, vt patet in triangulo, & quadrato inter se æqualibus; &, quæ similia sunt, posse esse inæqualia, vt patet in duobus quadratis inæqualibus. Posse autem, quæ sunt similia, esse etiam æqualia, &, quæ dissimilia inæqualia, indubitatum est: sicut & cuncta extrema ista, qua talia distincta inter se debere esse: eo quòd idem sibi neque æquale, neque simile, loquendo strictè, dici potest, multóque minus potest esse sibi inæquale, vel dissimile. De quibus etiam plura sunt dicta *disp.* 16.

Suppono tertiò; distinctionem eorum conce-
157 ptuum esse, qui in indiuisibili consistunt, atque adeo non suscipiunt magis, & minùs, vt dici solet: eo quòd nullâ quantitate, aut physicâ, aut metaphysicâ prædita sunt. Neque enim vnum ab altero magis aut minus distingui dicitur, sed vel distingui, vel non distingui simpliciter eo genere distinctionis, de quo sermo est. Tantumdémque dicendum est de æqualitate; quia neque vnum magis, aut minus æquale alteri venit dicendum, sed, vel æquale simpliciter, vel inæquale. Nec secus de similitudine philosophandum esset, nisi vsus obtinuisset, vt ea etiam similia dicantur, quæ non omninò talia sunt, sed aliquid dissimilitudinis admixtum habent. Quemadmodum enim ea solùm dicuntur æqualia, quorum alterum tantum omnino quantum alterum est, alterumque proinde ab altero nihilo exceditur; atque adeo nihil inæqualitatis admixtum habent. Ita etiam ea dumtaxat in rigore similia erant appellanda, quorum alterum omnino sicut alterum est, neque aliquid dissimilitudinis admixtum habent. Suppositio tamen vsu oppositio, duplex, claritatis gratiâ, similitudo distingui poterit. Altera dicitur similitudo exacta, seu pura, & hæc in indiuisibili consistit, sicut æqualitas. Altera dicitur similitudo temperata seu mixta, & hæc eo maior, aut minor erit, quò minor, aut maior fuerit opposita dissimilitudo, quâ metaphysicè temperati concipitur ad eum modum, quo calor, & frigus vicissim temperantur physicè: dissimilitudinem enim quemadmodum inæqualitatem, magis, & minus suscipere indubitatum est: De quo etiam diximus *disp.* 16.

158 Suppono quartò; nulla esse entia, siue entium conceptus, quæ non sint inter se re ipsâ, vel distincta, vel indistincta, atque etiam vel similia, vel dissimilia. Cùm tamen multi conceptus entium re verâ neque æquales, neque inæquales sint inter se, quia nullam quantitatem aut physicam, aut metaphysicam habent, de eorúmque subinde genere sunt, qui dicuntur non suscipere magis, aut minus. Æqualitas quippe, vel inæqualitas solius quantitatis; atque adeo eorum dumtaxat, quæ quantitatem aliquam habent, proprietas est. Cùm tamen distinctio, vel indistinctio, similitudóque vel dissimilitudo omnium conceptuum cogitabilium, atque inter se comparabilium passio communis sit; verùm de his latiùs est actum *disputatione decimasexta citatâ*.

Pharus Scientiarum, Tom. II.

Suppono quintò; vt ea quæ sunt in se distincta, in mente nostrâ obiectiuè possunt esse idem, & vice versâ, quæ sunt idem, distincta, ita pariter, quæ in se sunt dissimilia vel inæqualia in mente nostrâ obiectiuè similia, vel æqualia esse posse: & è conuerso inæqualia, vel dissimilia, quæ æqualia, vel similia in se. Nam vt ea, quæ in se sunt distincta, ab vno eodemque substituto phantasmate, in quo concipiuntur à nobis, vnum, & idem euadunt in mente nostrâ obiectiuè: &, quæ in se sunt idem, à distinctis phantasmatibus euadunt distincta, vt satis in superioribus expositum est; ita pariter ea, quæ in se sunt dissimilia, vel inæqualia, à similibus, vel æqualibus phantasmatibus, in quibus à nobis concipi possunt, similia, vel æqualia in mente nostrâ obiectiuè possunt euadere, sicut è contra dissimilia, vel inæqualia, à dissimilibus, vel inæqualibus phantasmatibus, ea, quæ in se similia, vel æqualia sunt. His positis

Propositio 1.

Vt aliqua plura sub vno conceptu cunctis com- 159
muni, atque adeo vniuersali adunentur, exactè, & purè inter se similia debent à nobis concipi.

Talia enim concipi debent, qualia opus est, vt ille conceptus communis idemmet logicè acceptus reperiatur in singulis, provt experientia monstrat; subrogato scilicet per quamdam repetionem pro singulis sumptis diuisim, aut eodem prorsus phantasmate, quod pro omnibus sumptis simul, aut phantasmatibus prorsus similibus, soloque numero differentibus iuxta doctrinam datam *suprà num.* 67. Quod absque exactâ, & purâ similitudine obiectiuâ singulorum non potest fieri, vt satis ex se notum est. Id, quod etiam impositio vocum ostendit; siquidem, eâdem repetitâ voce, tum conceptum communem, tum singula, quæ sub illo adunantur, in quæque subinde ille multiplicatur, significamus. Vna enim vox *animal*, exempli gratia, nunc animal commune multis speciebus, nunc animal cuiusque speciei, nunc animal cuiusque indiuidui prorsus immutata significat. Quod signum est ea cuncta animalia obiectiua, provt per vocem significantur, exactè, & purè similia esse. Et sane iuxta consensum communem, & phrasim omnium, ea, ex quibus vniuersale consurgit, eamdem rationem, eumdemve conceptum ipsius vniuersalis participant: hoc autem citra exactam eorumdem similitudinem, quoad dictam rationem, seu conceptum non posset fieri, vt constat: nam, quo pacto dici posset eadem in singulis ratio, quæ exactè, & omnino similis non esset in singulis? Itaque existimatio communis, & modus loquendi omnium in hâc materiâ satis, superque demonstrant propositionem nostram.

Propositio 2.

Ea, ex quibus ratio, seu conceptus vniuersalis ab- 160
strahitur, siue adunatur, in se ipsis à parte rei rarò sunt exactè, & purè similia. Talem tamen debent habere similitudinem, qualis requiritur, vt à nostro intellectu purè similia concipiantur, quoad eam rationem, seu conceptum, in quo adunantur.

Prior pars propositionis constat imprimis in speciebus, ex quibus ratio generica concepta à nobis in singulis purè, & exactè similis abstrahitur, siue adunatur. Species enim à parte rei dissimiles inter

se sunt, vt cernere est in homine, equo, leone, & cæteris speciebus animalis. Nec dici potest eas à parte rei esse similes in ratione animalis, dissimiles autem in rationibus differentialibus singularum propriis; siquidem ratio animalis in singulis, & ratio differentialis vnum quid sunt à parte rei, & idem omnino. Proindéque homo, leo, equus &c. non aliter, quàm integrè, & indiuisim possunt comparari re ipsâ, & ante nostras præcisiones tanquam similes, aut dissimiles, vt sic autem constat esse dissimiles. Quo fit, vt animal hominis, animal leonis, & animal equi non minùs sint dissimilia à parte rei inter se, quàm sunt homo, leo, & equus cum quibus sunt idem. Deinde id ipsum apparet in plerisque indiuiduis ex quibus ratio specifica dicitur abstrahi, siue adunari, quæ in singulis conceptione nostrâ purè, & exactè similis est. Cùm tamen ipsa indiuidua à parte rei cum quibus ea ratio specifica prorsus est idem, non adeo sint inter se similia, vt cernere est in hominibus, de quibus satis ex se apparet non adeo esse inter se similes, vt sunt duo circuli, aut duo oua, &c. Iam verò de aliis inferioribus, ex quibus vniuersale differentiale, cæteraque essentialia abstrahuntur, siue adunantur, idem omnino dicendum venit, vt consideranti patebit. Nec aliter res se habet vt plurimum in vniuersalibus accidentalibus cuiusuis generis, & iis ex quibus illa abstrahuntur, siue adunantur, vt videre licet in conceptu vniuersali sapientis simili omnino per conceptionem nostram in omnibus, de quibus dicitur; cùm tamen eorum sapientiæ re ipsâ non adeò sint similes inter se. In cæterisque huiusmodi pariter.

161 Dixi autem in istâ parte propositionis rarò esse à parte rei exactè similia ea, ex quibus conceptus vniuersalis abstrahitur, siue adunatur; quia aliquando exactè ea similia sunt, vt patet in pluribus circulis, in pluribúsque quadratis omninò similibus, quæ sub conceptu circuli, quadratique communi illis adunantur, & in pluribus candoribus, aut coloribus etiam similibus omnino, qui adunantur pariter sub vno conceptu candoris, aut caloris illis communi in aliisque huiusmodi.

162 Venio iam ad secundam partem propositionis, quam vt declarem, & simul probem, noto primò conceptus obiectiuè ab intellectu nostro adunabiles plerumque esse respectiuos ad extrinsecum connotatum: quia plerumque vel sunt actus, quos significant verba, vel concreta ex talibus actibus, & ex eorum subiectis coalescentia. Constat autem ex sæpe in superioribus dictis huiusmodi actus conceptus respectiuos esse ad subiectum, & terminum. Oportet ergo vt tales conceptus adunari possint, quod inter se exactè similes concipiantur non solùm quoad suas intrinsecas essentias, sed etiam quoad sua extrinseca connotata. Nam aliàs in vnum conceptum multis communem nequibunt coire, vt paulò *inferiùs in hâc q. Conclus.* 3. monstrabo. Ex quo patet non solùm res, ex quibus conceptus isti sumuntur, sed etiam res, ex quibus sumuntur eorum connotata eam inter se similitudinem habere debere, quæ satis sit vt dicti conceptus quoad intrinsecum, & extrinsecum exactè similes concipiantur ab intellectu nostro.

163 Secundò noto, intellectum nostrum ea quam habet, vi præcisiuâ formalitatum, tunc à rebus in se non exactè similibus conceptus quosuis aut respectiuos, aut absolutos exactè similes contrahere, quando de singulis earum iudicat, aut iudicanda apprehendit aliqua prædicata præ aliis, in quibus tales res conspirant, præbentibus fundamenta ad talia iudicia ad talesve apprehensiones rebus ipsis qualibet ratione conceptis, quando prædicata iudicanda ex se sunt vniuersalissima; vel aliqua experimentali notitia, quando prædicata iudicanda ex se sunt magis specialia. Et quoniam nulla sunt entia adeò à parte rei dissimilia, vt aliquam similitudinem admixtam non habeant, nulla sunt, ex quibus intellectus suâ, quam habet, vi iudicatiua, & præcisiua non abstrahat prædicata simillima vtique in phantasmatibus substitutis, in quibus ea iudicat quasi extrahendo, & separando in huiusmodi prædicatis talium entium similitudinem ab eorumdem dissimilitudine, cum quâ veluti immixta re ipsâ erat. e. g. Apprehendit intellectus Angelum, statímque ex terminis iudicat illum esse idem secum, à cæterisque rebus distinctum, esse bonum, esse vnum, esse verum, &c. Postmodum apprehendit lapidem, de illoque pariter eadem prædicata, siue exactè similia iudicat. Quo facto in promptu iam est concipere sub vno conceptu bonitatem communem Angelo, & lapidi, similiterque identitatem, distinctionem, veritatem, vnitatem, &c. Ecce quomodò Angelus, & lapis, qui à parte rei sunt tam dissimiles, in mente nostrâ obiectiuè aliquas formalitates habent purè, & exactè similes ratione substitutorum phantasmatum, in quibus cognoscuntur; ex quibus proinde conceptus vniuersalis compingi potest, provt dictum est.

Hæc de prædicatis ex se vniuersalissimis entium. 164
Quæ enim specialiora sunt, maiorem similitudinem entitatiuam debent habere à parte rei, vt ab intellectu nostro cum exactâ, & purâ similitudine concipi possint; eóque maiorem, quò magis specialia fuerint, tametsi exactè similia à parte rei esse non debeant, nisi quando absque vllâ præcisione à differentiis dissimilibus, sed tantùm à differentiis inæqualibus, aut merè inter se distinctis ab intellectu nostro sunt concipienda aut seorsim, aut sub vno vniuersali conceptu, iuxta dicenda latiùs *infrà q.* 12. Tunc enim nisi in se sint exactè similia, talia ab intellectu nequibunt concipi, & consequenter nec dictis modis sub vno conceptu adunari. Quia intellectus noster nequit concipere purè similia, & consequenter nec sub vno conceptu vniuersali complecti vt talia ea, quæ in se re verâ aliquam dissimilitudinem habent, nisi præscindendo à tali dissimilitudine, hoc est, à prædicatis differentialibus, vnde illa à nobis prouenire concipitur. Explicemus cuncta paulatim per varia exempla.

Concipit intellectus noster circulum, & quadratum extrema inter se re ipsâ satis dissimilia; moxque ab vnoquoque præscindit rationem figuræ plenæ, quasi separans eis conceptibus similitudinem, quam circulus, & quadratum habent à dissimilitudine eorum, quæ relinquitur in differentiis, talemque subinde rationem provt à differentiis præcisam exactè similem apprehendit in quadrato, & in circulo, quo fit, vt in promptu sit eam sub vno conceptu adunari. Rursus concipit intellectus quadratum, & triangulum rectilineum, quæ duo magis similia sunt reipsâ, quàm quadratum, & circulus. Proindéque in iis aliquid amplius similitudinis habet intellectus noster, quod præscindat à dissimilitudine: sicque in huiusmodi extremis non solam rationem figuræ planæ, vt in præcedentibus, sed 165

rationem figuræ planæ rectilineæ, eamque purè, &

& exactè similem, sub vnoque conceptu adunabilem præscindit à residuis talium extremorum differentiis. Pergit dein intellectus, & concipit triangulum ambligonium, qualis dicitur, qui vnum angulum obtusum, & duos acutos habet, & triangulum oxigonium, qui acutos habet omnes tres angulos. In quibus extremis longè similioribus quam prædicta, rationem iam trianguli omninò similem à differentiis abstrahit, vt suprà; quæ ratio est figuræ rectilineæ habentis omnino tres angulos, & tria latera.

166 Hoc pacto concipiens intellectus noster duas luces non omninò similes, ab earum differentiis præscindit rationes lucis omninò similes, & adunabiles. Tantumdemque præstat dum hominum, & brutorum sensationes animaduertens, quæ quidem non nihil à parte rei dissimilitudinis habent, præscindens ab eâ, rationem sensationis abstrahit in omnibus omninò similem; atque adeo etiam adunabilem sub vno conceptu. In aliisq; huiusmodi pariter.

167 Denique concipit intellectus noster duos circulos eiusdem materiæ, vbi cum nihil habent dissimilitudinis, quod suâ præcisione secernat, aut concipiendo eos exactè similes, & æquales, quando re ipsâ tales sunt, quoad totum etiam, quod sunt, citrà omnem præcisionem adunat. Aut rationem circuli pariter prorsus similem à differentiis inæqualitatis, si sunt circuli inæquales, à purisve singularitatibus, si sunt æquales, abstrahit, abstractamque etiam adunat, iuxta doctrinam statutam *suprà n. 69.* Est namque singularitas pura, seu differentia purè numerica, quæ citra omnem dissimilitudinem, atque inæqualitatem distinguit individua, vti explicabimus *inferiùs q.* 12.

168 Pari ratione quando conceptus adunati sunt respectiui ab ipsis connotatis extrinsecis, quæ tales terminant respectus, solet adunatio inchoari. E. g. videt quis plures illuminationes à pluribus agentibus oriundas exactè similes, statimque inde in promptu habet plures potentias illuminatiuas exactè similes in ipsis agentibus ab eorum differentiis abstrahere; quæ subinde illuminationibus adunatis sub vno, & communi conceptu illuminationis, sub vno pariter, & communi conceptu potentiæ illuminatiuæ iunguntur. Similiter quia sensationes hominis, & brutorum exactè similes concipiuntur à nobis in ratione sensationis, vt paulò antè notabamus, procliue est, vt principium sentiendi exactè quoque simile nobis appareat in homine, & singulis brutis, & consequenter etiam vnum illis commune; atque ita homo, & omnia bruta conueniant in ratione animalis, hoc est, potentis sentire, vti fatentur omnes. Pariterque in similibus euenit.

Propositio 3.

169 Vt aliqua plura sub vno conceptu cunctis ipsis communi, atque adeo vniuersali adunentur, non solùm purè, & exactè inter se similia, vt statuimus *propos.* 1. Sed etiam æqualia debent à nobis concipi, æqualitate videlicet phantasmatũ substitutorũ.

Quia eædem rationes ibi adductæ, quæ pro omnimodâ similitudine faciunt, pariter faciunt pro æqualitate, vt consideranti patebit. Itaque sicut ratio trianguli conueniens triangulis dissimilibus omnino similis abstrahitur intellectu nostro in omnibus illis à dissimilitudine ipsorum. Sic ratio trianguli cõueniẽs triãgulis inæqualibus omninò æqualis abstrahitur intellectu nostro in omnibus illis ab ipsorũ inæqualitate. Pariterq; dicendum de cæteris.

Vbi nota, etsi aliqua à parte rei nec sint inter se æqualia, nec inæqualia, eo quòd nullam quantitatem aut physicam, aut metaphysicam habent, iuxta suppositum 4. datam. *n.* 158. At in mente nostrâ obiectiuè non posse non cuncta aut æqualia, aut inæqualia esse, hoc ipso, quod non in se ipsis, sed in substitutis corporeis quantísque, atque adeo vel æqualibus, vel inæqualibus concipiuntur. 170

Propositio 4.

Ea, ex quibus ratio vniuersalis abstrahitur, siue adunatur, rarò in se ipsis à parte rei sunt æqualia physicè, aut metaphysicè, concipiuntur tamen ab intellectu nostro æqualia in phantasmatibus substitutis cum præcisione ab inæqualitate, quam in se habent, idoneáque euadunt vt sic, vt sub vno vniuersali conceptu adunentur. 171

Hæc propositio eodem pacto ac secunda venit explicanda, & probanda: quia, quod ad rem attinet, de æqualitate, & inæqualitate perinde philosophandum est hîc, atque ibi philosophati sumus de similitudine, & dissimilitudine. Quare accommodentur ad rem præsentem, quæ *ibi* diximus, proportione seruatâ, ne diutius frustra immoremur. Præsertim, quia de his plura iterũ *infra q.* 12. dicenda sunt.

Duo tamen mihi occurrunt hic animaduertenda. 172
Primum est. Bifariam posse cognosci à nobis duo quæpiam, vel plura extrema inter se similia, aut æqualia. Primò similitudine, aut æqualitate logicâ, quam participant à phantasmatibus substitutis, in quibus à nobis cognoscuntur. Secundò similitudine, aut æqualitate physicâ, quam ipsa habent in se. Vt priori modo cognoscantur, seu potius talia appareant, nullatenus posteriori modo cognosci debent: alioquin quando extrema non sunt in se exactè similia, & æqualia, talia apparere nobis non possent nisi delusis, & deceptis, contra superiùs statuta. Sed sat est vt intellectus subroget phantasmata similia, & æqualia pro dictis extremis cognoscendis quoad alios conceptus præscindendo à similitudine, & æqualitate, quam ipsa habent, aut non habent in se. Et hoc pacto vt plurimùm, & fere semper cognoscuntur à nobis ea, ex quibus per adunationem fiunt vniuersalia. Vt vero posteriori modo similia, aut æqualia appareant, seu potius cognoscantur aliqua extrema, eò debet tendere intellectus, vt illorum similitudinem, vel æqualitatem cognoscat in phantasmatibus substitutis, quemadmodum ad cognoscendum quosuis alios rerum conceptus, siue formalitates se gerit. Similitudo siquidem, & æqualitas quædam sunt rerum formalitates, sicut distinctio, identitas, vnitas, bonitas, & cæteræ huiusmodi. Cæterùm, vt plures similitudines, vel æqualitates rerum (tantumdémque de dissimilitudinibus, atque inæqualitatibus cense) in conceptum vniuersalem coire possint, exactè inter se similes, & æquales debẽt euadere in phantasmatibus substitutis, quẽadmodũ cætera obiecta, ex quibus vniuersalia fiunt; quia de omnibus, quod ad rẽ attinet, eadẽ ratio est, vt cõstat.

Alterum animaduertendum est, vt intellectus faciat vniuersale non opus esse, quòd priùs distinctè, & expressè concipiat exactè inter se similia, & æqualia, aut omnia, aut multa eorum, ex quibus conceptus vniuersalis per adunationem est compingendus, tametsi id ita sæpe eueniat de facto; sed satis esse, (quod sæpe etiam de facto euenit) vt vno dumtaxat, aut altero eorum expressè concepto, pro illo, & cæteris, quæ eumdem conceptum, seu prorsus similem habuerint, concipiendis, quæcumque illa 173

sint, vnicum intellectus phantasma subroget. Ita enim fiet, vt omnia sub vno conceptu in tali phantasmate adunentur; quo nihil desideratur, vt talis conceptus respectu omnium vniuersalis sit.

Restat modò, vt ex doctrinâ huius quæstionis aliqua consectaria eliciamus, quæ veluti regulæ quædam sint ad faciendam, & dignoscendam conceptuum vniuersalium adunationem.

Consectarium 1.

174 Quæ in se sunt physicè exactè similia, & æqualia, taliáque à nobis seorsim apprehenduntur, citra omnem præcisionem obiectiuam possunt à nobis sub vno conceptu adunari.

Ita se habent plures circuli, & plura quadrata æqualia, plures calores, & plures candores æquè intensi, & alia huiusmodi. Ratio autem consectarij ex dictis est clara, quia in ordine ad adunationem, ad id solum præcisio requitur, quòd extrema adunanda exactè nobis appareant similia, & æqualia; in casu autem consectarij talia nobis apparent absque vllâ præcisione.

Consectarium 2.

175 Vt concreta ex subiecto, & actu, siue ex subiecto, & formâ exactè similia, & æqualia nobis appareant, provt opus est, vt in vnum conceptum coeant cunctis communem, sat est, quòd eorum actus, siue formæ tales nobis appareant; quantumuis eorũ subiecta inter se dissimilia, aut etiam inæqualia sint.

Ratio est, quia huiusmodi concretorum subiecta connaturaliter concipiuntur à nobis valde obscurè, & confusè, nempe quasi obuoluta, & contecta actibus, siue formis, quæ concipiuntur clarè, & expressè, provt *suprà disp. 2. q. 4. conf.* 3. notauimus, quo fit, vt talium subiectorum diuersitas non discernatur, atque ita concretorum adunationi non obstet. Id, quod vel ipsâ experientiâ est manifestum; iuxta quam constat omnia calida exactè nobis apparere similia, & æqualia ab exactâ similitudine, æqualitatéque calorum, quidquid sit de diuersitate subiectorum. Paritérque omnia existentia à similitudine, & æqualitate actuum existendi: omnia bona à similitudine, æqualitatéque bonitatum, &c. etiam quando subiecta horum concretorum quod totum, quod sunt, concipiuntur, & non quoad vnam solam formalitatem in omnibus similem, iuxta *disp. 2. q. 3. conf. 5. & q. 4. conf. 3. citato.*

176 Vnde sequitur, quando concreta sunt physica, contingere posse, vt ea citrà omnem metaphysicam præcisionem adunabilia sint, quantumuis habeãt dissimilitudinis physicæ ex parte subiectorum, si tamen formæ exactè similes, & æquales physicè sint, & vt in se sunt concipiantur, qualia essent plura calida exactè similia, & æqualia, tam quoad intensionem, quàm, quoad extensionem caloris quorum subiecta alia essent lignea, alia lapidea, alia ferrea, & alia aliarum materierum.

177 Hoc tamen casu excepto, quæcumque physicè aliquam inter se dissimilitudinem habent, in vnum conceptum cunctis communem coire nequeunt, nisi interueniat obiectiua præcisio, quæ conceptum adunatum ab omni differentiarum dissimilitudine exuat, iuxta superiùs dicta.

Consectarium 3.

178 Vt actus, quos significant verba, in vnicum conceptum communem sumpti in abstracto coire possint, non satis est eos quoad intrinsecum suum conceptum exactè similes apparere; sed insuper est necessarium vt talia appareant, tum eorum termini, tum subiecta, quæ tanquam connotata à se distincta suopte conceptu respiciunt.

Hoc etiam constat experientiâ, & ratione probatur; quia tales actus non possunt concipi absque talibus connotatis, vtpotè qui respectus quidam ad illa sunt. Ergo nec possunt adunari, ni talia etiam connotata adunentur, quod sine horum exactâ similitudine, iuxta dicta non potest fieri. Probo consequentiam. Quia si adunarentur omnes actus, non adunatis connotatis, omnia hæc simul, distinctéque, & vt plura, sicuti in se re ipsâ sunt, deberent cognosci; quod tamen impossibile est, quia sunt infinita, aut innumera; & nos non possumus simul innumeras cognitiones habere, quales nobis sunt necessariæ ad cognoscenda innumera distinctè, & vt plura, iuxta doctrinam statutam *disp. 2. q. 3. Conf. 2.* Deinde ille conceptus, sub quo essent adunati omnes actus, ad ea innumera connotata distinctè cognita ita terminari conciperetur, iuxta modum nostrum connaturalem intelligendi, quasi singuli actus particulares in illo contenti ad ipsa omnia connotata terminarentur, quod tamen est mendacium ab abstrahentibus alienum, iuxta Logicorum effatum. Si enim concipias conceptum vniuersalem cognitionis quatuor obiectorum, is vtique contrahendus venit ad hanc cognitionem quatuor obiectorum, & ad illam etiam quatuor obiectorum, & ad aliam quatuor obiectorum, &c. Paritéque si concipias conceptum vniuersalem vnionis materiæ ad quatuor, aut plures formas, & alios huiusmodi. Stet ergo quatuor cognitiones exactè similes, quarum vnaquæque vnum tantùm habet obiectum, sub vnum conceptum cognitionis venire non posse, nisi simul sub vnum conceptum obiecti veniant ipsa quatuor obiecta.

Et confirmari potest. Quoniam eo ipso, quod 179
actus sine subiecto, & termino concipi nequit, hæc tria vnicum adæquatum obiectum complent, quod vtique vt aliis ternariis huiusmodi exactè sit simile, omnes suas partes omnibus partibus aliorum, singulas singulis, provt correspondent, debet habere exactè similes, vt est notissimum. Cùm igitur cætera quæque obiecta absque tali similitudine non sint adunabilia, vt constat ex dictis; neque hæc absque illâ adunabilia erunt. Quod est non posse actus similes sub vnicum conceptum cadere, nisi & eorum subiecta cadant sub vnicum conceptum, & eorum termini pariter.

Et quoniam actus bene possunt esse inter se simi- 180
les, tum physicè, tum in mente nostrâ obiectiuè, tametsi tum eorum termini, tum eorum subiecta inter se dissimilia sint, vt *suprà disp. 13. quæst. 9. Consect. 6.* statuimus, & latiùs rursus *dispur. 16. quæst. 4.* dum talis subiectorum, aut terminorum dissimilitudo retinetur, tales actus, quantumuis intrinsecè similes, non erunt adunabiles, obstabit namque dissimilitudo subiectorum, aut terminorum, à quâ dissimilis extrinsecè, & ipsi actus dici possunt. Cæterùm vt est intellectus noster promptissimus ad adunanda quælibet alia obiecta, quantumuis inter se dissimilia sub aliquo conceptu ipsis communi, abstrahendo scilicet ab illis aliquem actum in cunctis similem, moxque cuncta ipsa superuestita tali actu concretè concipiendo, iuxta doctrinam *consect. 2.* (sic enim adunamus facilè lapidem, hominem, arborem, & alia obiecta dissimilia

dissimilia sub conceptibus existentis, potentis existere, distincti, veri, boni, &c.) Ita quoque promptissimè potest, & solet terminos, subiectâque dissimilia actuum similium sub aliquo conceptu ipsis communi adunare, vt & actus ipsos sub proprio eorum conceptu queat adunare, & adunet. Si quando autem alij conceptus communes subiectis, aut terminis desint, ad manum est ipse conceptus subiecti, in quo conueniunt omnia subiecta quatenus talia, & ipse conceptus termini, in quo conueniunt omnes termini, quatenus tales. Subiici enim actui formaliter alius actus est intermedius, in quo concretè assimilantur omnia subiecta pariterque terminare actum formaliter alius actus est intermedius, in quo concretè assimilantur omnes termini, iuxta doctrinam statutam *q. illâ 9. citatâ.*

Consectarium 4.

181 Adunationi actuum similium sumptorum in concreto dissimilitudo subiectorum non obstat. Obstat tamen dissimilitudo terminorum.

Prior pars ex *consect. 2.* constat: Ibi enim statuimus per actus in concreto positos ita eorum subiecta contegi, vt horum dissimilitudo non discernatur; atque adeo neque obstet, quominus ipsa concreta appareant exactè similia, & consequenter adunabilia, quando sunt actus exactè similes. Posterior autem pars inde apparet, quod termini actus per actus quantumuis sumptos in concreto non conteguntur; sed semper concipiuntur distinctè, vt patet in horum actuum, seu concretorum terminis *legens lectionem, videns parietem, cognoscens obiectum, potens existere, distinctum ab homine,* & consequenter in aliis omnibus. Hinc autem fit, quando termini actuum similium sunt inter se dissimiles, æquè apparere inter se dissimiles, siue actus in concreto sumantur, siue in abstracto, atque adeo æquè non adunabiles tum ipsi, tum actus defectu adunationis ipsorum, nisi sub aliquo conceptu ipsis communi adunentur, vt facilè possunt ipsorum dissimilitudine præcisâ, & contectâ, iuxta doctrinam *consect. 3.*

Consectarium 5.

182 Actus intrinsecè dissimiles, quâ tales non sunt adunabiles, quantumuis eorum termini, subiectaque adunabilia sint. Possunt tamen facilè adunari, sicut & alia obiecta sub aliquo conceptu concreto eorum dissimilitudinem obuoluente, & tegente. Abstractè tamen, manentéque intra sphæram actuum non sunt vllatenus adæquatè adunabiles; sed merè inadæquatè dumtaxat quoad aliquas formalitates sui.

Prima pars consectarij ex dictis est nota, neque vllâ nouâ eget explicatione; secunda etiam constat ex dictis: quia sicuti alia quæque obiecta dissimilia possunt adunari in ratione entis, boni, veri, distincti, &c. ita & actus dissimiles. Hoc tamen casu quasi egrediuntur ab sphærâ actuum, cùm fiant subiecta aliorum actuum similium, quibus superinduti apparent similes iuxta dicta. Tum hâc ratione quadamtenus adæquatè adunari possunt, præsertim quando conceptus, sub quo adunantur, transcendens est, hoc ipso, quod sub illo totum, quod re ipsâ sunt, potest obuolui, id exigentibus principiis, quæ mouent, siue determinant ad talem adunationem, & conceptiones præuias faciendas, iuxta doctrinam datam *suprà disputat. 2. quæstione 3.* præsertim *consect. 5. & disp. 13. quæst. 9.*

Cæterùm quando actus dissimiles non vt subiecta aliorum; sed secundum se considerantur, quo pacto intrà propriam actuum sphæram contineri censentur, in nullo sensu possunt adæquatè adunari, quia vt sic dissimiles apparent; possunt tamen præscindi ab illis vna, vel plures formalitates inter se similes, quæ adunari poterunt. Ita enim in actibus cognitionis physicè dissimilibus formalitates actus, cognitionis, iudicij abstractiui, vel intuitiui similes, & adunatas passim concipimus cum præcisione à differentiis, in quibus dissimilitudo tota relinquitur, iuxta superiùs dicta. Quo tertia pars consectarij satis, superque explicata manet. 183

Consectarium 6.

Quæ dicta sunt in totâ hâc quæstione de adunatione plurium sub vno conceptu vniuersali, & illis communi, eodem pacto locum habent, siue ea plura talia sint physicè, & realiter, siue tantùm metaphysicè, & per rationem nostram. 184

Itaque quemadmodum plures res inter se distinctæ realiter, ita & plures formalitates eiusdem rei, aut etiam plurium distinctæ solùm per rationem; si sint inter se dissimiles, quâ tales adunari non possunt. Possunt tamen sub ratione, siue formalitate aliquâ in omnibus reperta simili in vnum conceptum communem omnibus, atque adeo vniuersalem coire, prout est *in superioribus* explicatum. Sic omnipotentia Dei, æternitas, immensitas, infinitudo, & cætera diuina attributa, secundum conceptus peculiares singulorum non sunt adunabilia, quia tales conceptus sunt inter se dissimiles; benè tamen secundum conceptus in cunctis similes, atque adeo cunctis communes, vt sunt conceptus entis à se, diuini attributi, distincti à creaturâ, boni, veri, &c. Paritérque de pluribus aliis formalitatibus aut eiusdem, aut plurium rerum philosophandum est.

Vnde colligitur primò adunationem plurium sub vno conceptu vniuersali cunctis communi semper habere locum, quando ea plura similia apparent, prout ad talem adunationem requiritur, iuxta superiùs dicta. Siue ita appareant similia ex vi primorum conceptuum, quos de ipsis formamus, siue ex vi secundorum cadentium super primos quasi reflexè, dum alia phantasmata substituta pro primis conceptibus subrogamus, siue ex vi tertiorum, & ita deinceps, iuxta doctrinam datam suprà *disp. 2. quæst. 3. & disputat. 13. quæst. 9.* de modo, quo intellectus noster subrogat substituta phantasmata non solùm immediatè pro rebus cognoscendis; sed etiam mediatè pro cognoscendis conceptibus earum per alia substituta phantasmata iam prius formatis. 185

Ex quo colligitur secundò: quia, vt ibi notabam, & ego mihi experiri videor, sæpè per ipsum phantasma vocis, aut prolatæ, aut scriptæ aliquod obiectum significantis solemus concipere obiectum ipsum, sæpe vtique fieri, vt sub vnum conceptum per tale phantasma formatum omnia obiecta adunemus, quæ per talem vocem significantur, quantumuis ea sint inter se dissimilia, vt sunt, quando vox est æquiuoce: neque hoc à doctrinâ datâ exorbitat; quia omnia ea obiecta in hoc, quod est per talem vocem significari, similia sunt, vt 186

ſicque ſub vnico vocis phantaſmate comprehenduntur inſtar aliorum concretorum ſimilium à ſimilitudine actuum, quibus eorum conteguntur ſubiecta, iuxta doctrinam datam. Neque propterea cenſenda eſt tolli vocis æquiuocatio in caſu propoſito. Quoniam licet verè ea eſſet vniuoca, ſi tantùm ſignificaret dicta plura obiecta provt ſimilia, & adunata in ſui phantaſmate ſubſtituto pro illis; quia tamen primariò, & principaliùs ſignificat illa provt diſſimilia ſecundum prævios, & proprios ſingulorum conceptus, ſuam retinet æquiuocationem, vt ampliùs conſtabit ex dicendis *infra q.* 22. vbi ex principiis hîc iactis facillimè diiudicabimus, quid de æquiuocis, vniuocis, & analogis ſentiendum ſit.

Conſectarium 7.

187 Huc vſque loquuti ſumus in hac quæſtione de adunatione plurium ſub vno conceptu vniuerſali, quæ eo ipſo eſt adunatio vniuerſalitatis. Nunc breuiter ex dictis deducimus de adunatione diſiunctionis pariter philoſophandum eſſe, de adunatione verò collectionis paulò aliter.

Itaque ſuppoſitis naturis, & differentiis horum trium generum adunationis plurium in vno conceptu, quas *diſp.* 2. *q.* 3. *conſect.* 5. exp.icuimus. Dico primò, ſub vno conceptu obiectiuo vago, qualem ſignificant hi termini, *aliquis homo*, *aliquis leo*, *aliquis lapis*, & ſimiles: formatúrque quando pro pluribus diſiunctiuè cognoſcendis vnicum phantaſma ſenſibile ſubſtituit intellectus noſter; plura diſſimilia, quà talia adunari non poſſe, quia de huiuſmodi conceptu vago perinde, quod ad rem attinet, ac de conceptu vniuerſali philoſophandum venit, vt ex dictis in hâc quæſtione præſertim *propoſit.* 1. ſatis clarè colligitur. Cum quo ſtat, quando plura diſiunctiuè à nobis cognoſcuntur non ſub vno conceptu vago, vt in caſu propoſito; ſed ſub pluribus ſaltem partialibus, quales reſpondent iſtis terminis: *homo'*, vel *Angelus*, vel *lapis*, *&c.* eorum diſſimilitudinem, quantumuis expreſsè conceptam nihil obſtare. Circa quod recolantur dicta *ſuprà diſp.* 10. *q.* 2.

188 Dico ſecundò. Adunationem collectionis, (quæ fit ſubrogando vnum phantaſma, ita pro multis collectiuè, vt non ſubrogetur pro ſingulis diſtributiuè, nec illis poſſit ſingulatim accommodari) bifariam euenire poſſe. Primò ſi phantaſma ſubrogatum pro multis ea cuncta capiat in ſuâ extenſione diſtinctè, itavt ſingulis ſingulæ partes extenſionis phantaſmatis correſpondeant, iuxta doctrinam de extenſione phantaſmatum datam *diſp.* 1. *q.* 2. *&* 3. *&* *diſp.* 2. *q.* 3. Quo caſu talium multorum diſſimilitudo nihil obſtabit, quominus ea ſub talem vnicum conceptum cadere poſſint, imò verò ſub illo expreſsè diſſimilia apparebunt. Ita fit, quando multa corpora diſſimilia vnumquodque in ſuo loco diſtinctè nobis repræſentantur, & ſimul vnico totali conceptu, ita tamen extenſo, vt ſingula illa ſingulis partibus ipſius conceptus correſpondeant. Secundo modo euenit dicta adunatio, quando phantaſma ſubrogatum pro multis ea cuncta in ſuâ extenſione non capit, ob idque aut pleraque, aut etiam omnia quaſi obuoluta, & contecta, ac veluti penetrata refert, ad eum modum, quo in conceptu communi cuiuſvis concreti quaſi contecta per formam, & obuoluta, ac veluti penetrata concipiuntur omnia ſubiecta, iuxta ſuperius dicta. Vt enim phantaſma cuiuſvis particularis formæ veluti circumducitur ſuprà ſuum ſubiectum, illudque contegit, dum concretum ex ſubiecto, & formâ conflatur, vt notauimus *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *conſect.* 3. indéque fit vt concreta ex formis ſimilibus ſub vnum conceptum vniuerſalem venire poſſint. Ita in caſu noſtro phantaſma ſubrogatum pro collectione multorum inſtar tegumentum quoddam extenſum, quo illa obuoluuntur, apprehenditur. Quocirca phantaſma proprium multitudinis tanquam cuiuſdam formæ multorum eſt. Vnde ex hoc modo adunandi multa ſub vno conceptu collectiuo ſequitur primò talium multorum diſſimilitudinem huic adunationi nihil obſtare, vt non obſtat diſſimilitudo ſubiectorum, vt adunentur ſub eâdem formâ. Secundò huiuſmodi conceptum collectiuum ſingulis in eo contentis nequaquam poſſe conuenire; ſed tantùm eorum collectioni, in quo differt à conceptu vniuerſali, & à conceptu vago. Tertiò ſemel ita adunato vario aggregato multorum, ita ea in ratione multitudinis poſſe ſimilia euadere, vt in vnicum conceptum vniuerſalem multitudinis coire valeant; ita vtſit verum multa aggregata in ratione multitudinis, ſiue in ratione aggregati vniuocè conuenire poſſe.

Porrò, quidquid de ſimilitudine, & diſſimilitu- 189
dine multorum diximus in ordine ad eorum adunationem, eodem pacto locum habet circa eorumdem æqualitatem, & inæqualitatem, vt ſatis conſtat ex dictis *in totâ hâc quæſtione*.

Ad cuius extremum ex dictis etiam in eâ breuitet 190
reſoluenda venit quæſtio, quam aliqui hic ſolent extendere. Num ſcilicet vniuerſale in communi vniuocum ſit, atque adeò genus reſpectu omnium vniuerſalium, ſiue prædicabilium? Dico vno verbo vniuocum eſſe. Tum, quia vt tale ab Ariſtotele, ab aliiſque Philoſophis citra vllam diſtinctionem definitione vnicâ definitur, quod proprium vniuocorum eſt; tum, quia omnia vniuerſalia exactè ſimilia, & æqualia concipiuntur à nobis quoad rationem vniuerſalis præcisè ſumptam, quoad illámque proinde ſub vno conceptu vniuerſalis adunantur. Quo nihil deeſt, quominus talis conceptus vniuocè dicatur de omnibus, iuxtá doctrinam vniuocorum tradendam *infrà quæſt.* 22. Quod ſi eſt vniuocum, & genus erit, de quo nullus dubitat, quia aliter, quàm vt genus ad vniuerſalia ſpecialia non poteſt comparari, vt conſtat. Contrà hoc tamen quædam ſophiſmata fieri ſolent pro ingeniis tyronum exercendis inde deſumpta, quod vniuerſale in communi per denominationem quaſi reflexam generis, & conſequenter vniuerſalis ſibi ſuperuenientis genus quoddam indiuiduum efficitur. Quo fit, vt vno modo acceptum ſuperius ſit reſpectu generis, quod eſt vna ſpecierum eius, & altero modo acceptum ſuperius ſit reſpectu ipſius generis, & conſequenter reſpectu ſui. Tum vno modo acceptum eſſentialiter eſt vniuerſale. Altero autem accidentaliter eſt tale. Tum vnomodo genus generis, cæteróque vniuerſalium eſt. Altero quoddam eſt ipſius generis indiuiduum. Quod indicaſſe ſatis ſit pro dictis ſophiſmatibus diluendis. Videantur Conimbricenſes *in Præf. Porphyr. quæſtione ſeptima.* Rub. *quæſtione ſeptima.* & alij Recentiores.

QVÆ

QVÆSTIO IX.

Quid sit particulare correlatiuum vniuersalis: & quotuplex?

191 TRia sunt nomina, quæ ob vicinitatem sæpè confusionem inducunt, sæpéque etiam pro eodem accipi solent, *indiuiduum*, *singulare*, & *particulare*. Ex quibus duo priora semper sumuntur pro eo, quod numericè est vnum, distinctúmque à cæteris; atque adeo non vniuersale iuxta dicenda *quæstione decima*. Tametsi *indiuiduum* expressiùs dicat vnitatem numericam, quæ quædam est indiuisio in plura. Singulare autem distinctionem à cæteris. Particulare verò etsi pro eodem significato sæpè vsurpetur, frequentiùs tamen solet vsurpari à Philosophis pro eo, quod vniuersali subiicitur, siue sit etiam vniuersale, qualis est species subiecta generi, siue non sit, vt indiuiduum subiectum speciei, vti cum sancto Thoma *in 1. Post. lect. 12.* testantur Conimbr. *in Præf. Porphyr. q. 8. art. 1.*

192 Itaque Particulare strictè, & specialiter sumptum, quo pacto est correlatiuum vniuersalis, est id, quod vniuersali subiicitur, seu, cui vniuersale conuenit, & de quo prædicatur. Vnde illud in duo membra venit diuidendum. Aliud enim est particulare vniuersale, siue commune pluribus, qualia sunt subiecta immediata generis, nimirum species. Aliud est particulare singulare, seu multis non commune, qualia sunt subiecta immediata speciei, nimirum indiuidua, & cætera huiusmodi.

193 Igitur Particulare physicè sumptum nihilo differt à rebus ipsis, quæ per iudicia nostra, & prædicationes vniuersali subiiciuntur. Sumptum verò logicè perinde, ac vniuersale logicum tanquam correlatiuum eius venit constituendum, vt bene docent Conimbr. *vbi suprà*. Atque ita sicut vniuersale logicum est, quod potest esse in multis, seu eis conuenire, atque prædicari de illis, prout in superioribus exposuimus, ita Particulare logicum (quale dicitur quodvis eorum multorum, ad quæ refertur vniuersale) id erit, quod potest subesse vniuersali, vt subiectum, cui illud conuenit, eidémque subinde subiici potest, vt subiectum, de quo illud prædicatur. In quo amplius non oportet morari.

194 Disputant tamen Conimbr. *quæst. citatâ, art. 2.* An particulare vniuersali subiectum ita debeat esse vnum per se, vt non sit aggregatum pluriumphysicè distinctorum. Affirmantque debere esse talia particularia subiecta vniuersalibus, seu prædicabilibus essentialibus, secus, quæ prædicabilibus accidentalibus subiiciuntur, tametsi addant & hæc quoque plerumque talia esse de facto. Quo iure negant hominem in communi de albo, & nigro vniuersaliter, vniuocéque prædicari, quia prædicatio est essentialis, albúmque, & nigrum non habent vnitatem per se, cùm quodvis eorum dumtaxat sit vnum per accidens, vtpotè complexum quoddam ex subiecto, & accidente. Tantumdémque censent de similibus.

195 Ego verò cum Recentioribus ab eisdem Conimb. suppresso nomine relatis oppositum censeo. Quia vnitas, quam ipsi exposcunt in subiectis vniuersalium essentialium impertinens est, vt hæc tanquam vera vniuersalia vniuersaliter, vniuocéque prædicentur de illis. Quid enim interest particularia esse complexa compositáve physicè ex partibus, vt detur vnicus conceptus eis essentialis, eisque communis, & prædicabilis de ipsis? Quo nihil deest quominus illo respectu horum verè vniuersale sit, & vniuocum. Quocirca dico prædicationes, quibus homo in communi de albo, & nigro est prædicabilis, etsi indirectæ sint, verè esse prædicationes de prædicato vniuersali, & vniuoco. Sunt autem essentiales, quia partis de toto, & generis, seu potius prædicabilis mixti, quia partis de toto per aliam mutuò contrahibilis: prædicabilis inquam, mixti, non metaphysici, sed physici; iuxta doctrinam stabilitam, *quæst. 7.* paritérque de similibus philosophandum est.

Hæc de particulari strictè, & specialiter sum- 196
pto pro subiecto vniuersalis sint satis. Sequitur vt de singulari, seu indiuiduo sub illo contento tractemus. Sed prius adnotandum est propositionem particularem dici à Logicis eam, cuius subiectum est terminus singularis vagus, qui etiam terminus particularis appellatur. Vnde nomen *particulare* bifariam, & quidem æquiuocè, vsurpatur; primò pro subiecto vniuersalis quodcumque illud sit. Secundò pro termino singulari vago, à quo etiam propositio, cuius subiectum est talis terminus, particularis dicitur.

QVÆSTIO X.

Quid sit singulare seu indiuiduum?

BIfariam solet vsurpari indiuiduum. Physicè vi- 197
delicet, seu primò intentionaliter, vt aiunt, & logicè, seu secundò intentionaliter. Et priori quidem modo acceptum sic definitur à sancto Thoma 1 *parte, quæst. 29. art. 4. in corp. Indiuiduum autem est, quod est in se indistinctum, ab aliis verò distinctum.* Ex Porphyrio autem *in sua Isagoge cap. de specie* aliter sic definiri solet. *Est id, cuius collectio proprietatum in altero reperiri non potest.* Ex quibus duabus definitionibus prioti omnino bene intellectæ standum est, ita nimirum vt per indistinctionem in se non quævis vnitas, sed solùm numerica intelligatur, iuxta illud Aristot. *lib. 3. Metaphysicæ, text. 14. Numero enim vnum dicere, aut singulare nihil differt; ita enim singulare dicimus, quod vnum numero est; vniuersale, quod in his.* Posterior enim definitio vel sub collectione proprietatum cuiusque indiuidui comprehendit eius numericam vnitatem, & distinctionem ab aliis, vel non comprehendit? Si comprehendit, superfluè cæteras proprietates commemorat: quandoquidem per vnitatem, numericam, & distinctionem ab aliis sufficienter explicatur natura indiuidui, vt videbimus. Si non comprehendit, non definit omne indiuiduum vniuersè, quia multa sunt quæ nullam habent proprietatem, per quam discriminentur ab aliis præter distinctionem ab eisdem. Et quidem per hanc definitionem Porphyrij non omnia indiuidua, sed aliqua solùm definiri, communis expositorum sententia est, vt notant Conimbric. *in Porphyr. Isagog. cap. de specie, quæst. 3. art. 1.*

Itaque singulare, seu indiuiduum dicimus id, 198
quod vnum numericè est, & ab aliis distinctum. Per particulam *vnum* conuenit indiuiduum cum vniuersali, à quo differt per particulam *numericè*. Vnitas quippe indiuidui numerica est, id est, constituens vnum non commune multis, cùm tamen

vnitas

vnitas vniuersalis, vniuersalis sit, id est, constituens vnum multis commune. Per particulam autem *ab aliis distinctum* differt vnũquodque indiuiduum à reliquis omnibus. Vltimata enim rerum differentia, & simplicissima omnium, & sine quâ nulla alia differentia potest constare, distinctio est, quâ inuicem inter se distinguuntur; siquidem omnis alia differentia, aut per dissimilitudinem, aut per inæqualitatem constituenda venit, vt ex dictis *disp.16.* constat, atque etiam ex hîc dicendis constabit: dissimilia autem, aut inæqualia esse non possunt, nisi, quæ sunt distincta, vt est notum. Cùm tamen distincta esse possint, quæ nec dissimilia sunt, neque inæqualia, nullâmque aliam subinde differentiam inter se habent præter distinctionem; & hæc necessariò sunt solo numero differentia, atque adeo indiuidua.

199 Dices. Pleráque indiuidua præter vnitatem numericam, & distinctionem ab aliis habent alias proprietates, quibus in quantum indiuidua discriminantur, vtpotè in quibus aut dissimilia, aut inæqualia sunt, vt cernere est in hominibus, in brutis, in plantis, eiusdem speciei, &c. Ergo malè definitur indiuiduum per solam vnitatem numericam, & distinctionem ab aliis. Omisso modò antecedente, de quo *infrà quæst.* 14. nego consequentiam. Primò, quia non debet definiri vnumquodque per omnes suas proprietates, sat est definiatur per vnam ex primis, & notissimis, iuxta doctrinam tradendam *infrà disputat.* 25. qualis in indiuiduo est vnitas numerica, & distinctio ab aliis. Secundò, quia multa sunt etiam indiuidua, quæ vt talia nullam aliam proprietatem habent præter vnitatem numericam, & distinctionem ab aliis, vt patet in circulis, & quadratis, aliisque huiusmodi figuris omnino similibus, æqualibúsque, & eiusdem materiæ, in coloribus eiusdem speciei intensis, & extensis æqualiter: in partibus omnino homogeneis, æqualibusque multorum compositorum, &c. Per vnitatem ergo numericam, & distinctionem ab aliis solùm debet definiri indiuiduum, vt omnibus indiuiduis definitio communis sit. De quo vide dicenda insuper *q.12.*

200 Iam verò indiuiduum logicè sumptum, siue secundò intentionaliter duabus definitionibus desumptis ex Porphyr. *cap. de specie* solet communiter definiri. Prima in quantum prædicatum, seu prædicabile; secunda in quantum, subiectum seu subiicibile, sic: *Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur. Indiuiduum est, quod subiicitur speciei.* Quot tamen modis indiuiduum de vno solo sit prædicabile. Quomodo etiam non soli speciei, sed etiam generi, cæteríque prædicabilibus vniuersalibus, multíque aliis singularibus sit subiicibile, ex dicendis *quæst. seq.* constabit.

QVÆSTIO XI.

Quotuplex sit singulare, seu indiuiduum?

201 INdiuiduum physicè, seu primò intentionaliter sumptum tot modis diuidi posse, quot diuiditur ens, indubitatum est. Atque ita aliud est indiuiduum substantiale; aliud accidentale. Substantiale autem aliud spirituale; aliud corporeum. Corporeum rursus aliud viuens; aliud non viuens, &c. Accidentale similiter aliud est quantitatis; aliud relationis; aliud actionis; aliud passionis, &c. In quo non opus est morari. Videantur diuisiones entis *suprà disp.9.* indicatæ.

Diuidunt præterea impræsentiarum indiuiduum 202
physicè sumptum in vagum, & determinatum, sed hæc diuisio non est indiuiduorum propria, nam & conceptibus vniuersalibus conuenire potest, vtpotè qui à nobis etiam concipi possunt vel determinatè, vel vagè, siue sub disiunctione. Tota quippe discretio conceptus vagi à determinato à nostro modo concipiendi promanat, quoniam à parte rei nihil omninò vagum est, sed cuncta omnino determinata sunt, determinatéque assignabilia, siue demonstrabilia non solùm quoad esse, de quo nemo dubitat, sed etiam quoad respici in se, siue tangi per aliquem actum, siue respectum, vt nos censemus, & latè ostendimus *suprà disp.* 10 Quo iure etiam censemus, eos solùm, qui res cognoscunt per species alienas, siue in alienis substitutis posse conceptus vagos formare, siue aliquid vagè concipere: non item eos, qui cognoscunt per species proprias tactis obiectis in se ipsis, atque adeo prout in se sunt vt *suprà iam dipl. 2. q. 3.* tetigimus & latiùs *disp.10. citatâ* explicuimus. Vbi de his plura.

Aliter tamen diuidendum est indiuiduum primò 203
intentionaliter sumptum in completum, & incompletum. Indiuiduum completum dicitur quodlibet integrum cuiusuis speciei indiuiduum, prout iacet à parte rei. Vt hic homo, hæc aqua integra, hæc albedo. Incompletum autem, quod est pars indiuidui completi aut physica, vt hæc pars aquæ, hæc pars albedinis, aut metaphysica, vt hæc formalitas huius hominis, scilicet hoc viuens, hoc animal, hoc rationale, &c.

Iam verò indiuiduum logicè, seu secundò inten- 204
tionaliter sumptum, nimirum in quantum prædicabile, aut subiicibile eodem venit ordine diuidendum, quo vniuersale pariter in quantum huiusmodi *q.7.* diuisum est. Tametsi non tot diuisiones, quot vniuersale patiatur.

Imprimis enim prædicabile indiuiduum aliud 205
essentiale, aliud accidentale est subiecto, de quo prædicatur. Nam vel nihil adiicit suprà subiectum ipsum, & sic est prædicabile essentiale, vel aliquid adiicit, & sic accidentale est.

Deinde prædicabile indiuiduum essentiale ni- 206
hil subiecto adiiciens, aut repetit totum subiectum, aut partem subiecti dumtaxat. Si totum prædicabile indiuiduum essentiale totale poterit dici. Si autem partem; partiale, nam pro his nomina propria non habemus. Pars autem, quam respicit partiale, per aliam contrahibilis esse nequit, cùm sit indiuidua. vt supponimus, vnique dumtaxat subiecto, non pluribus conueniens (in quo prædicabile indiuiduum partiale à prædicabili vniuersali partiali discriminatur). Poterit tamen esse aut contractiua alterius, aut non contractiua. Si contractiua; erit prædicabile indiuiduum differentiale, siue differentiæ indiuidualis. Si verò non contractiua; erit prædicabile indiuiduum innominatum. Quale erit vtrique, si sumas concretum indiuiduale adiectiuum, coalescens præcisè ex subiecto, & ex duabus proprietatibus indiuidui vt formis: de eoque alterum eorum proprietatum prædices pariter in concreto, vti dicebamus in simili *q. citatâ* de prædicabili vniuersali innominato. Vnde vides prædicabilia indiuidua essentialia tria hactenus esse; quia tamen duo partialia aut metaphysicè, aut physicè talia esse possunt, erunt omnino quinque. Cùm tamen prædicabilia vniuersalia essentialia formaliaque & directa sint decem, quinque metaphysica,

sica, & quinque physica, vt *in eadem quæstione* monstratum est.

207 Iam prædicabile indiuiduum accidentale adiiciens aliquid subiecto, aut est subiecto necessarium, quia hoc cum illo connexum est, aut est subiecto contingens, quia hoc sine illo potest esse? si necessarium; passio propria, siue proprietas subiecti erit. Si verò contingens; accidens proprium. (Hîc enim non habet locum diuisio passionis, & accidentis in proprium & commune, sicut in prædicabili vniuersali, cùm sermo sit de indiuiduali pluribus non communi.) Ambo autem prædicabilia hæc aut metaphysica, aut physica possunt esse: quatenus id, quod subiecto adiiciunt, aut metaphysicè dumtaxat, seu per rationem nostram, aut physicè, & re ipsâ ipsi subiecto adiectum est. Quò prædicabilia indiuidua accidentalia quatuor hactenus sunt. Rursus verò physica, aut intrinseca, siue adhærentia subiecto, aut ei extrinseca, aut mixta ex vtroque esse possunt. Metaphysica autem aut adæquatè, aut inadæquatè dumtaxat ipsi subiecto identificata. Quo cuncta iam sunt decem.

208 Quorum præterea prædicabilium indiuiduum tam accidentalium, quàm essentialium pleraque alias diuisiones subire possunt penes diuersos modos prædicationis formalis, vel materialis, seu identicæ, directæque, vel indirectæ. Ac demum prædicabile indiuiduum, quemadmodum prædicabile vniuersale, aut substantiale, aut accidentale, aut complexum, aut incomplexum, aut positiuum, aut negatiuum, aut categorematicum, aut syncategorematicum esse potest. Quas omnes diuisiones non opus est in præsenti, distinctiùs persequi. Recognoscatur tota ea quæstio 7. citata, vbi latè sunt expositæ in simili; vnde hàc cum proportione transferri poterunt. Indidemque licebit etiam colligere, quomodò etiam subiicibilitas respectu eorum, quæ de ipso prædicabilia sunt, affectio quædam logica est indiuidui. Et quot præterea modis illud in quantum subiicibile possit diuidi. Sat fuerit hîc prædicta attigisse, vt iterum pateat, quàm diminutè hucúsque Logici processerint in diuisione prædicabilium, atque subiicibilium. Cùm tamen hæc plurimi interfit ad ipsam logicam, sicut & ad ad quamlibet scientiam interest diuisio exacta materiæ eius.

QVÆSTIO XII.

An dari possit vna ratio communis indiuiduis?

209 CONueniunt omnes indiuiduis logicè, seu secundò intentionaliter sumptis vnam rationem communem dabilem esse, de factoque dari: omnia quippe indiuidua planè conspirant in hoc, quod est esse prædicabilia de vno, & subiicibilia speciei, cùm enim in his accidentibus similia sint, quantumuis seorsim ab illis sint inter se diuersa, bene poterit ex concretis, quæ ex talibus accidentibus, tanquam ex formis, ex ipsísque indiuiduis physicis, tanquam ex subiectis resultant, ratio quædam vna, & communis abstrahi, siue adunari; quemadmodum ex quibusvis aliis concretis formarum inter se similium, quantumuis subiecta sint diuersa, abstrahitur, siue adunatur, vt ex omnibus albis, ex omnibus nigris, ex omnibus calidis, &c. iuxta doctrinam vniuersalem statutam, *quæstione* 8.

Controuersia igitur solùm est; an possit dari vna 210
ratio communis indiuiduis physicè, seu primò intentionaliter sumptis, in quantum indiuidua sunt. Quod addo, quia certum est ab indiuiduis absolutè spectatis abstrahi rationem communem specificam genericam, &c. Omnis quippe ratio vniuersalis ab indiuiduis desumitur immediatè, aut mediatè, quandoquidem à parte rei cuncta entia sunt indiuidua, cùm nullum à parte rei sit vniuersale, vt *suprà quæst.* 5. statutum est. Sed difficultas est, an dari' possit ratio communis indiuiduis vt indiuiduis, siue vt constituris, & differentibus per differentias indiuiduales. Negant Caiet. *cap. de specie, ibidémque* Albertus, Sotus, Toletus, Louanienses, & alij. Quibus subscribit Fonseca *lib.* 5. *Metaph. cap.* 6. *quæst.* 5. *sect.* 4. *& cap.* 228. *quæst.* 11. *sect.* 3. Affirmant tamen Rub. *cap. de specie, quæst.* 6. Soar. *disput.* 5. *Metaph. sect.* 2. *num.* 18. *& seqq. & disp.* 6. *sect.* 8. *num.* 13. *&* 14. Petr. Hurtad. *disp.* 5. *Log. sect.* 7. Arriag. *disp.* 7. *Log. sect.* 4. *subs.* 2. & alij Recentiores communiter.

Propositio 1.

Quoties plura indiuidua in aliquâ proprietate 211
(vltra vnitatem numericam, & distinctionem ab aliis) earum, quæ non censentur variare speciem, sunt similia, aut æqualia, ab eis prout talem proprietatem habentibus optimè potest astrahi ratio communis.

Sic à pluribus lineis palmaribus ratio vna lineæ palmaris, à pluribus calidis in quarto gradu ratio vna calidi vt quatuor; à pluribus actionibus eiusdem numero principij, & termini ratio vna actionis talis principij, & termini; à pluribus hominibus complexione biliosis ratio vna hominis biliosi, & à pluribus pituitosis ratio vna hominis pituitosi abstrahi potest, à cæterisque huiusmodi patiter. Probatur facile, quia talia indiuidua quoad talem proprietatem exactè similia, & æqualia concipiuntur à nobis æquè, ac quoad rationem specificam, & genericam, quoad aliasque formalitates ipsis communes, vt ex se testante experientiâ satis apparet; aliundéque abstractâ formalitate talis proprietatis relinquitur in eis alius conceptus, quo indiuidualiter distinguantur, nimirum distinctio vniuscuiusque ab aliis, aut etiam vnitas numerica: ergo non est vnde repugnet eiusmodi proprietatem à nobis concipi vt vnam, atque communem talibus indiuiduis, de factóque citra dubium ita concipitur. Quocirca existimo propositioni præsenti neminem posse dissentire.

Solùm potest controuersia esse, cur huiusmodi 212
proprietates dicantur non variare speciem, itaquidem vt lineæ palmares specie diuersæ dicantur à lineis pedalibus, & calores vt quatuor à caloribus vt sex, & actiones eiusdem agentis, & termini ab actionibus plurium agentium, & plurium terminorum prorsus similium, & pituitosi hominis à biliosis, & cætera huiusmodi. Dico quia imprimis solùm reputantur communiter, dicunturque absolutè loquendo specie diuersa ea, quæ rigorosè, & propriè sunt dissimilia; non item, quæ inæqualia sunt quocunque genere inæqualitatis. Vnde illud natum est vulgare proloquium; *magis, & minus non variant speciem.* Lineæ autem palmares lineis pedalibus non sunt dissimiles, sed inæquales; Similiter

militer calores vt quatuor caloribus vt sex non sunt dissimiles, sed inæquales; actiones etiam eiusdem principij, vel termini actionibus plurium, quando omnia similia sunt, non quidem dissimiles, sed inæquales extrinsecè veniunt dicendæ. Etenim dissimilitudo, & inæqualitas, sicut similitudo, & æqualitas affectiones rerum valde inter se diuersæ sunt, vt satis constat ex dictis *q.* 8. & latiùs traditis *suprà disp.* 16. tametsi interdum ab aliquibus loquentibus impropriè soleant confundi. Ex quibus dissimilitudo diuersitatem, similitudo vnitatem specificam ita absolutè dictam faciunt, non verò itidem inæqualitas, & æqualitas. Deinde, quia neque omnia, quæ propriè inter se sunt dissimilia, specie diuersa censentur, sed ea dumtaxat, quorum dissimilitudo notabilis, & non exigui momenti est, quæ enim parum dissimilitudinis habent ad eamdem reuocantur speciem, quia parum pro nihilo reputatur, sic omnes homines eiusdem speciei censentur, cùm tamen haud dubiè pleríque eorũ aliquâ inter se dissimilitudinẽ non solùm accidentalẽ, sed etiam substantialem habeant. Tantumdémq; euenit in leonibus, equis, & aliis speciebus animalis, in quibus saltẽ mares, & fœminas esse inter se dissimiles substãtialiter nõ videtur negabile.

213 Quæ cùm ita sint, duplex, claritatis gratiâ, quod ad rem attinet distingui poterit species, quarum altera simpliciter talis dicatur, altera cum addito, nempe logica, ita quidem, vt ea solùm, quæ sunt dissimilia notabiliter, simpliciter, & absolutè dicantur specie differre: ea verò differre specie tantùm logicâ, quæ aut tantùm sint inter se inæqualia, non item dissimilia, aut valdè exiguam inter se dissimilitudinem habent. Quo fiet, vt species simpliciter dicta genus quoddam logicum sit comparatione specierum logicarum contentarum sub illâ. Eaque dumtaxat dicentur differre solùm numericè, quæ nullam inter se inæqualitatem, aut dissimilitudinem habent De quo iterum redibit sermo *q* 14.

Propositio 2.

214 Ratio indistincti in se, siue vnius numericè vna, & communis concipi potest omnibus quibusque indiuiduis siue eiusdem, siue diuersarum specierum.

Ita Authores *suprà num.* 210. relati pro parte affirmatiuâ. Et probatur. Quia in hoc, quod est esse in se indistinctum, siue vnum numericè quodvis inuiduum concipi potest de factoque à nobis concipitur exactè simile, aut etiam æquale cuiuis alteri, vt experientia manifestat. Ergo nihil est, quod vetet quælibet omnino indiuidua in ratione indistincti in se numericè concipi à nobis adunata, iuxta doctrinam statutam *quæst.* 8. Et confitmari potest; quia distincta in se in ratione talium exactè similia, & æqualia, atque adeo sub vno conceptu communi adunata possunt à nobis concipi, iuxta dicenda *propos.* 3. Ergo idem est dicendum de indistinctis in se, quà talibus; siquidem indistinctio negatio quædam est distinctionis. Et certum est negationes habituum sub vno conceptu adunabilium à nobis, sub vno itidem conceptu à nobis adunabiles esse. Et quidem cùm de vnitate, & vno in communi agimus vtrumque definientes, & diuidentes, non videtur negabile habere nos in mente obiectiuè quosdam conceptus, siue rationes vniuersales, pluribúsque communes, nimirum rationem vnitatis communem omnibus vnitatibus, rationémque vnius cõmunem omnibus vnis. Tantumdem ergo euenire censendum procul dubio est cùm de vnitate numericâ, de vnóque per illam constituto in communi tractamus.

Sed rogabit hic aliquis, quo differat vnitas, quæ ponitur passio entis, ab vnitate numericâ, in quâ conueniunt indiuidua? Respondeo in eo differre, quòd vnitas passio entis conuenit entibus in quantum entia sunt, vnitas verò numerica conuenit entibus in quantum talibus numericè, quod est conuenire illis in quantum indiuiduis. Vnde sicut ratio entis non solùm indiuiduis, sed etiam speciebus, & generibus entium communis est, ita ratio vnius, quæ ponitur passio entis, non solùm vnis numericè, sed etiam vnis specificè, genericéque communis est; cùm verò ratio vnius numericè sequens entium talitates numericas solis vnis numerice, hoc est indiuiduis entibus sit communis. 215

Deinde rogabit hîc aliquis. An conceptus vnitatis, siue vnius numericè communis omnibus indiuiduis, & per rationem nostram vnus, & consequenter vniuersalis respectu illorum, ad aliquam vniuersalis specie ex recensitis *suprà q.* 7. pertineat; an alia quædam pro eo illis addenda sit. Tum, quâ ratione, & per quas differentias talis conceptus ad indiuidua contrahatur? Respondeo, quod ad hæc attinet, perinde de conceptu vnitatis, siue vnius numericè, ac de conceptu distinctionis, siue distincti etiam indiuiduis communi philosophandum esse, provt explicabimus *proposition. seq.* 216

Propositio 3.

Ratio distincti ab alio quopiam, siue ab omnibus aliis vna, & communis concipi potest omnibus quibusque indiuiduis siue eiusdem, siue diuersarum specierum.

Ita etiam tenent Doctores pro parte affirmatiuâ citati *n.* 210. Et probatur ferè vt præcedens. Quia in hoc, quod est distingui ab aliis exactè simile, & æquale cæteris concipitur à nobis quodlibet indiuiduum cum fundamento in re, non minùs, quàm in hoc, quod est esse ens, esse bonum, esse verum, &c. Ergo non est cur nequeamus adunare cuncta indiuidua in rationibus entis, boni, & veri. Confitmat id communis omnium existimatio, qui de distinctione sumptâ vniuersè, tanquam de conceptu vno, communique omnibus distinctionibus, atque adeo vniuersali respectu earum loquuntur, & philosophantur, eam definitione vnicâ definientes, in pluráque membra diuidentes, non secus ac diuiduntur alij conceptus vniuersales. Si enim ratio vna distinctionis communis omnibus distinctionibus dabilis est, nequit non esse quoque dabilis ratio vna distincti communis omnibus distinctis, qualia sunt indiuidua omnia. Quandoquidem quotiescunque formæ sub vno conceptu communi sunt adunabiles in abstracto, & in concreto tali abstracto correspondente sunt adunabiles, vt est notissimum. Constat autem distinctionem, & distinctum, non aliter, quàm vt abstractum, & concretum sibi inuicem correspondentia differre. 217

Quod si distinctionis vniuersalissimè sumptæ, quo pacto inter passiones entis censetur tum in abstracto, tum in concreto acceptæ vna, & communis ratio datur. etiam distinctionis propriæ indiuiduorum, qua talium acceptæ similiter haud dubiè dabitur: quia vtriusque eadem, quod ad rem attinet: fortuna procul dubio est. Differunt autem distinctione propriâ indiuiduorum qua talium: quia per illam non solùm entia numerica, sed etiam specifica, & genera distinguuntur ab omnibus aliis. Per hanc verò tantùm numerica. 218

Obiici

219 Obiici tamen potest primò contra propositionem. Distinctio quâ hic homo distinguitur ab aliis omnibus indiuiduis omnium specierum; & distinctio, quâ hic equus distinguitur pariter ab omnibus aliis omnium specierum indiuiduis, & cæteræ huiusmodi distinctiones non possunt apparere nobis exactè similes, vtpotè, quæ non possunt non concipi à nobis relatè ad aggregata entium inter se dissimilia qualia sũt aggregatum omnium indiuiduorum præter hunc hominem, & aggregatum omnium indiuiduorum præter hũc equũ, quæ vt minimum dissimilia euadunt ab homine in vno & ab equo in alteto incluso, & cætera eiusmodi aggregata. Igitur nec possumus tales distinctiones sub vno conceptu adunare. Nego antecedens. Ad probationem dico, aggregata indiuiduorum cæterorum, à quibus vnumquodque indiduum distingui concipimus, etsi re ipsâ sint inter se dissimilia, à nobis tamen similia concipi posse duobus modis. Primò si concipiamus contenta in illis non secundum rationes peculiares, secundum quas apud nos etiam sunt dissimilia, sed secundum rationem aliquam cunctis communem, qualis est ratio entis, ratio vnius, ratio distincti &c. secundum quam cuncta nobis exactè inter se similia apparent, etiam quando concipiuntur singularizata singularitate incompletâ, vti concipiuntur hoc ens, hoc vnum, hoc distinctum &c. Quo pacto prędicta aggregata exactè, quoque inter se similia apparebunt, nihilque subinde desiderabitur, quominus distinctiones quorumuis indiuiduorum relatè ad illa exactè similes appareant. Secundò aggregata dicta similia nobis apparebunt, tametsi quoad totum, quod re ipsâ sunt, concipiantur, si concipiantur, vt sæpiùs fit, confusè quidem, seu implicitè, quoad ea omnia, ex quibus coalescunt, & explicitè, seu distinctè solùm quoad rationem aggregati, seu multitudinis, in quâ tanquam in quâdam formâ apud nos exactè similia, & conuenientia sunt. Quotiescumque enim formæ sunt similes concreta ex talibus formis, & ex quibusuis subiectis quantumuis inter se dissimilibus coalescentia similia apparent nobis, eo quòd talia subiecta, quasi contecta talibus formis, atque adeo confusè repræsentatis formis ipsis, explicitè implicitéve repræsentantur, iuxta doctrinam commemoratam *quæst.* 8.

220 Quod si indiuidua diuersarum specierum in rationem distincti ab omnibus aliis coire possunt modis dictis, tametsi aggregata reliquorum, à quibus vnumquodque eorum distinctum concipitur, re ipsâ inter se sint dissimilia, multò meliùs indiuidua eiusdem speciei in rationem distincti ab aliis talis speciei poterunt coire, tametsi aggregata similia reliquorum, àquibus vnumquodque eorum distinctum concipitur in eo re ipsâ discriminentur, quod non ex omnibus eisdem indiuiduis coalescant, aggregatum siquidem omnium hominum, à quibus distinguitur Petrus, non includit ipsum Petrum, quem tamen includit aggregatum omnium hominum, à quibus distinguitur Ioannes: & in cæteris pariter.

221 Secundò contra propositionem communiter solet opponi. Distinctio quâ vnumquodque indiuiduum distinguitur ab aliis, est id quo vltimò constituitur in ratione indiuidui, & ab aliis discriminatur: ergo in huiusmodi distinctionibus non possunt conuenire indiuidua, alioquin aliæ rationes dandæ essent in illis, quibus vltimò constituerentur, & inter se differrent, procederetutque in infinitum (quod est absurdum.) Quia in quibusuis datis possent eodem titulo, ac in distinctionibus dici conuenire indiuidua. Siquidem in hoc, quod est differre inuicem semper eodem titulo dici possunt conceptibilia à nobis exactè similia.

Qui non præscindunt obiectiuè, facilè ab ar- 222
gumento isto se excutiunt; censent enim in vniuersum rationem communem, quæcumque sit, non aliter per differentias contrahi, quàm concipiendo distinctè, & per modum plurium, atque adeo vt inter se differentia, siue diuersa eadem omnino obiecta, quæ priùs concepta fuerant confusè, & per modum vnius. Esse enim omnino idem ex parte obiecti rationem communem, & differentias, solúmque ex parte actus distingui penes diuersos modos quibus idem ipsum concipitur. Quo cessat infinitus processus, totâque vis argumenti facti. Cæterùm; quàm falsa non præscindentium doctrina sit, satis superque in superioribus monstratum est.

Vnum nihilominus simile, quod ad rem attinet 223
nos quoque, qui præscindentes sumus, admittimus in quodam casu; provt *suprà iam q.* 8. atque etiam alibi notauimus; nempè quando aliqua plura exactè sunt inter se similia, & æqualia, benè posse nos adunare illa sub vno conceptu; quoad totum, quod sunt citra præcisionem à differentiis, seu distinctionibus, quibus differunt, subrogato scilicet pro eis omnibus vno phantasmate in ordine ad cognoscendum totũ, quod sunt. Quo casu contractio talis cõceptus communis ad sua inferiora non aliter fiet, quàm concipiendo vt plura eadem, quæ concepta fuerant vt vnum; atque adeo argumentum factum vim non habebit. Verùm; quia doctrina propositionis nostræ, quam ipsum impugnat, vniuersalior est; nec de ratione communi solis indiuiduis similibus, & æqualibus, sed de ratione communi omnibus omnino indiuiduis, quantumuis inter se dissimilibus, & inæqualibus agit.

Aliter ad illud vniuersaliterque respondeo lu- 224
bens admittens, amplectensque cum P. Soar. *disp.* 5. *Metaph. sec.* 2. *n.* 18. & aliis processum in infinitum possibilem huiuscemodi præcisionum, seu abstractionum conceptus, seu rationis communis à differentiis. In præcisionibus quippe formalitatum transcendentium de facto etiam sæpe progredimur, semperque pro arbitrio cum fundamento in rebus ipsis progredi possumus sine fine, vt *supr. iam disp.* 13. *q.* 10. *sæpéque alibi* notauimus, iterum notaturi *infrà q.* 20. Nec vllum fert secum incommodum progressiones infinitas non quidem categorematicè, sed tantùm syncategorematicè in obiectiuis præcisionbus ab intellectu nostro factis admittere, vt egregiè dixit Soar. quandoquidem in aliis materiis necessariò debeat admitti, passimque ab omnibus admittuntur. Vide ad rem dicta, & dicenda *locis citatis.*

Itaque postquam intellectus noster rationem di- 225
stincti communem omnibus indiuiduis abstraxit, relictis in singulis eorum talitatibus ab eâ ratione præcisis, quibus inter se differant; quia quælibet rursus huiusmodi talitatum ex proprio conceptu fundamentaliter est ab aliis distincta, atq; adeo fundamẽtum nobis præbet, vt distincta ab aliis formaliter concipiatur, rursus item in huiusmodi talitatibus, & consequenter in indiuiduis ratione ipsarum conceptus alius, seu ratio distincti communis omnibus, aliæque talitates singulorum propriæ veniunt à nobis præscindendæ Tantumdemque in hisce talitatib præstare possumus ad eamdẽ rationẽ

& sic deinceps sine fine. Quæ quidem omnes talitates semper sunt inter se dissimiles, & inæquales ex conceptu suo, quoties indiuidua, quibus conueniunt dissimilia sunt, & inæqualia. Relinquitur enim in illis ab intellectu nostro tota dissimilitudo,& inæqualitas huiusmodi indiuiduorum, dum ab illis rationem adunabilem, atque communem omnibus abstrahit, quæ eo ipso non potest non in omnibus apparere omnino similis,& æqualis vt ex dictis in superioribus satis est notum.Quando verò indiuidua omnino sunt inter se similia,& æqualia in ipsisque ratio communis à talitatibus præscinditur obiectiuè, vt potest, & solet, tametsi etiam citrà omnem præcisionem quoad totum, quòd sunt talia indiuidua adunari possint, vt diximus. Tunc quidem dictæ talitates non possunt non ex conceptu suo esse inter se omnino similes, & æquales, quia in indiuiduis quibus conueniunt,nihil dissimilitudinis,aut inæqualitatis est, vt supponimus. Quocirca talitates istæ non aliter discriminabuntur vicissim, quàm per distinctionem, quâ quælibet ab aliis distinguitur, conceptum videlicet singulariter citra omnem adunationem. Quemadmodum autem de talitatibus distinctionis philosophati sumus, ita etiam de talitatibus vnitatis, aliarúmque quarumque rationum, quæ indiuiduis possunt esse communes, philosophandum est. Quælibet enim ratio communis indiuiduis talitatem sibi correspondentem ab illis præcisam potest, & solet habere, quâ immediatè contrahi,& indiuiduari, seu singularizari concipitur, vt attendenti ad experientiam satis constabit, & ex dicendis *q.* 13. ampliùs patebit.

226 Porrò quia quæuis omnino talitates dissimiles inter se,aut inæquales, quales sunt semper, quæ indiuiduis inter se dissimilibus, aut inæqualibus conueniunt,in hoc ipso,quod est esse dissimiles,aut inæquales,similes, & æquales concipi possunt,pariterque subinde similia, & æqualia indiuidua ipsa in eo, quod est ea dissimilia, aut inæqualia esse (quidquid refragetur Arriaga *suprà* citatus)idcirco à quibusuis talitatibus inter se dissimilibus, aut inæqualibus,atque adeo inter se diuersis,seu differentibus (diuersa quippe,seu differentia dici solent in vniuersum tum dissimilia, tum inæqualia, tum etiam distincta, vt aliàs dictum)& consequenter ab indiuiduis per eas constitutis vt talibus, ratio insuper, seu conceptus communis, dissimilis, aut inæqualis diuersíque proinde, seu differentis abstrahi potest relictis, præcisísque à tali conceptu aliis talitatibus,quibus rursus ipsa indiuidua discriminantur, quæque itidem inter se dissimilia,aut inæqualia erunt,aptáque proinde vt ab illis ratio alia communis dissimilis, aut inæqualis abstrahi possit, reiectis aliis talitatibus pariter inter se dissimilibus; aut inæqualibus,& ita deinceps sine fine.Etenim vt quæuis alia extrema quantumuis inter se dissimilia, & inæqualia conueniunt in multis rationibus sibi communibus,& consequenter conceptis à nobis in eorum singulis exactè similibus, & æqualibus cum præcisione à differentiis,vbi tota ipsorum extremorum dissimilitudo,& inæqualitas cõceptione nostrâ relinquitur, iuxta *superius* dicta. Quo pacto cuncta conueniunt in ratione entis, boni,veri, distincti, vnius &c. Ita ipsæ dissimilitudines,& inæqualitates quantumuis sint inter se dissimiles, & inæquales, optimè possunt conuenire in ratione dissimilitudinis, & inæqualitatis, atque adeo in ratione diuersitatis seu differentiæ conceptâ à nobis in singulis exactè simili,& æquali cum præcisione à differentiis.Nec est cur hoc negauerit Arriaga; siquidem non aliter de dissimilitudine,inæqualitate, diuersitatéve in communi passim tractamus, quàm de distinctione,vnitate,bonitatéque in cõmuni,&c.

Ex his deducitur discrimen repertum inter tali- 227
tates indiuiduorum dissimilium, aut inæqualium, & talitates indiuiduorum omninò æqualium,& similium. Illæ enim singulatim conceptæ non solùm faciunt differre indiuidua, atque etiam inter se differunt, quatenus sunt distinctæ, sed etiam quatenus sunt dissimiles, aut inæquales inter se. Quo titulo sumptæ adæquatè sub vnũ conceptum communem cadere nequeunt, tametsi ab illis abstrahi possit conceptus communis, relictis aliis talitatibus, vt dictum est. Hæ verò singulatim conceptæ solùm differre faciunt sua indiuidua, atque etiam inter se differunt, quatenus inter se sunt distinctæ. Proindeque sumptæ adæquatè sub vno conceptu communi, atque adeo non singulatim concipi possunt,prout etiam in superioribus dictũ est.

Iam verò quod isti conceptus communes ab in- 228
diuiduis abstracti modo explicato vniuersales propriè sint,vt sæpe posuimus,non est cur in dubium vertatur, quandoquidem quiuis eorum vnum quid est aptum inesse pluribus, atque prædicari de illis, perinde ac cætera vniuersalia. Solùm est dubitabile ad quam speciem vniuersalis pertineant ex recensitis *suprà quæst.* 7. Caiet. apud Rubium citatum suprà censuit pro huiusmodi conceptibus aliam speciem vniuersalis, prædicabilis ponendam esse præter commemoratas *loco citato.* Ipse tamen Rub. illos reducit ad prædicabile speciei. Arriaga autem partim ad prædicabile speciei, partim ad prædicabile proprij asserit pertinere.

Ego verò assero primò contra Caiet. nouam spe- 229
ciem vniuersalis præter eas, quas recensuimus *quæst. cit.* excogitabilem non esse pro istis conceptibus: quia omnium possibilium facta est ibi diuisio adæquata.

Secundò assero.contra Arriag. impossibile esse, 230
vt vnum,& idem prædicatum ad prædicabile essentiale, quale est prædicabile speciei, & ad prædicabile accidentale, quale est prædicabile proprij simul pertineat respectiuè ad idem subiectum.Nam, vel addit aliquid supra ipsum subiectum, & ita pertinet ad prædicabile accidentale, vel non addit, & ita pertinet ad essentiale. Constat autem impossibile esse, vt simul addat,& non addat.

Tertiò assero,vt discernatur ad quod vniuersale, 231
seu prædicabile pertineat ratio communis abstracta ab indiuiduis,considerare oportere, quid ponatur ex parte subiecti de quo ea prædicatur.Si enim ex parte subiecti ipsa ratio ponatur cum talitate,seu differentiâ indiuiduali singulatim conceptâ vt tali:vt cùm dicimus. *Hoc indiuiduum est indiuiduum. Hoc vnum est vnum.Hoc distinctum est distinctum* &c.tunc prædicatio pertinebit ad speciem,quia erit prædicatio de totâ essentiâ communi,seu vniuersali subiecti. Si verò ex parte subiecti ponatur tota eius realitas,nullâ formalitate exclusâ,vt solet poni cùm dicimus. *Petrus est indiuiduum; Ioannes est indiuiduum* &c. tunc prædicatio spectabit ad genus, quia erit prædicatio de parte essentię cõmunis subiecti per aliam partem contrahibili. Constat enim rationem vnius, & distincti ab omnibus aliis,ex quibus ratio indiuidui omnibus cõmunis coalescit,per rationes hominis,animalis,viuentis &c.quæ minus vniuersales sunt,& Petri entitati conueniunt,cõtrahibilé esse. Si autẽ ratio ab indiuiduis abstracta ex parte subiecti ponatur cũ aliâ ratione vniuersaliore

quæst.

quam contrahat, ad prædicabile differentiæ spectabit. Si cum alia sibi æquali ad prædicabile anonymum. Si cum aliquâ mixtione eatum ad mixtum, iuxta doctrinam *suprà* traditam *q.* 7. Si denique dicta ratio abstracta non includatur in subiecto, accidentaliter dicitur de illo: atque ita vel spectabit ad prædicabile proprij, vt si dicas: *Hoc ens est indiuiduũ*, id est, *vnum, & distinctum ab aliis*, vel ad prædicabile passionis communis, vt si dicas *Hic homo est indiuiduum*, non includendo in conceptu hominis rationes formales vnius & distincti ab aliis, sed tantùm prædicata entis, substantialis, corporei, viuentis, sensibilis, rationalis. Etenim quemuis vniuersalem conceptum ad varias species vniuersalis ex numeratis à nobis *q. illâ 7. citatâ* spectare posse pro varietate subiectorum, ad quæ comparatur, indubitabile est, vt ex ibidem etiam dictis licet colligere, & ex dicendis in sequentibus amplius constabit. Ex quibus patet, quid veritatis, aut falsitatis habeat quod ad præsens attinet punctum sententia Rubij.

232 Vnum ex dictis colligo, vt hæc prædicatio *Petrus est homo* ad prædicabile speciei pertineat, si ex parte subiecti, vt fieri solet, ponatur tota Petri realitas cum omnibus suis formalitatibus, ex parte quoque prædicati omnes ex se communes poni debere (è quarum numero est formalitas, seu ratio indiuidui) ita vt subiecto talitas dumtaxat addatur, seu differentia indiuidualis, vt talis, quæ vulgò Petreitas dici solet. Alioquin si vel vnica formalitas ex communibus inclusa in subiecto non includatur in prædicato non erit prædicatio de totâ essentiâ communi subiecti, atque adeo neque speciei, sed de parte essentiæ communis, & consequenter vel generis, vel differentiæ, vel prædicabilis anonymi, vel alicuius mixti, Vnde quando in conceptu hominis ratio communis indiuidui, aliæque, quæ passiones entis dicuntur, formaliter non includuntur, vt sæpe fit, animusq; est hominem prædicare de Petro, tanquâ speciem de indiuiduo, neque in conceptu Petri includuntur, quod sæpe etiam vsu venit. Tunc enim pro eadem accipimus istas duas propositiones. *Petrus est homo. Hic homo est homo*; constat autem subiectum secundæ dumtaxat addere talitatem, seu differentiam indiuidualem vt talem, quam ecceitatem dicunt supra conceptum prædicati. Tantumdémque propterea contingit subiecto primæ.

233 Aduerto tandem quæcumque in præsenti quæstione diximus perinde in indiuiduis incompletis, atque in indiuiduis completis suâ proportione seruatâ locum habere: quia de vtrisque quod ad rem attinet, eadem philosophia est, in quo non est opus morari. Et hæc de indiuiduis modò sunt satis. Pergamus iam ad reliqua. De naturâ namque indiuidui vagi, de quâ multi hic agunt, à nobis hic agendum non est. Tum quia hoc quod est, concipi vagè, seu disiunctiuè non est indiuiduorum proprium, sed commune etiam vniuersalibus, vt iam notauimus *suprà q.* 11. Tum quia de conceptibus vagis seu disiunctiuis in vniuersum satis superque à nobis est dictum *disp.* 10. Vnde quæcumque de indiuiduo vago hîc dici possunt facilè quisque colliget.

QVÆSTIO XIII.

Quid sit genus, quotuplex, & quale?

POstquâ de obiecto vniuersali, & particulari generatim acceptis in præcedentibus quæstionibus actum est, de eisdem speciatim sumptis ab hac quæstione incipimus agere. Porro obiectum vniuersale provt prædicabile *q.* 7. diuisimus. Primùm quidem in prædicabile essentiale, & prædicabile accidentale. Deinde essentiale in prædicabile generis, prædicabile speciei prędicabile differentiæ, prędicabile anonymum, & prædicabile mixtum. Accidentale verò in prædicabile accidentis inseparabilis, quòd passio dicitur, eaq; in cõmunẽ, & propriã rursus diuiditur; & prędicabile accidentis separabilis, quod accidens venit dicendũ, strictiùs vsurpato hoc vocabulo, similiterq; rursus diuiditur in commune, & propriũ. De hisce igitur septem obiectis prædicabilibus vniuersalibus suo ordine, quo morem logicis geramus, per totidẽ quæstiones speciatim nobis agẽdũ est. De obiectis namq; particularibus, & singularibus nihil restat specialiùs dicendũ præter iam dicta in prędcedẽtibus, &, quę in sequẽtibus tãgemus. Incipimus autẽ in hâc quęstione à genere, siue à prędicabili generis, de quo quærimus; quid sit & quotuplex, & quale?

Et circa primam quidem quæstionis partẽ, omissis 235
variis acceptionibus huius nominis *genus*, quæ apud Calepinum videri possunt. Genus, quod ad rẽ attinet, sic definitur à Porphyr. in suâ Isag. c. 1. *Genus est, quod de plurib. differẽtibus specie in eo quod quid est prædicatur.* Siue, vt exponunt Conimb. *ibi*, & alij *Genus est, quod de plurib. specie differentibus in quæstione, quid est, prædicatur.* quasi dicant *essentialiter prædicatur.* Per quæstionem enim, *quid est*, subiecti essentia aut totalis, aut partialis inquiritur.

Multi impræsentiarum vexantur in defendendis 236
hâc, & aliis definitionibus prædicabilium traditis à Porphyrio, in illisque componendis, & explicandis, vt sint exactæ, addentes etiam nonnumquam eis particulas aliquas, quas in suo Autore non habent, quasi hoc sit defendere Autorem, & non potiùs eum tacitè reprobare, quod tales particulas omiserit. Sed certè non est cur in accommodandis definitionibus Porphyrij ętpus teramus, in eisq; cum suo Auctore defẽdẽdis tantopere solliciti simus Qui enim in diuidendis, recensendisve prædicabilibus adequatè, & provt scientia postulat manifestè deceptus est, vt *suprà q.* 7. demonstrauimus; cur in eisdem exactè, & provt scientia postulat definiendis non potuit decipi? Imò de facto fuit deceptus haud dubiè: siquidẽ definitiones, quas tradidit neque discernunt ab aliis sua definita, neque illa sufficienter declarant.

Imprimis enim genus non solùm prædicatur in 237
eo quod quid, seu essentialiter de pluribus differentibus specie, sed etiam de pluribus differentibus numero. Imò genera superiora etiam prædicantur de pluribus differentibus genere. Vnde species non differt à genere per prædicari in eo quod quid de pluribus differentibus numero, per quod dumtaxat definit eam Porphyrius *c.* 2. Nec satis est dicere speciem prædicari de solis differentibus numero; cùm tamen genus insuper prædicetur de differentibus specie, aut etiam genere. Primò, quia id Porphyrius debuisset exprimere. Secundò, quia esto prædicabile generis, & prædicabile speciei per id inter se distinguantur; at ab aliis prædicabilibus non distinguantur. nam prædicabile mixtum tum de pluribus differentibus specie, tũ de pluribus differentibus numero prædicatur, in eóque proinde conuenit cum genere. Anonymũ autem, & differentia, quâ vniuersalia de solis differentibus numero prædicantur, in quo cõueniũt cũ specie; quæ omnia ex dicẽdis patebunt. Deinde per prędicari in eo quod quid seu essẽtialiter genus, & species nõ distinguũtur à differẽtia. Falsũ enim est hãc prædicari in quale quid, vt docet

Porphyrius *cap.* 3. sunt namque isti termini repugnantes, siquidem prædicari in quale proprium est prædicatorum accidentalium addētium aliquid subiecto, atque adeo illud quodammodo qualificātium; prædicari autem in quid proprium essentialium nihil subiecto addentium; sed illud constituētium intrinsecè, qualiter constituit differentia. Quę subinde absolutè dicenda est in eo quod quid, seu essentialiter prædicari. Quod omnibus prædicabilibus esētialibus cōmune est. Id, quod directè tradidit nobis Arist. *l.* 1. *Post. text.* 21. docens vtrāque partem definitionis, nempe genus, & differentiam prædicari in quid; & clarius *l.* 7. *Topic. c.* 2. *loco* 31. dicens. *In eo quod quid est genus, & differentia prædicantur.* Nec refert differentiam adiungi generi, vt in quale dicatur prædicari: quia non adiungitur illi vt subiecto, sed vt comparti, cum quâ constituit speciem. Alioquin prædicari in quale quid aliis etiam prædicabilibus, quæ sunt subiectorum partes, conuenit, atque ita definitio differentiæ, quo sensu traditur à Porphyrio, aliunde etiam vitiosa erit, quia conuenit aliis à definito, nimirum prędicabili mixto, & anonymo, aut etiam prædicabili generis, quæ omnia vt partes prædicantur suorum subiectorum, aliisque proinde eorumdem partibus adiunguntur. Accedit, quod in definiendo genus per speciem *cap.* 1. & rursus *cap.* 2. speciem vt subiicibilem circulum vitiosum fecit Porphyrius, vt Arriaga notat *in log. disp.* 7. *sect.* 2.

238 Igitur genus per prædicabilitatem sic venit exactè definiendum. *Genus est prædicabile de multis, vt pars essentiæ eorum communis per aliam partem contrahibilis non contractiua.* Per particulam *prædicabile* cōuenit genus cum aliis omnibus prædicabilibus, seu prædicatis. Per particulam *de multis* differt ab individuo prædicabili tantùm de vno conuenitque cum cæteris prædicabilibus vniuersalibus. Per particulam *vt pars essentiæ eorum* differt à prædicabilibus accidentalibus, quæ essentiæ iam constitutæ accrescunt; & conuenit cum cæteris essentialibus etiam cū specie, quæ pars quoque est essentiæ singularis vniuscuiusque individui, de quo prædicatur simul cum differentiâ individuali constituens ipsum. Per particulam *communis* differt genus ab specie, quæ non est pars, sed tota essentia individuorū communis, & conuenit cum aliis tribus, quæ vt partes etiam prædicantur essentię alicuius communis. Per particulam *per aliam partem contrahibilis* differt genus à prædicabili differentiæ, & à prædicabili anonymo quæ vt partes non contrahibiles prædicantur, sed primum vt pars contractiua: secundum vt pars aliis quoad vniuersalitatem æqualis, atque adeo nec contractiua, nec contrahibilis. Adiuncta autem particula *non contractiua* differt demum genus à prædicabili mixto, quæ vt pars contrahibilis simul, & contractiua prædicatur.

239 Hic solent pro tyronibus obiici quædam sophismata, quibus probari videtur genus non posse definiri. Videlicet quia definitio debet constare genere, & differentiâ, & generis non datur genus, nam abiretur in infinitum. Tum quia sola species est definibilis vtpotè, quæ sola constat genere, & differentiâ, genus autem non est species. His tamen facilè occurret, qui animaduerterit diuersis modis sumi posse genus, & speciem, vt *suprà q.* 8. *fine* de generi, & vniuersali dicebam in simili. Generis quippe in communi formaliter sumpti non datur aliud genus formaliter sumptum, quia ipsum vt sic complectitur omnia genera formaliter sumpta: datur tamen aliud genus sumptum materialiter, cùm sit ipsum species quædam materialis, siue essentia denominabilis species, quæ eo ipso duobus constat prædicatis intrinsecis, per quæ est definibilis, quorum alterum genus est materiale, siue denominabile genus: alterum differentia materialis, siue denominabile differentia. Per quæ satis patet, quo pacto diluenda sint sophismata indicata, & similia.

Cæterùm suppositâ iam exactâ definitione ge- 240
neris, quoniam genus concretum quoddam est coalescens ex naturâ, quę denominatur genus, tanquam ex materiâ, & ex secundâ intentione generis (vt vocant Logici) tanquam ex forma. Dubitatur hic ptimò quidnam per definitionem generis definiatur: Natura ne, an secunda intentio, an concretum ex vtroque? Caiet. *in opusc. de ente, & essen. cap.* 4. censuit definiri secundam intentionem. Nec defuit, qui diceret solam definiri naturam, quam sententiam aliqui tribuunt Scoto sed S. Th. *opusc. de ente, & essen. cap.* 4. Sot. *in cap. de genere q. vnic.* Tolet. *quæst.* 1. Rub. *quæst.* 2. cum Iauel. Venet. & aliis, Petr. Hurt. *disp.* 4. *sec.* 1. Arriag. *disp.* 7. *sec.* 1. & communiter Recentiores meritò docent definiri concretum; quia genus nec est naturâ, nec secunda intentio seorsim, sed concretum ex vtrâque. Verùm, quia tale concretum tum adiectiuè tum substantiuè sumi potest. Si sumatur adiectiuè sumpto subiecto in recto, & formâ in obliquo, pariter definitio est sumenda. Si autem sumatur substantiuè sumptis subiecto, & formâ, in recto, similiter sumenda est definitio. In quo non est, cur ampliùs moremur. Videantur dicenda *infra disp.* 25. *de definitione in vniuersùm.*

Secundò dubitatur. An definitio generis data 241
per prædicabilitatem de pluribus sit essentialis, an descripta? Esse essentialem docuit Scot. *quæst.* 14. & 15. *vniuers.* & Caiet. *in cap. de gen. quæst.* 1. Esse verò descriptiuam docet S. Thom. *opusc.* 84. *tract.* 1. *cap.* 2. & 3. Sot. *in cap. de genere qu. vnic.* Tolet. *quæst.* 2. Conimb. *quæst.* 1. *art.* 2. Rub *q.* 3. cum plura Amon. Albert. Villalp. Merca, & aliis. Ego assero si ex parte definiti capiatur genus pro primo vniuersali logico vt tali, sicuti communiter capi solet, prædicta, definitio descriptiua erit, vtpote data per proprietatem definiti: quippe esse prædicabile de pluribus proprietas est vniuersalis logici, provt diximus *q.* 6. *sect.* 7. Quocirca definitio essentialis generis ita sumpti hæc erit iuxta dicta ibi. *Genus est, quod potest esse in multis vt pars essentiæ eorum communis per aliam partem contrahibilis, non contractiua.* Si verò ex parte definiti capiatur genus pro primo prædicabili vt tali, sicuti capi potest, prædicta definitio essentialis erit. Quippe esse prædicabile de pluribus essentia ipsa est prædicabilis de pluribus, quatenus talis, vt est notissimum. Vide quæ *infrà disp.* 15. *cit.* dicimus vniuersè de definitione essentiali, & descriptiuâ.

Tertiò dubitatur; an genus de speciebus vt to- 242
tum, an vt pars prædicetur? Sot. *in cap. de gen. quæst. vnic.* Rub. *quæst.* 3. & Soar. *disp.* 15. *Metaph. sec.* 11. *n.* 16. dicunt genus vt totum potentiale de suis speciebus prædicari. Caiet. verò *cap. de gen.* Venet. *cap. de spec.* Petr. Hurt. *disp.* 4. *log. sec.* 1. Arriag. *disp.* 7. *sect.* 1. & communiter Recentiores vt partem prædicari censent.

Pro resolutione suppono vt certum apud omnes 243
genus bifariam comparari ad suas species. Primò vt partem vniuscuiusque earum, quatenus natura generica simul cum naturâ differentiali naturam vniuscuiusque speciei componit; vt animal, & rationale componunt hominem; animal, & equus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hinnibile equum, &c. Secundò vt totum quoddam vniuersale seu logicum (quod potentiale appellant) quatenus suâ vniuersalitate quodammodò complectitur omnes suas species, seu potiùs eas illarum formalitates, ex quibus adunatis fit genus. Dicitur autem genus, sicut & quoduis aliud vniuersale, totum potentiale, non verò totum actuale respectu suorum inferiorum non quidem, vt explicant Soar. & Rub. quia differentias eorum confusè in suo conceptu contineat (hoc enim falsum est, siquidem à talibus differentiis prorsus præcisum est, & abstractum) sed quia ex formalitatibus eorum, ex quibus coalescit, non per compositionem, & quasi vnionem, sed per adunationem, & identitatem coalescit. Tales enim formalitates non compingunt vniuersale per sui actualem compositionem, vt sic enim intra ipsum aliquomodò retinerent suam pluralitatem; vti retinent quælibet aliæ partes actu componentes suum totum; sed per quamdam identitatem, ac veluti conuersionem suæ pluralitatis in vnitatem. Fieri quippe vniuersale ex talibus formalitatibus aliud non est, quàm eas per intellectum fieri vnum, cùm re ipsâ sint plura. Quo inprimis fit, vt nec dictæ formalitates sint partes actuales vniuersalis, nec vniuersale respectu earum sit totum actuale. Deinde, vt vniuersale respectu ipsarum formalitatum totum potentiale, & illæ respectu vniuersalis partes potentiales idcirco dicantur, quia vniuersale in eas est multiplicabile, perinde ac si partes sui essent, non quidem per proprium sui diuisionem (qualiter tota actualia in suas partes multiplicantur) sed per quamdam conuersionem suę vnitatis in earum pluralitatem, quæ euenit, cum vniuersale contrahitur ad sua inferiora. Etenim hoc ipso, quòd aliquod vnum est in plura multiplicabile si non actu, & formaliter, potentiâ tamen & virtualiter censetur ex illis compositum, ob idq; iure respectu illorum totum potentiale appellatur. Et hæc est haud dubiè ipsissima ratio cur prisci Philosophi vniuersale totum potentiale vocarunt respectu particularium, ex quibus coalescit. In quâ profectò vestigandâ, & reddendâ non parum sunt implicati Recentiores, vt quisquam eorum scripta legens animaduertet.

244 Ex quibus collige primò genus non tam respectu specierum quàm respectu formalitatum earum, per quarum adunationem fit, totum potentiale dicendum esse, e. g. Animal non tam respectu hominis, leonis, equi &c. quàm respectu animalis hominis, & animalis leonis, & animalis equi &c. dicendum est totum potentiale; quia genus animalis has tantùm partes suarum specierum ab earum differentiis præcisas adunat, non integras ipsas species, vt ex dictis in superioribus, præsertim q. 8. conspicum est. Idemque est de cæteris vniuersalibus, quæ non tam respectu suorum inferiorum adæquate, prout re ipsâ iacent, sumptorum, quàm respectu formalitatum, siue rationum eorum, quæ adunant, tota potentialia dicenda sunt.

245 Secundò collige conceptum collectiuum ex pluribus collectiuè in mẽte nostrâ adunatis resultantem, iuxtà doctrinam datam *supr. disp. 2. q. 3. conf. 5. & in hac disp. q. 8. conf. 7.* in eo à conceptu vniuersali differre, quod non totum potentiale sicut ille, sed totum actuale dici debet. Tum quia sæpe ea omnia, quæ in tali conceptu adunantur, etiam in mente nostrâ obiectiuè retinent suam pluralitatem in pluralitate partium phantasmatis extensi, in quo cognoscuntur. Atque ita per quamdam solùm compositionem euadunt vnum. Tum quia licet nõ omnia retineant, aut etiam omnia confundantur, vel quia extensio phantasmatis ea omnia distinctè non capit, vel aliâ de causâ, censentur tamen retinere, quia adunatio collectiua ex proprià naturâ adunatio compositionis siue vnionis obiectiuæ est; Cùm tamẽ adunatio vniuersalitatis adunatio cuiusdã identitatis obiectiuæ, atque suppositiuæ sit, vt ex dictis tum *hic*, tum *loc. cit.* satis superque notum est.

His positis dico ad dubitationem. Genus non vt 246
totum potentiale, sed vt partem actualem dicendum esse prædicari, quia genus in actuali prædicatione non retinet vniuersalitatem, quã anteà habebat, vt constat ex dictis *suprà q. 6. conf. 1.* Si quis tamen voluerit dicere prædicationem generis prædicationẽ totius potẽtialis propter totalitatem potentialem, quam prædicatum ante actualem prædicationem habebat, vt propter vniuersalitatem, & genereitatem, quam pariter habebat anteà, dicitur prædicatio vniuersalis, & prædicatio generis; non multùm renuam (quæ loquutio cæteris etiam prædicabilibus conueniet) dummodo non negetur genus & partem actualem, talemque partem prædicari de suis inferioribus, in quo stat eius constitutiuum, ac distinctiuum ab aliis prædicabilibus, prout ex datâ definitione constat

Dices pars nequit prædicari de toto verè, aut ab- 247
solutè, si sit distincta à toto realiter, aut saltem in sensu formali, si sit distincta solâ ratione. Ergo genus non potest prædicari vt pars de suis inferioribus. Distinguo antecedens. Pars nequit prædicari de toto vere &c. sumpta in abstracto, aut in concreto subſtantiuo concedo. Sumpta in concreto adiectiuo nego, & nego consequentiam. De quo vide iam dicta *suprà q. 7. diuis. 3.* &, quæ iterum paulo *infrà præsenti in q.* dicemus.

Quartò dubitatur. An in omnibus entibus, atq; etiã 248
non entibus conceptus generici inueniri queant, qui denominationis generis apta materia sint, & qualiter? Conimb. *in cap. de genere q. 2.* sentiunt primò tales cõceptus in negationibus reperiri nõ posse dicũntque sententiã hanc esse Arist. S. Th. & omnium grauium Authorum. Arist. quidem *l. 4. Top. text. 67. & lib. 1. de partibus animal. c. 3.* S. Th. autẽ *in 2. dist. 28. q. 1. art. 1. & 12. q. 72. art. 6.* Addunt tamen reperiri præterquam in entibus realibus, in entibus rationis propriis, secus in figmentis impossibilibus. Nonnulli apud Arriag. *suprà subs. 2.* supponentes dictos conceptus in entibus rationis dari putant genus in communi non esse vniuocum sed analogum respectu generum entium realium, & entium rationis. Ipse verò Arriag. idem supponens vniuocum esse asseuerat, sicut & Hurt. *suprà sec. 2.*

Dico primò intra quoduis genus conceptibilium 249
à nobis dari posse rationes genericas specificas, differentiales &c. quia intrà quoduis genus possumus concipere essentias integras cõmunes per differẽtias numericas contrahibiles, quæ erũt species; tũ rationes partiales essentiæ communis alias cõtrahibiles tãtùm, & alias contractiuas, quæ erũt genera, & differẽtię. Paritérq; censendũ est de cæteris prædicabilib. Ex quo infero, quo pacto negationes ad instar entiũ à nobis cõceptibiles sũt in phãtasmatib. substitutis, eodẽ posse illas rationes genericas, differentiales, specificas, & alias habere, atque ita denominationes generis, speciei, differẽtię, aliorũmque prędicabilium subire. Tamẽsi secundum se, cùm nihil prorsus sint, neq; vllã essentiam in se conceptibilem habeant, nec genera, nec species, nec quidpiã aliud esse possint. Quod solùm volunt Arist. & S. Th. Recole, quæ diximus *supr. q. 7. diuis. 8.* Tãtumdemque

censendum est de iis chymeris, quæ tantùm per
ſpecies alienas, atque adeò in ſubſtitutis alienis
ſunt conceptibiles, cùm tamen nullam eſſentiam
in ſe immediatè, atque adeo per proprias ſpecies
conceptibilem habeant, iuxta doctrinam datam *ſu-*
prà diſp. 11. & ſæpe alibi tactam in ſuperioribus.
Cætera verò impoſſibilia in ſe immediatè concep-
tibilia abſtinuentibus, & quælibet huiuſce generis
entia rationis ſine limitatione datâ dicenda ſunt
rationes genericas, ſpecificas, differentiales, alio-
rumque prædicabilium habere poſſe, non minùs,
quàm quæuis entia realia, de quibus non eſt dubiũ.

250 Dico ſecundò. Genus in communi vniuocè con-
uenit omnibus omnino generibus, quantumuis
ea diuerſam materiam, ſiue realem ſiue rationis, ſiue
veram, ſiue fictam habeant. Nam quoties forma,
quam dicunt explicitè concreta, in omnibus eſt
prorſus ſimilis, atque adeò conueniens vniuocè
ſub vnâ ratione communi; concreta ipſa pariter
talia euadunt, quidquid ſit de diuerſitate materiæ,
ſiue ſubiecti, quod concreta includunt implicitè, vt
ſuprà q. 8. ſtatuimus, & iterum *infrà q.* 18. dicemus.
Sed forma generis, quod quoddam concretum eſt,
vt conſtat ex dictis, in omnibus omnino generibus,
quantumuis quoad materiam diuerſis eſt prorſus
similis, vt eſt notiſſimum: ergo & omnia omnino
genera vt talia, quantumuis quoad materiam diuer-
ſa, prorſus quoque ſimilia ſunt, atque adeo vniuocè
conuenientia in conceptu communi generis.

251 Iam verò circa ſecundam partem quæſtionis pri-
mò venit diuidendum genus in phyſicum, & me-
taphyſicum. Secundò in prædicabile formaliter, &
prædicabile identicè, ſeu materialiter de ſuis infe-
rioribus. Tertiò in prædicabile directè, & præ-
dicabile indirectè de illis. Quartò in ſubſtantiale, &
accidentale, id eſt, habens pro materiâ ſubſtantiam
aut accidens prædicamentale. Quintò in complexũ,
& cõplexum. Sextò in poſitiuum, & negatiuũ. Quæ
diuiſiones ſufficienter ſunt iam expoſitæ, atq; explí-
catæ à nobis vniuerſaliter *ſuprà q.* 7. ſunt enim cõ-
munes generi, & aliis prædicabilibus. Recognoſcã-
tur *ibi* dicta, & generi ſpeciatim accommodentur.

Deinde diuiditur genus in ſupremum, infimum,
252 & inter medium. Quæ diuiſio duo ſupponit. Pri-
mum, idque certiſſimum, eſt dari ordines quoſdam
ſeu ſeries generum, in quibus alia ſint ſuperiora, &
alia inferiora. Dicuntur autem ſuperiora, quæ ma-
gis ſunt vniuerſalia, quia extenduntur ad plura,
in inferioribuſque includuntur contrahenda per
differentias eorum. Inferiora autem vocantur, quæ
minùs ſunt vniuerſalia, quia ad pauciora exten-
duntur, & in ſe ſuperiora continent, illaque per pro-
prias contrahunt differentias, e.g. hæc ſeries gene-
rum eſt *ſubſtantia, corpus, viuens, animal, brutum.* In
quâ *ſubſtantia* genus eſt ſuperiùs, quàm *corpus*, quia
vniuerſalius illo, in illóque incluſum, & contractũ.
Subſtantiâ quippe ad omnes ſubſtantias etiam ſpiri-
tuales extenditur. *Corpus* verò dũtaxat ad ſubſtãtias
corporeas. ſimiliter *corpus* genus ſuperius eſt, quàm
viuẽs; & *viuẽs*, quàm *animal*; & *animal*, quàm *brutũ*,
ob eandem rationem. Et conſequenter propter eam-
dem vice versâ *brutum* genus inferius eſt, quàm
animal, & *animal* inferiùs, quàm *viuens*, & *viuens*,
quàm *corpus*, & *corpus* quàm *ſubſtantia*. Secundum,
quod ſupponit diuiſio non adeo certum eſt, nempe
vnamquamque generum ſeriem vndequaque fini-
tam eſſe, duobuſque extremis generibus termina-
tam, ſupero, & infero. Ex quibus illud ſupremum,
hoc infimum, & quæ interiacent, intermedia di-
cuntur. Sed an hæc ſuppoſitio vniuerſaliter ſit
vera, & quâ ratione ſuo loco determinabimus.

Vnum aduerto circa ſeriem generum propoſi- 253
tam, id, quod eſt genus prædicabile reſpectu infe-
riorum, ſpeciem eſſe ſubiicibilem reſpectu ſuperio-
rum, atque etiam prædicabilem reſpectu propriо-
rum iuduiduorum, quæ in eâ ſerie non ponuntur,
vnde omnis ſeries generum etiam eſt ſeries ſpecie-
rum, iuxta aliam conſiderationem, quarum infima
ſpecies erit, quæ ſub genere infimo collocatur, vt in
poſita ſerie *leo*, vel *equus*, vel quæuis alia ſpe-
cies contenta ſub genere *brutum*. Sub quâ immè-
diatè veniunt collocanda indiuidua, vt *hic*, vel *ille*,
vel *alter leo*. Genus autem ſupremum ſeriei, etſi non
ſit ſpecies ſubiicibilis reſpectu ſuperioris generis,
quod non datur; eſt tamen ſpecies prædicabilis reſ-
pectu indiuiduorum propriorum. Quæ omnia ex
dicendis in ſequentibus ampliùs conſtabunt.

Denique circa tertiam quæſtionis partem hæc, 254
quæ ſequuntur, reſtant noranda. Primum. Genus
de indiuiduis ſpecierum, ſeu inferiorum mediatè, &
vt genus; de indiuiduis verò propriis immediatè, &
vt ſpecies prædicabile eſt. e. g. *Brutum* mediatè,
& vt genus prædicatur de hoc, & illo, & alio leone,
immediatè verò, & vt ſpecies de hoc, & illo, & alio
Bruto. *viuens* mediatè, & vt genus prædicatur de
hoc, & illo, & alio animali, tum de hoc, & illo, &
alio bruto, atque etiam de hoc, & illo, & alio leone.
Immediatè autem, & vt ſpecies de hoc, & illo, &
alio viuente; & in cæteris pariter. Dicitur autem
genus de indiuiduis inferiorum ſpecierum prædica-
ri mediatè, non quia neceſſariũ ſit, quòd genus prius
prædicetur de ſpecie, vt poſſit de indiuiduis eius
poſtmodum prædicari, ſed quia in ſerie prædica-
bilium inter genus, & indiuidua ſpecierum inferio-
rum, ipſæ ſpecies ſunt intermediæ. Vt genus autem
prædicatur de huiuſmodi indiuiduis, quia præ-
dicatur de illis vt pars eſſentiæ eorum communis per
aliam partem contrahibilis, & non contractiua, quæ
eſt prædicatio propria generis, vt ex definitione
generis traditâ conſtat. De propriis autem indiui-
duis genus vt ſpecies, & immediatè prædicatur, quia
prædicatur vt tota eſſentia communis eorum, quæ
eſt propria prædicatio ſpeciei, & conſequenter abſ-
que interuentu alius prædicati.

Poſſe autem conceptum genericum, ſicut & quę- 255
libet alium vniuerſalem per differentias indiuidua-
les ſibi proprias, & immediatas contrahi ad conſti-
tuendum cum talibus differentiis præciſe indiui-
dua ſibi immediata, de quibus prædicetur, vt ſpe-
cies, indubitabile eſt. Differentia quippe indiuidua-
dualis in diſtinctione ab aliis conſiſtens conceptus
quidam eſt tranſcendens, atque adeo immediatè co-
mitans omnes omnino formalitates cuiuſuis entis
indiuidui. In Petro enim e. g. non ſolùm reperitur
hic homo, ſed etiam hoc rationale, hoc animal, hoc
viuens, hæc ſubſtantia &c. diuiſa videlicet per no-
ſtrum rationem non ſolùm eius humanitate in tot
formalitates partiales, ſed etiam eius talitate in tot
talitates partiales. Vt ergo immemores prorſus cæ-
tererarum formalitatum cum ſuis talitatibus huius
hominis, huius leonis, huius equi, &c. & concipien-
tes præciſè hoc animal ſingulari huius hominis, &
hoc animal huius leonis, & hoc animal huius equi,
&c. exactè ſimilia, & æqualia, ex eis vt ſic immediatè
poſſumus adunare conceptũ animalis ipſis cõmunẽ,
idque vel cum præciſione à propriis eorumdẽ tali-
tatibus, vel ſine illa iuxta doctrinã ſæpè datã *in ſupe-*
rioribus, præſertim *q.* 8. ita pariter vice versâ concep-
tũ animalis aliàs vniuerſalẽ immediatè contrahere
poſſumus ad hoc animal huius hominis, & ad hoc
animal

animal huius leonis, & ad hoc huius equi, &c. de eisque vt sic prædicare illũ, ponendo supra prædicatum ex parte subiecti solas talitates partiales talium animalium singulatim conceptas. Quæ prædicatio subinde erit prædicatio speciei, vtpote prædicatio totius essentiæ communis subiecti. Tantumdémque est de aliis quibusvis formalitatibus vniuersalibus, quia omnes, vt dixi, de propriis, & immediatis indiuiduis immediatè, & vt species prædicabiles sunt.

256 Hinc sequitur primò: Naturam genericam ad indiuidua incompleta sibi propria, & immediata contrahi, vel per coniunctionem sui cum talitatibus partialibus talium indiuiduorum, quando ab illis fuerat præcisa, vel per distinctas conceptiones huiusmodi singulorum indiuiduorum vt talium, quando illa citra præcisionem talitatum quoad integrum vnicuiusque conceptum adunata fuerant, iuxta doctrinam nuper commemoratam. Ad indiuidua verò completa suarum specierum contrahitur tum vno ex dictis modis, quod attinet ad indiuidua propria incompleta in illis tanquam eorum partes inclusa; tum insuper per coniunctionem sui cum cæteris formalitatibus in se non inclusis indiuiduorum completorum. Secundò sequitur etiam quando natura generica contrahitur ad proprias species cum suâ vniuersalitate sumptis, aut posse ad illas contrahi per coniunctionem cum differentiis specificis singularum, à quibus ea fuerat præcisa, vt regulariter contingit, aut absque vllâ memoriâ huiusmodi differentiarum per talitates singularum specierum speciatim conceptas, consistentesque in distinctione transcendenti, quâ natura generica reperta in vnâ specie à repertis in reliquis est distincta. Itaque conceptus genericus bruti non solùm est contrahibilis ad leonem per rugibilitatem, quæ est eius differentia specifica, sed etiam per talitatem à rugibilitate præcisam, quâ brutum leonis re ipsâ à bruto equi, & ab aliis aliarum bruti specierum distinctum est. Per istam autem talitatem bifariam potest fieri contractio, quemadmodum de talitate indiuiduorum incompletorum est dictum; nimirum, aut coniungendo illi naturam genericam, quando ab eâ quoque, & non solum à differentiâ specificâ fuerat præcisa; aut illam distinctè, & speciatim multiplicatam concipiendo in singulis speciebus.

257 Secundum notandum: Vniuersale à pluribus speciebus abstractum tum genus, tum prædicabile mixtum potest esse respectu diuersarum. Ita enim animal abstractum ab homine, leone, equo, &c. respectu leonis, & equi est genus, quia pars eorum contrahibilis, & non contractiua; respectu verò hominis, & si, quæ sunt aliæ species huiusmodi, prædicabile mixtum est, quia pars earum contrahibilis simul, & contractiua, vt dicebamus *suprà q.* 7. & iterum *infrà* dicemus *q.* 17.

258 Tertium notandum contra Arriagam *disputatione septima Logicæ, sectione* 1. *subs.* 3. Si natura, quæ modò est generica, in vnicâ tantùm reperiretur specie, tunc respectu talis speciei non esset genus, quia non esset prædicabilis de illâ vt pars essentiæ eius communis per aliam contrahibilis. Neque esset species, quia non esset prædicabilis de illâ; aut de indiuiduis eius vt tota essentia eorum communis. Esset ergo prædicabile anonymum: quia prædicabilis vt pars nec contractibilis per aliam, nec contractiua aliûs. Quod prædicabile quia Arriaga non nouit, quasi coactus recurrit ad speciem dicens ad illam spectaturam prædicationem casus nostri, quia implicitè saltem esset prædicatio totius essentiæ, eo ipso, quòd esset prædicatio partis æqualis in vniuersalitate alteri, & inferentis eam. Non tamen benè. Primò, quia pro distinguendis prædicabilibus, dumtaxat attenduntur conceptus eorum expliciti; alioquin prædicabile differentiæ omnino relegandum esset, quandoquidem multò certius est dum prædicatur species, implicitè prædicari differentiam, quam prædicandam fore implicitè totam essentiam in casu, quem versamus. Secundò, quia sequeretur ex doctrinâ Arriagæ è medio tollendam esse prædicabile proprij, omnemque humanum discursum ad vestigandas proprietates rerum, vt noua ipsarum prædicata superuacaneum esse; siquidem sola prædicatio speciei, aut differentiæ eius implicita prædicatio esset omnium proprietatum, respectu quarum species cum suâ differentiâ tum æqualis, tum illatiua est.

QVÆSTIO XIV.

Quid sit species, quotuplex, & qualis?

CIrca primam quæstionis partem, omissis aliis 259
acceptionibus nominis *species* apud Calepinum videndis, pro specie dumtaxat logicâ modò illud accipimus, quam Porphyrius *in suâ Isagoge, cap.* 2. sequentibus definitionibus definiuit. *Species dicitur, quæ sub assignato genere est. Species est, quæ subiicitur generi, & de quâ genus in eo quod quid est prædicatur. Species est, quæ de pluribus differentibus numero in eo quod quid est prædicatur.* Per quam vltimam species prædicabilis, per reliquas species subiicibilis definitur. Quæ quidem sub nomen *species* æquiuocè cadunt.

Cæterùm quia in componendis, & explican- 260
dis definitionibus Porphyrij morari non expedit, vt notauimus *q.* 13. speciem vniuersalem, seu prædicabilem, de quâ potissimùm hîc agitur, sic nos censemus definiendam. *Species est prædicabilis de multis, vt tota essentia eorum communis.* Per particulas *prædicabilis de multis* conuenit species cum cæteris prædicabilibus vniuersalibus. Per reliquas differt ab eisdem; ab essentialibus quidem, quia cætera præter speciem prædicantur vt pars essentiæ; ab accidentalibus autem, quia illa vt quid essentiæ superadditum, siue vt quid essentiæ superadditum prædicantur. Quomodo autem hæc definitio respectu speciei vt vniuersalis sit descriptiua (& quam species vt sic essentialem habeat) respectu verò eius vt prædicabilis sit essentialis, ex dictis de genere *q.* 13. notum est. Quemadmodum, quâ etiam ratione species totum quoddam Logicum, seu potentiale dici possit, & quomodo in omnibus entibus, & non entibus conceptibilibus à nobis reperiri queat.

Iam cùm esse speciem subiicibilem generi, ni- 261
hil sit aliud, quàm posse eam esse subiectum generis; nescio profecto cur Porphyrius, & assecla de solo subiecto generis sermonem in præsenti introduxerint, nihil dicentis de subiectis cæterorum prædicabilium. Etenim vt species est subiicibilis generi, sic indiuidua speciei, & generi subiicibilia sunt; & genus inferius superiori, & differentia inferior generi: necnon quævis essentia omnibus suis passionibus, proprietatibus, & accidentibus subiicibilis est. Demum omnia prædicabilia iis omnibus sunt subiicibilia prædicatione indirectâ, de

quibus prædicatione directâ prædicabilia sunt. De quo nos satis iam diximus generatim *q.7. circa finem.* Vnde facilè erit vnicuique colligere, quid sit subiicibilitas speciei,& quomodò illa diuersa affectio logica sit à prædicabilitate, imò ei opposita relatiuè. Esse quippe conceptum aliquem subiicibilem alteri nihil est aliud, quàm posse esse subiectum prædicationis eius; recognoscantur *ibi* dicta.

262 Hoc speciatim aduerto modò, specierum subiicibilium continuatam seriem dari, in quâ vna suprema,alia infima,& cæteræ intermediæ sunt, vt constat ex dictis *suprà q.13.* Quæ etiam series dici potest earumdem vt prædicabilium,nisi, quòd cæteræ præter infimam non sunt prædicabiles vt species de iis, quæ supponuntur in eadem serie, cum de illis prædicentur vt genera,sed de propriis,atque incompletis indiuiduis, quæ velut ad latus seriei ponuntur: recole dicta *q. cit.* Voco autem intermedias eas species, quæ inter infimam, & supremam ponuntur in serie,non verò subalternas, vt vulgus vocat, perperam enim per tale nomen illæ ab extremis discernuntur. Nam & infima æquali iure potest subalternà appellari,quandoquidem locum habet sub alterâ,sicut quæuis aliarum.

263 Circa secundam quæstionis partem,species prædicabilis tot modis diuidenda venit, quot genus q. præced. diuisum est, nimirum in physicam, & metaphysicam:in prædicabilem formaliter,& prædicabilem identicè; in prædicabilem directe, & prædicabilem indirectè: In substantialem, & accidentalem;in incomplexam & complexam. In positiuámque,& negatiuam. Prout vniuersè;latéque explicatum est *suprà q.7.* Quarum diuisionum nonnullæ speciei etiam subiicibili possunt aptari.

264 Deinde diuidenda est species,vt suprà diuisimus illam *q.12.propos.1.* In speciem simpliciter dictam, & speciem logicam. Speciem simpliciter dictam appellamus eam, quæ ex conceptu suo notabiliter est dissimilis aliis speciebus, quæ cum illâ,sub eodem genere collocantur, vt sunt sub gene bruti leo,& equus;sub genere coloris albedo, & nigredo; sub genere lineæ recta,& circularis;sub genere actionis illuminatio & calefactio, &c. Speciem autem logicam dicimus eam,quæ ex suo conceptu aut non est dissimilis, sed tantùm inæqualis aliis,quæ cum illa sub eâdem specie simpliciter dicta ponuntur, aut parum eis dissimilis est; vt sunt sub specie leonis leo naturâ velox,& leo naturâ tardus; sub specie albedinis albedo vt quatuor,& albedo vt sex;sub specie lineæ rectæ palmaris, & pedalis; sub specie illuminationis, quæ nascitur ab eodem numero luminoso,&,quæ nascitur à distinctis omnino similibus,&c. Itaque leo, & equus simpliciter propterea dicuntur specie differre;atque adeo genere solùm conuenire. Leo verò naturâ velox, & leo naturâ tardus,etsi simpliciter dicantur esse eiusdem speciei, seu conuenire specie, propter aliqualem tamen dissimilitudinem,quam quoad naturam habent, specie logicâ differre dicendi sunt. Potest quippe dari ratio communis omnibus naturâ velocibus,quæ nullatenus sit cõmunis naturâ tardis. Similiter illuminatio,& calefactio specie simpliciter differunt. Illuminatio verò huius numero luminosi,& illuminatio distincti solùm numericè etsi simpliciter dicantur eiusdem speciei,differre nihilominus dicendæ sunt specie logicâ,quia potest abstrahi ratio communis illuminationibus nascentibus ab hoc numero luminoso, quæ nascentibus ab aliis solùm numericè ab eo distinctis communis non sit. Paritérque de aliis exemplis ratiocinandum est:recognosce doctrinam traditam *loco citato.* Porro diuisio hæc,etsi potissimum conueniat speciei prædicabili, suo etiam modo potest aptari speciei subiicibili.

Denique circa tertiam quæstionis partem dubitari solet primò. An species vnicum tantùm habens indiuiduum possibile,quales in sententiâ Thomistarum sunt species Angelorum, possit vniuersalis esse? Respondeo cum communi non posse si ab eo tantùm indiuiduo ratio specifica abstrahatur, vt me iudice, fieri potest, tum ab eo indiuiduo possibili,tum ab aliis chymericis illi quoad talem rationem prorsus similibus ex suis conceptibus obiectiuis. De quo latè iam egimus *suprà q. 6 consect. 5.* videatur. Sed dato,quòd talis natura nullomodò possit vniuersalis esse,vt multi opinantur; cur, inquies,appellatur species? Dico, quia differt ab aliis vti inter se differunt species citra dubium vniuersales, & prædicabiles de multis,generique perinde atque illæ subiicibilis est. Iamque propterea quidquid cæteris omnibus est dissimile notabiliter,specie ab illis differre dicitur,quantumuis ponatur illud subire non posse rationem speciei prædicabilis. Ita enim Deus specie dicitur differre à reliquis entibus,& Personalitates diuinæ specie inter se differre censentur communiter. Neque obstat earum æqualitas,quidquid contradicat Pett. Hurt. *disp.5.log.sect.2.* vt contra eum docet Arriag. *disp.7. log.sect.3.subs.1.* Quia bene possunt specie differre extrema omnino æqualia,si sint notabiliter dissimilia,vt patet in triangulo,& quadrato prorsus æqualibus, &c.

Hinc nascitur secunda dubitatio. An scilicet ratio personæ diuinæ communis tribus diuinis Personis sit genus comparatione earum. (idémque est dubium de ratione Angeli communi Michaëli, & Gabrieli, suppositâ sententiâ Thomisticâ de eorum diuersitate specificâ). Affirmat Arriaga *suprà*, sed fallitur. Quia supposito, quod conceptus Patris sit g. non potest esse vniuersalis, & consequenter Pater nullum alium conceptum habet,qui possit aliis logicè esse communis præter conceptum Personæ diuinæ, vt Arriaga ipse supponit. Hæc prædicatio *Pater est Persona diuina* non est prædicatio partis, sed totius essentiæ logicè communis subiecti;atque adeo non est prædicatio generis, sed speciei. Aliter secundum meam sententiam euenit, nam cùm putem conceptum Patris vniuersalem posse esse respectu Patris veri, & fictitij; & consequenter præter conceptum Personæ diuinæ conceptum insuper differentialem Patris esse aliis logicè communem, apud me prædicatio hæc, *Pater est persona diuina*, prædicatio generis est, cùm sit prædicatio non totius,sed partis essentiæ logicè communis subiecti per aliam partem contrahibilis, & non contractiuæ.

Tertiò dubitatur. An prædicatio, quâ definitio essentialis composita ex genere, & differentiâ prædicatur de definito, sit prædicatio speciei? Negat Arriaga *suprà*, sed ego distinguo. Si enim partes talis definitionis indiuisim, seu collectiuè sumantur,vnica erit prædicatio, eaque speciei,quia totius essentiæ communis subiecti. Si verò sumantur distributiuè, seu diuisim, duæ erunt prædicationes duorum prædicatorum de eodem subiecto, altera generis,& altera differentiæ.

Quartò

268 Quartò dubitatur. An idem conceptus vniuersalis respectu aliquorum inferiorum possit esse genus, & respectu aliorum species? Dico posse. Nam animal, e. g. genus est respectu leonis & equi, species autem respectu huius, & illius animalis, quæ indiuidua eius sunt immediata, & incompleta iuxta dicta *quæst.* 13. ab omnique leone, & equo ponuntur distincta. Eumdem quippe conceptum vniuersalem ad multas, variasque species vniuersalis posse spectare, iuxta diuersitatem inferiorum, ad quæ vt subiecta est comparabile *suprà quæstione* 12. notauimus; sæpéque insuper tangemus, & est certissimum.

269 Quintò dubitatur. An totum genus in vnicâ specie, & tota species in vnico indiuiduo reperiri queat? Affirmant communiter Thomistæ; negant communiter Nominales, & assectæ. Ego vtrosque compono dicens conceptum genericum, vt animal, integrum formaliter, & logicè in quâuis specie reperiri. Integrum verò materialiter, & physicè minimè. Quia formaliter, & logicè idem conceptus est in se, & in singulis speciebus, secus materialitel, & physicè, vt constat ex doctrinâ traditâ *suprà quæst. 6. propos. 2.* quæ ad rem recognoscenda est, non reperenda. An verò conceptus genericus provt à differentiis præcisus æqualis perfectionis sit in omnibus, & singulis speciebus ita, quod tota harum inæqualitas à differentiis solis nascatur, ex dicendis *suo loco* constabit, vbi de perfectione formalitatum in vniuersum disseremus. Hæc satis de specie. Quod autem hic de indiuiduo tractari solet, iam est tractatum à nobis in præcedentibus quæstionibus.

QVÆSTIO XV.

Quid sit differentia, quotuplex, & qualis?

270 Circa primam quæstionis partem *differentia* propriâ suâ significatione actum differendi significat, quâ vnumquodque ab alio, aut etiam à se ipso differre dicitur: cùm ipsius verbi *differre* verbale sit. Iam tamen non pro tali actu, sed pro fundamento, seu formâ, vnde ille nascitur, siue desumitur vsurpatur Quo pacto accepta differentia alia essentialis est; alia accidentalis. Essentialis, quæ intrinsecè constituit essentiam eius, quod differt. Accidentalis, quæ essentiæ differentis iam adæquatè constitutæ extrinsecè accrescit; vnumquodque enim non solùm per essentiam, sed etiam per accidentia adiuncta dicitur ab aliis differre. Accidentalis autem differentia alia est communis; alia propria. Communis dicitur, quæ pluribus conuenit essentiis, atque adeo illis omnibus communis est. propria verò, quæ vni dumtaxat essentiæ conuenit, atque ita eius solius est propria. Quæ vtraque rursus in inseparabilem, seu necessariò annexam essentiæ, & separabilem, seu contingentem essentiæ diuidi potest. Et differentia quidem communis inseparabilis ipsa est essentiæ passio communis; separabilis autem commune accidens. Sicuti differentia propria inseparabilis ipsa est essentiæ proprietas; separabilis autem accidens proprium, iuxta diuisionem factam à nobis *suprà quæst.* 7. accidentis prædicabilis latissimè sumpti, de quâ iterum sedibit sermo *quæst.* 18. Vnde perspicies differentiam accidentalem tot insuper modis diuidi posse, quot accidens prædicabile, siue prædicabile accidentale insuper etiam *quæst.* 7. *citatâ* diuisum est.

Adhæc. Differentia tam accidentalis, quàm essentialis, iuxta diuisionem etiam prædicabilium ibidem traditam in physicam, & metaphysicam diuidenda est; ita, quod differentia physica dicatur, quæ realiter est distincta ab ente, quod facit differre: metaphysica autem, quæ à tali ente per rationem tantùm distincta est; siue, quia est pars aut realiter, aut per rationem componens essentiam talis entis, quando est differentia essentialis: siue, quia est accidens aut realiter, aut per rationem adiunctum eiusmodi essentiæ, quando est accidentalis. Cæterum in præsenti quæstione potissimum agendum est nobis de differentiâ essentiali, quam Porphyrius, & eius assectæ propriissimam appellant. Diuidunt namque primâ diuisione differentiam in communem, propriam, & propriissimam, vocantes propriissimam essentialem, & comprehendentes accidentales sub propriâ, & communi; minùs tamen bene, quàm oporteret, terminos istos applicantes, ac subdiuidentes, vt legenti textum Porphyrij post nostras diuisiones præuisas non obscure apparebit. 271

Vtrum autem differentia essentialis, & accidentalis, siue differentia communis, & propria, & propriissima vniuocè, vel analogicè tantùm sub nomen differentiæ cadant, quæstio est, quam latè exagitant Logici, alij primum, alij secundum affirmantes, vt videre est apud Conimbricenses *cap. de specie, quæstione* 1. *artic.* 2. & apud Rub. *ibidem quæst.* 2. Ego summatim dico primò; si formæ, quæ differentiæ dicuntur, entitatiuè, seu materialiter accipiantur, sicquæ acceptæ differentiæ appellentur, eas quidem in tali nomine analogicè tantùm, aut æquiuocè conuenire; quia vt sic nullatenus habent similitudinem sufficientem, vt in vnum conceptum sibi vniuersalem, & vniuocum per tale nomen significandum coire possint, cùm aliæ sint substantiæ, aliæ accidentia], aliæ huius, aliæ alterius essentiæ, siue conceptus obiectiui, in quo Conimb. & Rub. & omnes conspirant. Si verò huiusmodi, formæ formaliter provt facientes differre sub nomen differentiæ cadant (vt re verâ de facto cadunt; siquidem ab actu, seu munere, quod exercent faciendi, vt res, quibus conueniunt ab aliis differant, differentiæ nomen sortitæ sunt.) Dico secundò. Adhuc vt sic differentiam essentialem, & accidentalem in nomine differentiæ analogicè conuenire. Accidentales verò inter se comparatas in nomine differentiæ accidentalis vniuocè. Primum probo; quia munus, seu actus faciendi differre competens differentiæ essentiali dissimilis est ex suo conceptu actui faciendi differre competenti differentiæ accidentali; proindeque huiusmodi actus in vnum conceptum vniuersalem sibi, & vniuocum coire non possunt; & consequenter nec differentia essentialis, & differentia accidentalis provt denominatæ per ipsos. Esse autem prædictos actus ex suo conceptu dissimiles inde conspicitur, quia differentia essentialis differre facit vt pars intrinsecè constituens essentiam, quam facit differre. Accidentalis verò differre facit vt accidens extrinsecè adiunctum essentiæ, quam facit differre. Pars autem ad totum, & accidens ad subiectum non possunt non diuersimodè comparari; atque adeo diuersimodè concipi quoad ipsum actum faciendi differre, siue discriminandi totum ipsum, & subiectum ab aliis Secundum autem probo oppositâ 272

ratione,

ratione, quia nimirum omnia accidentia eodem modo sunt comparabilia ad subiectum, vt satis est notum, quandoquidem in hoc omnia conspirant, quod est esse subiecto adiuncta, siue illi accidentia. Atque adeo eodem modo sunt à nobis conceptibilia quoad actum, seu munus discriminandi subiectum, cui competant à cæteris, quæ non habent illa. Igitur in vnum conceptum discriminantis suum subiectum à cæteris coire possunt, qui subinde vniuocè significandus veniet per voces *differentia accidentalis*, de factóque per illas significabitur.

273 Quærunt deinde hîc Logici. An munus, siue actus faciendi differre conueniens cuilibet ex dictis differentiis sit in eis aliquid reale, vel potius aliquid rationis? Omissis variis opinionibus, dico huiusmodi actum sumptum formaliter aliquid rationis esse non fictum, sed supposititicium, iuxta diuisionem entis rationis *suprà disp. 2. q. 3.* commemoratam, & *disp. 12.* latiùs expositam. Sumptum verò fundamentaliter, siue pro fundamentis, vnde desumitur, quid reale esse, quod omnibus denominationibus semiextrinsecis, è quarum genere est iste actus, commune est, vt *locis citatis* notauimus. Est autem hæc doctrina vera, siue differentia, cui actus faciendi differre conuenit, realiter distincta sit ab eo, quod facit differre, vti euenit, quando est differentia, physica; siue tantùm distincta sit per rationem, vt quando est metaphysica. Nam & huiusmodi distinctio rationis ad entia rationis suppositicia pertinet, non ad ficta, vt explicuimus ibidem.

274 Aduertunt præterea in præsenti nonnulli Recentiores hoc esse obseruandum discrimen inter differentia, & diuersa. Quòd differentia, vt talia dicantur, in aliquo sui conueniebent, & per aliud discriminari. Diuersa verò illa dicenda veniunt, quæ se totis discrepant inter se. Verùm huius obseruatio discriminis parum in vsu communi videtur esse, iuxta quem pro eisdem indiscriminatim solent vsurpari hæc vocabula; quæcumque enim quovis modo discriminantur inter se, tum differentia, tum diuersa vocari solent. Dicuntur autem vt plurimùm aut differentia, aut diuersa quæcumque siue se totis, siue per aliquid tantùm sui vel sunt inter se dissimilia, vel inæqualia, vel vtrumque. Quæ verò citra omnem dissimilitudinem, atque inæqualitatem distincta tantùm inuicem sunt, tametsi neque ita frequenter, neque ita propriè, interdum etiam diuersa, & differentia nuncupantur.

275 Venio iam ad agendum speciatim de differentiâ essentiali tertij prædicabilium essentialium de quo potissimũ est quæstio præsens, constitutiua, quæ sub nomen *differentia* absolutè, & sine addito pronunciatum intelligenda venit. In quâ quidem tria munera considerari possunt. Primum diuidere genus, siue illud ad propriam speciem contrahere. Secundum constituere speciem faciendo vt illa ab aliis speciebus discriminetur. Tertium posse prædicari de omnibus, de quibus species ipsa prædicabilis est. Igitur omissis definitionibus Porphyrij propter rationem datam *q. 13.* differentia, quod attinet ad primum munus, sic potest definiri. *Differentia est diuisiua generis, & contractiua ad suas species.* Quod attinet verò ad secundum sic. *Differentia est, quæ constituens speciem, illam à cæteris discriminat, siue differre facit.* Quod attinet ad tertium sic. *Differentia est prædicabilis de multis vt pars essentiæ eorum communis alterius partis contractiuæ, & non contrahibilis.* Quarum definitionum duæ priores satis patent ex dictis nuper. Circa posteriorem solùm aduerto, per illam particulam eius *prædicabilis de multis* conuenire differentiam cum cæteris prædicabilibus vniuersalibus. Per illam autem *vt pars essentiæ eorum communis* differt ab omnibus accidentalibus, & ab essentiali speciei, conuenit tamen cum essentialibus generis, anonymo, & mixto; à quibus differt per definitionis residuum.

Conuenit autem hæc definitio omnibus differentiis, quæ in serie prædicabilium etiam considerantur subordinatæ, quatenus constituunt species subordinatas in tali serie. Omnes namque ab infima vsque ad supremam prædicabiles sunt de multis vt partes essentiæ eorum communis aliarum partium contractiuæ, & non contrahibiles. Nisi, quod infima solùm est ita prædicabilis de multis differentibus numero. Cæteræ verò (sicut & species, quas constituunt, quæ ipsæ etiam sunt genera) tum de pluribus differentibus specie, tum de pluribus differentibus numero ita prædicabiles sunt, e. g. rugibile, quæ est differentia infima constituens infimam speciem leonis, præter quam de ipsâ specie, de quâ prædicatur, vt de æquali solum est prædicabile vt de inferioribus prædicatione differentiæ de hoc, & illo, & alio leone, quæ sunt indiuidua immediata talis speciei. Sensibile verò, quæ est differentia intermedia constituens animal præterquam de animali ipso vt de æquali, vt de inferioribus est prædicabile prædicatione differentiæ tum de leone, equo, & cæteris animalis speciebus; tum de hoc, & illo leone, de hoc, & illo equo, & cæteris omnibus indiuiduis specierum ipsarum. Dico, prædicatione differentiæ: nam de propriis, & incompletis indiuiduis, quæuis differentia est insuper prædicabilis vt species, quod omnibus prædicabilibus commune est, vt constat ex doctrinâ tradita *q. 1.* Sic sensibile prædicatur de hoc, & illo sensibili, rugibile de hoc, & illo rugibili, &c. Adde cæteras omnes differentias præter vnam infimam non solùm esse prædicabiles prædicatione differentiæ de speciebus se inferioribus, & de indiuiduis completis speciei infimæ, sed insuper de indiuiduis incompletis tum reliquarum specierum se inferiorum, tum eius, quam vnaquæque constituit, e. g. vegetatiuum, quod est differentia constituens viuens, præterquam de viuente ipso, vt de æquali, vt de inferioribus est prædicabile, prædicatione differentiæ non solùm de animali, bruto, & leone, quæ sunt species ipso inferiores, & de indiuiduis completis leonis, sed etiam de hoc, & illo viuente; de hoc, & illo animali; de hoc, & illo bruto, &c. quæ sunt indiuidua incompleta speciei, quam vegetatiuum ipsum constituit, & reliquarum ab infima ipso inferiorum. De his quippe omnibus est prædicabile vegetatiuum vt pars essentiæ eorum communis alterius contractiua, & non contrahibilis. 276

Sed rogabis. An prædicatio, quâ vnaquæque differentia de specie, quam constituit, prædicatur vt de subiecto sibi æquali quoad vniuersalitatem prædicatio differentię dicenda sit spectans ad hoc prædicabile tertium, vel secus? Respondeo certum esse eatenus dici debere prædicationem differentiæ ad hoc tertium prædicabile pertinentem, quatenus est prædicatio partis essentiæ communis subiecti contractiuę alterius partis, & non contrahibilis. Vtrum verò dicenda sit prædicatio differentię vt vniuersalis etiam respectu talis subiecti, vel vt æqualis ipsi, quæstio erit de modo loquendi arbitraria, & parui momenti. Ego arbitror quoduis prædicabile de multis vniuersale dici posse, imò & debere 277

debere non solùm comparatione inferiorum, sed etiam comparatione æqualium, de quibus eodem modo prædicabile est, quia etiam æqualia intrant aggregatum eorum multorum, in quibus illud vt in subiectis potest inesse, & de quibus, vt de subiectis est prædicabile, quod ipsum est etiam respectu æqualium esse illud vniuersale. Prædicatio ergo differentiæ de specie, quam constituit, non solùm differentiæ spectans ad tertium prædicabile, sed differentiæ vt vniuersalis dicenda prædicatio est. Quo eodem iure prædicatio, quâ species prædicatur de se ipsâ, vt si dicas *homo est homo*, vel *animal est animal*, & prædicatio speciei, & speciei vt vniuersalis dici potest, & debet. Pariterque dicendum de prædicatione, quâ prædicabile anonymum de toto, quod constituit, tanquam de æquali prædicatur.

278 Iam verò vt ad secundam quæstionis partem accedam, vnum aduerto compendij gratiâ. Quæcumque circa definitionem primi, & secundi prædicabilis, generis scilicet & speciei, circa eorumque essentias *q.* 13. & 14. aut resoluendo propositas ibi dubitationes, aut alio titulo adnotauimus. Pariter, proportione seruatâ circa definitionem tertij, quod est differentia vt prædicabilis, & circa essentiam eius habere locum. Quocirca illa ad rem præsentem recognoscenda à legente, & applicanda sunt, ne in eisdem rescribendis operam, & tempus teramus.

279 Ergo circa secundam partem quæstionis eisdem diuisionibus est diuidenda differentia, quibus *q.* 13. & 14. & *q.* 7. genus, & speciem prædicabilia essentialia generatim diuisimus; videlicet in differentiam physicam, & metaphysicam; in prædicabilem formaliter, & prædicabilem identicè. In prædicabilem directè, & prædicabilem indirectè. In substantialem, & accidentalem prædicabiliter. In incomplexam, & complexam. In positiuam, & negatiuam; ac denique in supremam, intermediam, & infimam secundum seriem prædicabilium ipsis differentiis constitutorum, qualia sunt genera; & species. Vide huiusmodi diuisiones *locis citatis* explicatas. Addeque insuper differentiam specificam in differentiam speciei simpliciter dictæ, & differentiam speciei logicæ diuidi posse, iuxta diuisionem harum specierum factam *q.* 14.

280 Tandem circa tertiam partem quæstionis dubitatur primò: vtrum differentiæ superiores in inferioribus includantur formaliter, de eisdemque formaliter prædicentur? Prima sententia affirmat, pro quâ Rub. *c. de differentiâ q.* 5. refert. Soncin. Sot. & Canter. Secunda negat; pro quâ sunt ipse Rub. cum Scot. Capreol. Tolet. Merc. & Fonsec. à se relatis. Necnon quoad primam eius partem, Petr. Hurt. *disp.* 6. *log. sect.* 3. & alij Recentiores. Idem tenet absolutè Arriag. *disp.* 8. *log. sec.* 1. *subs.* 1. Addit tamen iuxta sententiam Præscindentium obiectiuè; quam ipse non sequitur, necessariò dicendum esse genus superius, & consequenter differentiam constitutiuam eius non posse non includi formaliter in differentiâ inferiori, quoties genus respectu huius transcendens est, quale esse putat genus viuentis respectu differentiæ inferioris animalis, videlicet sensibilitatis, vtpote, quæ ex conceptu suo vitale quid est, & alia huiusmodi. Existimat enim nullatenus posse apud Præscindentes obiectiuè à prædicatis transcendentibus differentias præscindi.

281 Ego asserо primò nullam omnino differentiam inferiorem includere in suo conceptu genus superius, aut differentiam superiorem constitutiuam eius, esto genus superius transcendens prædicatum sit respectu differentiæ inferioris; quod, num possibile sit, *inferiùs suo loco* decernam. Id mihi interim certum, genus viuentis tale non esse respectu differentiæ animalis; quia genus viuentis tantùm dicit vitam vegatiuam animalibus, & plantis communem, non item vitam sensitiuam animalium propriam. Ratio à priori assertionis est, quia differentia inferior ille præcisè conceptus est, quem species inferior addit supra integrum genus superius; repugnat autem id, quod supra integrum genus additur, imbibere in se genus ipsum, aut aliquid eius. Clarius species aliquid amplius dicit in suo conceptu præter totum genus, vt constat: ergo in eo alio, quod dicit, non includitur genus; alioquin in eo præter totum genus maneret aliquid generis, quod repugnat apertè. Sed illud aliud, quod præter totum genus dicit species, est quod vocamus differentiam. Ergo. Quomodo autem differentia quantumuis ponatur esse genus prædicatum transcendens, ab eo nihilominus sit præscindibilis obiectiuè ex dictis *disp.* 13. *q.* 10. constat, ampliúsque constabit ex dicendis *q.* 10.

Secundò asserо. Licet differentia superior in in- 282
feriori non includatur formaliter, formaliter nihilominus de illâ prædicabilem esse, si vtraque in concreto capiatur; quia ad prædicationem formalem concretorum talis inclusio necessaria non est, sed tantùm quòd prædicatum, & subiectum quoad id, quod dicunt in recto, quodque dumtaxat identificat verbum *est* substantiuum non solùm à parte rei, sed etiam in mente nostrâ obiectiuè sint idem. Quod euenit in nostro casu. Itaque hæ prædicationes formales sunt, siue veræ in sensu formali. *Rugibile est sensibile*, *Rugibile est animal*, &c. De quo vide plura dicta vniuersè *suprà disp.* 2. *quæstione* 4. *sect.* 4.

Secundò dubitant aliqui. Vtrum differentia infi- 283
ma ex duabus, aut pluribus differentiis infimis partialibus coalescere possit? Respondeo posse. Si enim ex parte subiecti, de quo genus est prædicandum, sumantur simul cum specie constante differentiâ simplici aliæ eius proprietates, subiectum ex omnibus compositum, species erit subiicibilis constans iam differentiâ compositâ ex pluribus formalitatibus. Pone enim per vocem *leo* significari non solùm has duas formalitates *animal rugibile*, sed insuper has duas *voracissimum*, *audacissimum*, quas pono esse proprietates leonis. Tum quidè hæc prædicatio *leo est animal* prædicatio generis erit de specie, cuius differentia ex tribus illis formalitatibus erit composita *rugibile*, *voracissimum*, *audacissimum*. Quæ doctrina verissima est non solùm quando species ex duobus generibus non subordinatis coalescit, in quo deceptus est Arriaga *suprà subs.* 2. sed etiam quando vnicum tantùm huiusmodi genetum habet, vt satis, superque apparet ex regulâ datâ. Quin imò contra Arriagam ipsum intrepidè dicendum est, quando aliqua species ex duobus generibus non subordinatis coalescit, neque aliud illa prædicatum includit in suo conceptu, vt plerumque fit, tunc talia genera vicissim se se contrahere ad talem speciem. Atque adeo eam nullâ differentiâ, nulloque genere constare, quæ purè sint genus, & differentia, & ad prædicabile generis, & prædicabile differentiæ pertineant; sed duobus prædicatis mixtis ad aliud diuersum prædicabile pertinentibus, quod hactenus prætermiserunt Logici, vt ex doctrinâ à nobis traditâ *q.* 7. & sæpè *in superioribus* tactâ satis superque constat. Exemplum

plum habemus in homine, qui iuxta communem omnium consensum hæc duo prædicata dumtaxat claudit in suo conceptu *animal rationale*; & tamen in primo conuenit cum brutis, in secundo cum Angelis, in coniuncto amborum cum neutris, quod est illum nullâ purâ differentiâ nulloque puro genere constare; sed duobus prædicatis spectantibus ad prædicabile mixtum.

284 Tertiò solet hîc dubitari. An compositio ex genere, & differentiâ sit realis, vel tantùm rationis? Communis sententia eam ponit tantùm rationis, contra Scotistas ponentes illam formalem ex naturâ rei. Ego communi sententiæ assentior, si sermo sit de genere, & differentiâ metaphysicis, quia hæc prædicata tantùm per rationem distinguuntur (vtrum verò distinctione ex parte obiecti, an ex parte nostrorum actuum se habente, pertinet ad celebrem controuersiam de præcisione formalitatum, de quâ nos *suprà disputat. 13. quæst. 9.*) si verò sermo sit de differentiâ, & genere physicis, dico compositionem ex illis realem esse, sicut distinctio eorum realis est; de quo etiam satis est iam à nobis dictum *quæst. 7.*

285 Quartò dubitatur. Quid sibi velit illud commune effatum ducens originem ex Aristotele *lib. 8. Metaphysicæ, cap. vlt. Genus sumitur à materiâ, & differentia à formâ.* Respondeo non aliud quidem, quàm genus respectu differentiæ se habere, sicut se habet materia respectu formæ. Quemadmodum enim materia ex suo conceptu indifferens est, atque in potentiâ ad constituendas varias essentias per coniunctionem cum variis formis, & per talem determinatam formam ad talem determinatam essentiam actu constituendam determinatur. Ita genus ex suo conceptu indifferens est pariter, & in potentiâ ad constituendas varias essentias per coniunctionem cum variis differentiis, per talémque differentiam determinatam ad talem essentiam determinatam actu constituendam determinatur. Nec aliud voluit Aristot. *loco citato*, vt legenti textum palàm erit. Quidquid nonnulli aliter prædictum effatum vsurpent.

286 Quintò denique dubitant hîc nonnulli, an differentia ex conceptu suo semper sit perfectior, quàm genus? Alij affirmant, aliique negant, vt videre est apud Rub. *suprà q. 6.* Ego verò resolutionem huius dubij in suum locum remitto. Vbi de perfectione formalitatum vniuersè tractandum est.

287 Porrò, quæ de differentiâ vniuersali in totâ istâ quæstione diximus, differentiæ quoque indiuiduali, suâ seruatâ proportione, bonâ ex parte conueniunt, faciléque ei vnusquisque poterit illa accommodare, si priùs bene perspectam habeat doctrinam de indiuiduis, quam dedimus *suprà quæst. 10. 11. & 12.*

QVÆSTIO XVI.

Quid sit prædicabile anonymum? quotuplex? & quale?

288 DIco, *Est prædicabile de multis vt pars essentiæ eorum communis per alteram partem non contrahibilis, nec contractiua alterius.* Per illam particulam *prædicabilis de multis* conuenit cum aliis prædicabilibus vniuersalibus. Per illam, *vt pars essentiæ eorum communis* differt ab specie, & à prædicabilibus accidentalibus. Per reliquam differt à genere, & differentiâ, & prædicabile mixto.

Esse autẽ hoc prædicabile prout à cæteris condistinctum possibile ex dictis *q. 7.* satis constat: si enim ex parte subiecti prædicationis ponatur concretum ex essentiâ aliquâ metaphysicâ, & ex duabus proprietatibus eius, de eóque altera tantùm talium proprietatum prædicetur, prædicatio erit partis de toto nec contrahibilis per alteram, nec contractiuæ alterius, ad nullúmque propterea prædicabile præterquam ad hoc pertinebit, vt dicebamus *ibi.* 289

Dices. Illa essentia ex parte subiecti posita non potest non includere in suo conceptu aliud prædicatum saltem ex transcendentalibus se, & suis proprietatibus vniuersalius: ergo prædicatio vnius dictarum proprietatum de subiecto includente dictam essentiâ, prædicatio differentiæ erit, quâ ipsum subiectum, ipsaque essentia ab aliis differant, cum quibus in tali prædicato se vniuersaliori conueniunt. Prædicabile ergo anonymum præter tria essentialia chymericum est. Nego antecedens, primò, quia si essentia metaphysica pro exemplo posita sit conceptus vniuersalissimus omnium, qualis est conceptus entis, nullum poterit prædicatum habere se, & suis proprietatibus superius, vt constat. Quo cessat obiectio. Secundò, quia quæcumque talis essentia sit, cum præcisione ab omni prædicato etiâ transcendentali se superiore poterit concipi, vt constabit ex dicendis *infrà q. 20.* sicque cceõpta affectaque, solis duabus suis proprietatibus pro subiecto poni prædicationis alterius earum. Quo iterum cessat obiectio. Sed esto, sume quamuis essentiam logicam ex genere, & differentiâ compositam, planéque proinde includentem prædicatum superius se, iungeque illi proprietatem æqualem ipsi. Si enim de concreto ex his tribus prædices ipsam essentiâ logicam tanquam vnicum prædicatũ sumptis videlicet eius duabus partibus indiuisim; prædicatio vtique huius prædicabilis erit, neque ad aliud spectare potest, vt si de concreto ex homine, & risibili prædices esse hominem, erit quippe prædicatio partis de toto alteri parti æqualis, atque adeo nec contractibilem per illam, nec contractiuam eius. Ex quibus satis superque apparet hoc quartum prædicabile anonymum non solùm possibile, sed inexcusabile esse. 290

Iam circa secundam quæstionis partem, eisdem illud diuisionibus diuidendum venit, quibus alia prædicabilia essentialia diuisa sunt, tum generatim *q. 7.* tum speciatim *q. 13. 14. & 19.* quas non opus est toties repetere. Recognoscantur ibi. 291

Circa tertiam verò quæstionis partem nihil occurrit, quod ad huius prædicabilis intelligentiam sit necessarium adnotare præter dicta iam circa prædicabilia generis, speciei, & differentiæ in præcedentibus quæstionibus, quæetiam huic prædicabili communia sunt, &, quæ generatim de omnibus diximus *q. 7. sæpe citata.* 292

QVÆSTIO XVII.

Quid sit prædicabile mixtum, quotuplex, & quale?

293 DIco. *Est prædicabile de multis vt pars essentiæ eorum communis per aliam partem contrahibilis simul, & contractiua alius.* Per particulam *prædicabile de multis* conuenit hoc prædicabile cum cæteris prædicabilibus vniuersalibus. Per particulam, *vt pars essentiæ eorum communis* differt ab

ab accidentalibus, & ab specie. Per residuam autem differt à genere, & differentiâ, & anonymo. Debere autem hoc prædicabile constitui diuersum à cæteris omnibus, inde manifestè conuincitur, quòd re verâ à cæteris omnibus specificè distinctum est. Et primum distingui specifice à prædicabili speciei, & ab omnibus prædicabilibus accidentalibus non est dubitabile, vt patet. Deinde distingui itidem specificè ab iis essentialibus, ex quorum mixtione dicitur fieri, probatur aperte: quia tam in rebus physicis, quàm metaphysicis, quàm logicis, quoties essentia aliqua coalescit ex partibus diuersis inter se specificè, non potest non illa à singulis suarum partium specificè diuersa esse, vt est notissimum; indeque constat, quia quoties partes sunt inter se dissimiles, totum non potest non esse dissimile cuiuis earum, quia non potest non comparari ad quamuis vt continens dissimilitudinem quâ reliquæ sunt dissimiles illi; sed prædicabile, de quo agimus. essentia quædam est coalescens ex mixtione prædicabilium specificicè inter se distinctorum; igitur ab eorum singulis ex quorum mixtione coalescit, specifice distinctum est.

Nº Tantumdemque venit dicendum de cæteris prædicabilibus mixtis relatè ad prædicabilia simplicia, ex quorum mixtione coalescunt. Ex quibus apparet hoc prædicabile necessariò ponendum esse distinctum à cæteris omnibus.

294 Circa secundam partem quæstionis. Prædicabile mixtum primò diuiditur, quemadmodum & alia essentialia, in metaphysicum. & physicum. In prædicabile formaliter, & prædicabile identicè. In prædicabile directè, & prædicabile indirectè. In substantiale, & accidentale. In incomplexum & complexum. In positiuumque, & negatiuum, prout generatim *quæstione septima* explicatum est.

295 Deinde speciatim diuiditur in mixtum ex genere, & differentiâ; in mixtum ex genere, & anonymo. In mixtum ex differentiâ, & anonymo. In mixtúmque ex omnibus tribus. provt etiam loco citato notatum est.

296 Et quidem mixtio ex genere, & differentiâ bifariam potest euenire. Primò si subiectum huius prædicabilis ex duabus partibus ipso vniuersalioribus, & non subordinatis coalescat, quæ se se mutuo contrahant, vt contingit in homine composito ex animali, & rationali; animal enim, in quo homo conuenit cum brutis, contrahitur per rationale; & rationale, in quo homo conuenit cum Angelis, vicissim contrahitur per animal; atque ita vtrumque est prædicabile mixtum ex genere, & differentiâ, quatenus vtrumque pars est subiecti per alteram contrahibilis, sicuti genus, alteriusque item contractiua, sicuti differentiâ. Secundo modo mixtio ex genere, & differentiâ contingit quando subiectum tres partes habet, quarum vna aliam residuarum contrahit, & ab alia contrahitur. Illa enim simul erit contrahibilis, & contractiua, tametsi respectu partium diuersarum; atque adeo tum generis, tum differentiæ prædicata in se complectetur. Sic prædicatur differentia intermedia præcisè sumpta de specie inferiori, vt sensibile de leone; est enim pars contractiua generis superioris, vt viuentis, & contrahibilis per differentiam inferiorem, vt per rugibile, quæ etiam partes sunt metaphysicæ inferioris speciei, vt leonis.

297 Mixtio autem ex genere, & prædicabili anonymo tunc contingit, quando subiectum prædicationis tres partes habet, duas quidem tertiâ vniuersaliores, æquales tamen inter se; ita enim quæuis illarum respectu tertiæ se inferioris contrahibilis erit, respectu autem alterius sibi æqualis nec contrahibilis, nec contractiua, proindeque prædicata generis, & prædicabilis anonymi participabit. sic prædicabuntur genus, & aliqua eius proprietas de specie inferiori, si talis proprietas simul cum specie ex parte subiecti ponatur, vt si ponamus hanc vocem *leo* non solùm animal rugibile, sed insuper loco motiuum (quæ proprietas est animalis) significare. Istæ prædicationes *leo est animal*, *leo est loco motiuus* ad istam speciem prædicabilis mixti spectabunt, quia vtraque erit partis de toto per aliam partem ipsius totius contrahibilis, & respectu alius nec contrahibilis, nec contractiuæ.

Tertia mixtio ex differentiâ, & prædicabili ano- 298
nymo accidit ob rationem inuersam, quando subiectum prædicationis tres partes habet, duas quidem inferiores tertiâ, & inter se æquales. Quo pacto differentia constitutiua speciei, eiusdemque speciei proprietas sumptæ seorsim prædicabuntur de complexo ex ipsâ specie, & tali proprietate: vtriusque enim prædicatio erit partis de toto contractiuæ respectu alius, & respectu alius, nec contractiuæ nec contrahibilis, subindeque pertinens ad prædicabile mixtum ex differentia, & anonymo, modo iam explicato.

Denique mixtio ex genere, differentiâ, & anony- 299
mo simul fiet, vel si subiectum prædicationis tres partes habeat, duas quidem mutuò se contrahentes & tertiam alterutri æqualem; vel si subiectum habeat quatuor partes, duas æquales inter se; tertiam his duabus superiorem, & quartam eisdem inferiorem. Qui casus facilè cuique ex dictis intelligendi exemplisque comprobandi veniunt.

Præterea prædicabile mixtum in infimum, su- 300
premum, & intermedium diuidi potest; quia etiam ex prædicabilibus mixtis, aut solis, aut cum aliis interpositis series potest ordinata compingi, vbi aliquod eorum infimum, aliud supremum, & cætera intermedia sunt, vt facile erit vnicuique colligere ex dictis.

Tandem circa tertiam quæstionis partem solùm 301
occurrit adnotandum, quod iam in superioribus tetigi. Eumdem scilicet conceptum vniuersalem respectu aliquorum ex iis, de quibus prædicari potest, posse esse prædicabile mixtum; cùm tamen respectu aliorum aut genus, aut differentia, aut species, aut aliud prædicabile sit. Eumdem enim vniuersalem conceptum ad varias species prædicabilium spectare posse penes diuersitatem subiectorum, ad quæ comparatur, iam etiam in superioribus diximus, & est certissimum. Animal quippè e. g. respectu hominis, aliorumque excogitabilium animalium huiusmodi prædicabile mixtum est ex differentiâ, & genere respectu leonis, & equi est genus, respectu huius & illius animalis est species respectu complexorum ex ipso animali, & aliquâ proprietate eiusdem est anonymum; respectu complexorum ex aliquâ ipsius proprietate, & aliquâ specie inferiori eiusdem est mixtum ex genere, & anonymo; respectu viuentis, atque etiam respectu rationalis est accidens, &c. In quo amplius non oportet morari.

QVÆSTIO XVIII.

Quid sit propria passio, siue proprietas. Quid item passio communis. Quotuplex. Et qualis.

302 EGimus in quinque quæstionibus præcedentibus de prædicabilibus essentialibus. Restat vt in hâc, & sequente agamus de accidentalibus.

303 Dicimus autem prædicabile accidentale (sumpto latè hoc vocabulo) id, quod aliquid subiecto adiicit seu physicè, seu metaphysicè. Quidquid enim alicui conceptui adiicitur, id iure optimo accidens eius, hoc nomine latè accepto, appellatur. Accidens autem ita sumptum imprimis aliud inseparabile est, aliud separabile. Inseparabile dicitur, quod subiecto conuenit necessariò; eo quòd subiectum cum illo connexum est, atque adeo sine illo esse non potest. Separabile autem appellatur, quod contingenter subiecto conuenit; eo quòd subiectum cum illo connexum non est, proindeque sine illo esse potest. Porro accidens inseparabile passionem subiecti, seu eius essentiæ distinctionis gratiâ appellamus. Separabile autem accidens absolutè, strictiùs vsurpato hoc nomine, dici solet, & debet. Deinde passio in propriam, & communem; accidensque similiter in proprium, & commune diuiditur. Passio propria, siue proprietas subiecti, seu essentiæ est, quæ tali subiecto, seu essentiæ, non item aliis conuenit. Passio verò communis, quæ insuper conuenit aliis. Accidens pariter subiecti proprium nuncupatur, quod illi dumtaxat, non verò & aliis conuenit: commune autem, quod, & aliis. Quæ quidem quatuor membra plures alias diuisiones patiuntur, quas *suprà* dedimus *q.* 7. deincépsque iterum tangemus. In præsente ergo quæstione de accidenti inseparabili, atque adeo de passione communi; & propriâ tractandum nobis est.

304 Sed prænotare oportet primò; præter accidens eo titulo inseparabile, atque necessarium subiecto, quòd ipsum subiectum cum illo suapte naturâ connexum est: quale est, quod appellamus passionem subiecti; aliud dari accidens inseparabile, & necessarium subiecto alio diuerso titulo, nimirum titulo necessitatis, quàm accidens ipsum habet essendi, ita vt deficere non possit. Quo fit, vt subiectum sine illo non possit esse, tametsi cum, illo suâ naturâ nullatenus connexum sit. Igitur, quia genus istud inseparabilitatis prædicati, quasi casuale est subiecto, subindéque nihil confert ad scientiam; ideo accidens sic à subiecto inseparabile neutiquam sub nomen passionis, aut communis, aut propriæ cadet, vti accidens inseparabile priori modo, sed tantùm sub nomine accidentis absolutè dicti, quale vocamus accidens separabile. Est quippe separabile reputandum in ordine ad scientiam eo ipso, quod non ex merito subiecti, sed aliunde veluti à casu inseparabile est.

305 Secundò oportet prænotare; hæc duo prædicabilia potissimum sibi vendicare locum in scientiis humanis discursiuis, quæ totæ in inuestigandis, & sciendis passionibus, & proprietatibus rerum distentæ sunt. Quocirca in illis exponendis accuratiùs mihi est incumbendum, quàm hactenus incubuerunt Logici, qui Porphyrium sequuti in tradendis proprio, & accidente, quæ solùm ipsi ponunt prædicabilia accidentalia, minùs profectò exactè, & magis confusè, quàm oporteret, processerunt. Quare in eorum assertis referendis, & refellendis non immorabor, sed, quid res habeat explicare conabor, quantum ad præsens attinet institutum. Iungo autem in eadem quæstione passionem communem, & proprietatem; tum quia in plerisque sunt similes; tum maximè, quia sæpe in dicendis necesse erit vnam alteri comparare.

Igitur quoad primam quæstionis partem, bifariam possunt considerari passio communis, & proprietas. Primò secundùm se. Secundò vt vniuersales, seu prædicabiles de multis. Priori modo sumpta proprietas nihil est aliud, quàm *prædicatum quoddam essentiæ adiectum, siue aliquid essentiæ adiciens, ipsique conueniens vnicè, & necessariò.* Dico *essentiæ adiectum, siue aliquid essentiæ adiiciens*, quia proprietas sumpta per modum actus significati per verbum, vel per nomen verbale conceptus est essentiæ adiectus, vt *posse ridere*, seu *potentia ad ridendum*, seu quod idem est *risibilitas*, quæ essentiæ hominis adiicitur. Sumpta verò per modum concreti, siue in concreto conceptus est aliquid essentiæ adiiciens, vt *potens ridere*, seu *risibile*, quod essentiæ hominis, quam dicit confusè, ipsam potentiam ad ridendum, seu risibilitatem adiicit, quam dicit expressè, vt ex doctrinâ concretorum, & abstractorum sæpe in superioribus traditâ notum est. Conuenit autem proprietas essentiæ, cuius est proprietas, *vnicè*, quia aliis essentiis non est communis, in quo à passione communi differt, & conuenit *necessariò*: quia essentia cum illa suâ naturâ connexa est, eoque titulo sine illâ consistere nequit, in quo differt ab accidente absolutè dicto, quod essentiæ conuenit contingenter, eo quod hæc cum illo non est connexa, eoque iure sine illo bene existere potest. 306

Quæ omnia de passione communi pariter dicta sunto, solâ particulâ *vnicè* ex eius definitione sublatâ. Itaque passio communis dicto priori modo accepta nihil est aliud, quàm *prædicatum quoddam essentiæ adiectum, siue aliquid essentiæ adiicens, ipsique conueniens necessariò non tamen vnicè*; quia & aliis conuenit essentiis, in quo solo differt à proprietate, conueniens in cæteris cum illâ. Nomine autem essentiæ, cui passio, seu propria, seu communis adiicitur, quæuis omnino essentia venit intelligenda siue specifica, siue generica, siue metaphysica, siue per se, siue per accidens, &c. iuxta diuisiones essentiæ traditas *disputatione noua, quæstione secunda*, omnes enim habeat suas passiones, & proprietates, vt ex dicendis apparebit. 307

Sumpta verò posteriori modo proprietas, sic definienda venit. *Proprietas est prædicabilis de multis vt quid adiectum, siue adiiciens aliquid eorum essentiæ communi vnicè, & necessarie.* Per illam definitionis partem *prædicabilis de multis* conuenit proprietas cum reliquis omnibus prædicabilibus vniuersalibus. Per illam autem, *vt quid adiectum, siue adiiciens aliquid eorum essentiæ* imprimis differt proprietas à prædicabilibus essentialibus, deinde significantur duo modi, quibus illa prædicabilis est, nempe per modum actus 308

signi

significati per verbum, vel etiam per nomen abstractum, vt si dicas: *Petrus potest ridere*, vel *Petrus est risibilitas*. Et per modum concreti, siue in concreto, vt si dicas: *Petrus est risibilis*. Priori enim modo prædicatum totum additur subiecto; posteriori aliquid tantùm sui subiecto additi, cùm & subiectum in se inuoluat, iuxta dicta nuperrimè. Quod amplius paulò post explicabitur. Per particulam verò *communi* datur intelligi, proprietatem solùm esse talem respectu essentiæ communis inferiorum; nam respectu essentiarum peculiarium eorum non est nisi passio communis. e. g. *risibile* proprietas est Petri, Ioannis, &c. in quantum sunt homines, at in quantum sunt Petrus, Ioannes, &c. vniuscuiusque est passio communis. Similiter *loco motiuum* proprietas est hominis, leonis, &c. in quantum sunt animalia. At in quantum sunt homo, leo, &c. passio communis est cuiusvis eorum. Denique per particulam *vnicè* differt proprietas à passione communi, quæ non soli essentiæ communi eorum, de quibus vt talis est prædicabilis, sed & aliis essentiis etiam communibus aliorum conuenit. Postremò per particulam *necessariò* differt proprietas ab accidente, quod no necessariò, sed contingenter modo dicto prædicabile est. Difficultates autem, quæ in hanc definitionem moueri possent, in simili sunt expeditæ *supra q.* 13.

309 Iam verò passio communis vt prædicabilis eodem modo definienda, atque explicanda est: ac proprietas vnica ex definitione demptâ particulâ *vnicè*. Itaque *passio communis est prædicabilis de multis vt quid adiectum, siue adiiciens aliquid eorum essentiæ communi necessariò, non tamen vnicè*: Quia pariter est item prædicabilis de multis aliis aliam diuersam essentiam communem habentibus; In quo differt à proprietate conspirans in reliquis cum illâ. Exemplo sit *locomotiuum* vt prædicabile de Petro, Ioanne, Francisco, &c. Quod itidem de hoc, & illo, & alio leone, &c. diuersam ac illi essentiam communem habentibus pariter prædicabile est.

310 Hîc quærunt aliqui: an passio tum propria, tum communis dicenda sit vniuersalis non solum respectu inferiorum, de quibus vt talis est prædicabilis, sed etiam respectu essentiæ sibi æqualis, cuius primario est passio propria, aut communis; sed quæstio est de modo loquendi, & parui momenti, quam *suprà quæstione decimaquinta*, agens de differentiâ vniuersaliter resolui. Vide dicta ibi, & huc applica, quia de differentiâ, & passione eadem, quod ad rem attinet, ratio est.

311 Circa secundam quæstionis partem. Primò tam passio communis, quàm proprietas in physicam, & metaphysicam diuidenda est. Physica dicitur, quæ realiter est distincta ab essentiâ, cuius proprietas est, aut passio communis. Metaphysica verò, quæ tantùm per rationem nostram distinguitur ab huiusmodi essentiâ. Secundò diuidenda est tum passio communis, tum proprietas penes diuersitatem connexionis, quâ essentiâ cum illâ connectitur, in annexam essentiæ ipsi necessitate metaphysicâ: in annexam necessitate physicâ, & in annexam necessitate morali. Essentia quippe cum proprietate, aut connexione metaphysicâ, aut physicâ, aut morali connecti potest. Quid verò sit connexio metaphysica, & quid physica, & quid moralis, necessitatésque ex ei oriundæ, & quomodo in prima, secunda, & tertiâ tertiaque in secundâ, sed non vice versâ includantur, superiùs diximus *disputatione secunda, quæstione quinta, & disputatione octaua, quæstione secunda*, ex dictisque etiam *disputatione decimaquarta* constat. Tertiò proprietas, & passio communis physica in intrinsecam essentiæ per adhæsionem, & extrinsecam, siue essentiæ non adhærentem, & in mixtam ex vtroque siue partim tali modo intrinsecam, & partim extrinsecam potest diuidi. Similitérque metaphysica in intrinsecam per identitatem, siue adæquatè identificatam cum essentiâ re ipsa, & semiextrinsecam, siue identificatam inadæquatè, quia partim identificatur essentiæ, & partim ab eâ distincta est. Quartò diuidi potest passio tum communis, tum propria in prædicabilem formaliter, & prædicabilem materialiter. Tum in substantialem, & accidentalem prædicamentaliter: in incomplexam, & complexam; in positiuam, & negatiuam. Recognosce has diuisiones vniuersaliùs datas *suprà q.* 7.

Quintò denique vtraque passio communis sci- 312
licet, & propria speciatim est diuidenda in immediatam, & mediatam comparatione essentiæ. Immediata dicitur ea, cum quâ immediatè essentia connexa est. Mediata autem, cum quâ essentia mediatè, siue mediâ aliâ passione propriâ, aut communi, mediis pluribus connectitur. Esse enim essentiam quamlibet cum quibusdam suarum passionum, & proprietatum immediatè, & cum plerisque non immediatè, sed mediatè, siue mediis aliis connexam; & consequenter ab ipsâ essentiâ, vt à radice, siue fonte varias series proprietatum, & passionum communium ordinatim connexarum procedere; in quibus aliæ propinquiores essentiæ, & aliæ remotiores sunt, indubitabile omnino est. Ob id enim in scientiis humanis, cognitâ essentiâ, passim dubitatur de proprietatibus, aut passionibus communibus; quia connexio essentiæ cum illis vtpote mediata non se prodit donec discursu facto, & sæpe, longissimo, aliæ quæ intermediæ sunt innotescunt. Ob id in Mathematicis disciplinis, aliisque scientiis demonstratiuis, pleræque propositiones demonstrari non possunt nisi per alias priùs demonstratas, quæ propinquiores sunt principiis, adeò vt sæpenumerò ad aliquam propositionem ex remotioribus demonstrandam, & scicndam milliaria propositionum demonstratarum necessariò debeant præsciri. Demum longitudo ratiocinationum, siue discursuum, quibus ad aliquid ostendendum, siue probandum sæpe indigemus, à longitudine seriei proprietatum, aut passionum communium suo ordine connexarum, in quâ illud suum locum habet, ducit originem. Etenim si A eatenus solùm connectitur cum D, quatenus connectitur cum B connexo cum D, & B eatenus etiam dumtaxat connectitur cum D, quatenus connectitur cum C connexo cum D, impossibile erit scire A non posse esse sine D vi connexionis quam cum eo habet, nisi præsciatur A non posse esse sine B, & B non posse esse sine C, & C non posse esse sine D. Paritérque non poterit sciri, B non posse esse sine D, nisi præsciatur B non posse esse sine C, & C non posse esse sine D, vt est notissimum. Tantumdémque in cæteris huiusmodi seriebus proprietatum, aut passionum communium euenit. De quo pluradicenda *infrà disp.* 22.

Modò pro tertiâ quæstionis parte consectaria 313
quædam ex dictis sunt colligenda scitu digna, & necessaria ad ea, quæ *disp.* 22. *cit. de scientia humana tradenda sunt.*

Consectarium 1.

314 Passio seu propria, seu communis tum per verbum adiectiuum, tum per substantiuum, semper tamen adiectiuè est prædicabilis de suâ essentiâ, siue de suo subiecto.

Hoc consectarium omni prædicabili accidentali commune est. In eóque prædicabile accidentale differt ab essentiali. Essentiale enim nec per verbum adiectiuum, nec adiectiuè per substantiuum, sed substantiuè dumtaxat est prædicabile. Quæ omnia, vt explicem, prænoto, quod aliàs iam non semel notaui. Nimirum solum verbum *esse* provt significat actum essendi substantiuum, seu identitatem, verbum substantiuum vocari; cætera verò cuncta verba, & ipsum verbum *esse* prout actum existendi significat, dici verba adiectiua, eo quod actus significari per cetera omnia verba & per verbum *esse* sumptum pro *existere*, essentiis subiectorum, quorum sunt actus adiiciuntur saltem ratione nostrâ. Actus verò essendi substantiuus, etsi sit itidem per nostram rationem distinctus à subiecto, cuius est actus; quia tamen est ex conceptu suo ipsum exercitium essendi id, quod tale subiectum est, talis subiecti essentiæ non censetur adiectus, sed potius quasi constituens illam. Ob idque verbum talem actum significans non adiectiuum, sed substantiuum, seu quasi essentiatiuum venit dicendum; pro eodem namque vsurpari solent essentia, & substantia. De quo vide plura dicta *suprà disp.* 9. Hinc etiam fit, vt quoties prædicatio fit per verbum adiectiuum, solus actus significatus per verbum, non item terminus eius sit prædicatum. Quoties verò per verbum substantiuum fit, & actus, & terminus eius prædicatum constituunt; e.g. in hac prædicatione *Petrus legit lectionem* solus actus legendi, non item lectio dicitur prædicari de Petro. In hac verò *Petrus est legens* non solus actus essendi legens, sed ipsum legens dicitur prædicari. De quo vide, quæ suprà diximus *disput.* 2. *quæstione quarta, consectario primo*. Vnde cursus efficitur, si prædicatio per verbum adiectiuum fiat, vt *homo legit, homo potest ridere*, &c. non posse non prædicatum dici adiectiuè de subiecto, atque adeo accidentale prædicabile esse, quia non potest non prædicatum subiecti essentiæ adiectum esse. Siverò prædicatio per verbum substantiuum fiat, vtrumque potest euenire; &, quod prædicatum sit accidentale subiecto, vtpotè adiiciens aliquid eius essentiæ, vt, cùm dicimus *homo est legens: homo est risibilis*, &c. &, quod sit essentiale; vtpotè, nihil subiecti essentiæ adiiciens, sed vel ipsam integram, vel aliquam eius partem repetens, vt cùm dicimus *homo est homo: homo est animal: album est album*, &c. Ex quibus consectarium propositum satis superque manet conspicuum.

Consectarium. 2.

315 Quæuis omninò essentia innumeras, imò infinitas passiones tum proprias, tum communes habet scibiles ab intellectu humano.

Nam tot ferehabet citra omne dubium, quot sunt possibiles comparationes, quibus ea cum omnibus aliis essentiis, seu terminis obiectiuis possibilibus & impossibilibus siue realiter, siue formaliter à se diuersis est comparabilis omni factâ combinatione. Nulla enim est huiusmodi comparatio, vnde aliqua passio propria, aut communis essentiæ comparatæ non pullulet. Constat autem comparationes, combinationesque istas infinitas esse; quandoquidem termini excogitabiles, possibiles, & impossibiles siue realiter siue formaliter à quâuis essentiâ diuersi infiniti sunt, vt nullus negat; nosque suo loco ostendemus. Quod autem ex quâuis comparatione vniuscuiusque essentiæ cum alio quopiam aliqua passio propria, aut communis essentiæ comparatæ pullulet, facilè demonstrari potest.

Quod vt præstem, suppono primò duos illos 316
modos considerandi, siue cognoscendi vnumquodque quoad quid est, & quoad an est, seu prout in statu quidditatiuo, & prout in statu existentiali, de quibus mentionem fecimus *supra disp.* 2. *q.* 3. & latiùs egimus *disp.* 10. Suppono secundò. Id dici comparari ad aliud, quod cum respectu ad illud concipitur. Suppono tertiò omnem respectum actum esse significabilem per verbum, aut certè per modum actus concipi posse; respicere quippe aliud, aut ad illud referri actus quidam sunt, vt apparet. Suppono quartò vbicumque intercenit actus, ibi materiam idoneam obiectumue idoneum esse, iudicij humani affirmatiui, aut negatiui, vt constat ex doctrinâ datâ *disput.* 2. *quæstione* 3. & sæpe aliàs repetitâ. Materiâ autem apta iudicij affirmatiui, vel negatiui, apta quoque materia quæstionis est; quia quidquid sub quæstionem cadit, id vtique vel affirmabile, vel negabile est, & è conuerso; vt est notissimum. Vnde manifestè concluditur, vbi est materia idonea comparationis, ibi materiam esse idoneam quæstionis.

His positis demonstro iam ex quâuis com- 317
paratione vniuscuiusque essentiæ cum alio quopiam passionem aliquam communem, aut propriam talis essentiæ resultare. Quoniam factâ comparatione mox circa materiam eamdem sequitur quæstio; nimirum an essentia ita se habeat ad illud, ad quod comparatur, vti concipitur, vel secus; cúmque in omni quæstione nequeat non esse verum alterutrum ex extremis contradictionis, non potest non essentiæ, quæ est subiectum quæstionis, alterutrum conuenire re verâ; sed non conuenit ei vt prædicatum essentiale, quia per prædicationem essentialem non subiicitur essentia cuipiam à se adæquatè diuerso, vti supponimus subiici in casu proposito, sed vel sibi toti, vel parti sui, provt ex dictis in superioribus satis est notum. Ergo conuenit ei vt prædicatum accidentale. Pergo. Aut huiusmodi prædicatum seu positiuum, seu negatiuum conueniens essentiæ, est ipsi necessario annexum, & sic passio quoque erit eius communis, aut propria; aut est ipsi contingens; accidensque proinde eius vel proprium, vel commune; & sic nequibit non habere ipsa essentia aliud prædicatum annexum sibi, & necessarium (quod subinde passio sit eius propria, aut communis) capacitatis videlicet, & indifferentiæ ad vtrumvis contradictionis extremum sibi contingens. Concluditurque ex quâuis omnino comparatione vniuscuiusque essentiæ cum alio quopiam passionem aliquam communem, aut propriam talis essentiæ resultare, quod erat demonstrandum. Et consequenter vnamquamque essentiam, quæ infinitas comparationes cum infinitis aliis terminis potest subire: infinitas eo ipso passiones tum proprias, tum communes habere

ab

ab intellectu humano scibiles, vt Consectarium nostrum ferr. Huiusmodi autem passiones seu communes, seu propriæ interdum sunt adæquatè intrinsecæ, siue identificatæ realiter cum essentiâ, tametsi à nobis sine respectu ad aliud quidpiam concipi nequeant. Interdum sunt adæquatè extrinsecæ, siue distinctæ realiter ab essentiâ. Plerumque tamen sunt semiextrinsecæ; quia partim cum essentiâ, & partim cum alio termino, ad quem ea comparatur, sunt realiter identificatæ. Quo casu, si essentia non est connexa cum tali termino non erunt ipsi annexæ absolutè, sed ex hypothesi ipsius termini; proindéque veluti conditionatæ ex parte eiusdem termini erunt.

Consectarium 3.

318 Eadem essentia multas proprietates, multásque passiones communes sibi immediatas potest habere, & sæpe solet, à quibus multæ, & diuersæ series mediatarum ordinatum connexarum incipiunt.

Quod possit, ex terminis patet: quia ex terminis est euidenter possibile eamdem essentiam cum multis proprietatibus, atque passionibus communibus immediatè connexam esse. Quod sæpe soleat, ipsa experientia monstrat; nam sæpe ex terminis ipsis citra discursum de eâdem essentiâ tum multas proprietates, tum multas passiones communes iudicamus, & prædicamus. Quod vtique non possemus præstare nisi tales proprietates, atque passiones tali essentiæ immediatæ essent ob immediatam connexionem essentiæ cum ipsis. Et quidem, cùm sit incredibile ex infinitis proprietatibus, aut passionibus communibus, quas vnaquæque essentia habet, iuxta *consectarium secundum*, præter vnam, vel alteram cæteras omnes esse mediatas, credendum procul dubio est, multas earum esse immediatas.

Consectarium 4.

319 Series proprietatum, passionúmque communium suo ordine connexarum ex quâvis essentiâ prodeuntes in infinitum extenduntur, & prorsus interminabiles sunt. Tum series huiusmodi ex quolibet suorum graduum in plures ramos pariter infinitè extensos distrahi potest, & sæpè solet.

Prior pars huius consectarij valde notandi sic demonstratur à priori. Quævis omnino passio propria, aut communis earum, quæ componunt, siue constituunt quamlibet dictarum serierum, imprimis quædam etiam essentia est; quia nihil est excogitabile, quod suam essentiam per identitatem non habeat, quodque subinde essentia non sit, vt constat. Deinde cum infinitis aliis terminis est comparabilis, vt est notissimum. Præterea infinitas eo ipso alias passiones tum proprias, tum communes habet, iuxta doctrinam *consectarij secundi*. Ergo vltra quamuis passionem communem, aut propriam cuiuslibet dictarum serierum non solùm datur alia passio propria, aut communis, quod ad intentum satis esset, sed aliæ dantur infinitæ. Ergo quælibet dictarum serierum in infinitum extenditur absque vllo prorsus termino. Vel aliter ab absurdo. Si in aliquâ dictarum serierum aliqua daretur passio propria, aut communis, quæ esset vltima, in quâ talis series teminaretur, seu finiretur, ea vtique nullam aliam sui passionem propriam, aut communem haberet. Ergo cùm ea nequeat non esse quædam essentia, iuxta dicta nuperrimè, aliqua iam daretur essentia nullam habens passionem. Cùm tamen quævis omnino essentia infinitas habeat, vt *Consectar.* 2. monstratum est. Quod est contradictio. Porrò id, quod est passio alicuius passionis, essentiæ quoque, cuius est hæc passio, passionem esse magis mediatam, aut saltem ipsam constituere, provt in demonstratione factâ supponimus, indubitabile est. Nam omne id, cum quo essentia vt cum distincto à se connectitur, ad aliquam eius passionem non potest non spectare. Constat autem quamuis essentiam cumpassione suæ passionis vt cum distincto à se connecti. Hinc, quia risibile est passio admiratiui, & admiratiuum est passio hominis, risibile quoque passio hominis est, &c.

Iam posterior pars huius consectarij faci- 320
lè ex dictis demonstratur. Etenim passiones propriæ, aut communes componentes prædictas series, atque adeo constituentes gradus earum, cùm sint etiam essentiæ quædam, multas alias passiones sibi immediatas habere possunt, & sæpè solent, à quibus series mediatarum incipiunt iuxta doctrinam *Consectarij tertij*. Igitur fieri potest, & sæpè fit, vt ex quouis gradu, seu (quod idem est) ex quâvis passione earum, quæ ipsas series componunt, quæ eo vsque vnica series fuerat, plures deinceps series sit, quod ipsum est, talem seriem, ex tali gradu in plures ramos distrahi, provt dicimus in Consectario, hoc est, in plures series incipientes ab vna, & cum ipsâ continuatæ, quæ eoipso tanquam quidam rami se habent. Huiusmodi autem ramos esse infinitè extensos ipsummet est, quod argumenta facta pro priore parte Consectarij demonstrant.

Ex quibus iam se incipit prodere, quàm sit 321
immensa amplitudo humanarum scientiarum, quamque sine termino ab intellectu humano in quâuis materiâ nouæ in dies veritates sint inuenibiles, & deprehensibiles errores anteà putati veritates, &c. provt *infrà disputatione vigesima secunda* ex fundamentis modò iactis ex professo demonstrandum, & ponderandum est.

Aduerte tamen hîc. Quoties aliqua series pas- 322
sionum nata ex essentiâ vsque ad certum gradum sui vna, & simplex procedit; ex illo tamen deinceps procedit | dissecata in plures, absolutè dici debere plures ibi series passionum esse, sed, quæ segmentum quoddam habent commune, nempe eam partem, quæ inter essentiam, & gradum, à quo incipit talis pluralitas posita est. Vniuersaliter enim tot series simplices passionum sunt computandæ in quâvis essentiâ, quot sunt virgultaramorum ab illa tanquam à radice nascentium. Ex quo patet (suppositâ doctrinâ traditâ) eas aut plane innumeras, aut infinitas esse, tametsi à principio propè essentiam, à quâ egrediuntur, paucæ quædam incipiant.

Consectarium 5.

Series passionum ab essentiâ egredientium, aut 323
ex solis passionibus propriæ, seu proprietatibus, aut ex solis passionibus communibus, aut ex vtrisque possunt coalescere.

Sermo est de seriebus simplicibus, quæ ab essentiâ nascentibus in infinitum porriguntur, iuxta doctrinam statutam *consect.* 4. Tum sermo esse potest, aut de passionibus propriis, & communibus, quæ tales sunt comparatione essentiæ radicalis, à quâ incipit tota series; aut de passionibus propriis, & communibus, quæ tales sunt comparatione essentiæ præuiæ immediatè ad vnamquamque, quæ essentiæ radicalis antecedentis passio quoque est propria, aut communis.

324 Et primùm, quod sit possibilis series simplex ex solis proprietatibus essentiæ radicalis constans est certum; quia certum est nihil obstare, quominus proprietatis immediatæ talis essentiæ alia immediata proprietas detur, & huius alia, & ita deinceps sine fine (quæ omnes subinde præter primam mediatæ proprietates erunt talis essentiæ) quandoquidem omnes huiusmodi proprietates essentiæ quædam sunt, & euidenter est possibile omnes, & singulas essentias in aliquâ serie constitutas aliquam proprietatem habere. An verò necessarium est, vt omnis essentia in vniuersum aliquam proprietatem habeat, sub dubium potest cadere, quia non ita apparet ex terminis.

325 Dico esse necessarium, quia nulla est essentia excogitabilis, quæ cum aliis terminis comparata aliquam denominationem subire nequeat aut intrinsecam fundatam in suâ speciali naturâ aut semi extrinsecam fundatam tum in suâ speciali naturâ, tum in aliis terminis, ad quos comparatur, quæ denominatio eo ipso talis essentiæ proprietas erit; quia ei soli essentiæ, & non aliis conueniet necessariò, vt constat. Sed nulla est essentia excogitabilis, quæ cũ innumeris, imò cũ infinitis terminis nõ sit cõparabilis; vt satis ex se, & ex dictis cõstat. Ergo.

Hinc sequitur primò necessarium esse, vt quæuis
326 essentia aliquam proprietatem sibi immediatam habeat. Demonstro sic: necessarium est, vt quæuis essentiâ aliquam proprietatem habeat, iuxta argumentum n. præced. Vel ergo ea est immediata; & iam habeo intentum; vel est mediata, & hæc nequit non supponere immediatam. Ergo. Quòd autem proprietas mediata essentiæ supponat necessariò immediatam, est clarum; quia necessariò supponit medium immediatum essentiæ, per quod, seu ratione cuius conueniat ipsi essentiæ: sed hoc nequit esse accidens separabile, nec passio communis (cùm sit separabile, quod ratione alicuius separabilis essentiæ conuenit, & aliis commune, quod conuenit ratione alicuius aliis communis: proprietas autem nec separabilis, nec aliis comunis esse possit, vt constat): ergo necessariò est proprietas: omnis ergo proprietas mediata essentiæ necessariò supponit immediatam quod erat probandum. Ex quo etiam patet, quando medium, per quod proprietas mediata essentiæ conuenit, pars quædam seriei est constans ex pluribus prædicatis suo ordine interpositis, non posse non hæc omnia, & singula proprietates essentiæ esse, quia proprietas mediata per nullum prædicatum intermedium potest essentiæ conuenire, quod non sit etiam proprietas eius, vt probat ratio facta, & consequenter quæcumque essentiam versus supponit in serie suâ necessariò sunt proprietates talis essentiæ.

327 Vnde sequitur secundo. Non solùm possibile, sed necessariu metiam esse, vt ex quauis essentiâ aliqua series porrigatur in infinitum constans ex solis proprietatibus talis essentiæ, quia necesse est *ex n. præced.* vt omnis essentia aliquam proprietatem sibi immediatam habeat: ergo si essentia A habet proprietatem B, proprietas B, cùm sit etiam quædam essentia, habebit proprietatem C, & C ob eamdem rationem proprietatem D, & ita deinceps sine fine. Quæ omnes proprietates erunt essentiæ, A. Quia, quod est proprietas proprietatis alicuius essentiæ, nequit non esse etiam proprietas magis mediata talis essentiæ, vt ex dictis *consect.* 4. colligitur, ad rémque demonstrari potest. Quia, quod est proprietas proprietatis essentiæ, eo ipso, quòd necessariò, & insolidum conuenit proprietati immediatè, nequit non etiam necessariò, & insolidum mediatè conuenire essentiæ, vt satis ex se est notum. Quod est illud talis essentiæ proprietatem mediatam esse. Ex quo patet, id, quod est proprietas proprietatis essentiæ, passionem communem ipsius essentiæ esse non posse. Sicut nec vice versâ passio communis esse potest proprietatis propinquioris essentiæ id; quod in eâdem serie ipsius essentiæ proprietas remotior est.

Iam verò, quòd sit possibilis series simplex ex so- 328
lis passionibus communibus essentiæ radicalis constans inde probatur; quia nihil est, quod vetet passionis communis immediatæ alicuius radicalis essentiæ dari aliam passionem communem, & huius aliam & ita deinceps sine fine. Quo casu series simplex in infinitum extensa ex solis passionibus communibus talis essentiæ radicalis coalescat.

Sed dubitari potest, an sit necesse in vniuersum; 329
quòd ex quâuis essentiâ aliqua series porrigatur ex solis passionibus communibus talis essentiæ constans, sicut necesse est, vt porrigatur constans ex solis proprietatibus, prout demonstrauimus. Dico esse necesse, dummodo essentia non sit ex conceptibus vniuersalissimis, quibus superior aliquis conceptus non datur. Quod vt ostendam, suppono tanquam omnino certum id, quod est passio communis cuiusuis essentiæ, eo ipso esse proprietatem prædicati superioris, aque adeo communis aliis in eâ essentiâ necessariò reperti, ratione cuius illi conuenit talis passio. In eo quippè differunt vniuersè passio propria, & communis, quòd propriam ratione sui communem verò ratione prædicati necessarij se superioris vendicat sibi essentia, proindeque propria ab essentiâ ipsâ, communis verò præcisè ab eo prædicato necessario ipsi, & aliis communi trahunt originem. Sic quia *risibile* proprietas est hominis, *locomotiuum* verò passio communis eius, verum est hominem ideo esse risibilem, quia est animal rationale, quod est ipsa essentia eius. Ideo verò esse *locomotiuum* præcisè, quia est animal, quod est prædicatum necessarium, superiusque eiusdem essentiæ, ipsi, & aliis commune. Quod est, *risibile* conuenire homini ratione essentiæ eius, *locomotiuum* verò ratione prædicati necessarij ipsi, & aliis communis. Et quoniam nequit *locomotiuum* conuenire homini, quia est animal, siue ratione animalis ei superioris, quin conueniat ipsi animali, quia animal est, sine ratione essentiæ eius. Conficitur hoc ipso, quòd *locomotiuum* est passio communis hominis ipsi conueniens, quia est animal, non posse non *locomotiuum* ipsum ipsius animalis passionem propriam, seu proprietatem esse. Ex quo patet in vniuersum prorsus esse impossibile, vt id, quod est passio communis alicuius essentiæ, passio propria non sit alterius, quæ sit prædicatum necessarium, superiúsque respectu illius; & conuertendo pariter impossibile esse, vt id, quod est passio propria alicuius essentiæ, non sit passio communis alterius eâ inferioris, vt prædicato necessario. Quod addo, vt prædicatum superius contingens excludam. Nam, quod

huic,

huic conuenit vt proprietas similem contingentiam ferat secum respectu subiecti inferioris, proindeque titulo proprietatis talis prædicati superioris, talis subiecti inferioris passio communis esse non potest.

330 Hoc posito, sic assumptum ostendo. Ex eo, quòd est necessarium quamuis essentiam aliquam proprietatem habere necessarium efficitur ex quâuis essentiâ aliquam seriem solarum proprietatum protendi in infinitum, sed etiam est necessarium quamuis essentiam aliquam habere passionem communem, nisi ea conceptus sit vniuersalissimus: ergo pariter est necessarium ex quâuis essentiâ, nisi ea conceptus sit vniuersalissimus, aliquam seriem in infinitum protendi solarum passionum communium. Maior est euidens ex discursu facto à n..... Consequentia est bona, quia discursus ipse eumdem prorsus locum habet in passionibus communibus; atque in propriis, vt applicanti notum fiet. Probo ergo minorem: quia sicut ex comparatione cum aliis terminis, cum quibus citra dubium est comparabilis, nequit non subire quæuis essentia aliquam denominationem, aut intrinsecam, aut semiextrinsecam fundatam aut in se totâ solum, aut in se totâ simul, & in iis terminis; quæ eo ipso erit eius proprietas, vt dicto *n.* statutum est. Ita etiam ex comparatione cum aliis terminis nequit non subire quæuis essentia aliquam denominationem aut intrinsecam, aut semiextrinsecam fundatam aut in solo prædicato & sibi necessario, & se superiore, atque adeo sibi, & essentiis aliis communi aut in tali prædicato simul & in terminis ipsis; quæ denominatio subinde passio communis talis essentiæ erit, vt ex suppositione factâ constat.

331 Vel aliter assumptum propositum ex dictis sic monstrari potest. Necesse est, quòd ex omni essentiâ aliqua series porrigatur solarum proprietatum, prout *n.*.. statutum est. Ergo, & quod porrigatur ex essentiâ, quod est prædicatum tum necessarium, tum superius alterius essentiæ; sed series proprietatum conueniens essentiæ ita alterâ superioris nequit non esse series passionum communium respectu ipsius essentiæ inferioris: siquidem omnis proprietas essentiæ, quæ prædicatum est necessarium, superiúsque alterius essentiæ, nequit non esse passio communis eiusdem essentiæ inferioris, iuxta doctrinam suppositionis factæ *n.*.. Igitur necesse est, quod ex omni essentiâ inferiori alteri vt prædicato necessario aliqua series porrigatur solarum passionum communium, & consequenter, quod ex omni essentiâ absolutè, prætetquam ex consistente in conceptu vniuersalissimo; quod erat probandum. Solus quippe talis conceptus non est inferior alterâ essentiâ vt prædicato necessariò.

332 Excipio autem essentiam conceptus vniuersalissimi huiusmodi, quia tali essentiæ nulla conuenire potest passio communis (nedum series infinita communium passionum) eo ipso, quod nullum habet prædicatum se superius, & necessarium, vt ponimus, ratione cuius ei conueniat. Quod est valde notandum. Conceptus quippe vniuersalissimi omnium nihil habent necessarium sibi, & aliis commune; proindeque nec potest aliquid necessarium eis conuenire, quod ipsis, & aliis commune sit, prout requiritur ad passionem communem, iuxta dicenda paulò explicatius *infrà numero*....

Denique, quòd sit possibilis series simplex sese 333
in infinitum extendens tum ex passionibus propriis, tum ex communibus essentiæ radicalis conflata, est clarum: quia nihil vetat seriem conflatam ex solis passionibus propriis vsque ad certum sui gradum pergere, indéque continuari cum serie infinitâ conflatâ ex solis communibus, cum eâque componere vnicam seriem simplicem, cuius pars ex solis propriis, pars verò ex solis communibus passionibus essentiæ radicalis constet. Tametsi pars constans ex propriis ex eodem gradu per aliam lineam continuetur itidem cum aliâ parte etiam porrectâ in infinitum, quæ ex solis pariter propriis passionibus coalescens sit, cum eâque similiter componat alteram seriem simplicem.

Imò necessarium esse, quòd ex quâuis (exceptis vniuersalissimis) aliqua huiusmodi series mixta in infinitum porrigatur, ex dictis in superioribus patet. Sume enim essentiam A, sitque series ex solis proprietatibus constans, & essentiæ A necessaria, iuxta doctrinam traditam B, C, D, E, F, G, &c. sine fine. Deinde sume essentiam G, sitque series constans ex solis passionibus communibus, & essentiæ G necessaria etiam, iuxta doctrinam H, I, L, M, N, O, &c. sine fine. Certè integra series continuata, compositaque ex illâ parte prioris A, B, C, D, E, F, G, & ex integrâ posteriore G, H, I, L, M, N, O, &c. nequibit non necessaria esse eidem essentiæ A, nam priorem partem eius necessariam supponimus, secunda verò hoc ipso, quòd necessaria ponitur essentiæ G, quę necessaria est essentię A, non potest non eidem quoque essentiæ A esse necessaria, vt est notum. Necesse ergo est, quòd ex essentiâ A, & consequenter ex quâuis aliâ (exceptis vniuersalissimis) aliqua series porrigatur in infinitum coalescens partim ex propriis, partim ex communibus passionibus talis essentiæ. Quod erat probandum. 334

Addo tamen non esse possibilem seriem ex pas- 335
sionibus propriis, & communibus essentiæ radicalis compositam alio compositionis genere ab assignato, quale esset, si prior seriei pars ex communibus, posterior ex propriis passionibus essentię radicalis constaret, aut intermiscendo post aliquas communes aliquæ propriæ passiones eiusdem essentiæ sequerentur, rursúsque aliquæ aliæ communes; Dein aliæ propriæ, & sic deinceps; series, inquam, hisce modis composita non est possibilis. Quia, quod essentiæ conuenit mediâ aliquâ passione communi, nequit esse proprietas talis essentię; tametsi comparatione passionis communis intermediæ proprietas sit, sed passio communis pariter talis essentiæ erit. Vnde quoties à passione communi essentię radicalis incipit series, nequeunt non cuncta prædicata sequentia esse quoque passiones communes comparatione talis essentiæ, etiamsi cuncta sint proprietates comparatione ipsius passionis communis, à quâ incipit series. Tum in serie à proprietatibus incipiente nequeunt non eâdem de causâ à primâ passione communi occurrente cuncta, quę deinceps sequuntur, passiones communes euadere comparatione radicalis essentię. Quæ omnia ex superiùs dictis satis, superque constant. Poterit tamen series quouis ex modis prædictis esse composita ex passionibus communibus, & propriis, quæ tales sint non comparatione solius essentiæ radicalis; sed vnaquæque cõparatione essentiæ se propinquius antecedente:

Apponamus exemplum. Sit series A, B, C, D, E, F, G, H, I, L, M, N, O, &c. Dico eo ipso, quòd B, C, sint passiones communes comparatione essentiæ A, non posse non cætera, quæ sequuntur, esse quoque passiones communes comparatione eiusdem essentiæ A, Nihilominus tamen D, E, proprietates sunt comparatione essentiæ C, & F, G, passiones communes comparatione essentiæ E; rursusque H, I, proprietates comparatione essentiæ G, & iterum L, M, passiones communes comparatione essentiæ I, ac tandem N, O, proprietates respectu essentiæ M, &c.

336 Esse autem non solùm possibile, sed necessarium etiam, quòd ex quâuis essentiâ (vniuersalissimis exceptis) aliqua series porrigatur composita quouis compositionis genere, tum ex propriis, tum ex communibus passionibus, quæ tales sint non comparatione radicalis essentiæ, sed vnaquæque comparatione essentiæ sibi propinquioris antecedenter, non minùs est certum, quàm præterita. Faciléque ab vnoquoque ex illis poterit demonstrati, ne nos diutiùs hic moremur.

Consectarium 6.

337 Non solùm possibile, sed necessarium est, vt ex quâuis omninò essentiâ aliqua saltem series solarum proprietatum in infinitum porrigatur.

Tum etiam necessarium est, vt ex quâuis essentiâ (si excipias vniuersalissimas) aliqua saltem series pariter porrigatur solarum passionum communium. Necnon aliqua coalescens ex proprietatibus, & ex passionibus communibus ipsius essentiæ. Ac demum aliqua, vel plures compositæ quouis compositionis genere ex passionibus communibus, & proprietatibus, quarum vnaquæque talis sit non comparatione prædictæ essentiæ radicalis, sed comparatione aliûs essentiæ se propinquiùs antecedentis.

Hoc consectarium per doctrinam adductam circa præcedens est demonstratum, neque aliâ eget demonstratione.

Consectarium 7.

338 Passio non propterea est communis, aut desinit esse propria, quòd pluribus essentiis conueniat spectantibus ad eamdem seriem, sed tantùm, quòd conueniat pluribus spectantibus ad diuersas.

Adiicio præcedentibus hoc consectarium aliàs notissimum, ne quis offendat in definitionibus datis passionis communis, & propriæ. Itaque in serie istâ essentiarum, A, B, C, D, E, vbi essentia radicalis est A, & cæteræ proprietates eius ab ipsâ suo ordine prodeuntes, ipsiue suo ordine conuenientes, proprietas, E non propterea desinit esse proprietas, aut est passio communis, quia pluribus essentiis, iisque inter se diuersis conuenit, nimirum immediatè essentiæ D, mediatè essentiæ C, & magis remotè aliis duabus B, A, sunt namque essentiæ, etsi inter se diuersæ subordinatæ tamen, eamdemque seriem connexionis continuo quodam tramite componentes; & vt passio aliqua sit communis, non verò propria, requiritur, quòd essentiæ diuersæ, quibus ea conuenit, non sint inter se subordinatæ in eâdam serie connexionis, sed disparatè se habentes, quoad attinet ad eiusmodi seriem. Hoc enim sensu est recipienda, vti recipitur ab omnibus, definitio superius tradita passionis communis.

Consectarium 8.

Passio propria cum quidditate eius essentiæ, cuius est propria, connexa est, Passio verò communis cum quidditate eius essentiæ, cuius est communis, non item. 339

Ratio prioris partis est; quia cùm passio propria suopte conceptu sit quid conueniens essentiæ, cuius propria est, & non aliis; suopte conceptu postulat vt talis essentia sit id ipsum, quòd est, & non aliud, vt constat. Hoc autem ipsum est talem passionem cum quidditate talis essentiæ connexam esse. Ratio autem posterioris partis est, quia cùm passio communis ita sit quid conueniens essentiæ, cuius est passio communis, vt etiam sit quid conueniens aliis, non postulat ex suo conceptu vt talis essentia sit id ipsum, quod est, & non aliud. Posset enim ei conuenire, etsi esset aliud ab eo, quod est. Quod ipsum est talem passionem cum quidditate talis essentiæ connexam non esse. 340

Hinc colligitur primò essentiam, & proprietatem intra statum quidditatiuum, in quo metaphysicæ omnes scientiæ procedunt, mutuam connexionem habere: essentiam verò, & passionem communem non item. 341

Secundò colligitur intra statum quidditatiuum per proprietatem prius cognitam venire posse in cognitionem essentiæ æquè ac per essentiam prius cognitam in cognitionem proprietatis; non verò pariter per passionem communem priùs cognitam. 342

Tertiò colligitur intrà statum quidditatiuum possibilem esse seriem circularem proprietatum, non item passionum communium aut mixtam. Est autem series circularis, quæ incipiens ab essentiâ in ipsam essentiam reuertitur, & tunc contingit, quando aliqua proprietas, cum quâ essentia remotè connectitur, proximè cum essentiâ ipsâ connexa est, vt citrà dubium est possibile; tametsi eadem cum aliâ etiam proprietate proximè connectatur, & hæc cum aliâ, & sic deinceps. Sicque series concluso circulo cum essentiâ inde progrediatur vlteriùs, & in directum, aut etiam veluti obiter faciendo alios huiusmodi circulos sine fine extendatur, iuxta doctrinam statutam *Consect.* 4. Est autem hocgenus circulorum possibile in serie proprietatum, secus in serie passionum communium, aut in serie mixtâ ex vtrisque, ob mutuam connexionem, quam proprietas potest habere cum essentiâ, cum quâ nequit mutuò connecti, vt diximus, passio communis; aliàs non esset passio communis, sed propria talis essentiæ, contra suppositionem. 343

Sed dubitari hîc potest, an etiam intra statum existentialem, in quo procedunt scientiæ physicæ, ita sint essentia, & proprietas mutuò connexæ, vt neutra sine alterâ possit existere. Dico plerumque esse, non tamen semper: quia fieri potest, vt sola quidditas proprietatis, non verò existentia terminet connexionem essentiæ, & è conuerso; eo quòd aut proprietas secundum solum *esse* quidditatiuum, non verò secundum existentiale est essentiæ proprietas, aut essentia secundum solum esse quidditatiuum, non verò existentiale subiectum proprietatis est, exempli gratia, posito, quòd vera sit sententia communis de connexione causæ creatæ cum possibilitate effectus, effectus secundum *esse* possibile tantùm, non verò secundum existentiale est proprietas essentiæ causæ terminans connexionem eius, aut ad illam pertinet. E contrà verò 344

essentia

essentia creaturæ secundum *esse* quidditatiuum tantum habet pro proprietate cognitionem creatoris de tali *esse*, eiusque connexionem terminat.

Consectarium 9.

344 Quo ordine comparantur passiones seu propriæ seu communes tum cum essentiâ radicali, tum inter se secundum seriem connexionis; eodem etiam comparantur secundum seriem prioritatis.

Est dicere. Essentia radicalis prior est immediatè eâ passione, cum quâ connectitur immediatè, mediatè autem prior est aliis, cum quibus mediatè connectitur, eóque aut magis, aut minùs mediatâ, siue remotâ prioritate, quò magis, aut minùs mediata, siue remota connexio est. Similiterque quæliber passio ex constituentibus seriem prior est immediatè eâ, cum quâ immediatè connexa est, posteriórque immediatè, vel essentiâ, vel aliâ passione, quæ immediatè cum ipsâ connectitur: mediatè autem prior est iis, cum quibus mediatè connectitur, posteriorque iis, quæ cum ipsâ connectûtur mediatè, idque eò magis, aut minùs mediatâ prioritate, & posterioritate, quò magis, aut minùs mediata est connexio, quam habet, aut terminat.

345 Sed dubitandum venit, cuius sit generis hæc prioritas, & posterioritas. An respectiua ad tertium, quæ tantùm est maior, aut minor propinquitas ad tale tertium: an absoluta ab illo, quæ simpliciter est prioritas, & posterioritas? Quod si absoluta. An temporis, an originis, an inconnexionis non mutuæ, an dignitatis? Hisce enim modis vnum prius, aut posterius altero dici potest, idque aut ex suâ naturâ, aut ex accidente, vt fusè tradidimus *suprà disp.* 15.

346 Dico. Prioritas, quâ essentia suis passionibus, & ex his aliæ aliis priores dicuntur (tantumdem de posterioritate correlatiuâ censè) non est dumtaxat maior propinquitas ad tertium. Constat enim essentiam passionibus, & ex his alias aliis non respectiuè ad tertium aliquod, sed absolutè ab illo dici priores. Nec est prioritas temporis, cùm sit notissimum essentiam, & eius passiones plerumque saltem non pertinere ad diuersa tempora. Nec est inconnexionis non mutuæ, quia hoc genere prioritatis tantùm dicitur prius alio, quod cù illo non est connexum, illius tamen terminat connexionem, quo pacto conceptus magis vniuersales minùs vniuersalibus priores sunt. Constat autem essentiam connexam esse cum passionibus, & ex his alias cum aliis, respectu quarum nihilominus priores dicuntur; non ergo genere isto prioritatis, sed alio tales appellantur. Relinquitur ergo, vt essentia suis passionibus, & ex his aliæ aliis suo ordine prioritate quâdam originis, aut etiam dignitatis priores dicantur. Originis, inquam, non physicæ, sed metaphysicæ, quia rarò physicæ passiones, & nunquam metaphysicæ nascuntur physicè ab essentiâ.

347 Itaque essentia prioritate quâdam originis metaphysicæ, quæ origo tantùm rationis est fundata in ipsis rebus, dicitur prior suis passionibus, & ex passionibus aliæ aliis; quia nos veluti causam, fontem, seu radicem passionum concipimus essentiam, ex passionibus autem alias concipimus veluti principium aliarum, quod prodiens à radicali essentiâ proximè, vel remotè, aut per se, aut simul cum essentiâ ipsâ dat illis *esse*. Quo enim fundamento ex parte rerum se habente ducitur intellectus noster supposito modo intelligendi, quem habet pro hoc statu ad distinguendas suâ ratione passiones inter se, & ab essentiâ, ad easque concipiendas cum talibus naturis præ aliis, siue cum talibus conceptibus obiectiuis potiùs, quàm cum aliis; eodem ducitur pariter ad concipiendas omnes illas tanquam ex essentiâ oriundas, aliasque ex aliis, atque adeo cum quodam ordine prioritas, atque posterioritatis originis. Iam verò vt ordine etiam dignitatis principium solet præcedere principatum: ita etiam essentia suas passiones, & ex passionibus aliæ solent alias præcedere.

Ex his colligitur primò. Quoties plures pas- 348
siones aut propriæ, aut communes pertinent ad eumdem gradum seriei directæ connexionis, & ad eumdem etiam seriei originis censendas esse pertinere; atque ita non prioritatem, nec posterioritatem, sed simultaneitatem habere inter se inuicem comparatas. Pertinent autem ad eumdem gradum seriei directæ connexionis, quæ ab essentiâ radicali æquè distant, eo quod vel ipsa essentia, vel passio immediatè illas præcedens cum illis omnibus immediatè connexa est: tunc enim illę omnes simul censentur nasci ab essentiâ, aut ab eâ passione, quin inter se comparatę inuicem aliquem ordinem causalitatis habeant; vti quando plures effectus simul ab eâdem causâ nascuntur, nullo eorum concurrente vllo modo ad existentiam reliquorum.

Secundò colligitur. Si solus ordo connexionis 349
attenderetur, nec essentia proprietatibus, nec proprietates essentiâ priores essent, sed omnes essent simultaneæ, passiones verò communes priores essentiâ dicendæ essent. Quia iuxtà hunc ordinem præcisè id solùm dicitur prius alio, quod cum illo non est connexum; eius tamen terminat connexionem, quâ ratione passiones communes cum essentiâ, cuius sunt tales, comparantur. Simul autem esse dicuntur, quæ mutuò connectuntur, quo pacto essentia, & proprietates se habent, provt *Consect.* 8. explicatum est. Cæterùm, quia prioritas originis semper prævalet contra prioritatem inconnexionis non mutuæ, eamque veluti absorbet, & extinguit, quando concurrunt, iuxta dicta *loco citato*, vt cernere est in coniuncto actionis, & termini, vbi simpliciter actio dicitur prior termino prioritate originis, tametsi terminus inconnexionem habeat non mutuam comparatione actionis; idcirco in nostro proposito essentia simpliciter venit dicenda prior suis passionibus communibus prioritate originis metaphysicâ, tametsi tales passiones inconnexionem habeant non mutuam comparatione essentiæ.

Hinc tertiò colligitur: quando plures passio- 350
nes ad eumdem gradum seriei directæ connexionis pertinent, nullâque proinde earum est prior alterâ, sed omnes simul secundum originem, iuxta dicta *num...* bene posse aliquam earum, aut plures esse aliis priores secundum inconnexionem non mutuam; possunt namque ipsæ comparatæ inter se seriem quamdam connexionis obliquam constituere intra eum gradum directæ, iuxta quam etiam eæ erunt simul, quæ mutuo inter se connexæ fuerint; eæ autem ordinem prioris, & posterioris habebunt, quæ habuerint connexionem non mutuam.

Quartò colligitur. Si de prioritate solùm physi- 351
câ, realique termo sit, inter essentiam tantùm physicam, & eius physicas passiones, interque ipsas passiones posse esse ordinem prioris, & posterioris, idque vel originis, aut etiam dignitatis, quando intercedit causalitas, vel inconnexionis non mutuæ

mutuæ, si quando causalitas desit, iuxta doctrinam datam. Inter essentiam tamen metaphysicam, & passiones eius cum ipsâ identificatas realiter adæquatè, aut inadæquatè, ordo prioritatis physicæ dari non potest: quia talis ordo physicam postulat distinctionem eius, quod prius dicitur, ab eo, quòd dicitur posterius, vt est notissimum; atque ita tales passiones & essentia loquendo physicè simultaneæ dicentur simultaneitate identitatis, saltem inadæquatè.

352 Quintò colligitur, quo iure dicatur demonstratio à priori; cùm per vnam passionem aut physicè, aut metaphysicè priorem, alteram posteriorem illâ demonstramus de essentiâ. A posteriori autem, cum vice versâ. Tertiumque proinde membrum demonstrationis à simultaneo adstrui debere pro casu quòd demonstretur vna passio per alteram ad eũdem seriei gradum spectantem, eique proinde simultaneam, iuxta dicta *n.... & n.....* Quin imò si de priori, aut posteriori physicè sermo sit, nulla demonstratio passionis metaphysicè erit à priori, aut à posteriori; sed omnes à simultaneo, vt constat ex dictis.

353 Sextò colligetur demonstratione à posteriori omnem passionem propriam per aliam se posteriorem demonstrabilem esse, omnem verò passionem communem non item. Etenim passio per quam alia est demonstrabilis, cum illâ est connexa, vt est notum. Omnis autem passio propria cum omni priori se est connexa, non verò itidem omnis passio communis, vt satis superque constat ex dictis. Potest tamen fieri, & sæpe fit, vt passio communis posterior cum priore mutuò connexa sit, proindeque respectu eius sit passio propria, tametsi ambæ comparatione essentiæ anterioris sint passiones communes, vt ex dictis *Consect.5.* liquidum est; quo casu prior earum passionum per posteriorem à posteriori demonstrabilis erit,

Consectarium 10.

354 Essentia metaphysica rei per duas passiones sibi immediatas alteram communem, alteram propriam frequenter ita solet exponi, vt non tam subiectum earum, quod propriè est metaphysica essentia, quàm concretum ex subiecto, & illis resultans absolutè talis rei essentia dicatur.

355 Sit nobis pro exemplo *leo*, cuius essentia in eo dicitur absolutè consistere, quòd sit animal rugibile, id est, potens sentire, & potens rugire, cùm tamen essentia metaphysica eius subiectum sit potentiæ ad sentiendum, & potentiæ ad rugiendum, quarum prima passio communis, secunda autem passio propria talis subiecti est, idemque euenit in similibus. Iure tamen concretum ex subiecto, & passionibus propriâ, & communi, essentia etiam rei absolutè appellatur; tum quia eiusmodi metaphysica subiecta, nisi per actus aut primos, aut secundos, cuiusmodi sunt ex suo conceptu eorum passiones, neque dignosci à nobis, neque notificari possunt (vtpotè, quæ non per se, sed tantum per huiusmodi actus sub iudicium nostrum, subque enunciationem externam cadere possunt, vt ex dictis *disp.2.q.4.* & sæpè aliàs de modo nostro iudicandi compertum est) atque adeò loco quidditatis eorum concretum ex ipsis, ex dictisque passionibus est. Tum etiam, quia inde factum est vt tale concretum essentia rei logica composita ex genere, & differentiâ veniat dicenda. Quocirca dicere solent logici primam rei proprietatem loco differentiæ eius poni, eodemque iure possent dicere poni loco generis primam rei passionem communem. Itaque in leone potens sentire, quod est animal, genus eius est; potens autem rugire, quod est rugibile, differentia, ex quibus duobus componitur essentia eius logica: Cùm tamen essentia eius metaphysica subiectum sit talium concretorum, cuius subiecti passio communis est forma Prioris, & passio propria forma posterioris.

Hæc quadrant essentiis metaphysicis atque logicis concretorum metaphysicorum. Essentiæ enim metaphysicæ actuum, siue formarum in abstracto aliter solent explicari, vt videbimus *disp.25.* sicut & aliter ex genere, & differentia essentiæ logicæ componi iuxta *ibi* dicenda: Vide etiam, si placet, quæ de rerum essentiis diximus *disp.9.* Et hæc satis modò de passione propriâ, & communi. 356

Hoc vnum restat aduertendum. Quæcumque de passione propriâ, & communi essentiæ vniuersalis in hâc quæstione dicta sunt, etiam habere locum, suâ seruatâ proportione, in passione propriâ, & communi essentiæ singularis cuiusuis individui. Singula quippè individua suam propriam, & singularem essentiam habent; atque adeò etiam suas singulares proprietates, & passiones communes. De quibus proinde eodem pacto, suâ seruatâ proportione, atque de proprietatibus, & passionibus communibus essentiarum vniuersalium, philosophandum est. 357

QVÆSTIO XIX.

Quid sit accidens proprium. Quid commune? Quotuplex &, quale?

SErmo est de accidente sumpto specialiter vt contraponitur passioni. Quod ex Porphy. *cap. de acciden.* sic vulgò solet definiri, *Accidens est, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem.* Verùm definitio hæc aut insufficiens est, aut obscura. Nam accidens hominis est corrumpi, seu desinere esse; & tamen non adest præter subiecti corruptionem, aliaque plura sunt huiusmodi. Quare in hâc, & in aliis Porphyrianis definitionibus, aut etiam assertionibus explicandis & defendendis non est cur immoremur, vt sæpe notaui. 358

Ergò circà primam quæstionis partem duobus modis accipi possunt accidens proprium, & commune. Primò secundum se. Secundò vt vniuersalia, siue prædicabilia. Priori modo sumptum accidens proprium sic potest definiri. *Est prædicatum quoddam essentiæ adiectum, siue aliquid essentiæ adiciens, ipsique conueniens vnicè, & contingenter.* Accidens verò commune sic. *Est prædicatum quoddam essentiæ adiectum, siue aliquid essentiæ adiciens, ipsique conueniens contingenter, non tamen vnicè.* Eadem definitiones dedimus *suprà.q.18.* & explicuimus pro passione propriâ, & communi, mutatâ dumtaxat particulâ *contingenter* in particulâ *necessario.* Quare in eis iterum explicandis non est cur immoremur; recognoscantur dicta *ibi*, & huc applicentur, hâc solùm differentiâ adnotatâ, quòd passio, de quâ *ibi*, necessariò; accidens verò, de quo hîc, contingenter essentiæ conuenit, eo quod essentia suopte conceptu, & naturâ cum passione connexa est, cum accidente verò non item. 359

Sumptum verò posteriori modo accidens proprium ita est definiendum. *Est prædicabile de multis vt* 360

quid

quid adiectum, siue adiiciens aliquid eorum essentiæ communi vnicè, & contingenter. Accidens autem commune ita. *Est prædicabile de multis adiectum, siue adiiciens aliquid eorum essentiæ communi contingenter, non tamen vnicè.* Quarum etiam definitionum explicatio pariter *ex loco citato* petenda est, notatâ solùm differentiâ necessitatis, & contingentiæ nuperrimè expositâ.

361 Quomodo autem accidens seu proprium, seu commune tum essentiæ specificæ, tum genericæ, tum physicæ, tum metaphysicæ &c possit accidens esse. Necnon, quo pacto illud non solum de subiectis inferioribus, sed etiam de essentiâ sibi æquali, cuius est accidens, sit prædicabile, ex loco item citato petendum est. In hisce namque omnibus passio, & accidens prorsus conspirant.

362 Circa secundam quæstionis partem. Primò diuiditur accidens tum commune, tum proprium in physicum, & metaphysicum. Physicum est, quod physicè adiicitur essentiæ, cuius est accidens. Metaphysicum, quod tantùm per nostram rationem. Secundò, accidens physicum in intrinsecum per adhæsionem, & extrinsecum, siue essentiæ non adhærens, & mixtum ex vtroque diuidi potest. Paritérque metaphysicum in intrinsecum per identitatem, siue adæquatè identificatum cum suo subiecto re ipsâ & semiextrinsecum, siue identificatum inadæquatè, quia ex parte idem cum subiecto, ex parteque distinctum ab illo est. Exemplum primi membri sit vnio contingens extremo vnito; exemplum secundi visio contingens obiecto viso; exemplum tertij obligatio vera desumpta tum à præcepto extrinseco superioris, tum à cognitione intrinsecâ subditi obligati; exemplum quarti, existentia contingens Petro; exemplum denique quinti coexistentia Petri cum Ioanne. Tertiò diuidi potest accidens tum proprium, tum commune in prædicabile formaliter, & prædicabile materialiter. Tum in substantiale, & accidentale prædicamentaliter. Tum in incomplexum, & complexum. In positiuum, & negatiuum &c. Recognosce has diuisiones traditas pro passione *q.* 18. & vniuersaliùs, fusiúsque *suprà quæst.* 7.

363 Circa tertiam partem quæstionis. Hic disputant aliqui, an de conceptu accidentis sit inhærere, seu adhærere subiecto vel actualiter, vel aptitudinaliter? Sed quæstio hæc, si in eâ sit sermo de inhærentiâ, seu adhærentiâ reali, solùm potest habere locum circa accidens prædicamentale physicum substantiæ physicæ contrapositum. De quo *alibi* agitur. Non circâ accidens prædicabile, de quo agimus modò; & de quo est certum sæpè tale esse, vt nequeat physicè adhærere subiecto, quia vel extrinsecum illi, vel identificatum est physicè. Nihilominus accidenti prædicabili, dum concipitur per modum actus, vt sæpe solet, & semper potest, ex proprio conceptu conuenit actualiter adhærere subiecto, cuius actus concipitur, seu illud intrinsecè tangere adhærentiâ scilicet, seu attingentiâ aut reali, aut rationis, iuxta diuersam actus naturam; id enim est de conceptu actus in vniuersum, vt constat ex doctrinâ traditâ *suprà disp.* 8. *q.* 1. Quod propterea passioni etiam prædicabili, cæterisque quodammodo prædicabilibus commune est.

Hoc posito supereſt vt ex dictis quædam consectaria eliciamus.

Consectarium 1.

364 Idem prædicatum sub diuersis considerationibus potest esse passio, atque etiam accidens comparatione eiusdem subiecti.

Si enim sit metaphysicè tantùm contingens comparatione subiecti, physicè tamen ipsi annexum, vt fieri potest; erit quidem passio quatenus physicam connexionem talis subiecti terminat: accidens autem quatenus non terminat metaphysicam. Similitérque poterit esse passio prout terminans connexionem moralem, & accidens prout non terminans physicam, nec metaphysicam. Vnde accidens in tria membra, quod ad rem attinet, diuidi poterit: nempè in accidens subiecto contingens metaphysicè, in contingens physicè, & in contingens moraliter, ita vt cõtingẽs moraliter physicè quoque, & metaphysicè contingens sit. & contingens physicè etiã metaphysicè sit contingens, sed non vice versâ.

Consectarium 2.

Id, quod est accidens contingens comparatione cuiusque essentiæ, non potest non esse etiã contingens comparatione omnium passionũ talis essentiæ. 365

Si enim alicui ex passionibus necessariò esset annexum, & ipsi quoque essentiæ mediâ illâ necessariò esset annexum, atque adeo ei non contingens contra suppositionem. Essentia quippe non potest non connecti cum omni eo, cum quo connectitur aliqua passio eius, vtpotè cum omni suâ passione connexa, iuxta doctrinam statutam *q.* 1.

Consectarium 3.

Id, quod est accidens contingens comparatione alicuius passionis essentiæ, non eo ipso comparatione essentiæ contingens est. 366

Est certum. Quia passio propria vt accidens contingens comparatur ad passionem communem eiusdem essentiæ, si quidem hæc sine illâ in aliâ essentiâ, cui est communis, esse potest, & tamen passio propria cõparatione essentiæ nullatenus cõtingens est.

Consectarium 4.

Tametsi accidens ex essentiâ demonstrati non possit: nihil vetat essentiam ex accidente demonstrabilem esse. Et quoad quiditatem quidem semper ex prædicato accidentali sibi proprio, quâ tali essentiâ demonstrabilis est. 367

Prior pars consectarij inde constat; quia essentia cum accidente connexa non est; solùm autem demonstrari potest ex aliquo, quod eius terminat connexionem. Secunda autem pars consectarij inde probatur; quia nihil vetat accidens cum essentiâ connecti etiam prout existente, quo casu essentia etiam quoad existentiam ex accidente demonstrabilis erit. Tertia denique pars ostenditur; quia prædicatum accidentale, qua tale, quando essentiæ est proprium, suopte conceptu est prædicatum ipsi conueniens, & non aliis; hoc autem stare non potest absque eo, quod ipsa id ipsum sit, quod est. & non aliud, vt ex se constat, & ex dictis *q.* 18. *cons.* 8. Hoc autem idem est, ac eiusmodi prædicatum, quâ tale, cum eo quod talis essentia sit id, quod est, atque adeo cum quiditate eius connexum esse. Vnde confestim fit talem essentiam quoad quiditatem ex tali prædicato accidentali demonstrabilem esse, vt patet ex dictis.

QVÆ

QVÆSTIO XX.

An dentur prædicabilia, seu prædicata aliqua transcendentia; & quâ ratione illa transcendant, Et quo pacto sint discernenda à non transcendentibus.

368 QVamuis prædicabilia, prædicatave transcendentia ad aliqua capita ex recensitis, & explicatis in præcedentibus quæstionibus tandem sint referenda: quia tamen speciales aliquas difficultates habent non alienas ab instituto disputationis præsentis. Oportuit de illis in hac, & sequentibus quæstionibus speciatim tractare.

369 Porrò prædicatum transcendens id vniversè solet appellari, quod reperitur in omnibus, & singulis formalitatibus eius rei, cui conuenit, siue cõueniat insuper aliis rebus, siue non item. Vnde triplex genus prædicatorum transcendentium iuxta hanc cõmunem transcendentiæ acceptionem distingui potest. Alia enim sunt propria alicuius rei singularis, cuius tamen omnem omnino formalitatem transcendunt, vt sunt in Deo æternitas, immensitas, & similia. Alia conueniunt pluribus rebus, quarum omnes formalitates transcendunt, non tamen omnibus, vt sunt prædicatum accidentis, prædicatum substantiæ, & cætera huiusmodi. Alia denique conueniunt omnibus rebus, earumque formalitates transcendunt, vt sunt ens vniuersalissimè sumptum, & eius passiones.

370 Igitur Scotus *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. *& dist.* 8. *quæst.* 2. *& in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 6. docet ens non includi in differentiis, neque in modis intrinsecis, quibus ad decem genera prædicamentorum Aristotelis determinatur, neque in suis propriis passionibus de quibus sentit esse positiuas, & reales formalitates, vt videre est *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 2 Tantumdémque subinde censet de cæteris huiusce generis prædicatis, quæ communiter transcendentia appellantur. Quo iure multi putant, Scotum talium prædicatorum omnem transcendentiam negare quasi aliud genus transcendentiæ non detur præterquam per inclusionem prædicati transcẽdentis in illis formalitatibus; quas transcendere dicitur. Scotum sequuntur omnes Scotistæ, & quidam alij. Communis autem reliquorum sententia absolutè pronunciat ens cuncta transcendere vsque ad vltimas differentias, tantumdémque censet de cæteris huius generis prædicatis Ita S. Thom. *lib.* 1. *contra Gent. cap.* 25. *& quæst.* 21. *de verit. art.* 1. *& alibi.* Fonsec. *lib.* 4. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 3. Soar. plures alios referens *disp.* 2. *Metaph. sec.* 5. *num.* 16. Petr. Hurt. *disp.* 2. *Metaph. sec.* 4. Fran. Alfo. *in log. disp.* 13. *sec.* 6. Quiedo *contr.* 1. *Metaph. pun.* 4. Qui censet sententiam hanc locum habere, & veram esse in quâuis opinione seu præscindente, seu non præscindente obiectiuè. Arriaga verò *disp.* 11. *log. sec.* 3. *subs.* 3. solùm existimat esse veram apud Præscindentes. In opinione verò non Præscindentium, quam ipse sequitur, putat dicendum, ens non magis transcendere differentias; quàm animal, aut quoduis aliud prædicatum superius. Vnde concedit *num.* 37, nulla esse prædicata transcendentia in rigore, quamuis ens, & similia ob suam maximam vniuersalitatem transcendentia appellari possint.

371 Pro exactâ resolutione quæstionis suppono primò, duobus titulis dici posse aliquod prædicatum transcendens. Primò, quia transcendit omnes, & singulas partes metaphysicas entis, cui conuenit; quales sunt formalitates eius solâ ratione nostrâ distinctæ, & hæc est communis, & magis vsitata transcendentiæ vsurpatio. Secundò, quia transcendit omnes & singulas partes physicas entis, cui conuenit, quando illud physicè est compositum ex partibus realiter inter se distinctis. Quæ transcendentię vsurpatio minus quidem est vsitata, sed non minore forsitan iure ibi postulat vsum.

372 Secundo suppono vtramuis dictam transcendentiam tribus modis factam excogitari posse. Primò per inclusionem prædicati transcendentis in subiectis, quæ transcendere dicitur. Secundò per adiectionem ad talia subiecta. Tertiò per identitatem cum illis. Et quoniam huiusmodi inclusio, adiectio, & identitas vel physica potest esse, vel metaphysica: idcirco transcendentia vniuersè sumpta in physicam, & metaphysicam diuidẽda venit; ita, quod illud prædicatum dicatur transcendere physicè, quod siue per inclusionem, siue per adiectionem, siue per identitatem physicam, & realem transcendit: illud verò metaphysicè, quòd transcendit per inclusionem, adiectionem, aut identitatem metaphysicam, hoc est, oriundam à ratione nostrâ, seu modo concipiendi, idque, siue subiecta, quæ talia prædicata transcendunt, sint partes physicæ, siue sint partes metaphysicæ illius, aut illorum entium, quibus ea conueniunt.

373 Tertiò suppono, quoduis prædicatum, quouis ex dictis modis transcendens aut in concreto, aut in abstracto considerari posse, vel sumi. Quid autem concretum sit, quid abstractum satis superque à nobis est *in superioribus* explicatum.

374 Quarto suppono eos, qui censent non posse dari in transcendentibus conceptum communem ab inferioribus abstractum, vt sunt Caiet. Vasq. & alij *infrà* referendi *quæst.* 21. re verâ, & propriè loquendo transcendentiam prædicatorum negare, quia solùm admittunt transcendentiam nominum, non item conceptuum significatorum per nomina, sine quibus nomina ipsa prædicata transcendentia propriè dici non possunt, quia non tam nomina, quàm conceptus per illa significati dicuntur propriè prædicata, & de ratione prædicati transcendentis est, vt vnum cùm sit, omnibus, & singulis partibus, siue formalitatibus entis, quod transcendit conueniat. Quæ vnitas in transcendentiâ metaphysicâ de quâ commemorati Auctores loquuntur; imò, & in plerisque reliquarum, quas nos recensuimus, alia ab vnitate vniuersalitatis esse non potest, vt ex dicendis apparebit. Itaque, qui solum nomen transcendentium faciunt commune, in re plus negant prædicatorum transcendentiam, quàm Scotistæ; nam hi solam transcendentiam metaphysicam per inclusionem negant; non alias citra dubium possibiles, vt etiam ex dicendis constabit. Stet igitur in præsenti quæstione de prædicatis transcendentibus, quæ verè talia sunt, nempe de conceptibus obiectiuis per nomina significatis fermonem esse: hi enim sunt, qui in communi, & propriâ vocabuli acceptione prædicata transcendentia dicendi veniunt. His positis procedamus ad resolutionem quæstionis per singula transcendentiæ recensita membra diuisim.

Propositio 1.

375 Multoties transcendit prędicatum omnes omnino partes compositi physici per physicam identitatem.

Vt

Vt patet in omnibus compositis ex partibus homogeneis, quæ prædicata habent eo ipso sibi, & omnibus suis partibus per physicam identitatem communia. Ita prædicatum albedinis contractum ad totam albedinem, & ad omnes partes eius, de omnibus, & singulis verificatur per physicam identitatem, quia & tota albedo, & quælibet pars physicè, & realiter est albedo.

Propositio 2.

376 Multoties etiam transcendit prædicatum omnes partes compositi physici per physicam adiectionem.

Quoties videlicet aliquod accidens homogeneum omnibus, & singulis partibus subiecti alicuius conuenit physicè, ita transcendit albedo omnes, & singulas partes quantitatis; cui inhæret, quia de omnibus, & singulis prædicatur verè, siue per modum actus, siue in concreto; omnes quippè albescunt siue sunt albæ per albedinem sibi adiectam.

Propositio 3.

377 Stando in sententiâ satis communi de compositione continui ex partibus in infinitum diuisibilibus; atque adeo vnitis per infinita indiuisibilia, prædicatum datur transcendens per inclusionem physicam omnes, & singulas partes compositi physici. Negato verò vt impossibili huiusmodi compositionis genere, tale prædicatum transcendens impossibile est.

Secunda pars propositionis ostenditur: quia si partes compositi physici non sunt diuisibiles in infinitum, partes, à quibus primò incipit compositio eius, & in quas vltimò illud resolubile est, indiuisibiles erunt, vt constat; & consequenter incapaces, vt in ipsis aliquid per inclusionem physicam includatur, vt etiam est notum: ergo repugnat prædicatum transcendens per inclusionem physicam omnes, & singulas partes talis compositi.

378 Prima etiam pars propositionis conspicua est: quia prædicatum vnionis in omnibus omninò, & singulis partibus compositi reperitur physicè inclusum stando in eâ sententiâ: quia nulla est omnino compositi pars, quæ physicè non componatur ex aliis mediâ aliquâ vnione, quæque subinde vnionem aliquam physicè non includat in se. Suppono itaque vniones, quà tales, iuxta dictam compositionem sub nomen partium non venire. Si enim venirent, cum illæ sint indiuisibiles, inepræque subinde ad quidpiam physicè includendum, heret vtique iuxta doctrinam *numero præced.* vt neque in sententiâ dictâ esset possibile prædicatum per physicam inclusionem transcendens omnes omnino partes compositi physici. Loquor etiam de prædicato non formaliter, sed fundamentaliter sumpto: nam loquendo formaliter secundum nostrum modum concipiendi, & iudicandi, prædicatum, de quo tractamus, non conuenit subiecto per inclusionem physicam; sed per adiectionem metaphysicam, quia concipitur per modum actus. vt constat ex vniuersali doctrinâ dictâ *disp. 2. q. 4, & disp. 8. q. 1.* Quod tamen ad institutum præsens parum interest, aut nihil.

379 Fateor quidem ex huiusmodi transcendentiâ, quâ prædicatum vnionis per inclusionem physicam transcendere dicimus omnes omnino partes continui, suppositâ dicta sententiâ, vnum ex potissimis argumentis desumi, quibus sententia ipsa, quam supponimus, impugnatur. Sic enim argui potest. Et pono iuxtà sententiam dictam nihil aliud esse in hoc calamo præter partes, & vniones, quibus illæ vniuntur; nam licet sint etiam aliqua indiuisibilia terminatiua ea ad argumentum faciendum nihil interfunt; proindeque suppono ea non esse; & sic argumentum efformo. Vel præter omnes omnino vniones huius calami restat insuper in illo aliquid aliud, vel nihil restat? Si nihil, calamus ex solis vnionibus coalescet, contra suppositionem. Si aliquid: id in se nullam includit vnionem, etiam contra suppositionem: quia præter omnes omnino vniones nulla restare potest vnio, vt constat: restaret autem, si in eo quod præter omnes restat, aliqua vnio ineluderetur. Confirmatur primò. Pone iudicium citra dubium possibile de existentiâ omnium omnino vnionum huius calami præscindens ab omni alio obiecto. Tum sic: aut posito tali iudicio ignoratur aliquid de calamo, aut nihil? Si nihil, ergo calamus solis vnionibus constat. Si aliquid: id nullam vnionem claudat necesse est; quia si id, quod prorsus manet incognitum per tale iudicium, clauderet aliquam vnionem, hæc simul esset cognita, & incognita per tale iudicium, quæ sunt contradictoria. Confirmatur secundò. Aut collectio omnium vnionum calami est idem adæquatè cum calamo, & sic iterum calamus constabit solis vnionibus: aut solùm inadæquatè; & sic erit in calamo aliquid, à quo adæquatè distinguatur talis collectio vnionum, quod subinde pars erit carens omni vnione, contra suppositionem. Repugnat enim distingui aliquid ab alio adæquatè, quin distinguatur adæquatè ab aliquo contento in illo: nam distinctio, & identitas inadæquata necessariò est includentis ab incluso, vt constat: inclusum autem nullam aliam habet identitatem cum includente præteream, quam habet secum: ergo præter hanc quidquid distinctionis restat, adæquata distinctio est: ergo quidquid est in includente præter inclusum ab ipso incluso necessariò distinguitur adæquatè.

Hæc argumenta, & alia huiusmodi, me quidem iudice, satis vrgentia non meam propositionem impugnant, quæ hypothetica est, sed sententiam in eâ suppositam, quæ mihi quidem difficillima est intellectu, nisi in aliquo bono sensu dicatur continuum ita esse diuisibile in infinitum, vt partes, quas de facto habet, non actu, sed potestate solùm sint infinitæ. Id quod expressit Arist. *lib 8. Physic. cap. 8. text. 68.* sæpéque *alibi*, & cum eo S. Th. *variis in locis.* Ita enim fiet, vt tandem sit confitendum continuum ex partibus physicè indiuisibilibus esse compositum, atque ita impossibile esse prædicatum transcendens omnem partem compositi per inclusionem physicam, iuxta secundam partem propositionis nostræ. Cæterùm hic locus non est resoluendi hanc difficultatem de compositione continui; præstabo id, Deo dante, *suo loco.* Ob id conditionatè tantùm loquutus sum in propositione. 380

Propositio 4.

Per identitatem metaphysicam benè potest aliquod prædicatum transcendere partes compositi physici omnino similes, & æquales. Reliquas verò minimè. 381

Sermo est de identitate metaphysicâ adæquatâ, nam, quæ inadæquata est, sub aliud membrum cadit diuisionis superiùs factæ, nempe sub inclusionem. Est autem identitas metaphysica ea, quâ conceptus obiectiui nostri intellectus formaliter, seu per rationem nostram identificari dicuntur, quo sensu dicimus vnamquamque formalitatem non solùm realiter, & physicè, sed etiam formaliter, & metaphysicè esse indistinctam à se ipsâ. Tum definitionem formaliter esse idem cum definito &c.

382 Igitur prior pars propositionis inde mihi probanda venit; quia censeo prædicatum specificum cum specie logicâ, quale est, quod abstrahitur ab indiuiduis prorsus inter se similibus, & æqualibus, adæquatè posse identificari formaliter cum singulis ipsis indiuiduis, dum ad illa contrahitur, quin detur in eis duplex formalitas, altera speciei, altera differentiæ indiuidualis intrinsecæ, quod euenit, quoties tale prædicatum ab indiuiduis est abstractum, seu potius ex eis adunatum citra præcisionem à differentiis iuxta doctrinam datam *suprà quæst.* 14. Quo posito eiusmodi prædicatum specificum abstractum à partibus compositi physici omnino similibus, & æqualibus per identitatem metaphysicam adæquatam dicitur partes ipsas transcendere, dum ad illas mente nostrâ contrahitur, vt satis est notum.

383 Secunda autem pars propositionis ex contrario fundamento probatur; nempe quia prædicatum abstractum à partibus compositi physici vel dissimilibus, vel inæqualibus non potest non saltem logicè genericum esse: de ratione autem generis est componere speciem simul cum differentiâ specificâ, atque adeo inadæquatè dumtaxat cum ipsâ specie identificari: nequit igitur per adæquatam identitatem metaphysicam suas species, & consequenter neque earum indiuidua transcendere.

384 Ex his colligo primò apud eos, qui censent non posse non componi indiuiduum ex prædicato specifico, quodcumque illud sit, & ex differentiâ indiuiduali intrinsecâ æquè ac ex prædicato generico, & ex differentiâ specificâ componitur species; vniuersaliter esse impossibile prædicatum transcendens per metaphysicam identitatem, de quâ tractamus, aliquas partes compositi physici, quæcumque illæ sint.

385 Secundò colligo etiam apud nos esse impossibile prædicatum transcendens pariter omnes partes compositi physici habentis plures, quàm duas indiuisibiles: quia vbi dantur plures, non possunt non aliquæ saltem esse inæquales, quas proinde nullum poterit prædicatum modo dicto transcendere, vt constat ex dictis.

386 Hic tamen oportet aduertere, ne aliqua æquiuocatio subrepat, cum dicimus aliquod prædicatum transcendere per identitatem aut physicam, aut metaphysicam, non loqui nos de identitate formali, quæ provt à nobis concipitur, distincta formalitas est ab extremis identificatis, cùm sit quidam actus aut rectus, quo vnum extremum dicitur esse aliud, aut circularis, quo vnum dicitur esse ipsummet iuxta doctrinam datam *suprà disp.* 2. *quæst.* 4. *& disp.* 8. *quæst.* 2. de huiusmodi quippè identitate formali, quod ad rem attinet, vt de quâdam formalitate aliis adiuncta philosophandum est; proindéque si sit transcendens per metaphysicam adiectionem erit transcendens; sed loquimur de identitate fundamentali indistinctâ penitus ab eo, quod secum est idem aut physicè, si physica sit, aut metaphysicè seu provt in mente nostrâ obiectiuè, si sit metaphysica.

Propositio 5.

Per metaphysicam adiectionem bene possunt ali- 387
qua prædicata transcendere omnes omnino partes cuiuslibet compositi physici.

Quia nullæ sunt partes compositi physici, quæ non habeant aliquas passiones metaphysicas sibi communes. De ratione autem metaphysicæ passionis est formaliter superaddi, & adiici subiectis, quorum passio est, vt ex dictis in superioribus liquet, ampliúsque ex dicendis patebit. Adde prædicatum entis, & alia huiusmodi vniuersalissima, quæ per metaphysicam adiectionem transcendunt omnes omnino rerum omnium formalitates, vt videbimus *propos.* 11. eo ipso non posse non per similem adiectionem transcendere omnes, & singulas cuiuslibet compositi physici partes, vtpotè, quæ res quædam sunt formalitatibus constantes.

Dices, passiones, & quæuis prædicata metaphy- 388
sicè dumtaxat distincta à re, cui conueniunt, & si aliis eiusdem rei formalitatibus metaphysicè possint adiici; at toti rei physicè sumptæ (qualiter partes compositi physici in præsenti propositione à nobis sumuntur) nequaquam posse, cùm talis res physicè aut metaphysicè etiam præcontineat in se eiusmodi passiones, & prædicata sibi identificata realiter. Respondeo primò, sæpè prædicatum contentum in subiecto fundamentaliter, formaliter in eo non contineri; atque ita bene posse formaliter ei superaddi. Quo pacto fieri potest vt partes compositi physici apprehensæ ex parte subiecti, quoad totum, quod realiter sunt fundamentaliter tantùm contineant prædicatum, quod eis superadditur formaliter, iuxta doctrinam à nobis traditam *disp.* 2. *quæst.* 4. *& disp.* 8. *quæst.* 2. Respondeo secundò ex modo, quem nos iudicandi habemus, semper superaddi prædicatum, aut aliquid prædicati subiecto tametsi illud ipsum formaliter intra subiectum contineatur: quo casu etsi prædicatum non adiiciat subiecto formalitatem à præcontentâ in ipso diuersam, adiicit tamen formalitatem à præcontentâ distinctam per quamdam multiplicationem eiusdem, vt iam *in superioribus* non semel explicui, & nominatim *disp.* 13. *quæst.* 10.

Propositio 6.

Per metaphysicam inclusionem aliqua prædica- 389
ta transcendunt omnes, & singulas partes cuiuslibet compositi physici.

Est clarum: quia prædicata omnia generica, quæ citra dubium omnes habent in se contenta, metaphysicè includuntur in illis; de quo nullum est dubium.

Propositio 7.

Quælibet cuiuslibet entis siue creati, siue increa- 390
ti formalitas prædicatum est transcendens per physicam identitatem omnes eius entis formalitates. Per physicam verò inclusionem, vel adiectionem tale esse non potest.

Vtraque pars propositionis certissima est tam in sententiâ præscindentiú, quàm non præscindentiú obiectiuè: quia in omni sententiâ, quælibet cuiuslibet entis formalitas quomodolibet supra physicè & identificata cum reliquis omnibus eiusdem entis

forma

formalitatibus, de eisque subinde in sensu physico identico verè prædicabilis est. Nec physicam inclusionem, aut adiectionem desiderantem distinctionem realem comparatione illarum subire potest.

Propositio 8.

391 Quæcumque per physicam adiectionem conueniunt cuilibet enti siue increato siue creato, ea prædicata sunt transcendentia per adiectionem physicam omnes, & singulas talis entis formalitates. Per adiectionem verò physicam, simul & metaphysicam, quædam eorum transcendunt illas, quædam verò non item. Neutra tamen valent ipsas transcedere per physicam identitatem, aut inclusionem.

Ponamus exemplum in Deo, & idem, quod ad rem attinet, de quouis ente creato iudicium esto. Dico itaque prædicata creantis, & Mundo coexistentis, quæ creationem, & existentiam Mundi distinctam à diuinâ substantiâ physicè adiiciunt Deo; per physicam adiectionem transcendere omnes diuinas formalitates, quatenus de omnibus in sensu physico, & materiali verè dicuntur: quia seclusâ distinctione virtuali, quæ hic non interuenit, nullum prædicatum potest vni formalitati Dei, & non reliquis physicè conuenire. vt constat. Deinde dico prædicatum coexistentis Mundo per physicam simul, & metaphysicam adiectionem transcendere omnes formalitates diuinas: prædicatum verò creâtis minimè: quia primum de omnibus, & singulis formalitatibus Dei est prædicabile, non solùm in sensu physico, & materiali, sed etiam in metaphysico, & formali. Secundum verò non item; eo quòd nulla formalitas Dei, quæ non sit coexistens Mundo in sensu formali. Cùm tamen sola Omnipotentia in sensu formali sit creans, Quæ autem prædicata in sensu solùm physico, & materiali, & quæ in formali, & metaphysico prædicari dicantur, affatim explicatum est *suprà disp. 2. q. 4.* Per quæ prima, & secunda pars propositionis datæ manent probatæ. Tertiâ autem probatione non eget, cum sit certissimum ea, quæ physicè distinguuntur à diuinâ substantiâ, nec posse identificari physicè, nec physicè includi in omnibus formalitatibus eius. Porro prima, & tertia pars propositionis in omni sententiâ de præcisionibus locum habet, vt constat. Secunda verò alioquin apud omnes certa cum substantiâ non præscindentium malè cohæret, vt ex dicendis in sequentibus apparebit.

392 Solùm restat rationem reddere, cur prædicatum coexistentis Mundo omnibus formalitatibus diuinis conueniat formaliter, & metaphysicè. Prædicatum verò creantis soli formalitati Omnipotentiæ, non reliquis. Dico id ex diuersitate naturæ, seu quiditatis tum talium prædicatorum, tum formalitatũ Dei nasci. Nulla quippe est diuina formalitas, quæ ex suo quiditatiuo conceptu, prout à reliquis condistincto non sit existens, atque adeo coexistens Mundo, suppositâ Mundi existentiâ, cùm tamen soli formalitati omnipotentiæ conueniat ex conceptu proprio creare. Quod vt vniuersaliùs exponam regulamque præscribam ad dignoscendum, quę prędicata sint transcendentia metaphysicè, quæ verò non item. Noto, quemadmodum in physicis quædam sunt passiones, & accidentia, quæ alicui, aliquibusve rebus conueniunt physicè, reliquis verò minimè; quædam, quæ aut pluribus rebus, aut etiam omnibus conueniunt propter diuersitatem scilicet naturæ, tum rerum, tum accidentium, & passionum.

Ita pariter in metaphysicis quædam sunt passiones, & accidentia, quæ alicui, aliquibúsve eiusdem rei formalitatibus, non verò reliquis conueniunt metaphysicè: quædam verò, quæ omnibus propter diuersitatem videlicet conceptuum, siue quiditatum tum formalitatum ipsarum, tum accidentium, & passionum. Passio igitur, vel accidens conueniens metaphysicè omnibus, & singulis eiusdem entis formalitatibus prædicatum est talis entis transcendens metaphysicè; secus verò passio, vel accidens alicui solùm, vel aliquibus formalitatibus; non tamen omnibus. Porro tunc aliqua passio, vel accidens alicui formalitati dicitur metaphysicè, formalitérque conuenire, quando ita illam afficit, aut denominat, provt à reliquis contradistinctam formaliter, vt eam nihilominùs afficeret, aut determinaret, etiamsi ipsâ persistente, aliæ per impossibile desinerent esse, aut non persisterent.

Quæ quidem regula generalis est tam pro prædicatis adiicientibus aliquid physicè supra formalitates, de quibus dicuntur, cuiusmodi sunt ea, de quibus egimus in præsenti propositione, quàm pro prædicatis nihil adiicientibus physicè; sed tantùm metaphysicè, & per rationem, qualia sunt, de quibus in sequentibus. Ita prædicatum coexistentis Mundo ideo est transcendens comparatione Dei quia ita illud, suppositâ Mundi existentiâ, singulis Dei formalitatibus conuenit ex proprio conceptu, vt de qualibet sit verum per locum intrinsecum, fore eam nihilominus Mundo existenti coexistentem, etiamsi per impossibile reliquis deficientibus, ipsa dumtaxat permaneret. Prædicatum verò creantis ideo non est transcendens; quia ita soli dumtaxat Omnipotentiæ conuenit ex proprio conceptu, vt verum sit per locum intrinsecum Deum non creaturum. si retentis reliquis formalitatibus, sola illi Omnipotentia per impossibile deficeret. 393

Obseruandum tamen est primò prædicata metaphysicè transcendentia ratò esse accidentia formalitatum, quas transcendunt; vt plurimùm enim sunt earum passiones. Et quoniam passionum aliæ sunt immediatæ, & per se notæ; aliæ remotæ, & per aliud notæ, seu noscibiles; Obseruandum secundò est ex prædicatis transcendentibus alia esse per se immediatè iudicabilia de formalitatibus, quas transcendunt, solis terminis apprehensis: quo iure tales formalitates apprehensæ fundamentum præbere dicuntur ad talia iudicia facienda; & ex prædicatis quidem metaphysicè transcendentibus pleraque haud dubiè sunt huius generis, quia vt plurimùm sunt conceptus valde vniuersales, & noti. Alia nihilominus esse possunt non immediatè iudicabilia à nobis, sed solùm beneficio discursus ad quæ subinde iudicanda non dicentur fundamenta per se præbere subiecta eorum apprehensa. En regulam, per quam deprehendes quænam prædicata tum diuina, tum creata sint transcendentia, & quæ non item. 394

Propositio 9.

Impossibile est in omni sententiâ, quòd aliquod prædicatum transcendat omnes formalitates diuersas eiusdem entis per metaphysicam identitatem. 395

Sermo est de identitate metaphysicâ adæquatâ, iuxta notationem præmissam *propos. 4.* Propositio autem est certissima: quia in quâuis sententiâ seu præscindente, seu non præscindente obiectiuè, nulla formalitas singularis potest idẽtitate adæquatâ cũ reliquis eiusdẽ entis ab ipsâ, & inter se diuersis idẽtificari formaliter, seu metaphysicè quandoquidẽ

omnes formalitates diuersæ eo ipso sunt inter se distinctæ formaliter, seu per rationem nostram; vt constat. Deinde prædicatum commune abstractum à diuersis formalitatibus eiusdem; vt is non potest non esse genericum; quia, quæ diuersa sunt non solùm numero, sed etiam specie distinguuntur; & prædicatum genericum nequit cum singulis speciebus, & indiuiduis specificis identificari formaliter identitate adæquatâ, vt etiam est notum. Igitur in quâuis sententiâ nulla est possibilis formalitas aut singularis, aut commuuis, quæ per identitatem metaphysicam transcendat omnes formalitates diuersas eiusdem entis.

396 Loquor autem in propositione dumtaxat de formalitatibus diuersis, hoc est, inter se dissimilibus, aut etiam inæqualibus: quia huiusmodi fermè sunt omnes, quæ in singulis entibus censentur. Si quæ tamen nonnunquam fuerint omnino inter se similes, & æquales respectu harum, benè poterit esse prædicatum transcendens per metaphysicam identitatem. Tale enim erit conceptus communis specificus ab eis abstractus citrà omnem præcisionem à differentiis numericis, iuxta doctrinam datam in simili *propos.* 4.

Propositio 10.

397 In sententiâ non præscindentium impossibile est, quòd aliquod prædicatum transcendat omnes eiusdem entis formalitates per purè metaphysicam adiectionem.

Dico purè metaphysicam, vt excludam modò adiectionem physicam, simul & metaphysicam, de quâ egi *prop.* 8. Ratio autem propositionis conspicua est: quia adiectio purè metaphysica dumtaxat valet reperiri inter conceptus per solam rationem distinctos, quod enim ab alio non per solâ rationem sed realiter distinctum est, non sanè purè metaphysicè, sed physicè insuper dicetur adiici illi, si semel adiiciatur; sed apud non præscindentes prædicatum, quod transcendens vocatur secundum id, quod dicit in recto, idem omnino est ac subiectum, quocirca quoad id præcisè non potest dici subiecto adiici, quia idem sibi ipsi, quâ ratione est idem sibi, adiici non potest, vt constat; secundum id verò, quod connotat in obliquo, siue id sit diuersa cognitio, siue diuersum medium cognoscendi, siue diuersum cuiusuis alterius generis connotatum, realiter ab ipso subiecto distinctum est, vti ipsi non præscindentes ponunt; atque adeo per solam rationem subiecto adiici non potest: ergo absolute in sententia non præscindentium transcendentia prædicatorum per adiectionem pure metaphysicam im-

398 possibilis est.

Adde nec fieri posse in eorum sententiâ, vt aliqua prædicata præ aliis sint transcendentia adhuc per adiectionem physicam simul & metaphysicam. Nam cùm in eorum sententiâ subiectum omnium prædicatorum, quæ eidem rei reali conueniunt, idem conceptus sit obiectiuus, quantum ad id, quod dicit in recto, & cui prædicata conueniunt, quidquid sit de extrinsecis connotatis, efficitur omnia prædicata adiectiua, quæ eidem rei reali conueniunt, de eodem omnino subiecto, eodemque omnino modo verificari; atque ita vel omnia pariter, vel nulla transcendentia per adiectionem physicam simul & metaphysicam dicenda esse. De quo iterum redibit sermo *propositione duodecima.*

Propositio 11.

Secundum meam, & communem præcisionum 399
obiectiuarum sententiam plurima dantur prædicata, quæ omnes omnino formalitates eiusdem entis tam increati, quàm creati transcendunt per purè metaphysicam adiectionem.

Pro hâc propositione aduoco omnes Doctores citatos *num.* 370. qui transcendentiam metaphysicam entis, aliorumque huiusmodi prædicatorum admittunt, nam licet plerique eorum videantur supponere eam per inclusionem fieri, saltem in illa adstruenda, quocumque modo fiat, nobiscum conueniunt, & fortasse interpretari poterunt de inclusione solum fundamentali, quo à nostrâ sententiâ non discrepabunt. A quâ quidem neque Scotistæ dissentiunt, quia solùm negant, & quidem iure iuxta dicenda postmodum, metaphysicam transcendentiam entis vsque ad vltimas differentias per inclusionem, per adiectionem verò nequaquam iuxta sua principia negare possunt.

Probo ergo propositionem primò: quia plurima 400
sunt prædicata, quæ non solùm in sensu reali; sed in formali, & metaphysico verificentur de omnibus, & singulis formalitatibus eiusdem entis siue increati, siue creati, à quibus realiter sunt indistincta, adeo, vt si per impossibile quælibet talium formalitatum, aliis pereuntibus permaneret, affecta nihilominus talibus prædicatis persisteret, siue illa sibi retineret annexa. Hoc autem ipsum est transcendere eiusmodi prædicata dictas omnes formalitates metaphysica transcendentia, iuxta regulam supra statutam *propositio.* 8. Quod autem transcendentia ista per adiectionem fiat, ex doctrinâ traditâ à nobis *disputatione secunda, quæstione quarta, & disputatione octaua, quæstione secunda*, & sæpe aliàs repetita de modo nostro iudicandi, ac prædicandi manifestè monstratur. Cùm enim omne prædicatum significabile per verbum, cuiusmodi sunt transcendentia omnia, per modum actus & instar cuiusdam exercitij subiecti, cui attribuitur, concipiatur à nobis, nequit non illud ex conceptu suo esse quid superadditum, & adiectum ipsi subiecto, quod est euenire illi per adiectionem, quæ purè metaphysica erit, quando prædicatum, & subiectum per solam rationem distincta sunt. Vide id in prædicato entis, seu potentis existere quod per verbum *possum* significabile est. Dum enim dicimus *rationalitas potest existere*, non potest non potentia ad existendum concipi vt actus adiectus rationalitati, cui subinde etiam adiicitur, cùm conformatus in participium per verbum substantiuum *esse* ipsi attribuitur, vt cùm dicimus *rationalitas est potens existere*, siue *est ens*. Huiusmodi enim participia, vel nomina semper sumuntur adiectiuè vt possint de subiecto verificari in sensu reali, & formali, vt constat ex doctrinâ etiam tradita *in citatis disputationibus*. Tantumdemque censendum est de reliquis huiusmodi transcendentibus prædicatis. Dari autem plurima eorum tum in Deo, tum in creaturis manifestum est. Quia talia sunt in Deo immensitas, æternitas, necessitas, & similia: in creaturis, atque etiam in Deo potentia ad existendum, bonitas, veritas, &c. Nulla quippè est formalitas Dei, cui ratione sui, & provt ab aliis condistinctæ non conueniat esse vbique, esse ab æterno, necessariò existere, &c. Sicut nulla est formalitas,

aut

aut Dei, aut creaturæ, cui pariter ratione sui non conueniat posse existere, esse bonam, esse veram &c. Quod vel ex terminis ipsis satis superque notum est.

401 Secundò probatur propositio. Quia de aliquibus saltem prædicatis adeo euidens est omnes & singulas formalitates rerum transcendere, vt neque Scotistæ, nec alij quipiam negare id poterunt, si semel eis statuatur transcendentiam aliter fieri, quàm per metaphysicam inclusionem; quoniam hanc solùm tanquam impossibilem negant, quicunque transcendentiam prædicatorum metaphysicam negant, vt iam notaui. Ergo cùm propositio nostra non de transcendentiâ per inclusionem, sed per adiectionẽ loquatur, nullo prætextu poterit quispiam ei refragari. Etenim euidentissimum est, quamlibet cuiusuis entis formalitatem non fictitiam ex proprio conceptu, & ratione sui, nullaque aliarum ratione habita, cum quibus idẽtificatur esse possibilem, esse veram, esse perfectionem &c. Similiter de quauis formalitate Dei, supposito, quod sit Dei, euidens esse eam per se & ratione sui æternam, immensam, bonam, &c. Et confirmari potest; quia certum est in scientiis humanis primam passionem metaphysicam conceptui essentiæ esse annexam, conceptui autem primæ secundam, secundæ autem tertiam &c. eo quod aliquæ formalitates præ aliis cum aliquibus connexæ sunt metaphysicè ex proprio conceptu, & ratione sui, quemadmodum in rebus physicis aliquæ præ aliis cum aliquibus physicè connectuntur. Igitur sicut in physicis sæpe sunt res, cum quibus aliæ plures, aut omnes alicuius generis, aut absolutè omnes physicè ratione sui connectuntur; ita in metaphysicis nihil vetat, quominus sæpe sint prædicata, cum quibus omnes & singulæ alicuius entis, aut alicuius generis entium, aut absolutè omnium formalitates metaphysicè connectantur per se immediatè, siue ratione sui; atque ita talia prædicata talibus formalitatibus per se & formaliter conueniant. Quod ipsum est prædicata huiusmodi transcendentia metaphysicè esse. Quod autem eorum transcendentia, siue transcendens conuenientia, seu prædicatio per adiectionem metaphysicam fiat, tum ex modo nostro prædicandi nuper commemorato constat. Tum quia illa nec per identitatem metaphysicam, vt constat *ex propositione* 9. nec per inclusionem, vt constabit ex *propositt.* 12. & 13. possunt transcendere; aliud autem genus metaphysicæ transcendentiæ excogitabile non est, vt liquet ex totâ hâc quæstione.

402 Tertiò, probatur propositio; quia illud euidentissimum axioma, *quodlibet est, vel non est* non solùm de quolibet ente adæquato, & in sensu reali, sed de qualibet cuiusuis entis formalitate, & in sensu formali verificatur, vt apud omnes est in confesso. De quolibet enim excogitabili conceptu obiectiuo non potest non verificari in omni sensu reali, & formali quoduis disiunctum quorumuis prædicatorum sibi contradicentium, eo ipso, quod inter duo contradictoria non datur medium, provt per præfatum axioma statuitur. Ergo imprimis quoduis disiunctum contradictoriorum prædicatum transcendens est omnem omninò cuiusuis entis formalitatem, quæ transcendentia vagè saltem metaphysica erit, quando alterum ex contradictoriis à formalitatibus, de quibus ipsorum disiunctum prædicatur, realiter distinctum non est. Deinde, quia, quo sensu de quouis subiecto verificatur contradictorium disiunctum, eodem de subiecto ipso debet alterum contradictorium determinatè verificari; eo quod ex duobus contradictoriis necesse est alterum esse, & alterum non esse determinatè: ideo quoties contradictorium negatiuum in sensu formali de omnibus formalitatibus eiusdem entis falsificatur, vt sæpe fit: non potest non positiuum de eisdem formalitatibus in sensu formali verificari, atque adeo illas omnes transcendere metaphysicè, si realiter ab illis distinctum non est. Sic quia de omnibus, & singulis formalitatibus diuinis falsificatur in sensu formali non esse vbique, de eisdem in eodem sensu verificatur esse vbique, quod est prædicatum positiuum immensitatis illas omnes transcendere, quod pariter euenit in aliis huiusmodi. Fieri autem transcendentiam istam per adiectionem satis superque ex dictis liquidum est.

Verùm contrà doctrinam propositionis oppo- 403
ni potest, sequi ex illâ in formalitatibus transcendentibus dari progressum in infinitum. Nam si rationalitas, exempli gratia, est ens per potentiam ad existendum ipsi metaphysicè adiectum, eadem rationalitas vt præcisa à tali potentiâ erit pariter ens per aliam, & vt præcisa ab hac per aliam, & sic in infinitum. Similiter quæuis potentia ad existendum erit ens per aliam sibi superadditam, & hæc per aliam, & sic sine fine. Id namque iuxta doctrinam stabilitam fert secum noster modus iudicandi per adiectionem prædicati ad subiectum. Respondeo primò hoc argumentum etiam contra transcendentiam metaphysicam per inclusionem militare, atque adeo ab omnibus esse soluendum. Nam si rationalitas est ens per rationem entis in se inclusam, si semel hanc à rationalitate præscindas, alia ratio entis in rationalitate manebit inclusa, & hac præcisâ alia, & sic in infinitum. Similiter quæuis ratio entis per aliam in se inclusam erit ens, & hæc per aliam, & ita deinceps sine fine. Progressio autem infinita per inclusionem longè maiorem difficultatem præ se fert, quàm progressio infinita per adiectionem vt in continuo diuisibili in infinitum, vbi solùm illa habet locum, iuxta dicta *propositt.* 3. cernere licet. Respondeo secundò progressum infinitum dumtaxat syncategorematicè, ita quod multitudo partium actu existentium semper finita sit, augibilis tamen sine fine, absque illo inconuenientе admitti etiam in rebus realibus. Tale autem vt summum est, quod probat argumentum factum in formalitatibus transcendentibus, vnde nihil infert absurdi. Respondeo tertiò ne syncategorematicè quidem posse in infinitum multiplicari in mente nostrâ formalitates transcendentes, posito, quod illæ multiplicentur, provt argumentum factum prætendit, ita vt dato quouis earum numero, alius maior de facto dabilis sit. Quia intellectus noster pro hoc statu certam dumtaxat quantitatem obiecti siue continuam, siue discretam potest simul cognitione complecti; ita, quod si aliquid addatur ab vno latere, tantumdem detrahi ab alio necesse sit, vt explicuimus, & ostendimus *disput.* 1. *quæst.* 2. & 3. Demum respondeo quartò formalitates, quæ in casibus argumenti, & similibus possunt ab intellectu nostro sine fine multiplicari, solùm numericè distingui, atque adeo æquiualenter esse eamdem in ordine ad scientiam rerum, vnde extrahuntur, quia non tam ex ipsarum meritis, quàm ex nostro concipiendi modo ducunt originem. Ex quibus patet huiusce-

cemodi formalitatum transcendentium progressus in infinitum syncategorematicè tantùm, & nostro intellectui pro hoc statu connaturales esse, & nullum omnino secum incommodum ferre, provt iam etiam *in superioribus* à nobis sæpe dictum est.

Propositio 12.

404 In sententiâ non præscindentium impossibile est, quòd aliquod prædicatum transcendat omnes eiusdem entis formalitates per metaphysicam inclusionem.

Est clarum: quoniam apud non præscindentes omnes, & singulæ formalitates eiusdem entis quantum ad id, quod dicunt in recto, idem omnino sunt metaphysicè, quantum ad ea verò, quæ dicunt de connotato, quæcumque illa sint, realiter & adæquatè inter se distinguuntur. Ergo impossibile est vt vna formalitas in reliquis omnibus eiusdem entis claudatur metaphysicè, provt requiritur ad transcendentiam, de quâ tractamus: quia neque idem omnino in se ipso, neque distinctum realiter in distinctis à se realiter, & adæquatè, metaphysicè claudi potest, vt est notissimum. Confirmatur primò, quia negantes præcisiones obiectiuas eo ipso dicunt distinctionem formalitatum à ratione oriundam non ex parte obiecti, sed ex parte solùm actus se habere; ita, quòd conceptus obiectiuus omnium prorsus sit idem, cognitus tamen diuersis modis se habentibus ex parte cognitionis, hoc est, diuersis cognitionibus. Sed neque vna cognitio includi potest metaphysicè in reliquis ad idem obiectum terminatis, neque vnus, & idem conceptus obiectiuus in se ipso. Igitur apud non præscindentes impossibile est, vt vna formalitas in reliquis eiusdem entis claudatur metaphysicè. Confirmatur secundò: quia si nomen *immensitas*, & cætera omnia, ac singula nomina Dei totum, quod Deus est re ipsâ significant, quæcumque dicantur illa insuper connotare extra Deum, impossibile est, vt attributum immensitatis per inclusionem metaphysicam transcendat alia Dei attributa; quia nec Deus integer in se toto, nec connotatum immensitatis in omnibus omnium attributorum Dei connotatis potest includi metaphysicè, vt constat.

405 Dicent non præscindentes, contra quos hæc propositio militat, transcendentiam metaphysicam iuxta sententiam suam in eo consistere, quòd nequeat tota res cognosci in ordine ad alia extrinseca connotata, quin cognoscatur simul in ordine ad illud, quod constituit prædicatum transcendens, bene tamen vice versâ. E.g. entitas hominis nequit cognosci in quantum potens rationari, hoc est, relatè ad connotatum rationalis, quin cognoscatur in quantum potens existere, id est, relatè ad connotatum entis. Bene tamen è contra; & ideo formalitas entis transcēdit formalitatem rationalis, sed non è conuerso. Ita philosophantur Ouiedo *contr.* 1. *Metaphysicæ, punct.* 4. *num.* 6. cum Hurt. *disp.* 9. *Log. sect.* 4. *subs.* 5. & alij Recentiores.

406 Sed contrà primo. Quia, vt constat ex dictis, hæc non est transcendentia per inclusionem metaphysicam, vti ipsi passim supponunt dicentes prædicatum entis, & alia huiusmodi formaliter includi, & imbibi in differentiis.

407 Contrà secundò: quia iuxta sententiam ipsorum conceptus entis, seu potentis existere nequit habere pro connotato existentiam, vt aliqui eorum videntur supponere, vtpotè indistinctam realiter à potentiâ existendi. Connotatum autem conceptus entis reperti in principio ratiocinandi non posse esse existentiam discursus, vt dicit Ouiedo, palam est: quia cùm conceptus entis in omnibus rebus, in omnibúsque formalitatibus, quibus conuenit, debeat esse eiusdem rationis, vt censet ipse Ouiedo, in omnibus debet habere idem connotatum. Constat autem in aliis rebus, in aliisque formalitatibus conceptum entis non connotare existentiam discursus, imò neque existentiam effectus vt sic, quia non omnes habent effectus, neque existentiam connotati vt sic, quia non omnes connotant quidpiam existens, & plures nihil omnino connotant, vt pluribus confecimus *suprà disp.* 13. *quæst.* 9.

Contrà tertiò: quia prædicatum entis, & alia huiusmodi, nō connotatis rerum extrinsecis, sed intrinsecis earum conceptibus conueniunt, & attribuuntur, dum de omnibus, & singulis talium rerum formalitatibus verificantur, & prædicantur, vt constat. Prædicatum enim entis non ideo dicitur omnes hominis formalitates transcendere, quia in omnibus hominis extrinsecis connotatis; sed quia in omnibus hominis intrinsecis, & identificatis conceptibus reperitur formaliter. Sicut prædicatum immensi non ideo dicitur transcendere omnes formalitates Dei, quia in omnibus Dei extrinsecis connotatis; sed quia in omnibus Dei intrinsecis, & secum identificatis conceptibus reperitur formaliter; extrinseca enim Dei connotata immensa re verâ non sunt: ergo cùm eiusmodi conceptus intrinseci, & identificati in vnaquaque re sint vnicus prorsus, & idem, iuxta sententiam non præscintium, conficitur iuxta illam prædicatum entis, & similia nec per inclusionem, nec per adiectionem, nec aliter dici posse transcendere plures eiusdem rei formalitates; quin imò de totâ integrâ re, tum illud, tum cætera omnia ipsius rei prædicata indiuisim, eodemque modo verificari, & prædicari; atque adeo neque alia præ aliis, neque vlla omnino transcendentia dicenda esse, vt contra communem consensum conuictus fassus est Arriaga. 408

Contrà quartò: Quia falsum omnino est, vt bene vidit ipse Arriaga, non posse non cognosci à nobis vnamquamque rem in ordine ad ea connotata, quæ iuxta præfatos non præscindentes prædicata transcendentia constituunt, etsi in ordine ad alia possint. Constat enim passim nos concipere alias rerum formalitates, & de eis tractare immemores prorsus prædicatorum transcendentium, quæ illis conueniunt, & consequenter suorum, si quæ habent, connotatorum. Sæpe etiam accidit, vt cognitis aliis rerum prædicatis non transcendentibus, aliqua earumdem transcendentia penitus ignorentur, vt multis argumentis suprà monstrauimus *disp.* 13. *quæst.* 10. vniuersaliter ostendentes prædicata transcendentia, & non transcendentia mutuò inter se esse præscindibilia, & sæpe de facto præscindi. Igitur etsi demus Aduersarios per id constituere prædicatum transcendens, quod nequeant reliquæ eiusdem rei formalitates concipi sine illo, quia nequit non simul cum connotatis illarum cognosci connotatum illius, adhuc in ipsorum sententiâ falsum persistit aliqua esse prædicata præ aliis transcendentia: quia nulla sunt, quæ necessariò concipi debeant, dum concipiuntur reliquæ omnes eiusdem rei formalitates. 409

Meliùs profectò dixissent non præscindentes prædicata metaphysicè transcendentia ea esse, quæ ex omnibus cuiusque rei formalitatibus bene inferuntur: 410

runtur : non transcendentia verò, quæ secus : nam illationes huiusmodi penes extrinseca connotata, relate ad quæ constituunt ipsi rerum formalitates, bene constare possunt, quatenus aliqua connotata illationem habent ex reliquis, non verò è contra. Cæterum, quia sæpe sæpius in obiectis humanarum scientiarum eiusmodi connotata pro distinguendis ipsorum formalitatibus non supperunt, vt fusè demonstrauimus *supra disp. 13. quæst. illâ 9. citatâ*, & eis deficientibus nulla est formalitas, quæ mutuò non inferatur ex reliquis eiusdem rei, iuxta sententiam non præscindentium : quia omnes, secluſis connotatis, vnicus sunt, & indiuisus conceptus ; ideo ne isto quidem modo defendi potest in eorum sententiâ aliqua esse prædicata transcendentia præ aliis. Adde per istud genus transcendentiæ potius dicendum esse vnum connotatum transcendere physicè alia ex quibus infertur, quàm vnam formalitatem transcendere metaphysicè alias, quæ in ordine ad talia connotata constitui dicuntur.

411 Ex quibus omnibus concluditur, semel sublatis præcisionibus obiectiuis, omnem omninò transcendentiam prædicatorum metaphysicam è medio tolli, vt vel inuitus fortasse fassus est Arriaga.

Propositio 13.

412 Etiam suppositâ nostrâ, & communi præcisionum obiectiuarum sententiâ, impossibile est, quod aliquod prædicatum transcendat omnes eiusdem entis formalitates per metaphysicam inclusionem.

In hanc propositionem conueniunt omnes Scotistæ & reliqui qui absolutè negant transcendentiam entis, aliorumque huiusmodi prædicatorum, loquuntur enim de transcendentiâ per metaphysicam inclusionem, vt iam *proposit.* 11. notaui. Probatur autem primò : quia si potentia ad exigendum, e. g. transcenderet per metaphysicam inclusionem omnes formalitates hominis ; rationalitas esset conceptus per rationem nostram compositus ex potentiâ existendi, & ex aliâ quâpiam formalitate, quæ quidem non posset non esse adæquatè condistincta à potentiâ existendi, & eam excludens à se, vtpotè pars cum illâ componens totum : omnis quippè pars cum aliâ componens totum necessariò excludit illam à se, vt est notissimum. Quo fieret, vt potentia existendi in illâ hominis formalitate non includeretur formaliter, & aliàs includeretur, cum supponatur includi in omnibus, quæ est contradictio. Quod si dicatur in illâ etiam includi ; idem argumentum conficiam, donec sistamus in aliquâ, in quâ non includatur : nam hîc progressio infinita locum non habet, cùm nos neutiquam possimus simul concipere infinitas formalitates actu inter se distinctas, quarum aliæ in aliis citra finem actualiter concipiantur inclusæ, vt constat.

413 Dices confusè bene posse concipi à nobis eam infinitam formalitatum inclusarum, & includentium progressionem, vti in continuo in infinitum diuisibile similem partium physicarum progressionem confusè concipimus, etsi concipere nequeamus expresè. Sed primùm caue æquiuocationem : nam strictè, & propriè loquendo aliud est cognitionem esse confusam ; aliud esse obscuram. Cognitio cõfusa est, quâ cognoscũtur plura, non tamen vt plura, sed per modum vnius, quo pacto nos sub vno conceptu vniuersali cognoscimus confusè plura inferiora contenta sub illo, & hæc opponitur cognitioni distinctæ tangenti plura, vt plura, & inter se distincta, Vtraque autem harum cognitionum aut clara, aut obscura esse potest : Nam cognitio obscura est, quæ opponitur claræ, tangítque obiectum suum, sine illud sit vnum, siue multiplex, veluti sub luce malignâ, id est, obscurè : Cùm tamen clara, veluti sub perspicuâ luce illud attingat, id est, clarè. Vnde patet discrimen cognitionis confusæ, & distinctæ ex parte obiecti se habere, cùm tamen cognitio obscura, & clara ex modo solùm tendendi discriminentur. Hinc dico cognitione distinctâ, siue ea clara sit, siue obscura, dumtaxat posse nos concipere simul certum, limitatumque numerum conceptuum obiectiuorum. Nam cùm intellectus noster cuncta cognoscat per phantasmata sensibilia habentia aliquam quantitatem, quæ minor minima sensibili esse non potest, in eisque apprehendendis phantasiam sequatur, certam dumtaxat, limitatamque quantitatem obiecti aut continuam, aut ex continuâ, & discreta coalescentem, & consequenter certam, limitatamque multitudinem conceptuum obiectiuorum potest simul suâ apptehensione complecti ; adeo vt si aliquid amplius velit concipere, tantumdem ex præconceptis relinquere debeat, vt experientiâ constat, & fusius demonstrauimus *suprà disp. 1. q. 2. & 3.* Tantùm abest vt multitudinem infinitam conceptuum obiectiuorum simul possimus concipere cognitione distinctâ, siue ea clara sit, siue obscura. Ex quo patet neque in aliquo ente infinitas formalitates, neque in continuo diuisibili sine fine infinitas partes posse nos simul distinctè, & per modum plurium concipere, sed necessariò eas finitas, imò, & paucas esse debere. Et quoniam formalitates in ente plures non sunt, quàm, quæ à nobis actu concipiuntur distinctæ, quia earum distinctio, & pluralitas à nostrâ dumtaxat nascitur cognitione, ideo licet demus cognosci à nobis in continuo prædicto infinitas partes confusè, dum paucas quasdam dumtaxat distinctè cognoscimus, eo quod talis partium infinitudo, vt ponimus, datur à parte rei, tenditque intellectus ad cognoscendum quidquid ibi est realiter ; dum tamen cognoscimus in quouis ente aliquas formalitates distinctè, nullas alias, nedum infinitas dici possumus cognoscere confusè : nisi fortasse eas, quas prius cognitas distinctè postmodum sub vno conceptu secundario adunamus, vti adunare solemus formalitates generis, & differentiæ sub vno conceptu definiti : quo iure sub conceptu definiti dicuntur complecti confusè, quæ per definitionem attinguntur distinctæ, iuxta doctrinam latiùs traditam *supra disp. 13. q. 9.*

Ex quibus liquet progressionem actu infinitam 414
formalitatum inclusarum, & includentium neque confusè, neque distinctè, neque obscurè, neque clarè posse concipi à nobis, & consequenter illam omnimodis impossibilem esse ; sistendumque necessariò esse subinde in aliquibus formalitatibus, quæ non includant in se formaliter eam, quæ dicitur omnes transcendere, quales sunt vltimæ differentiæ ; atque adeo transcendentiam metaphysicam per inclusionem actualem vsque ad vltimas differentias nequaquam fieri, provt opinati sunt Aduersarij. Adde nec fieri posse per inclusionem fundamentalem, præbentibus scilicet fundamentum ipsis vltimis differentiis, vt nos in eis formalitatem transcendentem concipiamus inclusam partientes videlicet illas in duas formalitates, cùm an-

teà essent penitus indiuisæ: quoniam vltimæ differentiæ dumtaxat possunt fundamentum præbere, vt nos iudicemus de illis formalitatem transcendentem, nequimus autem iudicare supposito modo naturali, quem iudicandi habemus, nisi attribuendo eam ipsis per modum cuiusdam actus ab eisdem adæquatè distincti. Quo fit, vt transcendentia talis formalitatis necessariò per adiectionem metaphysicam fiat, vt *propos.* 11. statutum est.

415 Secundò probatur propositio, supposito quod potentia ad existendum e.g. in rationalitate includatur, vt censent Aduersarij. Aut præter totam potentiam existendi repertam in rationalitate restat aliquid insuper in ipsâ rationalitate formaliter, aut nihil prorsus restat? Si nihil: ergo potentia existendi non magis includitur in rationalitate, quàm in se ipsâ, potentiaque existendi, & rationalitas idem omninò conceptus obiectiuus est synonymè significatus per ista nomina: quo nihil absurdius, neque remotius ab Aduersariorum sententiâ. Si verò præter totam potentiam existendi restat in rationalitate aliquid, id quidem nequit in se includere potentiam existendi: quia aliàs, præter totam potentiam existendi, restaret potentia existendi, quod est implicatorium, vt patet.

416 Tertiò pone hominem per cognitionem præcisiuam cognoscere omnem omninò potentiam existendi imbibitam in rationalitate, & nihil ampliùs, quod in opinione præscindentium obiectiuè, in quâ procedimus, manifestè est possibile. Quo posito, rogo. Aut talis homo ignorat aliquid de rationalitate, aut nihil? Si nihil: ergo rationalitas formaliter amplius non est, quam potentia existendi, quod & absurdum est, vt patet, & omnem inclusionem formalitatis transcendentis è medio tollit, vt etiam pater. Si aliquid; in eo vtique nequit includi aliqua potentia existendi: Fieret enim vt aliqua potentia existendi in rationalitate imbibita ignoraretur, seu non cognosceretur à tali homine: quo tempore cognoscitur omnis, quod est contradictio.

417 Quartò probatur propositio: quia si potentia existendi includitur in rationalitate non potest non distingui ab illâ inadæquatâ distinctione tanquam inclusum ab includente: sed quoties aliquid ab ab alio inadæquatè distinguitur tanquam inclusum ab includente, necesse est vt habeat in illo aliquid, à quo adæquatè distinguatur, & in quo subinde non includatur: igitur si potentia existendi includitur in rationalitate, necesse est, vt sit ibidem aliquid non claudens potentiam existendi. Quo cessat eius transcendentia per inclusionem vsque ad vltimas differentias, provt ab Aduersariis adstruitur. Cætera patent. Minor probatur: quoniam distingui inadæquatè inclusum ab includente nihil est aliud, quàm esse in includente aliquid adæquatè identificatum cum incluso, & aliquid adæquatè ab illo distinctum, vt satis ex se est notum. Pone ergo omnem omninò potentiam existendi in rationalitate inclusam esse A, & residuum ipsius rationalitatis esse B, eritque coniunctum A B inadæquatè distinctum ab A: quia habet ipsum A, quod secum adæquatè est idem, & B, quod est adæquatè distinctum ab A, atque adeo nihil illius habens inclusum in se.

418 Quintò probatur propositio argumentis omnibus, quibus *disp.* 13. *quæst.* 10. monstraui formalitates transcendentes mutuò præscindi obiectiuè per intellectum nostrum ab illis, quas dicuntur transcendere. Quod fieri non posset si transcenderent per inclusionem, sicuti censent Aduersarij, vt est notum. Imò verò, quia præcisio non mutua formalitatum omninò impossibilis est, vt ibi monstraui, inde conuincitur transcendentiam metaphysicam per inclusionem omnino implicatoriam esse: quia ex vnà parte sine ali quâ præcisione formalitatum stare non potest, vt patet. Cùm certum sit non posse includi in alio id, quod illud non componit simul cum alterâ parte à se distinctâ, siue præcisâ: ex aliâ verò parte nulla queat formalitatum præcisio siue mutua, siue non mutua in tali transcendentiâ inueniri. Quo iure P. Vasquez omnem transcendentiam conceptus obiectiui entis (puta per inclusionem) negauit, admittens dumtaxat transcendentiam solius nominis, & cum eo alij, vt videbimus *q. seq.*

Obiici tamen potest, & solet contrà nostram propositionem. Rationalitas, e.g. vt condistincta ab animali non est nihil: ergo est aliquid: ergo est ens formaliter. Resp. esse quidem ens formaliter, non tamen per formam entis in se inclusam; sed sibi adiectam metaphysicè. Concretum enim *ens* ex potentiâ ad existendum tanquam ex formâ, & ex subiecto talis potentiæ coalescit, quod in proposito est rationalitas. Quod concretum subinde adiectiuè vsurpatum in sensu formali verificatur de rationalitate, vt vniuersè omne concretum adiectiuum, seu metaphysicum, seu physicum in sensu formali verificatur de subiecto, cui conuenit, iuxta doctrinam vniuersalem datam *disp.* 2. *q.* 4. 419

Sed replicabis. Rationalitas vt condistincta formaliter à potentiâ existendi sibi adiecta non est nihil: ergo est aliquid: ergo est ens, non adiectiuè, sed substantiuè, & intrinsecè: ergo per rationem entis intrinsecè in se inclusam. Respondeo rationalitatem, substantiuè loquendo, dumtaxat esse potentiam ratiocinandi, quæ formaliter conceptus quidam obiectiuus est simplex, de quo (sicut & de aliis huiusmodi) nihil potest prædicari in sensu formali essentialiter præter ipsum de ipsomet, vt si dicas *rationalitas est rationalitas*, aut quid æquiualens; quidquid enim aliud prædicaueris, accidentaliter prædicetur de illo, atque adeo adiectiuè necesse est, iuxta doctrinam vniuersalem etiam datam *disp.* 2. *q.* 4. *& sæpe alibi.* Itaque esti sit verum absolutè loquendo rationalitatem sub quâvis præcisione acceptam ex parte subiecti, esse formaliter ens, verum, bonum, distinctum à reliquis, &c, sumptis (vt absolutè iuxta nostrum communem modum concipiendi sumuntur) his prædicatis accidentaliter, siue adiectiuè metaphysicè: loquendo tamen substantiuè, solùm erit verum in sensu formali rationalitatem esse rationalitatem, esse essentiam, esse aliquid, esse ens fundamentale, &c. sumptis nominibus *essentia, aliquid, ens fundamentale, &c.* vti sumi solent æquiuocè pro quouis conceptu obiectiuo non ficto, & consequenter impræsentiarum synonymè cum his nominibus *rationalitas, & potentia ratiocinandi.* Vide ad rem plura *loco citato.* 420

Constat itaque ex dictis in totâ hâc quæstione quot modis dentur tum in Deo, tum in creatis prædicabilia, seu prædicata transcendentia. Quo pacto illa à non transcendentibus sint discernenda, & quot sint transcendentiæ genera possibilia. 421

QVÆST

QVÆSTIO XXI.

Vtrum entis, aliorúmque prædicabilium transcendentium conceptus aliquis obiectiuè vnus, atque communis multis detur?

422 NEgant Caietanus *opusc. de ente & essen. cap. 1. quæst. 2. & tractat. de nomin. analog. cap. 5. & 6.* Pereir. *lib. 2. Physicæ, cap. 2.* Fonsec. *lib. 4. Metaph. cap. 2. q. 2.* Vasq. *1. part. disp. 22. cap. 5. & disp. 114. cap. 2. & disputat. 121. cap. 2.* Capreol. Ferrar. Deza Hispal. Soncin Fland. quos refert, & sequitur Rub. *in Log. tractat. de Analog. num. 38. & sequentibus.* Itaque isti Doctores nomen dumtaxat entis, aliorumque huiusmodi prædicatorum censent esse vnum, & multis commune, non item conceptum obiectiuum per nomen ipsum significatum. Oppositam tamen sententiam tenent Scot. *in 1. dist. 3. q. 1. & 3. & dist. 8. q. 1. & in 2. dist. 3. q. 2.* & cum eo omnes Scotistæ, Iauel. Sot. & alij, quos refert, & sequitur Soar. *disp. 2. Metaph. sect. 2.* Petr. Hurtad. *disputat. 9. Log. sect. 4. & disputat. 2. Metaph. sect. 3.* Arriag. *disputat. 11. Logicæ. sect. 1.* Ouied. *controu. 1. Metaphysicæ, punct. 5.* & alij Recentiores communiter. Ego imprimis agam de ente, de quo specialiter plerique, dicturus postmodum nonnihil de cæteris prædicabilibus transcendentibus.

423 Supponendum tamen est primò solùm esse modo sermonem de nomine *ens* provt significat ens reale; nam provt ad ens rationis significandum etiam extenditur, dicemus posteà.

424 Secundo supponendum est *ens* duobus imprimis modis, & valde æquiuocè, vt dicemus infra, vsurpari: primò pro existente; secundò pro essente quidpiam, vt ita loquar. Est enim participium verbi *esse*, quod modò actum existendi, modò actum essendi quidpiam, siue identitatem significat etiam æquiuocè. Petrum enim esse in rerum naturâ est Petrum existere: Petrum verò esse rationalem est Petrum identificari cum rationali. Quocirca verbum *esse*, provt significat actum essendi, qui est identitas, dicitur verbum substantiuum, adiectiuum autem sicut & cætera verba, provt significat actum essendi, qui est existentia, eo quod identitas pertinet ad substantiam, siue ad essentiam rei: cæteri autem actus significati per alia verba non item, vt pluribus *suprà disput. 9. quæst. 1. & 2.* explicuimus. Et quoniam omnem actum secundum non potest non comitari actus primus, qui est potentia ad actum secundum, factum est vt *ens* non solùm pro existente, sed etiam pro potente existere vsurpetur, nec solùm pro essente quidpiã, sed etiam pro potente esse quidpiam.

425 Tertiò supponendum est *ens* pro essente quidpiam bifariam rursus posse vsurpari. Primò pro essente quidpiam essentiale, qualis est homo, provt subest actui essendi, quo dicitur *homo est rationalis.* Secundò pro essente quidpiam accidentale, qualis est homo, provt subest actui essendi, quo dicitur *homo est albus.* Ex quibus primum ens per se, secundum verò ens per accidens appellatur ab Aristotele *locis infrà citandis.* De quo etiam plura sunt dicta *loco citato.* His positis sit

Propositio 1.

426 Nomen *ens* sumptum tam pro existente, quàm pro potente existere conceptum obiectiuum significat obiectiuè vnum, & omnibus entibus commune.

Probatur primò ab experientiâ. Audito enim nomine *ens* in significatione propositâ haud dubiè experimur conceptum vnum per ipsum significatum, non plures nostræ menti obuersari. Ergo.

Secundò certum est nomen *ens* sumptum 427
in sensu dicto vniuersale esse, siquidem de pluribus dici potest: Igitur significat plura: sed non significat plura concepta vt plura, igitur significat plura concepta vt vnum: non enim datur medium, quod est significare vnum conceptum obiectiuum communem pluribus. Quòd autem non significat plura concepta vt plura probatur: quia quoties nomen vniuersale significat plura vt plura, & inter se diuersa, vti euenit in æquiuocis, eo audito, non statim in eius significato quiescimus, donec sciamus, quo sensu vsurpatur, siue pro quo suorum significatorum accipitur. At audito nomine *ens* in communissimâ significatione, de quâ tractamus, statim in eius significato quiescimus, vt constat: Igitur nomen *ens* sic sumptum non habet plura immediata significata, sed vnum, quod est significare illud plura, de quibus dicitur, non quatenus concepta vt plura, sed quatenus concepta vt vnum.

Tertiò conceptui obiectiuo significato per no- 428
men *ens* in significatione prædictâ vnicus dumtaxat correspondet in mente nostrâ conceptus formalis, siue vnica cognitio: ergo conceptus ipse obiectiuus vnum quid obiectiuè est. Consequentia est bona. Nam vt ex doctrinâ sancti Thomæ ostendi. *suprà disp. 2. q. 3. conc. 2* per vnicam cognitionem non possunt à nobis pro hoc statu cognosci plura vt plura, sed quidquid per vnicam cognitionem à nobis concipitur, nobis appareat vnum necesse est. Antecedens autem imprimis traditur, & latè probatur ab Auctoribus nostræ sententiæ, provt apud Soar. & apud Petrum Hurtadum videre est. Deinde breuiter probari potest primò ab experientiâ. Non enim plures cognitiones, sed vnam haud dubiè experimur, cùm audito nomine *ens* eius significatum modo dicto concipimus. Secundò, quia vni voci in singulari, qualis est *ens*, vna cognitio respondet in mente nostrâ, quando ea ad suum obiectum significandum in actu secundo vsurpatur, vti vsurpatur nomen *ens* in significatione præfatâ. Ob id enim quando vox est æquiuoca, atque adeo plura diuersa significans veluti in actu primo, conceptum determinatum de eius obiecto non formamus, quoysque scimus pro quo in actu secundo significando ea vsurpatur. Et sanè si vni voci, provt iam iam significanti in actu secundo, plures conceptus tum formales, tum obiectiui in mente nostrâ corresponderent: quid opus esset ad significandos plures pluralitate vocum, quas ad id muneris adhibemus? Nec obstat sæpè nos ex vnâ voce audita ad plura cognoscenda per plures cognitiones moueri. Inde enim id nascitur, quod vnum vnicè per talem vocem significatum cætera fert aliquo modo secum annexa.

Quintò, & potissimè probatur propositio à 429
priori; quia ratio entis per nomen *ens* sumptum, vt diximus, significata manifestè à nobis præscinditur ab specialibus rationibus rerum, de quibus *ens* dicitur; Siquidem passim concipimus aliquid sub ratione entis, imò iudicamus, & scimus illud ens esse, ignorantes penitus, an illud sit substantia, vel accidens, vel aliud quippiam specialius. Imò huiusmodi præcisionem entis, sicut & alio

aliorum transcendentium, esse obiectiuam multis monstratum est à nobis *supra disp.* 13. *quæstione* 10. Igitur nihil est, quod vetet rationem entis concipi à nobis vt vnam, & communem multis. Patet consequentia: quia vbi non est, quod impediat præcisionem alicuius rationis ab aliis, quas habent insuper res inter se diuersæ, vnde ea sumitur: nihil consequenter est, quod impediat talem rationem ab omni diuersitate exutam, adeò euadere similem, vt in vnicum conceptum obiectiuum omnibus iis rebus communem coire queat, vt ex doctrinâ generali de fundamento adunationis vniuersalium traditâ *suprà quæst.* 8. liquidum est. Ob id enim animalis conceptus est vnus, & communis homini, & bruto; quia ratio animalis per præcisionem à rationali in homine, & ab irrationali in bruto exuta ab omni diuersitate, quam homo, & brutum re ipsâ habent, adeo in vtroque euadit similis, vt in vnicum conceptum obiectiuum coire possit de factoque connaturalissimè coeat. Similiter ergo ratio entis hoc ipso, quod in substantiâ, & accidente, in aliisque omnibus rebus specialioribus, quantumuis inter se diuersis, ab aliis earum rationibus præscindi potest, ab omni earum diuersitate exuta ita potest in omnibus similis euadere, atque de facto euadit, vt in vnicum conceptum obiectiuum possit coire, atque de facto connaturalissimè coeat.

430 Et confirmari potest primò. Quoniam vel nomen *ens* sumitur pro existente actualiter, vel sumitur pro potente existere? Si priori modo sumatur, concretum est ex actu existendi, & ex subiecto eius. Si posteriori, Concretum pariter ex subiecto & ex potentiâ existendi. Quis autem dubitet actum existendi tum in abstracto, tum in concreto concipi à nobis in omnibus existentibus similem, atque adeo etiam vt vnum quid omnibus iisdem commune? Quandoquidem de eo, vt de tali loquimur, quoties eius occurrit sermo vnica scilicet definitione definientes, in plura membra diuidentes tanquam de vno quodam conceptu multis communi ratiocinantes, &c. si autem tum existentia, tum existens vt quid in omnibus existentibus simile, atque adeo etiam vt vnum eis omnibus commune concipitur, consequens est vt tum potentia existendi, tum potens existere pariter concipiatur. Siquidem potentiæ ad actus similes necunde à nobis dissimiles concipi possunt cum fundamento in rebus, sed semper concipiuntur similes, vt ex dictis à nobis *supra disputatione* 16. constat.

431 Confirmatur secundò. Ideo conceptus substantiæ est vnus, & omnibus substantiis communis quantumuis inter se diuersis, quia in ratione essendi per se vt præcisa ab aliis omnes substantiæ similes, proindeque adunabiles sunt: sed omnia itidem entia in ratione essendi in rerum naturâ, siue existendi, & consequenter etiam in ratione potentis existere vt præcisa ab aliis similia sunt, atque subinde adunabilia, ergo & conceptus entis vnus est, omnibusque entibus communis, quantumuis inter se diuersis, siue nomen *ens* pro potente existere, siue pro existente vsurpetur. Quod enim ratio entis etsi transcendens æquè ac ratio substantiæ à cæteris rationibus sit præscindibilis, atque adeo de facto præscindatur, vt in vnicum conceptum cunctis communem possit coire, plane probatum supponimus ex *disputat. illâ* 13. *quæstione* 10. *citatâ*, nec minùs planè constat insuper ex dictis *quæst. præced.* de transcendentiâ entis.

Verùm contra propositionem nostram opponunt 432
Aduersarij primò sequi ex illâ nomen *ens* prout in propositione accipitur non analogum, sed vniuocum esse comparatione omnium realium. Respondemus id non esse inconueniens, vt constabit *q. sequente.*

Secundò opponunt. Ratio entis transcendit per 433
inclusionem omnes omnium rerum formalitates vsque ad vltimas differentias: ergo non potest ab illis abstrahi, vt in vnicum conceptum obiectiuum cunctis communem coire possit. Hoc potissimùm argumento conuictus est Vazq. cum aliis sed sequendam sententiam nostræ propositioni oppositam. Et quidem semel supposità transcendentiâ entis per metaphysicam inclusionem vsque ad vltimas differentias, qualem supponebant Vazq. & alij, mihi efficax est; quia cum tali transcendentiâ non stat abstractio, siue præcisio mutua entis à differentiis, cùm pars à toto mutuò non possit abstrahi, vt constat; neque non mutua; quia ea repugnat, vt ostendi *dictâ disputatione* 13. *quæstione* 10. ex dictisque etiam *quæstione præced. proposit.* 13. liquet: Absque omni autem abstractione à differentiis nequit ratio entis exui à diuersitate, quam habet in singulis rebus, provt est necessarium, vt in vnicum conceptum cunctis communem coire possit; vt constat ex generali doctrinâ traditâ *suprà quæstione* 8. Vnde apparet eos Auctores nostræ sententiæ, qui eamdem transcendentiam entis per metaphysicam inclusionem supponunt, malè ab argumento hoc expediri. A quo tamen ego facillimè me expedio, negatâ tali transcendentiâ: censeo enim eam esse impossibilem, vti *q. præced. propos.* 12. & 13. probaui.

Tertiò opponunt aliqui Recentiores. Si daretur 434
ratio vna obiectiua entis ab omnibus entibus abstracta, daretur in creaturâ formalitas; quæ sumpta præcisè non penderet à Deo, atque etiam in Deo daretur formalitas, quæ sumpta præcisè non esset à se? talis enim esset ea ratio entis communis Deo, & creaturæ præcisè sumpta: at vtrumque est absurdum: ergo sententia, ex quâ sequitur, tenenda non est. Sed verò forma ista arguendi pariter contra omnes venit probandum non dari conceptum substantiæ communem spirituali, & corporeæ: quia daretur in Angelo aliqua formalitas, quæ sumpta præcisè non esset spiritualis, & in lapide aliqua, quæ sumpta præcisè non esset corporea, quod similem præ se fert absurditatem. Eodemque iure non dari genus relationis, neque præsentiæ, neque qualitatis, &c. commune spirituali, & corporeæ. Similiter non dari conceptum communem aut intellectus, aut voluntatis, aut scientiæ, aut amoris, aut productionis, aut generationis, aut personæ, aut bonitatis, aut veritatis, aut demum plurium prædicatorum, quæ vel citra omne dubium, vel iuxta communiorem sententiam Deo, & creaturis communia sunt. Ex quibus patet argumentum propositum contra propositionem nostram nullius roboris esse.

Respondeo igitur ad illud. Rationem entis con- 435
sideratam in statu abstractionis, siue adunationis, in quo est indifferens vt contrahatur ad Deum, & ad creaturam formaliter, seu per rationem nostram, seu in mente nostrâ obiectiuè neque habere prædicatum essendi à se, nec prædicatum essendi ab alio, quia vt sic est præcisa ab vtroque, in quo nihil absurdi cernitur, cùm tota hæc præcisio opus nostri intellectus sit; realiter enim illa ratio nihil est aliud, quam entitas Dei, & entitas creaturæ, quarum

quarum prima re ipsâ à se, secunda verò ab alio est. Semel tamen contracta dicta ratio, seu formalitas entis ad creaturam per coniunctionem cum aliquâ aliâ formalitate creatâ, & ad Deum per coniunctionem cum aliquâ aliâ formalitate diuinâ, in Deo quidem acquirit sibi prædicatum essendi à se vtpote transcendens omnem formalitatem diuinam: in creaturâ verò prædicatum essendi ab alio, vtpote transcendens itidem omnem formalitatem creatam, idque non per inclusionem, sed per adiectionem metaphysicam, qualiter solùm possunt huiusmodi prædicata, iuxta sententiam nostram transcendere. Pariterque philosophandum est de cæteris prædicatis, siue formalitatibus Deo, & creaturæ communibus, & proportione eâdem de reliquis indicatis, & aliis similibus.

436 Quartò solent nobis opponi quædam Aristotelis loca, vbi docere videtur substantiam simpliciter, & absolutè esse ens; accidens verò tantùm cum addito diminuenti, nimirum entis ens: quo indicatur substantiam, & accidens non in aliquo conceptu per nomen *ens* significato, sed solùm in ipso nomine conuenire. Verùm, quo sensu iis in locis loquatur Philosophus vidimus propositione 2.

Propositio 2.

437 Nomen *ens* immediatè sumptum pro essente quidpiam essentiale, vt ita loquar, & pro essente quidpiam accidentale, qualiter sæpè sumi solet, non significat vnum conceptum vtrique communem. Nihil tamen vetat sumi illud pro essente quidpiam cum præcisione ab iis duobus, quo pacto vnicum conceptum vtrique communem significabit. Tantumdémque venit dicendum de nomine *ens* sumpto pro potente esse quidpiam,

Prima pars propositionis inde probatur: quia actus essendi quidpiam essentiale, & actus essendi quidpiam accidentale, conceptus sunt inter se manifestè dissimiles saltem ex parte termini, atque ita nullatenus adunabiles sub vno conceptu communi, iuxta generalem doctrinam suprà statutam *q.* 8. Ergo concreta ex talibus actibus composita nequeùt non esse etiam conceptus inter se dissimiles. Et consequenter nomen *ens* provt immediatè significans talia concreta non potest non duos diuersos conceptus, non verò vnicum eis communem significare, vt ex doctrinâ etiam *ibidem* traditâ satis superque liquidum est.

438 Quod autem nomen *ens* sumi sæpè soleat in significatione prædictâ inde constat: quia Arist. *libro 5. Metaph. capite 7. & libro 7. capite 1.* diuidens ens in ens per se, & ens per accidens. ens per accidens appellat id, quod per actum essendi sibi identificat concretum aliquod accidentale, vt cùm dicimus *homo est musicus*. Ens autem per se, quod rei quiditatem præ se fert, vtpote identificans sibi per actum essendi suam essentiam, vt cùm dicimus: *homo est animal rationale*, subditque ens per se primariò & simpliciter dici ens: ens verò per accidens secundariò tantùm, & cum addito, vt ens quantum, ens quale, &c. Quo satis indicat has duas differentias entis immediatè citra vllum conceptum communem per nomen *ens* significari. Quo etiam sensu loquitur *ibi* S. Th. & sæpe *alibi*; aliique multi cum Arist. eodem sensu nomen *ens* vsurpare videntur.

439 Sed dices. Actus essendi, qui est identitas, non minùs apparet semper nobis similis, quàm actus essendi, qui est existentia: igitur non minùs ille, quàm hic, tum in abstracto, tum in concreto à nobis erit semper sub vno conceptu adunabilis, quo doctrina tradita ruit. Distinguo antecedens: actus essendi, qui est identitas non minùs apparet nobis semper similis, quàm actus essendi, qui est existentia, quoad intrinsecum suum conceptum concedo; quoad terminum extrinsecum nego, & nego consequentiam. Sat enim est, vt actus intrinsecè similes non sint adunabiles, quòd termini eorum sint dissimiles, vt *q. illâ* 8. *citatâ* probatum est. Et actus quidem essendi, qui est identitas, dissimiles terminos habet, quando identificat subiecto essentiam, & quando identificat eidem concretum quoduis accidentale, vt satis ex se est notum; cùm tamen actus essendi, qui est existentia semper concipiatur respectiuè ad eumdem terminum, nempe ad naturam rerum, in quâ vnumquodque existere dicitur, ad tempùs ve, vel aliud quidpiam, in quo concipiuntur existere quæcumque existunt.

Hinc facilè se dat probatio secundæ partis pro- 440
positionis: nam nihil est, quod vetet terminos actuum essendi, qui sunt identitates, sub aliquo conceptu ipsis communi concipi à nobis exactè similes; atque adeo adunabiles, quo casu etiam isti actus adunabiles erunt sub vno conceptu communi per nomen *ens* significabili, vt ex dictis etiam in *eâ q.* præsertim *conf.* 3. liquidum est.

Vnde etiam patet tertia propositionis pars. De potentiis enim ad actus essendi prædictos eodem modo venit dicendum sub vno conceptu esse adunabiles, sicque vt vnum quid per nomen *ens* significabiles, quando actus, qui eorum sunt termini, adunabiles fuerint, ex parte namque conceptuum intrinsecorum earum nihil est dissimilitudinis tali adunationi repugnans, vt constat ex iis, quæ dicebamus *num.* 430. *sub finem.* Quando autem actus dictarum potentiarum ob terminorum suorum dissimilitudinem sub vnum conceptum vniuersalem non possunt cadere, vti euenit in casu primæ partis propositionis, neque ipsæ potentiæ sub vnum conceptum vniuersalem per nomen *ens* significabilem cadere poterunt: quia vt actus seu primi, seu secundi sub vnum conceptum vniuersalem cadant, & eorum termini, quales respectu potentiarum sunt actus secundi, sub vnum conceptum vniuersalem cadere debent, vt ex generali doctrinâ traditâ *loco citato* iam dictum est:

Propositio 3.

Nomen *ens* immediatè sumptum pro essentibus 441
speciales essentiæ, vt sic loquar, aut pro essentibus specialia concreta accidentalia, qualia sunt ens homo, ens Angelus, ens Deus, ens quantum, ens quale, ens album, &c. iis omnibus conceptum vnum entis communem significare nequit.

Constat ex dictis: quia licet actus essendi substantiuus, nimirum identitas, quæ eiusmodi concretorum entis est forma, exactè similis in omnibus concipiatur, terminus tamen eius, qui est essentia, vel concretum accidentale, quæ subiecto identificat in singulis sunt dissimilia. Quod satis iuxta dicta est, vt ea omnia sub vnum conceptum entis communem cadere nequeant,

Vnde colliges primò. *Ens* sumptum immediatè 442
pro essente quid increatum, & pro essente quid creatum conceptum vnum, & communem vtrique significare non posse: quia ens increatum, & ens creatum

ex

ex parte termini actus essendi substantiui valde sunt dissimilia. Quo sensu censendi sunt accipere *ens* quotquot docent Deo, & creaturis rationem entis communem dari non posse.

443 Secundò colliges. *Ens* sumptum immediatè pro essente quidpiam essentiale partiale, & pro essente quidpiam essentiale totale vnum conceptum vtique communem significare non posse: quia essentia partialis, & essentia totalis, quæ termini sunt actus essendi, dissimiles sunt inter se. Idémque euenit, si sumatur *ens* immediatè pro singulis essentiis partialibus, siue partibus essentiæ in speciali, quarum vna est genus, alia differentia, alia prædicabile mixtum, alia anonymum, iuxta dicta *q.* 7. Similiterque de similibus casibus ratiocinandum est.

Propositio 4.

444 Quodlibet aliorum prædicatorum transcendentium, quæ recensuimus *quæst.* 20. conceptus quidam est obiectiuè vnus, atque communis omnibus rebus, earumque partibus seu physicis, seu metaphysicis, quas transcendere dicitur.

Quoniam ibi non de transcendentiâ nominum, sed de transcendentiâ prædicabilium obiectiuorum significatorum per nomina egimus. Impossibile autem est vt aliquod prædicabile obiectiuum transcendens sit aliquo ex modis recensitis in ea quæstione, nisi sit vnum, & commune iis omnibus, quæ transcendere dicitur, siquidem aliquod prædicatum transcendere plura subiecta aliud non est, quàm idem reperiri in singulis, siue singulis conuenire eâ ratione, quâ vnus, & idem conceptus vniuersalis, siue communis iis omnibus, quibus est communis, conuenire, siue in eis reperiri dicitur, iuxta doctrinam supra statutam *quæst.* 6. Et quidem sicut ad transcendentiam nominis vnitas nominis requiritur, vt est notissimum, ita ad transcendentiam prædicati obiectiui significati per nomen, vnitas ipsius prædicati requiratur necesse est. Quoties igitur aliquod prædicatum obiectiuum aliquo genere transcendentiæ transcendens adstruitur, non potest non illud pariter vnum & commune pluribus adstrui. Quodlibet ergo prædicatum obiectiuum transcendens ex recensitis dictâ *q.* 20. hoc ipso, quod aliquomodo transcendens sit, iuxta *ibi* dicta, non potest non esse obiectiuè vnum, atque commune omnibus rebus, & earum partibus, quas transcendere dicitur, vt propositio nostra fert.

445 Restabat modò quædam consectaria ex dictis in *hâc quæstione* colligere, ea tamen magis commodè colligentur post resolutionem sequentis.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum ens, & alia transcendentia vniuoca sint, aut analoga comparatione eorum, quæ dicuntur transcendere?

446 Esse analoga, & non vniuoca censent, quotquot illis negant conceptum obiectiuum communem, quos *quæst. præced.* citauimus. Ex aliis verò, qui talem conceptum concedunt, pariter censent esse analoga, & non vniuoca. Soar. *disp.* 28. *Metaphysicæ, sect.* 3. loquens de ente provt communi Deo, & creaturis, & *disp.* 32. *sect.* 2. loquens de ente provt communi substantiæ, & accidenti. Estque sententia communis inter Thomistas, quam etiam tenent Petrus Hurtadus *disp.* 9. *Logicæ, sect.* 3. & alij. Cæterum ens, & cætera huiusmodi prædicata vniuoca esse comparatione eorum omnium, quibus conueniunt, sententia est etiam satis communis inter Nominales, & Scotistas. Eam tenent Ocham *in* 1. *dist.* 2. *q.* 4. Gabriel. *ibidem.* Gregor. *q.* 8. Scotus *in* 1. *dist.* 3. *q.* 2. & 3. & *in* 3. *dist.* 8. *q.* 2. Lichet. & Tartaretus *ibidem.* Anton. Andræ. 4. *Metaphysicæ, q.* 1. Trombet. *q.* 2. Rada *controu.* 21. Phil. Faber *Theorem.* 95. Merine. *in Logica, cap.* 1. *categ. disput.* 2. *quæst.* 3. & alij tum Nominales, tum Scotistæ. Quibus accedunt Arriag. *disp.* 11. *Logicæ, sect.* 2. & *sequentibus.* Ouied. *contr.* 1. *Metaphysicæ, punct.* 8. & alij multi Recentiores. Agunt autem omnes isti Auctores de ente provt communi omnibus entibus realibus. Tantumdémque proinde censendi sunt velle de cæteris huiusmodi prædicatis.

Pro resolutione huius quæstionis duas neces- 447
se est præmittere hypotheses ad explicandum quænam æquiuoca, quænam vniuoca, & quænam analoga dicantur.

Hypothesis 1.

Æquiuoca dicuntur ea quorum nomen solùm com- 448
mune est; ratio verò substantiæ nomini accommoda-ta diuersa. Vniuoca ea dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata eadem est. Denominatiua ea dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu.

Verba sunt Aristoteli *in lib. Prædicam.* 1. *part.* quam de Anteprædicamentis vocant *cap.* 1. Circa quæ notandum est primò ex Ammonio, Simplicio, Boetio, & aliis, quadrifariam posse se habere aliqua duo penes nomen, & rationem obiectiuam per nomen significatam: aut enim ea conueniunt nomine, & ratione, & dicuntur synonyma, seu vniuoca; aut vtroque differunt, & dicuntur etheronyma, seu diuersiuoca; aut nomine conueniunt, & ratione discrepant, & appellantur homonyma, seu æquiuoca; aut denique ratio vtriusque est eadem, nomina autem plura, vocanturque Polyonyma, seu multiuoca, quamuis hæc (vt notat Simplicius, & vsus communis ostendit) synonyma appellari soleant. Ex quibus primum tantùm, & tertium genus definit Arist. *hoc loco.*

Secundò notandum est æquiuoca, vniuoca, & de- 449
nominatiua tam dici de nominibus significantibus, quàm de rebus, siue obiectis significatis, distinctionis tamen gratiâ, nomina dici solent æquiuoca æquiuocantia, vniuoca vniuocantia, & denominatiua denominantia. Res verò, siue obiecta per talia nomina significata; æquiuoca æquiuocata, vniuoca vniuocata, & denominatiua denominata. Pariterque loquendum venit de analogis; quæ pariter etiam dicuntur tum de nominibus, tum de rebus per nomina significatis. Aristoteles autem in præsenti æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata definit, vt ex ipsis verbis patet; denominatiuaque itidem denominata definire censendus est. quidquid nonnulli contradicant tum quia aliàs inconsequenter procederet. Tum quia obiecta denominata sunt haud dubiè, de quibus dicit sumere appellationem nominis ab aliquo, à quo, quod ad nomen ipsum attinet, solo casu differunt.

Tertiò

450 Tertiò notandum est non solùm nomen strictè sumptum, sed verbum item, & participium, & alia vocabula posse esse æquiuoca, aut vniuoca, aut etiam analoga. Quocirca in definitionibus datis *nomen* latè sumitur pro vocabulo. Tametsi denominatiua solùm possint esse nomina, aut participia: quia eorum obiectum est concretum ex subiecto, & formâ, à quâ sumit denominationem, quod per solum nomen, aut participium significabile est.

451 Quartò notandum est vocabula significare res non prout in se sunt, sed prout à nobis concipiuntur, siue prout sunt in mente nostrâ obiectiuè: assumimus enim illa ad notificandum aliis, quod à nobis conceptum est. Vnde fit tot nos vocabulis vti solere ad eamdem rem significandam, quot de eâ formamus conceptus obiectiuè diuersos; & vice versâ, plures res per vnum vocabulum solere à nobis significari, quando illæ omnes in mentem nostram sub vnum cadunt conceptum obiectiuum. Tametsi etiam soleat contingere, vt & plures conceptus obiectiuè diuersi, siue eiusdem rei siue plurium per vnum à nobis vocabulum soleant significari, & per vocabula etiam plura vnus, & idem obiectiuus conceptus. Qui iidem quatuor casus sunt, quos ex Ammonio, Boetio, & aliis *notat.* 1. retulimus.

452 Igitur æquiuoca dicuntur ea iuxta Arist. quæ cùm in mente nostrâ obiectiuè diuersa sint, seu dissimilia, per vnum nihilominus vocabulum significanda veniunt quoad ipsos conceptus obiectiuos dissimiles, quos in mente nostrâ fortiuntur. Id enim ipsum est eorum solum nomen, id est, vocabulum esse commune, & rationem substantiæ nomini accommodatam, id est, rationem obiectiuæ essentiæ, siue essentiam obiectiuam, ad quam significandam nomen assumitur, esse diuersam. Vniuoca autem dicuntur iuxta eumdem Philosophum, quæ & adunantur in mente nostrâ sub vno conceptu communi, & per vnum vocabulum quoad talem conceptum significanda veniunt. Hoc enim est eorum nomen, id est, vocabulum esse commune, & rationem substantiæ nemini accommodatam, id est, essentiam obiectiuam significatam per tale nomen esse eamdem.

453 Ex quo patet primò vocabulum æquiuocum respondens obiectis æquiuocis definitis ab Arist. aliud esse, quod ita plures diuersos conceptus obiectiuos significat quasi in actu primo, vt modò pro vno, modò pro alio significando in actu secundo vsurpatur; quale est nomen *Gallus*, quod modò ad auem significandam, modò ad significandum hominem natione Francum vsurpatur, & alia huiusmodi. Ad æquiuocationem enim vocabuli non satis est significare plura quâtumuis diuersa, si ita in actu primo omnia illa significet, vt & in actu secundo pro omnibus illis significandis simul sumatur. Vt sic enim significat illa per modum vnius, atque adeo vniuocè, cuiusmodi sunt nomina ista *binarium, quaternarium, multitudo, numerus*, & similia.

454 Secundò patet vocabulum vniuocum respondens obiectis vniuocis ab Arist. definitis illud esse, quod ita significat vnum conceptum obiectiuum multis communem, vt ad ipsum significandum sumatur, semper, siue ille consideretur in statu abstractionis adunatus, quo pactomultis communis est, siue in statu contractionis distributus iam, & contractus ad ipsa multa, semper tamen in illis, aut idem logicè, aut purè, & exactè similis iuxta doctrinâ de conceptu vniuersali traditâ *supr. q.* 4 & 6. Tale est nomen *animal*, quod & de animali in cõmuni, & de animali reperto in homine, & de animali reperto in leone, de cæterisque animalibus, quà talibus vniuocè dicitur. Cæterùm præter vocabula vniuoca multis communia, quæcumque vocabula significant vnicum conceptum obiectiuum quantumuis singulare, & non communem pluribus, vniuoca dicenda sunt, hoc ipso, quod vnum conceptum obiectiuum significant, & non plures diuersos, quod enim talis conceptus in vnicâ re dumtaxat reperiatur, aut pluribus communis sit, ad rationem vocabuli vniuoci nihil interesse videtur.

455 Iam verò denominatiua dicuntur ab Arist. concreta adiectiua, quorum nomina suam originem, suamve ethymologiam trahunt à nominibus formarum eorumdem concretorum ab illisque solo casu, siue cadentiâ, hoc est, quoad vltimas syllabas differunt, quæ formæ propterea formæ denominantes vocari solent. Sic concretum, atque etiam nomen adiectiuum *Grammaticus* denominatiuum est à *Grammaticâ*, *album* ab *albedine* paritérque similia. Hinc tamen iam vniuersaliter vsu introductum est, vt subiectum cuiusuis omnino concreti adiectiui à formâ ipsius concreti denominari dicatur, atque adeo etiam à fundamentis, quæcumque illa sint, vnde nostro modo concipiendi desumitur, siue concipitur talis forma, siue per modum actus significabilis per verbum, siue aliter concipiatur, ipsaque seu forma, seu fundamenta formæ denominare dicuntur ipsum subiectum; quin imò omne prædicatum accidentale adiiciens aliquid subiecto iuxta diuisionem factam prædicatorum accidentalium, & essentialiũ *supr. q.* 7. denominatio dicitur conueniens, aut attributa subiecto, siue illud per modũ concreti adiectiui verbo substantiuo *esse* interposito de tali subiecto prædicetur, siue per modum actus significati per quoduis aliud verbum. Et hęc quidẽ, quantumuis sint inter se diuersa nomina obiecti prout denominati, ipsiusve denominationis, & formæ, aut fundamentorum denominantium. Vnde rursus efficitur vt denominatio eadem subeat diuisiones, quas prædicatum accidentale subij, iuxta dicta loco citato. Quocirca alia dicitur denominatio extrinseca, alia semiextrinseca, alia intrinseca, alia physica, alia metaphysica, &c. Sic à contractu matrimonij præterito dicitur denominari vir *maritus*, & fœmina *vxor*, ipsique conceptus mariti, & vxoris dicũtur denominationes conueniẽtes prima viro, secunda fœminæ. Sic ab actu odij Dei cõcepto ab homine cum libertate dicitur denominari homo ipse *peccator*, siue *peccans*, siue *peccare*, aut *peccauisse*: ipsique conceptus, seu prædicata significata per hæc nomina *peccator, peccans, peccat*, aut *peccauit*, dicuntur denominationes tali homini conuenientes; & in cæteris pariter.

456 Disputant autem hîc non pauci, vtrum denominatiua, quæ Arist. definiuit, æquiuoca sint, aut vniuoca, aut medium quid inter illa extrema: & nonnulli quidem esse ea vniuoca asseuerant. Pleriq; verò, è quibus sunt Tolet. Conimb. & Rub. cum aliis *ad cap. citatum Arist.* cẽsent ea neque esse vniuoca, neque æquiuoca, sed quasi medium inter illa: quia alioquin, inquiunt, non adiunxisset ea Arist. vniuocis, & æquiuocis in eodem capite vt membrum diuersum ab illis. Ego cẽseo denominatiuorum alia quidem vniuoca, & alia æquiuoca dari posse, atque de facto etiam dari. Quo iure Arist. ea vniuocis, & equiuocis iunxit. Quę enim pertinent ad classem prædicabilium accidentalium, cum iure inter vniuersalia recenseantur tanquam propriæ species vniuersalis in communi, abs iure à classe

vniuocorum remouentur, cum omne vniuersale eo ipso secundum omnes sit vniuocum. Præterquam quod aptissimè conuenit illis definitio vniuocorum tradita ab Arist. Æquiuoca autem ea omnia denominatiua erunt, quæ nominis sui appellationem habuerint ab aliquo vocabulo æquiuoco: qualia sunt *iustus* à *iustitiâ*, *iniustus* ab *iniustitiâ*, & similia. *Iustitia* enim æquiuocè sumitur modò pro virtute speciali iustitiæ, modò pro sanctitate; pariterque *iniustitia* modò pro peccato speciali, modò pro quouis generatim. Atque adeo etiam sub denominatiuum *iustus* æquiuocè veniunt modò sanctus, modò seruans vnicuique ius suum; pariter sub *iniustus* modò lædens ius alienum, modò peccator.

Hypothesis 2.

457 Analogia, quæ medium locum inter æquiuoca, & vniuoca communiter habere dicuntur, solum nomen commune habent, conceptum verò obiectiuum per nomen significatum non item.

Pro intelligentiâ huius hypothesis notandum est primò analogiam propriè sumptam similitudinem habitudinum binorum extremorum inter se dissimilium esse; ita quidem vt quando vnum se habet ad vnum, sicut aliud ad aliud, tunc inter illa bina extrema analogia reperiri dicatur, quantumuis ea inter se dissimilia sint. Quocirca Mathematicorum proportionalitas, quæ similitudo est proportionum binarum quantitatum plerumque inter se dissimilium, analogia græcè dicitur. Talis est quæ reperitur inter proportiones horum binorum numerorum 8. 4. & 6. 3. Nam sicut se habet 8 ad 4. ita se habet 6 ad 3. nempe 8 duplam proportionem habet cum 4. similiterque 6 cum 3. tametsi numeri ipsi omnes inter se sint dissimiles; de quo plura videri possunt à nobis *suo loco* dicenda; vbi de quantitate. Hinc fit similitudinem habitudinum binorum extremorum inter se dissimilium, in quâ consistit analogia, non exactam, & puram (qualis requiritur ad adunanda per rationem sub vno conceptu vniuersali extrema similia, iuxta doctrinam suprà statutam *quæstione octaua*,) sed temperatam, mixtamque cum aliquâ dissimilitudine esse, iuxta dicta ibidem. Quippe habitudines extremorum inter se dissimilium, quæ ab ipsis extremis, aut ab aliquibus eorum realiter distinctæ non sunt, eo ipso non possunt realiter exactè, & purè similes esse. Tametsi per rationem nostram interdum mediâ abstractione seu præcisione ab omni dissimilitudine exutæ exactè, & purè similes in mente nostrâ obiectiuè soleant euadere, vti in proportionalitatibus mathematicis euenit. Eo tamen casu non tam analogiam, quàm vnitatem specificam dicuntur habere inter se. Analogia enim non in quâuis similitudine habitudinum binorum extremorum consistit, sed solùm in temperatâ, mixtâque cum aliquâ dissimilitudine. Vnde rursus effectum est, vt nomen *analogia* non tantùm pro similitudine habitudinum binorum extremorum, sed etiam pro similitudine quorumuis extremorum simplicium accipi soleat, dummodò talis similitudo non pura, & exacta, sed temperata, & mixta cum aliquâ dissimilitudine sit.

458 Secundò notandum est. Ab interpretibus Aristotelis, ab aliisque Logicis communiter multifariam diuidi æquiuoca. Primò in æquiuoca à casu, siue à fortunâ, & in æquiuoca à consilio. Æquiuoca à casu dicuntur, quibus vocabulum æquiuocum casui, & fortuitò impositum est, nullâ eorum consideratione habitâ, nullâque eorum habitudine præbente fundamentum, aut ansam. Hoc pacto sunt æquiuoca homo Francus, & auis prout significata nomine *Gallus*. Æquiuoca verò à consilio appellantur, quibus ex industriâ ob motiuum aliquod se habens ex parte rerum vocabulum æquiuocum est impositum. Hæc ab aliquibus vniuersaliter appellantur analoga. Ab aliis tamen iterum diuiduntur in purè æquiuoca, & analoga. Appellantur purè æquiuoca, quando motiuum imponendi eis idem vocabulum aliunde quàm ab ipsis desumitur, analoga verò quando ab ipsis. Si quis enim, vel in memoriam sui patris, qui vocabatur Carolus, vel sub spe patrocinij S. Caroli, Carolum iubet filium vocari, tale nomen inquiunt, purè est æquiuocum, puréque subinde æquiuoca sunt significata eius vel à memoriâ, vel ab spe. Quando verò idé vocabulum pluribus citra vniuocationem imponitur propter aliquam habitudinem inter ipsa reperti, quæcunque ea sit, analoga inquiunt, ea sunt, mediumque quoddam inter purè æquiuoca & vniuoca tenent. Quocirca Rub. *in log. tract. de analog.* & cum eo alij analoga in communi definiunt. *Quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ nomini accommodata neque omnino diuersa, neque omnino eadem.*

Porro analoga sic latè sumpta plerique in tria di- 459
uidunt membra: nempe in analoga secundum inæqualitatem, secundum attributionem, & secundum proportionem. Siue in analoga inæqualitatis, attributionis, & proportionalitatis; pariterque consequenter diuidunt analogiam. Analogiam inæqualitatis dicuntur habere omnia genera, quatenus inæqualiter perficiuntur per differentias. Hæc tamen, inquiunt statim ferè omnes, non est propria analogia: quia non excludit vniuocationem, quam genera habent. Analogiam autem attributionis dicuntur habere illa multa, ad quorum vnum cætera aliquam habitudinem habent, eoque titulo vocabulum eius participant. Sic homo, pulsus, alimentum, pharmacum, & diæta sana dicuntur. Primariò quidem homo, quòd in se sanitatem habet, secundariò verò pulsus, quòd illam indicat; alimentum, quod illam causat; pharmacum, quòd illam restituit; diæta, quòd illam conseruat. Quoniam autem habitudines plurium ad vnum, à quo vocabulum participant, semper sunt aut effectus ad causam, aut causæ ad effectum in aliquo genere causæ. Idcirco non pauci hanc analogiam attributionis analogiam à causâ vocant, eamque per quatuor genera causarum subdiuidunt; nempe à causâ efficiente, à causâ finali, à materiali, à formali. Analogiam denique proportionalitatis eam dicunt, quam in notatione præcedente nos explicuimus. Qui verò nomine *analogia* similitudinem temperatam, seu mixtam simplicium extremorum, qualem habent homo viuus, & pictus, aliâque huiusmodi non comprehendunt, aliud membrum addunt analogiæ, quam vocant à similitudine, siue similitudinis. Sunt & alij, qui aliud præterea analogiæ membrum adiiciunt ex mixtione analogiæ attributionis, & proportionalitatis confurgens.

Tertiò notandum est Aristotelem analogiam 460
proportionalitatis dumtaxat, quæ sola propriè loquendo, analogia est, agnouisse; atque adeo ea solùm extrema vocasse analoga, quæ propter illam eodem nomine nuncupantur. Ea verò, quæ modò analoga attributionis appellant, ipsum dicta ad vnum, vel ab vno appellare, vt videre est *lib. 4. Metaph. text.* 2. *& lib.* 5. *text.* 12. *& lib.* 7. *text.* 14. *&* 15. *& l.* 12 *text.* 19. 22. *&* 23. *& l.* 2. *Post. text.* 25. *&*

& lib. 1. Eth. cap. 6. Vbi ea, quæ dicuntur ad vnum, ab iis, quæ dicuntur secundum analogiam, discriminat, videturque indicare vtraque æquiuoca quædam esse, non tamen à casu. Id, quod supponere videtur. *lib. 7. Physic. cap. 4. text. 31* dum ait. *Equiuocationum autem aliæ nimium distant, aliæ similitudinem quamdam habent, aliæ sunt propinquæ, aut genere, aut similitudine rationis.* Et clariùs *in lib. Prædicam. cap. 1.* Vbi definiens vniuoca, & æquiuoca nullâ speciali mentione, vel distinctione factâ eorum, quæ citra rationem communem eamdem nomenclaturam habent, cuncta hæc sub æquiuocis comprehendisse videtur. Quocirca non abs mente Arist. æquiuoca sumpta vniuersè diuiseris primò in à casu, & à consilio. Secundo, quæ à consilio, in æquiuoca secundum habitudinem ad vnum, & æquiuoca secundum analogiam. Tertiò, quæ secundum habitudinem ad vnum, in secundum habitudinem intrinsecam, & extrinsecam. Hęc namque membra complectuntur homonyma omnia commemorata, & explicata. Si tamen magis tibi arridet consentaneè ad diuisiones Modernorum expositas loqui, loquere iuxta beneplacitum, quia ad rem parum interest. Ego in hypothesi præsenti statuere intendo præter illa, quæ iuxta sententiam omnium vniuoca sunt, cætera quæ eodem vocabulo nuncupantur, siue ea æquiuoca, vniuersè, siue eorum quædam æquiuoca, & cætera analoga appellentur, solum vocabulum, non item rationem, siue conceptum obiectiuum significatum per illud
461 habere communem.

Quod imprimis expresè docet Arist. de iis, quæ dicuntur ad vnum, analogáque attributionis à Modernioribus appellantur *lib. 7. Met. text. 14. & 15. & lib. 1. Ethic. cap. 6.* & ferè vbicumque de eis agit, idemque exprimit de analogis propriè dictis, quæ analoga proportionalitatis dicuntur *in dicto cap. 6. lib. 1. Ethic.* & supponit *lib. 5. Metaph. text. 12.* & tenent Caiet. Ferrar. Deza, Perei. Fons. Vaz, Rub. & alij relati *suprà q. 21.* pro sententiâ negante conceptum communem entis, & aliorum transcendentium,
462 quæ analoga esse supponunt.

Deinde probatur ratione: quia conceptus obiectiuus significatus per vocabulum siue æquiuocum, siue analogum non est purè, & exactè similis in singulis analogatis. Igitur neque est adunabilis sub vno conceptu communi. Consequentia constat ex dictis *q. 8.* vbi ostendimus ea dumtaxat sub vnum conceptum communem cadere posse, quæ exactè, & purè similia sunt inter se. Antecedens autem aperte imprimis ex terminis ipsis innotescet per singula quæque analogata discurrenti. Quis enim plane non videt, similitudinem repertam inter risum hominis & risum prati, inter acumen piperis, & acumen gladij, inter pedem animalis, & pedem montis, inter caput hominis, & caput libri, inter aliaque huiusmodi analogata esse temperatam, mixtamque cum dissimilitudine, non verò puram, & exactam, qualis inter duos calores, duas albedines, duos homines, aliaque eiusmodi extrema vniuoca repetiuntur? Deinde constat: quia audito nomine, quouis ex modis suprà dictis æquiuoco, aut analogo, vt sunt *sanus, militaris, acutus, suauis*, & similia non statim formamus conceptum rei significatæ, donec scimus, quo sensu à proferente accipiatur *Sanus* quippè dici potest de homine, de pulsu, de cibo, de aere, &c. *militaris* de homine, de equo, de veste, de gladio, &c. *acutus* de homine, de gladio, de allio, de accentu, &c. *Suauis* de cibo, de potu, de musicâ, de vento, &c. Atque ita quousque scimus pro quo ex hisce significatis, quoduis horum nominum sumatur, nominis solùm, non item obiecti significati conceptum formamus, vt experientiâ constat. Formaremus autem, si huiusmodi nomina conceptum vnum suis analogatis communem significarent, vti formamus, quando audimus nomina vniuoca. Hæc satis pro hypothesi datâ. Alia autem, quæ de speciebus analogiæ explicatis ab Auctoribus disputantur, vt parùm vtilia prætermitto; apud illos videri possunt.

Hisque ita suppositis, pergo ad resolutionem quæstionis.

Propositio 1.

Nomen *ens* sumptum tam pro existente, quàm pro 463
potente existere vniuocum est comparatione tum substantiarum, & accidentiũ, tum Dei & creaturarũ, quatenus entia nũcupantur in istâ entis acceptione.

Probatur primò: quia nomen *ens* ita vsurpatũ conceptum obiectiuum vnum, communem q; omnibus entibus significat, vt ex dictis *q. 21 prop 1.* constat, sed nomen vnum conceptum obiectiuum pluribus communem significans eo ipso est vniuocum, si Aristotelicæ vniuocorũ definitioni, receptę ab omnibus standum sit, iuxta dicta *hypoth. 1.* Ergo nomẽ *ens* ita vsurpatum comparatione omniũ entiũ vniuocũ est.

Secundò probatur: quia supposito, quòd nomen 464
ens sumptũ in acceptione dictâ significat vnum conceptũ obiectiuum omnibus entibus communem, nõ potest esse respectu eorũ aut æquiuocũ, aut analogũ siquidem neque æquiuoca nomina, neque analoga significant vnum conceptum obiectiuum suis æquiuocatis, analogatisque communem, vt *hypoth. 2.* statutum est. Relinquitur ergo vt sit vniuocum, quia nullum restat aliud nominum genus, vt est notum.

Opponi tamen potest contrà propositionem pri- 465
mò Aristoteles, qui *lib. 4. Metaph. text. 2. & lib. 7. text. 14. & 15.* sæpe; alibi nomen *ens* à classe vniuocorũ excludit. Censet enim se habere nomen *ens* ad ens substantiale, & accidentale, sicut se habet nomen *sanum* ad animal sanum, & ad medicinam, vrinam, & cætera, quæ dicuntur sana, respectu quorum certum est nomen *sanum* non esse vniuocũ, sed analogum analogiâ attributionis, iuxta dicta *hypoth. 2.* Quocirca tale etiam nomen *ens* esse S. Th. & cæteri interpretes Aristotelis vnanimiter censuerunt. Respondeo Aristotelem *locis citatis* apertissimè loqui de ente sumpto non pro existente, aut potente existere, vt nos illud sumimus modò, sed pro essente quidpiã (vt sic loquar) de quo nos *prop. 2. & 3.* & de quo proinde S. Th. cæteriq; Peripatetici sèper loqui cẽsendi sunt. Quare nec Arist. nec S. Th. nec cæteri verè Peripatetici aduersantur propositioni nostræ.

Secundò opponunt aliqui Ratio entis abstracta à 466
Deo, & creaturis, & à substantiâ, & accidentibus priùs est participabilis à Deo, quam à creaturis, & priùs à substantiâ, quàm ab accidentibus: quia Deus priùs habet esse, quàm creaturæ, vtpote earum causa; & substantia priùs habet esse, quàm accidentia, vtpote etiam causa eorum. Creaturæq; subinde à Deo, & accidentia à substantiâ in suo esse dependent: ergo ens provt talem rationem significans de Deo, & creaturis, de substantiâ, & accidentibus non vniuocè, sed analogicè dicitur. Respondeo primò, hoc argumentum, si quid probat, probare vtiq; nullũ ferè nomen esse vniuocum eorũ, quæ citra omnẽ controuersiã vniuoca sunt. Cùm enim inter se substantias, inter corpora, inter viuentia, inter animalia; & inter homines alia sint causæ aliorum, & omnis causa prior naturâ sit, quàm effectus, ratio communis substantiæ, corporis, viuentis, animalis, & hominis

priùs à causis, quàm ab effectibus participabilis erit; subindéque nomina hæc tales rationes significantia *substantia, corpus, viuens, animal, homo*, respectu eorum, de quibus dicuntur, non vniuoca, sed analoga erunt. Tantumdemque de similibus citra omne dubium vniuocis erit dicendum; quod est absurdum. Ex quo patet argumentum oppositum nihil probare. Respondeo ergo ad illud, secundò. Rationem entis abstractam à Deo, & creaturis, & à substantiâ, & accidentibus physicè quidé priùs in Deo, quàm in creaturis, & in substantiâ, quàm in accidentibus repetiri, quâ prioritate Deus, quàm creaturæ, & substantia, quàm accidentia prior physicè est: quia talis ratio physicè aliud non est à Deo, & creaturis, & à substantiâ, & accidentibus. Logicè tamen, & metaphysicè consideratam in statu abstractionis, non priùs à Deo, quàm à creaturis, nec priùs à substantiâ, quàm ab accidentibus ex suo intrinseco conceptu participabilem esse: quia in eo statu equè est indifferens ad cuncta, quibus communis est, vtpotè præcisa in eo statu ab omni eo, quo diuersificatur in singulis; atque adeo à rationibus causæ, & effectus, dependentiæ, & independentiæ &c. Ex quo patet nihil desiderari, quominus *ens* provt talem rationem significans vniuocum sit. Adde. Si cũ vnitate obiectiuâ rationis entis stare posset, vt ea priùs à Deo, quàm à creaturis, & à substantiâ, quàm ab accidentibus ex suo intrinseco conceptu participabilis esset; adhuc *ens* respectu eorum vniuocum fore: quia adhuc conueniret illi vniuocorum definitio, sed certè neutiquam potest stare. Fieret enim inde, vt ratio entis in Deo, & creaturis, in substantiâ, & accidentalibus non conciperetur à nobis purè, & exactè similis, provt ad eius adunationem requiritur iuxta doctrinam suprà statutam *quæst.* 8.

467 Eiusdem farinæ est argumentum aliud, quod aliqui faciunt prætendentes rationem entis communem Deo, & creaturis, substantiæ, & accidentibus inæqualiter ab illis participabilem esse, indéque inferentes nomen *ens* illam significans esse analogum. Ex dictis tamen circa præcedens facilè hoc itidem ab vnoquoque & retorquebitur in arguentes, & diluetur: quare in his præstandis non immoror.

468 Quartò obiiciunt alij. Ratio entis transcendit per inclusionem metaphysicam vsque ad vltimas differentias Dei, & creaturarum, substantiarumque, & accidentium: ergo non potest esse simpliciter eadem in istis omnibus, adhuc logicè, vtpotè quorum differentiæ vltimæ diuersissimæ sunt, sed necessariò debet esse partim eadem, partim diuersa: ergo nomen *ens* provt rationem significans non potest esse vniuocum, sed analogum necessariò esse debet. Respondeo primò hoc argumento æquè probari nomen *ens* non posse esse vniuocum respectu substantiarum seorsim, nec respectu viuentium, nec respectu animalium, nec respectu inferiorum cuiusuis cæterorum generum seorsim, vtpote quorum differentiæ vltimæ, quas transcendit ratio entis, diuersissimæ sunt, quod tamen à communi Philosophorum consensu videtur alienum. Respondeo secundò negando rationem entis transcendere per inclusionem metaphysicam vsque ad vltimas differentias eorum, quibus communis est; id enim est falsum, vt constat ex dictis *q.* 20. *propositi.* 12. & 13. quo penitùs argumentum ruit. Respondeo tertiò. suppositò, quòd ratio entis sub vno conceptu obiectiuo omnibus entibus communi sit adunabilis, vt in argumento supponitur, non posse non illam præcisè sumptam in singulis suis inferioribus exactè, & purè similem, atque adeo vniuocam esse, iuxta doctrinam statutam *dictâ q.* 8. Quod si suppositâ transcendentiâ eius per inclusionem apud me impossibili, in singulis suis inferioribus purè, & exactè similis nequeat euadere, de quo non curo, neutiquam erit sub vno conceptu adunabilis. Cùm tamen adunabilem esse, & Aduersarij fateantur, & suprà à me *q.* 21. *propositi.* 1. absolutè probatum sit. Ex quibus patet argumentum ab ipsis factum nihil præstare contra me.

Quintò obiicitur Accidẽtia ex eo præcisè dicun- 469
tur entia, quia sunt aliquid substantiæ, quæ per se simpliciter, & propriè est ens, tantumdemque euenit creaturis comparatis cum Deo: ergo ens non vniuocè, sed analogicè dicitur de substantiâ, & accidentibus, de Deóque, & creaturis. Nego antecedens, accepto ente, vt modò illud accipimus, pro existente, aut potente existere. Accidentia quippe per se simpliciter, & propriè existunt, & possunt existere, tametsi cum dependẽtiâ à substantiâ, tanquàm à suo subiecto, & creaturæ & per se etiam propriè, & simpliciter existunt, possuntque existere, tametsi cum dependentia à Deo, tanquam à suo efficiente; eoque titulo non vero in argumento assignato entia in acceptione dictâ appellantur. Quidni ens ita sumptum de substantiâ, & accidentibus, de Deóque, & creaturis dicetur vniuocè.

Propositio 2.

Nomen *ens* immediatè sumptum pro essente quid- 470
piam essentiale, & pro essente quidpiam accidentale non vniuocè; sed analogicè de illis dicitur analogia attributionis, siue, vt loquitur Arist. ad vnum, vel ab vno.

Ita sentit ipse Arist. *lib.* 4. *Metaph. cap.* 1. *& lib.* 5. *cap.* 7. *& lib.* 7. *cap.* 1. *sæpeque alibi*, & cum eo S. Th. aliique Peripatetici communiter, & ratio est: quia essenti quidpiam essentiale, seu substantiale, & essenti quidpiam accidentale (quorum primum Arist. ens per se, secundum ens per accidens vocat, vt *suprà* notauimus) provt immediatè cadentibus sub nomen *ens* vna ratio communis non datur, vt *supra q.* 21. *propositi.* 2. probatum est. Constat autem ex dictis *in hâc q. hypoth.* 1. & 2. nomen significans plura non sub vnâ ratione cunctis communi, sed subdiuersis non vniuocum, sed vel æquiuocum, vel analogum esse. Est autem *ens* ita vsurpatum analogũ analogiâ attributionis, siue ad vnum, vel ab vno, quatenus *ens* ita vsurpatum primariò, & per se dicitur de essente quidpiam essentiale, seu substantiale, secundariò autem, & per accidens de essente quidpiam accidentale, eo quòd subiectum, quod abactu essendi substantiuo, siue identificante dicitur ens primariò, & per se est, siue identificat sibi suam essentiam, siue substantiam. Secundariò autem, & per accidens sibi adiunctum est, siue identificat sibi concretum accidentale ex se ipso, & tali accidente adiuncto coalescens.

Vnde cognosces Arist. locis citatis, vt textus eius 471
præ se ferunt, pro eodẽ sumere substantiã, & essentiã, cui nomen ens primariò, & per se conuenire cẽsset propter rationẽ datam: per accidentia autẽ, quib. conuenire arbitratur secundariò, & per accidens, dũtaxat intelligere eũ cõcreta accidẽtalia adiectiuè, vbi accidentia propriorum accidentiũ per adiectionẽ ad subiectũ funguntur munere. Cæteroquin ipsa accidentia secundũ se, & abstractè cõsiderata, quo pacto suã essentiam per se habent, eãque sibi primariò, & per se identificant per actũ essendi substantiuũ, idcirco

circo inter entia per se, & essentialia, seu substantialia, iuxta mentem Aristotelis censenda sunt. Videantur ad rem plura à nobis dicta *suprà disp. 9. quæst. 1. & 2.*

Propositio 3.

472 Nomen *ens* immediatè sumptum pro essente quidpiam increatum, & pro essente quidpiam creatum non vniuocum, sed analogum est respectu Dei, & creaturarum.

Hoc sensu veniunt mihi intelligendi Auctores, qui absolutè pronunciant nomen *ens* de Deo, & creaturis non vniuocè dici, sed analogicè. Probo autem, propositionem. quia nomen *ens* ita vsurpatum vnam rationem communem Deo, & creaturis significare nequit, iuxta dicta *quæstione vigesimaprima*, *proposit.* 3. Ergo respectu Dei, & creaturarum vniuocum esse non potest: Erit ergo analogum: quia sicut Deus ab actu essendi, quo sibi identificat suam essentiam increatam, dicitur ens putà increatum; ita creaturæ ab actu essendi, quo sibi identificant suam essentiam creatam, dicuntur entia, putà creata. In quibus extremis quamdam proportionalitatis analogiam cernere est.

Propositio 4.

473 Quodlibet aliorum prædicatorum transcendentium, quæ recensuimus *quæstione vigesima*, nomenque significans illud vniuocum est comparatione eorum, de quibus dicitur.

Quia, vt statuimus *quæstione vigesimaprima*, *proposit.* 4. quodlibet talium prædicatorum conceptus quidam est obiectiuè vnus, communisque pluribus, per vnumque nomen eisdem etiam commune significatur. Quo nihil ad vniuocationem eius desideratur iuxta definitionem vniuocorum traditam *suprà hypoth. 1.*

474 Ex dictis in hâc, & præcedente quæstione nonnulla consectaria sunt colligenda. Priùs tamen est adnotandum nos *dictâ disp. 9. quæst. 1. & 2.* distinctionis gratiâ appellasse ens sumptum pro existente ens existentiale; sumptum verò pro essente quidpiam ens essentiale (prout essentiale existentiali contraponitur) diuidentes hoc cum Arist. in essentiale per se, quale est, quod sibi identificat essentiam per se; & essentiale per accidens, quale est, quod sibi identificat concretum accidentale, iuxta *superiùs* dicta. Et quoniam ens etiam pro potente existere, & pro potente esse quidpiam accipi solet: rursus existentiale in existentiale actuale, & existentiale potentiale diuisimus. Similitérque ens essentiale in actuale, & potentiale. Quibus appellationibus etiam impræsentiarum vtemur distinctionis, & breuitatis gratiâ, in consectariis, quæ sequuntur.

Consectarium 1.

475 Nomen *ens* comparatione entis existentialis, & entis essentialis æquiuocum est.

Quia ens existentiale, & ens essentiale extrema sunt valde inter se dissimilia, in vnumque proinde conceptum obiectiuum per nomen *ens* significabilem non coeunt, sed immediatè, quà dissilia per nomen *ens* significantur, atque adeo æquiuocè. Quemadmodum actus existendi, qui forma est prioris concreti, & actus essendi quidpiam, qui est forma posterioris, vtpotè valde inter se dissimiles, æquiuocè etiam significantur per verbum *esse*. Quæ omnia ex superiùs dictis satis sunt nota.

Consectarium 2.

Nomen *ens* comparatione entis actualis, & po- 476
tentialis (tam existentialis, quam essentialis) etiam est æquiuocum, aut analogum.

Quia etiam potentia ad essendum, & actus essendi, quæ talium concretorum sunt formæ, atque adeo & concreta ipsa dissimilia sunt inter se, vt constat; in eamdemque proinde rationem per nomen *ens* significatam non coeunt, sed solo in nomine ipso conueniunt; atque adeo vel æquiuocè, vel analogicè, si ob habitudinem vnius ad aliud ex vno ad aliud nomen extensum est, vt videtur. Hæc etiam ex *suprà* dictis satis nota sunt.

Consectarium 3.

Conceptus obiectiuus significatus per nomen 477
ens sumptum vel pro existente, vel pro potente existere, quo pacto vniuocum esse statuimus *propos. 1.* comparatione omnium vel existentium, vel potentium existere verè, & propriè est vniuersalis respectu eorumdem. Proindéque ad aliquam pertinet ex speciebus prædicabilium vniuersalium recensitis *quæst. 7.*

Prima pars huius consectarij inde constat: quia conceptus obiectiuus per nomen vniuocum multis commune significatus, eo ipso est vnus conueniens multis, & prædicabilis de multis, vt constat ex dictis. Quod ipsum est esse illum verè, propriéque vniuersalem. Secunda autem pars constat ex eo, quòd nulla est species vniuersalis, quæ in recensitis *loco citato* comprehensa non sit.

Sed quæris, ad quam speciem vniuersalis perti- 478
neat ens dictum? Respondeo ens sumptum pro potente existere respectu quorumdam suorum inferiorum esse genus; respectu aliorum speciem; & respectu aliorum passionem communem: nempe respectu substantiæ, & accidentis est genus immediatum; respectu hominis, leonis, &c. genus remotissimum: quia de hisce omnibus prædicatur vt pars metaphysica per aliam partem contrahibilis; respectu verò huius, & illius entis, & cæterorum vt sic est species: quia prædicatur de illis, vt de indiuiduis incompletis tanquam essentia integra cõmunis eorum: respectu autem differentiarum substantiæ, & accidentis, hominis, & leonis &c. est passio communis: quia de his prædicatur vt accidens ipsis commune, & necessarium, vtpote, quod non per inclusionem, sed per adiectionem metaphysicam transcendit eiusmodi differentias iuxta doctrinam suprà statutam *9.* 20. Nec nouum est eumdem conceptum obiectiuum multis communem ad plures, diuersasque species vniuersalis, seu prædicabilis pertinere penes diuersa inferiora, subiectaue, ad quæ comparatur. Animal enim respectu huius, & illius animalis est species; respectu huius, & illius hominis est prædicabile mixtum; respectu leonis, & canis est genus; respectu rugibilis, & latrabilis est passio communis &c. De quo *in superioribus* etiam satis est dictum.

Iam verò ens sumptum pro existente actu, si 479
comparetur ad hoc, & illud existens actu, quà tale erit species. Si comparetur ad Deum sumptum secundum se cum præcisione ab existentiâ, passio propria metaphysica erit eius vpote prædicatum nostro modo concipiendi adiiciens Deo

sic concepto actum existendi ipsi conueniens necessariò. Si verò comparetur ad creaturas similiter secundum se conceptas accidens earum metaphysicum, atque contingens erit, vtpotè quibus contingenter euenit actu existere: quo pacto *disputatione nona, quæstione septima* explicuimus.

Consectarium 4.

480 Cæteraitidem prædicabilia transcendentia, quæ vniuoca esse statuimus *proposit.* 4. vniuersalia propriè sunt, ad suasque species vniuersalis consentaneè ad nuper dicta spectabunt.

Quia de iis omnibus, quod ad rem attinet, perinde ac de prædicabili transcendenti entis nuper expositio philosophandum venit, vt consideranti patebit.

Consectarium 5.

481 Nomen *accidens*, provt id significat, quod alteri adiicitur vt subiecto, vniuocum est respectu omnium accidentium.

Quia in hoc, quod est subiecto adiici omnia accidentia concipiuntur à nobis exactè similia: adeoque sub vno conceptu cunctis communi per nomen *accidens* significabili adunabilia sunt, de factoque adunantur à nobis. Quo nihil desideratur, vt illa in tali conceptu, & nomine conueniant vniuocè. Vnde etsi talis accidentis conceptus transcendens sit, vniuersalis nihilominus propriè est, ad suasque vniuersalis species spectat, quemadmodum de ente, & aliis transcendentibus *consect.* 3. & 4. expositum est.

482 Mitto alia plura, quæ ex dictis facilè ab vnoquoque colligi poterunt. Per ea enim, quæ hucusque sunt tradita, facilè quisque diiudicare poterit, quænam vocabula vniuoca, & quænam æquiuoca, siue analoga dicenda sint; & quomodò quilibet conceptus communes per quæuis vocabula vniuoca significati vniuersales sint, ad quasque species vniuersalis pertineant.

Hoc vnum adnoto, quod iam tetigi *quæstione octaua*, persæpe vsu venire, vt nomina, quæ iuxta suam primæuam significationem æquiuoca, vel analoga sunt: eo quòd non ad vnum communem pluribus, sed ad plures, diuersosque conceptus immediatè significandos primitùs sunt imposita, communiter vsurpentur tanquam vniuoca; eo quòd veluti reflexè quodammodò vniuoca facta sunt: nimirum, quia licet primarij conceptus obiectorum, ad quos immediatè significandos imposita sunt, à diuersitate phantasmatum sensibilium, in quibus sunt à nobis concepta talia obiecta, iuxta doctrinam suprà statutam *disputatione secunda, quæstione tertia: & sæpe alibi*, diuersi euaserint; secundarij tamen eorumdem obiectorum conceptus, quos per phantasmata ipsorum nominum solemus formare, exactè similes; atque adeo in vnum adunabiles sunt, de factòque à nobis adunantur, sicque adunati per eadem nomina significandi veniunt. Quo nihil deest, quominus hæc veluti per reflexionem quamdam vniuoca euadant; tametsi directè spectata æquiuoca, vel analoga sint. Taliáque subinde loquendo absolutè dicantur. Ita contingit haud dubiè in istis nominibus *Res, entitas, essentia, quiditas aliquid, quidpiam, hoc, illud, istud, ipsum, quod*, & cæteris huiusmodi. Imò in plerisque aliis æquiuocis, & analogis ita contingere videtur. 483

TRACTA

TRACTATVS IV.

DE TERMINO, PROPOSITIONE, ATQVE ARGVMENTATIONE,

Deque eorum ſpeciebus, quæ ſunt veluti materiâ, ex quâ omnis ſcientia humana coaleſcit.

IN hoc Tractatu de termino, propoſitione, atque argumentatione tum obiectiuis, tum formalibus, hiſque tum mentalibus, tum vocalibus, ſiue ſcriptis agendum nobis eſt: obiectiua enim, & formalia, quod ad rem attinet viciſsim ſibi lucem præſtant. Dicimus autem formalia impræſentiarum tum actus noſtrarum intellectionum, tum voces ſiue prolatas, ſiue ſcriptas ipſis correſpondentes; quæ proinde in mentalia, vocaliáque, aut etiam ſcripta diuiduntur: obiectiua autem ſunt ipſi conceptus obiectiui, in quos tendunt, quóſve reſpiciunt, ſeu circa quos verſantur formalia. Porrò in hoc Tractatu, qui bonam partem continet Logicæ, ab innumeris inutilibus controuerſiis, quibus Moderni Logicam implicarunt, omninò abſtinebo. Logica enim vera, & legitima, quam tradere ſtudeo, contentioſa non eſt; ſed certis regulis, & vt implurimùm apertè demonſtratis ſubnixa.

DISPVTATIO XVIII.

De terminis.

1 QVos terminos nuncupant Logici, dictionibúſque, ſiue vocabulis Grammaticorum correſpondent, veluti prima elementa ſunt, ex quibus omnis ſcientia humana compingitur, ſumpti videlicet tum pro conceptibus formalibus, tum pro obiectiuis: quo pacto hi conducunt ad ſcientiam: tum etiam pro vocibus, quæ eorum loco nobis ſunt. De iſtis igitur eſt diſputatio præſens.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit terminus.

TErminum voco cum Ariſt. lib. 2. Prior. cap. 1. *in quem reſoluitur propoſ.* atque adeò, in quem terminatur propoſitionis reſolutio; puta aptitudinaliter, vti plerumque definitiones accipi ſolent. Ab eo quippe videtur terminus dictus, quòd terminat, ſeu quod terminare valet propoſitionis reſolutionem. Eſt autem propoſitio oratio enunciatiua, ſiue ſuaſiua; atque adeo habens veritatem vel faſitatem, prout explicabimus *diſp. ſeq.* Reſolutio verò vniuerſè eſt cuiuſuis totius in ſuas partes diuiſio. Vnde, reſolutio propoſitionis erit diuiſio propoſitionis in ſuas partes. Quare, idem omnino ſunt terminus, & pars aptitudinalis propoſitionis, id eſt habens potentiam, ſeu aptitudi- 2

nem ad componendam propositionem, & consequenter ad terminandam resolutionem eius. Aut certè, vt multas inutiles controuersias, quas hic Recentiores excitant, vno ictu præcidam; terminum ego apello vniuersè, deinceps que appellabo
3 semper, quamlibet partem aptitudinalem propositionis.

Quamlibet, inquam partem aptitudinalem propositionis logicam, siue cuius dumtaxat apud Logicos habetur ratio: quales sunt ex vocalibus dictiones inter se distinctæ & ex mentalibus conceptus tum formales, tum obiectiui distincti etiam inter se. Quanquam enim dictiones, & consequenter propositiones ex eis compositæ ex litteris insuper, & syllabis componantur: quia tamen compositio hæc non sub logicam; sed sub grammaticam considerationem cadit, ideo litteræ, & syllabæ nec partes logicæ propositionis, nec termini dicendæ veniunt; sed integræ dictiones dumtaxat. Et quamuis conceptus obiectiui sæpe non sint partes re ipsâ, & physicè propositionis obiectiuæ; sed tantùm per rationem nostram, seu logicè;
4 termini nihilominus distincti inter se dicendi veniunt: quia ad id distinctio eorum rationis, seu logica sufficit.

Itaque terminus in vniuersum dicetur quælibet dictio apta ad componendum simul cum aliis propositionem siue vocalem, siue scriptam, & quælibet apprehensio simplex ei correspondens apta ad componendum simul cum aliis propositionem mentalem, quam vocant formalem; & quilibet conceptus obiectiuus correspondens vtrique aptus ad componendum simul cum aliis distinctis à se, seu realiter, seu per rationem propositionem obiectiuam. Qui omnes sub Aristotelica termini definitione aptitudinaliter sumptâ comprehenduntur, quæ, vt sic, in hanc recidit, iuxta dicta: *Terminus est pars aptitudinalis propositionis*, nimirum logica, seu cuius consideratio spectat ad logicos, vti explicuimus. Ex quo patet, nullam eiusmodi partem quoquo modo constitutiuam intrinsecè propositionis, siue vt extremum, siue vt copula extremorum, siue aliter quomodolibet à ratione, siue conceptu termini excludi debere.

Iam verò terminus vocalis quælibet dictio est apta componere propositionem prout ore prolata. Terminus verò scriptus eadem dictio prout scripta. Vterque autem (qui vt condistinctus ab obiectiuo significato per illam formalis etiam dici solet) signum quoddam ad placitum est alicuius termini mentalis tum formalis, tum obiectiui, significans scilicet obiectiuum quidem primariò, & directè; formalem autem ipsi correspondentem secundariò, & indirectè; id quod terminus vocalis præstat per se immediatè: Scriptus verò medio vocali, ad quem immediatè significandum est institu-8 tus. Quæ omnia, vt perspicua fiant,

Noto primò: Signum ab August. *lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 1. & lib. de principiis dialect. cap. 5.* sic definiri. *Signum est, quod se ipsum sensui, & præter se aliquid aliud animo manifestat.* Ex quâ definitione communiter recepta constat, signum aliquid sensibile debere esse, per quod cognitum intellectus ducatur ad cognoscendum aliud. Vnde cognitio ipsa, quæ non prout cognita; sed per se formaliter manifestat obiectum impropriè ab aliquibus appellatur signum formale, appellantibus signum instrumentale id, quod August. definiuit. Et quod dumtaxat loquendo propriè signũ absolutè, & simpliciter videtur dicendum. Tamersi nonnulli signum latiùs accipiant pro omni eo, quod quoquo modo dicit in alicuius veritatis cognitionem. Quâ acceptione suppositâ, diuisio signi in formale, & instrumentale locum habebit. Verùm in his solùm potest esse dissidium de modo loquendi. Videatur noster Lynce *tom. 1 suæ Philosophiæ, lib. 6. tract. 1. 6 cap. 1. & 2.*

Est autem signum in primis triplex. Aliud naturale; aliud ad placitum; aliud ex consuetudine. Naturale est quod naturâ suâ notificat aliud; vt fumus ignem, gemitus dolorem, risus lætitiam, & alia huiusmodi. Ad placitum est, quod ex hominum institutione aliud notificat, vt ramus proaribus appensus vinum vendibile; sonitus cymbali sacrorum celebrationem; voces, & scripturæ res cognoscendas; & alia id genus. Voces quippe, non naturalia, vt quidam Pythagorici voluerunt; sed ex arbitrio hominum, atque adeò ad placitum signa esse rerum, certa cæterorum omnium sententia est: cum quo stat earum aliquibus, accepto à rebus significatis aliquo fundamento, fuisse significationem impositam, ob analogiam scilicet quamdam, quam earum sonus cum ipsis rebus habet. De quo videndus Lynce *suprà tractat. 2. cap. 2.* Ex consuetudine denique signum dicitur, quòd suppositâ consuetudine oriundâ ab hominum arbitrio aliud notificat quoquo modo; vt mappæ super mensam extensæ prandium mox futurum: & vniuersim quidlibet solitum ab hominibus fieri id, quod ex eo regulariter sequi solet. Deinde, signum ad placitum aliud doctrinale est; aliud artificiale. Doctrinale dicitur, quo vtimur ad manifestandum aliis, quæ interiùs nosci mus; & ad doctrinas propterea, seu scientias comparandas subseruit: huius generis sunt voces siue prolatæ, siue scriptæ. Artificiale autem dicitur, quo alterius negotij peragendi admonemur, cuiusmodi sunt ramus appensus, sonitus cymbali, & similia. Relictis ergo cæteris signis, agendóque de solo signo ad placitum 10 doctrinali.

Noto secundò: Etsi nonnulli videantur docere, per terminum vocalem ita significari vtrumque mentalem, formalem scilicet, & obiectiuum, vt primariò, & immediatè formalis, secundariò autem

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit terminus.

5 TErminus sumptus vniuersè, quâ ratione *q. 1.* definitus est, multifariam venit diuidendus, vt sequitur.

Diuisio 1.

6 Primò enim diuiditur terminus in mentalem, vocalem, & scriptum.

Mentalis dicitur; qui in mente, siue intellectu nostro suam sedem habet. Hic autem est duplex: alius formalis consistens in apprehensione simplici, quâ intellectus quidlibet apprehendit; alius obiectiuus consistens in obiectiuo conceptu per ipsam apprehensionem simplicem apprehenso. Vterque autem rursùs diuiditur in vltimatum, & non vltimatum. Vltimatus dicitur, qui concipitur de quâuis re significatâ per
7 vocem: non vltimatus, qui concipitur de ipsâ voce significante rem.

tem, & mediatè obiectiuus significetur; communem tamen, & veram sententiam esse, vtrumque significati immediatè: Ita tamen, vt obiectiuus primariò, & directè; formalis verò secundariò, & indirectè significetur. Quod certè non ita intelligendum est (sicuti multi intelligunt) vt imponentes significationem vocibus solùm intenderint per eas significare res cognitas, indeque per accidens, & præter intentionem sequatur, vt ipsas etiam cognitiones significent. Hoc enim falsum est. Intenderunt etenim commercium hominum, iuxta Aristotelem in Politicis, Plat. in Cratylo, & omnes, quod maximè in communicatione, & manifestatione cognitionum internarum consistit; sed ita est intelligendum, vt ex primariâ intentione intenderint significare res provt cognitas, quod est intendisse significare vtrumque, res scilicet, & earum internas cognitiones; res tamen directè, cognitiones verò in obliquo, siue de connotato. Quo fit, vt voces diuerso modo res, atque earum cognitiones significent: pro rebúsque subinde, non item pro cognitionibus accipiantur. Quo, quædam sententia manet reiecta, quam Lyncè *supra tract. 2. cap. 3.* conatur contra communem adstruere. Significat itaque terminus vocalis vtrumque mentalem, formalem scilicet, & obiectiuum per se primariò, & directè, quantum est ex parte intentionis significationem eius instituentis: quantum verò est ex parte modi significandi, directè quidem solùm significat obiectiuum; formalem verò ex connotato, siue indirectè, atque ita pro obiectiuo solùm accipitur, siue vsurpatur, siue supponitur. Vtrumque tamen significat modo dicto immediatè, in quo differt à termino scripto. Termini enim scripti, licèt sint pariter instituti, sicut vocales, ad significanda obiecta cognita directè, & cognitiones eorum de connotato, vti explicatum est. Hoc tamen non immediatè; sed mediis ipsis vocalibus præstant, quos immediatè significant, significando eorum syllabas ore prolatas per coniunctionem litterarum, ex quibus constant. Ob id paucis litteris omnia vocabula omnium linguarum scribi possunt mediisque illis per terminos scriptos eis respondentes omnia ipsorum obiecta significari. De quo valde mirati sunt. Sinæ qui cum suis terminis scriptis non immediatè vocales; sed obiecta eorum significarent, tot figuris diuersis ad suas scripturas indigebant, quot erant obiecta significanda per scripturas ipsas. Vnde oriebatur, vt vix posset homo per totam vitam discere integram artem scribendi, isque proinde doctior haberetur, qui plura scribere, eorum depictis figuris sciret. Ob id etiam omnia vocabula omnium linguarum scripta ab iis itidem, qui eorum significationum ignorant, legi possunt. Quo casû legentes scripturam planè sciunt quid termini scripti significent immediatè nempe vocabula, nescientes, quid significent mediatè, nempe obiecta per ipsa vocabula significata. Ex quibus patet, quid, & quà ratione significent termini vocales, & scripti.

11 Porrò termini vocales (tantumdemque de scriptis, suâ seruatâ proportione censendum est) ad duo capita reuocantur, nempe ad Nomen, & Verbum. Nomen, iuxta Arist. lib 1. Periherm. cap. 2. *est vox significatiua ad placitũ sine tempore, cuius nulla pars significat separata.* Per particulam *sine tempore* distinguitur nomen à verbo, iuxta statim dicenda; subsequentium autem sensus est, nullam partem nominis sumptam seorsim significare quidpiam, dum nomen cum aliis componit, præter id, quod omnes significant simul, & indiuisim; id namque proprium est partium cuiusuis vocabuli simplicis logicè, quale nomen est. Vnde, rursùs fit, vt nulla pars nominis, aut cuiusuis vocabuli simplicis logicè significet separata ab aliis, id quod simul, & indiuisim iuncta cum aliis significabat. Vocabulum quippè logicè simplex est, quod simplicem significationem habet, id est, indiuisim conuenientem omnibus syllabis; atque adeò partibus eius, quasi physicis, vt sunt *Homo, Angelus, Lapis*, &c. cùm tamen complexum, siue compositum logicè sit, quod habet significationem compositam: quia coalescit ex pluribus vocabulis seorsim propriam significationem habentibus, ac retinentibus intra complexum ipsum, siue compositum ex illis, vt sunt: *Homo doctus: Angelus fortis: videns lapidem*, & similia: Omitto duas alias particulas, quibus definitionem nominis propositam limitat Aristoteles; quia puto, aptiùs eam absque tali limitatione relinqui, vt omnes dictiones logicè simplices præter verbum, reductæ ad vnum nomen possint sub illâ comprehendi: quò ad nomen, & verbum, provt oportet, omnes vocales termini reducantur compendij simul, & claritatis causâ.

Est autem verbum ex eodem Aristotele suprà 12
cap. 3. *Quod consignificat tempus, cuius nulla pars significat seorsim; & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota.* Dicitur autem verbum consignificare tempus: quia proprium obiectum eius est actus, provt habens actualiter esse in aliquâ differentiâ temporis præsentis, præteriti, aut futuri, provt ex dictis latiùs *suprà distinct. 2. quæst. 4.* præsertim *hypoth. 4.* compertum est, in quo potissimùm discriminatur Verbum à Nomine. Dicitur deinde esse semper notam, siue signum eorum, quæ de altero prædicantur: quia in quavis omnino propositione, potissimum, propriissimumque prædicatum est semper significatum verbi, vt in eâdem etiam *quæst. 4. consect. 1.* latiùs est explicatum. Nullam autem esse possibilem propositionem vocalem sine verbo, sicut nullum est possibile iudicium, quod non habeat pro obiecto significatum verbi, ex doctrinâ eiusdem quæstionis, quæ ad rem recolenda, palam est. Cæteræ, definitionis particulæ ex se, & ex dictis satis sunt notæ.

Hæc dicta de terminis vocalibus, & scriptis 13
significatiuis, siue aliud à se significantibus, qui propterea propriè sunt signa. Sunt tamen insuper termini dictiones non significatiuæ, siue aliud à se non significantes, quatenus pro se possunt poni in propositione, vt si dicas: *Blitiri est vox.* Quo etiam pacto dictiones significatiuæ pro se in propositione positæ termini sunt, vt si dicas: *Homo est nomen.* De quo iterum redibit sermo, *quæst. 3.*

Diuisio 2.

Terminus vniuersè sumptus in subiectum, & 14
prædicatum propositionis diuiditur.

Quæ diuisio à munere, quod exercet terminus intra propositionem subiecti, aut prædicati desumitur. Est autem subiectum id, de quo aliud, vel affirmatur, vel negatur; prædicatum autem id, quod vel affirmatur, vel negatur de ipso subiecto. Omnis quippe propositio immediatè ex subiecto, & prædicato composita est. Erunt autem subiectum, & prædicatum aut vocalia, aut scripta,

ptæ, aut mentalia siue formalia, siue obiectiua penes naturam propositionis ex illis compositæ aut vocalis, aut scriptæ, aut mentalis, siue formalis, siue obiectiuæ. Et prædicatum quidem potissimum propositionis vocalis semper est verbum; mentalis autem obiectiuæ significatum verbi, vti dicebam paulò antè. Sicut semper est subiectum potissimum illius quidem nomen, huius autem significatum nominis. Quanquam enim aliquid spectans ad verbum interdum pro subiecto ponatur, vt cum dicimus: *intelligere est bonum*, tunc id non per modum verbi; sed per modum nominis ponitur, vt satis ex se apparet. Nil tamen vetat cum verbo ex parte prædicati poni aliquod, aut aliqua nomina, & cum nomine ex parte subiecti poni aliquod, aut aliqua verba, vt quædam syncategoremata prædicati, & subiecti; sæpè enim subiecto categorematico, quod potissimum subiectum dicimus, & prædicato categorematico, quod potissimum prædicatum vocamus, nonnulla syncategoremata solent apponi, vt iam iam explico. Etenim.

Diuisio 3.

15 Terminus vniuersè etiam sumptus alius categorematicus, & alius syncategorematicus est: quorum primus categorema, secundus syncategorema solet item vocari.

Terminus categorematicus dicitur, qui per se solus potest poni in propositione tanquam subiectum, aut prædicatum eius, vt *homo: Petrus currit, legit*, & similes. Terminus verò syncategorematicus est, qui non per se solus; sed tantùm aliis adiunctus potest poni in propositione ex parte subiecti, aut prædicati, vt *hominis, Petri, velociter, tardè, qui*, & alij huiusmodi; sæpè autem integra aliqua propositio est syncategorema alterius, vt *Petrus, qui currit, mouetur: homo legit librum, quem emit*, &c. Quomodò autem syncategoremata aut ex parte prædicati propositionis posita ipsam propositionem constituant: atque adeò diuersam faciant, sub eiúsque aut affirmationem, aut negationem cadant, ex dictis *disput. 2. quæst. 4. conferatur. 5.* sumendum est.

Diuisio 4.

16 Terminus vniuersè etiam sumptus alius est abstractus, alius concretus, alius adiectiuus, alius substantiuus, alius absolutus, alius relatiuus, alius connotatiuus.

Abstractus dicitur ille, qui præ se fert aliquid quasi secundum se præcisè consideratum, vt *potentia, lectio*. Concretus verò ille, qui præ se fert idem vt coniunctum cum alio quopiam, tanquam cum subiecto, vt *potens, legens*. Terminus autem substantiuus est, qui dicit ex æquo, & directè quæcumque dicit, vt *homo* corpus, & animam; *potens* sumptum pro composito ex subiecto, & potentiâ. Adiectiuus autem est, qui dicit vnum in recto, & aliud tanquam adiectum illi in obliquo; *potens* sumptum pro habente potentiam: *legens* sumptum pro exequente lectionem. De quibus plura dicta *supra disput. 2. q. 4.* præsertim *conject. 3.* videuda sunt. Terminus absolutus est, qui præ se fert aliquid sine respectu ad aliud, vt *homo, Angelus*. Relatiuus, qui cum respectu ad aliud, vt *pater, Dominus*. Connotatiuus denique, qui cum connotatione alterius, vt *coexistens, coniunctus*. De quibus etiam plura *loc. cit. & disputat. 14. quæstione 1.*

Diuisio 5.

Terminus vniuersè etiam sumptus alius est sin- 17
gularis, alius communis, & vterque aut positiuus, aut negatiuus. Communis autem alius est distributus, alius collectiuus, alius vagus, alius indefinitus. Tum alius transcendens; alius non transcendens.

Singularis est, qui solùm conuenit vni indiuiduo, vt *Socrates, hic homo*: Communis, qui conuenit pluribus, vt *homo, animal*. Positiuus, qui aliquid ponit in rebus, vt *Socrates, homo*. Negatiuus, qui aliquid remouet, vt *negatio, cæcitas*. Distributus autem est terminus communis, qui ligno aliquo vniuersali, vel præuiâ negatione affectus, plura, & singula, quibus conuenit diuisiuè, siue distributiuè dicit; ob idque etiam diuisiuus, siue distributiuus vocatur, vt *omnis homo, nullus lapis*, ipseque lapis in hac propositione: *Socrates non est lapis*. Collectiuus verò est, qui, aut nullo signo, aut vniuersali affectus; plura, quibus conuenit, dicit collectiuè, siue indiuisim: vt *multitudo, numerus*, & *omnes Apostoli* in hâc propositione: *Omnes Apostoli sunt duodecim*. Vagus est, qui affectus signo aliquo vago, seu disiunctiuo ea plura, quibus conuenit, dicit vagè, seu sub disiunctione, id est, vnum, vel aliud, vel aliud, &c. omnibus recensitis; vt *Aliquis homo: quoddam animal*, qui etiam terminus particularis, & signum, quo afficitur particulare dici solet à Logicis; cæterique termini, provt condistincti ab illo, determinati nuncupantur: quia non vagè, sed determinatè dicunt quæcumque dicunt, siue plura sint, siue vnum. Indefinitus denique terminus est, qui, cùm sit communis, nulloque signo affectus indifferens ex modo suo significandi manet, vt modo pro vno, eoque, vel determinato, vel vago; modò pro multis, iisque, vel pluribus, vel paucioribus supponatur, iuxta naturam aliorum terminorum, quibus adiungitur, re tamen ipsâ, & in actu exercito nunquam cum eâ indifferentiâ, atque adeo neque indefinitus existit: huiusmodi sunt *homo, animal*, & cæteri termini communes. *Animal*, enim in hâc propositione: *Aliquis homo est animal*, accipitur pro vno animali vago, quod cum homine ex parte subiecti vagè sumpto identificatur. In hâc verò: *omnis homo est animal* accipitur per quandam distributionem accommodam pro omnibus animalibus, quæ sunt identificata cum hominibus, non item pro reliquis, iuxta dicenda *quæst. 3.* & in hâc: *Nullus lapis est animal* pro omnibus omnino animalibus distributiuè. Paritérque in cæteris. Iam verò terminus transcendens est qui de omnibus partibus seu physicis, seu metaphysicis eorum omnium, quibus conuenit, formaliter dicitur, vt *ens, bonum*: Non transcendens autem, qui non item; vt *viuens, animal*, &c. De quibus omnibus plura *in superioribus disp. 2. q. 3. & disp. 9. q. 2. & disp. 10. q. 2. & disp. 17. q. 20.*

Diuisio 6.

Terminus vniuersè etiam sumptus, alius est sim- 18
plex, siue incomplexus; alius complexus

Simplex est, qui ex aliis terminis non est compositus, tametsi componatur ex partibus, quæ non sunt termini, iuxta ea, quæ *in præcedentibus* diximus.

Com

Complexus verò est, qui ex aliis terminis est compositus quouis modo. Vnde, terminus complexus, & oratio in idem recidunt, quod ad rem attinet. Si tamen oratio sumatur non solùm pro aggregato plurium dictionum, vt eam sumpsit Arist. *lib. 1. Periherm. cap. 4.* sed insuper pro aggregato plurium conceptuum, tum obiectiuorũ, tum formalium ipsis dictionibus respondentium, vti sumi impræsentiarũm expediet, vt quemadmodum terminus complexus, ita etiam oratio in mentalem vocalem, & scriptum, rursusque mentalis in formalem, & obiectiuam diuidenda veniat, iuxta dicta *diuis. 1.*

Diuisio 7.

19 Terminus vniuersè etiam sumptus, alius primæ, alius secundæ intentionis est.

Terminus primæ intentionis est, qui præ se fert aliquid reale, vt *homo. Angelus, lapis*, &c. Terminus verò secundæ intentionis est, qui præ se fert aliquid rationis, siue otiundum ab intellectu, vt vniuersale, genus, species, &c.

Diuisio 8.

20 Terminus sumptus specialiter pro vocali, atque adeò etiam pro scripto, alius est vniuocus; alius æquiuocus: alius analogus, alius denominatiuus. Tum alius primæ, alius secundæ impositionis. Tum alius finitus, alius infinitus.

De vniuoco, æquiuoco analogo, & denominatiuo satis est dictum *disp. 17. q. 22.* Terminus primæ impositionis dicitur, qui significat res, vt *homo, lapis*, &c. Secundæ verò impositionis, qui significat voces significantes res, vt *Nomen, Verbum*, &c. Terminus finitus dicitur, qui determinat id, quod significat, vt *Homo, Angelus*. Infinitus autem, qui non determinat id, quod significat, sed id, quod non significat, vt *non Homo, non Angelus*, sumptâ particulâ *non* infinitanter; non verò negatiuè. Priori enim modo sumptâ, *non homo* significat cætera omnia præter hominem: posteriori autem modo sumptâ, *non homo* significabit negationem hominis dumtaxat. Quo secundo modo sumitur semper, quoties iungitur verbo, & negatiuam reddit propositionem, cuius verbum potissimum est prædicatum, iuxta dicta *n. 12.*

Diuisio 9.

21 Termini plutaliter sumpti, alij sunt pertinentes, alij impertinentes. Pertinentes autem alij sequelâ, alij repugnantiâ sunt tales. Rursus pertinentes sequelâ, alij conuertibiles sunt, alij non conuertibiles.

Hæ locutiones sunt logicorum fundatæ in connexione, oppositionéque terminorum. Quare satius foret eos in connexos, & non connexos in oppositosque, & non oppositos diuidere; diuisâ subinde connexione, oppositioneque eorum in suas species, iuxta dicta à nobis *supra disp. 14.* Etenim pertinentes dicunt, quando ex vno ad alium bene arguitur. Si affirmatiuè quidem, pertinentes sequelâ; vt: *est homo: ergo visibilis*: si negatiuè verò, pertinentes repugnantiâ, vt: *est calidum: ergo non frigidum*. Bonitas autem consequentiæ ab vno ad alterum affirmatiuè in connexione; negatiuè verò in oppositione vnius cum altero fundatur. Vnde, pertinentes repugnantiâ semper sunt mutuò tales: quia oppositio semper est mutua. Pertinentes autem sequelâ aliquando sunt mutuò tales, quo casũ dicuntur conuertibiles, aliquando verò non mutuò, quo casu dicuntur non conuertibiles quia connexio aliquando mutua, aliquando non mutua est. Videantur cætera ad rem spectantia cum cæteris connexionis, oppositionisque diuisionibus loco citato. Impertinentes verò terminos appellant Logici, qui inter se, nec connexionem, nec oppositionem habent; proindéque ex vno ad alterum nec affirmatiuè, nec negatiuè licet arguere, vt *album, & dulce*.

QVÆSTIO III.

Quid sit suppositio termini: & quotuplex?

SVppositio termini est *acceptio termini pro re,* 22
quam significat, aut pro se. Cùm enim, vt ait Arist *lib. 1. Elench. cap. 1.* res ipsas in disputationem non possimus adducere, vocibus pro rebus per ipsas significatis vtimur, vt mediis illis de rebus ipsis disputemus, nisi disputatio sit de vocibus, quo casu voces à nobis pro se ipsis in disputatione accipiuntur. Quod ipsum est eas, aut pro rebus significatis, aut pro se ipsis inter disputandum supponi. Vnde patet, suppositionem termini vocalis dumtaxat affectionem, seu proprietatem esse,

Hinc suppositio imprimis diuiditur in materia- 23
lem, & formalem. Materialis dicitur acceptio termini pro se ipso, vt cum dicimus: *Homo est vox*. Formalis verò acceptio termini pro re, quam significat, vt cùm dicimus: *Homo est animal*. In primâ enim propositione terminus *homo* pro se ipso; in secundâ verò pro re quam significat, capitur. Quod ex diuersitate prædicati ipsi attributi venit diiudicandum. Porrò, suppositio formalis alia propria, est alia; impropria. Propria est vsurpatio termini pro re, ad quam posteà significandam primò est impositus, vt cum dicimus: *Homines rident*. Impropria verò vsurpatio termini pro re, ad quam posteà significandam titulo alicuius habitudinis translatus est, vt cùm dicimus: *Prata rident. Ridere* quippè de hominibus propriè; de pratis autem dicitur translatitiè. Rursus, suppositio propria, alia dicitur simplex; & est acceptio termini pro re, vt subest conceptui secundæ intentionis, vt, si dicas: *Animal est genus*. Alia dicitur personalis; & est acceptio termini pro re, vt subest conceptui primæ intentionis, vt, si dicas: *Animal est sensibile*. Quid sit autem conceptus secundæ intentionis: & quid primæ ex dictis *q. 2. diuis. 7.* notum est.

Deinde suppositio personalis, alia singularis est: 24
alia cõmunis. Singularis est acceptio termini singularis pro significato singulari. Communis autem acceptio termini communis pro significato communi, iuxta dicta de termino singulari, & communi *q. 2. diuis. 5.*

Præterea suppositio communis in distributi- 25
nam, copulatam, determinatam, & confusam diuidi solet. Distributiua est acceptio termini communis pro omnibus, & singulis significatis suis sumptis diuisim, vti accipitur terminus *Homo*, cùm dicimus: *omnis homo est risibilis. Nullus homo est lapis*. Quæ rursùs aut est distributiua pars singulis generum, id est, pro singulis significatis individuis, vt in exemplis positis; aut pro generibus singulorum, id est, pro aliquo, vel aliquibus significatis

ficatis indiuiduis singulorum generum, quo pacto supponitur distributiuè terminus *Animal*, cùm dicitur: *Omne animal fuit in arcâ Noë*: Quæ vtraque, aut absoluta potest esse, hoc est, complectens omnia, quæ distribuit, vti in prioribus exemplis euenit, aut cum exceptione, hoc est, alicuius exceptionem compatiens, vti euenit in posteriore. Copulata autem suppositio est acceptio termini communis pro omnibus suis significatis collectim, siue indiuisim sumptis. Qualiter accipitur terminus *Apostoli*, cùm dicitur: *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim*. Determinata verò suppositio dicì à plerisque solet acceptio termini communis pro aliquo ex suis significatis vagè quidem, sine disiunctiuè significato; sed quod re ipsâ determinari, siue signari potest, vt cùm dicimus: *Aliquis homo currit*. Vbi terminus *Homo* pro vno hominum significato indeterminatè, seu vagè accipitur; sed, cui re ipsâ determinatè conuenit currere; réque ipsâ subinde, quis ille sit, cui conuenit currere, determinari potest, atque signari. Hæc tamen suppositio ab aliquibus ob eam indeterminatam, seu vagam termini significationem confusa nuncupatur. Strictiùs tamen ab omnibus dicitur suppositio confusa acceptio termini communis pro significato ita confuso, vt neque determinari, neque signari possit re ipsâ, vt cùm dicimus: *Equus requiritur ad equitandum*. Nulli enim equo determinato conuenit absolutè re verâ requiri ad equitandum, pronulloque subinde equo determinato, & assignabili accipitur terminus equus in dictâ propositione; sed tantùm pro equo sumpto confusè. Quod est suppositionem eius in tali propositione confusam esse. Qualis censetur etiam à multis suppositio prædicati, cuius subiectum affirmatiuè distribuitur, vt prædicati *Animal* in hâc propositione: *Omnes homo est animal*; necnon suppostio subiecti, cuius prædicatum distributur affirmatiuè, vt subiecti *homo* in hâc propositione: *homo domat omnia animalia*.

26 Ego verò censeo, duplicem suppositionis confusionem debere distingui. Alia enim, quæ confusio communitatis potest vocari, oritur ex vniuersalitate termini non distributi. Quo pacto dicitur supponi confusè prædicatum propositionis vniuersalis affirmatiuæ, vt huius: *Omnis homo est animal*. Et subiectum commune propositionis, cuius prædicatum affirmatiuè distribuitur, vt harum: *Homo omnia animalia domat. Caro arietina vbique terrarum comeditur. Piper venditur Toleti, & Matriti*: & similium. Quo etiam spectat confusio termini communis, cui aduerbia numeralia iunguntur, vt in his. *Ter feci sacrum. Bis legi lectionem*, & similibus. Et vniuersè confusio cuiuslibet termini communis, qui nec sumitur pro vno tantùm inferiori, nec distribuitur pro pluribus. Alia verò, quæ confusio indeterminationis poterit appellari, tunc reperitur, quando terminus communis accipitur pro vno tantùm inferiori, non tamen determinato; sed vago, siue indeterminato. Quæ rursus duplex est. Alia enim est confusio indeterminationis ex parte modi significandi dumtaxat; alia confusio indeterminationis ex parte rei significatæ. Prima inuenitur, vbi terminus communis pro vno inferiore vagè sumpto vsurpatur, quod tamen illi attribuitur, alicui determinato re ipsâ competit, vt cùm dicimus: *Aliquis homo loquitur*, loquente re ipsâ homine aliquo determinato, & assignabili. Secunda verò inuenitur, vbi terminus communis ita pro vno inferiore indeterminatè sumpto vsurpatur, vt id, quod illi attribuitur, nulli determinato, & assignabili conueniat re ipsâ absolutè, vt cùm dicimus: *Aliqua actio requiritur, vt effectus fiat*, nullâ determinatâ actione ad id re ipsâ requisitâ absolutè, sed tantùm vnâ, vel alterâ sub disiunctione. *Vna auditio Missæ præcepta est*, nullâ determinatâ Missæ auditione re ipsâ præceptâ absolutè. Paritérque in similibus. Quomodo verò in his casibus prædicatum nulli inferiorum subiecti communis re ipsâ conueniens determinatè, & absolutè, eatenus solùm dicatur alicui eorum sub disiunctione, indeterminatéve conuenire, quatenùs cuiuis eorum determinatè, sub conditione tamen negationis aliorum conuenit, ex dictis *disputat. 10. quæstion. 2, & 5.* liquidum est.

Ad sciendum autem, quo ex dictis modis 27
vnusquisque terminus supponatur, istæ regulæ sunto. 1. Quoties subiectum propositionis afficitur signo *nullus* non solùm subiectum ipsum, sed etiam prædicatum distribuitur; & vniuersim negatio quæuis omnes terminos communes aliàs non distributos, quos post se siue immediatè, siue mediatè reperit, distribuit. Sic in hâc propositione. *Non aliquis homo est lapis*: termini *homo*, & *lapis*; & in hâc: *Aliquis homo non est lapis*: terminus *lapis* distributiuè supponuntur. 2. Signum *omnis* terminum, quem afficit immediatè, distribuit; quem verò mediatè, facit supponere confusè confusione communitatis, vt in exemplis *suprà* positis cernere est. 3. Terminus communis sumptus pro collectione omnium, quæ sub se continet indiuisim, supponitur copulatè, siue ex parte subiecti propositionis, siue ex parte prædicati ita sumatur. 4. Signum *Aliquis* vel æquiualens facit supponere confusè confusione indeterminationis solùm ex parte modi significandi terminum communem, quem afficit tam mediatè, quàm immediatè, dum nulla præcedit negatio, aut signum distribuens. Sic enim in hâc propositione: *Aliquis homo est animal* supponuntur tam *animal*, quàm *homo*. In his verò: *Aliquis homo non est aliquis lapis*, terminus *lapis* distributiuè supponitur; Et in hâc: *Omnis homo est aliquod animal*, terminus *animal* confusè confusione communitatis, perinde ac si signo *aliquis* non essent affecti. 5. Quando nulli contentorum sub termino communi conuenit determinatè, quod ei attribuitur; sed vni, vel alteri eorum sub disiunctione, tunc talis terminus supponitur confusè confusione indeterminationis ex parte rei significatæ, vt terminus *oculus* in hâc propositione: *oculus requiritur ad videndum*. 6. Termini æquiualentes eodem genere suppositionis supponi censentur, quibusuis demùm signis, aut negationibus afficiantur alij præ aliis. Sunt autem termini æquiualentes, qui idem obiectum significant æquiualentéque faciunt propositiones, quas componunt, iuxta dicenda *infrà disp. 19. q. 2.*

Porro ad resoluendas, ampliúsque subindè ex- 28
plicandas quatuor suppositiones communes commemoratas, totidem Descensus, Ascensúsque connumerantur à Logicis. Nempe copulatiuus, copulatus, disiunctiuus, & disiunctus. Quorum primus, inquiunt, suppositioni distributiuæ correspondet, eique debetur; secundus suppositioni copulatiuæ; tertius suppositioni determinatæ; quartus suppositioni confusæ. Est autem descensus

progressio

progressio à termino communi ad particularia sub eo contenta sufficienter enumerata : ascensus verò vice versâ progressio à particularibus sufficienter enumeratis ad terminum communem. Et quoniam conceptus obiectiuus communis aliud non est re ipsâ à particularibus, quos amplectitur ; atque adeò quidquid realiter illi conuenit, & his conueniat necesse est, atque è conuerso. Idcircò, ascensus, & descensus legitimæ quædam sunt argumentationes.

29 Itaque, bene sic arguitur : *Omnis homo est animal : Ergo hic homo est animal, & hic homo est animal : & hic homo est animal*, &c. aliquis omnibus pariter recensitis : atque item è conuerso. Similiter benè sic arguitur ; *Nullus homo est lapis : Ergo neque hic homo est lapis ; neque hic homo est lapis*, &c. pariter recensendo reliquos omnes atque item è conuerso. Qui sunt descensus, ascensúsque copulatiui tum affirmatiui, tum negatiui suppositioni distributiuæ termini *homo* affirmatiuæ, & negatiuæ correspondentes, & debiti. Benè etiam arguitur : *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim : Ergo hic Apostolus, & hic, & hic*, &c. numeratis omnibus, *sunt duodecim* : atque etiam è conuerso. Similiter : *Omnes Apostoli Dei non sunt viginti : Ergo hic Apostolus, & hic*, &c. numeratis omnibus, *non sunt viginti* : atque item è conuerso. Qui sunt descensus, ascensúsque copulati tum affirmatiui, tum negatiui suppositioni copulatæ termini *Apostoli* affirmatiuæ, & negatiuæ correspondentes, & debiti. Bene etiam arguitur : *Aliquis homo currit : Ergo, vel hic homo currit, vel hic homo currit*, &c. pariter percurrendo per omnes : atque item è conuerso. Similiter : *Aliquis homo non loquitur : Ergo vel hic homo non loquitur ; vel hic homo non loquitur*, &c. pariter per omnes percurrendo : atque item è conuerso. Qui sunt descensus ; ascensúsque disiunctiui affirmatiui, & negatiui respondentes, & debiti suppositioni termini *Aliquis homo*, quam plerique determinatam nonnullis refragantibus, vocant ; & nos suppositionem confusam confusione indeterminationis ex parte dumtaxat modi significandi dicendum censemus. In quibus omnes Logici re ipsâ consipirant. Et merito.

30 Dissentiunt tamen circa descensum, ascensumque, disiunctum, quem plerique indistinctè adscribunt suppositioni confusæ ; negantibus tamen aliis ; eo quòd suppositioni confusæ, quam habet prædicatum propositionis vniuersalis affirmatiuæ, aliisque huiusmodi, non videtur quadrare posse. Quanquam enim bene arguatur : *Aliqua actio requiritur, vt effectus fiat : Ergo, vel hæc actio, vel illa*, numeratis omnibus, *requiritur, vt effectus fiat* : atque item è conuerso ; Qui sunt descensus, ascensúsque disiuncti suppositioni confusæ termini *Actio* correspondentes, & debiti. Ast non benè arguitur. Similiter : *Omnis homo est animal : Ergo omnis homo est hoc animal, vel illud, vel illud*, &c. omnibus recensitis : Quia est antecedens verum, & consequens falsum. Falsum quippe est, omnem hominem esse vnum ex animalibus vage, siue indeterminatè sumptum, quod tale consequens significat. Quocirca, neque è conuerso benè arguitur. Vnde patet, suppositioni confusæ termini *Animal* eiusmodi ascensum, descensúmque disiunctum nec conuenire, nec deberi. Ergo, qui duas suppositiones confusas, præter eam, quam determinatam vocant communiter, paulò anteà distinxi, facilè dissidium hoc compono, asserendo, suppositioni confusæ confusione indeterminationis ex parte rei significatæ descensum, ascensumque disiunctum prædictum conuenire, & deberi ; secus suppositioni confusæ confusione communitatis. Pro hâc enim, præter quatuor numeratos, receptosque communiter, alius descensus, ascensúsque adstruendus est, qui distributionis accommodæ dici potest. Per quem dumtaxat benè descenditur, aut ascenditur à termino talem suppositionem habente ad inferiori eius, aut è conuerso in hunc modum : *Omnis homo est animal : Ergo omnis homo est hoc animal, & hoc animal, & hoc animal*, &c. omnibus numeratis per distributionem accommodam, ita vt singulis hominibus singula animalia tribuantur. Similiter : *Vbique comeditur panis : Ergo vbique comeditur hic panis*, &c. recensitis omnibus per distributionem accommodam, ita vt singulis locis singuli panes vnicuique suus tribuantur. Pariterque, è conuerso ascendendum ; atque de cæteris huiusmodi philosophandum est.

31 Vnum hic superest adnotandum de termino negatiuè distributo, provt communiter vsurpari videtur ; nempè non descendi ab eo legitimè per solum descensum copulatiuum ; sed opus esse duos simul descensus coniungere, copulatiuum videlicet, & disiunctum : id, quod etiam, dum ascenditur, seruandum est, ne detur antecedens verum, & consequens falsum. Si enim ita ascendamus : *Hæc actio non requiritur, vt effectus fiat, neque hæc requiritur, neque hæc requiritur*, &c. *Ergo nulla actio requiritur, vt effectus fiat*, antecedens est verum, & tamen consequens est falsum, iuxta communem sentiendi, & loquendi morem. Sicuti etiam est falsum dicere, nullam esse necessariam Dei gratiam ad consequendam vitam æternam : cùm tamen sit verum dicere, hanc determinatam non esse necessariam, neque illam, neque illam, &c. numeratis omnibus. Ascensus igitur ita faciendus est. Gratia A non est necessaria ad salutem, neque est necessaria gratia B, neque gratia C, rursus neque est necessaria A, vel B, vel C, sub disiunctione : ergo nulla est necessaria gratia ad salutem : patérque descensus faciendus est. Etenim negatio absolutè prolata adeò est malignantis naturæ, vt non solùm soleat negare vnum de alio secundum se spectato ; sed etiam quouis modo comparato cum aliis. Quo fit, vt quidquid negatur de termino distributo, non solùm negetur de singularibus in eo contentis secundum se absolutè conceptis ; sed etiam inter se comparatis per disiunctionem. Hæc dicta loquendo de termino negatiuè distributo, provt communiter videtur sumi pro omnibus scilicet, & singulis in ipso contentis non solùm determinatè ; sed insuper disiunctiuè, disiunctim sumptis. Si enim pro illis determinatè tantùm sumptis sumatur, vt potest, atque etiam interdum solet ; tunc illi ascensus, descensúsque copulatiuus tantùm debitus erit.

32 Suppositioni adiungi solent aliæ quædam termini vocalis proprietates : nempe status, ampliatio,

pliatio, restrictio, distractio, alienatio, diminutio; remotio, & appellatio. Quarum omnium explicatio eò tendit, vt innotescat, quo sensu vnusquisque terminus, præsertim communis accipiatur. Hoc tamen sufficienter ex circumstantiis innotescit, quin opus sit tot vocabulis, torque regulis sub eis contentis audientis, siue legentis mentem obruere. Ob id eas omitto apud summulistas videndas.

DISPVTATIO XIX.

De propositionibus.

1 PROPOSITIONES tum obiectiuæ, tum formales, eæque tum mentales, tum vocales, aut ore prolatæ, aut scriptæ, quæ veluti materia sunt, vnæquæque suo modo, ex quâ omnis scientia humana compingitur, materia sunt etiam non ex quâ, sed circa quam disputatio præsens versatur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit propositio; & quotuplex.

2 PRopositio (quam aliqui enunciationem appellant) ex Aristot. *libr. primo, Periherm. capit. quarto*, sic definiri solet: *Est oratio, in quâ verum, vel falsum est.* Tum ex eodem libr. primo, Prior. capit. primo, *Est oratio aliquid affirmans, vel negans.* Meliùs tamen alij, vt fugiant in definiendo disiunctionem distinguentem potiùs species definiti, ipsumve in illas diuidentem, quàm explicantem ipsius naturam talibus speciebus communem, ita definiunt: *Est oratio enuntians aliquid de aliquo*, id est, suadens aliquid de aliquo, siue alicuius de aliquo suasiua ex suo proprio modo tendendi. Hoc namque, & omni propositioni est commune, & eam sufficienter discriminat ab omni non propositione. Ex quibus definitionibus (quarum prima descriptiua, secunda autem, & tertia quiditatiuæ censentur, vnaquæque suo modo) satis superque apparet, quid sit propositio formalis, vocalis, & scripta, aut etiam mentalis. Propositio autem obiectiua aliud non est ab obiecto propositionis formalis.

3 Iam verò propositio, formalis sumpta vniuersè primò diuiditur in affirmatiuam, quæ affirmando ponit aliquid in rebus, vt *Petrus currit*; & negatiuam, quæ remouet aliquid negando, vt *Petrus non legit.* Quarum vtraque rursus, aut erit vera, si sit conformis suo obiecto, aut erit falsa, si sit difformis, iuxta dicta latè de veritate, & falsitate propositionum. tum formalium, tum obiectiuarum *supra disputatione tertia.* Quæ ad rem videnda. Propositionum quippe obiectiuarum aliæ veræ sunt veris formalibus correspondentes; aliæ falsæ correspondentes falsis formalibus: sicut etiam aliæ sunt positiuæ correspondentes formalibus affirmatiuis, aliæ negatiuæ correspondentes negatiuis formalibus.

4 Deinde, propositio formalis sumpta etiam vniuersè in absolutam, seu categoricam, & conditionatam, seu hypotheticam est diuidenda. Prima est, quæ absolutè enuntiat aliquid de aliquo, vt *Petrus currit: Petrus non legit.* Secunda, quæ sub aliquâ conditione, siue sub aliquâ factâ hypothesi enunciat aliquid de aliquo, vt, *si Petrus curreret, moueretur: si Petrus non videret, non legeret.* Vtraque autem rursus in simplicem, & complexam diuidenda venit. Simplicem dico, quæ ex pluribus propositionibus non est composita, vt cernitur in exemplis positis. Complexam autem appello, quæ ex pluribus propositionibus composita est, vt cernitur in his: *Petrus currit, & Ioannes ambulat: si Petrus curreret, Petrus moueretur, & Ioannes cerneret.* Complexa verò propsitio rursus diuiditur à Logicis in copulatiuam, causalem, & rationalem. In multasque alias æquali ture diuidi posset, atque etiam in mixtas ex illis, combinatione factâ. Copulatiua est, quæ plures propositiones, seu categoricas, seu hypotheticas coniungit per particulam *&*, aut æquiualentem, vt in exemplis positis. Disiunctiua, quæ plures pariter disiungit mediâ particulâ *vel*, aut simili, vt *Petrus currit, vel Ioannes legit: Si Petrus curreret, Ioannes ganderet, vel non ganderet.* Causalis est, quæ mediâ particulâ *quia*, vel æquiualente indicat, obiectum vnius propositionis esse causam obiecti alterius „ idque, vel categoricè, vel hypotheticè, vt: *Quia Petrus currit, monetur: Si Petrus curreret, quia curreret, moueretur.* Rationalis denique est, quæ mediâ particulâ *ergo*, vel simili indicat obiectum vnius propositionis sequi ex obiecto alterius; id tamen solùm euenit categoricè, vt, *Petrus currit: ergo monetur.* Aliæ autem innominatæ diuersæ à prædictis huiusmodi sunt: *Dum Petrus legit, Ioannes audit. Quamdiu Petrus laborat, Ioannes quiescit: Vbi est magister; ibi est discipulus: sicut vnus ambulat, ita, & alter*; Et similes. Adde, hypotheticam propositionem trifariam posse esse complexam; idque, vel copulatiuè, vel disiunctiuè, vel causaliter, vel mixtè. Primo, ex parte conditionati tantùm, vt in exemplis *suprà* positis. Secundo, ex parte conditionis tantùm. Tertiò, ex parte vtriusque. Quò hypotheticarum complexarum plurimæ aliæ species pullulant.

5 Scio: Logicos communiter aliter diuidere propositionem in categoricam, & hypotheticam. Eam enim solam categoricam dicunt, quam nos categoricam simplicem appellauimus: sub hypothetica autem comprehendunt tum dictam à nobis simplicem hypotheticam; tum quatuor complexas *suprà* relatas coalescentes ex categoricis, copulatiuam scilicet, disiunctiuam, causalem, rationalem. Aliarum autem complexarum mentionem non faciunt. Cæterum diuisioni à nobis factæ prorsùs videtur standum: quia Logici in suâ peccant dupliciter. Primò: quia vocabulo *hypothetica* abutuntur, vtpote, quod solùm dicitur proprie de conditionatâ; secùs de reliquis. Secundò: quia diminutè procedunt, cùm

tùm tot species propositionis complexæ commemoratas à nobis penitus prætermittant. In quod peccatum non semel incidunt, cùm alias præterea prætermittant propositionum diuisiones.

6 Etenim propositio conditionata, siue hypothetica proprie dicta aliter diuidenda venit in causalem, illatiuam, & purè coniunctiuam, prout *suprà disp. 2. quæst. secunda, diuis. 6.* tactum est. Purè coniunctiua dicitur, quâ enunciatur conditionatum, vt coniunctum cum conditione posita in hypothesi, siue, prout illi subest, vt sic, præscindendo ab omni huius in illud tum influxu, tum connexione. Causalis autem appellatur, quâ enunciatur conditionatum, vt subest conditioni positæ in hypothesi innuendo tacitè conditionem in conditionatum aliquem influxum habere sub hypothesi datâ. Illatiua denique vocatur, quâ enuntiatur conditionatum vt subest conditioni positæ in hypothesi, innuendo etiam tacitè conditionem cum conditionato sub hypothesi datâ connexionem aliquam habere. Vnde patet primò, omnem propositionem conditionatam sensum coniunctiuum, eumque præcipuum, & expressum habere. Causalem verò supra illum tacitè addere sensum causalem. Pariterque illatiua sensum illatiuum. Secundo patet, conditionalem purè coniunctiuam veram esse, eo ipso, quòd verè sit conditionatum ex hypothesi conditionis, vt planè potest, etiamsi conditio neque influat in conditionatum, neque cum eo connexa sit. Causalis tamen, vt vera sit, duo requirit: &, quòd verè sit conditionatum ex hypothesi conditionis, & quod conditio in illud influat aliquo modo conducendo ad illius *esse*: Pariterque illatiua duo ad suam veritatem requirit: Et, quod verè sit conditionatum ex hypothesi conditionis, &, quòd conditio cum illo ita connexa sit, vt sine illo esse non possit. De hâc tamen diuisione plura dicemus aliàs *in tractat. de scientiâ Dei.* Porrò, conditionalis illatiua, vtpotè, quæ assimilatur discursui, tot modis diuidenda venit, quot ipse discursus, cuius differentiæ innumeræ propemodum sunt, vt constat ex diuisionibus eius factis *ibidem diuisione septima*, faciendisque *infra disputatione vigesimæ*. Qualiter etiam est diuisibilis propositio complexa rationalis, quæ argumentatio, siue discursus formalis est.

7 Propositio autem categorica simplex communiter diuiditur à Logicis in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Vniuersalis dicitur, cuius subiectum est commune signo vniuersali, siue distributiuo affectum, vt: *Omnis homo ambulat: Nullus homo legit.* Particularis, cuius subiectum est commune signo particulari, seu vago affectum, vt: *Quidam homo currit: Aliquis homo non legit.* Indefinita, cuius subiectum est commune nullo signo affectum, vt: *Homo est animal: Homo non legit.* Singularis, cuius subiectum est singulare, vt; *Socrates dicit*, vel commune pronomine demonstratiuo affectum, vt: *Hic homo non loquitur.* Quibus addi posset collectiua, cuius subiectum commune copulatè, siue collectiuè supponitur, *Omnes Apostoli sunt duodecim.* Hæc tamen ad singularem reducitur: quia de singulari quodam aggregato sumpto indiuisim, & determinatè prædicat aliquid. Addenda etiam fortasse alicui videbitur propositio de subiecto confuso confusione indeterminationis ex parte rei, vt: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum*, iuxta dicta *disputatione decima octaua, quæstione tertia*, sed hæc inter categoricas simplices censenda non est: quia æquiualenter est complexa ex duabus, aut pluribus hypotheticis, quibus de singulis extremis subiecti disiuncti, seu vagi determinatè dicitur prædicatum sub conditione defectus aliorum. Hoc pacto; *Dexter oculus est necessarius ad videndum, si non sit sinister; & sinister, si non dexter*, prout constat ex doctrinâ traditâ suprà disputatione decima, quæstione secunda. Propositio autem indefinita talis non est, neque esse potest re verâ, & quoad sensum, iuxta doctrinam traditam *suprà disputatione secunda, quæstione secunda. diuision. decima, & quæstione tertia, conclusione quarto*; atque etiam iuxta dicta de termino indefinito *disputat. decima octaua, quæstione secunda, diuis. quinta.* Quocirca, dicitur à Logicis, quando est in materiâ necessariâ, aut remotâ, æquiualere vniuersali; Particulari autem, quando est in materiâ contingente. Vnde, solùm venit dicenda indefinita, vel quia ex modo significandi est indifferens, vt pro vnâ, vel pro alterâ vsurpetur; vel quia pro subiecto habet terminum ex præciso suo modo significandi indefinitum, prout *disput. 18. quæst. 2. dicta diuis. 5.* explicuimus. Ex quibus concluditur, omnem propositionem simplicem categoricam ad vniuersalem, particularem, & singularem reuocari In quæ etiam membra venit pariter diuidenda simplex propositio hypothetica. Appello autem semperque appellabo deinceps, vt Logicis morem geram, particularem, quæ de subiecto vago est, tametsi ea potiori iure vaga dicenda esset.

Vnaquæque tamen harum trium in plura insuper membra diuidenda est, quicquid Logici prætermiserint. Quia vnaquæque aut potest esse de prædicato singulari, aut de prædicato communi. Quod si de communi, aut affecto signo distributiuo, eoque, vel affirmatiuo, vt, *omnis*, aut signo particulari, seu vago, vt *aliquis*, aut nullo: atque ita vnaquæque trium quinque sub se complectitur, suntque proinde omnes 15 quarum quælibet, aut affirmatiua, aut negatiua potest esse, quo sunt 30. Quod si quamlibet rursùs diuidas in habentem & non habentem negationem præpositam, erunt omnes 60. Cæterum, quia ex his pleræque sunt aliis æquiualentes, ad 18. omninò inter se non æquiualentes sunt reducendæ. Nempe ad vniuersalem, particularem, & singularem affirmatiuas, & negatiuas, easque, aut de prædicato communi, nullo signo immediatè affecto, vt: *Omnis homo est animal: Nullus homo est animal: Aliquis homo est animal: Aliquis homo non est animal: Socrates est animal: Socrates non est animal*: Aut de prædicato communi signo vniuersali *Omnis* immediatè affecto, vt: *Omnis homo est omne animal: Nullus homo est omne animal: Aliquis homo est omne animal: Aliquis homo non est omne animal: Socrates est omne animal: Socrates nō est omne animal.* Aut de prædicato singulari, quale erit terminus quiuis singularis, aut communis signo demonstratiuo affectus, vt: *Omnis homo est hoc animal: Nullus homo est hoc animal: Aliquis homo est hoc animal: Aliquis homo non est hoc animal: Socrates est hoc animal: Socrates non est hoc animal.* Imprimis namque nullæ harum 18. sunt æquiualentes inter se, vt eas consideranti manifestè apparebit. Deinde reliquarum quamlibet alicui ea-

8

rum æquiualere facilè ostenditur. Nam iuxta doctrinam certam tradendam *quæstione secunda*, quælibet ex 30. de negatione præuiâ superaddita per ipsam negationem fit æquiualens suæ contradictoriæ, quæ est vna ex aliis 30. vt constat ex adæquatione combinationis. ac diuisionis factæ. Atque ideò 30. de negatione præuiâ superadditâ reiiciuntur. Ex reliquis autem 30. quæ supersunt, sex habentes prædicatum commune affectum immediatè signo particulari *Aliquis*, aliis sex æquiualent, quæ habent prædicatum commune nullo signo affectum: quia quæ præcedunt prædicatum commune, pro eisdem, & eodem modo faciunt illud supponi, siue illud signo particulari *Aliquis*, siue nullo sit immediatè affectum. Ex aliis autem sex de prædicto communi signo vniuersali *Nullus* immediatè affecto, tres affirmatiuæ negatiuis sibi correspondentibus de prædicato communi nullo signo immediatè affecto æquiualent: quia *esse nullum animal* e.g. *& non esse animal* in idem recidit, vt constat. Tres autem negatiuæ affirmatiuis sibi correspondentibus de prædicato communi nullo signo immediatè affecto æquiualent: quia in idem etiam recidit *non esse nullum animal*, *& esse aliquid animal*, vt etiam constat. *Esse autem aliquod animal*, & *esse animal* in idem etiam recidunt, iuxta dicta. Reiectis igitur istis 12. supersunt 18. commemoratæ.

9 Porrò Logici compendij gratiâ vniuersalem affirmatiuam, & negatiuam, particularemque affirmatiuam, & negatiuam de prædicato communi nullo signo immediatè affecto quibusdam litteris designant, atque notificant Primam scilicet litteta A, secundam E, tertiam I, quartam O, iuxta vulgares illos versiculos: *Asserit A, negat E, sunt vniuersaliter ambo. Asserit I, negat O, sunt particulariter ambo.* Quo eodem pacto nos illas deinceps designabimus, addemusque pro singulari affirmatiuâ de simili prædicato litteram V. & quia pro negatiuâ deest vocalis, eadem V. cum litterâ n. postposita distinctionis gratiâ subseruiet hoc modo Vn. sex autem sequentes de prædicato communi affecto immediatè signo distributiuo *omnis*, per easdem vocales, eodemque ordine designabimus adiecta ante singulas litteras d. Reliquæ autem sex de prædicato singulari per easdem vocales, & eodem ordine adiecta ante singulas littera t; atque ita pro 18. propositionibus, quo ordine *numero octauo*, sunt recensitæ, hæc 18. signa compendij causâ ponentur à nobis semper deinceps. A. E. I. O. V. Vn. dA. dE. dI. dO. dV. dVn. tA. tE, tI. tO. tV. tVn. Et hæc de categoricis simplicibus possibilibus inter se non æquiualentibus. Totidem autem omninò sunt possibiles simplices hypotheticæ ipsis correspondentes: quia quidquid affirmatur, aut negatur de quolibet absolutè, id ipsum de eodem potest affirmari, aut negari sub aliquâ conditione, siue sub aliquâ factâ hypothesi. Vnde, cùm opus fuerit signis aliquibus eas significare per eadem signa categoricarum, quibus correspondent anteposita singulis littera H, quæ hypothesim denotet, significabuntur.

10 Et quoniam propositiones complexæ ex simplicibus componuntur, conficitur, tot esse propositiones complexas possibiles intra vnumquodque earum genus, quot sunt possibiles collectiones, siue combinationes propositionum simplicium numeratarum. Vnde ex 18. cathegoricis 262. 125, copulatiuæ componi possunt, totidemque disiunctiuæ, &c. quia ex 18. vnitatibus tot collectiones diuersæ confici possunt, iuxta regulas combinationum tradendas *disputatione vigesima nona*, totidémque copulatiuæ, & totidem disiunctiuæ, &c. confici possunt ex 18. hypotheticis. Ex mixtione autem vtrarumque, nimirum ex 36. penè innumerabilis multitudo complexarum intra vnumquodque earum genus consurgit, vt in tabulis tradendis *loco citato* videri poterit. Quid si ipsorum insuper generum complexarum mixtio efficiatur? Et hæc quidem loquendo de combinationibus absque positione, & repetitione. Si namque prædictæ 18. propositiones cum positione, repetitionéque combinentur, longissimè maiores numeri complexarum ex eis possibilium resultabunt. Imò, si absque termino repetitiones fiant, infinita erit earum multitudo possibilis, iuxta dicenda *q.* 4.

Diuiditur præterea propositio sumpta vniuersè in necessariam, contingentem, & impossibilem penes necessitatem, contingentiam, & impossibilitatem obiecti, siue obiectiuæ, veritatis enuntiatæ per illam; atque ita plures hinc diuisiones subire potest, penes diuisiones, quas subeunt obiectum necessarium, contingens, & impossibile, siue obiectiua veritas necessaria, contingens, & impossibilis. De quibus *supra quæstione vndecima.* Et quoniam obiectum propositionis materia, circa quam illa versatur, dicitur esse, ideò quando obiectum est necessarium, propositio dicitur esse in materiâ, seu de materiâ necessariâ: In contingente autem, seu de contingente, quando obiectum est contingens. In remotâ autem, seu de remotâ, quando obiectum est impossibile. 11

Amplius diuiditur propositio sumpta vniuersè, in essentialem, in quâ prædicatum est de essentiâ subiecti: & accidentalem, in quâ prædicatum accidentale subiecto est, siue ipsi aliquid adiiciens. Quarum vnaquæque in multas rursùs species diuidi potest, iuxta diuisiones prædicatorum essentialium, & accidentalium factas *supra disputatione decimaseptima* quæ ad rem videndæ. 12

Diuidi etiam solet propositio in directam, & indirectam. Prima dicitur, quæ prædicat actum, siue eius concretum de subiecto, vt *Petrus currit: Petrus est currens*, aut partem de toto, vt: *Homo est animal: Homo est corporeus.* Indirecta verò, quæ vice versâ prædicat subiectum de concreto, aut totum de parte, vt *currens est Petrus: Animal est homo: Corporeus est homo.* Cuius nomenclaturæ ratio est: quia primus modus iudicandi nobis connaturalis; secundus quasi præternaturalis est. Mitto aliam diuisionem propositionis, quâ aliqui eam diuidunt in identicam, & formalem: quia hæc diuisio potiùs sensuum, in quibus propositiones sumi possunt, quàm ipsarum propositionum diuisio est. De quâ nos satis diximus *supra disputatione secunda, quæstione quarta, conclus.* 4. 13

Denique

14 Denique, propositio simplex in modalem, & non modalem, quam de *inesse* vocant, diuidi solet. Modalis est, quæ præ se fert modum, quo prædicatum subiecto conuenit, ipsiue inest, aut non inest, vt: *Petrus necessariò est homo: Ioannes possibiliter currit: Paulus contingenter non loquitur.* De *inesse* autem est, quæ nullum huiusmodi modum præ se fert; sed dumtaxat enuntiat prædicatum inesse, aut non inesse subiecto, vt: *Petrus est homo: Ioannes currit: Paulus non loquitur.* Sunt autem apud logicos celebres quatuor modi constituentes propositiones, quas speciatim vocant modales, de quibusque speciatim disserunt, ob idque modi dialectici dici solent, qui quidem, aut per hæc aduerbia *possibiliter*, *impossibiliter*, *necessario*, *contingenter*; aut per hæc nomina *possibile*, *impossibile*, *necesse contingens* significari solent. Potest enim quiuis eorum componere propositionem modalem aut aduerbialiter, quo casu est syncategorema prædicati, vt: *Petrus possibiliter loquitur: Paulus necessariò est homo*, &c. aut nominaliter, quo casu, aut potest poni ex parte subiecti, vt: *Possibile est Petrum loqui: Necesse est Paulum esse hominem*; aut ex parte prædicati, vt: *Petrum loqui est possibile: Paulum esse hominem est necesse.* Oratio autem infinitiui, ex quâ, & ex *modo* coalescit propositio modalis, *dictum* nuncupatur, compositaque subindè ex, *modo*, & *dicto* dicitur esse; atque ita vnaquaque quatuor propositionum modalium ex quatuor prædictis *modis*, sumptis nominaliter, resultantium, in quatuor membra penes affirmationem, & negationem diuidenda venit. Potest enim in eâ aut affirmari *modus*, & *dictum*, vt: *Possibile est Petrum loqui*; aut negari *modus*, & *dictum*, vt: *Non est possibile Petrum non loqui*: aut affirmari *modus*, & negari *dictum*, vt: *Possibile* est *Petrum non loqui*; aut negari *modus*, & affirmari *dictum*, vt *Non* est *possibile Petrum loqui.* Proindeque, ex hac diuisione sexdecim modales resultant. Quarum quælibet rursus in alias quatuor diuidi solet, quo crescunt vsque ad 64. quatenus quælibet potest habere *dictum* aut vniuersale, aut particulare, aut indefinitum, aut singulare, iuxta similem diuisionem propositionis simplicis categoriæ, quæ fieri solet à Logicis, vt vidimus *numer. septimò*, Iuxta diuisionem verò eiusdem factam à nobis *numer. octauo*, quælibet ex dictis sexdecim modalibus de dicto affirmato in nouem alias diuidenda venit, & in totidem quælibet de dicto negato: quia propositiones simplices categoricæ à nobis ibi numeratæ 18 sunt, 9 affirmatiuæ, & 9. negatiuæ.

15 Cæterum: quia quilibet prædictorum *modorum* de obiecto cuiusuis propositionis categoricæ, siue hypotheticæ, siue simplicis, siue compositæ enuntiabile est, cuiuslibet eorum modalis in tot præterea membra diuidi potest, quot sunt propositiones possibiles non modales, iuxta omnes earum diuisiones hactenùs factas: quo in immensum penè augetur eiusmodi modalium numerus. Itaque, modalis cuiuslibet prædictorum modorum aut potest esse de dicto categorico, aut de hypothetico, aut de simplici, aut de complexo, aut de copulatiuo, aut disiunctiuo, aut de causali, &c. eoque tot subeunte differentias, quot sunt eiusmodi propositionum non modalium species, siue membra diuersa, facto discursu per omnes diuisiones earum huc vsque datas. Adde, ex modalibus, aut solis, aut mixtis cum non modalibus omni earum combinatione factâ, innumeras alias propositiones complexas coalescere posse. Aduerto autem hîc, claritatis gratiâ, etsi propositiones non modales, vt condistinctæ à modalibus appellentur de *inesse*; Quoties tamen de quouis propositionum genere absolutè, & sine addito *modalis* fit sermo, hunc semper de non modali venire intelligendum.

Omnes autem diuisiones, quas hactenùs fecimus circa propositionem formalem vniuersè sumptam, circa obiectiuam pariter fieri possunt, factæque sunto: quia vnaquæque propositio obiectiua eandem ac formalis, quam terminat, participat nomenclaturam. 16

Vtrum verò prædictarum diuisionum membra diuidentia omnia, vel aliqua specie diuersa sint inter se, quod à multis hic controuertitur. Ego vno verbo resoluo dicens; eas omnes propositiones, quæ ex modo tendendi in sua obiecta intrinsecè sunt inter se dissimiles, intrinsecè quoque esse inter se specie diuersas; ex diuersitate tamen obiectorum præcisè intrinsecam diuersitatem nequaquam sortiri, iuxta doctrinam vniuersalem de similitudine, ac dissimilitudine actuum traditam *disputat. decimasexta*, Propositiones quippe ex conceptu suo quidam actus sunt ad sua obiecta terminati, vt est notum. 17

Aduerto ad extremum huius quæstionis, materiam propositionis dici ab aliquibus subiectum, & prædicatum eius; formam autem vtriusque copulam. Aliqui verò solum subiectum dicunt materiam, & prædicatum formam. Qui aptiùs mihi videntur loqui, maximè, cùm verbum, quod alij copulam appellant, aut vnicum, aut potissimum prædicatum sit. Ratio autem huius loquutionis est: quia subiectum, & prædicatum ita se videntur habere in logicis, sicut se habent in Physicis subiectum, & forma. Hæc verò dicta sunt de materiâ ex quâ. Materiam enim circa quam propositionis formalis esse propositionem obiectiuam nemini dubium est. 18

Iam verò quantitas propositionis ea dicitur, quæ eam ad plura extendit obiecta, vel ad pauciora restringit; faciendo videlicet eam aut vniuersalem, aut particularem, au singularem. Qualitas autem propositionis dicitur veritas, aut falsitas eius. Vtrum autem affirmatio, aut negatio, à quâ propositio est aut affirmatiua, aut negatiua, qualitas propositionis, aut potiùs differentia essentialis eius dicenda sit, controuersum est inter Logicos, quibusdam asserentibus primum, quibusdam verò secundum. Quirectiùs sentiunt, & loquuntur.

QVÆSTIO II.

Qua ratione propositiones simplices categoricæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquivalentes.

19 QVid sit, & quotuplex oppositio; quid item, & quotuplex connexio rerum *supra disp.* 14. expositum est. Suppositâ autem totâ doctrinâ traditâ *ibi*, quæ ad rem recognoscenda est, Præterea est supponendum. Primò: propositiones formales bifariam posse dici inter se oppositas, aut inter se connexas. Primò: quia quoad suam entitatem sunt tales, quidquid sit de earum obiectis. Secundò: quia earum obiecta inter se opposita, aut inter se connexa sunt, quidquid sit de ipsarum entitatibus. Et de priori quidem genere oppositionis, connexionisque entitatiuæ propositionum formalium nihil est, quod in præsenti dicamus, præter vniuersaliter dicta ibi de simili oppositionéque connexionéque aliarum entitatum, seu rerum. De posteriori ergo dumtaxat dicendum nobis est. Quò quidem illæ omnes propositiones sunt oppositæ, quarum obiecta sunt opposita; illæ verò connexæ, quarum obiecta sunt connexa. Æquivalentes autem illæ propositiones dicuntur, quæ vnum, & idem ex parte rerum habent obiectum.

20 Secundò, supponendum est tamquam certum ex dictis latius *loco citato* omnem propositionem ad contradictoriam, & contrariam reduci: Contradictoria est, quæ reperitur inter extrema, quorum vnum est negatio, seu remotio alterius. Contraria autem, quæ reperitur inter extrema, quorum vnum simul cum alio esse non potest; sine ambo sint positiua, siue ambo sint negatiua, siue alterum positiuum, & alterum negatiuum sit. Et extrema quidem contradictionis citra medium opposita sunt, quatenus neque ambo simul esse, neque ambo simul deesse possunt; sed alterum esse, & alterum deesse necesse est, iuxta euidentissimum principium statutum *disp.* 9. *q.* 5. Extrema verò contrarietatis, etsi aliquando etiam sint opposita citra medium ob eamdem rationem, vt sunt similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas, distinctio, & identitas earumdem rerum, aliáque huiusmodi; plerumque tamen medium admittunt: quia licèt simul esse non possunt, possunt tamen simul deesse, atque adeo necesse non est, quod sit alterutrum, vt cernitur in peccato, & gratiâ, in odio, & amore, in assensu, & dissensu, in candore, & nigrore, & similibus. Vnde manifestè consequitur, propositiones contradictorias, & contrarias, quorum obiecta sunt opposita citra medium, nec simul veras, nec simul falsas esse posse: quia earum obiecta nec simul esse, provt ad earum simultaneam veritatem, nec simul deesse, siue non esse, provt ad earum simultaneam falsitatem requirebatur, iuxta doctrinam suprà traditam *disputatione* 3. Propositiones verò contrarias, quarum obiecta opposita medium admittunt, etsi simul veræ esse non possint, quia talia obiecta non possunt simu esse, posse tamen esse simul falsas, quia obiecta ipsa simul deesse, siue simul non esse possunt. Connexio autem obiectorum, & consequenter propositionum tendentium in illa, aut mutua, aut non mutua esse potest, iuxta dicta ibidem.

21 Tertiò, est supponendum etiam vt certum ex demonstratis *disputatione decimaquarta citata quæstione quarta*, vtrumlibet extremorum oppositorum cum alterius contradictorio connexum esse, & extremum connexum cum altero ipsius contradictorio esse oppositum; & extremorum connexorum contradictoria inuersam inter se connexionem habere; & consequenter propositiones tendentes in eiusmodi extrema eadem inter se conditiones, seu proprietates ab ipsis, vt ab obiectis sortiri. Vnde, rursus consequitur, à quovis ex extremis oppositis ad contradictorium alterius legitimè argui; necnon à contradictorio termini, cum quo alter connectitur, ad ipsius connexi cum illo contradictorium. Tantumdémque esse de propositionibus ipsis correspondentibus; siquidem, vt ex se, & ex dictis ibidem, sæpéque aliàs, est notissimum, à connexo ad id, cum quo est connexum illatio legitima est, seu consequentia bona.

Quartò est supponendum, in scientiis humanis passim occurrere propositiones aut oppositas, aut connexas, aut æquivalentes inter se ratione materiæ, circa quam versantur, eo quòd earum obiecta ab speciali suâ naturâ habent aut esse opposita, aut connexa, aut re ipsâ vnum, & idem, vt cernere est in his contrariis: *Petrus est in peccato: Petrus est in gratia: Petrus est albus: Petrus est niger.* In his connexis. *Ignis existit: Calor existit. Petrus currit: Petrus potest currere.* Et in his æquivalentibus: *Petrus non habet visum: Petrus est cæcus: Petrus opes habet: Petrus est dives.* In aliisque innumeris similibus. Impræsentiarum tamen in primis agemus de propositionibus oppositis, aut connexis, aut æquivalentibus veluti ratione formæ communis omni omnino materiæ (acturi postmodùm de reliquis) sunt autem tales; quæ habentes eosdem terminos à diuersitate particularum, quibus illi afficiuntur, aut oppositionem, aut connexionem, aut æquivalentiam mutuantur, vt cernitur in his oppositis: *Omnis homo est animal: Nullus homo est animal: Omnis homo est animal: Aliquis homo non est animal.* In his connexis. *Omnis homo est animal: Aliquis homo est animal: Hic homo non est lapis: Aliquis homo non est lapis.* Et in his æquivalentibus: *Non omnis homo est animal: Aliquis homo non est animal: Omnis homo non est lapis: Nullus homo est lapis.* Dicitur autem, quod ad rem attinet, ille terminus idem, qui per eamdem vocem exprimitur, tametsi à particulis, siue aliis terminis, quibus adiungitur, vel secus, modò distributus euadat aut positiue, aut negatiuè, modò particularis, seu vagus, modo indefinitus, modo singularis, vt *Omnis homo: Nullus homo, Non homo: Aliquis homo: Homo: Hic homo*: iuxta dicta *disputatione* 18. *quæstione* 1. *diuis.* 5. modo etiam collectiuus, quam uis collectiuus, quod ad præsens attinet, pro singulari est reputandus: quia propositio ab eo euadens collectiua ad singularem reducitur, vt dicebamus *quæstione* 1. *numero* 7. Censetur item idem terminus cum dictis, qui proprius est obiecti singularis, etsi diuersâ voce exprimatur, vt: *Socrates*, cum *hic homo*, &c. Cæterùm, etsi Logici solùm agant impræsentiarum de oppositione, connexione, & æquivalentiâ propositionum vniuersalium, & particularium, aut etiam interdum singularium de prædicato communi nullo signo immediatè affecto. Quia tamen de cæteris itidem vsque ad 18. numeratis, & suis litteris designatis paulò ante *quæstionem* 1. *numero* 8 debuissent agere; diminutéque proinde in hac parte, & minus scientifi-

22 cè,

cè, sicut & in aliis multis procedunt; de omnibus illis à nobis agendum est. Vtemur autem pro illis, compendij causâ litteris, quibus à nobis ibi sunt designatæ.

23 Quintò est supponendum. Propositionem vniuersalem, & particularem in ea contentam subalternas à logicis dici: quia secunda sub prima est. Et primam quidem seorsim subalternantem Secundam vero subalternatam causa distinctionis appellant. Quoniam autem prima cum secundâ non mutuo est connexa, à primâque subinde ad secundam legitimè arguitur; sed non vice versâ. Quæcumque ex 18. propositionibus commemoratis istam conditionem habuerint, vt vna cum alterâ non mutuo connexa sit, eas nos deinceps subalternas, connexamque subalternantem, & alteram subalternatam itidem nuncupabimus. Subalternatæ autem contrariarum propositionum subcontrariæ dicuntur à Logicis. Eodemque modo à nobis nuncupabuntur. Quando contrariæ quibus subalternantur, quæcumque sint, medium admittunt.

24 Sextò supponendum est tanquam certum, negationem, siue particulam negatiuam ex suâ naturâ sequentes proprietates habere. Primò, omnem terminum communem, quem post se reperit, aut nullo signo, aut particulari tantùm, seu vago affectum distributum reddit. Propterea in his propositionibus: *Petrus non est lapis: Non Petrus est lapis: Non aliquis homo est lapis*, & in similibus: termini omnes communes, quos præcedit negatio, distributiuè supponuntur. Secundò, Omnem terminum communem, quem post se reperit, signo distributiuo affectum, indistributum reddit, atque ita in his propositionibus: *Non omnis homo currit: Nonnullus homo currit: Petrus non est omne animal*, & in aliis huiusmodi termini communes, aliàs à signis sibi præpositis distribuendi, indistributi manent. Tertiò, Vnica negatio (sumpta negatiuè, provt eam hic sumimus semper, non verò infinitanter) vbicumque ponatur, reddit negatiuam propositionem, saltem æquialenter. Tales enim sunt omnes istæ: *Non omnis homo est lapis: Omnis homo non est lapis: Omnis homo est non lapis*, & similes. Quartò, duæ negationes affirmatiuam faciunt propositionem, vbicumque ponantur, vt in his: *Non omnis homo non est animal: Non omnis homo est non animal: Omnis homo non est non animal*. Quinto, Terminus distributus ab vnâ negatione præuiâ propter alteram subsequentem non redditur indistributus; transit tamen à distributione negatiuâ ad affirmatiuam, vt in his cernitur: *Nullus homo non est animal: Non aliquis homo non est animal: Nullus homo est non animal*, quæ omnes huic æquialent: *Omnis homo est animal*. Sextò, Terminus ab vnâ negatione præuiâ distribuendus per alteram etiam præuiam indistributus redditur, vt in eisdem exemplis patet, vbi prædicatum *Animal* ab alterâ præuiarum negationum distribuendum, ab vtrâque manet indistributum. Septimò, Terminus aliàs à signo præuio distribuendus, & per vnam negationem præpositam indistributus, indistributus nihilominus manet, etsi sequatur altera, vt in his apparet: *Non omnis homo non est animal: Nonnullus homo non est animal*. Octauò, Terminus verò aliàs à signo præuio distribuendus, & per vnam negationem præuiam indistributus, si altera etiam præuia ponatur, distributus efficitur, vt in hâc: *Nullus homo non est omne animal*; quæ huic æquialet: *Omnis homo est omne animal*. Et in hâc: *Aliquis homo non est non omne animal*: æquialente huic: *Aliquis homo est omne animal*. Et in hac: *Aliquis homo non est nonnullum animal*: æquialente huic: *Aliquis homo est nullum animal*. Nonò, Tres negationes in propositione negatiuam eam faciunt, sicut, & quiuis alius numerus impar negationum: quatuor autem, sicut & duæ, & quiuis earum numerus par affirmatiuam. Quem autem sensum propositionis faciant negationes plures, quàm duæ, & quos communes terminos distributos, aut indistributos reddant, ex dictis diiudicandum est. Decimò, Negatio, sicut, & quodvis aliud signum terminum singularem nunquam distribuit: quia terminus singularis prorsùs indistribuibilis est. Terminus, inquam, singularis, vel nomine proprio expressus, vt *Socrates*, vel communi cum signo demonstratiuo vt *hic homo*: Ex his negationum proprietatibus sequentes æquialentiæ, inferuntur, quibus sequentes termini inter se comparati æquialent. Primò, Non omnis, & Aliquis non. Secundò, Omnis non, & Nullus. Tertiò, Non omnis non, & Aliquis. Quartò. Nonnullus, & Aliquis. Quintò, Nullus non, & Omnis. Sextò, Nonnullus non, & Aliquis non. Septimò, Non aliquis, & Nullus. Octauò, Non aliquis non, & Omnis. Nonò, Non homo, & Nullus homo. Decimò, Non hic homo, & hic homo non.

Propositio 1.

A, & O, atque etiam E, & I contradictoriè, proindéque citra medium oppositæ sunt; atque adeo nec simul veræ, nec simul falsæ possunt esse. 25

Quoniam, qui affirmat de omni idem, quod negat, de aliquo contento sub omni, aut negat de omni idem, quod affirmat de aliquo contento sub omni, idem de eodem simul affirmat, & negat, vt est notissimum. Pro obiectisque subinde habet vtriusque affirmationis, & negationis extrema manifestè opposita tanquam positio, & negatio eiusdem. Quòd autem ea citra medium opposita sint, inde planè conuincitur: quia manifestè est impossibile, tum deficere quidpiam ab omni, quin deficiat ab aliquo; tum non deficere ab aliquo, quin adsit in omni. Hoc autem ipsum est, obiectum affirmationis A non posse deficere, quin adsit obiectum negationis O; & obiectum negationis O non posse deficere, quin adsit obiectum affirmationis A, atque adeo illa, & consequenter ipsæ A. & O oppositionem citra medium habere. Tantumdémque euenit in E & I. quia pariter est manifestè impossibile, tum deficere carentiam cuiuspiam ab omni, quin deficiat ab aliquo; tum non deficere ab aliquo carentiam ipsam, quin adsit in omni. Quod ipsum est etiam, neutrum ex obiectis E, & I deficere posse quin adsit altetum: atque adeo illa, ipsæque subinde E & I opposita citra medium esse. Constat itaque, A, & O, atque etiam E, & I oppositionem citra medium habere, quam habent positio, & negatio eiusdem, quo nihil desideratur, vt sint contradictoriè oppositæ; atque adeo, vt neque simul veræ, neque simul falsæ esse possint, iuxta dicta *suppos.* 2.

Propositio 2.

26 A cum I, atque etiam E cum O non mutuò connectuntur. Proindéque ex A ad I, & ex E ad O legitimè arguitur; sed non è conuerso.

Constat id manifestè. Primò: quia I in A continetur, vt pars positiua in toto positiuo, & O in E vt pars negatiua in toto negatiuo. Totum autem cum parte non mutuò connecti, ab illoque proinde ad hanc legitimè argui, non tamen è conuerso; tum ex se, tum ex demonstratis *suprà disp. 9. q. 5.* conspicuum est. Secundò: quia iuxta certissimam logicorum doctrinam statutam *disp. 18. quæst. 3. ex A, & E* ad singula contenta in illis sufficienter enumerata legitimè descenditur. Quod secus fieret, si ex A ad I, & ex E ad O non argueretur legitimè, vt est notissimum, Tum vt ex contentis in A, & E ad ipsas A, & E ascendatur legitimè omnia ea sufficienter enumerata debent assumi. Constat autem, I, & O non dicere omnia contenta in A, & E sufficienter enumerata: non ergò ex I ad A neque ex O ad E arguitur vicissim legitimè. Tertiò: quia, quicquid verè affirmatur, aut negatur de omni, verè affirmatur; aut negatur de quolibet contento sub omni, vt ferunt euidentissima illa principia: *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, quibus ars syllogismorum de medio communi subnititur, vt infrà suo loco videbimus; Cùm tamen non eo ipso affirmetur, aut negetur verè quidpiam de omni quòd verè affirmetur id, aut negetur de aliquo contento sub omni. Hoc autem ipsum est ex A ad I, & ex E ad O, non tamen vice versâ legitimè argui, vt est notum.

27 Ex hâc propositione sequitur primò, A, & E non posse esse veras, quin I, & O sint veræ; alioquin ex illis ad has non argueretur legitimè. Secundò sequitur, si I, & O sint falsæ A quoque, & E necessariò esse falsas. Tum quia à contradictoriis ipsarum I, & O eas falsificantibus ad contradictoria ipsarum A, & E eas pariter falsificantia legitimè arguitur, iuxta principia statuta *suppositione tertiâ*. Tum quia, si existentibus I, & O falsis, A, & E essent veræ, à veritate ipsarum A, & E ad veritatem ipsarum I, & O non argueretur legitimè, contra præcedentem propositionem. Tertiò sequitur, posse I, & O esse veras, quando A, & E sunt falsæ. Si enim id non posset fieri, ex veritate ipsarum I, & O ad veritatem ipsarum A, & E legitimè argueretur, contra præsentem propositionem. A autem, & I, atque etiam E, & O subalternas esse: A quidem, & E subalternantes, I verò, & O subalternatas ex dictis *suppositis. 5.* constat.

Propositio 3.

28 A, & E oppositione contraria admittente medium sunt oppositæ, atque adeò licèt non simul veræ: simul tamen falsæ esse possunt.

Quòd sint oppositæ, proindéque simul veræ non possint esse, inde constat. Primò: quia in obiecto, quod vna affirmat, & quod altera negat, aliqua saltè inuoluuntur opposita tanquam positio, & negatio eiusdem, vt satis ex se est notum. Quod absque oppositione talium obiectorum, atque adeò, & ipsarum propositionum stare non potest, vt etiam constat. Secundò demonstratur: quia si A, & E possent esse simul veræ, ipsis existentibus simul veris, simul etiam essent veræ I, & O: siquidem A: vera esse non potest, quin sit vera I, neque E, quin sit vera O, iuxta dicta propos. 2. atque ita A O, & E I contradictoriæ simul veræ essent contra propos. 1. non posse autem A, & E simul veras esse, & esse oppositas in idem recidit.

Quòd autem earum oppositio medium admittat, 29
atque adeò simul falsæ esse possint, inde constat. Primò: quia prima affirmando ponit in omnibus id, quod secunda negando tollit ab omnibus: fieri autem potest, vt id in aliquibus tantùm sit, atque adeò neque sit in omnibus, neque desit ab omnibus. Quod est inter illarum opposita obiecta medium dari posse, easque subinde ambarum obiectis deficientibus, simul falsas esse. Secundò, id ipsum demonstratur: quia possibile est, vt existente I vera, A falsa sit, vt propos. 2. demonstratum est: sed existente, I, verâ, necesse est, quòd E contradictoria eius sit falsa, iuxta propos. 2. ergo possibile est, vt existente I verâ, A simul, & E falsæ sint. Posse autem, A, & E simul falsas esse, & oppositionem earum medium admittere, atque adeo contrariam, siue contrarietatis esse, in idem recidit.

Propositio 4.

I, & O simul veræ esse possunt, atque adeò op- 30
positæ propriè non sunt, non possunt tamen esse simul falsæ; quòd earum contradictoriæ oppositæ sunt inter se.

Quòd possint esse simul veræ, atque adeò non sint propriè oppositæ præterquàm ipsâ experientiâ constat in his. *Aliquis homo sedet: Aliquis homo non sedet*, & in similibus, sic demonstratur. Existente A falsâ, O contradictoria eius necessariò erit vera, & existente E falsâ, I contradictoria eius necessariò etiam erit vera, iuxta propos. 1. sed est possibile, A, & E esse simul falsas, iuxta propos. 3. ergo est possibile, I, & O esse simul veras: Quòd autem simul falsæ esse non possint demonstratur ita: Quia existente I falsâ, A necessariò erit falsa; & existente O falsâ, E quoque necessariò erit falsa, iuxta dicta propos. 2. ergo, si I, & O essent simul falsæ, omnes quatuor essent simul falsæ, atque ita A, & O atque etiam E & I contradictoriæ essent simul falsæ, contra propos. 1. Quomodo autem I, & O subcontrariæ dicantur, quatenus sub A, & E contrariè oppositis contentæ, eique subalternatæ sunt, suppositum. 3. notatum est.

Ex dictis, & supposito insuper tanquam certissi- 31
mo principio, quòd omnis propositio necessariò est vera, vel falsa: quia cuiusuis obiectum necessariò est, vel non est; & nulla potest esse vera simul, & falsa. quia nullius obiectum potest simul esse, & non esse, manifestè consequitur, esse necessarium omninò, vt ex quatuor dictis propositionibus A. E. I. O. in omni euentu duæ tantùm sint veræ, & duæ tantùm sint falsæ: quia si plures, quàm duæ essent veræ, nempe tres, aut quatuor, contra propos. 1. darentur duæ saltem contradictoriæ veræ, quæ in quouis earum ternario; atque adeò etiam in quaternariò clauduntur. Si tamè pauciores, quàm duæ, aut earum nullæ essent veræ, reliquæ tres, aut omnes quatuor essent falsæ, atque ita contra eamdem propos. 1. duæ saltem contradictoriæ darentur simul falsæ.

Iam, si quis, quomodò dictæ propositiones com- 32
parentur, vno aspectû videre velit, aspiciat sequentem typum quadratum.

Subalternans



Propositio 5.

33 Contradictoriæ A O, & E I æquiualentes fiunt, si alterutrius subiecto præponatur negatio: contrariæ autem A E, & subcontrariæ I O si postponatur; subalternæ denique A I, & E O, si vna negatio præponatur, & altera postponatur subiecto vtriusuis. Pro quibus tribus regulis est ille versiculus.

Præ contradic. Post contra. Præ Postque subalter.

Constant autem satis clarè omnes illæ, tum ex naturâ; & proprietatibus negationis expositis suppositione sextâ, ex æquiualentiisque terminorum *ibidem* illatis, tum ex ipso sensu, quem exhibent in quâuis materiâ propositiones iuxta ipsas regulas formatæ, vt quisque exemplis adhibitis poterit facilè deprehendere, ne in re cuique promptâ moremur.

34 Et hæc de oppositione, connexione, & æquialentiâ illarum quatuor, celebriúmque propositionum A E I O, de quibus tractant Logici. Pergo iam ad conficiendam totalem, egregiamque professò Artem omnium 18. propositionum categoricarum simplicium, quas recensuimus, & suis litteris designauimus *q.* 1. oppositionem, connexionem, æquialentiamque demonstrantem. Pro quo sit.

Propositio 6.

35 V, & Vn contradictoriè opponuntur, atque adeò nec simul veræ, nec simul falsæ possunt esse.

Hæc propositio satis, superque per se manifesta est: quia in nullis propositionibus expressiùs cernitur contradictio, quàm in singularibus affirmatiua, & negatiua eiusdem de eodem. Obiecta quippe harum propositionum; *Socrates est homo: Socrates non est homo* manifestè opponuntur, vt positio; & negatio eiusdem. Manifestè etiam eutrum eorum deesse potest; nisi per positionem alterius; atque adeò medium non admittunt. Quo nihil desideratur ad oppositionem earum contradictoriam simultaneæ extremorum veritati, aut falsitati omninò aduersantem, vt ex se, & ex dictis notum est.

Propositio 7.

36 Vnaquæque nouem affirmatiuarum propositionum ex 18. de quibus agimus, inter alias nouem negatiuas habet suam contradictoriam, & vice versâ.

Ex dictis enim in primâ, & sextâ propositionae constat primò, tres has propositiones affirmatiuas A. I V. pro contradictoriis habere has tres negatiuas O. E. Vn. Secundò colligitur planè, quas contradictorias habeant sex aliæ affirmatiuæ, quæ supersunt: dA namque pro contradictoriâ habet dO, & dI dE, & dV dVn. Similitérque tA pro contradictoriâ habet tO, & tI. tE, & tV. tVn. eodem enim pacto, quo ostendimus, A, & O, I. & E, atque V, & Vn contradictoriè opponi, facilè ab vnoquoque ostendetur, opponi pariter, contradictoriè dA, & dO, dI, & dE, dV, & dVn. necnon tA, & tO, tI, & tE, tV, & tVn. Itaque ex dictis 18 propositionibus nouem affirmatiuæ, & nouem negatiuæ inter se opponuntur contradictoriè, vt indicat sequens tabella.

A	O
I	E
V	Vn
dA	dO
dI	dE
dV	dVn
tA	tO
tI	tE
tV	tVn

Vnde etiam colligitur, singularum propositionum vnicam tantum dari contradictoriam cæteris non æquialentem. Quòd addo: quia quoties vnius propositionis plures contradictoriæ assignantur, non possunt non omnes illæ inter se æquialentes esse. Cuius ratio conspicua est: quia obiecta contradictoriè opposita præcisè opponuntur tanquam positio, & negatio eiusdem. Vnius autem extremi positiui vnica tàtùm datur negatio, siue veritas negatiua ipsum excludens, siue remouens, & consequènter, vice versâ, vnum extremum positiuum vni tantùm sui negationi oppositum est, vt constat ex doctrinâ tradità *suprà disp. 9. quæst. 3. & 4.* In quo oppositio contradictoria à contrariâ differt. Potest quippe vnum extremum pluribus singillatim, diuisimque opponi contrariè: quia nihil verat, vnum cum pluribus aliis simul esse non posse. Et quoniam in numero 18 propositionum, de quibus agimus, nullæ dantur in se æquialentes, vt constat ex dictis *q.* 1. conficitur vnamquamque earum vnicam tantùm in ipso numero contradictoriam habere. vt cernitur in tabellâ præmissâ, tametsi plures habeat, contrarias, vt patebit ex demonstrandis. 37

Propositio 8.

Binariorum 153. omnino, qui independenter à repetitione, & positione effici possunt ex 18. propositionibus, de quibus agimus, iuxta combinationum regulas *disp.* 29. tradendas 54. omninò sunt propositionum subalternarum, id est, ita se habentium, vt altera cum alterâ non mutuò connexa sit. 38

Vt propositionem demonstrem, & primùm ostendam, quænam ex prædictis propositionibus seriatim cum aliis sint non mutuò connexæ, sequentem serierum earum tabellam exhibeo.

Tabula

Tabula seriorum propositionum non mutuò connexarum

Affirmatiuæ.	*Negatiuæ.*
dA	E
tA	tE
A	dE
V	dVn
I	dO
dA	E
dV	Vn
dI	O
tI	tO
I	dO
dA	E
dV	Vn
tV	tVn
V	dVn
I	dO
dA	E
tA	tE
tV	tVn
tI	tO
I	dO

39 Itaque in primis duabus seriebus dA connectitur non mutuò cum tA & tA cum A, & A cum V, & V cum I. Similiterque E cum tE, & tE cũ dE, & dE cum dVn, & dVn cum dO, & in cæteris pariter. Quod demonstratur per tria certissima principia. Primum est: terminum distributum cum non distributo in ipso contento non mutuò esse connexum, sicut totum cum suâ parte, iuxta dicta *propositione secunda*, vt terminus *Omnis homo* cum quouis horum trium: *Homo: Aliquis homo: Hic homo*. Secundum est: terminum singularem cum suo vago, siue indefinito non mutuo etiam connexum esse, vt: *Hic homo* cum quouis horum duorum: *Homo*: *Aliquis homo*. Quia necessarium est, vt hic homo sit homo, & aliquis homo, non tamen est necessarium, vt homo, aut aliquis homo sit hic homo: quia potest esse alius. Tertium ex his sequutum est, propositionem habentem terminum distributum, siue ex parte subiecti, siue ex parte prædicati cum propositione habente eumdem terminum non distributum non mutuò connexam esse; quando in cæteris terminis conueniunt. Similiterque propositionem habentem terminum singularem cum habente eumdem particularem, aut indefinitum. Quod etiam manifestum est; quia propositio à connexione, quam sui termini habent cum terminis alterius nequit non eamdem cum illâ connexionem sortiri, quando non est aliquid, quod talem connexionem impediat, vt verè non est, quando conueniunt in cæteris, præter connexos.

40 Et quoniam propositiones omnes propositarum serierum ita se habent, idcircò non mutuò, vti diximus, connexæ sunt. Exempli gratia. Prima propositio primæ seriei: *Omnis homo est omne animal* significata per dA non mutuò est connexa cum secundâ: *omnis homo est hoc animal* significatâ per tA, & secunda cum tertiâ: *Omnis homo est animal* significatâ per A: quia prædicatum *animal* in primâ est distributum, & in secundâ singulare contentum in illo; & in tertiâ indefinitum, cum quo nõ mutuò connectitur singulare. In subiecto autem omnes tres conueniunt. Tertia autem ideo connectitur cum quartâ: *Hic homo est animal* significata per V, & hæc cum quintâ: *Aliquis homo est animal* significata per I, quia subiectum in tertiâ est distributum, in quartâ singulare, & in quintâ particulare, & in prædicato conueniunt. Paritérque de cæteris omnibus censendum est, vt cuique discurrenti per singulas conspicuum fiet, obseruatis proprietatibus negationis traditis suppositione quartâ pro dignoscendâ distributione, aut in distributione terminorum.

Sequitur nunc, vt omnes binarios possibiles propositionum non mutuò connexarum, atque adeò subalternarum, ex dictis seriebus, factâ adæquatâ combinatione eliciamus, eosque ob oculos ponamus, vt fit in tabulâ sequente, vbi semper propositio superior connexa, atque adeò subalternans, inferior verò ei correspondens terminans ipsius connexionem, atque adeò subalternata est. 41

Tabula binariorum propositionum non mutuò connexarum atque adeo subalternarum

Affirmatiuæ.			*Negatiuæ.*		
A	A	V	E	Vn	E
I	V	I	O	O	Vn
dA	dA	dA	O	E	Vn
A	I	V	dO	dO	dO
dA	dA	dA	dE	dVn	tO
dI	dV	tA	dO	dO	dO
dA	dA	tA	tE	tVn	O
tI	tV	A	dO	dO	tO
tA	tA	tA	E	Vn	tE
I	V	tI	tO	tO	tO
tA	dI	dI	tVn	E	tE
tV	I	tI	tO	dE	dE
dV	dV	dV	E	Vn	dE
I	V	dI	dVn	dVn	dVn
dV	dV	tI	tE	tVn	E
tI	tV	I	dVn	dVn	tE
tV	tV	tV	E	Vn	tE
I	V	tI	tVn	tVn	tVn

Modò adiiciẽda etiã & tabula binariorum, quæ factâ adæquatâ cõbinatione, nouẽ propositionũ affirmatiuarũ, & nouẽ negatiuarũ, de quib. agimus seorsim, supersunt propositionũ nõ connexarũ inter se, atque adeò absolutè disparatarum: quia neque oppositæ inter se sunt, siquidem ambæ vniuscuiusque binarij aut affirmatiuæ sunt, aut negatiuæ. 42

Tabula binariorum propositionum disparatarum, id est neque connexarum, neque oppositarum inter se.

Affirmatiuæ.			*Negatiuæ.*		
A	A	A	dE	dVn	tE
dI	dV	tI	O	O	O
A	V	V	tVn	dE	tE
tV	dI	tI	O	Vn	Vn
tA	tA	tV	dE	dVn	dE
dI	dV	dI	tO	tO	tVn

Propositiones autem istorum omnium binariorum ita esse disparatas, vt neque connexionem neque, 43

neque oppositionem vllam inter se habeant, facilè vnusquisque comperiet sigillatim discurrendo per singulos, in quo proinde discursu faciendo opus nō est, vt modò immoremur. Inueniet enim propositiones vniuscuiusque binarij aut absolutè, aut ex aliquâ factâ suppositione posse esse simul veras. Quod ipsum est, eas non esse oppositas. Inueniet item, quo casû prima est vera posse secundàm esse falsam; atque etiam vice versâ posse primam esse falsam, quo casu secunda vera est. Quod ipsum est neque primam cum secundâ, neque secundam cum primâ vllam connexionem habere.

44 Iam verò, ex prædictis primò sequitur adnotandum: Ex vtrovis nouenario affirmatiuarum, & negatiuarum propositionum seorsim combinato 36. omninò binarios propositionum resultare, qui numerus ex quatuor nouenariis coalescit. Vnde nota secundò correspondentiam. Tres namque eorum sunt binariorum propositionum non mutuò connexarum, & vnus binariorum propositionum disparatarum; atque ita ex affirmatiuis connexis sunt 27. binarij, & totidem ex negatiuis. Ex affirmatiuis autem disparatis sunt nouem binarij, & totidem ex negatiuis. Tertiò nota aliam correspondentam; nempe, quoties quævis affirmatiuarum propositionum ponitur in vtrâque tabulâ propositâ inter affirmatiuas, toties omnino poni eius contradictoriam inter negatiuas.

45 Habemus itaque ex dictis in hâc, & præcedente propositione primò, ex 18. propositionibus, de quibus agimus, 9. omnino esse binarios contradictoriè oppositarum. & quinam illæ sint. Secundò 27. omninò esse binarios subalternarum affirmatiuarum, & 27. negatiuarum, & quinam illi sint. Tertiò 9. esse binarios affirmatiuarum, & 9. negatiuarum disparatarum inter se. Supereſt modò demonstrandum, quot, & quinam sint binarij contrariarum: quot, & quinam subcontrariarum; quotque, & quinam disparatarum, quarum altera affirmatiua, & altera negatiua sit, quod egregiâ quidem demonstratione ostendit sequens problema.

Propositio 9.

46 Binariorum 153. qui ex 18. propositionibus; de quibus agimus, effici possunt, demonstrare, quot, & quinam contrariarum, quot, & quinam subcontrariarum, quotque, & quinam disparatarum sint.

Fiat in primis tabula 27. quadratorum pro totidem binariis propositionum subalternarum affirmatiuarum tabulæ præcedentis, acceptoque quovis binario illarum ponatur in duobus primis angulis cuiusque quadrati, itavt subalternans in superiori angulo collocetur, primáque quadrati dicatur, & subalternata in inferiori, dicatúrque secunda. Earum autem contradictoriæ, quæ in eâdem tabulâ suo ordine positæ sunt ponantur in duobus secundis angulis quadrati inuerso modo, nempe contradictoria subalternantis in inferiori angulo, quæ tertia quadrati dicetur; & contradictoria subalternatæ in superiori, quæ dicetur quarta. Eâ ratione, quâ posuimus in quadrato descripto *propos.* 4. has propositiones A I O E eisdem numeris adnotatas. Hæc namque tabula dabit præter contradictorias, & subalternas iam recensitas, omnes contrarias, & subcontrarias possibiles in Arte istâ.

Tabula exhibens omnes contrarias, & subcontrarias posſibiles ex 18. propositionibus, de quibus agimus, vna cum contradictoriis, & subalternis iam recensitis. 47

A	E	A	Vn	V	E
I	O	V	O	I	Vn
dA	O	dA	E	dA	Vn
A	dO	I	dO	V	dO
dA	dE	dA	dVn	dA	tO
dI	dO	dV	dO	tA	dO
dA	tE	dA	tVn	tA	O
tI	dO	tV	dO	A	tO
tA	E	tA	Vn	tA	tE
I	tO	V	tO	tI	tO
tA	tVn	dI	E	dI	tE
tV	tO	I	dE	tI	dE
dV	E	dV	Vn	dV	dE
I	dVn	V	dVn	dI	dVn
dV	tE	dV	tVn	tI	E
tI	dVn	tV	dVn	I	tE
tV	E	tV	Vn	tV	tE
I	tVn	V	tVn	tI	tVn

48 Quoniam enim prima propositio vniuscuiusque quadrati cum secundâ connexa est, quarta contradictoria secundæ cum tertiâ contradictoriâ primæ pariter erit connexa propter inuersam connexionem, quam habent contradictoria extremorum connexorum, vt suppositione tertiâ statutum est; atque ita quarta, & tertia eodem modo ac prima, & secunda subalternæ erunt. Id, quod etiam ex præcedente tabulâ propositionum subalternarum constat. Et quoniam extremum connexum cum altero ipsius contradictorio est oppositum, vt in eâdem suppositione tertiâ est statutum, & prima cum secundâ connexa est, necessariò consequitur, primam quartæ, quæ est contradictoria secundæ, oppositam esse. Vnde primò constat, primam, & quartam simul veras esse non posse: quia tales esse non possunt propositiones inter se oppositæ. Deinde id ipsum demonstratur: quia, si prima, & quarta essent simul veræ, secunda, & tertia subalternatæ earum, atque adeo omnes quatuor essent simul veræ, ; atque ita prima, & tertia, secundaque, & quarta, contradictoriæ cùm sint, essent simul veræ, quod est absurdum. Quoniam item existente secundâ verâ, prima falsa esse potest; & existente secundâ verâ quarta contradictoria eius necessariò est falsa, consequitur, primam, & quartam absolutè posse esse simul falsas, vt arguebamus *propos.* 3. Quod ipsum est, primam, & quartam oppositione admittente medium, atque adeo non contradictoriâ; sed contrariâ oppositas esse. Præterea, hoc ipso, quòd prima, & quarta simul falsæ esse possunt, consequens est, vt tertia, & secunda earum contradictoriæ simul veræ esse possint, ne dentur duæ contradictoriæ simul falsæ: quod est impossibile. Denique: quia, si secunda, & tertia essent simul falsæ, prima, & quarta, atque adeò omnes quatuor, subindeque & quæ contradictoriè opponuntur, simul falsæ essent, vt *propos.* 4. arguebamus: consequitur, secundam, & tertiam simul falsas esse non posse: Secunda igitur, & tertia compotes esse simul veræ, & impotes esse simul falsæ subcontrariæ sunt. Constat itaque suppositio, quòd prima, & secunda sint subalternæ, & quod earum contradictoriæ sint tertia, & quarta, prout omnium dictorum quadratorum constructio fert, necessarium omnino esse, vt in quouis eorum quarta, & tertia pariter subalternæ sint. Prima autem, & quarta ita contrariæ, vt possint esse simul falsæ, non verò simul veræ: secunda autem, & tertia ita subcontrariæ, vt possint esse simul veræ; non verò simul falsæ. Quod erat demonstrandum.

49 Fiat deinde similis tabula 9. quadratorum pro totidem propositionibus affirmatiuis in tabulâ præcedente disparatarum positis. Positóque in vnoquóque quadrato binario vno dictarum propositionum, & ex aduerso earum contradictoriis, vti in aliis quadratis nuper expositis factum est. Reliquarum omnium possibilium disparatarum numerus demonstratiuè exhibebitur. Disparatarum, inquam, quæ neque inter se connexæ, neque inter se oppositæ sunt, etiamsi altera affirmatiua, & altera negatiua sit.

Tabula exhibens omnes binarios propositionum disparatarum, qui inter oriundos ex 18. propositionibus, de quibus agimus, possibiles sunt.

A	dE	A	dVn	A	tE
dI	O	dV	O	tI	O
A	tVn	V	dE	V	tE
tV	O	dI	Vn	tI	Vn
tA	dE	tA	dVn	tV	dE
dI	tO	dV	tO	dI	tVn

Posito enim, quod prima, & secunda propositio vniuscuiusque quadrati inter se connexæ non sunt, manifestè sequitur, primò, tertiam, & quartam, quæ sunt illarum contradictoriæ, inter se connexas non esse, (præterquam quòd id etiam constat ex tabulâ disparatarum propositâ *numero* 42.) si enim hæ connexæ essent, & illæ quoque connexæ essent, propter inuersam connexionem, quam necessariò habent contradictoriæ propositionum connexarum, vt *suppos.* 3. statutum est, Secundò sequitur primam, & quartam non esse oppositas: quia, si oppositæ essent, prima, & secunda essent connexæ contra suppositionem; siquidem extremorum oppositorum alterum cum contradictorio alteriùs necessariò connexum est, vt etiam *suppositione tertiâ* est statutum, & quarta, vt in constructione supponitur secundæ contradictoria est. Vnde, tertiò sequitur, secundam, & tertiam non esse subcontrarias tales, vt nequeant esse simul falsæ, cùm possint esse simul veræ. Si enim non possent esse simul falsæ, prima, & quarta, quæ sunt earum contradictoriæ, non possent esse simul veræ, atque adeo oppositæ essent, contra demonstrationem factam. Posito item, quòd prima, & secunda, atque etiam tertia, & quarta vniuscuiusque quadrati non sunt inter se oppositæ, vt *numero* 42. statuimus. Sequitur itidem, primam, & quartam, atque etiam secundam, & tertiam inter se connexas non esse: quia, si essent, prima, & secunda, atque etiam tertia, & quarta essent oppositæ inter se: quia, quod connectitur cum altero ipsius contradictorio oppositum est, vt *suppositione tertiâ sæpe citatâ* est etiam statutum, & prima tertiæ, secunda autem quartæ contradictoriæ sunt, vt in constructione supponitur.

51 Vnde patet, quatuor binarios propositionum vniuscuiusque ex dictis quadratis primæ videlicet, & secundæ, secundæ, & tertiæ, tertiæ, & quartæ, quartæque, & primæ disparatarum esse, quæ neque inter se connexæ, neque inter se oppositæ sunt, qua

quarum proinde omnes binarij possibiles 36. sunt: 9 ex affirmatiuis, & 9 ex negatiuis, & 18 mixti ex vtrisque.

52 Concluditurque ex 153 binariis, qui ex 18 propositionibus, de quibus agimus, confici possunt: 9 esse propositionum contradictoriarum, quorum est tabula *num.* 36. proposita 27 autem subalternarum affirmantium, & 27 negantium, quos habet tabula proposita *num.* 41. Tum 27. contrariarum, & 27. subcontrariarum, qui ex tabulâ quadratorum datâ *num.* 45. resultant; ac demùm 36. dicti disparatarum, qui omnes iustè componunt dictam summam 153.

Propositio 10.

53 Regulæ datæ propos. 5. ad faciendas æquiualentes, contradictorias, contrarias, subcontrarias, & subalternas, quæ ex his quatuor A E I O combinatis resultant. Eodem modo valent ad faciendas æquialentes contradictorias, contrarias, subcontrarias, & subalternatas, quæ resultant ex his 12. A. E. I. O. dA. dE. dI. dO. tA. tE. tI. tO. inter se combinatis. Non item ad faciendas æquiualentes reliquas contentas in tabulâ quadratorum *num.* 47. descriptâ Exceptâ regulâ contradictoriarum, quæ in omnibus contradictoriis valet, cuiusuis generis illæ sint.

Itaque omnes contradictoriæ, siue altera vniuersalis, & altera particularis sit, siue ambæ sint singulares per negationem præpositam alterutri earum fiunt æquiualentes: quia negatio præposita affirmatiuæ facit, vt neget, idem. quod negatiua, & præposita negatiuæ facit, vt affirmet idem, quod affirmatiua. Et omnes contrariæ vniuersales & subcontrariæ particulares, de quocunque illæ sint prædicato per negationem post positam subiecto alterutrius fiunt æquiualentes; quia *Omnis non* æquialet *Nullus*, & *Nullus non* æquialet *Omnis*. Tum *Aliquis non* æquialet *Aliquis non*, & *Aliquis non non* æquialet *Aliquis* iuxta dicta *suppositione sextâ*. Similitérque subalternæ, quarum altera vniuersalis, & altera particularis est, per negationem vnam præpositam, & alteram postpositam, subiecto alterutrius fiunt æquiualentes, de quocunque illæ sint prædicato: quia *Non omnis non* æquialet *Aliquis* & *Non aliquis non* æquialet *omnis*. Tum *nonnullus non* æquialet *Aliquis non* & *Non Aliquis non non* æquialet *Nullus*. iuxta dicta *ibidem*. Vnde, in prædictis omnibus, de quocunque sint prædicato, locum habet ille versiculus. *Præcontradic. Post contra. Præ, Postque subalter.*

54 At verò cæteræ contrariæ, subcontrariæ, & subalternæ in citatâ tabulâ quadratorum contentæ pariter æquiualentes non fiunt, aut per postpositam, aut per præpositam, & postpositam negationem, vt quisque discurrendo per singulas manifestè comperiet. Ratio autem est: quia vim, quam suâ naturâ habet negatio præposita, vel postposita subiectis affectis illis signis *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*, qua ratione in contrariis, subcontrariis, & subalternis prioris generis inter se comparantur, non habet præposita, vel postposita subiectis reliquarum.

Propositio 11.

55 Connexio duarum propositionum tam obiectiuarum, quam formalium, cuiuscunque illæ generis, & in quacunque materiâ sint, aliarum duarum connexionem, & aliarum contrarietatem, eamque, vel admittentem, vel recusantem medium, & aliarum duarum subcontrarietatem, aut etiam contrarietatem fert secum, atque etiam vice versâ.

Vt hæc propositio, quæ valdè est notanda, faciliùs intelligatur, & planiùs ex præcedentibus, ex quibus sequitur, demonstretur, sint loco propositionum tam obiectiuarum, quàm formalium cuiusuis generis, & materiæ, de quibus agit litteræ sequentis quadrati B. C. D. F. ita vt B. & F. similitérque D, & C contradictoriè oppositæ sint.



Quo posito: Dico primò. Ex eo, quòd B non mutuò connectatur cum D, necessariò sequi, C quoque non mutuò connecti cum F. B que, & C contrariè opponi contrarietate admittente medium, atque adeò B, & C non posse esse simul veras, posse tamen esse simul falsas. D autem, & F. ita esse subcontrarias, vt nequeant esse simul falsæ; possint tamen esse simul veræ. Quæ omnia ex demonstrationibus factis *propositt.* 3. 4. & 9. constant. Secundò dico. Ex eo, quòd B, & C contrariæ sint contrarietate admittente medium, necessariò vice versâ sequi, B cum D & C. cum F. non mutuò connecti, D que, & F subcontrarias esse modo dicto. Primum constat: quia oppositorum extremorum quoduis cum alterius contradictorio connexum est, vt statui suppositione tertiâ Secùdum verò: quia si D, & F non possent esse simul veræ B, & C non possent esse simul falsæ. Si autem D, & F simul falsæ esse possent, B, & C simul veræ esse possent, vt ex citatis propositionibus constat. Quod tamen vtrumque contra factam suppositionem est. Tertiò dico. Si B. & D connectantur mutuò necessariò sequi, C quoque, & F connecti mutuò propter inuersam connexionem, quam habent cõtradictoria extremorum inter se connexorum: B que, & B contrariè citra medium opponi; proindéque, nec simul veras, nec simul falsas posse esse. Similitérque opponi D, & F. Quod demonstratur: quia, vt constat ex dictis *locis citatis*, hoc ipso, quòd B connectitur cum D huius contradictoriæ C opponitur, & hoc ipso, quòd D vicissim connectitur cum B huius contradictoriæ F opponitur, suntque proinde inter se oppositæ tum B, & C, tum D, & F, atque adeò neutræ esse possunt simul veræ. Vnde, rursus sequitur necessariò neutras posse esse simul falsas. Quia si B, & C possent esse simul falsæ, D, & F contradictoriæ earum possent esse simul veræ, atque etiam vice versâ, ne possent simul falsæ esse duæ condictoriæ. Concluditur ergo ex eo, quòd B, & D sint mutuò connexæ, necessariò sequi tum C, & D mutuò similiter esse connexas, tum B, & C, atque etiam D, & F oppositas citra medium esse. Quòd autem earum oppositio non contradictoria sit, sed contraria, inde monstratur: quia vnius propositionis vnica tantùm contradictoria datur, eo quòd vnius extremi vnica tantùm datur negatio, vt *suprà propos. 7. num. 37.* statuimus. Cùm ergo B pro contradictoriâ habeat F, nequit etiã habere pro contradictoriâ C, quæ ab F est diuersa. Similiterque cum D habeat pro contradictoriâ C, nequit etiã habere F diuersã, à C B. ergo, & C, atque etiam D, & F oppositione contrariâ sunt oppositæ citra medium. Quod erat demonstrandũ.

Quartò dico. Ex eo quòd B, & C oppositæ citra medium sint necessariò vice versâ sequi, tum D, & F pariter esse oppositas, quod ex demonstratione iam factâ constat: tum B, & D, atque etiam C, & F mutuò esse connexas. Quod demonstratur: quia, vt constat ex dictis, titulo oppositionis, quam B habet cum C, cum eius contradictoria D necessariò connectitur, & titulo oppositionis, quam D habet cum F, cùm eius contradictoria B necessariò connectitur, atque ita B, & D mutuò connexæ sunt necessariò. Tantumdémque venit dicendum de C, & F, vt constat.

56 Ex hâc propositione, quæ vniuersalissima est, sequitur primò, quia omne totum, seu physicum, seu metaphysicum, seu logicum cum suâ parte seu determinatâ, seu vagâ non mutuò est connexarum, vt est notissimum: Contradictorium partis connexum quoque esse non mutuò cum contradictorio totius; & totum contradictorio partis contrarie esse oppositum contrarietate admittente medium, partémque subinde contradictorio totius subcontrariari, & vice versâ. Et consequenter propositiones habentes hæc extrema pro obiectis eadem conditiones subire. Hinc: quia homo est totum physicè compositum ex animâ, & corpore: hæ propositiones sunt subalternæ: *Homo existit: Anima existit*, atque etiam hæ: *Anima non existit*: *Homo nõ existit*; & hæ contrariæ admittentes medium: *Homo existit: Anima non existit*; hæ verò subcontrariæ: *Anima existit: Homo non existit*. Et, quia homo compositus est metaphysicè ex animali, & rationali, hæ propositiones sunt subalternæ: *Homo existit: Animal existit*, sicut & hæ: *Animal non existit: Homo non existit*. hæ autem contrariæ admittentes medium: *Homo existit*: *Animal non existit*. Et hæ subcontrariæ: *Animal existit*: *Homo non existit*. Denique, quia conceptus hic: *omnis homo* est totum compositum logicè ex hominibus indiuiduis, hæ propositiones sunt subalternæ: *Omnis homo existit: Socrates existit*, atque etiam hæ: *Socrates non existit*: *Aliquis homo non existit*. Hæ autem contrariæ admittentes medium: *Omnis homo existit: Socrates non existit*; & hæ subcontrariæ: *Socrates existit: Aliquis homo non existit*. Quo eodem iure tales sunt omnes quadratorum tabulæ primæ datæ *propos. 9. n. 47.*

57 Secundò sequitur: quia omnis essentia cum omni suâ passione communi est connexa non mutuò, iuxta doctrinam statutam *disp. 17. q. 18.* contradictorium passionis communis cum contradictorio essentiæ connexum quoque non mutuò esse, essentiaque, & contradictorium passionis contrariè cum admissione medij opponi: passionem denique ipsam contradictorio essentiæ subcontrariari. Et consequenter, propositiones habentes hæc extrema pro obiectis eadem conditiones subire. Hinc: quia cuiusvis actus quasi communis passio est potentia, hæ propositiones, *Socrates legit: Socrates potest legere*. Subalternæ sunt, atque etiam hæ: *Socrates non potest legere: Socrates non legit*: hæ autem contrariæ admittentes medium: *Socrates legit*: *Socrates non potest legere*; & hæ subcontrariæ: *Socrates potest legere: Socrates non legit*. Et idem est de innumeris aliis huiusmodi.

58 Tertio sequitur: quia omnis essentia cum omni suâ propriâ passione, seu proprietate mutuò connexa est iuxta dicta etiam in eâ *quæst. 18, citatâ*, contradictorium proprietatis cum contradictorio essentiæ esse quoque mutuò connexorum, essentiamque, & contradictorium proprietatis contrarie citra medium opponi. Similiterque proprietatem, contradictorium essentiæ, ealdémque subinde conditiones sortiri propositiones habentes pro obiectis talia extrema. Hinc, quia risibilitas est proprietas hominis, hæ propositiones mutuò subalternantur: *Petrus est homo*: *Petrus est risibilis*, tum etiam hæ: *Petrus non est homo*: *Petrus non est risibilis*; hæ verò contrariè citra medium opponuntur: *Petrus est homo*: *Petrus non est risibilis*; atque item hæ: *Petrus est risibilis*: *Petrus non est homo*. In cæterisque innumeris pariter.

59 Quartò sequitur: quia peccatum, & gratia contrariè cum admissione medij opponuntur, paritérque consequenter propositiones istæ: *Petrus habet gratiam*: *Petrus habet peccatum*, has inter se subalternas esse: *Petrus habet gratiam*: *Petrus non habet peccatum*, atque etiam has: *Petrus habet peccatum*: *Petrus non habet gratiam*; has verò subcontrarias: *Petrus non habet peccatum*: *Petrus non habet gratiam*. Similitérque venit dicendum de innumeris aliis huiusmodi.

60 Quintò sequitur: quia similitudo, & dissimilitudo contrariè opponuntur citra medium, atque adeò, & hæ propositiones: *Petrus est Paulo similis*: *Petrus est Paulo dissimilis*: has inter se mutuò connexas, atque adeò mutuò subalternatas esse: *Petrus est Paulo similis*: *Petrus non est Paulo dissimilis*, sicut etiam has: *Petrus est Paulo dissimilis*: *Petrus non est Paulo similis*; has verò, sicut & duas priores citra medium esse contrarias: *Petrus non est Paulo dissimilis*: *Petrus non est Paulo similis*. Paritérque de similibus philosophandum est.

61 Sextò sequitur vniuersè: quot habet vnaquæque propositio subalternatas, siue terminantes suam connexionem, aut immediatam, aut mediatam, tot habere contrarias, & vice versâ quæ quidem contrariæ admittentes medium erunt, si connexio non mutua sit; recusantes autem, si mutua. Item, quot habet vnaquæque propositio subalternantes, siue secum connexas non mutuò, tot habere subcontrarias, & vice versâ: quando enim subalternantes mutuò subalternatæ sunt loco subcontrariarum contrariæ recusantes medium succedunt. Quæ omnia ex demonstratis sunt nota.

62 Ex quibus omnibus apparet, quomodò per doctrinam præsentis propositionis certas iam nos, easque vniuersalissimas regulas habeamus ad demonstrandas in scientiis humanis ex semel inuentâ connexione aut non mutuâ, aut mutua quorumuis terminorum, siue quarumuis propositionum contrarietates, & subcontrarietates, illasque, vel admittentes, vel recusantes medium; necnon vice versâ, ad demonstrandas connexiones &c. ex semel inuentâ contrarietate.

63 Postremò sequitur ex dictis quoties duæ propositiones nullam inter se connexionem habent, neque earum contradictorias connexionem inter se habere, neque alteram cum alterius contradictoriâ habere contrarietatem vllam, aut subcontrarietatem sicuti vice versâ, quoties duæ propositiones oppositæ inter se non sunt, neque altera cum contradictoriâ alterius est connexa, neque ambarum contradictoriæ sunt subcontrariæ. Id, quod ex demonstratione factâ *propositione nona*, circa propositiones disparatas etiam est notum.

Propositio

Propositio 12.

64 Oppositiones, connexiones, æquiualentiæque propositionum oriundæ à signis afficientibus earum terminos aut affirmatis, aut negatis, perinde nascuntur ab illis, suâ seruatâ propositione, siue terminis talibus signis affecti recti seu categorematici, siue obliqui, seu syncategorematici sint.

Ratio huius propositionis est: quia cùm termini etiam obliqui syncategorematici, seu connotati sub enuntiationem etiam propositionis cadant, quâ ratione supra explicuimus *disput 2. quæst. 4.* consequens est, vt ab illis etiam suo modo ratione signorum, quibus afficiuntur, sortiatur propositionem, atque adeò sensum aut vniuersalem, aut particularem, &c. & consequentes, aut oppositionem, aut cõnexionem, aut æquiualentiam cùm aliis propositionibus in huiusmodi quantitate fundatam. Itaque, sicuti hæ propositiones contradictoriæ sunt: *Omnis homo currit: Aliquis homo non currit*; ita etiam hæ: *Omnis hominis omnis capillus est albus*: *Alicuius hominis aliquis capillus non est albus*: *In omni vrbe venditur piper*: *In aliquâ vrbe non venditur piper*: *Petrus in omni scientiâ est doctus*: *Petrus in aliquâ scientiâ non est doctus*. Et cæteræ huiusmodi. Paritérque de contrariis, subcontrariis, & subalternis, atque etiam de æquiualentibus, iuxta regulas in præcedentibus traditas venit censendum. Semper tamen oportebit attendere, an ratione alicuius tacitè suppositi, siue enuntiati per propositionem ita illa æquiualeat complexæ, aut sensum aliquem implexum habeat, vt expediat priùs eam exponere: Quo de eius cum aliis oppositione, connexione, aut æquiualentiâ tutiùs agatur, iuxta regulas tum pro simplicibus, tum pro complexis traditas, & tradendas.

65 Est tamen aduertendum primò: perinde valere regulas æquiualentiarum, quæ ab adiunctâ particulâ negatiuâ sortiuntur signa aliàs diuersâ, iuxta dicta *quæst. 2. suppos.* siue talia signa casus obliquos, siue casus rectos afficiant. Itaque negatio præposita signo vniuersali facit illud æquiualere particulari; & è conuerso præposita particulari facit illud æquiualere vniuersali: postposita verò in suâ vi relinquit illa, siue afficiant casus obliquos, siue rectos; ac proinde quando signum aut vniuersale, aut particulare positum est ex parte prædicati alicuius propositionis datæ, vt ipsi affingeretur contradictoria, non est mutandum: quia à negatione præpositâ mutatur in propositione negatiuâ, prout oportet ad contradictionem; benè tamen, quando ponitur ex parte subiecti. Sic propositiones istæ: *Piper venditur in omni vrbe*: *Piper non venditur in omni vrbe*: *Petrus est doctus in omni scientiâ*: *Petrus non est doctus in omni scientiâ*, contradictoriè opponuntur absque mutatione signi vniuersalis in particularem, qualiter non opponerentur, si daretur talis mutatio; cùm tamen æquiualentes earum nuper propositæ eo solùm, quòd terminis inuersis ita formatæ sunt, vt signum in negatiuâ negationem præcesserit eiusmodi vnius signi in aliud mutationem expostularunt, vt contradictoriè opponerentur.

66 Secundò aduertendum est pro tyronibus aliqua esse vocabula, quæ vniuersalitatem, & particularitatem ei correspondentem secum ferunt absque interuentu signorum: *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*; nempe: *Semper*, *Aliquando*, *Vbique*, *Alicubi*, *Vterque*, *Neuter*, *Alter*, vel *Alteruter*, & alia huiusmodi: De quibus, quod attinet ad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam, perinde, ac de terminis affectis signis, *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*, est censendum. Vnde, huic propositioni: *Semper pluit* sic contradicitur: *Aliquando non pluit*. Contrariatur autem sic: *Nunquam pluit* Et huic: *vterque oculus videt* sic contradicitur: *Alter oculus non videt*. Et sic contrariatur: *Neuter oculus videt*. Istæ similiter sunt contradictoriæ: *Vbique est lux*: *Alicubi non est lux*. Atque etiam hæ, iuxta notationem præcedentem: *Lux est vbique*: *Lux non est vbique*. Et in cæteris pariter.

QVÆSTIO III.

Quâ ratione propositiones simplices hypotheticæ oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquiualentes?

SVppositâ diuisione propositionis hypotheticæ in causalem, illatiuam, & purè coniunctiuam, traditâ *suprà quæst.* 1. rursùs suppono primò: causalem, & illatiuam, etsi specie tenus sint simplices, quoad sensum tamen propositiones complexas esse: quia causalis duo diuersa enuntiat; expresè quidem *esse* conditionati sub hypothesi conditionis; & tacitè influxum conditionis in ipsum sub eâdem hypothesi; illatiua autem *esse* conditionati expresè, & connexionem conditionis cum ipso tacitè enuntiat sub hypothesi eâdem; cùm tamen purè coniunctiua dumtaxat enuntiet esse conditionati pariter sub conditionis hypothesi, quidquid sit de influxu conditionis in conditionatum, aut de illius cum hoc connexione. Quare, causalis & illatiuâ remissis ad sequentem quæstionem, de solâ purè coniunctiuâ superest agendum in præsente. 67

Suppono secundò: etiam quando conditio aut influit in conditionatum, aut connectitur cum illo re ipsâ posse propositionem hypotheticam habere sensum purè coniunctiuum, de factoque sæpe habere: quia potest tantũ enuntiare, de factoque sæpè enuntiat *esse* conditionati sub hypothesi conditionis; ne tacitè quidem innuendo aut influxum conditionis in conditionatum, aut connexionem illius cum eo, sed prorsùs ab iis præscindendo. In præsenti ergo quæstione de omnibus propositionibus hypotheticis habentibus sensum purè coniunctiuum tractamus, siue conditiones earum re ipsâ influant in conditionatum, aut cum eo connectantur, siue secùs. 68

Suppono tertiò: quando conditio nullo modo influit in conditionatum, nullóve modo ad illud conducit, & nullo item modo cum illo connexa est, tunc propositionem hypotheticam dici de conditione disparatâ, qualis hæc communiter: *Si gallus cantauerit Turca conuertetur*, & aliæ huiusmodi censentur. Est autem controuersum inter Doctores: an propositio hypothetica de conditione disparatâ sensum verè conditionatum, siue hypotheticum ab absoluto, siue categorico distinctum retinere, & veritatem conditionatam, siue hypotheticam ab absolutâ, siue categoricâ diuersam, per scientiamque conditionatam scibilem habere possit? Et aliqui negant, putantes, quando conditio est disparata, propositionem specie tenus dumtaxat esse conditionatam, re tamen ipsâ in sensu tantùm absoluto posse veritatem habere, coniunctionis scilicet, seu coexistentiæ 69

absolutè in eodem tempore conditionis, & conditionati, ita, quòd sensus illius propositionis *si gallus cantauerit, Turca conuertetur*, sit hic: *Quando gallus cantauerit, Turca conuertetur*; aut alius similis absolutus, in cæterisque huiusmodi pariter. Ego verò cum pluribus aliis censeo, quantumuis cõditio sit disparata modo dicto, propositionem nihilominùs sensum conditionatum retinere, & veritatem conditionatam ab absolutâ diuersam, per scientiamque conditionatam scibilem habere posse: quia nihil est, quod vetet, sub quâuis omninò conditione absolutè non iudicatâ; sed positâ tantùm in hypothesi per simpliçem apprehensionem quidlibet aliud hypotheticè iudicare præscindendo per tale iudicium ab absoluto *esse* eius. Pariterque subinde enuntiare illud per propositionem vocalem. Quo casu, talis propositio & sensum conditionatum habebit, & veritatem conditionatam habere poterit de factóque habebit, si sit cum suo obiecto conformis, vt potest. Id, quod manifestè, me iudice, inde confirmatur quia eiusmodi sensus coniunctiuus omni propositioni conditionatæ communis est, per accidensque, & impertinenter se habet ad illum, quod sit conditio disparata, vel secus, quandoquidem, etsi conditio disparata non sit, ille solus reperiri potest, & sæpè solet, vt dictum suppositione secundâ, proindeque cum sensû causali, aut illatiuo accidentariè coniungitur, quando coniungitur, pro arbitrio scilicet enuntiantis aut solum *esse* conditionati sub hypothesi conditionis, aut insuper tacitè influxum, vel connexionem conditionis comparatione conditionati.

70 Fateor tamen cum doctis Recentioribus, hypotheticam de conditione disparatâ in suo signo status conditionati antecedentis ad absolutum nunquam esse veram, nisi quando absoluta ei correspondens in suo signo posteriori est vera. Quia eo ipso, quòd conditio nullatenus influit, conducitve, vt conditionatum sit, æquè est sẽper verum illud fore, siue ponatur, siue non ponatur conditio, vt satis ex se est notum: si enim nihilo penitùs conducente galli cantu ad Turcæ conuersionem verum est, Turcam esse conuertendum, si gallus cantauerit, æquè erit id ipsum verum, etiamsi gallus non cantauerit. Atque ita vniuersaliter, quoties conditionatum est verum sub hypothesi conditionis disparatæ, pariter item verũ est sub hypothesi contradictorii talis cõditionis. Hinc autem manifestè consequitur, debere esse quoque illud absolutè verum: quia ex vnâ parte ex duabus conditionibus contradictoriis non potest non altera esse absolutè purificata, vt constat: siquidem ambo extrema contradictionis ab statu absoluto simul abesse est impossibile; ex aliâ verò parte omne verum conditionatè, cuius conditio purificatur, etiam est verum absolutè, vt etiam est notum.

71 Verùm enim verò, doctrina hæc non solùm habet locum in conditionibus disparatis; sed etiam in connexis nihil ad conditionatum conducentibus, qualis est scientia visionis, aut reuelatio, aut actus fidei de existentiâ creaturæ. Quod Recentiores cõmemorati non aduerterunt. Argumentum enim factum vniuersaliter probat: quoties conditio nihil ad conditionatum conducit, si illud est verum sub hypothesi conditionis, etiam esse verum sub hypothesi contradictorij conditionis, & consequenter absolutè. Posse autem conditionem connexam esse cum conditionato, & nihil ad illius *esse* conducere, in exemplis positis, aliisque eiusmodi palàm est. Vnde manifestè consequitur: quoties conditionatum absolutè non est verum, sub hypothesi conditionis connexi cum illo, & nihil conducentis ad illud, tum illud, tum eius contradictorium, atque adeò duo simul extrema contradictoria esse vera, qualiter vera esse solent sub hypothesi impossibili: In tali enim casu conditio posita in hypothesi impossibilis consequenter, siue ex suppositione est. Sic suppositò, quòd hodie Petrus absolutè non est peccaturus, sub hypothesi, quòd Deus reuelaret, Petrum hodie peccaturum, verum conditionatè est peccaturum illum simul, & non peccaturum; peccaturum, quia reuelatio sine peccato stare non posset, vtpote connexa cum illo; & non peccaturum: quia ille sponte suâ non est peccaturus, & reuelatio posita non magis, quàm non posita conferret ad peccatum, vt ponimus.

De his tamen *in tract. de scientiâ Dei* plura *suo* 72
loco dicẽda sunt. Quomodò autem ex hypothesi absolutè impossibili duo contradictoria verificentur, sequatúrque, aut non sequatur quidlibet *suprà disp.* 11. tractatum est. His positis sit

Propositio 1.

Quâ ratione de propositionibus categoricis 73
quoad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam *q.* 2. philosophati sumus, eâdem prorsùs de hypotheticis purè coniunctiuis ipsis categoricis correspondentibus philosophandum est.

Ratio est clara. Quia obiecta categoricarum (quæ eadem sunt, atque hypotheticarum ipsis correspondentium, dumtaxatque differunt penes diuersitatem status absoluti, & conditionati) vt habent in vtroque statu idem *esse*, aut *non esse*, siue existentiale, siue quiditatiuum (id namque supponimus, dum loquimur de obiectis hypotheticarum correspondentium categoricis) ita non possunt non habere in vtroque statu eandem oppositionem, connexionem, aut æquiualentiam, vtpote, quæ nihilo differunt realiter ab ipsorum *esse*, aut non *esse*, vt constat. Vnde propositiones ad talia obiecta terminatæ, taleque eorum enunciantes *esse*, aut non *esse*, non possunt non eandem oppositionem, aut connexionem, aut æquiualentiam sortiri, siue terminentur ad illa, prout in statu conditionato, siue prout in statu absoluto. Itaque, vt Petrum existere absolutè, &, Petrum non existere absolutè, contradictoriè opponuntur; ita Petrum existere sub quâuis datâ hypothesi, & Petrum non existere sub eâdem, contradictoriè opponuntur. Et, vt, omnem hominem currere absolutè, & nullum hominem currere absolutè, contrariè opponuntur: ita omnem hominem sub quâuis datâ hypothesi currere, & sub eâdem nullum hominem currere, contrariè opponuntur. Et, vt, omnem hominem legere, & aliquem legere absolutè subalternantur: ita, omnem hominem legere sub quâuis hypothesi, & sub eâdem legere aliquem, subalternantur. Pariterque de cæteris huiusmodi obiectis, denique propositionibus ad illa terminatis venit censendum.

Quæ, cùm ita sint, accipe omnes propo- 74
siones categoricas *quæstione secunda*, commemoratas, suisque litteris designatas, earumque singulis, siue singularum litteris adhice compendij causâ litteram H. quâ denotes propositionem categoricam in hypotheticam ipsi correspondentem, atque adeò eosdem terminos habentem esse mutatam. Tum, ex toridem, quæ resulta-

resultabunt, hypotheticis ita signatis compone totidem typos, tabulasque, atque sunt ibi categoricarum compositæ: habebisque Artem exhibentem oppositionem, connexionem, æquivalentiamque hypotheticarum omnium purè coniunctiuarum, atque adeò simplicium eodem modo demonstrabilem, ac illa categoricarum simplicium demonstrata est. Vt enim sequens quadratum harum quatuor hypotheticarum, exempli gratia. *Si omnis homo vocetur, omnis homo respondebit: Si omnis homo vocetur, aliquis homo respondebit: si omnis homo vocetur, aliquis homo non respondebit: si omnis homo vocetur, nullus homo respondebit*, & omnium eamdem formam habentium in quâcumque materiâ sub his litteris HA HI. HO. HE. subalternationem, subcontrarietatem oppositionemque exhibet. Ita reliquarum omnium similia quadrata exhibebunt. Prima namque propositio, & secunda subalternæ non mutuò sunt. Prima autem, & tertia, atque etiam secunda, & quarta contradictoriæ, vt constat ex dictis; indeque demonstrandum venit, vt de categoricis, quibus correspondent, est demonstratum *q.* 2. quartam, & tertiam subalternari, sicut primam, & secundam: primamque, & quartam esse contrarias cum admissione medij, & consequenter subcontrarias secundam, & tertiam.



75 Quomodò autem tum istæ hypotheticæ, tum cæteræ omnes possibiles æquivalentes reddi possint aut secus, ex dictis *q. 1. propos. 5. & 10.* colligendum est.

Propositio 2.

76 Vt propositiones hypotheticæ; de quibus *propos. 1.* eamdem categoricarum, quibus correspondent, oppositionem, connexionem, aut æquivalentiam sortiantur, sub eâdem omnes hypothesi debent esse hypotheticæ.

Ratio generalis est: quia vt in statû absoluto diuersa tempora, diuersa loca, diuersa subiecta, & alia huiusmodi diuersos casus faciunt in ordine ad oppositionem, aut connexionem extremorum: quia, quod habet *esse* in vno tempore, aut loco, aut subiecto, potest non habere *esse* in alio, atque ita extrema opposita, aut connexa respectiuè ad idem tempus, aut spatium locale, aut subiectum; respectiuè ad diuersa possunt non esse opposita, aut connexa. Ita in statu conditionato diuersæ hypotheses faciunt etiam casus diuersos: quia, quod habet *esse* sub vnâ hypothesi, potest illud non habere sub aliâ, & consequenter extrema opposita, aut connexa sub vnâ hypothesi, sub diuersis possunt non esse opposita, aut cõnexa. Hinc autẽ sequitur extrema, quæ quoad aliquod *esse* absolutè opponuntur, aut connectũtur, tametsi non possint nõ etiã opponi, aut cõnecti quoad tale *esse* cõditionatè sub vnâ, eâdemque hypothesi, iuxta dicta *propos. 1.* eo quod sub vnâ, eâdemque hypothesi sic coniunguntur, vt eodem modo sub illâ quoad tale *esse* cõparentur conditionatè, ac comparãtur absolutè; sub diuersis tamen hypothesibus benè posse non opponi, aut connecti: quia sub diuersis hypothesibus quoad tale *esse* non coniuncta; sed quasi separata ponuntur. Paritérque subinde, de extremorum æquivalentia, iuxta regulas *in superioribus* traditas, & in *hâc q. propos. 1.* indicatas, venit censendũ.

Declaremus hæc per exempla. Gratiâ, & peccatũ 77
absolutè opponuntur respectiuè ad idẽ subiectũ, & idem tẽpus: quia nõ possunt existere absolutè in eodẽ subiecto eodẽ tempore; atque ita hę propositiones sunt oppositæ, simulque veræ proinde esse nõ possunt: *Petrus nunc habet peccatum: Petrus nunc habet gratiã.* Hinc autẽ necessariò sequitur, vt gratia, & peccatũ respectu eiusdẽ subiecti, & temporis etiam conditionatè opponantur sub eâdem hypothesi; sub diuersis verò non itẽ: quia sub eâdem hypothesi nõ possunt conditionatè existere in eodẽ subiecto pro eodẽ tẽpore: benè tamen sub diuersis, eo quòd, si existerent sub eâdẽ, coniungerẽtur quoad existentiã in eodẽ subiecto pro eodẽ tempore quod eis repugnat: existentia verò sub diuersis non opus est, quòd cõiungãtur. Quô cessat repugnantia, atque ita hæ propositiones sunt oppositæ, simulq; veræ proinde esse non possunt: *si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatũ: si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet gratiã*: quia alioquin verificaretur fore, vt Petrus pulsatus nũc cogitatione A, haberet simul nunc peccatũ, & gratiã: Quod repugnat. Hę verò propositiones nõ sunt oppositæ, atque adeò simul veræ esse possunt: *Si Petrus nũc pulsaretur cogitatione A, nũc haberet peccatũ: Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione B, nũc haberet gratiam:* Quia benè cõponitur in casû prioris hypothesis Petrũ peccaturũ, atque ideò amissurũ gratiã. In casu verò posterioris non peccaturum, atque ideò retenturũ gratiam.

Pari ratione peccatũ, & carentia gratiæ respectiuè 78
ad idẽ subiectũ, & idem tẽpus absolutè connectũtur non mutuò: quia nequit peccatũ existere in subiecto, in quo non sit pro eodem tẽpore carentia gratiæ; atq; ita hæ propositiones sunt non mutuò cõnexæ, veritasque prioris subinde infert veritatẽ posterioris: *Petrus nunc habet peccatũ: Petrus nunc caret gratia.* Hinc autẽ necessariò sequitur, vt peccatũ, & carẽtia gratię respectu eiusdẽ subiecti, & tẽporis etiã conditionatè connectãtur sub eâdẽ hypothesi; sub diuersis verò non itẽ: quia non potest peccatũ existere cõditionatè in subiecto, quin in eodẽ pro eodẽ tẽpore existat sub eâdẽ hypothesi carentia gratiæ; benè tamen, quin sub diuersâ; atque ita hæ propositiones subalternæ sunt, primâque necessariò infert secundã: *Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatũ: Si Petrus nũc pulsaretur cogitatione A, nũc careret gratiâ.* Nã alioquin Petrus pulsatus nũc cogitatione A, posset habere simul nũc peccatũ, & gratiã. Quod repugnat. Hæ verò propositiones non sunt subalternæ, nec 1. necessariò infert 2. *Si Petrus nunc pulsaretur cogitatione A, nunc haberet peccatũ: Si Petrus nũc pulsaretur cogitatione B, nũc careret gratiâ.* Quia benè cohærent in casu priotis hypothesis, Petrũ peccaturũ, subindeque amissurũ gratiã. In casu verò posterioris non peccaturum, subindéque retenturum gratiam. Et consequẽter, primam propositionem veram, secũdam autem falsam esse. Ex quib. venit colligendũ, quomodò de propositiõnum cõditionalium æquivalentiã, iuxta regulas nuper cõmemoratas pariter impræsentiarum censendum est. Quo veritas nostræ propositionis perspicuè manet demonstrata, ampliúsque etiam confirmata veritas præcedentis.

Propositio 3.

Quo pacto construenda sit Ars exhibẽs oppositio- 79
nem, & connexionem, aut etiã æquivalẽtiam inter propositiones simplices categoricas, & hypotheticas vicissim cõparatas repertã, demonstratiuè ostẽdere.

Suppono : vti hactenus comparauimus propositiones categoricas cum categoricis , & hypotheticas cum hypotheticis, quod attinet ad oppositionem , connexionem , & æquualentiam; ita venire etiam comparandas categoricas cum hypotheticis, & hypotheticas cũ categoricis. Deinde suppono ex doctrinâ iã statutâ *disp.* 10. *q.* 5. *propos.* 2. omnẽ propositionẽ categoricã cũ aliquâ propositione hypotheticâ, aut cũ aliquibus cõnecti non mutuò: Quia eo ipso, quòd est absolutè verum, quidpiã habere esse, non potest non verum fuisse conditionatè, ipsum tale *esse* habiturum sub aliquâ hypothesi ; non tamen vice versâ. Quocirca , status rerum absolutus cum statũ ipsarum conditionato sibi correspondente connexus est ; sed non è conuerso. Vndè, omnis propositio categorica , siue ad statum rerum quiditatiuum , siue ad statum rerum existentialem pertinens connexa est non mutuò cum omni hypotheticâ , quæ sub quâuis hypothesi absolutè purificandâ enuntiat idem ipsum conditionatè , quòd categorica absolutè. Eo enim ipso, quod duo quæpiam absolutè sunt , aut non sunt, conditionatè fuit verum de vnoquoque fore , aut non fore sub hypothesi , quòd alterum esset, aut non esset, siue talis conditionata veritas de conditione disparatâ, siue de non disparatâ fuerit , quod non interest ad rem, vt constat ex doctrinâ statutâ *suppositione tertiâ*. Sic quia verum absolutè est. *Homo est rationalis* , & *leo rugibilis*, conditionatè quoque est verum, *si homo est rationalis, leo est rugibilis*, & è conuerso. Et quia absolutè est verum. *Homo est rationalis, & risibilis* , conditionatè quoque est verum : *si homo est rationalis, est risibilis*, & vice versâ. Et quia absolutè est verum *Petrus loquitur, & Paulus audit*, necnon : *Deus vocat Petrum , & Petrus respondet*, conditionatè quoque est verum : *si Petrus loquitur, Paulus audit* , necnon : *si Deus vocat Petrum Petrus respondet*. Præterea omnis propositio quiditatiua categorica cum aliquâ existentiali hypotheticâ est non mutuò connexa, vt in his cernitur: *Homo est rationalis : si homo extiterit, erit rationalis Actio connectitur cum termino : si extiterit actio, existet terminus*. Et in cæteris huiusmodi.

80 Hoc posito, sumatur quæuis propositio categorica ex omnibus recensitis *q.* 2. positaque in primo angulo quadrati ponatur sub ipsâ in secundo quæuis ex hypotheticis , cum quibus illa non mutuò connexa est. Deinde in aliis duobus angulis inuerso ordine ponantur earum contradictoriæ, iuxta regulas in præcedentibus traditas assignatæ vt cernitur in quadrato, sequenti.



Hac namque constructione suppositâ per demonstrationes factas in simili *quæst.* 2. venit pariter demonstrandum , HO, & O eodem modo esse subalternas, atque A, & HA : A verò , & HO contrarias esse contrarietate admittente medium , & consequenter HA, & O subcontrarias esse.

81 Quo eodem pacto, & tabula generalis quadratorum similium pro omnibus categoricis possibilibus effici posset : &, quod expeditius est , vnicuique categoricæ datæ tum hypothetica, cui contrarietur cum admissione medij; tũ altera, cui subcontrarietur pro natâ occasione poterit designari: Omnis quippe categorica pro contrariâ habet modo dicto hypotheticam contradictoriam hypotheticæ sibi subalternatæ , & pro subcontrariâ hypotheticam subalternatam suæ contradictoriæ, vt constat ex dictis.

Pro huiusmodi autem binariis propositionum 82
mixtis , quarum altera categorica , & altera hypothetica est, non est quærenda æquualentia propria: quia status conditionatus , & absolutus, quâ tales, non possunt inter se æquualere propriè ; tametsi interdum possint mutuò connexos esse ratione materiæ, vt sunt status quiditatiuus absolutus, & existentialis conditionatus; quandò , tam propositio conditionata , quàm absoluta eiusdem prædicati, & subiecti connexionem necessariam subiecti cum prædicato præ se fert : quia , quod necessariò subiecto conuenit , in omni statu conuenit illi. Sic se habent propositiones istæ : *Homo necessariò est rationalis : si homo extiterit , necessariò erit rationalis: Homo identificatur cum rationali : si homo extiterit identificabitur cum rationali*, & similes. Quomodo autem , quando duæ quæuis propositiones sunt mutuò connexæ, contradictoria secundæ, & prima citra medium contrariæ sint ; contradictoria autem primæ, & secunda non subcontrariæ; sed contrariæ item sint citra medium , ex dictis *q.* 2. *propos.* 12. constat.

QVÆSTIO IV.

Quâ ratione propositiones complexæ oppositæ inter se sint , aut connexæ, aut æquiualentes.

PRo resolutione suppono primò : Omne ab in- 83
tellectu iudicabile , atque adeò per propositionem enuntiabile, ad tria capita simplicia (vt modò eorum mixtiones omittam) reduci. Aut enim est vnum indiuisim , atque determinatè sumptum, siue illud in se sit quid simplex , siue ex partibus compositum quoquo modo. Aut sunt plura diuisim, siue distributiuè , atque determinatè sumpta. Aut est vnum ex pluribus sumptum vagè, seu (quod in idem recidit) plura sumpta disiunctiuè, siue sub distinctione. Aliud enim genus obiecti ad aliquod ex his tribus non pertinens excogitabile non est, vt cuique consideranti innotescit, constatque ex dictis à nobis *supr. disp.* 2. *q.* 3 *consect.* 4. Ob id omnis propositio simplex ad singularem correspondentem primo , & vniuersalem correspondentem secundo, & particularem correspondentem tertio reducitur, vt *suprà q.* 1. statuimus.

Suppono Secundò : propositionem complexam 84
copulatiuam eam esse, quæ ex pluribus simplicibus seu categoricis, seu hypotheticis per particulam &, aut æquiualentem copulatis coalescit. Complexam autem disiunctiuam quæ coalescit ex pluribus disiunctis per particulam *vel* , aut similem, vt dictum etiam est , exemplisque explicatum *q.* 1.

Suppono tertiò : complexam copulatiuam, quâ 85
talem , simplici vniuersali æquiualere enuntianti sub vno conceptu confusè eadem extrema, quæ illa sub pluribus enuntiat distinctè. Est certum: quia perinde est de omnibus , & singulis hominibus distinctè numeratis asserere : *Hic homo loquitur , & hic homo loquitur. & hic homo loquitur*

tur, &c. ac asserere de eisdem confusè : *Omnis homo loquitur*, vt est notissimum. Ratio est in promptu : quia vt simplex vniuersalis enuntiat plura distributiuè, atque determinatè sumpta, ita etiam complexa copulatiua enuntiat plura distributiuè, atque determinatè sumpta : Ergo, quando enuntiata ambarum sunt prorsus eadem, non possunt non esse ambæ æquiualentes quoad sensum. Quod enim altera confusè, & altera distinctè illa enuntiet, nequit variare ipsarum sensum, vt notum est.

86 Suppono quartò, complexam disiunctiuam, quâ talem, simplici particulari æquiualere enuntianti sub vno conceptu confusè id ipsum, quod illa enuntiat sub pluribus distinctè. Est etiam certum : quia perinde est dicere distinctè discurrendo per omnes homines *Hic homo loquitur, vel hic homo loquitur, vel hic homo loquitur*, &c. ac dicere respectiuè ad eosdem : *Aliquis homo loquitur*, vt etiam notissimum est. Etenim, vt simplex particularis enunciat vnum ex pluribus vagè, seu disiunctiuè, ita complexa disiunctiua enuntiat vnum ex pluribus vagè, seu disiunctiuè, nisi, quòd prima confusè, secunda verò distinctè per plura vagantur, siue ea disiungunt : Ergo quando talia plura sunt prorsus eadem, non possunt non ambæ quoad sensum æquiualentes esse.

87 Suppono quintò : complexam copulatiuam, aut purè copulatiuam, aut mixtam cum disiunctiuâ esse posse. Similiterque complexam disiunctiuam, aut purè disiunctiuam, aut mixtam cum copulatiuâ posse esse. Erit copulatiua puta, quæ neque vllam particulam disiunctiuam, neque vllum terminum vagum, seu disiunctum, disiunctiuè suppositum contineat in se. Erit purè disiunctiua, quæ neque vllam particulam coniunctiuam, neque vllum terminum non disiunctum, siue determinatè suppositum in se contineat. Mixta autem ex vtrâque erit, vel ex aliqua, aut aliquibus particulis coniunctiuis, & simul ex aliquâ, aut aliquibus disiunctiuis, vel ex aliquo, aut aliquibus terminis vagis, siue disiunctis, & simul ex aliquo, aut aliquibus determinatis, & non disiunctis composita sit. Vnde, mixtæ in duas classes sunt diuidendæ. Aliæ sunt mixtæ ex copulatiuâ, & disiunctiua formaliter, nimirum, quæ aliquam particulam coniunctiuam, & aliquam item disiunctiuam habent. Aliæ verò sunt mixtæ ex copulatiuâ, & disiunctiuâ tantùm æquiualenter. Videlicet, quæ cùm, aut solùm coniunctiuam, aut solùm disiunctiuam habeant particulam, proindeque formaliter copulatiuæ tantùm, aut disiunctiuæ tantùm sunt ? constant tamen ex aliquo, aut aliquibus terminis disjunctis, & simul ex aliquo, aut aliquibus non disiunctis. Exempla vnicuique erunt obuia. Ob id ea omitto.

88 Suppono sextò. : Omnem omnino propositionem complexam, cuiusvis ea generis sit, ad copulatiuam, & disiunctiuam, seu mixtas reduci, alicuiue earum æquiualere : quia nulla est excogitabilis, quæ non enuntiet, aut plura determinatè, & diuisim, siue distributiuè : quo casu erit re ipsâ copulatiua, aut plura sub disiunctione, siue disiunctiuè : quo casu erit disiunctiua : aliud enim genus enuntiandi plura non est, vt constat ex dictis. Sic causalis hæc : *Quia ignis existit existit calor* copulatiua re ipsâ est, siue ei æquiualens, quia tria enuntiat diuisim, & determinatè, nempe ignem existere, & calorem existere, & ignem esse causam caloris ; idemque est de aliis huiusmodi. Sic etiam hæc rationalis *Existit ignis : ergo existit calor :* copulatiua re ipsâ est, siue ei æquiualens : quia tria etiam enuntiat diuisim, & determinatè ; scilicet, existere ignem, existere calorem, & ignem cum calore connexum esse. Tantumdémque venit dicendum de reliquis similibus. Sic denique aliæ complexæ *suprà quæst. 1. numero 4.* commemoratæ ad copulatiuam reducuntur ob eamdem rationem. Aliæque excogitari poterunt, quæ reducantur ad disiunctiuam.

Vnde suppono septimò, quidquid in sequentibus dixerimus de complexis, copulatiuis & disiunctiuis, pariter intelligendum venire de omnibus omninò aliis propositionibus complexis, cuiusvis generis illæ sint. Oportet tamen vnamquamque imprimis exponere, expositionéque transformare in eam copulatiuam, aut disiunctiuam, ad quam reducitur, vt ita transformatæ clariùs, faciliúsque copulatiuæ, aut disiunctiuæ doctrinæ applicetur. 89

Octauo denique suppono : complexas copulatiuas, & disiunctiuas, ex quibusvis simplicibus commemoratis *quæstione 2. & 3.* compositas per ipsas litteras, quibus simplices ibi à nobis sunt designatæ, deinceps compendij causâ esse pariter designandas, additâ, interpositaque, aut particulâ coniunctiuâ &, aut particulâ disiunctiuâ *vel* in hunc modum *A & E* significat complexam copulatiuam ex duabus vniuersalibus categoricis primâ affirmatiuâ, & secundâ negatiuâ compositam : *I, vel I. vel I* disiunctiuam ex tribus particularibus affirmatiuis : *HA, & I, vel V* mixtam ex primâ vniuersali hypotheticâ, & & secundâ particulari tertiaque singulari categoricis affirmatiuis. Similitérque in cæteris. His positis. Sit. 90

Propositio 1.

Datâ quâvis propositione, aut purè copulatiuâ, aut purè disiunctiuâ, aut mixtâ illius contradictoriam assignare. 91

Sumantur, iuxta regulas traditas *quæst. 2. & 3.* contradictoriæ omnium simplicium propositionum, ex quibus complexa data composita est, dispositæque eodem ordine iungantur, aut disiungantur, mutata vbique in disiunctiuam particulâ coniunctiuâ reperta in datâ, & vice versâ, disiunctiuâ in coniunctiuam. Complexa enim, quæ resultabit, erit contradictoria datæ. e. g. huius datæ A, & E contradictoria est hæc *O, vel I.* & huius datæ, *I, vel I, vel I*, hæc *E, & E, & E.* & huius *HA, & I, vel V*, hæc *HO, vel E. & Vn.* Et in cæteris pariter.

Quod ostenditur primò. Quia simplex vniuersalis, & simplex particularis, quarum prima, aut affirmat determinatè, & distributiuè eadem obiecta, quæ negat secunda vage, seu disiunctiuè, aut negat pariter eadem, quæ affirmat pariter secunda, contradictoriè opponuntur, vt constat ex doctrinâ statutâ *quæst. 2.* sed complexa copulatiua, & complexa disiunctiua simplici vniuersali, & simplici particulari æquiualent, iuxta suppositionem tertiam, & quartam. Ergo quando altera affirmat determinatè, & distributiuè eadem obiecta, quæ negat altera vagè, seu disiunctiuè, vel vice versâ, vti se habent in casu nostræ propositionis, contradictoriè opponantur necesse est. Affirmare autem, aut negare alteram determinatè, 92

& distributinè eadem obiecta, quæ negat, aut affirmat altera vagè, seu disiunctiuè, in casu nostræ propositionis est manifestum; quia, quæ particula coniunctiua determinatè distribuit in vna, particula disiunctiua vagè disiungitin altera. Idemque præstant aliæ particulæ, quæ faciunt, vt singulæ simplices vnius singulis simplicibus alterius contradictoriè opponantur, iuxta regulas pro eis datas *dictâ quæst.* 2.

93 Secundò ostenditur. Quia sicut simplici vniuersali altera vniuersalis simplex, aut singularis contenta in illâ contrariè tantùm opponi possunt relinquiturque subinde, vt sola particularis possit ei opponi contradictoriè, iuxta dicta *in eâdem quæst.* 2. Ita complexæ copulatiuæ altera complexa copulatiua, aut aliqua pars eius determinata contrariè tantùm possunt opponi, solaque proinde disiunctiua potest illi opponi contradictoriè, & è conuerso, provt nostra propositio fert. Quia sicut se habent ad simplicem vniuersalem altera simplex vniuersalis, & singularis in eâ contenta; ita se habent ad complexam copulatiuam altera complexa copulatiua, & pars determinata eius, vt ex se, & ex dictis satis est notum. Complexam autem disiunctiuam ad complexam copulatiuam se habere, sicut se habet simplex particularis ad simplicem vniuersalem, & vice versâ, iam constat ex dictis.

94 Itaque in doctrina huius propositionis omnes Logici re ipsâ conspirant. Addunt tamen plerique vniuscuiusque propositioni complexæ datæ, seu copulatiuæ seu disiunctiuæ per præpositam negationem non infinitâtem; sed negantem contradici- Quod verum est, quatenus composita ex data, & ex negatione præpositâ æquialens est contradictoriæ, quam nos ipsius datæ assignauimus: quæ certè magis formalis, magisque ex arte est contradictoria eius. Sic huius copulatiuæ: *Petrus legit, & Paulus audit*, eatenus hæc: *Non Petrus legit, & Paulus audit* contradictoria est, quatenus facit hunc sensum: Non sunt coniuncta re verâ hæc duo; sed alterum saltem eorum deest, atque ita huic æquialet: *Petrus non legit, vel Paulus non audit*, quæ est illius contradictoria legitima iuxta regulam à nobis traditam. Similiter huius disiunctiuæ: *Petrus legit, vel Paulus scribit*, eatenus hæc: *Non Petrus legit, vel Paulus scribit* contradictoria est, quatenus facit hunc sensum: Neutrum horum duorum re verâ datur", atque adeò huic legitimæ illius contradictoriæ iuxta regulam nostram æquialet: *Nec Petrus legit, nec Paulus scribit.* Et in cæteris pariter.

Propositio 2.

95 Propositio complexa copulatiua, qua talis, cum singulis simplicibus, quas coniungit tum determinatè, tum vagè seu disiunctiuè sumptis, atque adeò cum complexa disiunctiuâ ex eis coalescente; necnon cum ipsarum subalternatis, iuxta regulas subalternarum traditas *quæst.* 2. & 3. connexa est non mutuò. Et consequenter cum complexis tum copulatiuis, tum disiunctiuis coalescentibus ex eiusmodi subalternatis comparatis tum inter se, tum cum ipsis simplicibus, quibus subalternantur, sumptis seorsim. Ac tandem, cum omnibus disiunctiuis coalescentibus ex aliqua ex prædictis, & ex quibusuis aliis propositionibus possibilibus vndecunque desumptis. Complexa verò disiunctiua, quâ talis, cum singulis simplicibus, quas disiungit, seorsim, determinatéque connexa non est: atque adeò neque cum earum subalternatis, si quas habuerint, sumptis similiter; benè tamen cum earum disiunctis, seu cum complexis disiunctiuis ex eis coalescentibus, tum inter se comparatis, tum cum simplicibus ipsis, quibus subalternantur, sumptis seorsim: necnon cum omnibus disiunctiuis coalescentibus ex aliquo ex disiunctis prædictis, & ex quibusuis aliis propositionibus possibilibus vndecunque desumptis.

Octo partes habet hæc propositio, & omnes 96
certissimas. Prima inde constat primò: quia propositio complexa copulatiua comparatione cuiusvis simplicis earum, quas coniungit, vt totum comparatione suæ partis se habet, vt est notissimum. Constat autem, totum cum quauis suarum partium siue determinatè, siue vagè considerată non mutuò connecti: complexa ergo copulatiua cum quâvis dictarum simplicium tum determinatè, tum vagè, seu disiunctiuè sumpta non mutuò est connexa. Secundò: quia complexa copulatiua perinde se habet ad vnamquamque simplicem, ex quâ componitur, sumptam determinatè, & ad earum aliquam sumptam vagè, ac se habet simplex vniuersalis ad singularem, & ad particularem contentam in se; vt ex dictis in præcedentibus liquidum est; sed vniuersalis simplex cum singulari, & particulari in se contentis non mutuò est connexa. vt ex se, & ex statutis *quæst.* 2. est notissimum: ergo complexa copulatiua cum quâvis earum, ex quibus componitur, aut determinatè, aut vagè sumptâ non mutuò connexa est. Vnde etiam constat, quando complexa copulatiua, quâ talis, plures, quàm duas simplices in se continet, cum quâvis aliâ copulatiuâ in se contentâ, compositaque ex illis eodem modo connexam esse.

Hinc secunda, & tertia pars propositionis ma- 97
nifestè sequuntur. Cùm enim simplices componentes copulatiuam cum suis subalternatis sint connexæ non mutuò (eas enim illarum subalternatas nunc dicimus, quæ ipsarum non mutuam terminant connexionem) non potest copulatiua ipsa cum talibus simplicibus connexa non mutuò cum ipsarum subalternatis mediatè non connecti similiter. Et quoniam quodvis coniunctum, quodvisque disiunctum eiusmodi subalternatarum nequit non esse similiter, subalternatum coniuncto dictarum simplicium, quibus illæ sunt seorsim subalternatæ, vt est notissimum; consequens est, vt copulatiua consistens in tali simplicium coniuncto, cum talibus subalternatarum coniunctis, disiunctisque, hoc est, cum copulatiuis, ac disiunctiuis ex eis coalescentibus similiter connexa sit. Vnde tandem patet, copulatiuam ipsam similiter esse connexam cum copulatiuis, & disiunctiuis coalescentibus ex vnâ simplicium, quas in se continet, & ex subalternatis alterius.

Quarta denique propositionis pars, adhuc de 98
copulatiua agens, eaque valde notanda, indeostenditur. Quia quævis omninò propositio cum disiuncto ex ipsâ; & alia quapiam coalescente est non mutuo connexa. Ob id enim valet benè: *Petrus legit: ergo Petrus legit, vel Paulus currit*: sed non è conuerso. Ob id etiam propositio singularis cum particulari vaganti per omnia singularia sui generis est non mutuò connexa. Ratio autem est clara: quia ad veritatem disiuncti, seu disiunctiuæ propositionis sufficit veritas vnius ex extremis

mis eius, non tamen è conuerso. Vt enim verum sit, Petrum, vel Paulum existere, sat est esse verum, Petrum existere; non tamen è contrà: quia potest esse verum, Petrum, vel Paulum existere, Petro non existere; vt est notum. Itaque ex veritate vnius ex extremis propositionis disjunctiuæ inferri non mutuò veritatem ipsius disjunctiuæ atque adeò quoduis extremorum disiunctiuæ non mutuò cum disiunctiuâ ipsâ connexum esse indubitabile est. Vnde consequenter sequitur, quicquid cum tali extremo non mutuò connectitur, & cum ipsâ disiunctiuâ non mutuò connecti mediatè; atque adeò, copulatiuam, de quâ tractamus, cum omnibus disiunctiuis coalescentibus tum ex ipsâ, tum ex vnaquaque prædictarum, cum quibus ea non mutuò connexa est, & ex quibusuis aliis vndecumque tractis propositionibus non mutuò connexam esse. Quod erat ostendendum. Ex quâ doctrinâ inferemus postmodùm, omnem propositionem infinitas subalternatas, & consequenter infinitas contrarias, atque etiam subcontrarias habere. Quod est mirabile.

90 Iam, quinta pars propositionis, agens de disiunctiuâ inde ostenditur. Primò: quia complexa disjunctiua, quâ talis, propriè non se gerit vt totum comparatione extremorum suæ disiunctionis. Cùm eò tendat enuntiatio eius, vt adstruat vnicum tantum eorum, quodcunque illud sit; non verò, vt adstruat plura, vel omnia, sicut copulatiua, nullumque subinde titulum habet ad hoc, vt cum talibus extremis seorsim, ac determinatè sumptis, siue cum eorum aliquo connectatur. Secundò: quia simplex particularis, cui complexa disiunctiua æquiualet, iuxta sæpè dicta, cum nulla earum, quas disiungit, sumpta seorsim, connexa est. Ob idque, quando nullum habet terminum non disiunctum, siue non vagum, vti euenit, quando est de prædicato communi non distributo, nullam subalternatam habet, vt ex subalternatarum simplicium doctrinâ *quæst.* 2. compertum est: Ergo tantumdem est dicendum de ipsâ complexâ disiunctiuâ compertâ cum extremis suæ disiunctionis.

91 Vnde etiam patet, complexam disiunctiuam neque cum subalternatis suorum extremorum seorsim, & determinatè sumptis connexam esse. Quæ pars erat sexta propositionis. Quod tamen cum disiunctis earum, siue cum complexis disiunctiuis ex eis coalescentibus connexa sit quæ erat pars sexta, est manifestum. Quia hoc ipso quòd singula extrema complexæ disiunctiuæ cum singulis suis subalternatis connexa sunt, non potest non talium extremorum disiunctum, in quo consistit ipsa complexa disiunctiua cum talium subalternatarum disiunctis, hoc est, cum complexis disiunctiuis ex eis coalescentibus connexum esse. Manifestum quippe est, si A nequit existere sine C, & B nequit existere sine D, quòd nequeat esse verum, neexistere A, vel B, quin sit quoquo verum, existire C, vel D. Ex quo etiam apparet, similiter esse connexam dictam complexam disiunctiuam cum disiunctis resultantibus ex vnâ earum simplicium, ex quibus ea constat, & ex subalternatis alterius.

92 Octaua autem, & vltima propositionis pars affirmans, disiunctiuam, de quâ nunc agimus, connexam esse non mutuò cum omnibus disiunctiuis coalescentibus, tum ex ipsâ, tum ex quâuis prædictarum, cum quibus ea connectitur, & ex quibusuis aliis propositionibus possibilibus vndecunque desumptis, per dicta circa partem quartam manet probata. Appellabo autem deinceps distinctionis gratiâ semiextrinsecas comparatione propositionis, cuius connexionem non mutuam terminant, omnes ea disiunctiuas, quæ in ipsâ quoad omnia sua extrema non continentur. Cæteras verò, quæ continentur, intrinsecas.

Propositio 3.

Quomodò ars exhibens omnes contradictorias, 93
contrarias, subalternas, & subcontrarias quarumuis omninò propositionum complexarum sit construenda, demonstratiuè ostendere.

Sumantur in primis 18 propositiones categoricæ simplices, de quibus *quæst.* 1. & 2. factisque ex illis omnibus combinationibus, seu collectionibus possibilibus absque positione, & repetitione, iuxta regulas tradendas *disput.* 29. dabunt binarios 153. ternarios 816. quaternarios 3060, &c. ita vt omnes collectiones à binario vsque ad octodenarium sint 262143. & ex binariis quidem fiant 153 complexas copulatiuas, particula & interposita totidemque disiunctiuas, interposita particula *vel.* Ex reliquis verò collectionibus, nempe 262143. fiant per solam particulam & repetitam totidem copulatiuas; per solamque particulam *vel* repetitam totidem disiunctiuas; per mixtionem autem ambarum particularum totidem mixtas. Eruntque propositiones complexæ, quæ resultabunt, copulatiuæ quidem formales 262143. & totidem disiunctiuæ formaliter; mixtæ autem formaliter totidem, atque ita omnes 786429.

His ita factis, iungantur huic numero propo- 94
sitionum complexarum ex prædictis 18. simplicibus possibilibus ipsę 18 simplices, ex numeroque resultati, nempe 786447. fiant omnes binarij possibiles, qui iuxta combinationum regulas tradendas *disp.* 29. *citata* sunt 309249048681 Ex quibus reiiciendi sunt 153 binarij simplicium, de quibus iam dictum est *quæst.* 2. Reliqui autem, qui, aut vtrumque, aut alteram saltem complexam habent, examinandi sunt sigillatim (ponamus nunc, id esse moraliter, practicéque possibile, de quo posteà) & reiectis disparatis, in quibus neutra propositionum cum alterâ connexa, aut opposita est, qui ferè quarta eorum pars erit iuxta propositionem, quam habuerunt binarij propositionum simplicium, de quibus *quæst.* 2. Ex reliquis subalternarum medietas accipienda est, qui erunt ferè 115968393268. totidemque sunt ex illis construenda quadra, vti construximus *quæst.* 2. ex binariis subalternarum simplicium, ita vt in primo vniuscuiusque quadrati anguli, quo ordine ibi sunt numerati, ponatur subalternans, & in secundo subalternata, & in tertio contradictoria subalternantis, & in quarta contradictoria subalternatæ. Quo fiet, vt iuxta demonstrationes traditas *ibi* in vnoquoque quadrato, propositiones quarti, & tertij anguli eodem modo sint subalternæ, ac propositiones primi, & secundi: propositiones autem primi, & quarti contrariæ sint contrarietate admittente medium, & propositiones secundi, & tertij subcontrariæ. Quo pacto constructa erit Ars constans dicto numero quadratorum, exhibensque ex omnibus binariis possibilibus propositionum complexarum, quę ex 18 simplicibus assumptis componi possunt, tum in-

ter

ter se, tum cum ipsis simplicibus comparatarum, quotnam subalternarum, quotnam contrariarum, & quotnam subcontrariarum sunt. Pariterque ex medietate binariorum disparatarum, qui fuerant reiecti, totidem componi possunt quadrata, quæ ostendant cæteros binarios disparatarum quoad connexionem, quoad contrarietatem, & quoad subcontrarietatem, vti *quæstion. 2. citata* pro binariis disparatarum simplicium factum à nobis est.

95 Quo eodem pacto venit construenda Ars exhibens omnes binarios possibiles complexarum tum subalternarum, tum contrariarum, tum subcontrariarum, tum disparatarum quoad hæc tria ac denique contradictoriarum, quæ ex 18 propositionibus hypotheticis simplicibus correspondentibus dictis 18 categoricis, iuxta dicta *q. 3.* effici possunt. Tum Ars vtramque comprehendens præstans idem circa binarios complexarum, quæ ex dictis 18 categoricis, & 18 hypotheticis simul sumptis possunt componi. Qui innumeri propemodùm sunt, vt ex dictis colligere est.

96 Et hæc quidem dicta tantum sunt de complexis resultantibus ex combinatione simplicium simpliciore, factâ videlicet independenter ab earum positione, & repetitione. Quia tamen complexæ à varietate non solùm naturæ, sed insuper positionis, atque repetitionis suarum simplicium possunt sortiri varietatem, diuersa quippe est hæc complexa A, & E ab hâc E, & A, & hæc ab ambabus A, & A, si combinatio cuiusuis prædictorum numerorum simplicium cum positione, & repetitione fiat, iuxta regulas huius generis combinationis *disputation. 29.* tradendas, incomparabiliter maior resultabit multitudo complexarum pro materiâ constituendarum Artium modo explicato. Si enim ex 23. litteris Alphabeti isto combinationis genere combinatis omnia vocabula diuersa omnium linguarum totius Vniuersi componuntur; insuperque incomparabiliter plura possent componi. Quot componentur propositiones complexæ ex 36. simplicibus combinatis eodem modo? semper tamen multitudo complexarum resultantium, tamersi immanis, numerus quidam finitus erit, dummodò numerus simplicium componentium vnamquamque complexam non excedat numerum assumptarum pro faciendâ combinatione, vt innotescet ex dicendis *disputat. citata.*

97 Cæterùm: quia natura propositionis complexæ necundè sibi taxat numerum simplicium, ex quibus componenda sit, quia datâ quâuis, alia ex pluribus simplicibus composita dari potest. Hinc nascitur, vt propositiones complexæ possibiles ex quouis numero simplicium cum repetitione componendæ absolutè sint infinitæ. Aliundè autem, sumptâ diuersitate à materiâ, non solùm complexæ; sed simplices etiam propositiones infinitæ sunt, cuiusuis illæ formæ sint, hoc est, siue sint vniuersales, siue particulares, siue singulares, &c. quia obiecta enuntiabilia, siue vniuersaliter, siue particulariter, siue singulariter, &c. absolutè sunt infinita, cum sint omnia entia tum aliquando existentia, tum purè possibilia, tum impossibilia. Vnde etiam sequitur binarios diuersos possibiles tam simplicium, quàm complexarum propositionum, quorum extrema aut contradictoria, aut contraria, aut subalterna, aut subcontraria, aut disparata sunt inter se, infinitos esse absolutè.

Imò, quod mirabilius est, nulla est propositio, 89
siue simplex, siue complexa, quæ non habeat infinities infinitas subalternatas, cum quibus non mutuò connexa est. Tales enim sunt disiunctiuæ tum ex ipsâmet, tum ex quâuis subalternatâ eius, & ex infinitis aliis possibilibus coalescentes iuxta doctrinam demonstratam *propos. 2.* Et quoniam iuxta demonstrationem sæpè in superioribus factam contradictoria subalternatæ contraria est subalternantis; & contradictoria subalternantis subcontraria est subalternatæ, conficitur, nullam esse omninò propositionem, quæ non habeat item infinities infinitas contrarias, & cuius contradictoria non habeat infinities infinitas subcontrarias, cùm tamen vnaquæque vnicam dumtaxat habeat contradictoriam, vt *supra iam q. 2.* agendo de simplicibus probatum est, probatione tamen, quæ generalis est etiam pro complexis.

Vnde obiter hoc valdè notandum collige docu- 99
mentum. Datâ quâuis omninò propositione in omni scientiâ humanâ, in promptu est aduertenti inferre ex illâ quascunque voluerit ex infinities infinitis, quas illa habet subalternatas, illatione affirmatiua, atque etiam quascunque voluerit ex infinities infinitis, quas illa habet contrarias, illatione negatiuâ. Id enim pro libito præstare potest faciendo pro libito comparationem cum aliis quibuslibet propositionibus cogitabilibus.

Quæ omnia, cum ita sint, colligo primo: ab- 100
solutè esse nobis impossibilem Artem singillatim exhibentem omnium propositionum complexarum possibilium vndecunque diuersarum oppositionem, & connexionem; quia sunt, vt vidimus, infinitæ. Impossibilis autem est, saltem humanitùs Ars dans formam materiæ infinitæ, vt constat. Ex reliquis autem Artibus indicatis pleræque saltem, aut certè omnes moraliter, practicèque impossibiles sunt: quia licèt earum materia sit aliqua multitudo complexarum finita ab aliquâ ex combinationibus etiam indicatis oriunda, tam ingens tamen illa est, vt omnium binarios sigillatim examinare, moraliter nobis sit impossibile. Quamuis autem vnam, aut alteram ex breuioribus, confectis tabulis, construere possibile esset; adhuc tamen id plus laboris, & prolixitatis, quàm vtilitatis haberet. Ob id omnes omittimus. Satis enim est, tum ostendisse, quo pacto illæ construi possunt, tum normæ, exēplique causâ subiectam proponere tabulam quadratorum exhibentem binarios contrariarum, subcontrariarum, & subalternatū, qui iuxta demōstrationes sæpe in præcedentibus factas, resultant ex binariis compositis ex solâ complexâ copulatiuâ A & E, & ex eius subalternatis tum simplicibus, tum copulatiuis, tum disiunctiuis ipsi intrinsecis, hoc est, contentis in illâ, quoad omnia sua extrema, iuxta phrasim suprà statutam *propos. 2.* sub finem. Pro binariis enim ex illa, & ex omnibus eius subalternatis disiunctiuis semiextrinsecis tabulam quadratorum conficere, præterquam quòd esset valdè prolixum, & superfluum, non solùm moraliter, sed absolutè est impossibile: quia sunt illi infiniti, vt constat ex dictis. Tabula autem est, vt sequitur.

Tabula

Tabula exhibens subalternatas intrinsecas, atque contrarias unius propositionis complexæ A & E una cum subalternantibus, & subcontrariis correspondentibus illis contradictoriæ eius. 101

A & E	Vn	A & E	E	A & E	A		
V	O vel I	I	O vel I	O	O vel I		
A & E	V	A & E	tI	A & E	tV		
Vn	O vel I	tE	O vel I	tVn	O vel I		
A & E	tA	A & E	dI	A & E	dV		
tO	O vel I	dE	O vel I	dVn	O vel I		
A & E	dA	A & E	O vel A	A & E	O vel V		
dO	O vel I	A & O	O vel I	A & Vn	O vel I		
A & E	O vel tI	A & E	O vel tV	A & E	O vel tA		
A & tE	O vel I	A & tVn	O vel I	A & tO	O vel I		

A & E

A & E	O vel dI	A & E	O vel dV	A & E	O vel dA		
A & dE	O vel I	A & dVn	O vel I	A & dO	O vel I		
A & E	Vn vel I	A & E	Vn vel A	A & E	Vn vel V		
V & E	O vel I	V & O	O vel I	V & Vn	O vel O		
A & E	Vn vel tI	A & E	Vn vel tV	A & E	Vn vel tA		
V & tE	O vel I	V & tVn	O vel I	V & tO	O vel I		
A & E	Vn vel dI	A & E	Vn vel dV	A & E	Vn vel dA		
V & dE	O vel I	V & dVn	O vel I	V & dO	O vel I		
A & E	E vel I	A & E	E vel A	A & E	E vel V		
I & E	O vel I	I & O	O vel I	I & Vn	O vel I		
A & E	E vel tI	A & E	E vel tV	A & E	E vel tA		
I & tE	O vel I	I & tVn	O vel I	I & tO	O vel I		

A & E	E vel dI	A & E	E vel dV	A & E	E vel dA		
I & dE	O vel I	I & dVn	O vel I	I & dO	O vel I		
A & E	O & I	A & E	O & A	A & E	O & V		
A vel E	O vel I	A vel O	O vel I	A vel Vn	O vel I		
A & E	O & tI	A & E	O & tV	A & E	O & tA		
A vel tE	O vel I	A vel tVn	O vel I	A vel tO	O vel I		
A & E	O & dI	A & E	O & dV	A & E	O & dA		
A vel dE	O vel I	A vel dVn	O vel I	A vel dO	O vel I		
A & E	Vn & I	A & E	Vn & A	A & E	Vn & V		
V vel E	O vel I	V vel O	O vel I	V vel Vn	O vel I		
A & E	Vn & tI	A & E	Vn & tV	A & E	Vn & tA		
V vel tE	O vel I	V vel tVn	O vel I	V vel tO	O vel I		



Vbi vides vnam propositionem complexam copulatiuam A & E subalternatas intrinsecas habere, cum quibus non mutuò connectitur, 63. & consequenter totidem contrarias contrarietate admittente medium. Contradictoriam autem eius O vel I. subalternantes habere, quarum non mutuam terminat, connexionem, etiam 63. & totidem subcontrarias illis correspondentes. Et eas quidem omnes ex numero tantùm 18. categoricarum simplicium desumpras esse: ex numero enim tum earundem, tum hypotheticarum simplicium multò plures assumi possent.

Porro, complexam copulatiuam A, & E subalternatam habere subalternatione non mutuâ vnamquamque earum propositionum, quas sub se habet in omnibus quadratis propositis, tum ex doctrinâ subalternarum traditâ *quæst.* 2. tum ex *propos.* 2. huius quæstionis est manifestum, vt cuique consideranti patebit. Suppositâ autem assignatione propositionum iis duabus contradicentium, quæ in aliis duobus angulis cuiusque quadrati inuerso ordine sunt positæ, quam esse legitimam constat ex dictis tum *quæst* 2. tum in præsente propos. 1. suppositoitem distinctionis gratiâ, quòd in vnoquoque quadrato ipsa copulatiua A & E prima dicatur; secunda autem eius subalternata, & tertia, quæ contradicit primæ; quarta verò, quæ contradicit secundæ, Per demonstrationes factas in simili *quæst.* 2. ad reinque in præsenti applicandas, facilè quisque demonstrabit, in vnoquoque quadratorum propositorum quartam, & tertiam perinde ac primam, & secundam subalternas esse: primam autem, & quartam esse contrarias contrarietate admittente medium, atque adeò posse esse simul falsas, etsi non possint esse simul veræ: secundam denique, & tertiam esse subcontrarias, ita, vt possint esse simul veræ; non verò simul falsæ.

Propositio 4.

De æquiualentiâ complexarum perinde ac de æquiualentia simplicium, quibus ipsæ æquiualent, censendum est.

Atque ita dicendum primò, complexas contradictorias, quæcunque illæ sint, per præpositam alteri earum negationem æquiualentes reddi. Hæc enim regula omnibus contradictoriis communis est, iuxta dicta *q.* 2 *propos.* 5. & 10.

Secundò

104 Secundo dicendum, complexas contrarias quando ambæ sunt copulatiuæ, compositæque ex eisdem simplicibus per negationem propositam subiectis simplicium, positamque subinde immediatè ante ipsarum verbum æquiualentes reddi: quia hoc pacto redduntur æquiualentes vniuersales simplices contrariæ, quibus illæ æquiualent, iuxta doctrinam statutam *q. 2. propos. 5. & 10. citatis*. Dico autem, quando ambæ sunt copulatiuæ: quia quando non sunt, vt sæpè fit, per negationem postpositam modo dicto æquiualentes non redduntur; sicut nec simplices, quibus æquiualent; provt dictâ propos. 10 statutum est. Dico etiam, quando ex eisdem simplicibus compositæ sunt: quia, quando sunt compositæ ex diuersis, vt sæpè etiam fit. etsi ambæ sint copulatiuæ, atque adeò aliquibus vniuersalibus simplicibus æquiualentes; sed non iis quæ per postpositam negationem æquiualentes fiunt, quales dumtaxat sunt vniuersales æquales de eodem subiecto, & prædicato, iuxta dicta *propositionibus citatis*.

105 Vnde, pro subalternis complexis dicendum tertiò, eas tunc solùm per antepositam, postpositamque modo dicto negationem æquiualentes reddi, quando alterâ vniuersali simplici, & altera particulari simplici contenta in illâ (pro quibus solùm hæc regula valet, vt vidimus *loco citato*) æquiualentes sunt; Non verò, quando aliter se habent, vti plerumque fit, aliisque subinde simplicibus subalternis aliquo modo æquiualent. Pro quibus non valet dicta regula, iuxta dicta *propos. 10. sæpe citatâ*.

106 Tandem, dicendum subcontrarias complexas tunc solùm per postpositam negationem modo dicto æquiualentes fieri, quando particularibus simplicibus subcontrariis, pro quibus item dumtaxat valet hæc regula; vt dictum etiam *loco citato*, fuerint æquiualentes; secùs in aliis casibus. In quibus omnibus minutiùs explicandis non oportet morari.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Consectarium 1.

107 Quoniam in omni sygillosmo legitimo excogitabili antecedens cum consequente connexum est, vt ex sæpè dictis *in superioribus*, dicendisque *in sequentibus* est manifestum; & antecedens quædam est propositio complexa ex duabus composita, necessarium est iuxta dicta: primò, quòd contradictoria conclusionis cum contradictoriâ complexæ, quæ est antecedens, eodem modo connectatur, atque antecedens cum conclusione. Secundò, quòd contradictoria conclusionis, & complexa, quæ est antecedens, contrariè opponatur, aut contrarietate admittente medium, si connexio antecedentis cum conclusione mutua non est; aut contrarietate recusante medium, si est mutua iuxta doctrinam specialim traditam *q. 2 propos. 11*. Tertiò, quòd conclusio, & contradictoria antecedentis subcontrariè sint, quando connexio antecedentis cum conclusione est non mutua: Contrariæ verò citra medium, si fuerit mutua, iuxta dicta *ibid.* Idemque consequenter venit dicendum de quâlibet aliâ argumentatione legitima, quæ non sit syllogismus, cuius antecedens, vtpotè ex pluribus propositionibus compositum, propositio complexa sit.

Itaque, si ex syllogismo in *Dary* e. g. antecedens A & I ponatur in primo angulo quadrati; conclusio autem I in secundo, in tertio-

que, & quarto contradictoriæ ordine inuerso hoc pacto.



Propositiones quarta, & tertia subalternæ erunt, sicut prima; & secunda: Propositiones autem prima, & quarta contrariæ aut admittentes medium, si connexio primæ cum secundâ est non mutua, aut recusantes, si est mutua. Propositiones denique secunda, & tertia subcontrariæ erunt, in primo casu, contrariæ verò citra medium, sicut prima, & quarta in secundo.

Consectarium 2.

Propositiones, quas exponibiles appellant, 108
quales sunt potissimum exclusiuæ, exceptiuæ, & reduplicatiuæ, complexis æquiualent De earúmque subindè oppositione, connexione, & æquiualentiâ perindè, ac de complexarum censendum est.

Dicuntur propositiones istæ exponibiles, quia per complexas, quibus æquiualent, exponendæ veniunt, tum vt earum sensus clariùs appareat, tum, vt de earum oppositione, connexione, & æquialentiâ expeditiùs, tutiúsque agatur. Videndum itaque in primis est, quomodò illæ, & per quas complexas exponi debeant, vt inde constare cætera possint. Incipiendo ergo ab exclusiuis.

Suppono: propositiones exclusiuas dici, quæ, 109
aut ex parte subiecti, aut ex parte prædicati signum habent aliquod exclusiuum, vt sunt *tantùm, solùm, dumtaxat, solus*, & similes. Est autem propositio exclusiua habens signum exclusiuum ex parte subiecti, quadruplex. Prima affirmans signum simul, & verbum. Secunda negans vtrumque. Tertia negans signum, & affirmans verbum. Quarta affirmans signum, & negans verbum. Et prima quidem affirmans vtrumque, vt: *Tantùm Petrus legit* copulatiuæ huiusmodi æquiualens est: *Petrus legit, & nullus alius legit*. Quarta item affirmans signum, & negans verbum, vt: *Tantùm Petrus non legit* copulatiuæ etiam huiusmodi æquialet: *Petrus non legit & cæteri omnes legunt*. In quo conspirant omnes Logici. De secundâ autem, & tertia Recentiores quidam contra communem Logicorum sententiam censent, copulatiuis etiam complexis æquialere. Standum tamen nobis est pro sententiâ communi statuente, æquialere disiunctiuis. Quoniam secunda supra quartam, & tertia supra primam solùm addunt negationem præpositam, contradictoriéque subindè sunt illis oppositæ iuxta Logicorum dogma solemne vniuersaliter statuens vnicuique propositioni per compositam ex ipsâmet, & ex negatione præpositâ contradici. Constat autem ex dictis *in tota hac quæstione*, primæ, & quartæ vtpotè æquialentibus copulatiuis per disiunctiuas, aut disiunctiuis æquiualentes dumtaxat contradici posse. Itaque secunda negans vtrumque, vt: *Non tantùm Petrus non legit* disjunctiuæ huiusmodi æquialens est: *Petrus*

legit, vel aliquis alius non legit. Tertia autem negans signum, & affirmans verbum, vt: *Non tantùm Petrus legit* huiusmodi æquiualet disiunctiuæ: *Petrus non legit, vel aliquis alius legit.*

110 Ex quibus patet, primam, & tertiam cum suis æquiualentibus, atque etiam secundam & quartam cum suis contradictoriè opponi. Primam autem, & secundam, atque etiam quartam, & tertiam subalternas esse. Primam verò, & quartam contrarias, secundamque, & tertiam subcontrarias.

111 Pariter, propositio exclusiua habens ex parte prædicati signum exclusiuum aut signum solum, aut verbum solum, aut neutrum, aut vtrumque potest negatione affectum habere. Tametsi interdum paulò aliter, quàm in casu præcedente sit exponibilis. Sit itaque prima neutrum negans hæc: *Apostoli sunt tantùm duodecim*, cui copulatiua æquiualet: *Apostoli sunt duodecim, & non sunt plures.* Sit secunda negans vtrumque subalternata primæ hæc: *Apostoli non sunt non tantùm duodecim*, seu, quæ eiusdem est sensus hæc: *Non Apostoli sunt non tantùm duodecim*, cui hæc æquialet disiunctiua: *Apostoli non sunt duodecim, vel non sunt plures.* Sit tertia negans solum verbum contradictoria primæ, & subcontraria secundæ hæc: *Apostoli non sunt tantùm duodecim*, seu, quæ eiusdem est sensus hæc: *Non Apostoli sunt tantùm duodecim*, cui hæc disiunctiua est æquialens: *Apostoli non sunt duodecim, vel sunt plures.* Sit denique quarta negans solum signum contraria primæ, contradictoria secundæ, & subalternans tertiæ hæc: *Apostoli sunt non tantùm duodecim*, cui hæc copulatiua æquialet: *Apostoli sunt duodecim, & sunt plures.*

112 Iam verò propositio exceptiua ea dicitur, quæ signo aliquo exceptiuo constat, vt sunt: *Præter, Nisi*, & similia. Debet autem, vt aptè, & propriè propositio sit exceptiua, primò, id, à quo fit exceptio, verè dici de eo, quod excipitur. Secundò, id, à quo fit exceptio, notari signo vniuersali. Defectu enim primi inepta hæc exceptiua est: *Omnis homo præter brutum est rationalis*; defectu verò secundi hæc est impropria: *Aliquis Rex præter Cræsum fuit dines.* Hæc autem habens vtramque conditionem apta subinde, & propria erit: *Omne animal præter hominem est irrationale*; aliæque huiusmodi. De quibus solùm agitur in præsenti.

113 Igitur, propositio exceptiua aut affirmat signum exceptiuum, & verbum, aut vtrumque negat; aut negat signum, & affirmat verbum; aut affirmat signum, & negat verbum. Quarum vnaquæque per aliquam complexam exponenda venit, vt sequitur. Sit enim prima affirmans vtrumque hæc: *Omnis homo præter Petrum loquitur*, cui hæc copulatiua æquialet: *Omnis homo distinctus à Petro loquitur, & Petrus non loquitur.* Sit Secunda negans vtrumque subalternata primæ hæc: *Non omnis homo præter Petrum non loquitur*, cui hæc æquialet disiunctiua: *Aliquis homo distinctus à Petro loquitur, vel non loquitur.* Sit tertia negans signum, & affirmans verbum contradictoria primæ, & subcontraria secundæ: *Non omnis homo præter Petrum loquitur*, cui hæc disiunctiua æquialens est: *Aliquis homo distinctus à Petro non loquitur, vel Petrus loquitur.* Sit denique quarta affirmans signum, & negans verbum contraria primæ, contradictoria secundæ, & subalternans tertiæ hæc: *Omnis homo præter Petrum non loquitur*, quæ eumdem sensum habet cum hâc: *Nullus homo præter Petrum loquitur.* Et vtrique æquialent hæ duæ eiusdem etiam sensus: *Omnis homo distinctus à Petro non loquitur, & Petrus loquitur: Nullus homo distinctus à Petro loquitur, & Petrus loquitur.*

Denique, propositio reduplicatiua ea dicitur, 114
quæ signo aliquo reduplicatiuo constat, vt sunt: *Quatenus, in quantum, provt*, & similia. Quæ item est quadruplex, scilicet aut affirmans signum; & verbum, aut negans vtrumque, aut negans signum, & affirmans verbum, aut affirmans signum, & negans verbum. Et vnaquæque per complexam aliquam exponenda venit, vt sequitur. Sit namque prima affirmans vtrumque hæc: *Petrus quatenus animal sentit*, cui hæc copulatiua æquialet: *Petrus sentit, & in eo ratio sentiendi est animalitas.* Sit secunda negans vtrumque subalternata primæ: *Petrus non quatenus animal non sentit*, cui æquialet hæc disiunctiua: *Petrus sentit, vel in eo ratio non sentiendi non est animalitas* Sit tertia negans signum, & affirmans verbum contradictoria primæ, & subcontraria secundæ hæc: *Petrus non quatenus animal sentit*, cui hæc æquialet disiunctiua: *Petrus non sentit, vel in eo ratio sentiendi non est animalitas.* Sit denique quarta affirmans signum, & negans verbum contraria primæ, contradictoria secundæ, & subalternans tertiæ hæc: *Petrus quatenus animal non sentit*, cui hæc copulatiua æquialet: *Petrus non sentit, & in eo ratio non sentiendi est animalitas.*

Consectarium 3.

Propositiones hypotheticæ causales & illatiuæ complexis æquialent; perindéque subinde de illis, ac de complexis philosophandum est, quod attinet ad earum oppositionem, connexionem, & æquialentiam. 115

Dicitur enim hypothetica causalis, quæ præter *esse* conditionati expressè enuntiatum sub hypothesi conditionis tacitè insuper enuntiat influxum, siue conducentiam conditionis in ipsum *esse* conditionati. Illatiua verò, quæ præter præter dictum *esse* connexionem conditionis cum conditionato enuntiat, provt alias iam q. 1. atque etiam 3. notatum est.

Potest autem hypothetica causalis, vt ab eâ 116
incipiamus, quadruplex esse. Prima affirmans conditionem, & conditionatum. Secunda negans vtrumque. Tertia negans conditionem, & affirmans conditionatum. Quarta affirmans conditionem, & negans conditionatum. De quibus suo ordine, quod ad præsens attinet, vt sequitur, censendum est. Sit namque prima affirmans vtrumque hæc: *Si Petrus vocetur, consentiet*, cui hæc copulatiua æquialet: *Si Petrus vocetur, consentiet, & vocatio influet in eius consensum.* Sit secunda negans vtrumque, atque ita subalternata primæ hæc: *Non si Petrus vocetur, non consentiet*, cui hæc disiunctiua est æqualens: *Si Petrus vocetur, vel consentiet, vel vocatio in eius non consensum non influet.* Sit tertia negans conditionem, & affirmans conditionatum contradictoria primæ, & subcontraria secundæ hæc: *Non si Petrus consentiet*, cui hæc disiunctiua est æquialens: *Si Petrus vocetur, vel non consentiet, vel vocatio in eius consensum non*

non influet. Sit denique quarta affirmans conditionem, & negans conditionatum contraria primæ, contradictoria secundæ, & subalternans tertiæ: *si Petrus vocetur, non consentiet*, cuius æquiualens hæc copulatiua est: *si Petrus vocetur non consentiet, & vocatio in eius non consensum influet*.

117 Eodemque penitus modo de hypothetica iliatiuâ philosophandum est, nisi, quòd hanc loco influxus conditionis in conditionatum, connexionem illius cum hoc tacitè enuntiare, est supponendum.

Consectarium 4.

118 Propositio de subiecto confuso confusione indeterminationis ex parte rei significatæ, complexæ ex conditionatis æquiualet. Tutiùsque subinde, & clarius de illâ tanquam de complexâ, quod attinet ad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam agetur.

Quænam sit eiusmodi propositio, ex dictis *disp.* 18. *q.* 3. constat. Pro exemplo sit hæc: *Aliqua actio requiritur ad existentiam effectus*: id est, ita hæc actio, vel illa, vel alia requiritur sub disiunctione, vt nulla earum requiratur determinatè. Quam quidem propositionem æquiualere copulatiuæ complexæ ex conditionatis asserentibus de vnâquâque actione disiuncti esse determinatè requisitam ad existentiam effectus sub hypothesi, quod cæteræ desint, ex doctrinâ traditâ *suprà disp.* 10. *q.* 2. & 5. compertum est. Quocirca, de illâ perinde, ac de eiusmodi complexâ venit impræsentiarum philosophandum, iuxta regulas complexarum in præcedentibus traditas. Quod satis fuerit aduertisse, ne diutius, quam oportet, in his moremur.

Consectarium 5.

119 De propositionibus alioquin simplicibus habentibus tamen subiectum, aut prædicatum, vel copulatum vel disiunctum, perindè ac de complexis, quibus correspondent, quod attinet ad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam, philosophandum est.

Quoniam perindè est dicere: *Petrus, & Paulus loquuntur: Petrus loquitur, & deambulat*: *Petrus, vel Paulus currit: Petrus, vel currit, vel quiescit*; ac dicere: *Petrus loquitur, & Paulus loquitur: Petrus loquitur, & Petrus ambulat: Petrus currit, vel Paulus currit: Petrus currit, vel Petrus quiescit*. Perindèque propterea de prioribus, ac de posterioribus propositionibus, de cæterisque eiusmodi iuxta regulas complexarum in præcedentibus traditas est in præsenti philosophandum, vt est notissimum.

Consectarium 6.

120 De propositionibus siue complexis, siue simplicibus habentibus terminos numeri pluralis eodem modo est philosophandum, ac de habentibus terminos numeri singularis, quoad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam, quando habent vtræque eumdem sensum, vt sæpè fit; secus quando diuersos.

Est certum: nec aliam, præter exempla, exigit probationem. Itaque: quia hæc propositio: *omnes homines currunt*, eumdem habet sensum, atque hæc: *omnis homo currit*, sicut huic, ita, & illi per hanc contradicitur: *Aliquis homo non currit*; non verò per hanc: *Aliqui homines non currunt*, vtpote, quæ simul falsa cum illâ esse potest: quia illi est contraria contrarietate admittente medium. Paritérque est censendum de similibus, & sua proportione seruatâ, de complexis ex eis compositis, iuxta regulas complexarum in præcedentibus datas. Quoniam verò hæc: *Omnes Apostoli sunt duodecim non* eumdem sensum habet, atque hæc: *Omnis Apostolus est duodecim*: quia in primâ subiectum sumitur pro collectione Apostolorum sumptâ indiuisim: in secundâ pro omnibus, & singulis Apostolis diuisim, siue distributiuè sumptis; & ideò prima vera est, & secunda falsa. Idcircò, & si primæ rectè contradicatur per hanc: *Omnes Apostoli non sunt duodecim*: quia eius subiectum perinde se habet, ac singulare, vt notauimus alibi. Secundæ verò non benè per hanc contradicitur: *Omnis Apostolus non est duodecim*: quia eius subiectum est vniuersale, & vniuersalis non contradicit vniuersali, vt sæpè vidimus. Sed per hanc: *Aliquis Apostolus non est duodecim*. Similitérque dicendum est de similibus, & suo etiam modo de complexis ex eis compositis.

QVÆSTIO V.

Qua ratione propositiones modales oppositæ inter se sint, aut connexæ, aut æquiualentes.

SVppono primò: in hâc quæstione solùm esse ser- 121
monem de propositionibus modalibus compositis ex his modis dialecticis nominaliter sumptis: *Possibile*: *Impossibile*; *Necesse*: *Contingens*; & ex oratione infinitiui, quæ *dictum* appellatur; & alicui propositioni non modali, quæ de *inesse* dicitur, correspondet, eamdemque proindè naturam, materiam, quantitatem, & qualitatem cum illâ habet, vt in his cernitur: *Possibile est Petrum loqui*: *Impossibile est, aliquem hominem non esse animal*: *Necesse est, omne animal viuere*: *Contingens est, nullum hominem currere*. Quarum prima est de dicto singulari affirmato. Secunda de dicto particulari negato. Tertia de dicto vniuersali affirmato. Quarta de dicto vniuersali negato similibus propositionibus de *inesse* correspondentibus. De quo plura sunt dicta *suprà q.* 1. *n.* 10.

Suppono secundò: vnamquamque quatuor mo- 122
dalium ex quatuor prædictis *modis* constantium in quatuor membra dissecari. Potest enim esse aut de affirmato *modo*: simul, & *dicto*, vt: *Possibile est Petrum loqui*, aut de negato vtroque, vt: *Non est possibile, Petrum non loqui*; aut de affirmato *modo*, & negato *dicto*, vt *Possibile est Petrum non loqui*, aut de negato *modo*, & affirmato *dicto*, vt: *Non est possibile Petrum loqui*; atque ita ex hac diuisione sexdecim modales resultant. Quarum quælibet rursus in alias quatuor diuidi solet à Logicis, quo crescunt vsque ad 64. quatenus quælibet potest habere *dictum*, aut vniuersale, aut particulare, aut indefinitum, aut singulare, iuxta similem diuisionem propositionis simplicis categoricæ, quæ ab ipsis fieri solet. Cæterum, quia quilibet prædictorum *modorum* de obiecto cuiusuis omninò propositionis, siue categoricæ, siue hypotheticæ, siue simplicis, siue complexæ enuntiabile est, vt est notum cuiuslibet eorum modalis in tot præterea membra diuidi potest, quot sunt propositiones possibiles nõ modales, iuxta omnes earum diuisiones in *præcedentibus quæstionibus* factas quo penè in immensum augetur huiusmodi modalium numerus.

Itaque modalis cuiuslibet prædictorum *modorum*, aut potest esse de dicto categorico, aut de hypothetico, aut de simplici, aut de complexo, aut de copulatiuo, aut de disiunctiuo &c. circa quod plura etiam diximus *quæst.* 1. *num.* 10.

123 Suppono tertiò: Communiter docere Logicos in ordine ad oppositionem, connexionem, & æquiualentiam modum *Necesse*, æquialere signo *Omnis*, & modum *Impossibile* signo *Nullus* & modum *Possibile* signo *Aliquis*, iuxta vulgares illos eorum versus.

Omnis necesse valet, impossibile nullus
Possibile quidam, quidam non possibile non.

In quibus de modo *Contingens* tacent: quia in Arte modalium, quam ipsi construunt, pro eodem vsurpant *Contingens* in eademve significatione, ac *Possibile*, vt mox videbimus. Inducti autem sunt logici ad id docendum, quòd deprehenderint *Necesse*, & *impossibile* contrarie cum admissione medij opponi, sicut *Omnis*, & *nullus*: *necesseque*, & *possibile*, atque etiam *impossibile*, & *possibile non* subalternari non mutuo, sicut *omnis* & *aliquis*, atque etiam *nullus*, & *aliquis non*. Hinc dicunt, *Necesse*, & *impossibile* modos vniuersales esse; propositionesque modales vniuersales constituere: *Possibile* autem, & *possibile non* modos esse particulares constituentes propositiones modales particulares, eo quòd duo priores omnem differentiam temporis amplectuntur; duo verò posteriores non item: quia necessarium, & impossibile quoad *esse*, aut *non esse*, semper est tale; possibile verò quoad *esse*, aut *non esse* non semper; sed aliquando tale est. Cæterùm tam in doctrina, quàm in ratione eius decepti haud dubie logici sunt. In ratione quidem: quia *Necesse*, & *impossibile* ad plures differentias temporis, quàm *possibile* nequaquam extenduntur; siquidem multa sunt necessaria, aut impossibilia pro aliqua temporis differentia, quæ pro aliis talia non sunt; & pleraque sunt possibilia pro omni indifferentia temporis etsi sint aliqua pro vna tantùm, vt, me non peccare, quamdiu dormio, necesse, peccareque impossibile est; secus, dum vigilo; & plerasque creaturas pro omni tempore existere possibile est. In doctrina autem: quia contrarietas admittens medium, & subalternatio non mutua vniuersalitati, & particularitati signorum, ac propositionum alligatæ non sunt; quandoquidem etiam in propositionibus singularibus reperiri possunt, vt constat ex demonstratis *quæst.* 2. in talibusque quadratorum ibi propositis *propos.* 9. videri potest; Atque ita, ex eo quòd *Necesse*, *Impossibile*, & *Possibile* contrarietatem admittentem medium, & subalternationem non mutuam inter se habeant, provt dictum est, male inferunt Logici, duos priores modos vniuersales esse, tertium autem particularem.

Suppono quartò: vt vnicuique propositioni 124
modali sua contradictoria, contraria, subalterna, subcontraria, aut æquiualens assignetur, Artem quamdam excogitasse logicos, quam construunt in hunc modum. Supponũt primò: modalem affirmantem *modum* simul, & *dictum* significare per A, negantem autem vtrumque per V. affirmantem verò *modum*, & negantem *dictum*, per E; negantem denique *modum*, & affirmantem *dictum*, per I, pro quo afferunt versum illum.

E dictum negat, Ique modum, nihil A; sed V. totum.

Ex his autem vocabulis quatuor dictiones componunt, nempe: *Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli*: rursusque supponunt, in prima syllaba vniuscuiusque dictionis constituendam esse modalem de *possibile*, in secunda modalem de *contingens* sumpto pro eodem ac *possibile*. (Sed impertinenter, vt dicam postmodum;) in tertia modalem de *impossibile*; in quarta modalem de *necesse*, attenta semper significatione vocalis, cui vnusquisque modus respondet, vt sciatur, vtrum *modus* vel *dictum*, vel vtrumque sit negandum, vel neutrum. Quibus suppositis, omnes modales in quauis dictione constitutas, dicunt, euadere inter se æquiualentes; comparatas verò cum modalibus aliarum dictionum ita se habere. Quæ in *purpurea*, & *iliace*, sunt contrariæ. Quæ in *amabimus*, & *edentuli* subcontrariæ. Quæ in *purpurea*, & *amabimus*, atque etiam, quæ in *iliace*, & *edentuli* subalternæ. Quæ denique in *purpurea*, & *edentuli*, atque etiam quæ in *iliace*, & *amabimus* contradictoriæ, prout exhibet sequens typus, quo suam logici Artem exponunt.

Pur



125 Cæterùm in ista Logicorum arte defectus multos ego reperio. Primus est. Quòd impertinenter, vt paulò antea insinuaui, ponitur in ea propositio modalis de *Contingens*, sumpto pro eodem ac *Possibile*. Tum quia *Contingens* (cuius est non ad vnum præcisè, vt *Possibile*; sed ad vtrumuis contradictionis extremum potentiam adstruere, iuxta mox dicenda) à propria ad impropriam significationem transfertur inutiliter. Tum quia perinde est, ac bis repetere *Possibile* superuacaneè. Ob id in singulis prædictis dictionibus eadem vocalis bis repetitur pro iis duobus modis, ac si esset idem bis positus. Hic tamen defectus facile posset corrigi, subrogatis pro ipsis actionibus aliis, in quibus altera tantùm earum vocalium, quæ superflue duplicantur, remaneret, cæteris in eisdem locis relictis; cuiusmodi esse possent hæ: *Crumena, itaque, dabitur, censui.* Quo in singulis quadratis typis propositi tres tantum modales ponerentur, sublata ab omnibus modali de *contingens*, quæ in sensu, quo accipitur, superfluit.

126 Vnde apertius detegeretur secundus, & peior defectus quem habet hæc ars. Quòd scilicet de *contingens* in sua propria significatione vsurpato, deque modalibus ex eo compositis nihil dicit, cum tamen illæ comparatæ cum aliis suas item oppositiones, connexiones, aut etiam æquiualentias habeant, easque non minùs; sed fortasse magis, quam cætera scitu dignas.

127 Tertius defectus valde notandus istius Artis est. Quòd facit æquiualentes propositiones modales, quæ propriè æquiualentes non sunt; sed mutuo inter se connexæ, quod est valde diuersum, eo quòd non vnum, & idem ex parte rerum obiectum habent; sed diuersa mutuo inter se connexa. Vnde consequenter contradictorias facit propositiones, quæ verè non contradictorie; sed contrarie, citra medium tamen sunt oppositæ; eoque iure nec simul veræ possunt esse, nec simul falsæ. Quod forsitan Logicos fefellit. e.g. duæ posteriores primi quadrati, nempe: *Impossibile est, Petrum non loqui: Necesse est Petrum loqui*, non sunt æquiualentes proprie; sed mutuo connexæ, quia ex parte rerum non idem obiectum; sed diuersa mutuo inter se connexa habent, nimirum carentiam potentiæ Petri ad non loquendum, & potentiam eiusdem ad loquendum cum loquutione connexam. Secunda autem earumdem, & prima tertij quadrati, scilicet: *Possibile est Petrum non loqui*, quæ contradictoriæ asseruntur, non sunt contradictoriæ; sed contrariæ citra medium: quia vtriusque obiectum ex parte rerum est quid positiuum, prioris nimirum, vt dictum est, potentia Petri ad loquendum cum loquutione connexa; posterioris verò potentia eiusdem ad non loquendum; nemo autem dixerit, duo extrema positiua contradictorie opponi quantumuis ea nec simul esse possint, nec simul deesse. Quemadmodum hæ duæ propositiones: *Deus intuetur Petrum existere. Deus intuetur Petrum non existere*, prædictis similes non sunt contradictoriæ: quia earum obiecta sunt duæ scientiæ Dei positiuæ,

altera de existentia, & altera de non existentia Petri; sed contrariæ, sicut & earum obiecta contraria, non verò contradictoria sunt, vt est notissimum. Et tamen ita citra medium opponuntur, vt nec simul veræ, nec simul falsæ possint esse, eo quòd nequeunt ambæ illæ scientiæ simul à Deo deficere, sicut nec simul in eo esse: quia earum obiecta nec simul deficere possunt, nec simul esse.

128 Quartus defectus huiusmodi Artis est. Quòd prout iacet, solùm habet locum in modalibus de dicto singulari; non item in modalibus de dicto vniuersali, aut particulari, aut de aliis cæteris correspondentibus cæteris omnibus propositionibus, iuxta dicta *suppositione secunda*: sæpe enim eius regulæ deprehenduntur fallaces, si alia dicta loco singularium ponatur. e. g. si in duabus posterioribus propositionibus primi, & in prima tertij quadrati loco dicti singularis ponatur particulare hoc pacto: *Impossibile est aliquod animal non esse hominem: Necesse est aliquod animal esse hominem: Possibile est aliquod animal non esse hominem.* Prima erit falsa, & secunda vera, cum tamen ponantur æquiualentes: secunda autem, & tertia simul veræ erunt, cum tamen ponantur contradictoriæ. E conuerso autem eueniet, si loco signi *Aliquod* ponatur *Omne*: quia tunc prima erit vera, & aliæ duæ simul falsæ. Scio, aliquos recentiores hunc artis defectum aduertisse, tentasseque illum quibusdam documentis supplere. Sed vix, aut ne vix quidem id fieri posse per generalem aliquam, & fixam regulam inde colligitur: quia modales contradictoriæ, & contrariæ connexæ mutuo, & æquiualentes, quas hæc ars miscet, & confundit, vt vidimus, diuersas sibi vendicant regulas.

129 Quintus huius artis defectus est. Quòd non circumferatur demonstrata ex certis, fixisque principiis, & fundamentis. Vnde, tentando speciales singularum modalium naturas per earum applicationem ad varias materias potius, quam deducendo regulas eius, quales quales sunt, ex vniuersalibus principiis videtur constructa.

130 Sextus denique defectus huius Artis est. Quòd circa assumptum sibi præfixum exhibendi scilicet oppositiones, connexiones, & æquiualentias propositionum modalium ex supradictis quatuor modis componibilium valde diminutè procedit. Cum incomparabiliter plura sint, quæ ad rem tacet, quàm quæ dicit, vt apparebit ex dicendis.

131 Igitur, vt Artem vniuersalem, legitimam, & valde egregiam ex pluribus specialioribus coalescentem, quæ pro exhibenda omnium modalium oppositione, connexione, & æquiualentia possibilis est, construamus per diuersas propositiones oportebit nobis procedere, quarum, pleræque quasi practicæ sint, ad instar mathematicorum problematum, quemadmodum sequitur.

Propositio 1.

131 Quod sibi velint quatuor modi Dialectici: *Possibile, Contingens, Impossibile*, & *Necesse* imprimis statuere.

Dico: *Possibile* potentiam adstruit ad vnum ex duobus quibusque contradictionis extremis cum præcisione ab altero. *Contingens* verò potentiam adstruit ad vtrumuis contradictionis extremum sumptum seorsim. *Impossibile* autem potentiam demit ab vno contradictionis extremo præcise; sed consequenter siue illatiue adstruit illam ad alterum: quia nequit deficere simul potentia ad ambo contradictionis extrema, eo ipso, quòd ambo ipsa nequeunt simul deficere. *Necesse* denique potentiam adstruit ad vnum contradictionis extremum ita cum eo connexam, vt consequenter, siue illatiue ad alterum potentiam demat. Quæ omnia tum ex se satis sunt cunctis nota, tum ex doctrina late tradita *supra disputat.* 11. vnicuique eam recolenti notiora fient.

Propositio 2.

Quomodo deinceps compendij causa singulæ modales per litteras significandæ sint statuere. 133

Dico: *Modi* earum hoc pacto significabuntur: *Possibile*. per P. *Contingens* per C. *Impossibile*, ob repugnantiam, quam præ se fert, per R. *Necesse* autem per N. quæ quidem litteræ sine additamento significabunt modos istos affirmatos. Addita verò ante vnamquamquam, *n.* parua, significabunt eosdem negatos. *Dicta* verò per easdem litteras significabuntur, per quas in præcedentibus quæstionibus significatæ sunt propositiones de *inesse*, siue simplices, æque aut categoricæ, aut hypotheticæ, siue complexæ, quibus illa correspondent. e.g. hæc modalis: *Possibile est omnem hominem loqui* Sic denotabitur PA. hæc verò: *Non est contingens aliquem hominem loqui*, hoc n C I. Hæc autem: *Impossibile est Petrum non loqui*, hoc R V n. & hæc: *Non est necesse nullum hominem loqui*, hoc. n N E. cæteræque similiter.

Propositio 3.

Quotnam possibiles sint artes speciales vniuersalem componentes pro exhibenda demonstratiuè oppositione, & connexione, aut etiam æquiualentia omnium modalium propositionum ex quatuor modis prædictis componibilium determinare. 134

Vt id præstem, noto, duas quasque propositiones modales, quarum oppositio, & connexio, aut etiam æquiualentia venanda est, aut posse habere vnum, & idem omnino *dictum*, siue affirmatum, siue negatum; aut posse habere duo *dicta* aliqua ratione diuersa, vnamquamque suum. Quòd se habeant duo, aut posse illa inter se esse contradictoria, aut contraria recusantia medium, aut contraria admittentia medium, aut connexa, siue subalterna mutuò; aut connexa, siue subalterna non mutuò; aut subcontraria, aut disparata. Quæ sunt omnes comparationes, quod ad rem attinet, possibiles. A quibus vltima dempta modalium de *dictis* disparatis, quæ eo ipso nec oppositionem, nec connexionem inter se habent. Supersunt septem comparationes, penes quas totidem artes pro intento proposito sunt possibiles. Prima modalium habentium idem *dictum*. Secunda modalium habentium *dicta* contradictoria. Tertia modalium habentium *dicta* contraria citra medium. Quarta modalium habentium *dicta* contraria cum admissione medij. Quinta modalium habentium *dicta* mutuò connexa. Sexta modalium habentium *dicta* non mutuo connexa. Septima modalium habentium *dicta* subcontraria. Ex quibus Ars totalis de oppositione, & connexione, aut etiam æquiualentia modalium coalescit. Et de quibus in sequentibus, quo ordine sunt hic numeratæ, agendum nobis est.

Agemus

Agemus autem in earum singulis in primis de oppositione, & connexione modalium, quæ passiones earum sunt maioris momenti, dicturi posteà generatim de earum æquiualentiâ, quæ minoris momenti est, sub finem quæstionis.

Propositio 4.

135 Datâ quâlibet propositione modali, quænam sit eius contradictoria, vniuersaliter statuere.

Vt id præstem suppono primò: propositionem modalem de *modo* nominaliter sumpto, de quâ tractamus, aut posse habere *modum* ex parte subiecti, & *dictum* ex parte prædicati, aut vice versâ, vt *suprà* iam notatum est *quæst.* 1. *num.* 10. Et quandò habet *modum* ex parte subiecti, vt: *Possibile est omnem hominem loqui*, hunc sensum facere: Potentia datur ad hoc vt omnis homo loquatur, siue ad omnis hominis loquutionem. Quando verò ponitur ex parte prædicati, vt: *Omnem hominem loqui est possibile*, facere hunc sensum. Ad hoc vt omnis homo loquatur, siue ad omnis hominis loquutionem datur potentia. Vnde constat, modalem de *dicto* vniuersali, siue vniuersali æquialente, & modalem de *dicto* particulari, siue particulari æquialente perinde se habere, ac propositionem habentem terminum aliquem signo vniuersali, aut particulari affectum vel ex parte subiecti, quando *dictum* se habet ex parte subiecti; vel ex parte prædicati, quando *dictum* se habet ex parte prædicati.

136 Suppono secundò ex generali doctrinâ datâ *q.* 2. *propos.* 1. & 2. sæpeque aliàs tactâ, aut tanquam certissimâ suppositâ: quando signum vniuersale, aut aliquid ei æquialens positum est ex parte subiecti in quâuis propositione datâ, in eius contradictoriâ debere poni loco illius particulare, aut quid æquialens: quandò verò positum est ex parte prædicati in datâ, immutatum in contradictoriâ debere persistere formaliter: quia in primo casu negatio propositionis negatiuæ post signum posita illud non immutat. In secundo verò casu negatio anteposita æquialenter mutat illud de vniuersali in particulare, & vice versâ.

137 Ex his planè constat: quandò propositiones modales habent *dicta* ex parte subiecti, si in vnâ sit *dictum* vniuersale, aut æquialens, in alterâ debere esse particulare, aut æquialens, vt contradictoriè opponantur: quando verò habent *dicta* posita ex parte prædicati, quæcunque demum illa sint, immutata debere persistere formaliter in vtràque contradictoriâ: quia à negatione præuiâ negatiuæ æquialenter mutatur, quando opus est, de vniuersali in particularem; vel è conuerso, provt ad contradictionem requiritur.

138 Et quoniam nos in totâ istâ Arte pro exemplis vtimur semper modalibus habentibus *modum* ex parte subiecti, & *dictum* ex parte prædicati, quæ planiores sunt, & vsitatiores, idcircò in totâ istâ Arte propositiones contradictoriæ inuariatum semper habebunt *dictum*, quodcunque illud sit, habentes dumtaxat variatum modum penes affirmationem, & negationem. E. g. sicut istæ: PA. n PA. atque istæ CE. nCE. atque istæ RI. nRI. atque istæ NO. nNO. sic cæteræ quæque omnes contradictoriæ designabuntur.

Propositio 5.

Artem primam modalium de eodem *dicto* ea- 139
rum omnium oppositionem, & connexionem exhibentem demonstratiuè construere.

Accipiantur quatuor supradicti modi semel affirmati, & irerum negati hoc pacto: P. C. R. N. nP. nC. nR. nN. factáque omnium pcto adæquatâ combinatione, iuxta regulas tradendas *disp.* 29. absque positione, & repetitione. (Nam hic repetitio eiusdem modi, aut diuersitas positionis duorum circa idem *dictum*, inutilis est, vt ex se patet) 28. omninò binarij resultabunt, quibus adiuncto quouis omnino *dicto*, siue categorico simplici, siue hypothetico, siue quoquo modo complexo aut copulatiuo, aut disiunctiuo, iuxta diuisiones in præcedentibus factas circa correspondentes propositiones de *inesse*, totidem habebuntur binarij propositionum modalium de eodem *dicto*. In quibus sigillatim examinatis 10. reperientur modalium non mutuò connexarum, non mutuóque subinde subalternarum; & duo prorsus æquiualentium. Ex quibus acceptâ medietate, modalium, ex quibus constant, non mutua connexio, æquialentiaque demonstretur. Ea enim demonstrata, reliquorum omnium binariorum, totiusque huius Artis dabit demonstrationem.

Demonstratio autem dictæ medietatis, hoc 140
est, sex eiusmodi binariorum per totidem principia fit in hunc modum 1. *Contingens* cum *Possibile* respectiuè ad idem *dictum* non mutuò connectitur. Quia, quod est contingens eo ipso est possibile; quod verò est possibile, non eo ipso est contingens, quia potest esse necessarium, vt est notissimum. 2. *Necesse* cum *Possibile* respectiuè ad idem *dictum* pariter est non mutuò connexum, ob proportionalem rationem. 3. *Impossibile* cum *Non contingens* respectiuè ad idem *dictum* non mutuò connectitur. Quia: quod est impossibile, eo ipso non est contingens; quod verò non est contingens, non eo ipso est impossibile: quia potest esse necessarium, vt constat. 4. *Necesse* cum *non contingens* respectiuè ad idem *dictum* pariter est non mutuò connexum, ob proportionalem rationem. 5. *Necesse* cum *Non impossibile* respectiuè ad idem *dictum* non mutuò connectitur. Constat ex princ. 2. Quia *Non impossibile* & *Possibile* prorsùs æquialent, vt ex se patet. 6. *Possibile*, & *Non impossibile* æquialentes modi sunt, vt etiam constat.

His statutis, adiunctoque exempli gratiâ sin- 141
gulis modis *dicto* A. fiat tabula sex quadratorum pro sex binariis modorum, atque adeò modalium demonstratis; ita vt in primo angulo superiori vniuscuiusque quadrati ponatur modalis subalternans, in secundo, qui est sub primo, subalternata, in tertio, qui est alter duorum inferiorum, contradictoria subalternantis (iuxta regulam assignandi contradictorias modalium propositione 4. præmissam;) & in quarto, qui est alter duorum superiorum, contradictoria subalternatæ, vti factum est in simili quæst. 2. 3. & 4. hoc pacto.

CA



Hoc ita facto. Dico primò: in singulis quinque priorum quadratorum quartam modalem contradictoriam secundæ perinde esse non mutuò connexam cum tertia contradictoria primæ, atque prima connexa est non mutuò cum secundâ, iuxta principia statuta nuper; atque ita non posse esse primam veram, quin secunda sit vera, nec posse esse secundam falsam, quin prima sit falsa, posseque esse secundam veram, quin prima sit vera. Tantumdemque esse de quartâ, & tertiâ inter se collatis. Secundò dico, primam, & quartam contrariè opponi contrarietate admittente medium, atque adeò etsi non possint esse simul veræ, posse tamen esse simul falsas. Tertiò dico, secundam, & tertiam ita esse subcontrarias, vt nequeant esse simul falsæ, etsi esse possint simul veræ. Quæ omnia per demonstrationes factas in simili *quæst. 2. propos. 9.* constant. Quæ ab vnoquoque in præsenti applicandæ sunt, ne inutiliter repetantur. Denique dico: primam modalem sexti, & vltimi quadrati prorsùs æquiualere secundæ, atque adeò etiam quartam; & tertiam æquialentes pariter esse inter se. Quo fit, vt non solùm prima, & tertia, atque secunda, & quarta; sed etiam prima & quarta, atque secunda, & tertia contradictoriè inter se opponantur, vt ex ipsis earum terminis est manifestum.

142 Ex quibus apparet, quo pacto omnes modales omnium 28. binariorum ex 8 assumptis modalibus resultantium inter se comparentur quoad oppositionem, & connexionem exceptis quatuor duorum binariorum, quæ vtpote inter se æquialentes nec oppositionem inter se, nec propriam connexionem habent. Sex enim quadrata proposita omnes dictos 28 binarios continent: quia vnumquodque continet sex; atque adeò omnes 36. à quibus si demas 8. contradictoriarum, qui repetuntur, eo quòd vnumquodque quadratum habet duos contradictoriarum binarios ex constructione, & binarij diuersi contradictoriarum ex 8. propositionibus possibiles dumtaxat sunt quatuor, supersunt dicti 28.

Vt autem pro exemplo *dictum* vniuersale affirmatiuum in omnibus modalibus posuimus, quodlibet aliud possibile loco eius poni potest. Vnde etiam patet, Artem hanc intra suum genus vniuersalissimam esse. Iam, quo pacto modales in eâ contentæ aut contradictoriæ, aut contrariæ, aut subalternæ, aut subcontrariæ æquialentes reddi possint, vel secùs ad finem huius quæstionis *propositi.* 12. dicemus.

Propositio 6.

Artem secundam modalium de *dictis* contra- 143
dictoriè oppositis earum omnium oppositionem, & connexionem exhibentem demonstratiuè construere.

Accipiantur ijdem octo modi, qui in præcedente; fiatque eorum adæquata combinatio, iuxta regulas tradendas *disput.* 29. sine positione quidem (quia differentia positionis modorum comparatione extremorum contradictionis, ad quæ sunt comparandi, non interest; quandoquidem quoad oppositionem talia extrema inuicem inter se referuntur eodem modo, tametsi vnum positiuum, & alterum negatiuum sit) cum repetitione tamen: quia idem modus adambo extrema contradictionis comparari potest, & debet: constabitque per factam sic combinationem ex prædictis octo modis 36. omninò binarios confici, quorum singulis duo quæque *dicta* contradictoriè inter se oppositi adiungenda veniunt vnum vni, & alterum alteri *modo* vniuscuiusque binarij. Quo totidem resultabunt binarij propositionum modalium de *dictis* contradictoriè oppositis. In quibus sigillatim examinatis sex reperientur modalium connexarum mutuò, & 14. connexarum non mutuò. Ex quibus assumptâ medietate 3. scilicet prioris generis, & 7. posterioris eorum connexio est demonstranda, vt inde ad cæterorum totiùs huius Artis binariorum demonstrationem fiat progressio, sicut in Arte præcedente.

Demonstratio autem huiusmodi per totidem 144
principia sequentia sic fiet. 1. Cuâ ratione vnum ex extremis contradictionis est necessarium; alterum impossibile esse debet; & è conuerso: atque adeò necessitas vnius, & impossibilitas alterius mutuò connexæ sunt. 2. Cuâ ratione vnum ex extremis contradictionis est contingens, & alterum debet esse contingens; atque ita contingentia

vnius

vnius cum alterius contingentiâ mutuò connectitur. Constant hæc duo, tum ex se, tum ex *propositt.* 12. & 13 demonstratis *disp.* 8. *quæst.* 4. 3. Quâ ratione vnum extremum contradictionis necessarium est, alterum non possibile est, & vice versâ; atque adeò necessitas vnius cum non possibilitate alterius mutuò connexa est. Constat ex 1. quia non possibile, & impossibile prorsùs æquiualent, vt patet. 4. Quandò, vnum contradictionis extremum contingens est, alterum eo ipso est possibile (quia eo ipso est contingens, iuxta princip. 2. & omne contingens est possibile, vt ex se, & ex propos. 9. demonstrata disp. 11. quæst. 5. constat;) sed non è conuerso: quia non eo ipso, quòd vnum extremum contradictionis est possibile, est alterum contingens, cùm possit impossibile esse, vt constat. vndè, contingentia vnius cum possibilitate alterius non mutuò connectitur. 5. Quando vnum contradictionis extremum est impossibile, alterum est eo ipso possibile (quia est necessarium per princ. 1. & omne necessarium est possibile, vt ex se, & ex propos. 8. citatæ quæstionis notum est); non tamen vice versâ: quia potest vnum contradictionis extremum possibile esse, quin alterum sit impossibile, si sit contingens, vt est notissimum. Vnde impossibilitas vnius cum possibilitate alterius non mutuò connectitur. 6. Non possibilitas vnius extremi contradictionis cum possibilitate alterius non mutuò connectitur. 7. Impossibilitas vnius extremi contradictionis cum non impossibilitate alterius non mutuò connectitur. Hæc duo constant ex 5. Siquidem non possibilitas, & impossibilitas, atque etiam non impossibilitas, & possibilitas prorsùs æquiualent, vt patet. 8. Quando vnum extremum contradictionis est impossibile, alterum eo ipso est non contingens (quia est necessarium per princip. 1. & necessarium, qua tale non est contingens, vt constat ex se, & ex propos. 12. quæstionis citatæ;) sed non è conuerso: quia potest vnum extremum contradictionis esse non contingens, quin alterum sit impossibile, si sit necessarium, vt ex se, & ex dictis est clarum. Vnde impossibilitas vnius cum non contingentia alterius non mutuò connectitur. 9. Quando vnum extremum contradictionis est necessarium, alterum eo ipso non est contingens (quia est impossibile per princip. 1. & impossibile, quâ tale, non est contingens, vt constat ex se, & ex propos. 13. dictæ q.) Non tamen è contrà: quia potest vnum extremum contradictionis esse non contingens, quin alterum sit necessarium, si sit impossibile, vt patet. Vndè, necessitas vnius cum non contingentiâ alterius non mutuo est connexa. 10 Quando vnum vnum extremum contradictionis est necessarium, alterum eo ipso est non necessarium (quia est impossibile per princip. 1. & impossibile, qua tale non est necessarium, vt patet ex se, & ex propos. 11. q. citatæ); sed non vice versâ: quia potest vnum extremum contradictionis esse non necessarium, quin alterum sit necessarium, si sit contingens, vt etiam est notum ex se, & ex dictis.

His ita statutis sint *dicta* contradictoriè oppo- 145
sita singulis modorum binariis addenda ad componendas modales propositiones, e. g. hæc A. O. fiatque imprimis tabella trium quadratorum pro tribus binariis modalium mutuò connexarum (quæ erit prima pars huius Artis) eodem pacto, ordine, & formâ ac facta est tabula Artis præcedentis, quæ talis erit.



Qua facta. Dico primo. Qua ratione prima, & secunda propositio vniuscuiusque quadrati sunt mutuò connexæ, vt ex tribus prioribus principiis num. 144. demonstratis constat, eâdem esse mutuò connexas quartam contradictoriam secundæ, & tertiam contradictoriam primæ; atque ita, nec primam posse esse veram, aut falsam, quin sit vera, aut falsa secunda: nec secundam, quin prima: idemque esse de quarta, & tertia collatis inter se. Secundò dico: primam, & quartam, atque etiam secundam, & tertiam contrariè citra medium opponi, atque adeò nec simul veras, nec simul falsas posse esse. Quæ omnia ex demonstratione factâ vniuersè quæstione secunda, propos. 11. pro tertiâ parte propositionis manifesta sunt, quæ ad rem ab vnoquoque applicanda, nobis verò modò non repetenda est.

Iam, pro septem binariis modalium non 146
mutuò connexarum fiat totidem quadratorum tabula eâdem ratione, quâ facta est tabula Artis præcedentis. Quæ Artis, de quâ modò agimus secunda pars erit in hunc modum.



RA



146 Quâ tabulâ factâ, dico primò: sicut prima modalis vniuscuiusque quadrati non mutuò cum secundâ connexa est iuxta septem principia postrema num. 144. demonstrata, ita quartam cum tertiâ non mutuò connexam esse: conditionésque subinde habere vtrasque propositionum non mutuò subalternarum sæpè in præcedentibus repetitas. Secundò dico: primam & quartam contrarias esse cum admissione medij, & consequenter secundam, & tertiam subcontrarias esse cum suis conditionibus, seu proprietatibus, provt ex demonstrationibus factis q. 2. proposit. 3. 4 & 9. hûc applicandis conspicuum est.

147 Ex quibus apparet, binarios modalium in totâ istâ Arte contentos 44. esse: quia decem quadrata habent 60. ex quibus detractis 16. repetitarum contradictoriarum remanent 44. vndè supra 36. quos facta combinatio dedit, 8. superadduntur ex totidem binariis eumdem modum repetentibus, repetitè etiam enascentium notabili cum correspondentia. Vt autem pro exemplo posuimus dicta contradictoria A. O. quælibet omninò alia contradictoria excogitabilia loco eorum poni poterunt, cùm opus fuerit. De æquiualentia autem possibili omnium modalium huius Artis inferiùs proposit. 12. dicetur.

Propositio 7.

148 Ars tertia modalium de dictis contrariè citra medium oppositis, earum omnium oppositionem, & connexionem exhibens eadem prorsùs est, ac præcedens modalium de dictis contradictoriè oppositis, mutatis dumtaxat ipsis dictis contradictoriis in dicta citra medium contraria.

Constat hæc propositio. Primò: quia, cùm dicta contraria citra medium, & dicta contradictoria in hoc conspirent, quòd neque simul esse, neque simul deesse possint, non possunt non ex vtrisque modales eamdem prorsùs oppositionem, atque connexionem sortiri, vt satis ex se est notum. Secundò: quia, cùm contradictoriumvnius ex contrariis citra medium cum altero mutuò connexum sit, vt constat, non potest non quodvis ex contrariis citra medium eodem modo ad alterum comparari quoad possibilitatem, contingentiam, impossibilitatem, & necessitatem, atque cum suo contradictorio. Quoad hæc enim, quæ mutuò connectuntur, perinde se habent, ac si essent vnum, & idem, vt satis ex se apparet, clariùsque apparebit ex dicendis propositione 9. Tertiò: quia decem principia num. 144. demonstrata, in quibus fundauimus Artem præteritam modalium de dictis contradictoriis eodem modo locum habent in modalibus de dictis contrariis citra medium, vt discurrenti per illa conspicuum fie

Hoc posito mutemus dicta contradictoria il- 149
lius Artis in hæc contraria citra medium, e. g. *Similitudinem Petri cum Paulo existere: Dissimilitudinem Petri cum Paulo existere* per has duas literas designanda S.D. factisque eisdem duabus tabulis, altera pro primâ & alterâ pro secundâ parte huius Artis, nihil desiderabitur, nam cætera inde petenda sunt, & huc applicanda.

Pro parte prima huius Artis correspondente parti primæ præcedentis.



150 *Pro parte secunda huius Artis correspondente parti secundæ præcedentis.*



Propositio 8.

151 Artem quartam modalium de dictis contrariè cum admissione medij oppositis earum omnium oppositionem, & connexionem exhibentem demonstratiuè construere.

Accipiantur octo modi de quibus agimus. Et factâ eorum combinatione, qua ratione proposit. 6. factaque est vnicuique 36. binariorum, qui ex illâ resultant, duo quævis dicta adiungantur contrariè cum admissione medij oppositâ e. g. A. E. Quo totidem resultabunt binarij modalium de eiusmodi modis. In quibus sigillatim examinatis 8. reperientur modalium connexarum non mutuò, & 24. disparatarum tam quoad oppositionem, quàm quoad connexionem. Demonstratáque natura quatuor prioris generis, & sex posteriorís, per sequentia principia naturæ reliquorum omnium dabit demonstrationem.

152 Sit igitur principium primum. Necessitas vnius ex contrariis admittentibus medium, & impossibilitas alterius non mutuò connectuntur: quia cum non possint simul esse eo ipso, quòd necesse est esse vnum, impossibile est esse alterum: & cum possint ambo simul non esse, non eo ipso, quòd impossibile est esse vnum, est necesse esse alterum: quia potest item esse impossibile, vt constat. Et quoniam, quod est impossibile, eo ipso non est possibile nec contingens, nec necessarium, consequens est, vt necessitas vnius ex dictis contrariis etiam sit non mutuo connexa cum non possibilitate, cum non contingentia, & cum non necessitate alterius. Sit principium secundum. Possibilitas vnius prædictorum contrariorum, & impossibilitas alterius non sunt oppositæ; siquidem simul dantur, quando alterum est necessarium, iuxta principium primum. Idemque est de possibilitate vnius, & non possibilitate alterius; necnon de impossibilitate vnius, & nō impossibilitate alterius, propter omnium æquiualentiam. 3. Contingentia vnius prædictorum contrariorum, & contingentia alterius, atque etiam contingentia vnius, & possibilitas alterius, & consequentia contingentia vnius, & non impossibilitas alterius non sunt oppositæ; siquidem simul dantur de facto in peccato, & gratiâ, in aliisque huiusmodi. Quartum, Possibilitas vnius, & impossibilitas alterius non sunt connexæ: quia prima sine secundâ reperitur in peccato, & gratiâ, & similibus. Secunda autem sine primâ in assensu, & dissensu, supposito, quòd Deus decernat ad neutrum concurrere, in aliisque huiusmodi. Idem autem est de possibilitate vnius, & non possibilitate alterius; similiterque de impossibilitate, & non impossibilitate vt constat ex dictis. Quintum, Contingentia vnius & contingentia alterius non sunt connexæ: quia quodvis esse potest contingens, etsi sit alterum im-

possibile, vt, si Deus decerneret non concurrere cum homine ad dissensum, relinquendo eum liberum ad consensum, vel vice versâ: pariterque in similibus. Idémque consequenter est de contingentiâ vnius, & possibilitate, aut non impossibilitate alterius.

153 *His positis, pro primâ parte huius Artis sunt quatuor sequentia quadrata.*



In quorum quolibet eo ipso, quòd prima propositio (eas numerando eo ordine, quo in præcedentibus vsi sumus) cum secunda est non mutuò connexa, iuxta principium primum statutum num. præced. quarta contradictoria secundæ pariter est non mutuò connexa cum tertiâ contradictoriâ primæ. Primaque, & quarta contrariæ sunt contrarietate admittente medium, & secunda, & tertia subcontrariæ per demonstrationem factam in simili quæst. 2. propos. 9. húc applicandam.

154 *Pro secundâ autem parte huius Artis sex veniunt sequentia quadrata consideranda.*



In

In quorum quolibet eo ipso, quòd prima, & secunda propositio modalis neque inter se oppositæ, neque inter se connexæ sunt, atque adeò disparatè se habent quoad oppositionem, & connexionem, iuxta quatuor posteriora principia statuta num. 152. eodem pacto dispataté se habent quarta, & tertia, tum prima, & quarta; tum secunda, & tertia inter se comparatæ, vt constat ex demonstratione factâ in simili q. 2. proposit 9, n. 50. quæ impræsentiarum est applicanda. Cætera. quæ circa hanc Artem possunt notari, ex præcedentibus peti possunt.

Propositio 9.

155 Artem quintam modalium de *dictis* mutuò connexis earum omnium oppositionem, & connexionem exhibentem demontratiuè construere.

Accipiantur octo modi, de quibus agimus, & factâ eorum combinatione, sicuti proposit. 6. vnicuique 36. binariorum, qui ex illâ resultant, duo quæuis *dicta* adjungantur mutuò connexa, e.g. hæc: *Filium Dei intelligere: Spiritum Sanctum intelligere* per has duas litteras significanda F. S. Quo 36. resultabunt binarij modalium de eiusmodi dictis. In quibus sigillatim examinatis 10. repetientur modalium mutuò connexarum, & totidem modalium non mutuo connexarum. Quorum vtrorumque medietatis demonstrata connexio per sequentiâ principia reliquorum omnium dabit demonstrationem.

Sit igitur principium 1. Quoties duo extrema 156
inter se mutuò connexa sunt, si vnum fuerit possibile, & alterum erit possibile, atque adeò non impossibile; & si vnum fuerit contingens, alterum quoque erit cõtingens; & si vnum fuerit impossibile, alterum quoque erit impossibile; & si vnum fuerit necessarium, alterum quoque erit necessarium. Quæ omnia, tum ex se, tum ex dictis de connexione mutuâ disput. 14. notissima sunt. Sit principium 2. Quoties duo extrema mutuò inter se connexa sunt, contingentia vnius cum possibilitate alterius non mutuò connectitur: quia connectitur mutuò cum alterius contingentiâ, iuxta princ. 1. & hæc non mutuò cum eiusdem possibilitate, vt est notum. Vnde, & eum non impossibilitate, & cum non necessitate alterius non mutuò connectitur, cum quibus eiusdem contingentia non mutuò est connexa, vt etiam est notum. Principium 3. Quoties duo extrema mutuò inter se connexa sunt, necessitas vnius cum possibilitate alterius non mutuò est connexa quia connexa est mutuò cum alterius necessitate, iuxta princ. 1. & hæc non mutuò cum eiusdem possibilitate, & consequenter cum eiusdem non impossibilitate, vt constat.

His positis pro primâ parte huius Artis sint quinque sequentia quadrata. 157



In quorum quolibet eo ipso, quòd prima propositio cum secundâ est mutuò connexa, iuxta principium primum statutum num. præced. quarta contradictoria secundi pariter est mutuò connexa cum tertia contradictoria primæ. Primaque, & quarta contrariè citra medium oppositæ sunt. Similiterque secunda, & tertia contrariè sunt citra medium oppositæ, vt constat ex demonstratione factâ in simili suprà q. 2. proposit. 11. quæ in præsenti applicanda est.

158 *Pro secundâ autem parte huius Artis alia quinque sint sequentia quadrata.*



In quorum quolibet eo ipso, quod prima modalis cum secundâ non mutuò est connexa, iuxta princ. 2. & 3. statuta num. 156. quarta contradictoria secundæ similiter est non mutuò connexa cum tertiâ contradictoriâ primæ. Primaque, & quarta contrariæ sunt contrarietate admittente medium; secundáque, & tertia subcontrariæ per demonstrationem factam in simili quæstion. secunda, propositione nona, pariter in præsenti applicandam. Cætera verò, quæ circa hanc Artem possent notari, ex præcedentibus veniunt petenda.

Propositio 10.

159 Artem sextam modalium de dictis connexis non mutuò, atque adeò etiam non mutuò subalternatis earum omnium oppositionem, & connexionem exhibentem demonstratiuè construere.

Accipiantur octo modi, de quibus tractamus. Fiatque eorum combinatio adæquata, iuxta regulas tradendas disput. 29. non solùm cum repetitione; sed etiam cum positione. Quia hic non solùm differentia repetitionis supra differentiam ipsorum modorum est necessaria, vti in Arte secundâ traditâ propos. 6. & in aliis sequentibus; sed insuper differentia positionis eorum, eo quòd comparatione dictorum non mutuò connexorum, quæ eo ipso inter se diuersimodè referuntur, diuersa eorumdem modorum positio diuersam considerationem habet. Eiusmodi autem modorum combinatio, quæ 64. omninò binarios producit, bis facienda est; semel scilicet pro comparatione dictorum subalternantium cum subalternatis; & iterum pro comparatione dictorum subalternatorum cum subalternantibus: suntque proinde omnes binarij ambarum combinationum 128. Quibus totidem dicta adiuncta, 64. videlicet subalternantia, & 64. subalternata totidem propositionum modalium binarios conficiunt. In quibus examinatis sigillatim 20. reperiuntur modalium non mutuò connexarum, quorum 10. ad primam; 10. verò ad secundam duarum prædictarum combinationum pertinent. Disparatarum autem modalium reperiuntur 88. quorum 44 etiam ad primam, & totidem ad secundam combinationem spectant. Igitur, demonstrandum in primis est modales 10. binariorum prioris generis non mutuò esse connexas, modales verò 22. binariorum posterioris generis esse disparatas. Inde enim cæterorum, qui supersunt, demonstratio manabit; id autem fiet per sequentia principia.

Sit 1. Quoties vnum extremum cum altero est 160
connexum non mutuò, si primum necessarium sit, secundum necessarium quoque esse debet, & consequenter possibile, & non impossibile, & non contingens; sed non è conuerso. 2. Si autem primum sit contingens, atque adeò possibile, atque adeò non impossibile, secundum possibile, atque adeò non impossibile debet esse; sed non vice versâ. Hęc tum ex se, tum ex dictis disp. 14. de naturâ connexionis non mutuæ comperta sunt; indeque etiam confirmantur: quia veritas primi sine veritate secundi stare non potest, non tamen è contrà; atque ideò necessitas, & possibilitas veritatis primi necessitatem, & possibilitatem infert veritatis secundi, & cætera necessitati, atque possibilitati annexa; sed non vicissim. 3. Suppositâ connexione non mutuâ vnius extremi cum altero, si primum sit contingens, atque adeò possibile, atque adeò non impossibile, secundum aut contingens, aut necessarium potest esse; secùs impossibile. Vnde contingentia, & possibilitas, & non impossibilitas primi, etsi cum possibilitate secundi connexa sit; non tamen cum contingentiâ, aut cum necessitate determinate. Potest enim cum quâuis earum stare, atque adeò neque alicui earum opponitur dispa-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sparatéque proindè se habet respectu vniuscuiusque seorsim. 4. suppositâ connexione non mutuâ vnius extremi cum altero, si primum sit impossibile, secundum aut impossibile, aut necessarium, aut contingens, atque adeò possibile posset esse. Primique proindè impossibilitas neque cum impossibilitate, neque cum necessitate, neque cum contingentiâ, neque cum possibilitate, & consequenter neque cum non impossibilitate, neque cum non necessitate, neque cum non contingentiâ, neque cum non possibilitate secundi sumpti seorsim connexa est; neque alicui earum subindè sumptæ seorsim est opposita: atque adeò disparatè se habet respectû vniuscuiusque seorsim. Idemque venit dicendum in casu posito, si primum sit, aut non contingens, aut non possibile, aut non necessarium; siquidem, hoc ipso, quòd sit impossibile, tale erit. Quæ omnia tum ex se, tum ex dictis de naturâ connexionis non mutuæ disp. 14. citatâ satis sunt nota.

His ita statutis, iungamus recensitis modorum binariis hæc duo dicta *non mutuò connexa, e. g. AI. sintque pro prima parte huius Artis decem quadrata, quæ sequuntur.* 161

NA		nNI	NA		nPI	NA	RI
NI		nNA	PI		nNA	nRI	nNA
NA	CI		CA	nPI		CA	RI
nCI	nNA		PI	nCA		nRI	nCA
PA	nPI		PA	RI		nRA	nPI
PI	nPA		nRI	nPA		PI	RA
		nRA	RI				
		nRI	RA				

In quorum quolibet eo ipso, quòd prima propositio modalis de dicto subalternante cum secundâ de dicta subalternato est non mutuò connexa iuxta princip. 1. & 2. statuta num. 160. quarta contradictoria secundæ de dicto subalternato cum tertiâ contradictoria primæ de dicto subalternante pariter est non mutuò connexa. Primaque, & quarta contrariæ sunt contrarietate admittente medium; & atque adeò secunda, & tertia subcontrariæ iuxta demonstrationem factam in simili quæstione secunda, propositione nona, quæ pariter in præsenti applicanda est.

162 *Pro secundâ autem parte huius Artis sequentia vigintiduo quadrata sunto.*





In quorum vnoquoque eo ipso, quòd prima, & secunda propositio modalis, neque inter se oppositæ, neque inter se connexæ sunt, atque adeò disparatè se habent quoad oppositionem, & connexionem, iuxta duo posteriora principia n. 160. stabilita eodem pacto disparatè se habent tum quarta, & tertia, tum prima, & quarta, tum secunda, & tertia inter se comparatæ, vt constat ex demonstratione factâ in simili q. 2. propos. 9. num. 50. quæ huc est applicanda.

163 Constat itaque ex 128 binariis modalium de dictis non mutuò subalternis, qui ex duabus combinationibus num. 159. commemoratis resultant 40. quos reddunt 10. priora quadrata non disparatarum modalium esse (sunt quippe 20. non mutuò subalternarum, & 10. contrariarum cum admissione medij, & 10. subcontrariarum) & 88. quos reddunt 22. posteriora quadrata modalium disparatarum esse, quibus conficitur dictus numerus 128. Ad quem non pertinent, sicut neque ad duas prædictas combinationes binarij contradictoriarum, qui in dictis quadratis intercueniunt, vtpote, quorum modales contradictoriæ non de subalternis dictis sunt, sed de eisdem.

Propositio 11.

164 Artem septimam, & vltimam modalium de dictis subcontrariis earum omnium oppositionem, & connexionem exhibentem demonstratiuè construere.

Hæc Ars aliter, quàm præcedentes construenda est ex iam statutis propos. 8. circa Artem quartam modalium de dictis contrariis contrarietate admittente medium, quorum subalternata sunt dicta subcontraria, de quibus nunc agimus, si sumantur ordine recto; contradictoria autem, si sumantur ordine transuerso, vt ex doctrinâ in præcedentibus traditâ, & sæpè repetitâ est notissimum. Sumantur itaque ex tabulâ primâ quatuor quadratorum propos. 8. descriptâ quatuor binarij modalium subalternarum non mutuò, in quibus ea fundata est: nempe NA, RE, & NA, n PE, & NA, n CE, & NA, n NE. Sumantur dein dicta subcontraria dictis contrariis harum modalium correspondentia, nempe I. O. Quibus assumptis, ob oculosque positis, totidem esse binarios modalium de dictis subcontrariis I. O. subalternarum non mutuò facilè demonstratur.

Quoniam enim necessitas dicti A, & impossibi- 165
litas dicti O mutuò inter se connexæ sunt iuxta demonstrationem factam propos. 6. num. 144. & 145. similiterque, iuxta eamdem, sunt inter se mutuò connexæ tum impossibilitas, & non possibilitas dicti E cum necessitate dicti I, tum non contingentia dicti E cum non contingentiâ dicti I, tum non necessitas dicti E cum possibilitate dicti I. Hoc ipso, quòd NA connectitur non mutuò cum RE, consequitur planè, RO connecti non mutuò cum NI (quia RO connexa cum NA connexâ non mutuò cũ RE connexâ cũ NI, nequit non connecti non mutuò de primo ad vltimũ cum ipsâ NI.) Et hoc ipso, quòd NA connectitur non mutuò cum nPE, RO item, & loco eius æquiualens n PO connecti non mutuò cum NI. Et hoc ipso, quòd NA connectitur non mutuò cum nCE. RO connecti non mutuò cum n CI. Et hoc ipso, quòd NA connectitur non mutuò cum n NE. RO connecti non mutuò cum PI. Quo habemus quatuor binarios subalternarum non mutuò de dictis subcontrariis: nimirum, RO. NI. & n PO. NI. & RO. n CI. & RO. PI. Quibus accedunt alij tres propter

ter modorum æquiualentiam; scilicet: nPO. n CI. & n PO. PI, & RO. n RI. Alij autem tres, qui desiderantur ad integrè fundandam Artem istam, nempe: CO. CI, & NO. n NI, & NO. n CI. modalium sunt disparatarum inter se. Quod inde ostenditur: quia modales de *dictis* contrariis, cum quibus mutuò conuertuntur, etiam sunt disparatæ. Per doctrinam quippe citatam ex propositione 6, num. 144. & 145. Primus istorum trium binariorum connectitur mutuò cum hoc de *dictis* contrariis CA. CE, secundus cum hoc RA. n RE, & tertius cum hoc RA. n CE. Hos autem esse modalium disparatarum inter se constat ex dictis propositione 8. num. 152. & 154.

166 *Quibus positis pro primâ parte huius Artis sunt septem sequentia quadrata.*



In quorum quolibet hoc ipso, quòd prima propositio modalis cum secundâ est non mutuò connexa, vt constat ex demonstratis nuper num. 165. quarta contradictoria secundæ pariter est non mutuò connexa cum tertiâ contradictoriâ primæ. Primaque, & quarta contrariæ sunt contrarietate admittente medium; subindeque secunda, & tertia subcontrariæ sunt per demonstrationem factam in simili quæst. 2. propositione 9. in præsenti applicandam.

167 *Pro secundâ verò parte huius Artis tria sequentia quadrata supersunt.*



In

In quorum quolibet eo ipso, quòd prima, & secunda propositio modalis disparatæ sunt inter se quoad oppositionem, & connexionem, vti num. 165. statutum est. Eodem modo sunt inter se disparatæ tum quarta, & tertia, tum prima, & quarta, tum secunda, & tertia inter se comparatæ, vt constat ex demonstratione factâ in simili quæst. 2. propos. 9. num. 50. quæ in præsenti etiam est applicanda. Ex quibus apparet, quomodò hæc Ars perinde ac pleræque præcedentium, 10. quadratis, atque adeò 44. binariis modalium constet. qui est numerus, quem producit combinatio modalium ipsi consentanea iuxta dicta propos. 6.

Propositio 12.

168 Quid de æquialentiâ possibili omnium binariorum modalium in præcedentibus septem Artibus vnam integram componentibus contentarum censendum sit, statuere.

Statuo primò tanquam certum hos duos modos P. n R. inter se, atque etiam hos R. n P. inter se esse æquialentes. Ac proinde modales ex eis compositas æquialentes etiam esse inter se quotiescunque idem *dictum* habent. De quo nullum est dubium.

169 Statuo secundò etiam vt certum. Quotiescunque duæ modales contradictoriè oppositæ sunt per præpositam negationem alteri earum æquialentes reddi. Hæc enim regula generalis est pro omnibus propositionibus contradictorij, cuiuscunque illæ generis sint, vt ex doctrinâ sæpè in præcedentibus; sed præsertim quæst. 2. tradita satis est notum. Negatio quippe præposita contradictoriæ affirmatiuæ facit, vt illa neget id ipsum, quod negat negatiua, & præposita contradictoriæ negatiuæ facit, vt affirmet id ipsum, quod affirmat affirmatiua.

170 Statuo tertiò, vt mihi etiam certum, contra logicorum plerosque: Modales contrariè oppositas per negationem *modo* postpositam, & *dicto* appositam non fieri æquialentes, licèt interdum fiant mutuò connexæ, quod est diuersum, iuxta ea, quæ dicebamus suprà num. 127. Ratio est conspicua. Quia ex eo quod alteri modalium contrariatum adiiciatur negatio postposita *modo*, & appositæ *dicto* non redduntur significantes idem ex parte rerum, prout ad æquialentiam requiritur. Tametsi diuersa, quæ significant, interdum mutuò connexa sint, exempli gratia, hæ contrariæ NA. RI positæ in tertio quadrato tabulæ primæ propositionis 10. per negationem appositam *dicto* secundæ fiunt hæ NA. RO. mutuò connexæ positæ in primo quadrato tabulæ primæ propositionis 6. quarum prima necessitatem ad vnum contradictionis extremum, secunda impossibilitatem ad alterum significant, quæ obiecta sunt re ipsâ diuersa. Dico autem interdùm per postpositam negationem reddi modales contrarias mutuò connexas. Quia interdum etiam redduntur connexæ non mutuò, vt cernitur in his quinti quadrati tabulæ vnicæ propos. 5. NA. RA. quæ per negatum *dictum* secundæ transeunt in has non mutuò connexas primi quadrati primæ tabulæ propositionis 8. NA. RE. Interdum verò redduntur etiam disparatæ, vt patet in his primi quadrati tabulæ vnicæ propositionis 5. CA. n PA. quæ per negatum *dictum* secundæ in has disparatas transeunt quinti quadrati tabulæ secundæ propos. 8. CA. n PE. Interdum item remanent contrariæ, vt videre est in his NA. CA. quarti quadrati tabulæ vnicæ propos. 5. quæ per negatum *dictum* secundæ fiunt hæ etiam contrariæ tertij quadrati tabulæ primæ propos. 8. NA. CE. Aliaque exempla adduci possent. Ex quibus patet, regulam generalem dari non posse, per quam omnes modales contrariæ interuentu negationis æquialentes reddi possint. Idemque sublinde venit dicendum de subcontrariis.

Quomodò autem, neque modales subalternæ 171
per præpositam simul, & postpositam negationem æquialentes reddantur, vti redduntur subalternæ de *inesse*, quarum altera vniuersalis, & altera particularis est in quo etiam multi peccarunt logici) ex dictis colligere est: Nec opus est in eo ostendendo minutius immorari.

Statuo denique quartò: quia omne excogitabile *dictum* aut contingens, aut necessarium, aut impossibile debet esse, iuxta demonstrationem factam disp. 11. quæst. 5. modalem de quouis horum trium *modorum* negato quadamtenus æquialere, seu potiùs mutuò connecti cum disiuncto modalium de aliis duobus, dummodò omnes idem dictum habeant. Sic hæc, n CV. cum hoc disiuncto est mutuò connexa RV, vel NV. & hæc n NV cum hoc RV, vel CV, & hæc n RV, cum hoc CV, vel NV. Quo etiam pacto hęc PV, se habet cum eodem CV, vel NV. De qua doctrinâ nullum est dubium.

Ex quibus omnibus apparet: quousque per pau- 172
cas regulas datas possint propositiones modales æquialentes reddi; & quomodò ad faciendas omnes æquialentes regula generalis præscribi non possit.

QVÆSTIO VI.

Quid sit, & quotuplex propositionum conuersio. Et qualiter vnaquæque propositio conuertenda veniat?

IN hâc q. primùm agam de conuersione propo- 173
sitionum categoricarum simplicium. Deinde de reliquis suo ordine, prout de earum oppositione, & connexione in præcedentibus quæstionibus actum est. Conuersio autem propositionis transmutatio quædam est subiecti eius in prædicatum, & prædicati in subiectum. Et consequenter transmutatio item vnius propositionis, quæ conuersa dicitur, in alteram, quæ dicitur conuertens. Estque duplex. Alia legitima, atque adeò vtilis ad scientias, quando à conuersa ad conuertentem legitimè arguitur. Alia illegitima, & inutilis, quando secùs. Solet autem impræsentiarum, reiectâ illegitimâ tanquam inutili, solius legitimæ haberi ratio, tanquam cuiusdam legitimæ argumentationis, in quâ ex antecedente vero non potest non sequi consequens verum.

Quam quidem in tria membra diuidunt commu- 174
niter Logici, in simplicem scilicet, per accidens, & per contrapositionem. Conuersionem simplicem dicunt, quando ita termini transmutantur, vt eadem quantitas in propositionibus seruetur, ita vt si conuersa erat vniuersalis, conuertens sit quoque vniuersalis; & si particularis, particularis. Quæ etiam conuersio in terminis dici solet iuxta Arist. lib. 1. Prior. c. 2. Conuersionem autem per accidens appellant, quando termini transmutantur, mutatâ in propositionibus quantitate ita, vt, si conuersa erat vniuersalis, conuertens sit particularis; sed non vice versâ. Quam conuersionem in partem

vocauit

vocauit Arist. loco citato. Conuersionem denique per contrapositionem, seu contrapositam appellant, quando termini transmutantur, seruatâ in propositionibus eâdem quantitate, ita tamen, vt termini, qui erant finiti in conuersâ, per præpositam negationem infinitentur in conuertente. Quæcunque autem conuersio sit semper, inquiunt, seruari debet in propositionibus eadem qualitas, siue natura, ita vt, si conuersa est affirmatiua, conuertens sit etiam affirmatiua; &, si negatiua, negatiua.

175 Hinc Logici pergunt, & statuunt, legitimâ conuersione conuerti; simpliciter quidem propositionem vniuersalem negatiuam, & particularem affirmatiuam: quia benè valet: *Nullus homo est lapis: Ergo Nullus lapis est homo. Aliquis homo est animal: Ergo: Aliquod animal est homo.* Per accidens autem vniuersalem negatiuam, & vniuersalem affirmatiuam. Valet enim: *Nullus homo est lapis: Ergo. Aliquis lapis non est homo: Omnis homo est animal: Ergo. Aliquod animal est homo.* Per contrapositionem denique vniuersalem affirmatiuam, & particularem negatiuam, vt: *Omnis homo est animal: Ergo omne non animal est non homo. Aliquis homo non est lapis: Ergo aliquod non lapis non est non homo*: Id, quod significatis propositionibus istis per litteras A. E. I. O. iuxta dicta quæst. 2. denotant per illos versus vulgares.

Simpliciter FECI. conuertitur. EVA per accì,
ASTO per contra. Et sic fit conuersio tota.

176 Cæterùm, circa has Logicorum regulas, provt communiter circumferuntur, aliquos ego noto defectus. Primus est, quòd neque eas demonstrant, provt oporteret, neque principia metaphysica, in quibus fundantur, assignant. Secundus, quòd tantùm agunt de conuersione dictarum quatuor propositionum categoricarum simplicium, relictis pluribus possibilibus, & sæpè in scientiis occurrentibus quæ à nobis suprà sunt recensitæ quæst. 1. & 2. Tertius: quòd non docent vniuersales affirmatiuam, & negatiuam conuerti per contrapositionem in partem, siue in particularem, vt verè conuertuntur. Quartus: quòd non notant, quando conuersio mutua sit; quando verò secùs &c.

177 Quos omnes defectus vt suppleam, suppono primò. Principia, quibus innititur bonitas illationis à propositione conuersa ad conuertentem in omnibus conuersionibus (præterquam contrapositionis, de quâ postmodùm) esse. In affirmatiuis quidem: quod identitas extremorum necessariò debet esse mutua; in negatiuis autem, quòd distinctio extremorum pariter necessariò mutua esse debet, provt suprà disp. 13. quæst. 3. notatum est. Quoniam enim necessarium est, quòd si A identificatur cum B, B etiam identificetur cum A, &, si C distinguitur à D, D quoque distinguatur à C, vt tanquam per se notissimum ibidem statuimus. Idcircò, si verum est dicere: *A est B*, nequit non esse etiam verum dicere: *B est A*; & si est verum *C non est D*, necessariò etiam est verum *D non est C*. Verbum quippe *est* in huiusmodi propositionibus actum essendi substantiuum, qui est identitas, significat, atque ita, dum affirmatur, identitas extremorum adstruitur; dum verò negatur, negatio identitatis distinctioni annexa, & consequenter ipsa distinctio, iuxta dicta disputatione decimatertia citat.

178 Hinc venit supponendum secundò. In solis propositionibus de verbo substantiuo *esse*, quod affirmatum identitatem; negatum autem distinctionem extremorum adstruit, locum habere conuersionem, non verò in propositionibus cæteris de verbis adiectiuis, nisi reducantur, vt omnes possunt, ad æquiualentes de verbo ipso substantiuo, vt hæc: *Aliquis homo legit*, ad hanc: *Aliquis homo est legens*, & in cæteris pariter. Verumtamen, quia, quoties in propositionibus de verbo *esse* substantiuo extremis directè positis ex parte prædicati, & subiecti, quorum dumtaxat identitas aut affirmatur, aut negatur medio ipso verbo, aliqua syncategoremata adiiciuntur ex connotato, & in obliquo, præter talium extremorum identitatem, horum quoque syncategoremata tacitè saltem cadunt sub affirmationem, aut negationem iuxta doctrinam generalem traditam suprà disp. 2. quæst. 4. consect. 5. Ex varietateque proinde adiectionum huiusmodi syncategorematum varios sensus propositiones solent induere. Vt conuersio propositionis, vbi hæc interueniunt syncategoremata, fiat legitimè, solerter attendendus est sensus, quem tam conuersa, quàm conuertens ab illis participant.

Pro quo tertiò hæc regula generalis fundata in 179
ipsis conuersionis principiis supponenda est. Vt legitima sit conuersio eamdem, eorumdem extremorum identitatem ab ipsis extremis indistinctam, quam propositio conuersa affirmat, aut negat, debet (inuerso tamen ordine) conuertens affirmare, aut negare. Idque etiam intra eumdem, siue provt in eodem statu iuxta doctrinam generalem de statibus rerum traditam suprà disp. 10. si quid autem aliud præterea à ratione syncategorematum adiectorum, tacitè, vel expressè affirmat, aut negat conuersa, idem ipsum eodem modo, & provt in eodem statu debet conuertens affirmare, aut negare, Alioquin, si conuersio aliter fiat, procul dubio vitiabitur. Nisi fortasse integra veritas, quam nuntiat conuersa cum altera enuntiata per conuertentem connexa sit, vt est notissimum.

Quartò suppono duo certissima principia, quæ 180
ex dictis quæst. 2. sunt manifesta. Primum. A termino distributo ad non distributum in eo contentum legitimè arguitur. A termino tamen non distributo ad distributum, nequaquam. Bene enim valet: *Omnis homo loquitur: Ergo hic homo, aut aliquis homo, aut homo loquitur*; non tamen vice versâ, vt constat. Secundum. A termino singulari ad communem non distributum legitimè arguitur; non tamen è conuerso. Valet enim: *Socrates, aut hic homo loquitur: Ergo homo, aut aliquis homo loquitur*; sed non vicissim, vt etiam constat.

Suppono quintò ex dictis de naturâ negationis 181
suprà quæst. 2. suppos. 6. propositionem negatiuam de prædicato finito, & affirmatiuam de eodem infinito æquiualentes esse, seu potiùs mutuò connexas inter se, vt hæ: *Petrus non est lapis: Petrus est non lapis.* Idemq; est de propositione affirmatiuâ de prædicato finito, & negatiuâ de infinito, quales sùt istæ: *Petrus est animal, Petrus non est non animal.* Dico autem, huiusmodi propositiones mutuò connexas potiùs esse, quàm æquiualentes: quia non tam vnum, & idem, quàm duo obiecta mutuò inter se connexa enuntiant. Obiecta enim priorum sunt negatio identitatis Petri cum omni lapide, & identitas Petri cum aliquo non lapide. Posteriorum autem obiecta sunt identitas Petri cum aliquo animali, & negatio identitatis Petri cum omni non animali. Suppositio enim, quòd vnumquodque cum aliquo est idem (quandoquidem saltem secum ipso idem est) distinctio Petri ab omni lapide,

lapide, & identitas Petri cum aliquo non lapide mutuò inter se connexæ sunt. Similiterque identitas Petri cum aliquo animali, & distinctio Petri ab omni non animali. In idem autem recidunt, quod ad rem attinet, distinctio ab alio, & non identitas cum illo ob connexionem non mutuam, aut æquivalentiam, quam hæc duo habent, iuxta dicta *disp.* 13.

182 Hinc sequitur sextò supponendum. Principium Metaphysicum, quo nititur conuersio contrapositionis negatiua, vnum supponere certissimum, & in alio ex tali suppositione æquè certo consistere. Supponit vnumquodque ens cum aliquo identificari, consistitque in connexione mutuâ, quæ in tali suppositione datur inter distinctionem vniuscuiusque entis ab aliis, & identitatem cum aliquo, quod non sit de numero illorum. Suppositio enim, quod A est idem cum aliquo, si A distinguitur à B, & C, necesse est, quòd talis identitas sit cum aliquo, quod neque sit B, neque C. & è conuerso. Si talis identitas est cum aliquo, quod neque sit B, neque C, necesse est, quòd A distinguatur à B, & C, vt est notissimum. Itaque huiusmodi est principium, quo nititur conuersio contrapositionis negatiua. Principium verò, quo nititur affirmatiua, in connexione mutuâ stat, quæ datur inter identitatem duorum extremorum, & hoc, quod est, omne distinctum ab vno distingui ab altero. Eo enim ipso, quod A identificatur cum B, necesse est, quòd distinguatur à B quidquid distinguitur ab A, & è contrà. Et eo ipso, quòd omne distinctum ab A est distinctum à B, & è contrà, necesse est, quòd A identificetur cum B. Quæ ex se, & ex dictis disput. 13. sunt manifesta.

183 Suppono septimò. Omnem terminum infinitum, siue ille ex termino communi, siue ex singulari, & negatione infinitante coalescat, communem esse, vt: *Non homo: Non Socrates.* poterit tamen singularizari per particulam demonstratiuam, sicut & alij termini communes, vt si dicas: *Hoc non homo: Hoc non Socrates.* Quo casu, infinitus singularizatus dicetur, cùm tamen singularis finitus in infinitum transiens singularis infinitatus veniat dicendus. Atque ita terminus infinitus, sumptâ appellatione à finito, ex quo, & ex negatione coalescit, aut communis infinitatus, aut singularis infinitatus: sumptâ verò à se ipso, aut infinitus communis, aut infinitus singularizatus appellandus venit. Porrò negatio infinitans terminum aut communem, aut singularem, ante ipsum immediatè est ponenda, non ante signum vniuersale, aut particulare afficiens illum: quia posita ante talia signa non infinitat, vt constat. Benè tamen posita ante particulam demonstratiuam, à quâ habet terminus aliàs communis esse singularem: quia perinde est dicere *Non Socrates, ac Non hic homo*, signato Socrate, vt constat.

184 Suppono octauò. Terminos infinitos, siue infinitatos, ordine inuerso, atque finitos subalternari, quando distributi non sunt. Inter finitos enim singularis subalternatum sibi non mutuò habet communem, iuxta suppositionem quartam. Inter infinitos verò, qui infinitat communem subalternatum sibi non mutuò habet eum, qui infinitat, singularem. Valet enim: est *Non homo*: ergo est *Non Socrates*; non tamen vice versâ est *Non Socrates*: ergo est *Non homo*, vt satis ex se est notum. Terminus verò distributus semper subalternatum sibi non mutuò habet non distributum in se contentum, siue sint illi infiniti, siue finiti, vt notum ex sæpè dictis est.

Suppono nonò. Quotiescumque vnus, aut plures termini, qui sunt finiti in conuersa, infinitantur in conuertente, vel vice versâ, tunc talem conuersionem contrapositam, seu per contrapositionem, seu contrapositè factam dici. Quotiescunque verò talis non interuenit terminorum mutatio; sed, qui finiti sunt in vnâ propositione, in alterâ quoque finiti manent; &, qui infiniti, infiniti; tunc talis conuersio distinctionis gratiâ apposita, seu per appositionem, seu appositè facta dici potest, deinceps que dicetur. Et quoniam hæc in simplicem, & per accidens non est à Logicis sufficienter diuisa, his vocabulis omissis, in quam propositionem si vnaquæque tum appositè, tum contrapositè conuertibilis, sigillatim propriis earum nominibus exponemus. 185

Pro quo tandem est supponendum: appositâ quidem conuersione propositionem affirmatiuam semper conuerti in affirmatiuam, & negatiuam in negatiuam. Quod constat ex principiis pro eâ statutis suppositione primâ. Contraposita verò conuertione interdum propositionem affirmatiuam in negatiuam, & negatiuam in affirmatiuam conuerti, iuxta dicta suppositt. 5. & 6. 186

His ita positis quomodò vnaquæque 18. propositionum categoricarum simplicium, quas quæst. 1. atque etiam 2. recensuimus sit conuertibilis, aut secùs, per propositiones sequentes demonstratiuè est ostendendum. Agemus autem primùm de conuersione earum appositâ; deinde verò de contrapositâ. 187

Propositio 1.

tV. mutuò conuertitur in tV. hoc est, singularis affirmatiua de prædicato singulari in similem singularem. 188

Valet enim: *Hic homo est hoc animal: Ergo hoc animal est hic homo*; & vice versâ, vt ex se, & ex ipso principio, quo nititur huiusmodi conuersio, statuto suppositione primâ manifestissimum est. Nequit enim secundum illud hic homo esse idem cum hoc animali, quod conuersa enuntiat, quin hoc animal sit idem cum hoc homine, quod enuntiat conuertens, aut vice versâ.

Quoniam autem tV. subalternatas non mutuò, habet V, tI, & I, vt ex principio statuto suppositione quartâ, & ex dictis suprà quæst. 2. compertum est, consequitur; tV etiam in V. tI. & I. conuerti; non tamen mutuò. Vnde etiam sequitur, nullum harum V, tI, I, esse conuertibilem in tV. conuersione appositâ, de quâ agimus. Aliàs cum tV essent mutuò connexæ contra suppositionem. 189

Propositio 2.

V mutuò conuertitur in tI. id est, singularis affirmatiua de prædicato communi non distributo in particularem de prædicato singulari. 190

Quia, vt constat per idem conuersionis principium ex suppositione primâ citatum, eo ipso, quòd hic homo est animal, siue idem cum animali, non potest non aliquod animal esse hunc hominem, siue idem cum hoc homine, atque etiam vice versâ.

Hinc autem fit, tam V, quàm tI, etiam conuerti in I, quæ vtrique est subalternata, iuxta dicta; 191

cta; non tamen mutuò. Ex quo etiam fit, I, neque in V neque in tI, conuerti, iuxta dicta in simili nuper.

Propositio 3.

192 I mutuò conuertitur in I. hoc est, particularis affirmatiua de prædicato communi non distributo in similem particularem.

Quia, vt etiam constat ex principio citato, impossibile est, aliquem hominem esse animal, siue idem cum animali, quin aliquod animal sit homo, siue idem cum homine: atque etiam è conuerso.

Propositio 4.

193 E mutuò conuertitur in E, hoc est, vniuersalis negatiua de prædicato communi nullo signo immediatè affecto in similem vniuersalem.

Demonstratur primò ostensiuè: quia I, & I mutuò conuertuntur, iuxta posit. 3. mutuóque proinde I conuersa, & I conuertens connexæ sunt: ergo propter inuersam connexionem, quam habent extremorum connexorum contradictoria, statutam quæst. 2. suppositione tertiâ, non possunt non E conuertens, & E conuersa, quæ contradictoriæ sunt ipsarum I, & I. mutuam pariter connexionem habere, & consequenter mutuò conuerti conuersione legitima, de quâ agimus. Secundò demonstratur per impossibile. Quia posito, quod hæc conuersa sit vera: *Nullus homo est lapis*, si hæc conuertens: *Nullus lapis est homo* esset falsa, conuertentis contradictoria: *Aliquis lapis est homo* esset vera, & consequenter, iuxta posit. 3. eius conuertens, *Aliquis homo est lapis*. Ast hæc contradictoria est primæ conuersæ, quæ ponebatur vera. Ergo, si conuersio eius legitima non est, provt data propositio fert, duo dantur contradictoriæ simul veræ, quod est impossibile. Est ergo legitima. Pariterque venit demonstranda mutua conuersio secundæ in primam.

194 Et quoniam E subalternatas non mutuò habet has omnes tE, dE, dVn, dO, Vn, O, tVn, tO, vt constat tum ex principiis suppositione quartâ statutis, tum ex dictis quæst. 2. posit. 8. consequitur, E non solùm in E mutuò; sed etiam in dictas omnes non mutuò conuerti. Vnde etiam constat, eas in E, conuersione, de qua agimus, non conuerti, vt dictum in simili posit. 1.

195 Ex primâ autem demonstratione huius propositionis colligitur, statuiturque vniuersaliter pro omnibus sequentibus. Quoties vna propositio in aliam conuertitur, non posse non contradictoriam secundæ in contradictoriam primæ conuerti similiter.

Propositio 5.

196 A in I conuertitur, non tamen mutuò: hoc est, vniuersalis affirmatiua de prædicato communi nullo signo immediatè affecto in particularem de simili prædicato.

Prior propositionis pars demonstratur. Primò: quia contradictoria ipsius I, nempe E conuertitur in contradictoriam ipsius A, nempe O, iuxta posit. 4. Ergo A conuertitur in I. per principium ibi statutum. Secundò: quia posito, quod hæc conuersa sit vera: *Omnis homo est animal*, si hæc conuertens esset falsa: *Aliquod animal est homo*, conuertentis contradictoria, *Nullum animal est homo*, esset vera, quæ conuersa in similem iuxta posit. 4. redderet veram hanc: *Nullus homo est animal*, quæ contraria est primæ conuersæ, quæ ponebatur vera; atque ita dantur duæ contrariæ simul veræ, & consequenter etiam duæ contradictoriæ, iuxta doctrinam statutam quæst. 2. Quod vtrumque est absurdum. Quòd autem I non conuertatur in A, quæ est altera pars propositionis, inde constat: quia argueretur à termino non distributo ad distributum, contra principium statutum suppositione quartâ. Quâ eadem de causâ A in A conuerti non potest, vt est notum.

Propositio 6.

tVn mutuò conuertitur in tVn, hoc est, sin- 197
gularis negatiua de prædicato singulari in similem singularem.

Constat imprimis hæc propositio ex principio suppositione primâ statuto iuxta quod euidens est, eo ipso, quod hic homo ab hoc lapide distinguatur, quod enuntiat hæc conuersa: *Hic homo non est hic lapis*, non posse non hunc lapidem distingui pariter ab hoc homine, quod enuntiat hæc eius conuertens: *Hic lapis non est hic homo*; atque etiam vice versâ. Deindè, demonstrari potest. Primò: quia tV, & tV. mutuò conuertuntur per posit. 1. Ergo etiam tVn, & tVn contradictoriæ earum iuxta dicta *posit.* 4. secundò: quia, si conuertens esset falsa, hæc eius contradictoria esset vera: *Hic lapis est hic homo*, quæ conuersa, iuxta *prop.* 1. redderet hanc veram: *Hic homo est hic lapis* contradictoriam primæ conuersæ, quæ ponebatur vera, darenturque duæ contradictoriæ simul veræ. Paritérque demonstratur, secundam in primam conuertibilem esse.

Et quoniam tVn subalternatas non mutuò habet 198
has tres dVn, dO, tO, vt constat ex principiis statutis *suppositione quartâ*, & ex doctrinâ stabilitâ *suprà q. 2. posit.* 8. consequitur, tVn ita conuerti mutuò in tVn, vt etiam conuertatur non mutuò in dVn, dO, & tO. Vnde etiam constat, nullam harum dVn, dO, tO, conuertibilem esse in tVn, appositâ conuersione, de quâ tractamus. Alioquin cum tVn essent connexæ mutuò contra suppositionem.

Propositio 7.

Vn mutuò conuertitur in tE, hoc est, singularis 199
negatiua de prædicato communi nullo signo immediatè affecto in vniuersalem negatiuam de prædicato singulari.

Tum quia eo ipso, quòd hic homo distinguitur ab omni lapide, provt enuntiatur per hanc conuersam: *Hic homo non est lapis* necesse est, quòd omnis lapis distinguatur pariter ab hoc homine, provt enuntiat hæc conuertens *Nullus lapis est hic homo*; atque etiam vice versâ, iuxta principium statutum *suppositione primâ*. Tum quia tI, & V mutuò conuertuntur per *posit.* 2. ergo etiam Vn, & tE, contradictoriæ earum per dicta *posit.* 4. Tum quia, positâ veritate conuersæ, si conuertens esset falsa, hæc conuertentis contradictoria: *Aliquis lapis est hic homo*, esset vera, & consequenter, hæc eius cõuertens, iuxta *posit.* 2. *Hic homo est lapis* contradictoria primæ conuersæ; darenturque subinde duæ contradictoriæ simul veræ. Paritérque demonstrandum venit, secundam in primam conuerti, tE scilicet in Vn.

Et

200 Et quoniam tE, non mutuo subalternatas habet has omnes dE, dVn, dO, tVn, tO, vt ex principiis statutis *suppositione quartâ*, ex dictisque *q. 2. propos.* 8. compertum est; consequitur, Vn ita conuerti mutuo in tE, vt etiam conuertatur non mutuo in quamlibet dictarum quinque dE, dVn, dO, tVn, tO. Similiter, quia Vn subalternatas non mutuo habet has O, tO, dO, tVn, dVn, vt constat ex *locis citatis*; consequitur itidem, tE ita conuerti mutuo in Vn, vt etiam conuertatur non mutuo in quamlibet dictarum O, tO, dO, tVn, dVn. Vnde etiam sequitur planè, nullam harum dE, dVn, dO, tVn, tO, O, conuertibilem esse in Vn, aut in tE, conuersione appositâ, de quâ agimus, quia alioquin cum illis essent mutuo connexæ contra factam suppositionem ex *locis citatis*.

Propositio 8.

201 tA mutuo conuertitur in dV. hoc est, vniuersalis affirmatiua de prædicato singulari in singularem affirmatiuam de prædicato communi signo *omnis* immediatè affecto.

Constat hæc propositio. Primò: quia si omnis homo identificatur cum hoc animali, provt enuntiat conuersa hæc: *Omnis homo est hoc animal*, nequit non pariter identificari hoc animal cum omni homine, provt enuntiat eius conuertens: *Hoc animal est omnis homo*; & vice versâ, iuxta principium statutum suppositione primâ, vt est notum. Secundò constat: quia resolutis per suos descensus dictis ambabus propositionibus in singulares de vtroque termino singulari, ex quibus constant, omnes huiusmodi singulares mutuo erunt inter se conuertibiles, iuxta *propos.* 1. Ergo, & illæ eiusmodi singularium aggregatis æquiualentes mutuo inter se conuertibiles sunt. Tertiò demonstratur: quia posito, quòd conuersa esset vera, si conuertens esset falsa, contradictoria conuertentis: *Hoc animal non est omnis homo*, esset vera, atque adeò & hæc eius conuertens, iuxta *propos.* 9. *Aliquis homo non est hoc animal*, contradictoria primæ conuersæ, quæ ponebatur vera, darenturque duæ contradictoriæ simul veræ. Pariterque demonstrandum venit, secundam in primam conuerti.

202 Et quoniam dV subalternatas non mutuo habet dI, tI, I, tV, V, vt ex principiis statutis *suppositione quartâ* colligitur, constatque ex dictis *q. 2. propos.* 8. consequitur, tA ita esse in dV mutuo conuertibilem, vt insuper sit conuertibilis non mutuo in quamlibet dictarum dI, tI, I, tV, V. Similiter: quia tA subalternatas non mutuo habet A, V, I, tV, tI, vt constat ex locis citatis, rursus consequitur, dV ita mutuo conuerti in tA, vt etiam conuertatur non mutuo in vnamquamque dictarum A, V, I, tV, tI. Vnde tandem sequitur, nullam harum dI, tI, I, tV, V, A, in tA, aut in dV, posse conuerti. Nam aliàs cum illis essent mutuo connexæ, contra suppositionem factam ex locis citatis.

Propositio 9.

203 dVn mutuo conuertitur in tO, hoc est, singularis negatiua de prædicato communi affecto immediatè signo *omnis* in particularem negatiuam de prædicato singulari.

Probatur planè primò. Quia eo ipso, quòd hic homo non identificatur cum omni animali, provt enuntiat hæc conuersa: *Hic homo non est omne animal*, necesse est, vt distinguatur ab aliquo, & consequenter iuxta principium statutum *suppositione* 1. vt aliquod animal vicissim distinguatur ab hoc homine, provt hæc illius conuertens enuntiat: *Aliquod animal non est hic homo*, & vice versâ. Secundò: quia, si stante veritate conuersæ, esset falsa conuertens, huius contradictoria: *Omne animal est hic homo*, esset vera, & consequenter, iuxta *propos.* 8. hæc eius conuertens: *Hic homo est omne animal*, contradictoria primæ conuersæ, quæ ponebatur vera, darenturque duæ contradictoriæ simul veræ. Pariterque venit ostendendum, secundam dictarum propositionum conuerti in primam. Video in demonstrationibus per impossibile huius, & præcedentis propositionis circulum agi: quia vna demonstratur per alteram, & è conuerso. Eatenus tamen ille vitiosus non est, quatenus ambæ suppononuntur aliunde probatæ. Adde, tA, & dV, de quibus *propos.* 8. dVnque, & tO, de quibus in hâc contradictoriè opponi; atque ita ex conuersione mutuâ illarum harum mutuam conuersionem inferri, & è contrà, iuxta dicta *propos.* 4.

Et quoniam ambæ propositiones dictæ dVn tO 204
subalternatam non mutuo habent hanc dO, vt constat ex *locis sæpè citatis*, consequens est, vt ambæ etiam non mutuo conuertantur in illam; illa verò in neutram earum conuertibilis est, iuxta dicta sæpè etiam *in præcedentibus*.

Propositio 10.

dA mutuo conuertitur in dA, hoc est, vniuersalis 205
affirmatiua de prædicato communi affecto immediatè signo *omnis* in similem vniuersalem.

Hæc propositio in primis constat per principium sæpè citatum ex *suppositione primâ*. Quia eo ipso, quòd omnes, & singuli homines cum omnibus, & singulis animalibus essent idem, provt hæc conuersa enuntiat: *Omnis homo est omne animal*, non possent non pariter omnia, & singula animalia cum omnibus, & singulis hominibus esse idem, provt eius enuntiat conuertens: *Omne animal est omnis homo*; atque etiam vice versâ. Deinde: quia omnes singulares de prædicato vniuersali, ex quibus constat prima, in omnes vniuersales de prædicato singulari, ex quibus constat secunda, & è conuerso, mutuò conuertuntur, iuxta *propos.* 8. idémque est de omnibus singularibus de prædicato singulari seorsim sumptis, ex quibus ambæ constant, iuxta *propos.* 1. Ergo prima, & secunda dictarum aggregatis æquiualentes mutuo etiam conuertuntur. Præterea demonstratur. Quia casu, quòd prima conuersa esset vera, si secunda conuertens esset falsa, ipsius conuertentis contradictoria esset vera, nempe: *Aliquod animal non est omnis homo*, & consequenter huius conuertens, iuxta *propos.* 11. *Aliquis homo non est omne animal*, quæ contradictoria est primæ conuersæ, darenturque proinde duæ contradictoriæ veræ.

Hinc sequitur, dA in omnes, quas habet non mu- 206
tuo subalternatas, non mutuo insuper conuerti, ipsasque subinde subalternatas neutiquam conuerti in dA; sunt autem huiusmodi subalternatæ tA, A, V, I, dV, dI, tI, tV. Vt ex principiis statutis *suppositione quartâ* infertur, & constat ex dictis *q. 2. propos.* 8.

Propositio 11.

dO mutuo conuertitur in dO, id est, particularis 207
negatiua de prædicato communi affecto immediatè signo *omnis* in similem particularem.

Constat id. Primò. Quia, iuxta principium statutum suppositione primâ, eo ipso, quòd aliquis homo distinguitur ab aliquo animali, in quod recidit; quod enuntiat conuersa hæc: *Aliquis homo non est omne animal*, necesse est, quòd aliquod animal distinguatur ab aliquo homine, in quod etiam recidit, quod enuntiat hæc eius conuertens: *Aliquod animal non est omnis homo*, & vice versâ, vt est notissimum. Secundò demonstratur: quia, suppositâ veritate conuersæ, si conuertens esset falsa, hæc conuertentis contradictoria: *Omne animal est omnis homo* esset vera, & consequenter hæc eius conuertens, iuxta propos. 10. *Omnis homo est omne animal* contradictoria primæ conuersæ. Quo darentur duæ contradictoriæ simul veræ. Circulus autem demonstrationum per impossibile huius, & præcedentis propositionis earenùs non est vitiosus, etsi demonstrent vnam per alteram, & vicissim, quatenus ambæ aliundè supponuntur probatæ. Adde, dA, & dA, de quibus *posit.* 10. dO que, & dO, de quibus in præsente contradictoriè opponi; atque adeò ex conuersione mutuâ illarum harum mutuam conuersionem inferri, & vicissim, iuxta dicta *posit.* 4.

Propositio 12.

208 O non est conuertibilis in O, hoc est, particularis negatiua de prædicato communi nullo signo immediatè affecto in similem particularem (conuersione scilicet appositâ, de quâ agimus) sed est conuertibilis in dE; non tamen mutuò.

Prima propositionis pars inde constat: quia, si ab O conuersâ ad O conuertentem arguatur, procedetur à termino non distributo ad distributum contra principium statutum *suppositione quartâ*. Subiectum quippe non distributum in conuersâ, in conuertente sit prædicatum, subindéque distribuitur virtute negationis præuiæ iuxta doctrinam sæpè statutam *in præcedentibus*, præsertim *q.* 2.

209 Secunda autem pars propositionis inde constat. Primò. Quia, si: *Aliquis homo non est lapis*. Ergo. *Nullus lapis est omnis homo*, siquidem nullus lapis potest esse ille homo, qui non est lapis. Secundò id ipsum demonstratur. Quia, positâ veritate conuersæ, si esset falsa conuerens, hæc eius contradictoria esset vera: *Aliquis lapis est omnis homo*, quæ conuersa, iuxta *posit.* 13. daret hanc: *Omnis homo est lapis*, contradictoriam primæ conuersæ, quæ ponebatur vera.

210 Hinc sequitur, O etiam conuerti non mutuo in dO, & in dVn, quæ ipsius dE subalternatæ sunt non mutuo, iuxta principia suppositionis quartæ, & doctrinam *suprà* statutam *q.* 2. *posit.* 8.

211 Quòd autem dE non conuertatur in O, quæ est tertia pars propositionis, inde primò apparet: quia ex eo quòd nullum animal sit omnis homo, nequaquam sequitur, aliquem hominem non esse animal. Secundò: quia, si dE conuerteretur in O, contradictoria ipsius O, nempe A conuerteretur in contradictoriam ipsius dE, nempe dI, contra *posit.* 13.

Propositio 13.

212 dI in A conuertitur non mutuò, id est, particularis affirmatiua de prædicato communi affecto immediatè signo *omnis* in vniuersalem affirmatiuam de prædicato communi nullo signo immediatè affecto.

Est clarum. Quia ex eo quòd aliquod animal sit omnis homo, necessariò sequitur, omnem hominem esse animal. Ex eo verò, quòd omnis homo sit animal, non sequitur, aliquod animal esse omnem hominem, vt constat. Et demonstrari potest prior pars. Quia, positâ veritate huius conuersæ: *Aliquod animal est omnis homo*, si hæc eius conuertens: *Omnis homo est animal* esset falsa, conuertentis contradictoria: *Aliquis homo non est animal* esset vera, quæ conuersa, iuxta *posit.* 12. daret hanc: *Nullum animal est omnis homo*, contradictoriam primæ conuersæ, quæ ponebatur vera. Vbi vides, circulariter demonstrari per impossibile hanc propositionem per præcedentem, & illam per hanc. Eatenùs tamen non vitiosè, quatenus ambæ aliunde insuper innotescunt. Adde, O, & dE, de quibus in illâ, dIque, & A, de quibus in hâc, contradictoriè opponi. Atque idcircò non posse non dI conuerti non mutuo in A eo ipso, quòd O conuertitur non mutuo in dE, & è conuerso, iuxta dicta *posit.* 4. Ex eo autem, quòd dE in O non conuertitur, pariter sequitur, A non conuerti in dI, atque etiam vicissim.

Ex dictis hactenus apparet, quænam categoricæ 213
simplices ex 18 possibilibus *q.* 1. necessitis in qualnâ, & quomodò conuertantur cõuersione, quam appositâ nuncupamus. In quasnam autem vnaquæque earum non conuertatur isto genere conuersionis, omni earum combinatione, atque comparatione factâ, facilè esset itidem sigillatim demonstrare. Cæterùm, quia id plus prolixitatis, quàm vtilitatis haberet, & quia sub regulâ generali aut omnes, aut fermè omnes casus possibiles comprehendendi veniunt, ab eiusmodi minutiore, ac prolixiore demõstratione abstinemus generaliter statuentes, vnâquamque dictarum propositionum tunc non conuerti in aliam, quando, vel terminus aliquis non distributus in conuersâ, est distributus in conuertente; vel terminus aliquis communis, & non distributus in conuersâ, est singularis in conuertente, iuxta principia stabilita *suppositione quartâ*.

Restat modò, vt sophismata aliqua, quæ con- 214
tra nonnullas ex regulis conuersionis in præcedentibus statutis effici solent, diluamus. Quod breuiter fiet sub *propositione sequente*.

Propositio 14.

Sophismata quædam contra aliquas ex præce- 215
dentibus propositionibus fieri solita succinctè diluere.

Ponantur ob oculos principia statuta *suppositione primâ, secundâ, & tertiâ*. Ex illis enim constat primò. Hanc conuersionem: *Omnis grammaticus est homo*. Ergo. *Aliquis homo est grammaticus*, bonam non esse, si conuersa sumatur in sensu quiditatiuo: quia sic sumpta, erit de prædicato essentiali, atque adeò vera, nullo grammatico existente. Quo casû conuertens, vtpotè de prædicato accidentali, erit falsa. Homo quippe de quiditate grammaticis est; grammaticus verò non est de quiditate hominis. Erit tamen bona conuersio, si conuersa in sensû existentiali adiectiuo, & accidentali sumatur, vt sumitur conuertens. Quod fiet, si reddat hunc sensum: *Omnis sciens grammaticam existentialiter est homo*. Pariterque philosophandum est de his conuersionibus: *Nullum corpus est album*: Ergo. *Nullum album est corpus*, *Omnis ridens est homo*. Ergo *Aliquis homo est ridens*.

Nullus

Nullus homo est homo albus. Ergo. *Nullus homo albus est homo.* Et de similibus.

216 Hæc verò conuersio. *Hæc essentia diuina non est generans.* Ergo. *Nullum generans est essentia diuina*, aliunde non est bona, quantumvis terminus *generans* adiectiuè sumatur: quia scilicet ob distinctionem virtualem repertam inter essentiam, & Personam diuinam, etsi sit verum, id, quod generat, esse essentiam diuinam, nunquam est verum, essentiam diuinam generare, aut esse generantem adiectiuè. Principia quippe fundata in proprietatibus identitatis, & distinctionis, qualia sunt ea, in quibus conuersiones istæ nituntur iuxta suppositionem primam, quò vniuersalia sint, vt sunt in omni ente creato, supra identitatem, ac distinctionem extremorum realem insuper virtualem exposcunt, quæ interdum deest in diuinis; in creatis verò, minimè. De quo videnda plura dicta *disp.* 13.

217 Secundò ex dictis principiis constat, hanc conuersionem non esse bonam: *Omnis senex fuit puer:* Ergo *Aliquis puer fuit senex.* Debet enim iuxta illa sic fieri. Ergo *Aliquis, qui fuit puer, est senex*, vel sic. Ergo *Aliquis fuit puer, qui est senex.*

218 Tertiò constat, hanc conuersionem non esse bonam: *Aliquis homo est mortuus.* Ergo *Aliquid mortuum est homo.* Debet enim ita fieri iuxta dicta principia. Ergo *Aliquid quod est mortuum, fuit homo*; vel ita. Ergo *Aliquid est mortuum, quod fuit homo.* Similiterque de similibus est iudicandum.

219 Quartò constat, hanc conuersionem non esse bonam: *Nullum cœlum est in stella.* Ergo *Nulla stella est in cœlo.* Debet enim secundum principia dicta sic fieri. Ergo *Nullum existens in stellâ est cœlum.* Paritérque dicendum de aliis huiusmodi.

220 Ex quibus facilè quisque colliget, quo pacto omnia sophismata, quæ contra regulas conuersionum hactenus datas effici possunt per dicta principia *suppositione* 1. 2. & 3. stabilita, diluenda veniant.

221 Sequitur nunc, vt de conuersione contrapositâ earumdem categoricarum simplicium agamus per propositiones sequentes.

Propositio 15.

222 A de vtroque termino (subiecto scilicet, & prædicato) finito in A de eodem vtroque termino infinitato mutuò connectitur.

Demonstratur. Quia, posito, quòd hæc conuersa: *Omnis homo est animal*, vera est, si eius conuertens: *Omne animal est non homo* esset falsa, vera esset conuertentis contradictoria, nempe: *Aliquod non animal non est non homo*, & consequenter hæc ei æquiualens, siue mutuo connexa iuxta suppositionem quintam: *Aliquod non animal est homo*, atque adeo etiam huius conuertens, iuxta *propositionem tertiam*, nempe: *Aliquis homo est non animal*, ac tandem huic æquiualens, siue mutuò connexa iuxta eamdem suppositionem quintam: *Aliquis homo non est animal.* Quæ contradictoria est primæ conuersæ, quæ ponebatur vera. Darenturque de primo ad vltimum duæ contradictoriæ simul veræ. Quod est absurdum. Prima ergo duarum prædictarum propositionum legitimè in secundam conuertitur. Eodemque pacto retrogrediendo demonstrabitur, conuerti secundam in primam.

Ex hâc propositione sequitur primò, A de 223
vtroque termino finito non mutuò conuerti in V, & I de vtroque termino infinito, vtpote, quæ subalternatæ non mutuò sunt eius, in quam mutuo conuertitur, vt constat, tum ex principiis statutis *suppositione quarta*, tum ex dictis *quæst.* 2. *propos.* 8. Similitérque A de vtroque termino infinito non mutuò conuerti in V, & I de vtroque termino finito, ob eandem rationem. Vnde etiam patet, neutram V, neutramque I conuertentem in suam conuersam A vicissim conuerti.

Secundò sequitur, A de vtroque termino fini- 224
to mutuo conuerti in E de subiecto infinito, & prædicato finito, vtpotè, quæ mutuò est connexa, iuxta *suppos.* 5. cum eâ, in quam mutuò conuertitur.

Vnde sequitur tertiò, quia dicta E subalterna- 225
tas non mutuo habet has omnes de subiecto infinito, & prædicato finito tE, dE, dVn, dO, Vn, O, tVn, tO, vt constat ex *locis nuper citatis*, ita dictam A in ipsam E conuerti mutuò, vt etiam conuertatur non mutuò in quamlibet octo relatarum. Quæ subinde in ipsam A non sunt conuertibiles. Alioquin connecterentur media illa mutuo cum dicta E, contra suppositionem factam ex *citatis locis.* Paritérque sequitur, dictam E in V, & I non mutuo subalternatas ipsius A conuerti non mutuo, vt patet ex dictis.

Propositio 16.

O de vtroque termino finito in O de eodem vtroque termino infinitato mutuò conuertitur.

Demonstratur primò. Quia huiusmodi O, 226
& O contradictoriè opponuntur A, & A, de quibus *propos.* 15. sed illæ conuertuntur mutuò, vt *ibi* demonstratum est: ergo & istæ, per principium stabilitum *propositione quarta.* Secundò demonstratur. Quia, positâ veritate huius conuersæ: *Aliquis homo non est lapis*, si conuertens eius: *Aliquod non lapis non est non homo* esset falsa, conuertentis contradictoria esset vera: nempe, *Omne non lapis est non homo*, & consequenter hæc eius conuertens, iuxta propositionem decimamquintam: *Omnis homo est lapis* contradictoria primæ conuersæ, quæ ponebatur vera, darenturque duæ contradictoriæ veræ. Quod repugnat.

Ex hâc propositione sequitur primò, O de vtro- 227
que termino finito ita conuerti mutuo in O de vtroque eodem infinitato, vt etiam conuertatur non mutuo in tO, dO subalternatas non mutuo ipsius O, iuxta sæpe repetitam doctrinam ex *q.* 2. sicut è conuerso secunda O in tO, dO subalternatas non mutuo primæ, non mutuò conuertitur pariter ob eamdem rationem.

Secundò sequitur, O de vtroque termino finito 228
mutuo conuerti in I de subiecto infinitato, & prædicato finito, vtpotè, quæ iuxta *suppos.* 5. cum alterâ O, in quam illa mutuo conuertitur, connexa est mutuo.

Tertiò sequitur, O de vtroque termino infini- 229
tato mutuo conuerti in I de subiecto finito, & prædicato infinitato, vtpote, quæ cum alterâ O, in quam illa mutuo conuertitur, connexa mutuo est iuxta eamdem quintam suppositionem.

Propositio 17.

230 E de vtroque termino finito non mutuò conuertitur in O de eodē vtroque termino infinitato.

Demonstratur primò. Quia huiusmodi E & O cōtradictoriè opponuntur I de vtroque termino finito, & A de eodem vtroque termino infinitato: sed dicta A in dictam I non mutuo conuertitur, iuxta dicta *propos.* 15. ergo dicta E pariter non mutuò conuertitur in dictam O, per principium stabilitum *propos.* 4. Secundò. Quia, positâ veritate huius conuersæ: *Nullus homo est non lapis*, Si hæc eius conuertens: *Aliquod non lapis non est non homo*, esset falsa, eius contradictoria esset vera, nempe: *Omne non lapis est non homo*, quæ conuersa iuxta *propos.* 15. hanc daret: *Omnis homo est lapis* contrariam primæ conuersæ, quæ ponebatur vera, darenturque duæ contrariæ simul veræ. Quod repugnat.

231 Ex hâc propositione sequitur primò. Prædictum E insuper conuerti non mutuo in tO, & dO subalternatas dictæ provt diximus *propos.* 16.

232 Secundò sequitur, ipsum E non mutuo etiam conuerti in I de subiecto infinito, & de prædicato finito æquialentem, seu mutuo connexam cum ipsâ O, iuxta *suppos.* 5.

233 Quòd autem dicta O vicissim non conuertatur in dictam E, inde ostenditur: quia, iuxta principium statutum *propos.* 4. I contradictoria ipsius E conuerteretur in A contradictoriam ipsius O. Quod falsum est, vt apparebit ex *propos.* 19. Vnde consequenter apparet, neque alias, cum quibus dicta O est connexa, conuerti in ipsam E.

Propositio 18.

234 E de vtroque termino finito in E de vtroque eodem termino infinitato non conuertitur; nec vice versâ.

Prior propositionis pars inde constat. Quia estò conuersa vera sit, vt: *Nullus homo est lapis*, hæc eius conuertens: *Nullum non lapis est non homo* falsa nihilominus est: quia vera est hæc contradictoria eius: *Aliquod non lapis est non homo*; siquidem Angelus est non lapis, & simul est non homo. Posterior autem propositionis pars inde probatur: quia, si secunda dictarum propositionum conuerteretur in primam, contradictoria primæ conuerteretur in contradictoriam secundæ iuxta principium datum *propos.* 4. Quod tamen est falsum, vt apparebit *propos.* 19.

Propositio 19.

235 I de vtroque termino finito in I de eodem vtroque termino infinitato non conuertitur nec vice versâ.

Prior pars propositionis probatur. Quia, factâ suppositione, quòd nullum esset aliud ens excogitabile, præter hominem, & animalia bruta, hæc conuersa esset vera: *Aliquod animal est homo*; & tamen hæc eius conuertens esset falsa: *Aliquod non homo est non animal*: quia in suppositione factâ nullum non homo est non animal, vt constat. Posterior autem pars propositionis inde constat: quia, si secunda dictarum propositionum conuerteretur in primam, contradictoria primæ conuerteretur in contradictoriam secundæ, contra *propositionem decimam octauam* in cuius priore parte est ostensum oppositum. Hinc sequitur, I de vtroque termino finito in A de eodem vtroque infinitato non conuerti. Quia conuerteretur in I subalternatam eius, contra propositionem præsentem.

Hactenùs de propositionibus A. E. I O. de quarum dumtaxat conuersione contrapositâ tractant Logici. Pergamus iam ad reliquas, quæ restant, vsque ad 18. sæpè in præcedentibus recensitas, quas immeritò prætermiserunt. 236

Propositio 20.

tV de vtroque termino finito in A de eodem vtroque termino infinitato mutuò conuertitur. 237

Constat imprimis hæc propositio ex secundo principio statuto suppositione 6. quia ex eo, quòd hic homo sit idem cum hoc animali, quod enuntiat hæc conuersa: *Hic homo est hoc animal*, necessariò sequitur, omne distinctum ab hoc animali distinctum etiam esse ab hoc homine, in quod recidit enuntiatum huius conuertentis: *Omne non hoc animal est non hic homo*, & vice versâ. Secundò demonstratur: quia positâ veritate conuersæ, si conuertens esset falsa, hæc eius contradictoria esset vera: *Aliquod non hoc animal non est non hic homo*, & consequenter huic æquivalens, seu mutuò connexa, iuxta suppositionem quintam: *Aliquod non hoc animal est hic homo*, subindeque, & huius conuertens, iuxta propos. 2. *Hic homo est non hoc animal*, ac tandem huic mutuò connexa, seu æquialens iuxta eamdem suppositionem quintam: *Hic homo non est hoc animal* contradictoria primæ conuersæ, quæ ponebatur vera. Darenturque propterea de primo ad vltimum duæ contradictoriæ, simul veræ. Quod est absurdum. Prima ergò dictarum propositionum legitimè conuertitur in secundam. Paritérque demonstrabitur retrogrediendo, conuerti secundam in primam.

Ex hâc propositione sequitur primò, dictam tV non mutuò conuerti in V, & I subalternatas dictæ A. Similitérque dictâ A non mutuo conuerti in V, tI, I, subalternatas non mutuò ipsius tV. Secundò sequitur, ipsam tV mutuo conuerti in tE æquialentem, seu mutuo connexam cum ipsâ A iuxta suppositionem quintam, vtpotè habentem idem subiectum, & prædicatum singulare finitum loco infinitati, quod habet A. & consequenter tV præterea non mutuo conuerti in dE, dVn, dO, tVn, tO, subalternatas non mutuo ipsius tE, iuxta dicta in simili *propositione decimaquinta.* 238

Propositio 21.

V de vtroque termino finito in A de vtroque eodem termino infinitato mutuo conuertitur. 239

Primò: quia hoc ipso, quòd *Socrates est homo*, necesse est, quod *Omne non homo sit non Socrates*, & vice versâ, iuxta principium statutum *suppositione sexta.* Secundò. Quia si conuertens esset falsa, cùm conuersa sit vera, conuertentis contradictoria: *Aliquod non homo non est non Socrates* esset vera, & huic connexa mutuo, seu æquivalens: *Aliquod non homo est Socrates*, & huius conuersa: *Socrates est non homo*, & huic æquivalens *Socrates non est homo* contradictoria primæ conuersæ, quæ ponebatur vera. Quod repugnat. Pariterque venit demonstrandum, A dictam conuerti in dictam V.

Infer

240 Infertúrque primò, dictam V non mutuò conuerti in V, & subalternatas non mutuò ipsius A. secundò, ipsam A non mutuò conuerti in I subalternatam non mutuò ipsius V. Tertiò, ipsam V mutuò conuerti in tE mutuò connexam cum ipsâ A, & consequenter non mutuò in dE, dVn, dO, tVn, tO, subalternatas non mutuò ipsius tE, provt dictum in simili *propos.* 20.

Propositio 22.

241 tA de vtroque termino finito mutuò couertitur in A de vtroque eodem termino infinitato.

Ostenditur sicuti duæ præcedentes. Primò, quia hoc ipso, quod *Omnis homo est Socrates. Omne non Socrates est non homo*, & è conuerso, vt patet. Secundò. Quia posito, quod conuersa sit vera, si conuertens est falsa. Hæc eius contradictoria vera erit *Aliquod non Socrates non est non homo*, & mutuò cum eâ connexa. *Aliquod non Socrates est homo*, & huius conuersa: *Aliquis homo est non Socrates*, & cum hâc connexa mutuò: *Aliquis homo non est Socrates*, contradictoria primæ conuersæ, quæ ponebatur vera. Quod est absurdum. Pariterque demonstrandum venit, dictam A in dictam tA conuerti.

242 Inferturque primò, ipsam tA non mutuò conuerti in V, & I subalternatas non mutuò ipsius A. Secundò, ipsam A non mutuò conuerti in A, V, I, tV, tI, subalternatas non mutuò ipsius tA. Tertiò, ipsam tA mutuò conuerti in E connexam mutuò cum ipsâ A, & consequenter non mutuò conuerti in has omnes ipsius E subalternatas non mutuò tE, dE, dVn, dO, Vn, O, tVn, tO, iuxta dicta in simili *propos.* 15.

Propositio 23.

243 tVn de vtroquo termino finito in O de eodem vtroque termino infinitato mutuò conuertitur.

Demonstratur Quia tV, & A, de quibus *propos.* 20. tVnque, & O, de quibus modò, contradictoriè opponuntur, vt constat: sed illæ mutuò conuertuntur, vt ibi est demonstratum: ergo, & hæ, per principium statutum *propsit.* 4. demonstrationem autem per impossibile quisque ad normam præcedentium pro hâc item propositione formare poterit.

244 Ex quâ infertur primò, dictam tVn non mutuò insuper conuerti in tO, dO, subalternatas ipsius O. Paritérque ipsam O in tO, dVn, dO, subalternatas ipsius tVn. Secundò, ipsam tVn mutuò conuerti etiam in tI mutuò connexam cum ipsâ O, & consequenter non mutuò in I ipsi subalternatam, provt in præcedentibus dictum in simili est.

Propositio 24.

245 Vn. de vtroque termino finito mutuò conuertitur in O de eodem vtroque termino infinitato.

Quia V, & A, de quibus *propos.* 21. Vnque, & O, de quibus modo, contradictoriè opponuntur: sed illæ mutuò conuertuntur: ergo, & hæ, per principium datum *proposition.* 4. demonstrationem autem huius per impossibile, & consectaria ex illâ inferenda quisque ex *præcedentibus* colliget.

Propositio 25.

tO de vtroque termino finito, & O de eodem 246
vtroque infinitato mutuò conuertuntur.

Quia sic conuertuntur contradictoriæ earum tA, & A, de quibus *propos.* 22. Cætera autem ad hanc spectantia ex dictis in *præcedentibus* potest vnusquisque colligere.

Propositio 26.

dA de vtroque termino finito in A de eodem 247
vtroque termino infinitato conuertitur; sed non vice versâ.

Prior propositionis pars demonstratur. Quia A de vtroque termino finito in dictum A de eodem vtroque infinitato conuertitur mutuò iuxta *propos.* 15. Ergo, & dA, cui prima A subalternatur non mutuò iuxta dicta *quæst.* 2. *propsit.* 8. in A secundam conuertitur non mutuò; siquidem dA connexa non mutuò cum A prima, non potest non connecti pariter cum A secundâ, cum quâ connectitur mutuò ipsa A prima, vt ex se, & ex dictis *disput.* 14. notissimum est. Quod autem A secunda, de quâ in propositione, vicissim non conuertatur in dA (quæ est pars propositionis posterior) inde constat: quia alioquin A prima mutuò connexa cum A secundâ, mutuò, mediâ illa, connecteretur cum ipsâ dA, contra suppositionem factam ex *loco citato.*

Ex hâc propositione sequitur primò, dictam 248
dA non mutuò etiam conuerti in V, & I, ipsius A secundæ subalternatas iuxta dicta *ibidem.* Secundò sequitur per principium statutum *propositon.* 4. O contradictoriam dictæ A secundæ non mutuò conuerti in dO contradictoriam ipsius dA. Quod etiam constat ex dictis *propositon. decima sexta.* Vnde item constat, ipsam dO neque conuerti in E, neque in Vn subalternantes ipsius O: quia conuerteretur in O, contra suppositionem.

Propositio 27.

dV de vtroque termino finito in A de vtro- 249
que eodem infinitato conuertitur, non tamen mutuò.

Prior pars propositionis inde constat: quia V non mutuò subalternata ipsius dV mutuò conuertitur in dictam A, iuxta *propsit,* 21. ergo nego necessatio ipsa dV conuertitur non mutuò in ipsam A, vt arguebamus in simili *propsit.* 26. similiterque, vti *ibi*, monstrandum venit, ipsam A non conuerti vicissim in dV, quæ est altera pars propositionis.

Ex quâ infertur primò, sicut & *ibi*, prædi- 250
ctam dV etiam conuerti non mutuò in V, & I subalternatas prædictæ A. Secundò; O contradictoriam ipsius A non mutuò pariter conuerti in dVn contradictoriam ipsius dV. Atque adeò ipsam dVn neque conuerti in E, neque in Vn subalternantes ipsius O: quia conuerteretur in O, contra suppositionem.

Propositio 28.

tI de vtroque termino finito in I de eo- 251
dem vtroque infinitato non conuertitur; nec vice versâ.

251 Prior pars propositionis ostenditur. Quia ex hypothesi, quòd soli homines essent excogitabiles, hæc conuersa esset vera: *Aliquis homo est Socrates*; & tamen hæc eius conuertens esset falsa: *Aliquod non Socrates esset non homo*: quia nullum esset non Socrates in datâ hypothesi, quod non esset homo, vt constat. Secunda autem pars propositionis inde probatur: quia hæc conuersa absolutè est vera: *Aliquod non Socrates est non lapis*. Tale quippe est Petrus, constat; & tamen hæc eius conuertens est falsa: *Aliquis lapis est Socrates*.

252 Ex hâc propositione sequitur primò, dictam tI non conuerti in O de prædicato finito mutuò connexam cum dictâ I, iuxta sæpe dicta in simili. Secundò, tI non conuerti in A subalternantem ipsius I: quia conuerteretur in I, contra propositionem.

Propositio 29.

253 tE de vtroque termino finito in E de vtroque eodem infinito non conuertitur; nec vice versâ.

Vtraque propositionis pars inde constat: quia, si conuerteretur aut tE in E, aut E in tE, per principium statutum *propositione* 4. conuerteretur pariter, aut tI contradictoria ipsius tE in I contradictoriam ipsius E; aut vice versâ, contra *propositionem* 28.

254 Ex hâc autem infertur primò, dictam E non conuerti in E subalternantem dictæ tE: quia conuerteretur in ipsam tE. Id, quod constat etiam ex *propos.* 18. Secundò infertur, dictam tE neque conuerti in A de prædicato finito mutuò connexa cum ipsâ E.

Propositio 30.

255 dI de vtroque termino finito in I de vtroque eodem infinito non conuertitur; nec vice versâ.

Prima propositionis pars probatur. Quia ex hypothesi, quòd plures, & soli Dij essent, soluscque verus haberet personalitates, hæc conuersa esset vera: *Aliquis Deus est omnis Personalitas*; & tamen hæc conuertens esset falsa: *Aliquod non Personalitas non est Deus*: quia in datâ hypothesi omne non Personalitas Deus esset. Secunda autem propositionis pars probatur. Quia absolutè hæc conuersa est vera: *Aliquod non animal est non homo*. Tale enim est lapis; & tamen hæc conuertens est falsa: *Aliquis homo est omne animal*, vt patet.

256 Vnde infertur primò, dictam dI non conuerti in O de prædicato finito mutuo connexam cum dictâ I. Secundò, neque conuerti in A subalternantem ipsius I.

Propositio 31.

257 dE de vtroque termino finito in E de vtroque eodem infinito non conuertitur; nec vice versâ.

Quia dI, & I contradictoriæ earum nullatenùs conuertuntur, iuxta *propos.* 30. conuerterentur autem, si dE, & E conuerterentur, iuxta principium sæpe citatum ex *propos.* 4.

258 Vnde sequitur primò, dictam E neque conuerti in E, aut tE subalternantes dictæ dE: quia conuerteretur in ipsam dE. Secundo, dictam dE neque conuerti in A de prædicato finito mutuo connexa cum ipsâ E, vt sæpe dictum in simili.

Et hæc quidem hactenùs de conuersione tam contrapositâ, quàm appositâ omnium propositionum categoricarum simplicium. Ex quibus colligendum est, quid etiam de conuersione hypotheticarum simplicium, & cuiusvis generis complexarum, necnon modalium sit dicendum. Quod per sequentes propositiones præstandum nobis est. Sophismata autem, quæ contra aliquas ex regulis traditis contrapositæ conuersionis fortasse fieri possunt, non difficile quisque diluet ex principiis pro illâ statutis suppositione sextâ. Sicuti, quæ contra appositam fieri solent ex statutis pro ipsâ suppositione primâ, secundâ, & tertiâ nos *propositione decimaquarta* diluimus.

Propositio 32.

De conuersione tam contrapositâ, quàm appo- 259
sitâ omnium omnino propositionum hypotheticarum simplicium eodem pacto philosophandum est, ac de conuersione appositâ, & contrapositâ categoricarum simplicium, quibus earum singulæ correspondent, in præcedentibus philosophati sumus.

Est clarum: quia propositiones hypotheticæ id ipsum enuntiant conditionatè, quod categoricæ, quibus respondent, enuntiant absolutè. Atque adeo eamdem habent, aut non habent connexionem obiecta hypotheticarum conditionatè, atque adeo & ipsæ hypotheticæ provt tales, quam habent absolutè, aut non habent obiecta categoricarum subindéque & categoricæ ipsæ, vt ex dictis etiam *sup. q.* 3. liquidum est.

Itaque quemadmodum hæc categorica A, vt 260
Omnis homo est existens non mutuo conuertitur in hanc categoricam I, vt *Aliquod existens est homo*, ita hæc hypothetica HA correspondens primæ, vt, *Si Deus vult, omnis homo est existens*, non mutuo conuertitur in hanc hypotheticam HI correspondentem secundæ, vt, *Si Deus vult, aliquod existens est homo*. Paritérque de cæteris omnibus censendum est. Applicando videlicet omnibus, & singulis hypotheticis possibilibus regulas cuiusvis generis conuersionis pro categoricis, quibus illæ correspondent, *in præcedentibus* traditas. In quo minutiùs explicando non est, cur moremur.

Propositio 33.

De conuersione etiam tam contrapositâ, quàm 261
appositâ omnium omnino propositionum complexarum idem prorsùs dicendum est, quod hactenus à nobis est dictum de conuersione appositâ, & contrapositâ simplicium, ex quibus illæ componuntur.

Est etiam clarum. Quia propositiones complexæ, quod ad rem attinet, non aliter conuertendæ veniunt, quàm per conuersionem simplicium, ex quibus coalescunt; alterius enim generis conuersionis sibi propriæ, quæ sit alicuius momenti, capaces non sunt. Dico, quæ sit alicuius momenti: quia transpositio quoad locum simplicium propositionum, ex quibus coalescit complexa, quæ veluti conuersio quædam est eius, nullius est momenti in ordine ad scientiam, nullaque proinde ratio eius habenda est. Itaque com

complexa hæc : *Socrates est homo, & nullus homo est lapis* in hanc conuertitur : *Aliquis homo est Socrates, & nullus lapis est homo.* Propterea dumtaxat, quod prior simplex primæ in priorem simplicem secundæ, & posterior in posteriorem conuertitur. Paritérque de cæteris omnibus censendum est. Hoc vno tantùm adnotato, quòd complexa in complexam, aut adæquatè, omnibus scilicet eius simplicibus conuersis, aut inadæquatè, aliqua solùm modo earum conuersa, conuerti potest, vt est notum.

Propositio 34.

262 Artem vniuersalem, eamque satis pulchram omnium propositionum modalium conuersionem tam contrapositam, quàm appositam ostendentem demonstratiuè construere.

Suppono primò Arist. *lib.* 1. *Prior. c.* 3. de conuersione propositionum modalium tria docere. Primum modales de *Necesse* affirmato eodem modo conuerti ac propositiones de *inesse*. Secundum, idem dicendum de modalibus *de Possibile*, atque adeò, & de *Contingens* sumpto pro eodem ac *Possibile*, vel *Necesse*. Tertium modales de *Contingens* propriè sumptum eodem etiam modo conuerti, si sint de dicto affirmato, secùs, si de negato. De modalibus verò de *Impossibile*, de modisque negatis non tractat, de conuersioneque tantùm agit, quam appositam dicimus ; de contrapositâ non item. Tum sicut *cap.* 2. solùm agit de conuersione earum quatuor de *Inesse* A, E, I, O, ita *cap.* 3. *citato* solùm agit de modalibus eiusmodi quatuor dicta habentibus. Cæteri autem Logici sequuti. Arist. paulò plura de modalium conuersione scripserunt. Nec Artem generalem proeâ ostendendâ in vniuersum scientificè hactenus construxerunt.

263 Pro quâ modò construendâ, suppono secundò cum ipso Arist. & cæteris Logicis, hic non agi de conuersione modalium penes *modum* & *dictum*, quæ, & cuique obuia, & parui, aut nulliùs momenti est, cùm parum, aut nihil interfit ad scientiam, quòd ponatur *modus* ex parte prædicati, & dictum ex parte subiecti, vel vice versâ ; Sed tantùm de conuersione modalium penes subiectum, & prædicatum ipsius dicti, quæ, & multiformis esse potest, & neque parum interest, neque parum exhibet negotij : Vnde colligitur, toties vnam modalem dicendam esse conuerti in aliam, quoties dictum vniùs conuertitur in dictum alterius more propositionum de *inesse*. Quæ conuersio tunc erit legitima : quando à conuersâ ad conuertentem legitimè arguitur ob connexionem, quam prima cum secundâ habet ; tunc verò illegitima, quando secùs defectu talis connexionis. Impræsentiarum autem de solâ legitimâ conuersione modalium agitur. Sicuti de solâ legitimâ propositionum de *inesse* hactenus egimus.

264 Vnde, suppono tertiò. Quoties *dictum* vniùs modalis conuertitur in *dictum* alterius, & vna est connexa cum alterâ, vnam in alteram legitimè dicendam esse conuerti, siue illæ vnum, & eumdem *modum* habeant, siue diuersos. Quidquid in oppositum videatur circumferri apud Logicos, dum solùm de conuersione vnius in alteram eiusdem modi agunt. Ea autem in alteram propriè conuerti dicetur, cuius dictum conuertitur in dictum alterius, quando ab illâ ad hanc legitimè arguitur, siue illæ eiusdem modi sint, siue diuersorum. Quia tamen euenire potest, vt *dictum* primæ in *dictum* secundæ conuertatur non mutuâ conuersione, & nihilominus non prima cum secundâ ; sed potius secunda cum primâ connexa sit : in tali casû â conuertente ad conuersam, non à conuersâ ad conuertentem dicetur legitimè argui. Fieri etiam potest, vt duarum modalium dicta mutuò conuertantur, atque connectantur inter se, & tamen ipsæ modales habeant connexionem non mutuam. Quo casû, ea solùm, quæ connexionem habet cum alterâ, dicetur in illam conuerti, conuersione scilicet legitimâ, de quâ tractamus ; non tamen vice versâ.

Suppono quartò : dicta modalium eamdem omninò inter se conuersionem, atque connexionem habere, quam habent propositiones de *inesse*, quibus correspondent : quia habent eadem omninò cum illis obiecta. De quo nullum est dubium. Itaque sicut hæc propositio *Omnis homo est animal* non mutuò conuertitur in hanc : *Aliquod animal est homo*, ita hoc *dictum : Omnem hominem esse animal* non mutuò conuertitur in hoc : *Aliquod animal esse hominem.* Ob id easdem litteras designamus modalium dicta, per quas designamus propositiones de *inesse*, quibus illa respondent, vt vidimus *quæst.* 5. 265

His suppositis. Duplex à nobis impræsentiarum Ars est construenda. Altera pro modalibus de dictis mutuò inter se conuertibilibus tum appositâ, tum contrapositâ conuersione correspondentibus omnibus propositionibus de *inesse* mutuò pariter conuertibilibus, de quibus in præcedentibus actum est. Altera pro modalibus de dictis conuertibilibus non mutuò correspondentibus similiter omnibus propositionibus de *inesse* conuertibilibus non mutuò, tum appositâ, tum contrapositâ conuersione. De quibus etiam in *præcedentibus* tractatum est. 266

Prima harum duarum Artium ita construitur. Accipiatur ex *quæstione quinta.* Ars quinta facta *propos.* 9. pro exhibendâ connexione, & oppositione modalium de dictis mutuò connexis, Positaque ante oculos prima eius tabula quinque quadratorum loco duorum *dictorum* mutuò connexorum, quibus constant omnes modales in illis positæ, ponantur duo quæque dicta mutuo conuertibilia, dabitque tabula ipsa decem binarios modalium constantium eisdem duobus *dictis* ; *modis* verò diuersis mutuo inter se conuertibilium ; vnumquodque scilicet quadratum binarios duos compositos ex primâ, & secundâ modali, ex quartâque & tertiâ, iuxta ordinem in eâ q. præscriptum illas numerandi. Ratio est manifesta : quia, vt ibi demonstratum est, eiusmodi binarij in dictâ tabulâ modalium sunt mutuò connexarum de dictis mutuo connexis. In idem autem recidit esse modalium mutuo conuertibilium, quando dicta sunt mutuo conuertibilia, atque adeò mutuo connexa, vt ponimus. Exempli gratia, in primo quadrato iunguntur *modis* ibi positis hæc duo dicta mutuo conuertibilia appositè, iuxta propos. 2. V, tI, dabitque hos duos binarios modalium mutuo conuertibilium P V, P t I, & n P t I, n P V. id est: *Possibile est, Petrum esse album* : ergo *Possibile est, aliquem album esse Petrum.* Et : *Non est Possibile, aliquem album esse Petrum* : *ergo Non est possibile, Petrum esse album.* Pariter in secundo quadrato iungantur *modis* ibi positis eadem duo dicta, dabitque hos duos binarios modalium mutuò conuertibilium. P V, n R t I, & R t I, n P V. 267

Tertium autem quadratum hos dabit CV, CtI, & nCtI, nCV. & in cæteris pariter. Similitérque faciendum est, cum quibusvis aliis duobus dictis mutuò conuertibilibus tum appositè, tum contrapositè correspondentibus omnibus propositionibus mutuò similiter conuertibilibus, quæ in præcedentibus sunt recensitæ.

268 Deinde, posita itidem ob oculos secunda tabula quinque etiam quadratorum eiusdem Artis loco dictorum mutuò connexorum, quibus constant modales in illis positæ; ponantur similiter duo quæque ex prædictis dictis mutuò conuertibilibus, dabitque tabula ipsa decem alios binarios (vnumquodque scilicet quadratum duos ordine dicto) modalium constantium eisdem dictis, atque modales positæ in primâ tabulâ, quæ tamen ob diuersitatem modorum, erunt non mutuò conuertibiles cùm tamen illæ, vt vidimus, mutuò conuertibiles essent. Cuius ratio etiam est manifesta: quia, *ibi* demonstratum est, modales, pro quibus sunt subrogandæ de *dictis* sunt mutuò connexis, & nihilominus connexæ inter se non mutuò sunt. Perinde autem est esse de *dictis* mutuò conuertibilibus, ac proinde mutuò connexis, & esse inter se conuertibiles non mutuò, ac proinde etiam connexas non mutuò. E. g. in primo quadrato iungantur *modis* ibi positis eadem duo *dicta* mutuò conuertibilia, quæ suprà, dabitque hos duos binarios modalium non mutuò conuertibilium CV, PtI, & nPtI, nCV. id est: *contingens est, Petrum esse album:* Ergo *Possibile est, aliquod album esse Petrum. &: Non est possibile, aliquod album esse Petrum:* Ergo *Non est contingens, Petrum esse album.* Secundum autem quadratum hos dabit binarios, CV, nRtI, & RtI, nCV. Tertium autem hos CV, nNtI, & NtI, nCV. Quo prima ars vniuersalissima manet constructa ad demonstrandum, omnes binarios possibiles modalium de dictis mutuò conuertibilibus, quæ inter se mutuò conuertuntur, & omnes modalium de eisdem dictis, quæ conuertuntur non mutuò. Constatque, quemuis binarium talium dictorum decem binarios modalium prioris generis, & totidem posterioris generis procreare. Ex quo patet, eiusmodi modalium binarios innumeros propemodùm esse; cùm tam multi sint binarij dictorum mutuo conuertibilium, vt ex dictis in tot propositionibus præcedentibus colligere est.

269 Iam, secunda Ars suprà proposita pro modalibus de dictis conuertibilibus non mutuo ita constituitur. Accipiatur ex *quæst.* 5. Ats sexta facta *propos.* 10. ad exhibendam connexionem, atque oppositionem modalium de dictis non mutuo connexis. Positaque ob oculos prima eius tabula decem quadratorum loco dictorum non mutuò connexorum, quibus constant modales in illis positæ ponantur duo quæuis dicta conuertibilia non mutuò dabitque tabula ipsa 20. binarios modalium constantium eisdem duobus dictis; sed *modis* diuersis, vnumquodque scilicet quadratum duos, quorum primus: iuxta ordinem memoratum, erit modalium ita conuertibilium non mutuò, vt à conuersâ ad conuertentem legitimè arguatur; sed non è contrà. Secundus vero modalium ita conuertibilium, vt à conuertente ad conuersam legitimè arguatur; sed non vice versâ. Quod fors videbatur mirabile. Cuius ratio demonstrans est. Quia, vt *ibi* est demonstratum, primus binarius vniuscuiusque quadrati modalium est, quarum connexa cum altera non mutuò dictum habet connexum etiam non mutuò cum dicto alterius. Secundus verò modalium, quarum connexa cum alterâ non mutuò dictum habet terminans connexionem non mutuam dicti alterius. Adiem autem nihil interest, vtrum eiusmodi non mutua dictorum connexio ex eorum conuersione nascatur, vti euenit in proposito; an aliunde vndecunque, vti supponitur in Arte illâ, vt est manifestum. Ponamus itaque vnum, aut alterum exemplum, adiungendo *modis* quadratorum tabulæ dictæ hoc binarium dictorum conuertibilium non mutuò, iuxta *propos.* 2. V, I, dabit enim primum quadratum hos duos binarios modalium NV, NI, & nNI, nNV. id est: *Necesse est, hunc hominem esse album:* Ergo *Necesse est, aliquod album esse hominem.* Et *Non est necesse, aliquod album esse hominem:* Ergo *Non est necesse, hunc hominem esse album.* In quorum primo, vt vides, à conuersâ ad conuertentem legitimè arguitur; in secundo verò à conuertente ad conuersam. Secundum autem quadratum dabit hos duos binarios modalium NV, PI, & nPI, nNV. Pariterque reliqua suos. Similiterque venit faciendum cum quibuluis aliis duobus dictis conuertibilibus non mutuo.

Deinde, posita itidem ob oculos secunda tabu- 270
la eiusdem Artis 22. quadratorum, adiungantur *modis* in illis locatis eadem duo dicta conuertibilia non mutuo, dabitque vnumquodque quadratum duos binarios modalium disparatum, seu non conuertibilium ratione formæ, quantumuis earum dicta sint conuertibilia non mutuò, vt ponitur. Cuius ratio etiam est manifesta: quia, vt quævis alia dictorum connexio non mutua modalium ad eam tabulam pertinentium eas inter se connexas non facit, ita neque faciet connexio oriunda à conuersione. Pro exemplo sint hic duo binarij ex primo quadrato, CV, CI, & nCI, nCV. id est: *Contingens est, hunc hominem scandalosum esse:* Ergo *Contingens est, aliquem scandalosum esse hominem.* Et *Non est contingens, aliquem scandalosum esse hominem.* Ergo *Non est contingens, hunc hominem scandalosum esse.* Quæ consequentiæ sunt loquendo de cõtingentiâ morali, iuxta illud Matth. 8. *Necesse est enim, vt veniant scandala.* Quidquid sit de veritate consequẽtium ratione materiæ, loquendo de Physicâ, aut Metaphysicâ. Ob id dixi, modales eiusmodi disparatas esse ratione formæ. Sint etiam pro exemplo hi duo binarij ex secundo quadrato, CV, NI, & nNI, nCV. Ex tertio autem hi, PV CI, & nCI, nPV. Similiterque in cæteris. Quo Ars secunda vniuersalissima manet constructa exhibens omnes binarios possibiles modalium de dictis conuertibilibus non mutuò, tum in quibus à conuersâ ad conuertentem, tum in quibus à conuertente ad conuersam, tum in quibus à neutrâ ad alteram licet arguere. Qui quidem omnes innumeri propemodùm sunt.

Sophismata autem, quæ contra aliquas ex sta- 271
tutis modalium conuersionibus effici possunt, aut etiam solent, tum ex principiis pro eis suppositis in hâc q. tum ex dictis *proposition. decima quarta*, pro conuersionibus propositionum de *inesse*, facilè quisque diluet. Viderique ad rem possunt, si placet, Conimb. *in Logicâ ad caput tertium*, Aristot. *suprà citatum ex libr. primo, Post.* Et hæc de omnium propositionum conuersione satis sint dicta.

QVÆST

QVÆSTIO VII.

Quid sit quæstio & quotuplex?

272 QVæstio est oratio quædam dubitatiua, quâ de obiectiuâ propositione apprehensâ quæritur, an ita sit, vt apprehenditur, vel secùs. Vnde nomen *quæstio* propriè loquendo, de formali solùm vocali, & scriptâ, aut etiam mentali venit dicendum, vtpotè quarum obiectum propositio potiùs obiectiua, quàm quæstio obiectiua appellatur, quatenus sub propositionem formalem cadere potest, tametsi etiam cadere possit, aut cadat de facto sub quæstionem formalem. Distinctionis tamen gratia propositionem obiectiuam simplicem tantum ac dubitatiuè apprehensam citra affirmationem, aut negationem quæstionem obiectiuam dicemus.

273 Diuiditur autem inprimis quæstio celebri diuisione in quæstionem quoad *Quid est* & quæstionem quoad *An est*. Per quam diuisionem, vt autumo, voluerunt prisci Philosophi denotare duplex genus veritatum, quæ de rebus possunt quæri, & sciri: earum nimirum, quæ ad statum rerum quiditatiuum, & earum, quæ statum rerum existentialem pertinent, iuxta doctrinam *suprà* tactam *disput. 2. quæst. 3.* & ex professo latè expositam *disput. 10.* Quo pacto si intelligatur ista diuisio, quæstio quoad *Quid est* comprehendet omnem quæstionem de prædicato pertinente ad statum quiditatiuum, quodcunque illud sit, siue per illam quæratur de re proposità, quid sit, siue qualis sit, siue quotuplex, &c. nimirum intra illum statum. Quæstio verò quoad *An est* comprehendet omnem quæstionem de prædicato pertinente ad statum existentialem, siue per eam quæratur, quid sit res proposita, siue qualis, siue quotuplex, &c. videlicet existentialiter.

274 Aliter tamen possunt, & solent intelligi duæ dictæ quæstiones, ita scilicet, vt quæstio *Quid est* solùm sit de prædicato essentiali rei, de quâ quæritur, in quocunque illa statu consideretur. Per quæstionem autem *An est* solùm quæratur de re, an existat; intellectis tamen hoc modo dictis quæstionibus, diuisio quæstionis in illas adæquata non erit: quia in neutro membrorum diuidentium comprehendetur quæstio de prædicato accidentali, hoc est, essentiæ rei adiecto, quâ quæritur de re *Qualis sit*. In hanc igitur debet etiam quæstio diuidi, iuxta eiusmodi sensum; imò in hâc in rigore includitur quæstio *An est*: quia existentia, quam de re quærit, è numero prædicatorum est, quæ Metaphysicè adiicitur essentiæ eius, vt ex dictis *disput. 9.* & sæpe aliàs satis est notum. Quæstio autem *quotuplex est*, quæ rei diuisionem exposcit, atque sub initium cuiusuis scientiæ de quâuis re tractantis debet examinari, ad quæstionem *Quid est*, aut ad quæstionem *Qualis est* reducenda venit. Nam, vel exposcit rei diuisionem per partes intrinsecas, vel per extrinseca adiuncta. Si primum, reducitur ad primam; si autem secundum ad secundam. Cæteræ autem quæstiones *Propter quid est. Quare est. A quo est. Ex quo est. Quando est. Vbi est. Quomodò est*, & aliæ innumeræ huiusmodi sub quæstione *Qualis est* includuntur. Quia per omnes quæritur de re proposità prædicatum aliquod ipsius essentiæ superadditum vel Physicè, vel Metaphysicè, atque adeò illi accidentali, sumpto hoc vocabulo latissimè, iuxta dicta de prædicatis essentialibus, & accidentalibus rerum *suprà disp. 17. q. 7.*

Per hæc exponendus est Arist. qui *lib. 2. Post. cap. 1.* postquàm dixisset: *Ea, quæ quæruntur totidem numero sunt, quot sunt ea, quæ sciuntur*, ad has quatuor reducit omnes quæstiones *An est, Quid est. Quia est*, & *Propter quid est*. Quarum tres priores eædem sunt, quas nos recensuimus, nam quæstio *Quia est*, & *Qualis est* in idem recidunt. Addidit autem Arist. quartam *Propter quid est* aliàs sub eandem *Qualis est* comprehensam. Quia, quod maximè de rebus scire desideramus, atque adeò quærimus, postquam iam eas esse scimus, est causa, aut ratio à priori, propter quam sunt. 275

Dubitari hic potest, vtrum per quæstionem *An est*, vel potiùs per quæstionem *Quid est* vniuscuiusque obiecti scientia, siue tractatio, sit inchoanda. Multi censent, priùs de vnoquoque obiecto, cuius tractatio suscipitur, quærendum esse, *An sit*, quàm *Quid sit*. Ego verò censeo, cum distinctione respondendum. Atque ita dico primò, aliquælem explicationem quiditatis obiecti, cuius scientia, siue tractatio inchoanda suscipitur, omninò præmittendam esse ante omnia, eam scilicet, quæ necessaria est, vt sciatur de quo est agendum, quidve sit significatum nominis? per quod proponitur obiectum, cuius tractatio assumitur. Hoc enim, si ignoretur, neque *An sit*, de illo quæri poterit, vt est notum. Quare, si per quæstionem *Quid est* ampliùs, quàm id non inquiratur, consequenter affirmo, à tali quæstione *Quid est* debere omnem scientiam, aut tractationem cuiusuis obiecti inchoari. Quod à nemine negari potest, vt etiam est notum. Dico secundò. Quando scientia, quæ tractanda suscipitur, dumtaxat considerat obiectum, provt in statu quiditatiuo, vti considerant pleræque, omninò inchoandam eam esse à quæstione *Quid est*: quia quæstio *An est* in tali scientiâ locum non habet, cùm talis scientia de obiecti existentiâ, à quâ præscindit, nihil curet. Dico tertiò. Quando scientia tractat de obiecto, provt in statu existentiali, præmissa aliquali explicatione quiditatis ejus secundum se iuxta dicta, antequam inquiratur, quid illud sit existentialiter, & quale; an sit, examinandum est, atque adeò quæstio *An est* præponenda. Quo casu, & sensu dumtaxat vera est illorum sententia, qui ante quæstionem *Quid est*, censent, quæstionem *An est* debere præponi. 276

Ex quibus patet, quomodo omnis scientia per aliquam quæstionem *Quid est* inchoari debeat. Quomodo in plerisque, ne locum quidem vllum habeat quæstio *An est*, & quo solùm casu hæc ante illam debeat præmitti. Post quæstionem autem *Quid est* in omni scientiâ immediatè poni exactéque examinari debet quæstio *Quotuplex est*, exactè expositis diuisionibus obiecti sciendi. Post quam est sequenda quæstio *Qualis est*, quæ passiones ipsius obiecti tum proprias, tum communes inquirit, aut etiam contingentia accidentia. Hæc tamen quæstio, quia nimis vniuersalis est, sæpè sæpiùs in multas alias dissecari solet per quas speciatim solet inquiri de singulis causis, de singulisque effectibus obiecti, de aliisque, quæ ad ipsum pertinent singillatim, provt ratio postulat. 277

QVÆST

QVÆSTIO VIII.

Quid sit propositio per se nota. Quid nota per aliud. Quotuplex. Et qualis?

278 QVæstio hæc dumtaxat agit de propositione obiectiuâ, non item de formali: quia sola propositio obiectiua est, quæ per se, vel per aliud nota, siue noscibilis dicenda venit. Ea autem propositio obiectiua dicitur per se nota, siue immediata, quæ ex terminis ipsis semel conceptis, siue apprehensis citra discursum est iudicabilis, atque adeò scibilis. Ea verò per aliud nota, siue mediata, quæ ex alio quopiam priùs iudicato medio discursu est inferibilis, atque ita iudicabilis, & scibilis. Quoniam autem propositio obiectiua non solùm euidenter, sed sæpè etiam probabiliter tantùm, sæpè etiam improbabiliter ex ipsis terminis est iudicabilis, atque iudicatur de facto, vt cernitur in scientiis, & facultatibus, aliisque notitiis humanis, quæ non solùm ex euidentibus, sed ex probabilibus, aut etiam improbabilibus principiis ex terminis, & citra discursum iudicatis procedunt. Ideò propositio per se nota non solùm euidens; sed probabilis, atque etiam improbabilis esse esse potest; tametsi vulgò sola, quæ est euidens, soleat vocari per se nota. Sed prorsùs abs iure, quando tot facultatum probabilium, discursuumque improbabilium principia per se nota sunt, vt experimur. Quoniam item sæpè contingit, vt eadem propositio obiectiua & sit ex terminis ipsis per se iudicabilis, & ex alio priùs iudicato, vtpotè cum illâ connexo iudicari etiam possit medio discursu. Ideò sæpè contingit, vt eadem propositio obiectiua & per se, & per aliud sit nota, siue noscibilis, quidquid nonnulli contradicant. Esse quippe propositionem per se, aut per aliud notam, & esse per se, aut per aliud noscibilem, pro eodem accipitur in præsenti.

279 Cúmque propositio obiectiua respectiuè ad intellectum, per quem est ex ipsis terminis iudicabilis per se nota, siue noscibilis dicatur consequens est, vt propositio obiectiua, quæ comparatione vnius intellectus per se nota, siue per se noscibilis est, comparatione alterius talis non sit, eo quòd primus suâ perspicacitate, & acumine terminorum penetrat conuenientiam, aut repugnantiam, quam secundus ob suam hebetudinem, aut ruditatem nón assequitur. Vnde fit, vt sæpè comparatione sapientis, & ingeniosi sit per se nota, siue noscibilis propositio, quæ comparatione rudis, aut idiotæ talis non est. Quô rursùs fit, vt quò quis perspicacior, aut magis exculti intellectus est, eò plures sint relatè ad ipsum propositiones per se notæ. Quemadmodum, eò etiam sunt plures propositiones euidentes iuxta doctrinam traditam *suprà disput. 4.* Nihilominus, sicut non dicitur propositio euidens absolutè, & simpliciter, quæ vni, vel alteri intellectui est talis; sed tantùm, quæ vel omnibus communiter, vel plerisque, vt ibi notauimus, ita non dicitur propositio per se nota absolutè, & simpliciter, quæ comparatione vnius, aut alterius intellectus talis est; sed tantùm, quæ comparatione omnium communiter, aut ferè omnium, aut saltem plurimorum.

280 Id, quod itidem venit dicendum de propositione notâ per aliud. Nam, & hæc respectiuè ad intellectum, à quo per aliud est iudicabilis, dicitur talis; atque ita sæpè contingit, vt propositio, quæ comparatione vnius intellectus per aliud priùs cognitum noscibilis est, non sit talis comparatione alterius. Quod ex duplici capite nasci potest: vel, quòd hic penetrare, atque adeo iudicare non potest illud aliud, per quod propositio erat noscenda, vel, quia estò illud iudicet, eius connexionem cum propositione penetrare, ac deprehendere non valet. Duo quippe præsciri debent, vt propositio per aliud noscibilis, medio discursu noscatur, & iudicetur iuxta doctrinam latiùs traditam *suprà disput. 2. quæst. 5.* primum antecedens illud, ex quo priùs iudicato, est inferenda propositio obiectiua, quæ propterea consequens dicitur. Secundum connexio ipsiùs antecedentis cum ipsâ propositione consequente. Fieri autem potest, vt talis propositio per tale antecedens non sit noscibilis respectu alicuius intellectus, vel quia vtrumque, vel quia alterum tantùm ex duobus dictis prænoscendis noscibile ab ipso non est; cùm tamen respectu alterius intellectus valentis vtrumque prænoscere noscibilis sit.

Vnde obiter colliges primò: quandò propositio obiectiua per aliud medio discursu noscitur, semper, aut plerumque saltem, interuenire aliquid notum per se ex terminis ipsis, etiam cùm illud aliud non per se, sed per priùs aliud notum est, nimirùm, connexionem cum ipsâ propositione illiusmet, ex quo ipsa immediatè infertur. Ex duobus enim, quæ prænosci debent, vt dicebamus, ad inferendum quoduis consequens ex antecedente immediato, nempe antecedens ipsum, & connexio eius cum consequente, connexio, aut semper, aut plerumque saltem cognoscitur ex terminis ipsis, etiam quando antecedens per aliud priùs notum est. Cùm enim quis per longam ratiocinationem ex A iudicato ex terminis infert B. & ex B illato ex A, infert C, & ex C illato ex B, infert D, & ita deinceps, etsi B iudicetur per A priùs iudicatum, & C per B, & D per C, &c. connexiones tamen B cum C, & C cum D & communiter iudicantur ex terminis. Dico *communiter*: quia fieri potest, vt B formaliter provt connexum cum C inferatur ex A, & C similiter ex B, & D ex C. quo casu etiam connexiones erunt iudicatæ per aliud, & non ex terminis. Hoc tamen rarò contingit, vel, quia, dum infertur B ex A ad connexionem, quam habet B cum C non attenditur; sed tantùm, quando progreditur intellectus ad inferendum ex B. C. & in sequentibus pariter. Vel quia A, re verâ non connectitur immediatè cum B formaliter, provt connexo cum C, nec B cum C, nec C cum D, atque adeò nec B est inferibilis ex A formaliter provt connexum, cum C, nec C ex B, nec D ex C similiter, ac proinde tantùm ex ipsis terminis noscibiles sunt connexiones istæ. 281

Vnde secundò colliges. Quidquid requiritur, aut conducit ad benè iudicandum ex terminis propositiones per se notas, etiam requiri, & conducere ad benè discurrendum pro iudicandis etiam propositionibus notis per aliud; siquidem, inter discurrendum connexiones, quibus subnititur discursus, ordinariè iudicantur ex solis terminis, & sæpè non sunt aliter iudicabiles, vt vidimus. 282

Et quoniam iudicia habita ex terminis propositionis obiectiuæ citra discursum ex præuiis simplicibus apprehensionibus ipsorum terminorum nascuntur saltem vt ex quibusdam conditionibus 283

propo

proponentibus, atque adeò veluti approximantibus intellectui terminos ipsos, vt constat ex doctrinâ suprà statutâ *disput. 2. quæst. 4.* sæpè fit, vt propter prauam, & confusam terminorum apprehensionem non possit propositio ex terminis ab intellectu iudicari, quæ alias iudicaretur, si termini ipsi meliùs, & clariùs, distinctiúsve apprehenderentur. Vndè, sequuntur duo. Primum, attentam terminorum considerationem, intentamque apprehensionem multùm conferre ad iudicandam ex terminis propositionem. Secundum, idoneitatem intellectus, atque etiam imaginationis (quâ ille iuuatur) ad probè apprehendendos terminos propositionum obiectiuarum apprimè conducere ad illas ex terminis iudicandas. Quæ etiam duo consequenter conducunt ad discurrendum, & medio discursu iudicandas etiam propositiones per aliud notas, iuxta dicta *num. præcedent.* Vnde rursùs efficitur, vt, qui facilem, & promptam imaginationem habent, aptiores sint ad scientias illas comparandas, quæ plùs, quàm aliæ ab imaginatione dependent, vt sunt Mathematicæ, & similes.

284 Sed dubitari hic potest: vtrum comparatione cognoscentium, seu iudicantium intuitiuè, siue per proprias species, sint etiam possibiles propositiones obiectiuæ per se, & per aliud notæ, vt sunt comparatione iudicantium per species alienas, qualiter nos iudicamus pro statu præsenti? Respondeo, possibiles esse. Et quidem de propositionibus per se notis est certum: quia pleraque saltem eorum, quæ Angeli, & animæ separatæ naturaliter cognoscunt per proprias species, per se immediatè, & citra discursum ab eis iudicantur per ipsamet intuitiuam cognitionem, quâ ab eis cognoscuntur, vt traditur à Theologis in materiâ de Angelis: imò verò nulla videtur esse possibilis veritas obiectiua, quæ saltem supernaturaliter, non sit per se noscibilis, ac iudicabilis intuitiuè ab intellectu Angelico, aut etiam humano; quandoquidem, veritas increata, & infinita Dei per visionem beatificam ita ab vtroque noscibilis, atque iudicabilis est. Vnde, loquendo supernaturaliter, omnis veritas obiectiua comparatione intellectus Angelici, atque etiam humani, per se nota, siue noscibilis esse videtur intuitiuè. Loquendo verò naturaliter, possibiles aliquas esse, quæ non per se, sed per aliud tantùm sint intuitiuè cognoscibiles ab iis, qui intuitiuè cognoscunt, inde probatur: Quia nihil est, quod vetet, dari in intellectu speciem propriam obiecti B, talis naturæ, vt nequeat causare naturaliter iudicium intuitiuum eius, quousque iuuetur præuio, & intuitiuo iudicio de obiecto A, provt connexo cum ipso B, eo tamen adiuta causet. Quo casu talis intellectus per discursum quemdam intuitiuum inferet obiectum B ex obiecto A, eritque comparatione eius obiectum B non per se; sed per aliud notum, siue noscibile intuitiuè. Ex quo patet, quænam propositiones, seu veritates obiectiuæ comparatione intuentium per se, & per aliud notæ esse possint. Et quâ ratione.

285 Sequitur nunc, vt specialiùs determinemus, quænam propositiones sint per se notæ, & quænam per aliud comparatione nostri intellectus cognoscentis pro hoc statu per species alienas. Pro quo suppono, duplicem illum modum *quæst. præcedent.* commemoratum, quem habemus iudicandi de rebus penes duplicem earum statum quiditatiuum, & existentialem, duplexque genus veritatum obiectiuarum, quas illæ habent, provt in talibus duobus statibus, iuxta dicta fusiùs *suprà disput. 10.* Inter quas, quod ad rem attinet, hoc est discrimen. Quòd veritates quiditatiuæ tam absolutæ, quàm conditionatæ; atque adeò propositiones obiectiuæ ab eis indistinctæ, omnes sunt Metaphysicè necessariæ; atque ita prædicatum inseparabile est à subiecto, subiectumque subinde cum illo connexum Metaphysicè est; in absolutis quidem absolutè; in conditionatis verò conditionatè, siue ex hypothesi conditionis, vt: *Homo est rationalis. Si Angelus esset homo, esset risibilis.* Inter veritates autem, siue propositiones obiectiuas existentiales, aliæ sunt omni modo contingentes, quia prædicatum subiecto est contingens, subiectumque subinde cum illo non est connexum, neque absolutè in absolutis, neque ex hypothesi conditionis in conditionatis, vt: *Petrus legit. Si Petrus vocaretur, responderet.* Aliæ verò licet absolutè sint contingentes, quando pertinent ad res creatas, ex suppositione tamen vel absolutâ, vel hypotheticâ subiecti, alteriusve conditionis, seu circumstantiæ subiecto adiunctæ necessariæ sunt, quia, tali suppositione factâ, prædicatum inseparabile est à subiecto, subiectumque cum illo connexum est, idque, aut Metaphysicâ, aut Physicâ, aut Morali connexione, vt: *Petrus existens est risibilis. Ignis calefacit. Mater diligit filium. Si Petrus existeret, esset risibilis. Si ignis applicaretur ligno, illud calefaceret. Si mater haberet filium, illum diligeret.* Ex quibus apparet, ad duas classes reduci posse propositiones obiectiuas tum affirmatiuas, seu positiuas, tum etiam negatiuas. Primam earum, quæ sunt de prædicato contingente subiecto, quæ omnes pertinent ad statum existentialem. Secundam earum, quæ sunt de prædicato necessario subiecto. Ex quibus aliæ ad statum rerum quiditatiuum; aliæ ad statum existentialem spectant. Et ad primam quidem classem pertinent omnes illæ, quæ de creaturis quibusuis possibilibus prædicant, quòd existunt, vel, quòd non existunt, vt constat. His ita positis, sit

Propositio 1.

Inter propositiones affirmatiuas de prædicato 286
necessario subiecto, tum conditionales, tum absolutas spectantes ad statum rerum quiditatiuum multæ sunt per se notæ comparatione nostri intellectus pro statu præsenti.

Hæc propositio certissima est, & traditur ab Arist. *lib. 1. Post. cap. 3.* ab omnibusque post ipsum Philosophis, atque Theologis. Indeque ostenditur: quia omnia principia affirmatiua scientiarum agentium de rebus, provt in statu quiditatiuo, quales sunt pleraque humanæ, propositiones sunt huius generis per se notæ, eæque, vel euidentes, vel tantùm probabiles, vel etiam interdum improbabiles. Dari autem in omnibus scientiis humanis principia per se nota, & experientia manifestat, & ratio demonstrat: quia omnis humanus discursus ab aliquo, aut aliquibus iudiciis inchoari necesse est, Qui ex vnâ parte erunt primi, atque adeò ab aliis prioribus non oriundi; ex aliâ verò (cum nequeat à nobis pro libito, absque fundamento concipi, vt constat ex dictis *disp. 6. & 7.*) in ipsis terminis apprehensis propositionum obiectiuarum, quas iudicant, erunt fundati. Quod ipsum est, eas esse propositiones per se notas, siue per se noscibiles.

Fundamentum autem, quo noster intellectus 287
nititur

nititur ad iudicandam ex terminis propositionem affirmatiuâ ad statum rerum quiditatiuũ pertinentẽ, cõnexio est inter subiectum, & prædicatũ, quæ, semel ipsis apprehensis, per se se prodit intellectui, illũque inducit ad iudicãdum tale subiectum de suo necessariò ferre secum tale prædicatũ, siue tale prædicatũ de suo necessariò conuenire tali subiecto. Sic, semel apprehensis his terminis *totum*, *maius*, & *pars*, confestim iudicamus, *totum est maius suâ parte*: quia nobis per tales apprehensiones se detegit, totum de suo, sine eo quòd sit maius suâ parte stare non posse. Similiter, apprehensis semel his terminis, *Peccatum*, *dignitas*, & *pœna*, statim iudicamus, *peccatum est dignum pœna*; & in cæteris pariter. Quoties autem propositio absoluta pertinens ad statum quiditatiuum est per se nota, etiam conditionata ei correspondens est per se nota, vt: *Si Angelus esset totum, esset maius suâ parte. Si aliquid fuerit peccatum, erit dignum pœnâ.*

Propositio 2.

288 Vt propositio affirmatiua de prædicato necessario spectans ad statum quiditatiuum sit per se nota, connexio subiecti eius cum prædicato omninò debet esse immediata.

Ratio est in promptu: quia, si sit mediata, propositio non per se; sed per id, quod mediat, erit noscibilis. Itaque sit A connexum cum B, & B cum C, & C cum D, coalescatque propositio ex A, & D, vt ex subiecto, & prædicato. Hæc certè propositio per se nota non erit: quia connexio, quam habent termini eius A, D eo ipso, quod est mediata ex ipsis terminis apprehensis ab intellectu deprehendi non potest. Cùm enim A non sit per se, & de suo connexum cum D, nisi, quatenus est connexum cum B connexo cum C connexo cum D, sciri ab intellectu non potest, A esse connexum cum D, nisi præsciatur ab ipso, A esse connexum cum B, & B cum C, & C cum D. hoc autem ipsum est, propositionem coalescentem ex A, & D non per se, & immediatè, sed per aliud, & mediatè noscibilem esse.

Propositio 3.

289 Ex propositionibus affirmatiuis de prædicato necessario spectantibus ad statum rerum quiditatiuum eas dumtaxat per se nota esse potest, cuius prædicatum aut est essentiale subiecto, aut passio subiecti immediata. Reliquæ verò de passionibus mediatis non item.

Quia in illis prioribus dumtaxat, non item in his posterioribus est immediata connexio subiecti cum prædicato, proût ad propositionem per se notam, de quâ tractamus, est requisitum, iuxta *propos.* 2. Prædicata enim subiecto essentialia ea sunt, quæ vel totam essentiam, vel partem essentiæ subiecti dicunt. Prima autem passio subiecti est prædicatum aliquid adiiciens essentiæ subiecti, cum quo illud immediatè connexum est, iuxta diuisionem prædicatorum traditam *suprà disput. 17. q. 7.* Constat autem, subiectum cum essentiâ suâ, siue totali, siue partiali immediatè connexum esse, & cum quâlibet immediatâ suâ passione, cùm supponatur, eas subiecti passiones dici immediatas, cum quibus subiectum immediatè connexum est.

290 Vnde constat, eas omnes propositiones per se notas esse, quæ prædicant de subiecto vel speciem, vel genus, vel differentiam, vel prædicatum anonymum, vel mixtum, quæ sunt prædicata essentialia, eaque, vel Metaphysica, vel Physica. Necnon, quæ prædicant passiones immediatas subiecti vel communes, vel proprias, aut Physicas etiam, aut Metaphysicas iuxta dicta *ibid.*

Propositio 4.

Propositiones affirmatiuæ de prædicato contin- 291
gente subiecto per se notæ esse non possunt, nisi comparatione intellectus, qui assequitur illas per experimentalem notitiam, atque adeò mediâ aliquâ ipsarum specie propriâ interueniente.

Omni enim specie propriâ, & experientiâ seclusâ, nulla affirmatiua propositio potest à nobis ex ipsis terminis iudicari, nisi vi connexionis inter subiectum, & prædicatum repertæ inducatur intellectus noster ad eam iudicandam iuxta dicta in *propositionibus præcedentibus.* Vbi autem prædicatum subiecto est contingens, nulla connexio reperitur inter subiectum & prædicatum, vt constat. Ob id nemo scire potest, rem aliquam contingentem existere ex vi præcisè apprehendendi illam, & existentiam eius, nisi, vel ipsam experiatur, vel ex alieno testimonio, aut alio fundamento cum eâ connexo priùs noto, ad ipsius notitiam perueniat, vt est notissimum; alioquin, cùm quamlibet rem, proût existentem possimus pro libito apprehendere, de quâlibet pro libito possemus scire, vtrum existat, vel non existat. Quod est absurdum. Adde apprehensiones rei, & existentiæ eius ab experientiâ talis rei non oriundæ æquè esse indifferentes ad negandum, atque ad affirmandum, ipsam existere, vt etiam est notum. In quo differunt ab apprehensionibus rei, & prædicati necessarij eius vt talis, quæ de se ad illius affirmationem determinant, neque cum negatione possunt componi.

Iam de rebus, quæ sub experientiam cadunt me- 292
diis speciebus propriis, quas de se imprimunt, vt sunt omnia accidentia sensibilia, & actus nostrarum potentiarum intentionalium, iuxta dicta *disp.* 1. *q.* 2. alia ratio est. Multæ enim propositiones ad illas spectantes iudicantur ex ipsis terminis prout per apprehensiones experimentales apprehensis; atque ita per se notæ sunt comparatione intellectus tales res experientis, quantumuis sint de prædicato contingente subiecto: huiusmodi enim experimentales apprehensiones, vtpote ab speciebus propriis talium rerum oriundæ vim habent suapte naturâ ad procreanda per se immediatè talium propositionum iudicia. De quo nullum est dubium. Sic enim omnes ex terminis, & citra discursum iudicamus ea, quæ sentimus, existere, tum esse inter se similia, vel dissimilia, esse inter se distincta, vel loco dissita. Sic iudicamus de corporibus, quæ cernimus, esse alba, vel nigra, vel alterius coloris, formosa, vel fœda, magna, vel parua, æqualia, vel inæqualia, &c. Sic de iis, quæ tangimus, esse calida, vel frigida, sicca, vel humida, lenia, vel aspera, grauia, vel leuia, &c. Paritérque de innumeris aliis, quæ sub sensus nostros, aut aliter sub nostram experientiam cadunt.

Propositio 5.

Ex propositionibus affirmatiuis absolutis, seu 293
categoricis de prædicato contingente multæ sunt passim per se notæ. Ex hypotheticis verò de simili prædicato nullæ.

Prima

Prima propositionis pars ex dictis in præcedente constat. Ibi enim vidimus innumeras propositiones categoricas de prædicato contingente passim à nobis ex terminis ipsis iudicari circa res, quæ passim cadunt sub experientiam nostram.

Secunda autem pars inde ostenditur: quia propositio conditionata de prædicato contingente nec potest iudicari ex terminis vi connexionis repertæ inter subiectum, & prædicatum ex hypothesi conditionis: quia nulla talis connexio datur, alioquin non esset prædicatum ex tali hypothesi omninò contingens subiecto, vti supponimus. Nec potest iudicari ex terminis vi alicuius experientiæ, sub quam ea cadat. Quia nihil, provt conditionatè existens, potest sub experientiam cadere. Alius autem modus non est, quo possit aliqua propositio per se nota esse, vt constat ex dictis. Porrò, nihil provt conditionatè existens posse sub experientiam cadere, imprimis à priori monstratur: quia potentiæ experientes nihil non existens absolutè possunt percipere, cum à non existente absolutè nequeant recipere species, quibus illud sunt percepturæ, vt constat: sed neque per species receptas ab existentibus absolutè possunt percipere illa provt existentia tantùm conditionatè: quia nec tales species illa sic valent repræsentare, nec tales potentiæ actus ex parte obiecti conditionatos virtute talium specierum valent concipere, cùm pro absolutis tantùm dentur à naturâ obiectorum, vt etiam est notum. Deinde, id etiam ostenditur ab ipsâ experientiâ: quia nemo hactenùs expertus est quidpiam provt conditionatè existens præcisè, vt cunctis satis, superque compertum est, & manifestum.

Propositio 6.

294 Propositiones affirmatiuæ per se notæ de prædicato contingente de præsente, aut de præterito possunt esse. De futuro verò nequaquam.

Quòd possint esse de præsente constat ex dictis *propositione* 4. omnes enim propositiones per se notæ de prædicato contingente *ibi* commemoratæ de præsente sunt. Quòd autem possint etiam esse de præterito ipsa experientia manifestat. Passim enim per species memoratiuas in memoriâ asseruatas recordamur præteritorum; atque ita ex ipsis terminis iudicamus, tum nos illa anteà cognouisse, quod omninò contingens fuit, tum etiam illa anteà extitisse, quod etiam fuit omninò contingens, quando illa ex eorum genere sunt, quæ tunc à nobis experimentaliter, atque adeò ex terminis ipsis cognita fuere. Species quippe memoratiua relicta ex cognitione præteritâ obiecti experimentaliter noti, & cognitionem, & obiectum ipsum valet ex terminis notificare: quia vtriusque est species propria suo modo; à cognitione scilicet causatâ immediatè, ab obiecto autem mediâ specie propriâ, quam ipsum impressit potentiæ experienti.

295 Quod dubitari hic potest est. An species memoratiuæ præteritorum, quæ anteà non ex terminis ipsis; sed per discursum nouimus, siue ea fuerint contingentia, siue necessaria, valeant ipsa notificare ex ipsis terminis vt præterita? Cui dubitationi respondeo primò, certum esse, tales species valere ex terminis notificare ipsas præteritas, & contingentes cognitiones, quarum species propriæ sunt. Vt minimùm enim iudicamus ex ipsis terminis, nos tales cognitiones habuisse, cùm primùm in recordationem earum, & consequenter suorum obiectorum incidimus. Necessarium quippe est, vniuersaliter loquendo, vt primum iudicium, quod intellectus noster concipit in quouis negotio ex solis apprehensionibus terminorum propositionis iudicatæ nascatur, cùm non præcesserit aliud iudicium, vnde illud tunc possit nasci, atque adeò, quòd sit iudicium talis propositionis ex solis ipsius terminis, ac subinde, quòd propositio ipsa sit per se nota. Secundò respondeo. Quando propositio per cognitionem præteritam iudicata non est per se ex solis suis terminis noscibilis, vt non potuit ex solis suis terminis; sed per aliud prius notum ante à iudicio præterito iudicari, ita non posse posteà iudicio memoratiuo iudicari ex solis suis terminis; sed tantùm per aliud prius iudicatum, siue hoc sit id ipsum, per quod anteà fuit iudicata, siue sit, vti frequentiùs euenit, iudicium præteritum, quod ob connexionem saltem moralem, quam habet cum suo obiecto semel per se iudicatum fundamentum sufficiens præbet ad inferendum, & iudicandum ipsum obiectum. Sic dum obliti demonstrationis meminimus nos, propositionem aliquam anteà demonstrasse, inde euidenter inferimus, eam esse veram: quia euidenter scimus per iudicium memoratiuum ex ipsis terminis conceptum, nos anteà de illâ iudicium euidens habuisse. Similitérque sæpè euenit in aliis casibus. Respondeo tertiò: euenire item posse, sæpéque etiam fortasse de facto euenire, vt per iudicium memoratiuum citra discursum, atque adeò ex ipsis terminis iudicemus, propositionem anteà cognitam, quæcunque ea sit, vt coniunctam cum iudicio eius præterito, tanquam cum quodam syncategoremate reddente eam per se noscibilem, vti quoduis antecedens reddere quoduis consequens potest per se noscibile, si vt quoddam syncategorema coniungatur cum illo iuxta, iuxta doctrinam statuendam *propositione* 7.

Iam verò nullam propositionem per se notam 296
de prædicato contingente posse esse de futuro, quæ est vltima pars propositionis, inde monstratur: quia propositio de prædicato contingente aliunde quàm media experientia, vel præsente, vel præterita per se nota esse nequit, vt constat ex dictis. Id autem, quod est futurum, quâ tale, sub experientiam cadere nequit, vt satis ex se est notum.

Propositio 7.

Propositio affirmatiua, quæ ex terminis catego- 297
rematicis non est per se nota, adiuncto aliquo syncategoremate, in per se notam transire potest.

Quod fiet, si subiecto propositionis aliàs non per se notæ, adiungatur syncategorema cum prædicato eius connexum immediatè, propositio enim, quæ resultabit integrum subiectum habebit connexum immediatè cum prædicato propter tale syncategorema inclusum in ipso, atque ita per se nota euadet, iuxta doctrinam statutam *propos.* 1. & 2. sic propositio, in quâ passio mediata prædicatur de essentiâ, ac proinde non est per se nota iuxta *propos.* 3. in per se notam transit, si passio immediata adiungatur, vt syncategorema subiecti. Et vniuersim omnis propositio aliàs mediata in immediatam transit, si termini omnes intermedij adiuncti subiecto syncategoremata sint eius.

Vt tamè doctrina hæc, quæ vniuersalis est & cer- 298
ta specialiùs, & clariùs constet, ex aliâ latè exposita

suprà disp. 2. q. 4. conclar. 5. est supponendum. Quoties intellectus noster per iudicium expressè, & formaliter affirmat actum obiectiuum significabilem per verbum (quod propositionis obiectiuæ potissimum prædicatum est) provt connotantem terminos alios, siue, provt, subest illis, non posse non eum tacitè simul, seu virtualiter affirmare terminos ipsos, quâ ratione sunt connotati, nempe quoad *esse* eorum quiditatiuum, si connotantur, provt in statu quiditatiuo, aut quoad *esse* eorum existentiale, si connotantur, provt in statu existentiali. Quoties verò intellectus noster eiusmodi actum negat expressè, & formaliter per iudicium, necesse non esse, quòd neget tacitè, seu virtualiter terminos connotatos per illum. Ratio conspicua vtriusque est. Quia, vt actus habeat *esse* connotans alios terminos, euidenter est necessarium, quòd & ipsi termini habeant *esse* connotatum per actum, vt verò actus non habeat *esse* connotans alios terminos euidenter non est necesse, quòd & ipsi termini non habeant *esse* connotatum per actum, cùm euidenter sit sufficiens, quòd solus actus non habeat *esse*. Euidens quippe est, vt sit totum, debere esse omnes omnes partes; vt verò desit, sufficere, quòd desit vna. Atque ita affirmatio expressa de actû provt connotante alios terminos necessariò est quoque affirmatio tacita saltem de ipsis terminis, cùm tamen negatio expressa de actû, provt connotante alios terminos, negatio adhuc tacita de ipsis terminis necessariò non sit.

299 Hinc sequitur primò. Quoties ex parte subiecti, vel prædicati propositionis affirmatiuę ponitur aliquod syncategorema, quod eo ipso est connotatum actûs obiectiui talis propositionis, non posse non per expressam affirmationem huiusmodi actûs tacitè simul ipsum syncategorema affirmari, quâ ratione per ipsum actum connotatum est. Atque adeò neutiquam posse intellectum tali propositioni assentiri, nisi habeat simul fundamenta ad affirmandum tum actum, tum syncategorema, provt connotatum per ipsum; cùm tamen, etsi ex parte subiecti, vel prædicati propositionis negatiuæ ponatur quoduis syncategorema, vt connotatum actûs obiectiui per talem propositionem negati, opus non sit, quòd negatio talis actûs expressa simul negatio ipsius syncategorematis sit, & multò minùs, quòd sit affirmatio tacita eius, & consequenter, neque sit necessarium ad hoc vt intellectus neget talem propositionem, quòd fundamentum vllum habeat ad negandum, vel affirmandum syncategorema, dum habeat ad negandum actum: Imò neque eget fundamento ad negandum determinatè actum, dum habeat ad negandum syncategorema, vel actum sub disiunctione; siquidem, quouis deficiente, deficeret actus, provt connotans syncategorema, quod solum exposcit iudicium negans dictam propositionem.

300 Vnde secundò sequitur. Quod dictum est de syncategoremate posito ex parte subiecti, vel prædicati propositionis, eodem modo habere locum in ipso subiecto categorematico, siue directo propositionis. Nam & hoc connotatur per actum significabilem per verbum, in quem potissimùm tendit iudicium affirmatiuum, aut negatiuum, provt latiùs etiam *loco citato* explicatum est.

301 Quæ cùm ita sint, iam pro re nostrâ sequitur tertiò. Ad hoc vt propositio affirmatiua sit per se nota tatione syncategorematis adiuncti ex parte subiecti, ipsum syncategorema omninò debere esse per se notum siue noscibile; alioquin non præbebit propositio per se fundamentum sufficiens ad iudicandum ipsam ex terminis; sed forinsecùs erit quærendum. Itaque, quia iudicium huius propositionis: *Homo admiratiuus est risibilis* affirmans expressè, hominem esse risibilem, tacitè affirmat, hominem esse admiratiuum, vt sit ex terminis iudicabilis non solùm debet esse per se notum, admiratiuum esse risibile: sed etiam hominem esse admiratiuum. Similitérque, quia iudicium huius propositionis: *Causa fumi existentis existit* ita expressè affirmat, causam fumi existere, vt tacitè affirmet, existere fumum, vt sit ex terminis iudicabilis, non solùm debet esse per se notum, suppositâ existentiâ fumi, existere eius causam; sed etiam, existere ipsum fumum. Quod autem dictum est de syncategoremate subiecti directi eodem modo locum habet in ipso subiecto, consentaneè ad doctrinam traditam *num. præced.* Atque ita, vt hæc propositio ex terminis iudicabilis sit: *Ignis calefacit lignum*, tria per se nota esse debent, nempe *ignem existere*, *lignum existere*, & *calefactionem existere*. Iudicium siquidem expressum de calefactione provt existente, quo pacto ea duo extrema connotat, provt existentia, tacitum eorumdem extremorum provt existentium debet esse iudicium. Similiter, vt hæc propositio sit ex terminis iudicabilis: *Homo est admiratiuus*, tria per se nota esse debent, nempe identitas inter hominem, & admiratiuum expressè iudicanda, quam significat verbum *est*, & quiditas amborum extremorum iudicanda tacitè, vtpotè connotata per ipsam identitatem. Est tamen discrimen inter propositiones pertinentes ad statum quiditatiuum, & pertinentes ad existentialem, quòd in illis quiditas terminorum, quæ connotatur per actum semper est per se nota: quia nihil per se notius, quàm vnumquodque esse id, quod ex suo conceptu est. In his verò existentia terminorum, quæ connotatur per actum, non semper per se nota est; atque adeò hæ defectû solius notorietatis terminorum connotatorum per actum possunt non esse per se notæ; illæ verò secùs.

Quartò sequitur ex dictis. Quemuis discursum nostrum, præsertim simplicem, aut breuem ad iudicium ipsi æquiualens reduci posse. Id enim fiet, si antecedens discursûs iunctum consequenti, vt quoddam eius syncategorema, integram propositionem cum illo componat, per vnum iudicium iudicabilem expressè affirmans actum significabilem verbum, qui prædicatum potissimum est consequentis, & tacitè cæteros terminos per talem actum connotatos. Exempli gratia, hoc iudicium: *Causa fumi existentis existit* huic discursui æquiualens est: *Fumus existit: ergo causa eius existit:* & hoc iudicium: *Homo admiratiuus est risibilis* huic discursui: *Homo est admiratiuus: ergo est risibilis.* Dixi autem *præsertim simplicem, aut breuem.* Quia, si discursus est complexus, & longus ob multitudinem illationum, ex quibus coalescit, etiamsi ad vnam propositionem obiectiuam reduci possit, ea tamen talis erit, quæ ob longitudinem, & multitudinem terminorum non facilè sub vnicum iudicium nostrum cadere possit. Non tamen obstabit, quominùs possit, si discursui complexo ex tribus, aut quatuor tantùm, aut paulò pluribus simplicibus composito æquiualens sit, vt hæc: *Deus habens esse à se, æternus à parte antè, necessarius in existendo, vnicus, & cæterorum entium causa est*, huic discursui complexo æquiualens:

302

Deus

Deus est habens esse à se: ergo est æternus à parte ante: ergo est necessarius in existendo: ergo est unicus: ergo est cæterorum entium causa.

303 Quintò sequitur. Vt propositio æquivalens discursui simplici sit per se nota, debere omninò antecedens discursus in ipsâ pro syncategorematè positum per se notum esse, iuxta dicta *num.* 301. vt verò sit per se nota, quæ æquivalet discursui complexo, debere per se notum esse antecedens primum, à quo erat exordiendus discursus, & vltimum immediatè connexum cum prædicato consequentis, quidquid sit de cæteris intermediis. Nam alioquin, non erit propositio ex eiusmodi antecedentibus ad formam syncategorematum reductis composita ex solis terminis sibi intrinsecis iudicabilis, vt constat ex dictis. Et hæc de propositionibus affirmatiuis, seu positiuis dicta sunto Quid verò circa negatiuas ex dictis etiam sit inferendum postea subiiciam, cùm de illis speciatim sermo sit.

Propositio 8.

304 Inter propositiones affirmatiuas existentiales de prædicato necessario subiecto ex vi dumtaxat connexionis subiecti cum prædicato, & citra omnem experientiam multæ conditionatæ, seu hypotheticæ sunt per se notæ; absolutæ verò, seu categoricæ prorsùs nullæ.

Ratio prioris partis propositionis conspicua est. Quia, vt intellectus ponat in hypothesi quamlibet conditionem, nullo indiget fundamento, fit enim hypothesis per simplicem apprehensionem pro solo arbitratu voluntatis à nobis conceptibilem, vt est notissimum. Quoties autem ex hypothesi semel factâ, subiectum propositionis cum prædicato apparet immediatè connexum, nihil desideratur, quominùs talis propositio sub tali hypothesi sit ex terminis iudicabilis. At multæ dantur propositiones existentiales huiusmodi, vt patet in his: *Si peccauerit homo, reus erit supplicij: Si extiterit productio, existet terminus productus: Si Petrus curreret, moueretur: Si Sol luceret, dies esset,* aliisque huiusmodi sexcentis. Ergo inter propositiones existentiales de prædicato necessario multæ per se notæ dantur conditionatæ, seu hypotheticæ. Quod erat probandum.

305 Posterioris autem partis propositionis non minùs est manifesta ratio. Quam, vt exhibeam, suppono primò: nullam veritatem quiditatiuam cum aliquâ veritate existentiali connexam esse connexione immediatâ, & à nobis per se noscibili. Quia nulla veritas quiditatiua cum aliquâ veritate existentiali creata connexa est vllâ connexione provt demonstrauimus *disputatione 14. quæstione quarta:* Siquidem omnis veritas quiditatiua est necessaria, & omnis existentialis creata est contingens, necessarium autem cum contingente connecti repugnat, vt est notum Et connexio, quam cum existentiâ diuinâ habet quiditas Dei, atque etiam quiditas aliarum rerum aut non est immediata, aut non est à nobis per se noscibilis pro statû præsenti vt *suo loco* ostendemus. Suppono secundò ex dictis nullam propositionem comparatione nostri per se notam esse, nisi, quæ, vel cadit sub experientiam nostram, vel habet subiectum connexum immediatè cum prædicato connexione per se à nobis noscibili.

306 Quibus suppositis, formo iam sic rationem. Nulla est propositio affirmatiua absoluta, seu categorica existentialis de prædicato necessario ad creaturam pertinens, quæ non supponat, suum subiectum absolutè existere: tum, quia actus absolutè existens ex parte prædicati positus, & per verbum significatus, non potest non connotare suum subiectum, provt absolutè existens, vt constat: tum, quia subiectum nequit absolutè esse, vt est, in tali propositione, connexum cum prædicato, provt existente, nisi quoad suam absolutam existentiam; siquidem, quoad suam absolutam quiditatem esse connexum cum illo nequit, iuxta suppositionem primam. Ergo nulla eiusmodi propositio iudicari potest, quin tacitè saltem iudicetur; subiectum eius absolutè existere, iuxta doctrinam statutam *propos.* 7. Hæc certa. Pergo. At nequit citra experientiam iudicari per se, & ex terminis de subiecto, quod absolutè existit: quia id esset iudicare ex terminis citra experientiam propositionem de prædicato contingente subiecto contra *propos.* 4. Ergo nulla ex prædictis propositionibus ad creaturam spectans citra experientiam est ex terminis iudicabilis; sed neque propositio eiusmodi spectans ad Deum est à nobis ex terminis iudicabilis iuxta suppositionem primam. Ergo nulla prorsùs talium propositionum citra experientiam est per se nota comparatione nostri. Quod erat probandum. Itaque, quamvis ignis naturaliter cum productione caloris connexus est, hæc propositio: *Ignis producit calorem* non est per se nota, nisi comparatione experientis, ignem existere. Et in cæteris pariter.

Et hæc quidem de propositionibus per se no- 308
tis affirmatiuis, seu positiuis hactenus dicta sunt. Supereſt modò, vt etiam de negatiuis speciatim dicamus.

Propositio 9.

Inter propositiones negatiuas tum conditiona- 309
tas, tum absolutas spectantes ad statum rerum quiditatiuum multæ sunt per se notæ.

Illæ omnes nimirum, quarum subiectum cum termino, quod de illo negatur, oppositionem immediatam intra ipsum statum quiditatiuum, atque per se noscibilem habent, vt sunt ex absolutis: *Totum non est æquale suæ parti: Peccatum non est dignum præmio: Circulus non est triangulus,* & cæteræ huiusmodi. Ex conditionatis autem; *Si Angelus esset totum, non esset æquale suæ parti: Si qua actio fuerit peccatum, non erit digna præmio: Si qua figura fuerit circulus, non erit triangulus,* & similes. Dari autem huiusmodi negatiuas propositiones per se notas in omnibus scientiis agentibus de rebus, provt in statu quiditatiuo, tum euidentes, tum probabiles, tum etiam interdum improbabiles, quæ eiusmodi scientiarum principia negatiua sunt, & ex se cunctis scientificis manifestum, & ex dictis *propos.* 1 perspicuum est.

Perinde autem est, spectato nostro modo conci- 310
piendi, subiectum dictarum propositionum esse immediatè oppositum termino, qui de illo negatur, atque esse immediatè connexum cum talis termini negatione, tanquam cum passione quadam negatiua sibi immediatâ, ita enim nos huiusmodi negationes solemus concipere, tametsi re ipsâ intra statum quiditatiuum tales negationes, seu veritates negatiuæ non dentur, vti dantur intra statum existentialem. Proindéque, cognoscentes intuitiuè de rebus, provt in statu quiditatiuo, iudicia negatiua (sicuti nos habemus) non habeant, sed

tantùm de rebus, provt in statû existentiali, vt ex doctrinâ statutâ *suprà disp.* 10. & 11. satis est notum. Ob id potiùs dixi, tunc propositionem negatiuam per se notam esse, quando subiectum immediatè est oppositum termino de ipso negato, quàm quandò subiectum immediatè est connexum cum negatione talis termini: quia fundamentum reale ad talem propositionem iudicandam ex terminis illa potiùs oppositio est, quàm ista connexio; siquidem illa oppositio re ipsâ datur, secùs ista connexio, nisi per quamdam solùm æquiualentiam comparatione nostri. Recognosce insuper doctrinam traditam *disputatione nona quæstione tertia.*

310 Colligeque ex his, huiusmodi negatiuas propositiones per se notas ad eas reduci. quæ de passione immediatâ subiecti sunt, iuxta dicta *propositione tertia*, non ad eas, quæ sunt de prædicato essentiali, nisi fortasse nos aliquando de subiecto, provt negatione affecto, ipsam prædicemus negationem aut positiuè, aut negatiuè, vt, si dicas: *Totum carens æqualitate cum suâ parte ipsâ caret, aut suæ parti æqualè non est.* Tunc enim, iuxta nostrum concipiendi modum, talis propositio de prædicato essentiali erit.

Propositio 10.

311 Inter propositionis negatiuas spectantes ad statum existentialem de negatione contingente subiecto multæ absolutæ, seu categoricæ nobis sunt per se notæ; hypotheticæ verò nullæ.

Quemadmodum enim, experientia positiua sufficiens fundamentum est ad affirmandum ex ipsis terminis apprehensis existere in rerum naturâ absolutè id, quod sub experientiam cadit, iuxta dicta *propositione quarta & quinta*; ita ad negandum ex ipsis terminis apprehensis aliquid in rerum naturâ existere, sufficiens fundamentum est nobis experientia negatiua, id est, non experiri id, quod, si existeret, citra omne dubium experiremur. Hoc pacto ex ipsis terminis apprehensis iudico nunc Papam in hoc cubiculo præsentem non esse: quia nullatenùs experior eius præsentiam, experturus citra dubium, si esset præsens. Et in cæteris pariter. Itaque, eo ipso, quòd non experior id, quod experirer, si adesset, sufficiens fundamentum est, vt meus intellectus iudicet per species alienas, quas habet experientiarum similium, tum me id nunc non experiri, tum id non adesse. Ex quo patet prima propositionis pars.

312 Secunda autem inde etiam probatur: quia sicut defectu experientiæ positiuæ non sunt ex terminis iudicabiles propositiones conditionatæ affirmatiuæ de prædicato contingente subiecto, vt dicta *propositione quinta* statutum est; ita pariter defectû experientiæ negatiuæ non sunt ex terminis iudicabiles veritates similes negatiuæ. Experientia quippe negatiua tantùm valet ad iudicandum, non adesse absolutè id, quod, si adesset absolutè, sub experientiam caderet, vt satis ex se est notum.

313 Vnde collige, propositiones negatiuas per se notas, de quibus nunc agimus, de præsente, & de præterito, non verò de futuro esse posse, iuxta dicta de similibus affirmatiuis *propositione sexta*. Quia sicut se habet experientia tum præsens, tum præterita ad iudicandum ex terminis existere, vel extitisse id, quod cadit nunc, aut anteà cecidit sub experientiam, ita se habet experientia negatiua tum præsens, tum præterita ad iudicandum ex terminis, non existere, vel non extitisse id, quod nunc non cadit, aut anteà non cecidit sub experientiam, casurum haud dubiè, si existeret nunc, aut anteà extitisset. De futuris autem, vt nulla est positiua experientia, ita neque est negatiua, provt requiritur ad iudicandum ex terminis ea fore, aut non fore, vt satis ex se est notum. Recognosce dicta circa *propositiones sextam* & huc proportionaliter applica.

Propositio 11.

Inter propositiones negatiuas existentiales, de 314
negatione necessaria subiecto ob oppositionem subiecti cum termino negato, multæ non solùm conditionatæ, sed etiam absolutæ sunt per se notæ ex vi dictæ oppositionis præcisè citra experientiam omnem tam positiuam, quàm negatiuam.

Et de propositionibus quidem huiusmodi conditionatis negatiuis eodem modo venit probanda propositio, ac de affirmatiuis similibus probata est propositio octaua. Nam sicut hæ affirmatiuæ: *si extiterit ignis, calefaciet: Si homo peccauerit, dignus erit supplicio*, & similes, sunt per se notæ iuxta dicta, ob connexionem per se noscibilem subiecti cum prædicato sub datâ hypothesi; ita hæ negatiuæ: *si extiterit ignis, non frigefaciet: Si homo peccauerit mortaliter, non habebit gratiam: Si non extiterit ignis, non calefaciet*, & similes, per se notæ sunt ob oppositionem per se noscibilem subiecti cum negato termino sub datâ hypothesi. Cuius rationem dedimus *loco citato.*

De propositionibus verò absolutis negatiuis in- 315
de propositio probatur; Quia, quoties aliqua extrema ex suâ naturâ, ex suove conceptû obiectiuo in ordine ad existendum opposita sunt, atque adeò inepta, siue impotentia de suo ad existendum simul. talisque oppositio immediatâ, & per se noscibilis est intra statum quiditatiuum, vt sæpissimè euenit, in promptû est ex solis terminis iudicare, talia extrema de facto non existere simul, cum sit per se notissimum, & valde euidens, de facto non existere simul, quæ non possunt simul existere. Idem autem est iudicare, vnum eiusmodi extremorum non coexistere alteri, siue alteri non conuenire existentialiter, prout propositiones negatiuæ absolutæ, de quibus agimus, ordinariè præ se ferunt. Illæ igitur in eiusmodi casibus ex vi talis oppositionis præcisè, & citra omnem experientiam per se notæ sunt. Sic per se notum est, ignem non frigefacere, & nolentem quidpiam non velle id ipsum: quia ignis frigefactioni à se oriundæ, & nolitio volitioni eiusdem obiecti, opponuntur in ordine ad existendum oppositione per se noscibili. Paritérque euenit passim in aliis huiusmodi.

In quo propositiones categoricæ negatiuæ, de 316
quibus agimus, ab affirmatiuis eiusdem generis differunt. Ex illis enim nulla est per se nota citra experientiam, vt *propositione octaua citata* ostendimus, quantumuis termini eius connexione per se noscibili connexi sint, cum tamen ex his multæ sint tales, quæ terminos habent oppositos oppositione per se noscibili. Cuius discriminis ratio conspicua est: quia connexio vnius termini cum alio in ordine ad existendum, tantùm inducit ad affirmandam existentiam

secundi

secundi ex suppositione existentiæ primi, atque adeò ad affirmandum, secundum coexistere primo; cumque secundum coexistere primo affirmare absolutè nequeat, quin tacitè saltem affirmetur, existere primum, iuxta doctrinam statutam propos. 7. & primum existere citra experientiam affirmari non possit, iuxta *propos.* 4. conficitur, nullam huiusmodi propositionem affirmatiuam vi connexionis terminorum præcisè ex ipsis terminis citra experientiam affirmabilem esse. At oppositio vnius termini cum alio in ordine ad existendum per se inducit ad negandum, vtrumque simul existere, atque adeo etiam ad negandum, secundum coexistere primo; cúmque bene possit absolutè negari, secundum coexistere primo, quin, adhuc tacitè negetur, aut affirmetur, existere primum, iuxta doctrinam etiam statutam *propos.* 7. conficitur, eiusmodi propositiones negatiuas vi oppositionis terminorum præcisè citra omnem experientiam ex ipsis terminis esse negabiles, quando per se talis oppositio noscibilis est.

317 Cæterum: quia vi præcisè eiusmodi oppositionis per se noscibilis solùm negari potest ex terminis coexistentia exttemorum oppositorum; atque adeo, existentia tantùm alterutrius eorum sub disiunctione. Ad hoc vt vnius eorum determinatè existentia negetur, iam experientia erit necessaria, vel negatiua eiusdem, si illud sit ex genere eorum, quorum negatio est cognoscibilis per experientiam negatiuam; vel positiua alterius eius determinatam existentiam notificans, inducénsque vi oppositionis ad determinatè negandam existentiam alterius.

Propositio 12.

318 Omnis propositio per aliud nota, siue noscibilis, ad quemcumque statum pertineat, vi connexionis formalis, aut æquialentis illius, tanquam antecedentis cum ipsa tanquam cum consequente est iudicabilis.

Quia omnis discursus humanus medio quo ex aliquo antecedente prius iudicato infertur consequens, quale est omnis propositio nota per aliud, in connexione aut formali, aut æquialente antecedentis cum consequente nititur, vt *disput.* 2. *q.* 5. & sæpe alias dictum est. Dico *formali aut æquialente*: quia quando consequens est negatiuum, illatio eius ex antecedente sæpè non in reali connexione antecedentis cum consequente; sed in reali oppositione antecedentis cum obiecto negato in consequente fundatur, iuxta ea, quæ dicebamus *propos.* 9. tunc scilicet, quando agitur de negationibus intra statum quiditatiuum præcisè, intra quem non dantur re ipsâ, & formaliter veritates negatiuæ: tametsi positiuæ, quæ dantur, æquialenter per negatiuas à nobis sæpe iudicentur, vt cùm dicimus: *Homo non est lapis: lapis non est risibilis, &c.* De quo plura in *locis ibi citatis.* Itaque in omni discursu de consequente affirmatiuo, aut negatiuo existentiali connexio formalis interuenit antecedentis cum consequente. In discursu tamen de consequente negatiuo quiditatiuo æquialens dumtaxat. Quod tamen satis est, vt absolutè dicatur, vt inos sæpe diximus; & dicemus, omnem discursum humanum in connexione antecedentis cum consequente fundari.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Consectarium 1.

Diuisio propositionis per se notæ, qua cum 319
sancto Thoma 1. *p. quæst.* 2. *art.* 1. plerique Theologi vtuntur, in per se notam secundum se, & per se notam quoad nos, si bene intelligatur, optima est, quidquid nonnulli contradicant.

Quod, vt ostendam noto primò, eam propositionem iure optimo dici per se notam secundùm se, quæ ab aliquo intellectu per se immediatè est cognoscibilis, seu iudicabilis. Propositio enim, quæ aptitudinem habet, vt per se immediate, siue ex ipsis terminis iudicetur ab aliquo intellectu, quicumque ille sit, quasi à natura, atque adeo secundum se habet esse per se notam, seu noscibilem, tametsi à multis aliis intellectibus ob eorum imperfectionem ita nosci non possit. Secundò noto, prædictam diuisionem bifariam vsurpari posse. Primò ita vniuersè, vt diuisum omnem propositionem complectatur per se noscibilem, tam per proprias, quàm per alienas species. Secundò minus vniuersaliter, itavt diuisum solùm claudat propositiones per se noscibiles per species alienas. Igitur, si priori modo accipiatur, nulla omnino erit propositio, quæ non sit per se nota secundum se: quia nulla est, quæ per species proprias non sit per se, & immediatè noscibilis, saltem supernaturaliter, respectû alicuius intellectus, vt ex *superiùs* dictis constat. Quoad nos verò præter per se notas per species prorsùs alienas, dumtaxat erunt per se notæ, quæ cadunt sub experientiam nostram; quodammodoque subinde noscibiles per proprias species respectu nostri dici possunt. Si verò posteriori modo accipiatur diuisio, illæ propositiones erunt per se notæ secundum se, quæ sunt de subiecto immediatè connexo cum prædicato, aut propriâ, & formali, aut æquialente connexione, iuxta *superiùs* dicta: quia tales propositiones de suo sunt per se noscibiles ab intellectu valente per se immediatè penetrare talem connexionem, tametsi ab intellectû nostro pro statu præsenti ea penetrari, siue deprehendi non possit. Quoad nos verò erunt per se notæ illæ, quarum connexio immediata subiecti cum prædicato deprehensibilis à nobis, siue penetrabilis est, illæ verò neque quoad nos, neque secundum se erunt per se notæ, quarum subiectum cum prædicato non est immediatè connexum, quia citra huiusmodi immediatam connexionem, & citra experientiam, à nullo intellectu per solas species alienas potest per se immediatè vlla propositio cognosci, vt etiam constat ex dictis in superioribus. Ex quibus patet item ad ea, quæ contra dictam diuisionem ab Aduersariis solent opponi.

Consectarium 2.

Omnis scientia humana absoluta de rebus pro- 320
vt absolutè existentibus, quam Physicam dicimus, quâ parte affirmatiua est, à propositionibus de rebus singularibus sumit exordium, quâ parte verò est negatiua, à propositionibus tum de singularibus, tum de vniuersalibus rebus exordium suum potest desumere.

Quia propositiones affirmatiuæ per se notæ de rebus, prout absolutè existentibus, quæ huiusmodi

scien iæ quâ parte affirmatiua est, sunt prima principia, at æ ene non possunt ab iis quæ sub experientiam cadunt iuxta dicta *propos*it. 4. Sub experientiam autem dumtaxat cadunt singularia, vt est notum. Ex propositionibus verò negatiuis per se notis de rebus, prout ad statum absolutum existentialem pertinentibus, quæ talis scientiæ quâ parte negatiua est, sunt prima principia, aliæ sunt, quæ solùm cognosci possunt per experientiam negatiuam, quæ etiam de singularibus tantùm est; aliæ, quæ aliunde vi oppositionis terminorum citra omnem experientiam sunt cognoscibiles, quæ propterea de vniuersalibus esse possunt; de factóque plerumque sunt, iuxta *propositionem decimam & vndecimam*.

321 Portò propositiones sub experientiam cadentes, etsi de rebus singularibus sint, atque adeò absolutè sint singulares, prædicata tamen, quæ de illis prædicant, ex vniuersalioribus de suo sunt, vt implurimum: quia hæc potiùs, quàm alia magis peculiaria deprehenduntur à nobis in illis mediâ experientiâ, vt aliàs iam in *superioribus* notatum est. De re quippè visâ, aut per alium sensum sensâ promptè iudicamus, quòd existit, quòd potest existere, quòd est magna, aut parua, quòd est distincta ab aliis, & eis aut similis, aut dissimilis, aut æqualis, aut inæqualis &c. Quæ omnia ex prædicatis de suo, & ex se vniuersalioribus sunt; cum tamen de illa media sola experientia eius non possimus iudicare alia specialiora, vt, quòd habet talem, aut talem virtutem, istam, aut illam proprietatem nobis occultam &c.

Consectarium 3.

322 Longè plura ad negandum, quàm ad affirmandum res absolutè existere, habemus principia.

Quia imprimis plura sunt, quæ non experimur, experturi, si adessent, quàm, quæ experimur, de pluribúsque subinde ob experientiam negatiuam possumus existentiam negare, quàm affirmare ob positiuam. Præterea autem de pluribus aliis ob oppositionem, quam habent ex conceptu suo in ordine ad existendum, à nobis noscibilem, coëxistentiam absolutam negare possumus, prout constat ex dictis.

Consectarium 4.

323 Omnis scientia humana tum conditionata, tum absoluta de rebus provt in statú quiditatiuo, quam Metaphysicam appellamus, principia habet ex se vniuersalia in connexione, oppositioneve terminorum per se noscibili fundata. Eaque tum conditionata, tum absoluta.

Tales namque sunt propositiones per se notæ tũ conditionatæ tum absolutæ, de rebus, provt in statu quiditatiuo. Quæ ex se communes sunt omnibus similem quiditatem, similemve conceptum obiectiuum habentibus, ex ipsisque terminis apprehensis innotescunt, ob connexionem, oppositionémve immediatam in ipsis terminis deprehensam, prout ex dictis etiam est notum.

Consectarium 5.

324 Scientia humana conditionata de rebus provt conditionatè existentibus, in aliquâ differentiâ temporis, quam etiam Physicam appellamus, partim principia habet intra ipsum statum conditionatum in connexione, oppositioneve terminorum fundata citra omnem experientiam, partim nulla principia prima habet intra statum conditionatum, sed à principiis absolutis cadentibus sub experientiam sumit exordium.

Etenim cùm nulla propositio conditionata sub experientiam nostram cadere possit, iuxta *propos*it. 5. & 10. nulla vtique propositio conditionata est à nobis cognoscibilis pro statu præsenti, nisi vi connexionis, oppositionisve, aut conditionis cum conditionato, aut, quod, in idem recidit, alterius obiecti connexi cum conditionato, ipsive oppositi ex hypothesi conditionis, siquidem aliter, quàm per experientiam, vel vi connexionis, oppositionisve terminorum nulla propositio obiectiua à nobis cognoscibilis, siue iudicabilis est, vt ex dictis in superioribns satis, superque constat. Connexio autem, aut oppositio conditionis, aut alterius obiecti cum conditionato ex hypothesi conditionis, duplex, quod ad rem attinet, est. Altera, quæ citra omnem experientiam, vel ex solis terminis apprehensis, vel per discursum à nobis assequibilis, siue cognoscibilis est. Altera, quæ nisi interueniente experientiâ, à nobis assequi, atque adeò cognosci nequit. Prioris generis est connexio, quam habet totum cum eo quod sit maius suâ parte, & quam habet peccatum cum dignitate pœnæ; aliæque huiusmodi. Similiter prioris generis est oppositio, quam habet totum cum eo quod sit æquale suæ parti, & quam habet peccatum cum dignitate præmij; & similes. Posterioris verò generis est connexio, quam habet ignis cum lumine, & quam habet magnes cum attractione ferri, & quam habet piper masticatum cum productione caloris, & cæteræ huius generis. Similiter posterioris generis est oppositio, quam habent calida cum frigidis, sicca cum humidis, alba cum nigris &c.

Igitur, scientia conditionata de rebus, provt 325
conditionatè existentibus, fundata in connexione, oppositionéve primi generis principia habet intra statum rerum quiditatiuum, atque adeò etiam intra statum ipsum conditionatum existentialem, independentia ab experientiâ: quia eo ipso, quòd ex terminis apprehensis citra experientiam à nobis iudicabile est, totum de suo esse maius suâ parte, & peccatum de suo esse dignum pœnâ, ex terminis quoque apprehensis est iudicabile independenter ab experientiâ, totum extiturum maius suâ parte, si extiterit, & extituram dignitatem pœnæ, si extiterit peccatum. Paritérque in similibus. Scientia verò conditionata de rebus, provt conditionatè existentibus, fundata in connexione, oppositioneve secundi generis nulla principia per se nota habet intra ipsum statum conditionatum: quia eiusmodi connexio, siue oppositio, cui subnititur, per se, & ex solis terminis nunquam est noscibilis nobis; sed semper mediâ absolutâ experientiâ venimus in notitiam eius. Inde enim scio absolutè, magnetem lapidem necessitate naturali esse attractiuum ferri, atque adeò fore vt illud attrahat, si ei applicetur: quia vidi, experimentalitérque deprehendi, semper illud attrahere, quoties ei applicatur. Similiter, quia sæpè expertus sum calorem piperis masticati, & illud productiuum esse caloris, & fore vt producat, si masticetur, iudicare valeo. Et in cæteris pariter.

Consectarium 6.

Omnis scientia, siue notitia humana, humani- 326
tùs acquisibilis si sit Metaphysica vni connexioni oppositio

oppositionive terminorum subnixa est. Si verò sit Physica, tum experientiæ, tum connexioni, oppositionive terminorum subnititur.

Quia, si sit Metaphysica, tam principia, quàm, quæ ex principiis inferuntur medio discursu, vi connexionis, oppositionisve terminorum à nobis iudicanda veniunt. Si autem sit Physica, omnia eius principia absoluta per experientiam innotescunt; conditionata verò, quæ habet, & cætera, quæ ex vtrisque deducuntur discursu facto, vi connexionis, oppositionisve terminorum veniunt intelligenda, vt constat ex dictis. Ad Physicam autem reducitur saltem ex parte quæuis notitia fidei humanitùs acquisibilis: quia principia fidei, quæ sunt aliena testimonia, aliter quàm mediâ experientiâ nobis innotescere nequeunt. Physicam autem appellamus vniuersalissimè sumptam, quæ de rebus iudicat, provt in statu existentiali, qualiter iudicatur de rebus cadentibus sub experientiam, iuxta dicenda latiùs infrà *disp.* 21.

Consectarium 7.

327 Ars vniuersalis sciendi, proficiendique in omni humanâ scientiâ, siue notitiâ, eamque sine fine augendi, ac semper prorogandi, nouis quotidiè veritatibus detectis, quæ latebant anteà, ea vnicè erit, quæ modum, methodúmque præscripserit, tum experiendi, tum terminorum connexiones, oppositionesque immediatas in omni materiâ inueniendi, siue deprehendendi.

Constat ex dictis. Cum enim, vt vidimus, nulla propositio obiectiua sit iudicabilis, atque adeò scibilis à nobis, nisi, vel mediâ experientiâ, vel mediâ deprehensione connexionis, oppositionisve terminorum eius, & connexio, oppositioque terminorum mediata aliter, quàm deprehensis priùs immediatis, quæ interueniunt, illamque componunt, deprehensibilis non sit, manifestè consequitur, eam Artem, quæ viam ostendit, & ianuam aperit vniuersalem, tum ad experimenta capienda, tum ad connexiones, oppositionesque immediatas terminorum deprehendendas, seu inueniendas, vnicè Artem vniuersalem sciendi, scientiásque omnes (quæ sine fine augeri possunt, vt *infrà* demonstro) in infinitum augendi, ac semper propagandi esse. Quænam autem sit eiusmodi Ars, & qualis, *disp.* 23. exhibebo.

328 Sequebatur modò tractandum de propositionum fallaciis, seu deceptionibus, atque adeò de propositionibus fallacibus, seu deceptortiis. Sed de his commodiùs agemus *infra disp.* 20. *q.* 13.

DISPVTATIO XX.

De argumentationibus.

1 IN hâc disp. de argumentatione correspondente humano discursui, deque eius speciebus tractandum nobis est. Et quoniam argumentationes obiectiuæ, & formales, hæque tum mentales, tum vocales, aut prolatæ, aut scriptæ vicissim sibi lucem præstant, promiscuè fermè agemus de omnibus. Quemadmodum de terminis, & propositionibus tum obiectiuis, tum formalibus, iisque, aut prolatis, aut scriptis in *duabus præcedentibus disputationibus* actum à nobis est.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit argumentatio, & quotuplex?

ARgumentatio est oratio, quâ ex aliquo antecedente enuntiato consequens aliquod infertur enuntiatiuè. Accipio enim argumentationem vniuersè pro oratione correspondente discursui humano strictè sumpto, ipsumque etiam complectente, Discursus autem humanus strictè sumptus, nimirùm illatiuus, ea operatio mentalis est, quâ ex vnâ; vel pluribus veritatibus cognitis, seu per iudicium deprehensis ad aliam cognoscendam, seu iudicandam intellectus noster transcurrit, ductus connexione: quâ videt id, quod priùs iudicat (& antecedens appellatur) cum eo, quod ex illo infert (& consequens dicitur) connecti, provt *suprà disput. 2. quæst. 2. diuis. 1.* rursùs *quæst. 5.* dictum à nobis, & latiùs explicatum est. Itaque argumentatio mentalis formalis ipse dictus discursus est, vocalis autem, & scripta oratio illi correspondens vocalis, & scripta. Omnesque tres comprehendit definitio proposita. Per quam venit intelligendum, argumentationem formalem in vniuersum eam orationem esse, per quam aliquod obiectum iudicabile, aut simplex, aut ex pluribus seorsim iudicabilibus complexum priùs affirmatur, aut negatur, aut partim affirmatur partim negatur, indéque transitur ad aliud pariter affirmandum, siue negandum propter connexionem repertam in in priore cum posteriore, indicante illam particulâ aliqua illatiuâ, vt: *Petrus currit: ergo mouetur: Omnis homo est animal: aliquod risibile est homo: ergo aliquod risibile est animal. Ignis est iuxta lignum: ergo ignis producit, & lignum recipit calorem.* Vnde patet, argumentationem formalem orationem quandam esse complexam, siue compositam ex pluribus propositionibus formalibus subordinatis, & quodammodo copulatis per particulam illatiuam *ergo*, vel similem, vt plutibus agentes de discursu qui argumentatio mentalis est, *locis citatis* explicuimus. Quæ ad rem videnda, &, suâ proportione seruatâ, sunt applicanda. Ex quibus patet, quid sit argumentatio obiectiua, cùm aliud non sit ab obiecto argumentationis formalis. 2

Iam verò argumentatio sumpta vniuersè tot modis venit imprimis diuidenda, quot *disp. 2. q. 2. citatâ diuis.* 8. diuisus est à nobis discursus. Quocirca, primò penes diuersitatem antecedentis, & consequentis simplicis, complexi, positiui, negatiui, & mixti in 25. membra est diuidenda argumentatio, sicut ibi discursus. Rursúsque quoduis eorum in alia quinque penes diuersitatem connexionis antecedentis cum consequente Metaphysicæ, Physicæ, & Moralis in supremo, medio, & infimo gradu. 3

Secundò argumentatio de antecedente complexa, aut est de antecedente, cuius partes indiuisim connectuntur cum consequente, aut de antecedente, cuius partes connectuntur diuisim. Quæ differentia valdè est notanda, vt latiùs *ibid.* diximus circa discursum. 4

Tertiò argumentatio sumpta vniuersè alia euidens est, alia obscura. Idque aut ex parte antece- 5

dentis tantùm; aut ex parte illationis tantùm; aut ex parte vtriusque, atque adeò etiam consequentis. Quod si euidens quouis ex dictis modis, aut Metaphysicè, aut Physicè, aut moraliter duplici sensu. Si verò obscura, aut certa; idque pariter vel Metaphysicè, vel Physicè, vel moraliter; tum vel formaliter, vel subiectiuè; aut probabilis, aut improbabilis, iuxta doctrinam circa hos omnes terminos latè traditam *suprà disputat. 4. 5. & 6.* Ad hanc que diuisionem pertinet diuisio argumentationis in demonstratiuam, & non demonstratiuam.

6 Quartò argumentatio sumpta vniuersè alia categorica est, alia hypothetica, alia mixta ex vtrâque. Categoricam dico, quæ coalescit ex solis propositionibus categoricis; hypothetica autem, quæ ex solis hypotheticis; & mixta, quæ ex vtrisque, dicenda erat: quia tamen hæc solet etiam appellari hypothetica, nos quoque argumentationem hypotheticam appellabimus vniuersè omnem compositam ex propositionibus hypotheticis vnâ, vel pluribus. Quæ rursùs in mixtam ex categoricis, & non mixtam subdiuidenda erit.

7 Quintò argumentatio in modalem, & non modalem, siue de *inesse* diuidi potest. Diceturque modalis, quæ vel ex solis propositionibus modalibus, vel ex mixtione modalium, & non modalium constiterit. Quæ rursùs subindè in mixtam ex non modalibus, & non mixtam diuidenda veniet. Non modalis verò, siue de *inesse* dicetur, quæ ex solis non modalibus, siue de *inesse* fuerit composita.

8 Sextò argumentatio alia est simplex, alia complexa. Simplicem appello, quæ vnicam tantùm illationem vnius consequentis ex vno antecedente habet, siue antecedens, & consequens in suo genere sint simplicia, siue complexa. Complexam autem, quæ ex pluribus illationibus plurium antecedentium, & consequentium coalescit. vt quando ex antecedente A infertur consequens B, & ex B C, & ex C D, &c.

9 Septimò denique argumentatio simplex sumpta vniuersè in quatuor illa membra diuidi potest, in quæ ab Aristot. & aliis diuisa est; paulò tamen aliter intellecta, quàm vulgò solent: nempe, in Syllogismum, Enthymema, Inductionem, & Exemplum. Syllogismus dicitur argumentatio, quâ ex solis duabus propositionibus pro antecedente positis indiuisim infertur consequens. Enthymema autem dicitur argumentatio, quâ ex vnâ solâ propositione pro antecedente positâ, quin alia subticeatur, infertur consequens, eo quòd illa sola cum consequente connexa est. Dari enim huiusmodi genus enthymematum est certissimum, quidquid nonnulli Recentiores videantur refragari. Exemplum argumentatio est à simili comprehensa sub enthymemate. Inductio autem latè sumpta ea argumentatio vniuersaliter dicenda superest, quâ ex pluribus, quàm duabus propositionibus pro antecedente positis, siue diuisim, siue indiuisim, nec non, quâ ex duabus diuisim infertur consequens. Tametsi inductio strictiùs sumpta ea argumentatio dicatur, in quâ à singularibus ad vniuersale proceditur. De quâ diuisione plura diximus *loco cit.* recognoscantur

10 Postremò argumentatio ratione materiæ in argumentationē à priori, & à posteriori, & à simultaneo diuidi potest, penes prioritatem, aut posterioritatem aut simultaneitatem, siue concomitantiam, quam antecedens obiectiuum habet respectu consequentis. Quarum quælibet rursus penès diuersas species ordinum prioris, & posterioris expositas *disp. 15.* aliam, aut alias diuisiones subire poterit.

QVÆSTIO II.

Quid sit syllogismus. Et quotuplex.

DIximus quæst. 1. syllogismum esse argumentationem, quâ ex duabus propositionibus pro antecedente positis indiuisim infertur consequens, eo videlicet, quòd neutra earum sumpta seorsim connexa est cum consequente, benè tamen coniunctum ex vtrâque. Nunc solùm restat aduertendum, eiusmodi propositiones aut simplices posse esse, aut complexas; aut alteram simplicem, & complexam alteram, sicut & consequens ex eis illatum, aut simplex, aut complexa propositio esse potest, iuxta diuisionem propositionis in simplicem, & complexam datam *d. sp. 19. q. 1.* 11

Diuiditur autem syllogismus imprimis in categoricum, & hypotheticum, & ex vtroque mixtum. Categoricus dicitur, qui ex solis propositionibus categoricis coalescit; hypotheticus autem, qui ex solis hypotheticis; & mixtus, qui ex vtrisque dicendus erat: quia tamen hypotheticus dici solet, qui vel ex vnâ tantùm propositione hypotheticâ constat, nos quoque ita loquemur. Eritque syllogismus hypotheticus alius mixtus ex propositionibus categoricis, alius non item, iuxta dicta de argumentatione hypotheticâ *quæst. 1. num. 6.* Quilibet autem eorum rursus aut ex simplicibus propositionibus, aut ex complexis; aut ex vtrisque potest compositus esse, iuxta nuper dicta, omni eiusmodi propositionum mixtione, atque combinatione factâ, suppositis earum diuisionibus datis *disp. 19. quæst. 1.* 12

Deindè, syllogismus vniuersè sumptus in affirmatiuum, & negatiuum, & ex vtroque mixtum diuidi potest. Affirmatiuus dicitur, cuius omnes propositiones sunt affirmatiuæ; negatiuus autem, cuius omnes sunt negatiuæ; & mixtus, cuius aliqua, vel aliquæ sunt affirmatiuæ, & aliqua, vel aliquæ negatiuæ, dicendus erat. Quia tamen negatiuus vulgò appellatur, qui, vel vnicam propositionem negatiuam habet, nos etiam, vt vulgo morem geramus, ita loquemur; atque ita syllogismus negatiuus alius mixtus ex propositionibus affirmatiuis; alius non mixtus, quandò opus sit illos distinguere, dicendus erit. 13

Præterea syllogismus alius modalis est, alius non modalis, siue de *inesse*. Modalis dicitur vniuersè, qui, vel ex solis propositionibus modalibus, vel ex mixtione modalium, & non modalium constat. Qui rursùs propterea in mixtum ex non modalibus, & non mixtum diuidendus est. Non modalis verò, siue de *inesse* nuncupatur, qui ex solis propositionibus non modalibus, siue de *inesse* compositus est. 14

Diuidi denique potest syllogismus omnis in euidentem, & obscurum, &c. iuxta diuisionem tertiam argumentationis in genere factam *n. 5.* 15

Quæ cùm ita sint, pro iis, quæ in sequentibus sunt dicenda, aduertendum est. Artem communem syllogismorum, quam Arist. exhibuit, & cæteri sunt amplexati, de solis syllogismis categoricis coalescentibus ex propositionibus simplicibus vniuersalibus, & particularibus affirmatiuis, & negatiuis 16

tiuis de prædicato communi nullo signo affecto tractaro. De reliquis verò nullam autem vniuersalem esse hactenus constructam: licet nonnullas peculiares regulas circa eorum aliquos tradant Logici; cùm tamen præter eam, quam Aristot. adinuenit pro syllogismis prædictis, aliæ pro aliis non difficilè excogitari possent, & construi. Imò verò, Aristotelica neque exactè demonstrata, neque satis perfecta; sed manca, & mutila circumfertur, proùt ex dicendis à nobis *in sequentibus* apparebit. Vbi, & illam tum exactè demonstratam, tum omnibus numeris absolutam, perfectamque reddere, & alias, quæ pro aliis syllogismorum generibus desiderantur, demonstratiuè etiam constructas dare curabimus, aperiendo interim viam ad alias fortasse, quas oportebit prætermittere construendas.

QVÆSTIO III.

Qua ratione Ars categoricorum syllogismorum de medio communi, quæ in Logicâ Aristotelis circumfertur, sit construenda, vt demonstratiuè exacta, perfectaque euadat?

17 DIco, eâ ratione, quâ nos illam impræsentiarum construere aggredimur, vt sequitur.

Propositio 1.

Quidquid verè affirmatur de omni, verè etiam affirmatur de quolibet contento sub omni; & quidquid verè negatur de omni, verè etiam negatur de quolibet contento sub omni.

18 Hæc sunt duo illa ex ipsis terminis euidentissima principia vulgò appellata *Dici de omni, & Dici de nullo*. In quibus tota Ars ista nititur, ipso Aristotele testante *lib. 1. Prior. cap. 4.* Circa quæ nota primò, id dici affirmari, aut negari de omni, quod affirmatur, aut negatur de aliquo termino communi distributiuè sumpto. Secundò nota, ea omnia, quod ad rem attinet, censeri contineri sub omni, ex quibus sumptis formaler coalescit aggregatum omnium, quæ terminus communis distributiuè sumptus amplectitur, atque etiam ea, quæ cum illis realiter sunt identificata. Perinde enim est dicere: quidquid verè affirmatur, aut negatur de omni, verè etiam affirmari, aut negari de quolibet contento sub omni, ac dicere: quidquid verè affirmatur, aut negatur de singulis contentis sub omni, verè etiam affirmari, aut negari de quolibet identificato cum illis, vt latiùs est à nobis suprà explicatum *disput. 13. quæst. 7.* vbi, quo pacto in dictis duobus principiis hæc Ars funderur, etiam ostendimus. Tertiò nota, in quouis dictorum principiorum tres terminos, & tres propositiones inuolui. Termini sunt, qui distribuitur, qui continetur sub illo, aut formaliter, aut identicè, &, qui prædicatur de contento, quia prædicatur de continente. Propositiones autem sunt, quæ prædicat aliquid de continente, &, quæ prædicat idem de contento, &, que prædicat continentiam huius in illo. Hinc.

Propositio 2.

19 Omnis syllogismus subnixus duobus principiis statutis *proposition.* 1. ex tribus omninò terminis, & tribus propositionibus debet necessariò componi.

Constat propositio hæc ex nuperrimè dictis; nec aliam demonstrationem desiderat; supersunt tamen circa illam adnotanda sequentia. Nempe. Ex propositionibus tribus, ex quibus, omnis syllogismus huius Artis coalescit, quæ ponitur primo loco, dicitur maior, quæ secundò minor, &, quæ ex vtrâque infertur, conclusio, quidquid nonnulli Logici controuertant. Tum maior, & minor præmissæ appellantur; & ambæ simul sumptæ antecedens, conclusio verò consequens. Ex terminis verò vnus debet bis repeti in antecedente (siquidem in eo duæ propositiones, atque adeò duo subiecta, & duo prædicata sunt, & termini totius syllogismi sunt tantùm tres) is autem dicitur medium, &, qui cum illo ponitur in maiore propositione dicitur maius extremum, qui verò in minore minus extremum (alij extremitates appellant.) Ex quibus duobus coalescit conclusio. Vnde apparet, quemlibet dictorum trium terminorum bis poni debere in syllogismo. Terminus autem, qui in distributo continetur, aut cum contento sub illo identificatur, subsumptus solet appellari, & præmissa, in quâ ille ponitur, subsumpta; atque hinc tandem constat, vitium syllogismi huius Artis esse, terminos plures, aut pauciores habere, quàm tres. Dico: *huius Artis*. Quia extra illam benè potest esse syllogismus concludens legitimè cum quatuor terminis, vt in hoc cernitur: *Petrus videt: sed non oculo dextro: ergo sinistro*. Aduerto tamen, quod attinet ad præsens propositum, terminum non propterea desinere esse vnum, & eumdem, quòd modò signo vniuersali, modò signo particulari, modò nullo signo affectus sit, aut etiam pronomine demonstratiuo. Imò, si loco nominis communis pronomine demonstratiuo affecti nomen proprium ad significandum idem obiectum singulare ponatur, idem terminus censendus est, vt aliàs *disput. 19. quæst. 2. num. 22.* notabamus.

Propositio 3.

Syllogismi huius Artis in duobus principiis *propos.* 1. statutis fundandi ex solis, & omnibus propositionibus categoricis simplicibus componi possunt. Hactenùs tamen ex paucis quibusdam, multis relictis, Logici sequuti Aristotelem composuerunt. Imò, ne ex illis quidem assumptis Artem perfectam sed mutilam, defectuosamque construxerunt. Quod vtrumque à nobis in præsenti pro viribus emendandum, atque supplendum est. 20

Pro intelligentiâ huius propositionis suppono primò, propositiones categoricas simplices inter se non æquiualentes (relictis reliquis, quæ eis æquiualent) omninò esse 18. vt *disp. 19. quæst. 1.* ostendimus, & suis litteris designauimus. Illæ autem sunt vniuersalis, particularis, & singularis, aut de prædicato communi nullo signo immediatè affecto, aut de prædicato communi affecto immediatè signo *omnis*, aut de prædicato singulari, quæ sunt 9. affirmatiuæ, & totidem negatiuæ. Ex quibus vniuersalis affirmatiua, & negatiua de prædicato communi nullo signo immediatè affecto per A, & E significantur ab omnibus: particularis autem affirmatiua, & negatiua de simili prædicato per I, & O. Pro singulari verò affirmatiuâ de simili prædicato nos vtimur V. & pro negatiuâ Vn. quia sextam vocalem

vocalem non habemus. Pro sex autem de prædicato communi signo *omnis* immediatè affecto eisdem litteris vtimur, adiectâ ante singulas litterâ d. Et pro sex aliis de prædicato singulari, eisdem, adiectâ ante singulas litterâ t.

21 Suppono secundò, Aristotelem; & cum eo cæteros Logicos hactenus solùm assumpsisse ad construendam hanc Artem, quatuor illas priores propositiones A, E, I, O. fortassè, quòd eæ sunt, quas magis ordinario, & connaturali modo concipimus, atque proferimus, quæque subinde syllogismos ad scientias vtiliores componunt. Potuissent tamen pariter assumere quemuis alium numerum ex 18. propositionibus commemoratis, omni combinatione factâ, aut etiam ipsas omnes 18. ex quibus assumptis integra Ars conficeretur. Porrò ex iis quatuor, quas assumpserunt, minùs exactè, perfectéque construxerunt Artem: quia multos syllogismos legitimos ad concludendum verum ex vero prætermiserunt; eos autem, quos posuerunt demonstratiuè ab illegitimis non separarunt, sicuti nec alias proprietates, quas Ars ipsa habet, demonstrarunt.

22 His positis. Vt nos defectus hosce suppleamus, totam Artem in tres partes diuidemus. Et primam quidem cum Logicis Aristotelis, vt illis morem geramus, syllogismosque vtiliores ad scientias separatim ponamus, ex illis tantùm quatuor propositionibus, A, E, I, O. exactiùs tamen, & perfectiùs, quàm hactenus construemus. Pro secunda verò parte construendâ, ex 18 propositionibus commemoratis 12. selectiores sumemus, sex scilicet de prædicato communi nullo signo immediatè affecto, & sex de prædicato singulari: quæ quidem, & frequentiùs occurrunt, & vtiliores sunt in scientiis humanis, relictis sex aliis de prædicato communi affecto immediatè signo *omnis*, vtpote, quæ rarissimè occurrunt, atque adeò parum vtilitatis ad scientias habent. Tertiam denique partem ex omnibus dictis 18. propositionibus componendam, quæ duas priores in se complectens integram Artem istam redderet, tanquam parùm vtilem ad scientias, & nimis prolixam omittemus, indicato tamen modo, quo illa erat construenda, & numero syllogismorum, qui ex illâ resultarent. Præstamus autem hæc tria, vt sequitur.

Propositio 4.

23 Vt syllogismus huius Ars legitimus sit, altera saltem præmissarum eius debet affirmatiua esse, & medium in alterâ saltem debet esse distributum.

Hæc propositio quoad vtramque partem ex principiis statutis *propsit.* 1. manifestè monstratur. Nam omnis syllogismus legitimus in eis fundatus tria necessariò præstare debet; nempè ex parte antecedentis dicere aliquid, siue affirmatiuè, siue negatiuè de omni, hoc est, de termino distributo, & affirmare, alium subsumptum terminum sub ipso omni, seu distributo termino contineri, siue cum contento sub illo identificari. Ex parte verò consequentis concludere; dicendo pariter de ipso subsumpto, quòd fuerat dictum de ipso omni. Hoc autem ipsum est, alteram saltem præmissarum eius affirmatiuam esse, & terminum in vtrâque positum, qui ob id est medium, semel saltem distribui.

24 Dices: quando medium, quantumuis distributum, est prædicatum in vtrâque præmissa, nihil dicitur de omni, tanquam de medio, quia nihil dicitur de medio; sed medium bis dicitur de aliis terminis: & tamè syllogismus potest hoc modo esse legitimus: ergo necessitas, vt dicatur aliquid de omni ex parte antecedentis, ad hoc, vt syllogismus in dictis dictis principiis fundatus legitimus sit, non est necessitas, vt medium ponatur distributum. Respondeo, in dato etiam casu dici aliquid ex parte antecedentis de omni, tanquam de medio, si non formaliter, saltem æquiualenter: quia perindè æquiualenter est dicere medium distributum de alio termino, ac dicere de omni contento in tali medio, quod conuenit, aut non conuenit tali termino, provt opus est, vt pariter de contento sub illo dicatur formaliter, aut æquiualenter, quòd conuenit, aut non conuenit eidem termino, vti prædicta principia postulant. Sic in hoc syllogismo legitimo: *Nullus lapis est animal: aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis.* Ideò æquiualenter dicitur in conclusione de aliquo homine nulli lapidi conuenire: quia id ipsum pariter dicitur in maiore de omni animali, sub quo dicitur in nomine aliquis homo contineri. Maioris quippè vterque terminus, & prædicatum conclusionis distributiuè supponuntur, vt constat. Vnde patet necessarium esse in omni casu ad hoc, vt syllogismus euadat legitimus, quòd ex parte antecedentis aut formaliter, aut æquiualenter dicatur de omni, tanquam de medio distributo, id, quod in consequente est dicendum de subsumpto contento in illo, provt supradicta principia planè præ se ferunt.

Porrò syllogismus legitimus ille appellatur, qui 25
ex vero antecedente necessariò infert consequens verum. Ob idque etiam dici solet, rectè, siue bene concludere; necnon esse vtilis, puta ad veritatem comprobandam. Cùm tamen, qui ex antecedente vero non infert necessariò consequens verum, illegitimus, male concludens, & inutilis appelletur.

Propositio 5.

Vt syllogismus huius Artis legitimus sit, omni- 26
nò debet non procedere à termino non distributo ad distributum, siue non habere in conclusione distributum terminum, quem habet in antecedente non distributum.

Est clarum. Quia terminus non distributus con- 27
tinetur sub distributo, vt constat. Ex eo autem, quòd conueniat, aut non conueniat quidpiam contento sub omni, siue sub termino distributo, non sequitur, conuenire id, aut non conuenire ipsi omni, siue ipsi termino distributo, vt etiam constat. Compertum est enim, ex eo quòd conueniat homini contento sub omni animali esse risibile, non sequi, conuenire id ipsum omni animali. A termino ergo non distributo ad distributum nullatenùs licet arguere. Et declarari potest amplius. Quia tota conuenientia, quam inter se habent maius, & minus extremum in conclusione, nascitur ex conuenientia, quam in antecedente habent cum medio, vt est notum. Sed conuenientia cuiusuis extremi non distributi cum medio non infert conuenientiam sui distributi cum ipso medio in antecedente, vt est notum; neque enim ex eo quòd conueniat homini esse animal, infertur, conuenire homini esse omne animal. Ergo neque infert conuenientiam sui distributi cum altero extremo in conclusione. Non ergo licet terminum in antecedente non distributum in conclusione ponere distributum.

Propos.

Propositio 6.

Vt syllogismus sit legitimus, quoties ambæ præ-
27 missæ sunt affirmatiuæ, conclusio debet esse af-
firmatiua. Et quoties altera præmissarum est nega-
tiua, conclusio debet esse negatiua.

Ratio demonstrans vtrumque est: quia quando aliquid in antecedente affirmatur de omni, vti euenit, quando ambæ præmissæ sunt affirmatiuæ, non potest id, nedum debet, negari in conclusione de aliquo contento sub omni. Et quãdo aliquid in antecedente negatur de omni, vti euenit, quando existente affirmatiua subsumpta, vt debet, iuxta *propos.* 4. residua negatiua est, non potest id, neduũ debet affirmari in conclusione de aliquo contento sub omni, vt est notissimum. Hæc dicta de syllogismis huius Artis; extra illam enim ex alterâ præmissâ negatiuâ legitimè potest conclusio affirmatiua inferri, vt in hoc cernitur: *vel mouetur Petrus, vel quiescit: at non mouetur: ergo quiescit.*

Propositio 7.

28 Vt syllogismus huius Artis legitimus sit, quoties altera præmissarum est particularis, & altera vniuersalis, conclusio debet esse particularis, neque vniuersalis esse potest.

Sermo est de particularibus, & vniuersalibus habentibus prædicatum commune nullo signo immediatè affectum, quales sunt A, E, I, O. de quibus solùm agimus modò. Ergo, vt planè propositionem demonstrem, suppono ex dictis *disp.* 18. *quæst.* 3. prædicatum commune propositionis negatiuæ siue vniuersalis, siue particularis distributiuè supponi; prædicatum verò commune propositionis affirmatiuæ siue vniuersalis, siue particularis, minimè. Iam arguo sic. Aut ambæ præmissæ sunt affirmatiuæ; aut altera affirmatiua, & altera negatiua (ambæ enim negatiuæ esse non possunt iuxta *propos.* 4.) Si ambæ sunt affirmatiuæ, solum subiectum vniuersalis erit distributum: quia neque prædicatum eius, neque subiectum neque prædicatum particularis erunt distributa; fietque, vt ex tribus terminis in antecedente positis, vnus tantùm sit distributus, & duo non distributi. Tum sic, vel distributum est medium, vel alterum ex extremis? Si alterum ex extremis: ergo defectu distributionis medij erit syllogismus inutilis, iuxta *propos.* 4. Si verò distributum est medium, & ambo extrema non distributa; ponaturque in conclusione vniuersali alterum distributum, procedetur à termino non distributo ad distributum, contra *propos.* 5. Si verò altera præmissarum est affirmatiua, & altera negatiua; aut affirmatiua est vniuersalis, & negatiua particula, aut è conuerso? Si affirmatiua est vniuersalis, prædicatum eius, & subiectum negatiuæ erunt indistributa; atque ita vnus saltem ex tribus terminis positis in antecedente erit indistributus omninò: sed hic nequit esse medium, quia defectu distributionis eius esset syllogismus inutilis: ergo est alterum ex extremis in conclusione ponendum. Si autem hæc ponatur vniuersalis negatiua distribuens vtrumque suum terminum (quia affirmatiua esse nequit, iuxta *propos.* 4.) procedetur iterum à non distributo ad distributum, contra *propos.* 5. debet ergo poni particularis. Denique, si affirmatiua est particularis, & negatiua vniuersalis, subiectum, & prædicatum affirmatiuæ erunt indistributa. Reditque idem argumentum. Debet ergo conclusio particularis esse, quando altera præmissarum est particularis. Quod erat demonstrandum.

Propositio 8.

Quoties ambæ syllogismi præmissæ sunt par- 29
ticulares, de quibus modò agimus, nihil ex eis legitimè infertur.

Quia, si ambæ sunt affirmatiuæ, in nullâ erit medium distributum, vt constat ex dictis: debet autem esse distributum, saltem in alterâ, iuxta *ibidem.* Si denique altera sit affirmatiua, & altera negatiua, subiectum, & prædicatum affirmatiuæ, & subiectum negatiuæ erunt indistributa; atque ita duo termini ex tribus antecedentis indistributi manebunt. Reditque argumentum factum pro primo casu *propos.* 6. includens, vel indistributionem medij, vel processum à non distributo ad distributum; siquidem conclusio in casu præsenti nequit non esse negatiua, atque adeò habens prædicatum distributum. Ex puris ergo particularibus nihil legitimè potest inferri. Quod erat demonstrandum.

Propositio 9.

Figuræ syllogisticæ ad istam Artem pertinentes 30
octo omninò debuissent adstrui ab Antiquis; vt minimùm autem quatuor ponendæ sunt, vt posuit Galenus. Quidquid Aristotelici tres solùm ponant.

Etenim figura syllogistica venit dicenda impræsentiarum ea dispositio, quam habent tres termini syllogismi inter se comparati panes prædicationem, & subiectionem. Sunt autem sic comparabiles inter se octo omninò modis. Nam medium potest esse aut prædicatum in vtraque præmissâ, aut subiectum in vtraque præmissa, aut prædicatum in maiore, & subiectum in minore, aut prædicatum in minore, & subiectum in maiore. In quolibetque horum quatuor casuum, præter habitudinem, quam habent extrema in antecedente cum medio, bifariam inter se in conclusione comparari possunt: quia potest in conclusione esse prædicatum maius extremum, & subiectum minus, vel vice versâ, prædicatum minus extremum, & subiectum maius. Quo euadunt casus possibiles omninò octo, iuxta quos octo figuræ debuissent poni, vt prima pars propositionis fert. Quod si figuræ syllogisticæ, iuxta comparationem duntaxat medij cum extremis sint adstruendæ, vt vulgò fit, quatuor omninò, iuxta quatuor primos casus propositos poni debent, vt fert pars secunda propositionis.

Hæ autem hoc ordine poni solent. Prima dici- 31
tur, quando medium est subiectum in maiore, & prædicatum in minore. Secunda, quando medium est prædicatum in vtraque. Tertia, quando medium est subiectum in vtraque. Quarta, quando medium est subiectum in minore, & prædicatum in maiore. Quando autem in vnaquaque harum quatuor figurarum maius extremum prædicatur in conclusione de minori extremo, syllogismus dicitur concludere directè; indirectè verò, quando conuerso minus extremum de maiori extremo prædicatur. Quo etiam pacto, vt vulgo morem gerentes clariùs procedamus, nos quoque loquemur deinceps, ponentes quatuor tantùm figuras proposito ordine, distinguentesque in quãuis earum syllogismos concludentes directè à concludentibus indirectè, appellantesque compendij causa priores quidem directos, & posteriores indirectos. In re enim, quæ parùm interest, non est, cur à more procedendi communi recedamus.

Propo si

Propositio 10.

32 Modi diuersi syllogismorum, qui ex his quatuor propositionum generibus A, E, I. O. in quatuor figuris statutis *proposit.* 9. componi possunt, omninò sunt. 512.

Nam modus syllogismorum dicitur ea dispositio, quam habent tres propositiones syllogismi inter se comparatæ penes quantitatem, & qualitatem, hoc est, penes vniuersalitatem, & particularitatem, affirmationemque, & negationem. Atque ita, quot ex illis quatuor propositionum generibus A, E, I, O. possunt ternarij diuersi fieri diuersitate desumptâ, tum à diuersâ naturâ, tum à diuersâ positione, tum à diuersâ repetitione propositionum ipsarum, tot sunt possibiles diuersi modi, atque adeò veluti diuersæ species syllogismorum pertinentium ad partem primam Artis præsentis, de quâ tractamus, vt constat. Ternarij autem sic diuersi ex A, E, I, O. possibiles in quatuor prædictis figuris omninò sunt 512. Nam, vt ex regulis combinationum tradendis *disp.* 29. constat, ex quatuor terminis diuersis ternarij diuersi possibiles diuersitate, tum naturæ terminorum, tum positionis, tum repetitionis eorum omninò sunt. 64. siquidem quiuis numerus terminorum multiplicatus per se ipsum omnes possibiles binarios modo dicto diuersos reddit, qui sunt. 16. Rursusque numerus binariorum per ipsum numerum terminorum multiplicatus reddit omnes ternarios possibiles, qui sunt dicti. 64. vt practicè exhibebunt tabulæ mox subiiciendæ. Numerus autem 64. ternariorum ex A, E, I, O. compositorum in vnaquaque quatuor figurarum semel pro syllogismis directis, & iterum pro indirectis ponendus est, quo in omnibus quatuor figuris resultant dicti 512. syllogismi possibiles.

33 Ex quibus vtiles ad legitimè concludendum ab inutilibus modò sunt secernendi, iuxta regulas demonstratas *in præced. proposit.* Cæterùm, quia vitium multorum inutilium ex præmissis præcisè nascitur independenter à conclusione, præmissas imprimis ex se inutiles ab vtilibus ex se secernere oportet in hunc modum.

Propositio 11.

34 Præmissæ syllogismorum, quæ ex A, E, I, O. componi possunt, in vnaquaque figurâ omninò sunt 16. Ex quibus septem omninò sunt ex se inutiles, & nouem vtiles.

Constat id ex combinatione factâ per sequentem tabulam.

	A	E	I	O
A	AA	AE	AI	AO
E	EA	~~EE~~	EI	~~EO~~
I	IA	IE	~~II~~	~~IO~~
O	OA	~~OE~~	~~OI~~	~~OO~~

In quâ præmissæ, quæ lineolâ superductâ velut expunctæ apparent, inutiles ex se sunt, iuxta dicta *proposit.* 3. & 7. quia vt in ipsis cernitur contra id, quod dictæ propositiones præscribunt, vel ambæ sunt negatiuæ, vel ambæ sunt particulares, vel vtrumque habent vitium, Reliquæ verò præmissæ cum vtroque eo vitio carent, vtiles ex se sunt. Vnde, ad oculum patet, binarios præmissarum ex se inutilium septem omninò esse; ex se autem vtilium nouem in vnaquaque figurâ, vt propositio data fert.

35 Quoniam autem ex prædictis septem binariis præmissarum inutilium cum quatuor conclusionibus A, E, I, O. collatis altero numero per alterum multiplicato, iuxta regulam combinandi *n.* 32. indicatam, 28. omninò syllogismi directi, & totidem indirecti resultant in vnaquaque figura, conficitur, syllogismos omnes inutiles ex vitio præmissarum præcisè in omnibus quatuor figuris possibiles omninò esse 224. Quibus reiectis, sequitur nunc, vt ex residuis, qui ex reliquis nouem binariis præmissarum ex se vtilium in vnaquaque figurâ componi possunt, inutiles rursus ab vtilibus separemus. Inutiles, inquam, non iam vitio præmissarum præcisè, sed vitio integri syllogismi.

Propositio 12.

36 Syllogismi, qui ex nouem binariis præmissarum ex se vtilium (qui separatis inutilibus restant, iuxta dicta *proposit.* 11.) componi possunt in vnaquaque figurâ 36. omninò sunt directi, & totidem indirecti. Ex quibus 24. directi, & totidem indirecti sunt in vnaquaque figurâ prorsus inutiles. 12. autem directi, & totidem indirecti vtiles saltem in aliquâ, vel in aliquibus figuris.

Constabit id ex combinatione factâ per sequentem tabulam, & cæteris, quæ subiungemus.

	A	E	I	O
AA	AAA	~~AAE~~	AAI	~~AAO~~
AE	~~AEA~~	AEE	~~AEI~~	AEO
AI	~~AIA~~	~~AIE~~	AII	~~AIO~~
AO	~~AOA~~	~~AOE~~	~~AOI~~	AOO
EA	~~EAA~~	EAE	~~EAI~~	EAO
EI	~~EIA~~	~~EIE~~	~~EII~~	EIO
IA	~~IAA~~	~~IAE~~	IAI	~~IAO~~
IE	~~IEA~~	~~IEE~~	~~IEI~~	IEO
OA	~~OAA~~	~~OAE~~	~~OAI~~	OAO

Syllogismi enim, qui in tabulâ propositâ lineolâ superdu

superductâ veluti expuncti apparent, inutiles prorsùs sunt, iuxta *propoſit.* 5. & 6. quia, vt in ipsis cernitur, contra id, quod dictæ propositiones præscribunt, aut habent conclusionem affirmatiuam, cùm altera ex præmissis sit negatiua, aut habent conclusionem negatiuam, cum ambæ præmissæ sint affirmatiuæ, aut habent conclusionem vniuersalem, cùm altera ex præmissis sit particularis, aut ex tribus hisce vitiis duo simul habent. Reliqui verò, qui supersunt, nullatenus expuncti, cùm omnibus iis vitiis careant, in aliquâ, vel aliquibus figuris, vbi neque vllum aliud habent, iuxta examen faciendum postmodùm vtiles sunt. Esse autem omnes, qui in tabulâ apparent 36. & ex eis 24. prorsus inutiles, & 12. vtiles ipsismet oculis cernitur. Quia tamen omnes aut directi, aut indirecti esse possunt, conficitur, possibiles in vnaquaque figurâ esse 36. directos, & totidem indirectos; prorsùs autem inutiles 24. directos, & totidem indirectos, vtiles denique saltem in aliquâ, vel in aliquibus figuris 12. directos, & totidem indirectos.

37 Ex quo patet, syllogismos prorsùs inutiles propter cõmemorata vitia in omnibus quatuor figuris omninò esse 192. qui iuncti cum 224. reiectis *propoſition.* 11. tanquam inutilibus propter vitia præmissarum præcisè reddunt 416. Torque subinde sunt, qui tanquam inutiles manent hactenùs ab reliquis separati.

38 Restat nunc. vt discurrendo per singulos 12. quos non inutiles exhibet tabula combinationum facta, examinemus singillatim, in quâ, vel in quibus figuris vnusquisque eorum sit vtilis; in quâ ue, vel in quibus euadat inutilis; idque tum directè, tum indirectè concludendo. Quod idem est ac examinare, quinam syllogismi vtiles, & quinam inutiles sint ex 96. qui supersunt in omnibus figuris possibiles 12. scilicet directi, & 12. indirecti in singulis. Præsto igitur id, provt sequitur, iuxta regulas præscriptas in præmissis propositionibus.

39 AAA directus valet in prima figurâ. Non valet in secundâ: quia non distribuit medium contra *propoſit.* 4. Non valet in tertiâ: quia procedit à termino non distributo ad distributum contra *propoſit.* 5. Non valet in quarta, propter idem vitium, contra eandem propositionem. AAA verò ind rectus valet in quartâ figurâ. Non valet in primâ: quia procedit à non distributo ad distributum. Non valet in secundâ: quia non distribuit medium. Non valet in tertiâ: quia procedit à non distributo ad distributum.

40 AEE directus valet in secundâ, & in quarta figurâ. Non valet in primâ: quia procedit à non distributo ad distributum. Non valet in tertiâ, propter idem. AEE verò indirectus valet in secundâ, & in quartâ figurâ. Non valet in primâ: quia procedit à non distributo ad distributum. Non valet in tertiâ propter idem.

41 EAE directus valet in primâ, & in secundâ figurâ. Non valet in tertiâ, neque in quartâ: quia in vtrâque procedit à non distributo ad distributum. EAE verò indirectus valet in primâ, & secundâ. Non valet in tertiâ, neque in quartâ propter idem.

42 AAI directus valet in primâ, tertiâ, & quartâ figurâ. Non valet in secundâ: quia non distribuit medium. AAI verò indirectus valet etiam in primâ, tertiâ, & quartâ. Non verò in secundâ propter idem.

AII directus valet in primâ, & in tertiâ figurâ. Non valet in secundâ, neque in quartâ: quia in neutrâ distribuit medium. AII verò indirectus valet etiam in primâ, & in tertiâ. Non valet in secundâ, neque in quartâ, propter idem. 43

IAI directus valet in tertiâ, & in quartâ figurâ. Non valet in primâ, neque in secundâ: quia in neutrâ distribuit medium. IAI verò indirectus valet etiam in tertiâ, & in quartâ; secùs in primâ, & secundâ, propter idem. 44

AEO directus valet in secundâ, & in quartâ. Non valet in primâ, neque in tertiâ: quia in vtraque procedit à non distributo ad distributum. AEO verò indirectus valet in omnibus quatuor figuris, 45

AOO directus valet in secundâ figurâ. Non valet in primâ, neque in tertiâ: quia procedit à non distributo ad distributum. Non valet in quartâ: quia non distribuit medium. AOO verò indirectus valet in tertiâ figurâ. Non valet in prima, neque in secundâ: quia procedit à non distributo ad distributum. Non valet in quartâ: quia non distribuit medium. 46

EAO directus valet in omnibus quatuor figuris. EAO verò indirectus valet in primâ, & in secundâ. Non valet in tertiâ, neque in quartâ: quia procedit à non distributo ad distributum. 47

EIO directus valet in omnibus quatuor figuris. EIO verò indirectus in nullâ valet: quia in omnibus procedit à non distributo ad distributum. 48

IEO directus in nullâ figurâ valet: quia in omnibus procedit à non distributo ad distributum. IEO verò indirectus in omnibus figuris valet. 49

OAO directus valet in tertiâ figurâ. Non valet in primâ: quia non distribuit medium. Non valet in secundâ, neque in quartâ: quia in vtrâque procedit à non distributo ad distributum. OAO verò indirectus valet in secundâ figurâ. Non valet in primâ: quia non distribuit medium. Non valet in tertiâ, neque in quartâ: quia in vtrâque procedit à non distributo ad distributum. 50

Quæ, cùm ita sint, iam liquidò apparet ex 96. syllogismis, quos examinandos suscepimus à *num.* 38. mediam omninò partem vtilium, & mediam inutilium esse, nempe 48. & 48. Ex quibus reiectis 48. inutilibus, qui coniuncti cum reliquis 416. *suprà num.* 37. recensitis, atque reiectis conficiunt 464. supersunt 48. vtiles, atque legitimi; in vnaquâque scilicet figurâ sex directi, & totidem indirecti 48. autem vtiles, & 464. inutiles 512. omninò componunt, qui est numerus omnium syllogismorum possibilium huius Artis, vt *suprà* præmisimus *propoſitione decima.* Itaque ex 512 modis diuersis syllogismorum, ex his quatuor generibus propositionum componibilium AEIO. præter 48. vtiles, & legitimos, quos sequens exhibet tabula, reliqui omnes sunt inutiles, & illegitimi ad inferendum necessariò ex antecedente vero consequens verum, provt requiritur in scientiis humanis ad comprobandam veritatem. Tametsi & illi aliquas habeant proprietates scitu dignas, vt *infrà* subiiciam. 51

52 Tabula prima, quæ exhibet omnes syllogismos de medio communi, omnésve modos syllogisticos possibiles in hâc primâ Artis parte, quibus necessariò concluditur ex vero verum; atque adeò legitimi, siue vtiles nuncupantur.

In 1. figurâ.
Directi.

A	A	A
E	A	I
A	I	I
E	I	O
A	A	I
E	A	O

Indirecti.

A	A	I
E	A	I
A	I	E
A	E	O
I	E	O
E	A	O

In 2. figura.
Directi

E	A	E
A	E	E
E	I	O
A	O	O
E	A	O
A	E	O

Indirecti.

A	E	E
E	A	E
I	E	O
O	A	O
A	E	O
E	A	O

In 3. figura.
Directi.

B	A	O
I	A	I
A	I	I
O	A	O
E	I	O
A	A	I

Indirecti.

A	A	I
A	E	O
A	I	O
I	A	I
I	E	O
A	O	O

In 4. figura.
Directi.

A	A	I
A	E	I
I	A	I
E	A	O
E	I	O
A	E	O

Indirecti.

A	A	A
I	A	I
I	E	O
A	E	E
A	A	I
A	E	O

53 Hinc deprehendes, quos syllogismos, seu modos syllogizandi vtiles, & legitimos vel ad primam huius Artis partem spectantes Logici Aristotelici omittant. Omittunt enim imprimis omnes quartæ figuræ; deinde indirectos omnes secundæ, & tertiæ: ac demùm eos de conclusione particulari, qui in aliis de vniuersala potestate includuntur, iuxta statim dicenda. Dumtaxatque numerant subindè quatuor primos directos, & quinque indirectos primæ figuræ, & quatuor primos directos secundæ, & sex directos tertiæ, qui omnes sunt 19.

54 Aduertendum tamen est, decem istorum syllogismorum, siue modorum potestate includi in aliis decem, sicut particulare includitur in vniuersali. Conueniunt enim cum illis in cæteris omnibus, præterquam in conclusione, quam habent particularem, cùm illi habeant vniuersalem includentem ipsam particularem. Hi sunt in prima figura duo vltimi directi inclusi in duobus primis, & vltimus indirectus inclusus in secundo. In secundâ figurâ duo vltimi directi inclusi in duobus primis, & duo vltimi indirecti inclusi similiter in duobus primis. Et in quarta figurâ vltimus directus inclusus in secundo, & duo vltimi indirecti inclusi alter in primo, alter in quarto. Quoties enim aliquis syllogismus concludit vniuersaliter, in promptu est, ex eisdem præmissis concludere particulariter, hoc ipso, quòd ab vniuersali ad particularem in vniuersali contentam prompta est consequentia. Sunt autem concludentes vniuersaliter omninò decem; atque ita totidem sunt concludentes particulariter, qui in illis potestate includi dicuntur.

55 Quòd, si aliqua exempla desideras accipe sequentia. Pro primo modo directo primæ figure: *Omnis homo est animal: Omne rationale*

est

est homo: ergo omne rationale est animal. Pro primo indirecto eiusdem: *Omnis homo est animal: Omne rationale est homo: ergo aliquod animal est rationale.* Pro primo directo secundæ figuræ: *Nullus lapis est animal: Omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis.* Pro primo indirecto eiusdem. *Omnis homo est animal: Nullus est lapis est animal: ergo nullus homo est lapis.* Pro primo directo tertiæ figuræ: *Nullus homo est lapis: Omnis homo est animal: ergo aliquod animal non est lapis.* Pro primo indirecto eiusdem: *Omnis homo est animal: Omnis homo est rationalis: ergo aliquod animal est rationale.* Pro primo directo quartæ figuræ. *Omnis homo est animal: Omne animal est viuens: ergo aliquod viuens est homo.* Pro primo denique indirecto eiusdem. *Omnis homo est animal: Omne animal est viuens: ergo omnis homo est viuens.* Cætera tu poteris adhibere.

Propositio 13.

56 Singulos syllogismos, seu modos syllogisticos tabulæ præcedentis legitimos esse, atque adeo per illos ex antecedente vero necessariò inferri consequens verum demonstratiuè ostenditur.

Et primum, quod attinet ad decem de conclusione particulari potestate inclusos in aliis decem de conclusione vniuersali, iuxta dicta nuperrimè, non est, cur speciatim quidpiam dicamus; siquidem demonstrata in his vi concludendi vniuersaliter, vis concludendi particulariter in illis demonstrata manebit; cùm euidentissimum sit ex horum vniuersalibus conclusionibus particulares illorum in eis contentas legitimè inferri; illis ergo decem potestate in aliis decem inclusis, quod ad rem attinet, prætermissis, ad reliquos demonstrandos pergo, vtendo eâdem demonstrandi arte, quâ vtuntur Logici communiter circa syllogismos, seu modos syllogismorum, quos ipsi ponunt, extensa tamen proportionaliter ad cæteros, quos ego addo.

57 Suppono itaque primo: singulos modos singulis dictionibus significari compositis ex tribus vocalibus, quibus illi à nobis hactenùs significati sunt. Dictiones autem sunt istæ. Pro quatuor modis directis primæ figuræ *Barbara, Celarent, Darij, Ferio.* Pro quinque autem indirectis *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.* Pro quatuor directis secundæ figuræ *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.* Pro quatuor autem indirectis *Camestre, Cesates, Festino, Botaco.* Pro sex directis tertiæ figuræ *Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison, Darapti.* Pro sex autem indirectis *Dapami, Fapremo, Darisis, Dismati, Fistemo, Batoco.* Pro quinque denique directis quartæ figuræ *Bamalip, Calemes, Ditamis, Fesapo, Fesiso.* Et pro quatuor indirectis *Barmaba, Dimari, Firemorum, Calerem.* Quæ omnes dictiones memoriæ causâ eodem ordine disponuntur sequentibus versibus.

1. figura. *Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.*
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
2. figura. *Cesare, Camestres, Festino, iunge Baroco.*
Camestre, & Cesates, queis iunge Festino, Botaco.
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.
3. figura. *Darapti, Dapami, Fapremo, simulque Darisis.*
Necnon Dismati, Fistemo, pariterque Batoco.
4. figura. *Bamalip, Calemes, Ditamis, Fesapo, Fesiso.*
Barmaba, Dimari, Firemorumque, Calerem.

Vbi aduerte, in dictionibus, quæ pro complemento versus plures, quàm tres vocales habent, ad rem trium priorum tantùm haberi rationem.

58 Suppono secundò quatuor modos directos primæ figuræ adeò expresè præ se ferre principia illa euidentissima *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, in quibus fundantur, vt, his suppositis, satis, superque euidentes cunctis appareant, quin maiori egeant demonstratione. Ob id modi perfecti appellantur, & cæteri omnes imperfecti comparatione eorum. Vnde, eorum vi illatiuâ, tanquam per se euidente suppositâ, vis illatiua reliquorum per reductionem ad illos demonstranda est. Bifariam autem potest, & solet demonstrari. Primò ostensiuè. Secundò per deductionem ad impossibile. Ostensiuè demonstratur, conuertendo aliquam, aut aliquas propositiones syllogismi imperfecti, iuxta regulas conuersionis traditas *disp. 19. quæst. 6.* & componendo ex conuertentibus syllogismum perfectum, qui inferat conclusionem, quæ erat imperfecti hâc ratione ad ipsum reducti. Cùm enim quidquid legitimè infertur ex consequente legitimè illato ex aliquo antecedente, nequit non sequi etiam legitimè ex ex ipso antecedente, vt est notissimum. Si ex conuertentibus præmissarum syllogismi imperfecti legitimè illatis per conuersionem ex ipsis præmissis conuersis, & positis in syllogismo perfecto legitimè infertur conclusio syllogismi imperfecti, manifestum est, quòd talis conclusio ex ipsis præmissis in ipso syllogismo imperfecto positis legitimè etiam inferebatur. Quod est demonstrationis intentum. Idemque euenit, quando vna tantùm præmissa conuertitur syllogismi imperfecti, conuertensque eius simul cum alterâ constituit syllogismum perfectum, ad quem reducitur ille, vt constat. Per deductionem autem ad impossibile demonstratur vis illatiua syllogismi imperfecti, deducendo negantem illam ad concedendas duas propositiones aut contrariè, aut contradictoriè oppositas simul veras. Quod est impossibile. Suppositâ enim, atque concessâ veritate præmissarum syllogismi imperfecti, si quis neget conclusionem, vt falsam, eius contradictoriam concedere tenetur; vt veram. Quo posito, ex ipsâ contradictoriâ conclusionis negatæ, & ex alterâ præmissarum concessâ construendum est antecedens syllogismi perfecti, qui reddat conclusionem oppositam alteri præmissæ etiam concessæ. Quo negans conclusionem syllogismi imperfecti ad concedendas duas propositiones oppositas simul veras erit deductus. Siquidem conclusionem syllogismi perfecti (ad quem imperfectus hâc ratione reduci dicitur) concedere debet, vt supponitur.

Vt autem sciatur, per quem syllogismum perfectum, siue per reductionem, ad quem vnusquisque 59 imperfectorum est demonstrandus ostensiuè, & quâ ratione ad dictiones nuper propositas solerter attendendum est. Illæ enim id indicant, cognita semel significatione litterarum, ex quibus constant. Pro quo suppono tertiò sequentia. 1. Per litteram initialem cuiusuis dictionis syllogismi imperfecti denotatur perfectus, ad quem ille reducitur; si enim est B. reducitur ad *Barbara*, si C, ad *Celarent*, si D, ad *Darij*, si F, ad *Ferio*. 2. Per litteram S. denotatur, propositionem designatam per vocalem antecedentem conuertendam esse simpliciter: per litteram autem P. conuertendam esse per accidens. propositionem, inquam, syllogismi imperfecti reducendi, quando est præmissa; syllogismi verò perfecti, quem ille reducitur, quando

est *conclusio* 3. *littera M* denotat mutationem præmissarum, maioris scilicet in minorem, & minoris in maiorem. 4. littera C. non initialis denotat, eadem syllogismum non posse demonstrari ostensivè; sed tantùm per deductionem ad impossibile. Apponamus exempla. *Baralipton* reducitur ad *Barbara*; inferendo ex eius præmissis positis *in Barbara* conclusionem vniuersalem, quæ conuersa per accidens, vt indicat littera P. dabit conclusionem ipsius *Baralipton*. Hâc ratione hæ duæ præmissæ: *Omnis homo est animal: Omne rationale est homo* acceptæ ex *Baralipton*, & positæ in *Barbara* hanc dant conclusionem: *Ergo omne rationale est animal*, quæ conuersa per accidens dat hanc, quæ est ipsius *Baralipton*: *Ergo aliquod animal est rationale*. Eodem modo reducitur ad *Barbara Bamalip*, nisi, quòd maior eius ponenda est in *Barbara* pro minore, & minor pro maiore, vt indicat littera M. *Fapesmo*, qui modus est indirectus primæ figuræ, reducitur ad *Ferio*, conuersâ illius maiore per accidens, vt indicat P. & minore simpliciter, vt indicat S. & positâ in *Ferio* pro maiore conuertente minoris, & pro minore conuertente maioris, vt indicat M. ita enim dabunt in *Ferio* conclusionem, quæ sit eadem ipsius *Fapesmo*. Sit namque syllogismus factus in *Fapesmo* iste: *Omnis homo est animal: Nullus lapis est homo: ergo aliquod animal non est lapis*. Cuius minor conuersa simpliciter hanc dabit ponendam pro maiore in *Ferio*: *Nullus homo est lapis*, & maior conuersa per accidens hanc ponendam pro minore: *Aliquod animal est homo*. Ex quibus positis in *Ferio*, eadem conclusio ipsius *Fapesmo* inferetur sic: *Nullus homo est lapis: Aliquod animal est homo: ergo aliquod animal non est lapis*. Simili modo *Camestres* reducitur ad *Celarent* conuersa illius minore simpliciter, & positâ conuertente pro maiore in *Celarent*, & pro minore maiore ipsius *Camestres*. Ex iis enim duabus in ipso *Celarent* inferetur conclusio, quæ conuersa simpliciter dabit eamdem conclusionem ipsius *Camestres*. Paritérque de cæteris ratiocinandum est, seruatis regulis statutis.

60 Superest, vt videamus, ad quem ex syllogismis perfectis, & quâ ratione est reducendus quilibet ex imperfectis, vt demonstretur vis illatiua eius per deductionem ad impossibile. Pro quo suppono quartò, quasdam dictiones excogitasse Logicos, per quarum vocales significantur tum syllogismi imperfecti, quo ordine positi sunt in carminibus suprà datis, tum conclusiones syllogismorum perfectorum, ad quos eorum singuli sunt reducendi. Dictiones autem sunt huiusmodi: *Nesciebatis odiebam letare Romanis*. Prima scilicet pro quinque modis indirectis primæ figuræ. Secunda pro quatuor directis secundæ, & residuæ pro sex directis tertiæ, quos solos ipsi ponunt vtiles, præter quatuor perfectos, vt suprà vidimus. Non verò pro reliquis, quos addimus, alias similiter directiones addimus. Nempe: *Odiebam errare nomina euiscerati omnino*. *Odiebam* scilicet pro quatuor indirectis secundæ figuræ. *Errare nomina* pro sex indirectis tertiæ. *Euiscerati* pro quinque directis quartæ. *Omninò* pro tribus indirectis eiusdem, *Barmaba* omisso, qui nequit reduci immediatè ad modum aliquem perfectum, vt mox dicam. Itaque quinque vocales dictionis *Nesciebatis* significant suo ordine quinque modos indirectos primæ figuræ; & conclusiones syllogismorum perfectorum, ad quos singuli reduci debent, videlicet prima E denotat, *Baralipton* reduci ad *Celarent*: quia E significat vniuersalem negatiuam, qualis est conclusio ipsius *Celarent*. Deinde prima I denotat, *Celantes* reduci ad *Dary*, cuius conclusio est particularis affirmatiua significata per I. Rursus secunda E, quæ est tertia vocalis, denotat, *Dabitis* reduci pariter ad *Celarent*, & A sequens denotat, *Fapesmo* reduci ad *Barbara*, cuius conclusio est vniuersalis affirmatiua, quam significat A. Ac denique I vltima denotat, *Frisesomorum* reduci similiter ad *Dary*. Eodemque ordine, & pacto de cæteris dictionibus est censendum.

Hoc posito, regula generalis demonstrandi 61
syllogismos imperfectos, reducendique illos ad perfectos per deductionem ad impossibile tradita paulò ante *numero quinquagesimo octauo*, pro diuersitate syllogismorum reducendorum est diuersimodè exequenda, iuxta particulares regulas, quæ sequuntur. Sit prima pro syllogismis indirectis primæ figuræ, excepto *Celantes*, qui sic reducentur ad suos perfectos. Ex oppositâ conclusionis fiat maior syllogismi perfecti, & ex maiore imperfecti concessa fiat minor, inferaturque conclusio, quæ conuersa reddet oppositam minoris etiam concessæ syllogismi imperfecti. Sic enim syllogismus factus in *Dabitis*, & reducendus ad *Celarent*, iuxta nuper dicta hic: *Omnis homo est animal: aliquod rationale est homo: ergo aliquod animal est rationale*. Concessoque antecedente, neget aliquis consequentiam. Contra quem sic est arguendum. Si conclusio est falsa, cùm maior, & minor sint veræ (ideò enim antecedente concesso, consequentia negatur) illius contradictoria erit vera, nempe *Nullum animal est rationale*. Ponatur ergo hæc pro maiore in *Celarent*, & pro minore maior syllogismi imperfecti facti concessa. *Omnis homo est animal*, infereturque conclusio hæc necessariò concedenda: *Ergo nullus homo est rationalis*, quæ conuersa simpliciter hanc dabit necessariò etiam concedendam ex vi legitimæ conuersionis: *Nullum rationale est homo*, quæ contradictoria est minoris syllogismi imperfecti facti concessæ tanquam veræ, nempe *Aliquod rationale est homo*. Quo Aduersarius manet inductus, coactusque ad concedendum, esse veras simul duas contradictorias. Quod manifestè est impossibile. Patetque penitùs repugnare, vt syllogismi facti in *Dabitis* antecedens verum sit, & consequens falsum; siquidem ex hâc positione sequitur impossibile, duas videlicet contradictorias simul veras esse. Quo eodem pacto cæteri syllogismi imperfecti demonstratione deducente ad impossibile per reductionem ad perfectos sunt demonstrandi, seruatis vniuscuiusque regulis.

Secunda itaque regula pro *Celantes* est. Ex 62
oppositâ conclusionis fiat minor, & ex minori maior, inferaturque conclusio, quæ conuersa reddet oppositam maioris. Tertia regula pro quatuor modis directis secundæ figuræ est. Ex oppositâ conclusionis fiat minor, & retentâ maiore inferetur opposita minoris. Quarta regula pro sex modis directis tertiæ figuræ est. Ex oppositâ conclusionis fiat maior, & retentâ minore, inferetur opposita maioris. Hactenus de modis imperfectis, quos solos ponunt Logici Aristotelici. Accidant reliqui, quos nos addidimus. Sit quinta regula pro quatuor indirectis secundæ figuræ. Ex oppositâ conclusionis fiat maior, & ex minori concessâ fiat minor, infere-

inferturque opposita maioris. Sexta regula pro sex modis indirectis tertiæ figuræ est. Ex oppositâ conclusionis fiat maior, & ex maiore minor, infereturque opposita minoris. Septima regula pro modis directis quartæ figuræ, excepto *Calemes*, est. Ex oppositâ conclusionis fiat maior, & retentâ minore, inferetur conclusio, quæ conuersa reddet oppositam maioris. Octaua regula pro ipso *Calemes* est. Ex oppositâ conclusionis fiat minor, & retentâ maiore, inferetur conclusio, quæ conuersa reddet oppositam minoris. Nona regula pro duobus modis indirectis quartæ figuræ *Dimaris*, & *Fiemorum* est. Ex oppositâ conclusionis fiat maior, & conuersa simpliciter maiore, fiat ex conuertente minor, infereturque opposita minoris. Decima regula pro *Calerem* indirecto etiam eiusdem figuræ est. Ex oppositâ conclusionis fiat minor, & conuersâ simpliciter minore, fiat ex conuertente maior, infereturque opposita maioris. *Barmaba* autem, qui reliquus est modus indirectus quartæ figuræ non potest reduci immediatè ad aliquem ex quatuor modis perfectis, mediatè tamen reducetur, si priùs reducatur ad *Bocardo* tertiæ figuræ hoc pacto. Ex oppositâ conclusionis fiat maior, & ex maiore minor, infereturque opposita minoris.

63 Aduertendum tamen est primò circa has regulas: quoties in eis dicitur, ex oppositâ conclusionis fiat maior, vel minor, &c. per oppositam conclusionis semper intelligi contradictoriam: quia, negans conclusionem vt falsam, solùm tenetur concedere eius contradictoriam vt veram, cùm sit euidentissimum, non posse esse simul falsas contradictorias, non item contrariam: quia contrariæ simul falsæ esse possunt. Vndè, vniuersaliter inferes argumentum deducens ad impossibile ex oppositâ tantùm contradictoriè propositioni negatæ debere procedere, vt sit firmum; non item ex oppositâ contrariè; poterit tamen procedere etiam ex subcontraria, tametsi subcontrariæ inter se non sint propriè oppositæ, eo quòd duæ etiam subcontrariæ non possint esse simul veræ, iuxta dicta *disp.* 19. *q.* 2. Quoties verò dicitur: inferetur opposita maioris, vel minoris &c. per oppositam maioris, vel minoris, aut contrariam, aut contradictoriam eius venire intelligendam. Tum quia sæpè infertur immediatè contraria; non verò contradictoria alteriùs concessæ. Tum quia ad intentum arguentis, quod est deducere aduersarium ad concedendum impossibile, id satis est; cùm non sit minùs impossibile, dari simul veras duas contrarias, quàm duas contradictorias. Præterquam quod inductus immediatè ad concedendas duas contrarias simul veras, confestim potest mediatè induci ad concedendas etiam simul veras duas contradictorias; siquidem ex quâlibet contrariarum eiusdem subalterna, quæ alterius est contradictoria euidentissimè infertur. Vnde etiam vniuersaliter infertur per argumentum deducens ad impossibile, sat esse inferre simul veras duas contrarias.

Secundò aduertendum est: mûltos ex prædictis syllogismis, seu modis imperfectis syllogismorum aliter insuper, quàm dictæ regulæ præscribunt posse demonstrari, & ad perfectos reduci, vt attentè discurrenti per singulos notum fiet. Quas demonstrationes ego non addo: quia sat est eorum vim, & efficaciam vnâ dumtaxat via monstrasse. Omitto etiam aliud genus demonstrationis, siue expositionis, quo Aristot. per syllogismos de medio singulari quasi euidentiori exposuit syllogismos huius Artis spectantes ad tertiam figuram. Quo iure syllogismi de medio singulari expositorij nuncupantur. Id autem præstitit assumendo propositiones singulares contentas in vniuersalibus syllogismi exponendi, & ex eis per expositorium eandem conclusionem exponendi inferendo.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Mirabiles primo aspectu videntur huiusce Artis proprietates, quas per aliquot ex sequentibus consectariis iam iam subiicimus. Sed facilitas demonstrationis earum fortasse non est minùs mirabilis. 65

Consectarium 1.

Ex 512. modi syllogismorum in hac Artis prima parte possibilibus, iuxta demonstrationem factam *propositione decima*, omninò sunt 48. nec plures, nec pauciores, in quibus ex antecedente falso necessariò sequitur consequens verum. Sunt autem omnes ex numero eorum, quos reiecimus vt inutiles ad necessariò inferendum ex vero verum. 66

Accipiatur enim tabula prima syllogismorum vtilium ad necessariò inferendum ex vero verum proposita *num.* 52. & loco præmissarum vniuscuiusque eorum ponantur earumdem præmissarum contradictoriæ, nempe loco A, vbicunque sit ponatur O, & loco E ponatur I, & loco I ponatur E, & loco O ponatur A, relictisque eisdem conclusionibus, quas habent syllogismi illi vtiles, resultabit tabula 48. syllogismos exhibens, de quibus loquitur consectarium. Ea autem est, quæ sequitur.

Tabula secunda, quæ exhibet omnes syllogismos in hâc Artis parte possibiles, in quibus ex antecedente falso necessariò sequitur consequens verum. 67

In 1. *figura.*

Directi.

O	O	A
I	O	E
O	E	I
I	E	O
O	O	I
I	O	O

Indirecti.

O	O	
I	O	
O	E	
O	I	
E	I	
I	O	

In 2. figura.
Directi.

I	O	E
O	I	E
	E	O
O	A	O
I	O	O
O	I	O

Indirecti.

	I	E
	O	E
E	I	O
A	O	O
O	I	O
I	O	O

In 3. figura.
Directi

I	O	O
E	O	I
O	E	I
A	O	O
I	E	O
O	O	I

Indirecti.

O	O	I
O	I	O
O	E	I
E	O	I
E	A	O
O		

In 4. figura.
Directi.

O	O	I
O	I	E
E	O	I
I	O	O
I	E	O
O	I	O

Indirecti.

O	O	A
E	O	I
E	I	O
O	I	E
O	O	I
O	I	O

Quoniam enim impossibile est, quòd præmissæ syllogismorum huius tabulæ falsæ sint, quin sint veræ præmissæ syllogismorum vtilium tabulæ primæ, vtpote earum contradictoriæ (siquidem propositiones contradictoriæ non possunt esse simul falsæ, iuxta notissimum principium statutum *disp. 9. quæst. 5. propos. 1.*) Et impossibile est præmissas syllogismorum vtilium tabulæ primæ esse veras, quin sit vera eorumdem syllogismorum conclusio, vt est demonstratum *propos. 13.* Conclusioque syllogismorum tabulæ primæ, & conclusio syllogismorum huius prorsùs sit eadem. Planè consequitur de primo ad vltimum esse impossibile, quòd præmissæ syllogismorum huius tabulæ falsæ sint, & quòd non sit vera eorum conclusio. Quod erat demonstrandum.

Iam quòd syllogismi huius generis inferentes necessariò verum ex falso omnino sint 48. & omnes ex eorum numero, quos vt inutiles reiecimus, tabula ipsa ostendit ad oculum. In eâ siquidem apparet, omnes 48. quos continet, esse inter se diuersos, & nullum eorum reperiri in alterâ tabulâ vtilium. Dices, vt sumuntur ad conficiendam istam tabulam contradictoriæ præmissarum syllogismorum vtilium, posse etiam sumi contrarias, & subcontrarias, atque ita ex his alios insuper syllogismos componi posse, in quibus ex antecedente falso sequatur necessariò consequens verum. Respondeo, ex falsis contrariis præmissarum syllogismorum vtilium non sequi necessariò, ipsas præmissas esse veras, vt inde sequatur necessariò, esse quoque veras conclusiones: quia duæ contrariæ possunt esse simul falsæ, vt constat ex dictis *disput. 19. quæst. 2.* Quare, assumptio contrariarum præmissarum syllogismorum vtilium ad rem nihil prodest. Ex falsis verò subcontrariis præmissarum syllogismorum vtilium licet necessariò infertur veritas ipsarum præmissarum, & consequenter conclusionum: quia duæ subcontrariæ perinde atque duæ contradictoriæ non possunt esse simul falsæ, licet possint esse simul veræ, iuxta dicta *ibid.* atque ita ex illis etiam assumptis componantur syllogismi necessariò concludentes ex falso verum. Hi tamen omnes concidunt in vnaquâque figurâ mirâ quâdam correspondentiâ cum aliis compositis ex assumptis contradictoriis; atque ita numerum syllogismorum huius generis inter se diuersorum non augent, vt, re examinatâ, vnusquisque facilè deprehendet. Perspicietque planè, syllogismos huius generis inter se diuersos omninò esse 48. nec plures, nec pauciores, vt dictum est. 68

Consectarium 2.

Ex 512. modis syllogismorum in hâc Artis priore parte possibilibus 48. omninò sunt, in quibus ex antecedente vero necessariò infertur consequens falsum. Quorum nullus coincidit cum aliquo ex contentis aut in primâ vtilium, aut in præcedente inutilium tabulâ. 69

Accipiatur enim tabula prima syllogismorum vtilium, & retentis eorumdem præmissis, ponatur loco conclusionis vniuscuiusque contradictoria eius, resultabitque tabula syllogismorum, de quibus est sermo in Consectario. Qualis est sequens.

Tabula tertia exhibens omnes syllogismos in hâc Artis parte possibiles. In quibus ex antecedente vero necessariò sequitur consequens falsum.

In 1. figura.
Directi.

A	A	O
E	A	I

A	I	E
E	I	A
A	A	E
E	A	A

Indirecti.

A	A	E
E	A	I
A	I	E
A	E	A
I	E	A
E	A	A

In 2. figurâ.
Directi

E	A	I
A	E	I
E	I	A
A	O	A
E	A	A
A	E	A

Indirecti

A	E	I
E	A	I
I	E	A
O	A	A
A	E	A
E	A	A

In 3. figurâ.
Directi

E	A	A
A	A	E
I	A	E
O	A	A
E	I	A
A	A	E

Indirecti

A	A	E
A	E	A
A	I	E
I	A	E
I	E	A
A	O	A

In 4. figurâ.
Directi

A	A	E
A	E	I
I	A	E
E	A	A
E	I	A
A	E	A

Indirecti

A	A	O
I	A	E
I	E	A
A	E	I
A	A	E
A	E	A

Quoniam enim, vt constat ex iam demonstratis, impossibile est, quòd sint veræ præmissæ syllogismorum huius tabulæ quæ eædem sunt syllogismorum vtilium tabulæ primæ, quin eorumdem syllogismorum vtilium sint veræ conclusiones, & illæ veræ esse non possint, quin sint falsæ conclusiones syllogismorum huius tabulæ, vtpote contradictoriæ illarum (siquidem propositiones contradictoriæ simul veræ esse non possunt, vt constat) impossibile est de primo ad vltimum, quòd præmissæ syllogismorum huius tabulæ veræ sint, quin ipsorum conclusiones sint falsæ. Quod erat demonstrandum.

Iam, quòd syllogismi huius tabulæ 48. sint omninò diuersi adæquatè à syllogismis primæ, & secundæ, ex ipsis tabulis inspectis patebit vnicuique ad oculum. Dices assumptis etiam contrariis, & subcontrariis conclusionum syllogismorum vtilium tabulæ primæ cum eorumdem præmissis, plures componentur syllogismi huius generis. Respondeo, assumptionem subcontrariarum ad rem nihil prodesse; siquidem subcontrariæ simul veræ esse possunt: syllogismos autem compositos ex assumptis in contrariis in vnaquaq; figurâ recidere in compositos ex assumptis cõtradictoriis; atque ita syllogismorum huius generis numerum non augere; nempe compositi ex contrariis conclusionum decem syllogismorum vtilium concludentium vniuersaliter (aliorum enim conclusiones non habet contrarias) iidem sunt, atque compositi ex contradictoriis conclusionum aliorum decem, qui in illis potestate includuntur, iuxta dicta *suprà propos.* 12. & 13: 71

Consectarium 3.

Ex 152. modis syllogismorum in primâ hâc Artis parte possibilium 48. omnino sunt, in quibus ex antecedente falso necessariò sequitur consequens falsum; sunt autem omnes diuersi à syllogismis trium præcedentium tabularum. 72

Accipiatur enim tabula prima syllogismorum vtilium, & loco tam præmissarum, quàm conclusionum earum ponantur ipsarum contradictoriæ; tabula namque ex his composita dabit syllogismos dicti generis. Est autem, quæ sequitur.

Tabula quarta syllogismorum in hac parte Artis possibilium, in quibus ex antecedente falso necessariò sequitur consequens falsum.

In 1. figurâ,
Directi

O	O	O
I	O	I
O	E	E
I	E	A
O	O	E
I	O	A

Indirecti

O	O	E
I	O	I
O	E	E
O	I	A
E	I	A
I	O	A

in 2. figurâ.
Directi

I	O	I
O	I	I
I	E	A
O	A	A
I	O	A
O	I	A

Indirecti

O	I	I
I	O	I
E	I	A
A	O	A
O	I	A
I	O	A

in 3. figurâ.
Directi

I	O	A
E	O	E
O	E	A
A	O	E
I	E	A
O	O	E

Indirecti

O	O	E
O	I	A
O	E	E
E	O	E
E	I	A
O	A	A

In 4. figurâ.
Directi

O	O	E
O	I	I
E	O	E
I	O	A
I	E	A
O	I	A

Indirecti.

O	O	O
E	O	E
E	I	A
O	I	I
O	I	E
O	O	A

Etenim impossibile est, præmissas syllogismorum huius tabulæ falsas esse, quin sint veræ præmissæ syllogismorum vtilium tabulæ primæ, vtpote earum contradictoriæ; præmissæ autem syllogismorũ vtilium tabulæ primæ veræ esse non possunt; quin sit vera eorumdem conclusio, vt constat ex dictis, & talis conclusio vera esse nequit, quin falsa sit conclusio syllogismorum huius tabulæ, vtpote contradictoria eius: ergo de primo ad vltimum, impossibile est, quòd sint falsæ præmissæ syllogismorum huius tabulæ, quin & eorum conclusio sit falsa. Quod erat demonstrandum.

74 Iam, quòd syllogismi huius tabulæ 48: sint omninò diuersi adæquatè à syllogismis trium præcedentium tabularum per dicta circa secundam, & tertiam est manifestum; maximè, cum hæc mixtio quædam sit earum, vt constat.

Consectarium 4.

75 Ex 512. modis syllogismorum in hac parte Artis possibilium 48. omninò sunt diuersi à cæteris hactenus numeratis, in quibus ex maiori falsâ, & minori verâ necessariò sequitur conclusio vera.

Accipiatur enim tabula prima syllogismorum vtilium, & retentis minore, & conclusione eorumdem syllogismorum loco maioris vniuscuiusque ponatur eius contradictoria, resultabitque tabula exhibens syllogismos, de quibus agit consectarium. Qualis est, quæ sequitur.

Tabula quinta syllogismorum in hâc parte Artis possibilium, in quibus ex maiori falsâ, & minore verâ necessariò sequitur conclusio vera.

In 1. figurâ.
Directi

O	A	A
I	A	E
O	I	I
I	I	O
O	A	O
I	A	O

Indirecti.

O	A	I
I	A	E
O	I	I
O	E	O
E	E	O
I	A	O

In 2. figurâ.
Directi

I	A	E
O	E	E
I	I	O
O	O	O
I	A	O
O	E	O

In directi

O	E	E
I	A	E
E	E	O
A	A	O
O	E	O
I	A	O

In 3. figurâ.
Directi

I	A	O
E	A	I
O	A	I
A	A	I
I	I	O
O	A	I

Indirecti.

Indirecti.

O	A	I
O	E	O
O	I	O
E	A	I
E	E	O
O	O	O

In 4. figurâ.
Directi.

O	A	I
O	E	E
E	A	I
I	A	O
I	I	O
O	E	O

Indirecti.

O	A	A
E	A	I
E	E	O
O	E	E
O	A	I
O	E	O

Impossibile quippe est maiorem horum syllogismorum esse falsam, & minorem veram, quin sint veræ ambæ præmissæ syllogismorum vtilium tabulæ primæ, eo quòd maior horum contradictoria maiori illorum, & minor horum eadem cum minori illorum est: sed nequeunt esse veræ præmissæ syllogismorum primæ tabulæ, quin sit vera illorum conclusio, quæ eadem est syllogismorum huius tabulæ. Ergo impossibile est, maiorem syllogismorum huius tabulæ falsam esse, & minorem veram, quin sit vera eorumdem conclusio. Quod erat demonstrandum.

77 Quòd autem omnes syllogismi huius tabulæ, & inter se, & ab omnibus præcedentium diuersi sint ipsæ tabulæ inspectæ ostendunt. Tum, quòd sint 48. omninò, nec crescat hic numerus propter syllogismos, qui ex assumptis item subcontrariis effici possent, iuxta dicta *confect.* 1. planè etiam hic deprehendit, qui considerauerit, quomodò mira correspondentia semper syllogismi facti ex subcontrariis assumptis coincidunt cum aliis factis ex assumptis contradictoriis, iuxta *ibi* etiam dicta.

Consectarium 5.

78 Ex 512. modis syllogismorum ex hâc Artis parte possibilibus 48. omninò sunt diuersi à cæteris hactenus recensitis, in quibus ex maiori verâ, & minore falsâ necessariò sequitur conclusio vera.

Tales enim sunt, quos exhibet tabula sequens compositos ex eâdem maiore, & ex eâdem conclusione, & ex contradictoriâ minoris syllogismorum vtilium tabulæ primæ.

79 Tabula sexta syllogismorum in hac parte Artis possibilium, in quibus ex maiore vera, & minore falsâ necessariò sequitur conclusio vera.

In 1. figurâ,
Directi

A	O	A
E	O	E
A	E	I
E	E	O
A	O	I
E	O	O

Indirecti

A	O	I
E	O	E
A	E	I
A	I	O
I	I	O
E	O	O

In 2. figurâ.
Directi

E	O	E
A	I	E
E	E	O
A	A	O
E	O	O
A	I	O

Indirecti

A	I	E
E	O	E
I	I	O
O	O	O
A	I	O
E	O	O

In 3. figura.
Directi

E	O	O
I	O	I
A	E	I
O	O	O
E	E	O
A	O	I

Indirecti.

A	O	I
A	I	O
A	E	I
I	O	I
I	I	O
A	A	O

In 4. figurâ.
Directi

A	O	I
A	I	E
I	O	I
E	O	O
E	I	O
A	O	O

Indirecti

Indirecti

A	O	A
I	O	I
I	I	O
A	I	E
A	O	I
A	I	O

Quoniam enim est impossibile, maiorem syllogismorum huius tabulæ veram esse, & minorem falsam, quin sint veræ ambæ præmissæ syllogismorum vtilium tabulæ primę, vtpote quarum maior eadem, & minor contradictoria minoris horum præsentis tabulæ sunt. Et præmissæ syllogismorum tabulæ primæ veræ esse non possunt, quin sit vera earumdem conclusio, quæ eadem syllogismorum huius tabulæ conclusio est, impossibile est de primo ad vltimum, maiorem syllogismorum huius tabulæ veram esse, & minorem falsam, quin conclusio eorumdem sit vera, quod erat demonstrandum.

80 Quomodò autem huius tabulæ syllogismi omninò sint 48. diuersi à numeratis in præcedentibus, ex dictis etiam in præcedentibus palam est.

Consectarium 6.

81 Ex 512. modis syllogismorum in hâc parte Artis possibilibus 48. sunt omninò diuersi à cæteris hactenus numeratis, in quibus ex maiore falsâ, & minore verâ necessariò sequitur conclusio falsa.

Tales enim sunt, quos exhibet tabula sequens compositos ex contradictoriâ maioris, & ex eâdem minore, & ex contradictoriâ conclusionis syllogismorum vtilium tabulæ primæ.

82 Tabula septima syllogismorum in hâc parte Artis possibilium, in quibus ex maiore falsâ, & minore verâ necessariò sequitur conclusio falsa.

In 1. figura.
Directi.

O	A	O
I	A	I
O	I	E
I	I	A
O	A	E
O	A	A

Indirecti.

O	A	E
I	A	I
O	I	E
O	E	A
E	E	A
I	A	A

In 2. figura.
Directi

I	A	I
O	E	I
I	I	A
O	O	A
I	O	A
O	E	A

Indirecti.

O	E	I
I	A	I
E	E	A
A	E	A
O	E	O
I	A	A

In 3. figura.
Directi.

I	A	A
E	A	E
O	I	E
A	I	A
I	I	A
O	A	E

Indirecti.

O	A	E
O	E	E
O	E	A
E	A	E
E	B	A
O	O	A

In 4 figura.
Directi.

O	A	E
O	E	I
E	A	E
I	A	I
I	I	A
O	E	A

Indirecti.

O	A	O
E	A	E
E	E	A
O	E	I
O	A	E
O	E	A

Etenim impossibile est, maiorem syllogismorum huius tabulæ falsam esse, & minorem veram, quin sint veræ ambæ præmissæ syllogismorum vtilium tabulæ primæ, vtpote quarum maior contradictoria est maioris, & minor eadem cum minore syllogismorum huius tabulæ: sed nequeunt esse veræ præmissæ illorum vtilium syllogismorum, vt constat, quin sit vera conclusio eorumdem; & talis conclusio vera esse non potest, quin conclusio horum ipsius contradictoria sit falsa, vt etiam constat.

stat. Ergo de primo ad vltimum impossibile est maiorem syllogismorum huius tabulæ falsam esse, & minorem veram, quin sit eorum falsa conclusio. Quod erat demonstrandum.

83 Esse autem omninò 48. syllogismos huius tabulæ, diuersosque ab omnibus præcedentibus ex dictis in superioribus satis est notum.

Consectarium 7.

84 Ex 512. modis syllogismorum in hac parte Artis possibilium 48. sunt omninò diuersi à cæteris recensitis hucvsque, in quibus ex maiore verâ, & minore falsâ necessariò sequitur conclusio falsa.

Tales enim sunt quos exhibet tabula sequens compositos ex eâdem maiore, & ex contradictoriâ minoris & ex contradictoriâ conclusionis syllogismorum vtilium tabulæ primæ.

85 Tabula octaua omnium syllogismorum in hâc parte Artis possibilium in quibus ex maiore verâ, & minore falsâ necessariò sequitur conclusio falsa.

In 1. figurâ.
Directi

A	O	O
E	O	I
A	E	E
E	E	A
A	O	E
E	O	A

Indirecti.

A	O	E
E	O	I
A	E	E
A	I	A
I	I	A
E	O	A

In 2. figurâ.
Directi

E	O	I
A	I	I
E	E	A
A	O	A
E	O	A
A	I	A

Indirecti.

A	I	I
E	O	I
I	I	A
O	O	A
A	I	A
E	O	A

In 3. figurâ.
Directi

E	O	A
I	O	E
A	E	E
O	O	A
E	E	A
A	O	E

Indirecti.

A	O	E
A	I	A
A	E	E
I	O	E
I	I	A
A	A	A

In 4. figurâ.
Directi

A	O	E
A	I	I
I	O	E
E	O	A
E	E	A
A	I	A

Indirecti.

A	O	O
I	O	E
I	I	A
A	I	I
A	O	E
A	I	A

Etenim impossibile est, maiorem syllogismorum huius tabulæ veram esse, & minorem falsam, quin sint veræ ambæ præmissæ syllogismorum vtilium tabulæ primæ, vtpote quarum maior eadem est cum maiore, & minor contradictoria minoris horum syllogismorum: sed præmissæ illorum veræ esse non possunt, quin sit eorumdem vera conclusio, vt constat; & ipsa eorumdem conclusio nequit esse vera, quin sit falsa conclusio syllogismorum huius tabulæ contradictoria illius, vt etiam constat: ergo impossibile est, maiorem syllogismorum huius tabulæ veram esse, & minorem falsam, quin sit falsa eorum conclusio. Quod erat demonstrandum.

86 Esse autem 48. omninò huius tabulæ syllogismos, diuersosque ab omnibus propositis in septem præcedentibus ex iis, quæ in superioribus diximus satis superque notum est.

Consectarium 8.

87 Genera diuersa syllogismorum huius Artis concludentium cum necessitate, aut veritatem, aut falsitatem in omni materiâ 8. omninò sunt, quorum vnumquodque 48. omninò species diuersas, seu modos diuersos syllogismoium sub se complectitur.

Combinationes quippe possibiles penes veritatem, & falsitatem syllogismorum necessariò concludentium 8. sunt omninò. 1. Necessariò concludentium ex antecedente vero consequens verum. 2. ex antecedente falso consequens verum. 3. ex antecedente vero consequens falsum. 4. ex antecedente falso consequens falsum. 5. ex maiore falsâ, & minore verâ consequens verum. 6. ex maiore verâ, & minore falsâ consequens verum. 7. ex maiore falsâ, & minore verâ consequens falsum. 8. ex maiore verâ, & minore falsâ consequens falsum. Ex quibus prima combinatio est eorum, quos vtiles, siue legitimos dicunt; cæteræ autem septem eæ sunt,

sunt, de quibus suo ordine egimus in septem præcedentibus consectariis. In quauis autem earum, quod attinet ad hanc partem Artis, de quâ modò agimus 48. modi diuersi sunt, vt vidimus : in vnaquaque videlicet quatuor figurarum 12. sex directi, & sex indirecti. Quorum proinde omnium summa est 384. Summa autem vniuscuiusque figuræ 96. 48. directi, & 48. indirecti.

88 Et omnium quidem horum syllogismorum medietas, vt constat ex combinationibus factis, necessariò infert consequens verum, medietas autem consequens falsum. Itaque in 192. eorum ex suppositione antecedentis aut veri, aut falsi, aut mixti, necessarium omninò est, quòd sit consequens verum ; atque adeò impossibile, quòd sit falsum. In reliquis verò 192. ex suppositione antecedentis aut veri, aut falsi, aut mixti necessarium omninò est, quòd consequens sit falsum, atque adeò impossibile, quòd sit verum.

Consectarium 9.

89 Ex 512. modis syllogismorum possibilium in hac Artis parte 128. omninò sunt, in quibus ex quouis antecedente, siue vero siue falso, siue mixto nec verum, nec falsum consequens necessariò concluditur ; sed contingenter, aut verum aut falsum pro diuersitate materiæ.

Quoniam omnes syllogismi possibiles in hâc Artis parte, in quibus ex omni antecedente possibili, aut vero, aut falso, aut mixto concluditur cum necessitate consequens aut verum, aut falsum 384. omninò sunt, vt constat ex demonstratis. Nullus ergo reliquorum, qui restant vsque ad 512. in hâc Artis parte possibiles concludit ex quouis antecedente possibili aut vero, aut falso, aut mixto cum necessitate consequens, aut verum, aut falsum. Eo autem ipso neque concludit vllus eorum ex quouis antecedente cum impossibilitate consequens aut verum, aut falsum : quia iam concluderet cum necessitate verum, qui cum impossibilitate concluderet falsum, & vice versâ, vt constat. Relinquitur ergo, vt omnes, qui restant possibiles vsque ad 512. concludant ex quouis antecedente possibili cum contingentiâ, siue cum indifferentiâ consequens vel verum, vel falsum ; siquidem vbi neque necessitas, neque impossibilitas est, ibi sit contingentia necesse est, vt etiam constat. Sunt autem, qui restant 128. Igitur 128. concludunt cum contingentia ex quouis antecedente consequens vel verum, vel falsum. Quod erat ostendendum. Ex quibus ad vnamquamque figuram pertinent 32. scilicet 16. directi, & 16. indirecti. Itaque ex suppositione antecedentis siue veri, siue falsi, siue mixti vniuscuiusque horum 128. syllogismorum, neque est necessarium, quòd consequens sit verum, neque est necessarium, quòd sit falsum ; sed cum indifferentia potest esse aut verum, aut falsum, eo quòd quouis eorum antecedens neque cum veritate, neque cum falsitate consequentis connexum est. Cùm tamen ex suppositione antecedentis aut veri, aut falsi, aut mixti vniuscuiusque aliorum 384. necessarium sit, quòd consequens sit verum, si sit ille ex medietate inferentium verum ; aut, quòd consequens sit falsum, si sit ille ex medietate inferentium falsum, iuxta dicta *consectar.* 8. eo quòd tale antecedens cum veritate, aut cum falsitate talis consequentis necessariò connexum est. Porrò, tabulam horum syllogismorum cum indifferentiâ inferentium verum, vel falsum adiicere opus non est ; siquidem quicunque occurrerit ex aliqua harum propositionum A E I O combinatione compositus, & in præcedentibus tabulis non reperius ex eorum genere esse statim noscetur.

Consectarium 10.

In quouis ex syllogismis contentis in 8. tabulis præcedentibus, qua necessitate ex antecedente infertur consequens, eadem ex contradictorio consequentis infertur contradictorium antecedentis. 90

Qua, qua necessitate antecedens connexum est cum consequente, eadem contradictorium consequentis cum contradictorio antecedentis connexum est, propter inuersam connexionem, quam extremorum connexorum contradictoria habent, vt constat ex demonstratis *suprà disp.* 14. *q.* 4. Necessitas siquidem illationis consequentis ex antecedente, & contradictorij antecedentis, ex contradictorio consequentis in huiusmodi connexionibus fundatur, vt ex se, & ex sæpè dictis in superioribus est notissimum. Et quoniam antecedens cuiusuis syllogismi complexum quoddam est ex duabus propositionibus tanquam ex partibus, omni autem complexo duarum partium per contradictorium vnius, vel alterius earum sub disiunctione contradicitur, vt constat ex doctrinâ tradita *disp.* 19. *q.* 4. conficitur ex contradictoriâ conclusionis cuiusuis prædictorum syllogismorum necessariò inferri contradictoriam vnius, vel alterius præmissæ sub disiunctione, seu, quod in idem recidit, disiunctiuam coalescentem ex contradictoriis præmissarum. Quoniam item ex propositione disiunctiua, & ex contradictoriâ determinatâ vnius partis eius necessariò infertur altera pars iuxta doctrinam vniuersalem demonstratam *disp.* 10. *q.* 5. *propos.* 11. tradendamque iterum *infrà q.* 6. *propos.* 4. & consequenter ex disiunctiuâ contradicente antecedenti cuiusuis syllogismi, & ex contradictoria determinata vnius partis eius, quæ est vna ex præmissis ipsiùs syllogismi necessariò infertur altera pars, quæ contradictoria est alterius præmissæ. Rursus conficitur de primo ad vltimum, ex contradictoria conclusionis cuiusuis prædictorum syllogismorum, & ex vnâ eiusdem præmissâ necessariò inferri contradictoriam alterius præmissæ. Quæ duo communia etiam sunt cæteris omnibus syllogismis tradendis in sequentibus. In quibus ex quouis antecedente seu vero, seu falso, seu mixto, necessariò sequitur consequens seu verum, seu falsum. Quia communia sunt omnibus syllogismis, quorum antecedens, aut verum, aut falsum, aut mixtum cum consequente aut vero, aut falso connexum est, vt constat ex dictis.

Quæ cum, cùm ita sint, iam ex consectario proposito, ex alteroque inde sequuto rursus inferuntur sequentia. 1. In syllogismis primæ tabulæ inferentibus necessariò verum ex vero, si sit falsa conclusio, nequit non esse falsa vna, vel altera præmissarum sub disiunctione : quia nequit non esse vera contradictoria vnius, vel alterius sub disiunctione. Tum si sit falsa conclusio, & vna præmissarum vera, nequit non altera determinatè esse falsa, quia nequit non esse vera contradictoria eius. 2. In syllogismis secundæ tabulæ inferentibus necessariò verum ex falso, si sit falsa conclusio, nequit non esse 91

esse vera vna, vel altera præmissarum. Tum si sit falsa conclusio, & vna præmissarum falsa nequit non esse altera vera. 3. In syllogismis tertiæ tabulæ inferentibus necessariò falsum ex vero, si sit vera conclusio, nequit non esse falsa vna, vel altera præmissarum. Tum si conclusio, & vna præmissarum sunt veræ, nequit non esse altera falsa. 4. In syllogismis quartæ tabulæ inferentibus necessariò falsum ex falso, si sit vera conclusio, nequit non esse vera vna, vel altera præmissarum. Tum si sit vera conclusio, & vna præmissarum falsa, nequit non esse altera vera. 5. In syllogismis quintæ tabulæ inferentibus necessariò verum ex maiore falsâ, & minore verâ, si sit falsa conclusi, nequit non esse, aut maior vera, aut minor falsa. Tum, si sit falsa conclusio, & maior falsa, nequit non esse etiam minor falsa, si autem sit falsa conclusio, & minor vera nequit non esse etiam maior vera. 6. Idem euenit in syllogismis sextæ tabulæ vice versâ pro maiore, & minore. 7. In syllogismis tabulæ septimæ inferentibus necessariò falsum ex maiore falsâ, & minore verâ, si sit vera conclusio, nequit non esse aut maior vera, aut minor falsa. Tum si sit vera conclusio, & maior falsa, nequit non esse minor etiam falsa; si autem sit vera conclusio, & minor vera, nequit non esse etiam maior vera. 8. Idem euenit in syllogismis octauæ tabulæ vertendo vicem pro maiore & minore. Quæ omnia satis, superque ex dictis manifesta sunt. Atque hæc de proprietatibus syllogismorum huius Artis ignotis hactenus dicta sint satis.

Consectarium 11.

92 Nonnullas tamen prætereà syllogismorum vtilium tabulæ primæ, quos ille posuit, recensuit Arist. proprietates, quas facultates, seu proprietates syllogismorum appellauit.

Prima est potestas plura concludendi. Quoties enim conclusio est vniuersalis præter illam infertur ex eisdem præmissis particularis ei subalterna, iuxta dicta à nobis suprà *num.* 54. Quæcunque autem sit conclusio, non solùm ipsa; sed eius conuertens infertur ex eisdem præmissis. Et vniuersè quidquid ex conclusione infertur, mediatè infertur ex eisdem præmissis, ex quibus immediatè infertur conclusio. Cæterùm, quando propositio illata ex conclusione syllogismi ex genere est earum quatuor AEIO, ex quibus Ars ista coalescit, vti euenit in subalternis, & conuertentibus, apud nos diuersum syllogismum constituit contentum in *num* 48. vtilium suprà statuto. Vndè non tam syllogismorum, huius Artis, quàm præmissarum potestas dicenda est. Imò vniuersaliter omne illatum ex consequente cuiusuis argumentationis ex eius antecedente infertur mediatè; atque ita potestas plura cocludendi cum istâ subordinatione ne antecedentibus quidem, nedum syllogismis huius Artis est propria; sed communis omnibus antecedentibus quarumuis argumentationum.

93 Secunda potestas est vera ex falsis colligendi. Nihil enim vetat, syllogismum vtilem inferentem necessariò ex vero verum, atque adeò impotem ad inferendum ex vero falsum, compotem esse ad inferendum interdum ex falso verum. Quod per accidens, & contingenter euenire ratione materiæ uotant Logici; sed non demonstrant. Ego verò demonstro facile ex præcedentibus consectariis. Cum enim, vt constat ex illis, omnes syllogismi huius Artis necessariò concludentes ex falso verum adæquatè sint diuersi ab vtilibus, plane consequitur, nullum ex vtilibus inferre necessariò ex falso verum; atque adeò, quando eorum aliquis infert, per accidens, siue contingenter inferre. Cum quo fiat, esse aliquod genus syllogismorum legitimorum ad concludendum verum ex vero, qui ijdem non contingenter, & per accidens; sed prorsus necessariò, & per se inferant item ex falso verum. Tales enim sunt aliqui hypothetici, vt videbimus *quæstion.* 5. *propositon.* 3. Quod tamen Logici hactenus non aduerterunt. Quod si in eisdem syllogismis, qui ex vero necessariò inferunt verum, quales sunt vtiles, interdum ex falso infertur verum contingenter. In eisdem etiam, qui ex falso necessariò inferunt verum, inferetur aliquando contingenter ex vero verum. Et in illis, qui ex vero necessariò inferunt falsum, quandoque inferetur contingenter ex falso falsum. Pariterque in cæteris classibus recensitis in præcedentibus propotionaliter succedet.

Tertia potestas est; circulariter, seu in orbem 94
ratiocinandi. Quod tum fit, cùm ex conclusione, & conuertente simpliciter alterius præmissæ infertur altera. Ex conuertente, inquam, simpliciter, siue ratione formæ, siue ratione tantùm materiæ vera, vt est hæc: *Omne risibile est homo* conuertens simpliciter huius: *Omnis homo est risibilis.* E. g. dato hoc syllogismo in *Darij*: *Omnis homo est risibilis: aliquod animal est homo: ergo aliquod animal est risibile* si conuertens simpliciter maiorem fiat maior, & conclusio minor, inferetur etiam in *Darij* minor dati sic: *Omne risibile est homo: Aliquod animal est risibile: ergo aliquod animal est homo.* Pariterque in similibus.

Quarta potestas est conuersiuè ratiocinandi. 95
Quod tunc fieri docet Arist. cùm ex contradictoria conclusionis cum alterâ præmissarum colligitur contradictorium alterius. Quo pacto suprà arguebamus demonstrantes syllogismos imperfectos per perfectos demonstratione ad impossibile deducente.

Quinta potestas est ratiocinandi per impossibile, 96
quæ solùm differt à præcedente, quòd illa supponit factum syllogismorum, vt sumat contradictoriam conclusionis cum alterâ præmissâ ad inferendum; hæc verò non supponit; sed ex contradictoriâ cuiusvis propositionis negatæ, & alterâ concessâ infert contradictoriam alterius, aut etiam concessæ, aut perspicuè veræ.

Sexta denique potestas ex traditis ab Arist. est 97
ratiocinandi ex oppositis. Quod tunc fit, cùm ex duabus contrariis, aut contradictoriis proteruè ab aliquo admissis infertur conclusio, in qua idem de se ipso negatur, quæ euidentissimè falsa est.

Consectarium 12.

Ars inueniendi medium ad probandam per syl- 98
logismos legitimos suprà statutos, quamlibet ex his propositionibus AEIO, quam Arist. *lib.* 1. *Prior. cap.* 29. præscripsit, & Logici amplexantur communiter, imprimis in suo genere non est exacta. Deindè, non est ars inueniendi; sed signandi pro quâuis dictarum propositionum probandâ medium idoneum; atque adeò parum, aut nihil vtilitatis habet ad scientias.

Quod vtrũque, vt ostendam, suppono apud Aristotelem ipsum, & assecias ex terminis communibus

eum, qui de altero verè affirmatur, consequentem dici respectu ipsius; eum verò, de quo alter verè affirmatur, respectu ipsius dici antecedentem; & eum, qui de altero verè negatur, respectu ipsius dici repugnantem, vbi quartam omiserunt comparationem termini, de quo alter verè negatur, qui ipsius reiiciens dici potest.

99 Deinde suppono: Artem istam iis in regulis consistere, quæ docent, vt quæuis propositio probetur in quauis figurâ, & modo, vbi potest probari, qualiter medium assumendum ad singulos terminos eius referri debet, vt antecedentsne, vel, vt consequens, vel vt repugnans, vel, vt reiiciens.

100 Præterea suppono; ad Artem istam conficiendam exactè duo esse examinanda. Primum: per quot modos syllogismorum vtilium vnaquæque ex prædictis propositionibus probari possit. Quod facilè fiet posità ob oculos tabula eorum descripta *suprà n. 52.* visoque in illa, quot modorum vnaquæque propositio conclusio sit: per tot namque ea probari poterit, vt est notissimum. Secundum; qualiter in singulis modis medium comparetur ad extrema; taliter enim medium assumendum ad propositionem probandam per illos debebit ad subiectum, & prædicatum ipsius comparari: siquidem propositio inferenda in talibus modis, vt conclusio ex extremis comparatis cum medio in præmissis coalescit tanquam ex subiecto & prædicato. Igitur quia, tali facto examine, longæ plures resultant regulæ necessariæ ad discernendum, quale medium pro dictis propositionibus probandis in singulis modis, vbi probari possunt, signandum sit, quàm præscriptæ ab Arist. (quæ tantùm sunt sex) consequitur, Artem istam, provt traditam ab Arist. & à reliquis acceptam exactam non esse.

101 Etenim A. vt apparet in dictâ tabulâ, per duos modos probari potest. Nempe per primum directum primæ figuræ, vbi medium assumendum debet esse consequens subiecti, & antecedens prædicati; & per primum etiam directum quartæ figuræ, vbi medium debet esse consequens prædicati, & antecedens subiecti; atque ita duæ sunt regulæ pro A. E autem per octo modos potest probari. Nempe per secundum directum primæ figuræ, & quartum indirectum quartæ, vbi medium debet esse consequens subiecti, & reiiciens prædicati; & per secundum indirectum primæ, & secundum directum quartæ, vbi medium debet esse cõsequens prædicati & reiiciens subiecti; & per primum directum, atque etiam indirectum secundæ figuræ, vbi medium debet esse repugnãs prædicati, & consequẽs subiecti; & per secundum directum, atque etiam indirectum eiusdem, vbi medium debet esse repugnans subiecti, & consequens prædicati, sicque pro E sunt quatuor regulæ. Iam verò I. per 14 modos potest probari, qui omnes sub quatuor regulas cadunt. O denique per 24. modos potest probari cadentes itidem sub plures alias regulas, quas breuitatis causâ omitto: quia iuxta dicta ab vnoquoque facto examine iuxta prædictam tabulam, reperientur.

102 Cæterum per regulas istas tantùm docetur, vt ex eis pateat, quodnam sit idoneum medium ad vnamquamque dictarum propositionum probandam per modos syllogismorum vtiles. Quomodò verò tale medium sit inueniendum, vt ad id muneris assumatur, per eas non docetur. Quo fit, vt Ars hæc, quam absurdè inueniendi medium appellant, in talibus regulis consistens parùm, aut nihil sit vtilis ad scientias comparandas. Quibus integrum consectarium propositum manet probatum.

Porrò vera Ars inueniendi medium ad quamuis propositionem probandam non solùm earum quatuor, ex quibus pars Artis syllogismorum constructa in hac quæstione coaluit; sed omnium omninò excogitabilium ea est, quam nos infra dabimus *Tract. 6* 103

Hactenùs egimus de primâ parte huius Artis categoricorum syllogismorum de medio communi constructa ex illis quatuor dũtaxat propositionibus assumptis AEIO. sequitur iam vt de secundâ parte eius ex 12. selectis propositionibus constituendâ agamus; iuxta dicta *suprà propos. 3.* nimirum ex his AEIO, V, Vn, tA, tE, tI, tO, tV, tVn. Pro quo sequentes propositiones, sequendo præteritarum ordinem, statuendæ sunt. 104

Propositio 14.

Nullus binarius præmissarum, qui fieri possunt ex his sex propositionibus I. V. tI. tO. tV. tVn, vtilis est in hâc Arte ad concludendum necessariò verum ex vero. 105

Quia in nullo eorum datur vllus terminus distributus, atque ita ne semel quidem in illis est medium distributum, vt debet, iuxta *propos. 4.* sunt autem binarij possibiles ex dictis sex propositionibus 36. ex quibus quatuor alio etiam titulo reiiciũtur, quod ex ambabus propositionibus negatiuis cõstãt.

Propositio 15.

Vt syllogismus huius Artis legitimus sit, quoties in antecedente est vnus tantùm terminus distributus, conclusio debet nullum terminum habere distributum. Et quoties in antecedente sunt duo tantùm termini distributi, conclusio debet non habere duos terminos distributos. 106

Hæc propositio septimam in se comprehendit, ad pluresque extenditur, quæ specialiùs supponi possent; sed quia ea sufficit, omittuntur. Prima autem eius pars demonstratur: quia quando antecedens habet vnum tantùm terminum distributum, si non est medium, datur vitium indistributionis medij, contra *propos. 4.* si autem est medium, nullum extremum erit in antecedente distributum; atque adeò, si eorum aliquod distribuatur in conclusione, procedetur à termino indistributo ad distributum contra *propos. 5.* Eodemque modo demonstratur secunda pars: quia quando antecedens habet duos tantùm terminos distributos, si tertius indistributus est medium erit vitium indistributionis medij. Si autem alterum ex extremis, distributo vtroque in conclusione, procedetur ab indistributo ad distributum.

Propositio 16.

Terminus in antecedente communis non distributus non debet esse singularis in conclusione, vt syllogismus legitimus sit. 107

Quia à termino communi non distributo ad singularem non licet arguere, vt constat ex dictis *disput. 19. q. 2.* Non enim valet: *Est homo, aut, est aliquis homo: ergo est hic homo.* Quia potest esse alius.

Propositio 17.

Modi diuersi syllogismorum, qui ex 12. assumptis propositionibus pro hâc Artis parte A, E, I, O, V, Vn, tA, tE, tI, tO, tV, tVn. in quatuor figuris statutis *propos. 9.* componi possunt, omninò sunt 1382 4. 108

Quia totidem sunt ternarij diuersi, qui ex dictis 12. propositionibus effici possunt, diuersitate ordi-

dâ tum à naturâ, tum à positione, tum à repetitione talium propositionum, vt constat ex regulis combinationum indicatis *propositione* 10. Quia iuxta dicta *ibi* numerus 12. propositionum primò per se ipsum multiplicatus reddit 144. binarios præmissarum. Hic autem productus iterum per eumdem numerum 12. multiplicatus reddit 1728 syllogismos, qui numerus bis in vnaquáque figurâ ponendus est, semel pro directis, & iterum pro indirectis; atque ita in omnibus quatuor figuris resultant dicti 13824. syllogismi in hâc Artis parte possibiles.

Propositio 18.

109 Ex 144. binariis præmissarum, qui ex 12 propositionibus, de quibus agimus fieri possunt iuxta dicta nuper, 70. sunt inutiles in hâc Arte.

110 Vel quia ambæ sunt negatiuæ, quæ nihil valent, iuxta *propositione* 4. vel quia ambæ sunt particulares de prædicato communi, quæ etiam nihil valent, iuxta *propositione* 8. vel quia in neutra est vllus terminus distributus, ob idque etiam nihil valent, iuxta *propositione* 14. Pro quibus discernendis à reliquis constituenda est tabula combinationum ad normam constructæ *propositione* 11, quâ omnes dictæ 12. propositiones combinentur, sicuti ibi combinatæ sunt 4. Quam tabulam breuitatis causâ hic non appono: quia facilè quisque ad nomam dictæ poterit illam sibi compingere.

111 Et quoniam 70. binarij propositionum multicati per dictas 12. propositiones 840. syllogismos componunt, qui numerus in vnaquaque figurâ bis est ponendus semel pro directis, & semel pro indirectis, iuxta dicta *propositione* 11. *citata*. Conficitur, syllogismos qui ex vitio præmissarum præcisè reiiciendi in hâc Artis parte resultant tanquam inutiles ad concludendum necessariò verum ex vero omninò esse 6720. sequitur nunc examinandum, quid sit de reliquis, qui ex 74. binariis præmissarum, qui restant, immunibus à prædictis vitiis componi possunt.

Propositio 19.

112 Ex 74. binariis prædictis 888. omninò syllogismi resultant. Ex quibus 616. reiiciendi imprimis veniunt tanquam inutiles ad inferendum necessario verum ex vero.

Prior pars propositionis inde constat: quia 74. præmissæ per 12. conclusiones multiplicatæ reddunt 888. ternarios, qui sunt totidem syllogismi. Ex quibus, si construatur tabula ad normam constructæ suprà *propositione* 12. quam etiam breuitatis causâ prætermitto, ad oculum in eâ apparebit 616. esse inutiles ad inferendum necessariò verũ ex vero. Vel quia ex ambabus præmissis affirmatiuis inferunt negatiuè, aut ex alterâ negatiuâ affirmatiuè, contra *prop.* 6. Vel quia ex alterâ tantùm vniuersali inferunt vniuersaliter contra *propositione* 7. vel demum quia habentes in antecedente aut vnum, aut duos, tantum terminos distributos in conclusione, pariter habent distributos aut vnum, aut duos contra *propositione* 15. Atque ita immunes ab his vitiis reliquuntur 272. syllogismi pro singulis figuris examinandi singillatim. Quoniam autem dicti 616. bis pro vnaquaque figurâ sunt reiiciendi, semel scilicet pro directis, & semel pro indirectis, numerus, qui resultat hinc reiectorum omninò est 4928. qui iuncti cum reiectis *propositione* 18. conficiunt 11648.

Propositio 20.

Examinatis singillatim dictis 272. syllogismis tum directis, tum indirectis pro singulis figuris, hoc est 2176. pro omnibus (qui cum 11648. reiectis *propositione* 19. conficiunt 13824. qui est numerus integer omnium possibilium in hâc parte Artis, vt *propositione* 17. statutum est) deprehenduntur vtiles in primâ figurâ directi 96. & totidem indirecti. In secundâ directi 72. & totidem indirecti. In tertiâ directi 115 & totidem indirecti, in quartâ denique directi 96. & totidem indirecti; atque ita in omnibus quatuor 758. inutiles autem cum cæteris inutilibus coniungendi 1418. restantes. Sunt autem vtiles, quos exhibet tabula sequens. 113

Tabula omnium categoricorum syllogismorum de medio communi possibilium in hâc secundâ parte huius Artis, in quibus ex antecedente vero necessariò sequitur consequens verum, legitimique proinde, atque vtiles appellantur. 114

In 1. figurâ.
Affirmatiui directi.

	A	A	A
1	A	A	V
	A	A	I
2	A	I	I
3	A	V	V
	A	V	I
	A	tA	A
4	A	tA	V
	A	tA	I
5	A	tI	I
6	A	tV	V
	A	tV	I
	tA	A	tA
	tA	A	A
7	tA	A	tV
	tA	A	tI
	tA	A	V
	tA	A	I
	tA	tA	tA
	tA	tA	A
8	tA	tA	tV
	tA	tA	tI
	tA	tA	V
	tA	tA	I
9	tA	I	tI
	tA	I	I
10	tA	V	tV
	tA	V	tI
	tA	V	V
	tA	V	I
11	tA	tI	tI
	tA	tI	I
12	tA	tV	tV
	tA	tV	tI
	tA	tV	V
	tA	tV	I

Negatiui directi.

1	E	A	E
	E	A	tE
	E	A	tVn
	E	A	Vn
	E	A	O
	E	A	tO
2	E	V	Vn
	E	V	tVn
	E	V	O
	E	V	tO
3	E	tA	E
	E	tA	tE
	E	tA	tVn
	E	tA	Vn
	E	tA	O
	E	tA	tO
4	E	tV	Vn
	E	tV	tVn
	E	tV	O
	E	tV	tO
5	tE	A	tE
	tE	A	tVn
	tE	A	tO
6	tE	V	tVn
	tE	V	tO
7	tE	tA	tE
	tE	tA	tVn
	tE	tA	tO
8	tE	tV	tVn
	tE	tV	tO
9	tA	E	tE
	tA	E	tVn
	tA	E	tO
10	tA	Vn	tVn
	tA	Vn	tO
11	tA	tE	tE
	tA	tE	tVn
	tA	tE	tO
12	tA	tVn	tVn
	tA	tVn	tO
13	tI	E	tE
	tI	E	tVn
	tI	E	tO
14	tI	Vn	tVn
	tI	Vn	tO
15	tV	E	tE
	tV	E	tVn
	tV	E	tO
16	tV	Vn	tVn
	tV	Vn	tO
17	E	I	O
	E	I	tO
18	E	tI	O
	E	tI	tO
19	tE	I	tO
20	tE	tI	tO
	tA	O	tO
	tA	tO	tO
	tI	O	tO
	tV	O	tO

Affirmatiui indirecti.

1	A	A	tI
	A	A	I
2	A	I	I
3	A	V	tI
	A	V	I
4	A	tA	tI
	A	tA	I
5	A	tI	I
6	A	tV	tI
	A	tV	I
7	tA	A	tV
	tA	A	V
	tA	A	tI
	tA	A	I
8	tA	tA	tV
	tA	tA	V
	tA	tA	tI
	tA	tA	I
9	tA	I	V
	tA	I	I
10	tA	V	tV
	tA	V	V
	tA	V	tI
	tA	V	I
11	tA	tI	V
	tA	tI	I
12	tA	tV	tV
	tA	tV	V
	tA	tV	tI
	tA	tV	I

Negatiui indirecti.

2	E	A	E
	E	A	Vn
	E	A	tVn
	E	A	tE
	E	A	O
	E	A	tO
2	E	V	tE
	E	V	tVn
	E	V	tO
3	E	tA	E
	E	tA	Vn
	E	tA	tVn
	E	tA	tE
	E	tA	O
	E	tA	tO
4	E	tV	tE
	E	tV	Vn
	E	tV	tO
5	E	A	Vn
	tE	A	tVn
	tE	A	O
6	tE	A	tO
	tE	V	tVn
7	tE	V	tO
	tE	tA	Vn
	tE	tA	tVn
	tE	tA	O
8	tE	tA	tO
	tE	tV	tVn
9	tE	tV	tO
	tA	E	Vn
	tA	E	tVn
	tA	E	O
	tA	E	tO
10	tA	Vn	tVn
	tA	Vn	tO
11	tA	tE	Vn
	tA	tE	tVn
	tA	tE	O
	tA	tE	tO
12	tA	tVn	tVn

	tA	tVn	tO
13	tI	E	Vn
	tI	E	tVn
	tI	E	O
	tI	E	tO
14	tI	Vn	tVn
	tI	Vn	tO
15	tV	E	Vn
	tV	E	tVn
	tV	E	O
	tV	E	tO
16	tV	Vn	tVn
	tV	Vn	tO
17	I	E	O
	I	E	tO
17	A	E	O
	A	E	tO
18	V	E	O
	V	E	tO
19	A	Vn	tO
19	I	Vn	tO
20	V	Vn	tO
21	A	tE	O
	A	tE	tO
22	A	tVn	tO

In 2. figura.
Omnes sunt negatiui.
Directi.

1	E	A	E
	E	A	tE
	E	A	tVn
	E	A	Vn
	E	A	O
	E	A	tO
2	E	V	Vn
	E	V	tVn
	E	V	O
	E	V	tO
3	E	tA	E
	E	tA	tE
	E	tA	tVn
	E	tA	Vn
	E	tA	O
	E	tA	tO
4	E	tV	Vn
	E	tV	tVn
	E	tV	O
	E	tV	tO
	Vn	A	tE
5	Vn	A	tVn
	Vn	A	tO
6	Vn	V	tVn
	V	V	tO
7	Vn	tA	tE
	Vn	tA	tVn
	Vn	tA	tO
8	Vn	tV	tVn
	Vn	tV	tO
17	E	I	O
	E	I	tO
18	E	tI	O
	E	tI	tO
19	Vn	I	tO
20	Vn	tI	tO
1	A	E	E
	A	E	tE
	A	E	tVn
	A	E	Vn

	A	E	O
	A	E	tO
2	V	E	tE
	V	E	tVn
	V	E	tO
3	tA	E	E
	tA	E	tE
	tA	E	tVn
	tA	E	Vn
	tA	E	O
	tA	E	tO
4	tV	E	tE
	tV	E	tVn
	tV	E	tO
5	A	Vn	Vn
	A	Vn	tVn
	A	Vn	O
	A	Vn	tO
6	V	Vn	tVn
	V	Vn	tO
7	tA	Vn	Vn
	tA	Vn	tVn
	tA	Vn	O
	tA	Vn	tO
8	tV	Vn	tVn
	tV	Vn	tO
9	A	O	O
	A	O	tO
10	tA	O	O
	tA	O	tO
11	V	O	tO
12	tV	O	tO

Indirecti.

1	A	E	E
	A	E	tE
	A	E	tVn
	A	E	Vn
	A	E	O
	A	E	tO
2	V	E	Vn
	V	E	tVn
	V	E	O
	V	E	tO
3	tA	E	E
	tA	E	tE
	tA	E	tVn
	tA	E	Vn
	tA	E	O
	tA	E	tO
4	tV	E	Vn
	tV	E	Vn
	tV	E	tO
	tV	E	tO
5	A	Vn	tE
	A	Vn	tVn
	A	Vn	tO
6	V	Vn	tVn
	V	Vn	tO
7	tA	Vn	tE
	tA	Vn	tVn
	tA	Vn	tO
8	tV	Vn	tVn
	tV	Vn	tO
17	I	E	O
	I	E	tO
18	tI	E	O
	tI	E	tO
19	I	Vn	tO

20	tI	Vn	tO
1	E	A	E
	E	A	tE
	E	A	tVn
	E	A	Vn
	E	A	O
	E	A	tO
2	E	V	tE
	E	V	tVn
	E	V	tO
3	E	tA	E
	E	tA	tE
	E	tA	tVn
	E	tA	Vn
	E	tA	O
	E	tA	tO
4	E	tV	tE
	E	tV	tVn
	E	tV	tO
5	Vn	A	Vn
	Vn	A	tVn
	Vn	A	O
	Vn	A	tO
6	Vn	V	tVn
	Vn	V	tO
7	Vn	tA	Vn
	Vn	tA	tVn
	Vn	tA	O
	Vn	tA	tO
8	Vn	tV	tVn
	Vn	tV	tO
9	O	A	O
	O	A	tO
10	O	tA	O
	O	tA	tO
11	O	V	tO
12	O	tV	tO

In 3. figura.
Affirmatiui directi.

2	A	A	I
2	A	E	I
3	A	tA	V
	A	tA	I
3	A	tI	V
	A	tI	I
5	A	V	I
6	A	tV	V
	A	tV	I
11	tA	A	tI
	tA	A	I
9	tA	I	tI
	tA	I	I
	tA	tA	tV
10	tA	tA	tI
	tA	tA	V
	tA	tA	I
10	tA	tI	tV
	tA	tI	tI
	tA	tI	V
	tA	tI	I
11	tA	V	tI
	tA	V	I
12	tA	tV	tV
	tA	tV	tI
	tA	tV	V
	tA	tV	I
2	I	A	I
3	tI	A	tI
	tI	A	I
5	V	A	I
6	tV	A	tI
	tV	A	I
9	I	tA	V
	I	tA	I
10	tI	tA	tV
	tI	tA	V
	tI	tA	tI
	tI	tA	I
11	V	tA	V
	V	tA	I
12	tV	tA	tV
	tV	tA	V
	tV	tA	tI
	tV	tA	I

Negatiui directi.

2	E	tA	Vn
	E	tA	tVn
	E	tA	O
	E	tA	tO
2	E	tI	Vn
	E	tI	tVn
	E	tI	O
	E	tI	tO
4	E	tV	Vn
	E	tV	tVn
	E	tV	O
	E	tV	tO
6	tE	tA	tVn
	tE	tA	tO
6	tE	tI	tVn
	tE	tI	tO
8	tE	tV	tVn
	tE	tV	tO
9	tA	E	tE
	tA	E	tVn
	tA	E	tO
10	tA	tE	tVn
	tA	tE	tO
11	tA	Vn	tE
	tA	Vn	tVn
	tA	Vn	tO
12	tA	tVn	tVn
	tA	tVn	tO
13	tI	E	tE
	tI	E	tVn
	tI	E	tO
14	tI	tE	tVn
	tI	tE	tO
15	tV	E	tE
	tV	E	tVn
	tV	E	tO
16	tV	tE	tVn
	tV	tE	tO
17	E	A	O
	E	A	tO
17	E	I	O
	E	I	tO
18	E	V	O
	E	V	tO
19	tE	A	tO
19	tE	I	tO
20	tE	V	Vn
21	Vn	tA	tVn
	Vn	tA	O
	Vn	tA	tO

20 tVn

12 tVn	tA	tVn
tVn	tA	tO
13 O	A	O
O	A	tO
14 Vn	A	O
Vn	A	tO
15 tO	A	tO
16 tVn	A	tO
17 O	tA	Vn
O	tA	tVn
O	tA	O
O	tA	tO
18 tO	tA	tVn
tO	tA	tO
19 tA	O	tE
tA	O	tVn
tA	O	tO
20 tA	tO	tVn
tA	tO	tO

Affirmatiui indirecti.

2 A	A	I
2 I	A	I
3 tA	A	V
tA	A	I
3 tI	A	V
tI	A	I
5 V	A	I
6 tV	A	V
tV	A	I
11 A	tA	tI
A	tA	I
11 I	tA	tI
I	tA	I
12 tA	tA	tV
tA	tA	tI
tA	tA	V
tA	tA	I
12 tI	tA	tV
tI	tA	tI
tI	tA	V
tI	tA	I
13 V	tA	tI
V	tA	I
14 tV	tA	tV
tV	tA	tI
tV	tA	V
tV	tA	I
2 A	I	I
3 A	tI	tI
A	tI	I
5 A	V	I
6 A	tV	tI
A	tV	I
11 tA	I	V
tA	I	I
12 tA	tI	tV
tA	tI	V
tA	tI	tI
tA	tI	I
13 tA	V	V
tA	V	I
14 tA	tV	tV
tA	tV	V
tA	tV	tI
tA	tV	I

Negatiui indirecti.

2 tA	E	Vn
tA	E	tVn
tA	E	O
tA	E	tO
2 tI	E	Vn
tI	E	tVn
tI	E	O
tI	E	tO
4 tV	E	Vn
tV	E	tVn
tV	E	O
tV	E	tO
6 tA	tE	tVn
tA	tE	tO
6 tI	tE	tVn
tI	tE	tO
8 tV	tE	tVn
tV	tE	tO
9 E	tA	tE
E	tA	tVn
E	tA	tO
10 tE	tA	tVn
tE	tA	tO
11 Vn	tA	tE
Vn	tA	tVn
Vn	tA	tO
12 tVn	tA	tVn
tVn	tA	tO
13 E	tI	tE
E	tI	tVn
E	tI	tO
14 tE	tI	tVn
tE	tI	tO
15 E	tV	tE
E	tV	tVn
E	tV	tO
16 tE	tV	tVn
tE	tV	tO
17 A	E	O
A	E	tO
17 I	E	O
I	E	tO
18 V	E	O
V	E	tO
19 A	tE	tO
19 I	tE	tO
20 V	tE	tO
11 tA	Vn	Vn
tA	Vn	tVn
tA	Vn	O
tA	Vn	tO
12 tA	tVn	tVn
tA	tVn	tO
13 A	O	O
A	O	tO
14 A	Vn	O
A	Vn	tO
15 A	tO	tO
16 A	tVn	tO
17 tA	O	Vn
tA	O	tVn
tA	O	O
tA	O	tO
18 tA	tO	tVn
tA	tO	tO
19 O	tA	tE
O	tA	tVn

O	tA	tO
20 tO	tA	tVn.
tO	tA	tO

In 4. figura.
Affirmatiui directi.

1 A	A	tI
A	A	I
2 A	A	I
3 V	A	tI
V	A	I
4 tA	A	tI
tA	A	I
5 tI	A	I
6 tV	A	tI
tV	A	I
7 A	tA	tV
A	tA	V
A	tA	tI
A	tA	I
8 tA	tA	tV
tA	tA	V
tA	tA	tI
tA	tA	I
9 I	tA	V
I	tA	I
10 V	tA	tV
V	tA	V
V	tA	tI
V	tA	I
11 tI	tA	V
tI	tA	I
12 tV	tA	tV
tV	tA	V
tV	tA	tI
tV	tA	I

Negatiui directi.

1 A	E	E
A	E	Vn
A	E	tVn
A	E	tE
A	E	O
A	E	tO
2 V	E	tE
V	E	tVn
V	E	tO
3 tA	E	E
tA	E	Vn
tA	E	tVn
tA	E	tE
tA	E	O
tA	E	tO
4 tV	E	tE
tV	E	tVn
tV	E	tO
5 A	tE	Vn
A	tE	tVn
A	tE	O
A	tE	tO
6 V	tE	tVn
V	tE	tO
7 tA	tE	Vn
tA	tE	tVn
tA	tE	O
tA	tE	tO
8 tV	tE	tVn
tV	tE	tO
9 E	tA	Vn
E	tA	tVn
E	tA	O
E	tA	tO
10 Vn	tA	tVn
Vn	tA	tO
11 tE	tA	Vn
tE	tA	tVn
tE	tA	O
tE	tA	tO
12 tVn	tA	tVn
tVn	tA	tO
13 E	tI	Vn
E	tI	tVn
E	tI	O
E	tI	tO
14 V	tI	tVn
Vn	tI	tO
15 E	tV	Vn
E	tV	tVn
E	tV	O
E	tV	tO
16 Vn	tV	tVn
Vn	tV	tO
17 E	I	O
E	I	tO
17 E	A	O
E	A	tO
18 E	V	O
E	V	tO
19 Vn	A	tO
19 Vn	I	tO
20 Vn	V	tO
21 tE	A	O
tE	A	tO
22 tVn	A	tO

Affirmatiui indirecti.

A	A	A
1 A	A	V
A	A	I
2 I	A	I
3 V	A	V
V	A	I
tA	A	A
4 tA	A	V
tA	A	I
5 tI	A	I
6 tV	A	V
tV	A	I
A	tA	tA
A	tA	A
7 A	tA	tV
A	tA	tI
A	tA	V
A	tA	I
tA	tA	tA
tA	tA	A
8 tA	tA	tV
tA	tA	tI
tA	tA	V
tA	tA	I
9 I	tA	tI
I	tA	I
10 V	tA	tV
V	tA	tI
V	tA	V
V	tA	I
11 tI	tA	tI

tI

	tI	tA	I
12	tV	tA	tV
	tV	tA	tI
	tV	tA	V
	tV	tA	I

Negatiui indirecti.

1	A	E	E
	A	E	tE
	A	E	tVn
	A	E	Vn
	A	E	O
	A	E	tO
2	V	E	Vn
	V	E	tVn
	V	E	O
	V	E	tO
3	tA	E	E
	tA	E	tE
	tA	E	tVn
	tA	E	Vn
	tA	E	O
	tA	E	tO
4	tV	E	Vn
	tV	E	tVn
	tV	E	O
	tV	E	tO
5	A	tE	tE
	A	tE	tVn
	A	tE	tO
6	V	tE	tVn
	V	tE	tO
7	tA	tE	tE
	tA	tE	tVn
	tA	tE	tO
8	tV	tE	tVn
	tV	tE	tO
9	E	tA	tE
	E	tA	tVn
	E	tA	tO
10	Vn	tA	tVn
	Vn	tA	tO
11	tE	tA	tE
	tE	tA	tVn
	tE	tA	tO
12	tVn	tA	tVn
	tVn	tA	tO
13	E	tI	tE
	E	tI	tVn
	E	tI	tO
14	Vn	tI	tVn
	Vn	tI	tO
15	E	tV	tE
	E	tV	tVn
	E	tV	tO
16	Vn	tV	tVn
	Vn	tV	tO
17	I	E	O
	I	E	tO
18	tI	E	O
	tI	E	tO
19	I	tE	tO
20	tI	tE	tO
	O	tA	tO
	tO	tA	tO
	O	tI	tO
	O	tV	tO

Propositio 21.

Omnes syllogismos siue syllogisticos modos tabulæ præcedentis legitimos esse atque adeò per illos ex antecedente vero necessariò inferri consequens verum demonstratiuè ostenditur. 115

Pro quo suppono primò consentaneè ad dicta suprà *propos.* 13. omnes syllogismos directos primæ figuræ adeo expressè præ se ferre principia illa euidentissima *Dici de Omni*, & *Dici de Nullo*, *propos.* 1. statuta in quibus fundantur, vt eis suppositis, satis, superque euidentes appareant cunctis eos sigillatim considerantibus, & conferentibus cum dictis principiis, quin maiori egeant demonstratione. Vnde eorum vi illatiuâ suppositâ tanquam per se euidente propter principia dicta in ipsis exercita expressè, vis illatiua reliquorum per reductionem ad illos demonstranda est. Demonstratio autem aut ostensiua, aut per deductionem ad impossibile potest esse, iuxta dicta *propos. illa* 13. *citata*. Appellabimus autem, sicuti ibi distinctionis gratiâ, omnes dictos modos syllogisticos, siue syllogismos directos primæ figuræ perfectos, & reliquos omnes imperfectos comparatione eorum.

Suppono secundò, syllogismos imperfectos variis, & diuersis modis posse reduci demonstratiuè ad perfectos demonstratione tum ostensiuâ, tum deducente ad impossibile; eligemus autem vnum, aut alterum cæteris faciliorem, reiectis aliis, cùm satis sit vna, aut altera via dictorum syllogismorum vim legitimam concludendi demonstratiuè noscere. 116

Suppono tertiò: quoties in aliquo syllogismo ex imperfectis alij potestate includuntur eo quòd conclusiones eorum illius conclusioni subalternantur, easdemque cum illo præmissas habent, sat esse demonstrare illum per reductionem ad perfectum; eo enim semel demonstrato, reliqui potestate in ipso contenti demonstrati manent, vt constat; siquidem præmissæ legitimè inferentes aliquam propositionem, legitime inferunt mediatè cæteras omnes illi subalternatas; subindeque ex ipsâ inferibiles. Quænam autè propositiones earum 12. ex quibus hæc pars Artis componitur, aliis subalternatæ sint in tabulâ subalternatarum propositâ *disp.* 19. *q.* 2. palàm est. In hâc autem syllogismorum tabulâ syllogismi imperfecti alios in se potestate includentes ij sunt, qui numeris notantur, & alios infra se sine numeris habent, scilicet, quos potestate continent. Vndè, ad perfectos reducendi potissimùm illi sunt, qui notati sunt numeris, exceptis quibusdam figuræ 4. qui ad eos, quibus ordine correspondent, reducentur, etsi numeris careant, iuxta regulam dandam, *num.* 124. 117

Suppono autem quartò, vnumquemque syllogismum imperfectum notatum numero ad eum perfectum reduci ostensiuè, qui eodem numero notatus est, quando ostensiuè est reducibilis; quando verò solùm per impossibile, ad eum, quem illi assignabimus. Vtraque autem ista reductio, suppositâ maiori eius explicatione traditâ suprà *propos.* 13. quæ adrem recognoscenda est, per sequentes regulas est facienda: quæ etiam supponunt regulas conuersionum traditas *disp.* 19. *q.* 6. quibus ostendimus, quomodo vnaquæque dictarum 12. propositionum sit conuertibilis; atque ita quidem, vt quoties regulæ modò tradendæ conuersionem alicuius propositionis absolutè præscribunt, de eo genere conuersionis intelligendæ veniant, quæ ad intentũ fuerit idonea ex variis, quas sæpè eadem propositio subire potest. 118

Sunt

119 Sunt itaque pro modis indirectis primæ figuræ reducendis regulæ istæ. 1. Omnes affirmatiui, & ex negatiuis omnes contenti in tabula à *n.* 1 vsque ad 16. inclusiuè, ad eos perfectos, quibus correspondent in numeris, affirmatiui quidem ad affirmatiuos, & negatiui ad negatiuos sic ostensiuè reducuntur, sumantur præmissæ vniuscuiusque modi imperfecti, & ex eisdem positis in modo perfecto illi correspondente inferetur conclusio, quæ conuersa dabit eamdem conclusionem modi imperfecti. 2. regula est. Reliqui indirecti negatiui contenti in tabulâ à *n.* 17. vsque ad 20. inclusiuè, sic ad suos correspondentes reducuntur etiam ostensiuè. Ex conuertente minoris modi imperfecti fiat maior perfecti, & ex conuertente maioris fiat minor, infereturque eadem conclusio imperfecti. 3. regula pro tribus vltimis indirectis, atque negatiuis, qui restant notati *n.* 21. & 22. est, quòd illi ad nullum ex perfectis reduci possunt ostensiuè; reducentur tamen ad aliquos per impossibile; nempe primus, in quo potestate est secundus ad A A A. & tertius ad tA A A hoc modo. Ex contradictoria conclusionis fiat maior, & ex maiori minor, infereturque conclusio, quæ conuersa dabit contradictoriam minoris.

120 Pro modis autem directis secundæ figuræ reducendis sequentes sunt regulæ. 1. Omnes contenti in tabulâ à *n.* 1. vsque ad 20. inclusiuè secundum primum ordinem numerorum ad eos perfectos, quibus correspondent in numeris, sic ostensiuè reducuntur. Ex conuertente maioris modi imperfecti fiat maior perfecti, & ex minore retenta minor, infereturque eadem conclusio imperfecti. 2. Regula est. Alij contenti etiam in tabula à *n.* 1, vsque ad 8. inclusiuè, iuxta secundum ordinem numerorum ad perfectos, quibus correspondent in numeris sic reducuntur ostensiuè. Ex conuertente minoris modi imperfecti fiat maior perfecti, & ex maiori minor, infereturque in modo perfecto conclusio, quæ conuersa dabit conclusionem imperfecti. 3. Regula est. Quatuor sequentes modi notati *n.* 9. & 10. secundi etiam ordinis numerorum, ad nullum ex perfectis possunt ostensiuè reduci; reducentur tamen ad aliquos per impossibile, nempe primus ad A A A, & tertius ad tA A A (alij namque duo potestate in eis continentur) hoc modo. Ex contradictoria conclusionis fiat minor, & ex maiore retenta maior, infereturque contradictoria minoris, siue, quod recidit in idem, conclusio, cuius subalternata erit contradictoria minoris. 4. regula pro duobus sequentibus postremisque modis notatis *n.* 11. & 12. eiusdem secundi ordinis est, quòd neque ostensiuè, neque per impossibile reduci possunt ad aliquem ex modis perfectis huius Artis; reducentur tamen per impossibile ad aliquos modos perfectos Artis syllogismorum de medio singulari *q. sequente* construendæ: nempe primus ad V tA A, & secundus ad tV tA A hoc pacto. Ex contradictoria conclusionis fiat minor, & ex maiori retenta maior, infereturque contradictoria minoris.

121 Pro modis verò indirectis secundæ figuræ, etsi totidem regulæ dari possent, ac pro directis, quibus reducerentur immediatè ad perfectos; sat tamen fuerit per vnicam reducere eos ad ipsos directos, singulos scilicet ad singulos, penes ordinem, quem habent in tabulâ: quo mediatè ad perfectos per ipsas regulas directorum manebunt reducti. Regula autem est. Ex minore modi indirecti fiat maior directi, & ex maiori minor infereturque in modo directo eadem conclusio indirecti.

122 Pro modis directis tertiæ figuræ istæ regulæ sunto. 1. Omnes modi affirmatiui contenti in tabulâ à *n.* 1. vsque ad *n.* 12. inclusiuè secundum primum ordinem numerorum ad perfectos affirmatiuos, quibus correspondent in numeris, sic reducuntur ostensiuè. Ex maiore modi imperfecti fiat maior perfecti, & ex conuertente minoris minor, infereturque eadem conclusio imperfecti. 2. regula est. Omnes modi negatiui contenti in tabulâ vsque *n.* 20. inclusiuè eodem pacto reducuntur ad modos perfectos negatiuos, quibus in numeris correspondent. 3 regula. Modi affirmatiui contenti in tabulâ à *n.* 2. vsque ad 12. inclusiuè, iuxta secundum ordinem numerorum, ad perfectos affirmatiuos, quibus in numeris correspondent, sic ostensiuè reducuntur. Ex minore modi imperfecti fiat maior perfecti, & ex conuertente maioris fiat minor, infereturque conclusio, quæ conuersa dabit conclusionem modi imperfecti. 4. regula. Eodem modo reducuntur ad modos negatiuos, quibus correspondent in numeris, modi notati *n.* 11. & 12. secundi ordinis numerorum. 5. regula. Modi verò negatiui contenti in tabulâ à *n.* 13. vsque ad 16. inclusiuè secundi ordinis numerorum non possunt ad vllum perfectum reduci ostensiuè; reducentur tamen ad aliquos per impossibile, nempe OAO, & Vn AO cum aliis duobus in eis potestate contentis ad AAA, & tO A tO, atque tVn A tO ad tA A tA hoc pacto. Ex contradictoriâ conclusionis fiat maior, & ex minore retentâ minor infereturque contradictoria, vel contraria maioris. 6. regula. Reliqui modi negatiui contenti in tabulâ à *num.* 17. vsque ad 20. inclusiuè eiusdem secundi ordinis numerorum neque ostensiuè, neque per impossibile reduci possunt ad vllum perfectum huius Artis; reducentur tamen ad aliquos ex perfectis Artis syllogismorum de medio singulari *quæst. seq.* construendæ: nempe O tA Vn ad V tA A, & tO tA tVn ad tV tA tA sic. Ex contradictoria conclusionis fiat maior, & ex minore retenta minor, infereturque contradictoria maioris. tA O tE verò, & tA tO tVn ad duos eosdem modos reducûtur hoc pacto. Ex conuertente contradictoriæ conclusionis fiat maior, ex maiore minor, infereturque contradictoria minoris. In his autem quatuor reductis residui potestate includuntur; atque ita, iuxta dicta, reductione non egent.

123 Pro modis verò indirectis tertiæ figuræ, etsi similes regulæ dari possunt, quibus ad perfectos immediatè sunt reducibiles, eas breuitatis causâ, omittimus ab vnoquoq; facilè cogitandas; cùm satis sit ad eorum demonstrationem ad directos iâ demonstratos eiusdem tertiæ figuræ hoc pacto reducere, vnumquemque scilicet ad suum correspondentem secundum ordinem, quem habent in tabulâ. Ex minore modi indirecti fiat maior directi, & ex maiore minor, infereturque in modo directo eadem conclusio indirecti.

124 Per quam etiam eamdem, solamque regulâ modos omnes quartæ figuræ sat erit demonstrare, reducêdo scilicet directos ad indirectos primæ iâm demõstratos, & indirectos ad directos, quos perfectos dicimus, vnumquêque ad sibi correspondentẽ, iuxta ordinem, quẽ vtrique habẽt in tabulâ, sumptâ minore modi reducendi pro maiore modi, ad quem reducitur, & maiore pro minore: quo eadem conclusio modi reducti in modo, ad quem reducitur, inferetur.

Quibus

125 Quibus vis illatiua legitima ad inferendum necessariò verum ex vero omnium modorum syllogisticorum, quos continet præcedens tabula, sufficienter est demonstrata; cæteræ autem demonstrationes, quibus tum ostensiuè, tum per deductionem ad impossibile illa demonstrabilis est, non difficile ab vnoquoque ex dictis in totâ hâc Arte colligi poterunt.

Propositio 22.

126 Consectaria, quæ ex primâ parte huius Artis intulimus suprà pariter ex hâc secundâ inferenda veniunt.

Est certissimum. Atque ita dicendum, vt sunt in hâc secundâ parte Artis 758. modi syllogistici contenti in tabulâ propositâ *propos.* 21. in quibus ex antecedente vero necessariò sequitur consequens verum; sic totidem esse, in quibus ex antecedente falso necessariò sequitur consequens verum; & totidem necessariò concludétium ex antecedente vero consequens falsum, & totidem ex falso falsum, & totidem ex maiore falsâ, & minore verâ verum; & totidem ex maiore verâ, & minore falsâ verum: & totidem ex maiore falsâ, & minore vera falsum; & totidem ex maiore vera, & minore falsâ falsum. Quo omnes syllogismi in hâc parte Artis possibiles, in quibus ex antecedente, aut vero, aut falso, aut mixto cum necessitate inferrur consequens aut verum, aut falsum 6064. sunt. Proindeque in reliquis, qui restant ex 13824. in hac parte Artis absolutè possibilibus, nempe in 7760. ex quovis antecedente neque veritas, neque falsitas consequentis sequitur cum necessitate; sed alterutra contingenter pro diuersitate materiæ. Quæ omnia consentaneè ad dicta in præcitatis consectariis pro primâ huius Artis parte, pariterque demonstrari possent, factis itidem huiusmodi syllogismorum, iuxta ipsorum diuersitatem, diuersis tabulis. Cæterum, præterquam quod id esset valdè prolixum, suppositis ibi in simili dictis, necessarium non est, sicut neque necessarium est alia consectaria repetere, quæ insuper circa primam partem Artis collegimus; tametsi ea, seruatâ suâ proportione, etiam circa secundam hanc habeant locum.

Propositio 23.

127 Quemadmodum ex quatuor propositionibus prima, & ex duodecim secunda pars huius Artis in præcedentibus constructa est; ita pars tertia continens totam integram Artem ex 18. propositionibus categoricis simplicibus possibilibus suprà *propos.* 3. commemoratis construi pariter posset.

Constat ex hactenus dictis in totâ hac quæstione. Cæterùm, quia huiusmodi pars Artis tertia, siue integra Ars plus prolixitatis, quàm vtilitatis haberet, libenter illam prætermittimus. Si quis enim eam velit construere per dicta à nobis circa alias duas facile poterit. Id tantùm adnoto. Ex dictis 18. propositionibus syllogismos possibiles omninò esse 46656. In quibus ferè 4000. sunt legitimi ad inferendum necessariò verum ex vero. Vt videant Logici, quàm copiosa syllogismorum seges in illis duobus principiis *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, quibus hæc Ars subnititur tanquam in semine contineatur. Et hæc de Arte categoricorum syllogismorum de medio communi satis sint dicta. Pergamus ad alteram construendam categoricorum syllogismorum de medio singulari.

QVÆSTIO IV.

Quâ ratione Ars categoricorum syllogismorum de medio singulari, quos expositorios appellant, sit construenda.

128 HÆc Ars adhuc desideratur in Scholis, cùm tamen ea æquè fermè ad scientias sit vtilis, ac altera syllogismorum de medio communi, de quâ egimus *quæst.* 3. Quocirca eam in præsenti *quæst.* tradere, qua norma illam ibi tradidimus, operæ pretium visum est. Quod vt sequitur, præstare aggredior.

Propositio 1.

129 Quidquid verè affirmatur de termino singulari, verè etiam affirmatur de quolibet identificato cum illo. Et quidquid verè negatur de termino singulari, verè etiam negatur de quolibet identificato cum illo.

Hæc sunt duo principia, in quibus Ars ista fundatur, satis ex ipsis terminis euidentia; sed quæ inde insuper demonstrantur: quia si affirmatum verè de termino singulari, non affirmaretur verè de identificato cum illo, idem de eodem affirmaretur, & simul non affirmaretur verè contra principium euidentissimum statutum *disp. 9. q. 5. propos.* 1. Idemque sequitur, si negatum verè de termino singulari non negaretur verè de identificato cum illo, vt constat. Oportet tamen ad constantiam, & vniuersalitatem istorum principiorum, quòd non intercedat distinctio virtualis formalitatum realiter identificatarum compatiens secum prædicata contradictoria, qualis reperitur inter Essentiam, & Personalitates diuinas, & in nullo ente creato debet admitti, iuxta dicta à nobis suprà *disp.* 13. *q.* 6 & 7. quæ ad rem videndæ.

Propositio 2.

130 Omnis syllogismus subnixus duobus principiis statutis *propos.* 1. ex tribus omninò terminis, & tribus propositionibus debet necessariò componi.

Hæc propositio perinde ac *propos.* 4. *quæstionis tertiæ* est demonstranda. Et appellationes quidem traditas ibi terminorum, & propositionum, ex quibus constant syllogismi illius Artis eodem modo habent hîc locum. Quare inde sumendæ.

Propositio 3.

131 Syllogismi huius Artis in duobus principiis *propos.* 1. statutis fundandi ex solis, & omnibus propositionibus categoricis simplicibus componi possunt. Ex paucis tamen imprimis. Deinde ex pluribus eos componere; atque ita Artem hanc, sicut & præcedentem, in tres partes diuidere operæ pretium erit.

Pro intelligentiâ huius propositionis suppono primò, propositiones simplices categoricas, ex quibus huius Artis syllogismi, quemadmodum & præcedentis, componi possunt, omninò esse 18. recensitas, suisque literis designatas *disp.* 19. *q.* 1. & rursus *q. præced. propos.* 3.

132 Suppono secundò. Quemadmodum oportuit Artem illam in tres partes diuidere constructo primam

ex

ex illis, quatuor propositionibus A. E. I. O. ex quibus dumtaxat vulgò circumfertur constructa. Et secundam ex duodecim illis selectis A. E. I. O. V. Vn. tA. tE. tI. tO. tV. tVn. & omittendo ob ipsius nimiam prolixitatem, constructionem tertiæ; ita etiam oportere, vt in hâc Arte procedamus.

133 Diuidemus igitur illam in tres partes, quarum primam ex sex prædictarum propositionum, quæ ad syllogismos categoricos de medio singulari frequentiùs occurrentes in scientiis cæteris aptiores videntur, construemus, nempe ex I. O. V. Vn. tI. tO. secundam ex dictis 12. selectis, *n. præced.* propositis. Tertiam autem ex omnibus 18. possibilibus construendam, vt nimis prolixam, & parum vtilem pariter omittemus. Hæc autem præstabimus, vt sequitur.

Propositio 4.

134 Vt syllogismus huius Artis legitimus sit, altera saltem præmissarum eius debet affirmatiua esse.

Hæc propositio, proportione seruatâ, eodem modo demonstratur ex principiis statutis *propos.* 1. ac *propos.* 4. *quæstionis* 3. ex statutis ibi monstrata est.

Propositio 5.

135 Vt syllogismus huius Artis legitimus sit medium in vtraque præmissâ debet esse singulare.

Id enim manifestè præ se ferunt principia statuta *propos.* 1. iuxta quæ quidquid affirmatur, aut negatur de termino singulari de identificato tantùm cum illo, quod eo ipso est singulare, neque commune potest esse, debet pariter affirmari, aut negari. Quod ipsum est ambo extrema cum eodem medio singulari debere comparari, vt inter se comparari legitimè valeant; alioquin non comparanda inter se legitimè ex vi dictorum principiorum, si alterum cum singulari, & alterum cum communi termino comparentur. Id quod manifestè cernitur in his syllogismis: *Hoc animal est homo: aliquis equus est animal: ergo aliquis equus est homo. Aliquis homo est hoc animal: aliquis equus est animal: ergo aliquis equus est homo. Hoc animal est homo: aliquod animal est equus: ergo aliquis equus est homo. Aliquis homo est hoc animal: aliquod animal est equus: ergo aliquis equus est homo.* Quorum primus est in primâ figurâ, secundus in secundâ, tertius in tertiâ: & quartus in quartâ, iuxta dicta de figuris syllogismorum, *q.* 3. & infrà dicenda in hac *q.* & tamen nullus benè concludit, eo quòd medium in maiori est terminus singularis, & in minori communis. Itaque propositio data indubitabilis est.

Propositio 6.

136 Vt syllogismus huius Artis legitimus sit, necesse est, tum, quòd terminus indistributus in antecedente non sit distributus in conclusione, tum, quòd terminus in antecedente communis non distributus non sit singularis in conclusione.

Prior pars constat ex *propos.* 5. *quæstionis* 3. Posterior autem ex *propositione* 16. *eiusdem quæstionis.*

Propositio 7.

Vt syllogismus huius Artis legitimus sit, quoties ambæ præmissæ sunt affirmatiuæ, conclusio debet esse affirmatiua. Et quoties altera præmissarum est negatiua, conclusio debet esse negatiua. 137

Hæc propositio eodem modo demonstratur, proportione seruatâ, ac *propos.* 6. *quæstionis* 3. vt est notissimum.

Propositio 8.

Quoties in syllogismis huius Artis ambæ præmissæ sunt particulares de prædicato communi nihil ex eis legitimè infertur. 138

Quia toties medium non est singulare in ambabus præmissis, contra *propos.* 4. cùm omnes termini earum communes sint.

Propositio 9.

Quoties altera præmissarum est particularis de prædicato communi, & altera aut est particularis de prædicato singulari, aut est singularis de prædicato communi, nihil ex eis legitimè infertur. 139

Quia iis in casibus semel tantùm ponitur in antecedente terminus singularis, debet autem poni bis singularis terminus, qui est medium, iuxta *propos.* 5.

Propositio 10.

Quoties in præmissis duo sunt termini communes non distributi, in conclusione nullus terminus singularis reperiri debet, vt syllogismus huius Artis legitimus sit. 140

Quia, si alterum talium terminorum est medium, non erit medium bis singulare, contra *propositionem* 5. Si autem ambo dicti termini sunt extrema, procedetur à termino communi non distributo ad singularem, contra *propos.* 6.

Propositio 11.

Figuræ syllogisticæ ad istam Artem pertinentes octo omninò debuissent adstrui, vt minimùm autem quatuor ponendæ sunt. 141

Hæc propositio eodem modo est ostendenda, & explicanda, atque *propositio* 9. *quæstionis* 3. Nam de figuris syllogisticis idem omninò hic, atque ibi censendum est. Quare ibi dicta pro hac pariter propositione dicta sunto.

Propositio 12.

Modi diuersi syllogismorum, qui componi possunt in quatuor figuris statutis *propos.* 11. ex iis sex propositionum generibus I. O. V. Vn. tI. tO. quas pro construendâ modo hac Artis parte selegimus *propos.* 3. omninò sunt 1728. 142

Hæc propositio ex dictis *propos.* 10. *q.* 3. demonstratur. Ex ibi enim dictis constat, tot esse possibiles syllogismorum modos diuersos, quot sunt possibiles ex numero propositionum, qui assumitur, diuersi ternarij diuersitate oriunda à naturâ, & à positione, & à repetitione propositionum: Constat item, hunc ternariorum numerum inue-

niri.

niri multiplicato numero propositionum per se ipsum, & rursus multiplicato per ipsummet producto prioris multiplicationis; productum quippe posterioris dat numerum syllogismorum possibilium in vnaquaque octo figurarum, si octo numerarentur, iuxta dicta *q. 3. propos. 9.* quia tamen reducuntur ad quatuor, numerus productus bis in earum quâuis ponendus est. Semel pro directis, & semel pro indirectis syllogismis. Sex igitur propositiones impræsentiarum in primâ multiplicatione reddunt 36. præmissas; in secundâ 216. syllogismos directos, & totidem indirectos pro vnaquaque figurâ. Quorum omnium summa est prædicta 1728.

Propositio 13.

143 Præmissæ syllogismorum, quæ ex I. O. V. Vn. tI. tO. componi possunt in vnaquaque figurâ, omninò sunt 36. ex quibus 24. sunt ex se inutiles, & 12. vtiles.

Id demonstratur per tabulam combinationum similem illi, quam exhibuimus *quæstion. 3. propositione. 11.* vt enim ibi quatuor propositiones combinatæ reddunt 16. binarios, ita hic sex reddunt 36. Ex quibus 24. sunt ex se inutiles: quia, vel ambæ præmissæ sunt negatiuæ, contra *propositione. 4.* vel ambæ sunt particulares de prædicato communi, atque adeò ineptæ, iuxta *propositione. 8.* vel altera est particularis de prædicato communi, & altera, aut particularis de prædicato singulari, aut singularis de prædicato communi, quo pacto eriam sunt ineptæ, iuxta *propos. 9.* Reliquæ vero 12. ex se sunt vtiles. Quæ omnia in tabulâ, quam vnusquisque ad normam citatæ sibi potest compingere, perspicuè deprehendentur.

144 Et quoniam ex 24. binariis præmissarum ex se inutilium cum sex conclusionibus I. O. V. Vn. tI. tO. collatis altero numero per alterum multiplicato, iuxta dicta *ibidem* 144. syllogismi directi, & totidem indirecti resultant in vnaquaque figurâ, conficitur, syllogismos omnes inutiles ex vitio præmissarum præcisè in omnibus quatuor figuris possibiles omninò esse 1152. supereſt videndum, quid sit de reliquis, qui ex 12. binariis residuis effici possunt.

Propositio 14.

145 Syllogismi, qui ex 12. binariis præmissarum ex se vtilium (qui separatis inutilibus restant iuxta dicta *propos. 13.*) componi possunt in vnaquaque figura 72. omninò sunt directi, & totidem indirecti. Ex quibus 52. directi, & totidem indirecti inutiles sunt in vnaquaque figurâ; ex reliquis autem 20. qui supersunt, quidam in omni figurâ inutiles, & quidam in aliquâ tantùm, aut in aliquibus vtiles sunt.

Prima, & secunda propositionis pars per tabulam, quam vnusquisque potest sibi compingere similem illi, quam exhibuimus *quæst. 3. propos. 12.* demonstratiuè ostenditur. In eâ enim apparet, ex dictis 12. binariis præmissarum 72. syllogismos resultare pro vnaquaque figurâ, qui, propter directos, & indirectos bis sunt repetendi. Apparet etiam 52. ex illis esse inutiles, vel quia ex præmissis affirmatiuis inferunt negatiuè, vel quia ex alterâ præmissâ negatiuâ inferunt affirmatiuè, contra *propositione. 7.* vel quia habentes in præmissis duos terminos communes non distributos, in conclusione habent aliquem singularem, contra *propos. 10.*

Apparet denique, 20. syllogismos, qui supersunt in dictâ tabulâ omnibus iis vitiis carere.

Vnde constat, syllogismos hinc resultantes inutiles esse 52. directos, & totidem indirectos pro vnaquaque figurâ; atque ita omnes 416. qui iuncti cum 1152. reiectis *propos. 13.* conficiunt 1568. supereſt, vt pro ostendendâ tertiâ parte propositionis examinentur sigillatim prædicti 20. qui pro omnibus figuris sunt 160. vti factum est in simili *propos. 12. citatâ, quæstionis 3.* Quo examine facto, quòd hic adscribere, opus non est, constat primò, ex dictis 160 syllogismis sigillatim examinatis, solos 16. esse vtiles in omnibus quatuor figuris, reliquos verò 144. inutiles esse, vel quòd non habent medium bis singulare, vel quòd procedunt à termino indistributo ad distributum, aut à termino communi indistributo ad singularem. Qui subinde iuncti cum 1568. inutilibus recensitis *num. præced.* faciunt 1712. quibus, si adiungas 16. vtiles, componitur integer numerus syllogismorum, quos possibiles in hac Artis parte statuimus *propos. 12.* nempe 1728. Vnde rursus liquidò apparet, ex 1728. syllogismis de medio singulari, qui ex supradictis propositionibus I. O. V. Vn. tI. tO. componi possunt, solos 16. esse vtiles ad concludendum necessariò ex antecedente vero consequens verum, quos exhibet tabula sequens; reliquos verò ad id inutiles esse. 146

Tabula omnium categoricorum syllogismorum de medio singulari in hac primâ parte Artis possibilium, quibus necessariò concluditur verum ex vero, atque adeò legitimi veniunt dicendi. 147

In 1. figurâ,
Directi.

V	tI	I
Vn	tI	O
Vn	tI	tO

Indirectus.

V	tI	I

In 2. figura.
Directus.

tI	tI	I

Indirectus.

tI	tI	I

In 3. figura.
Directi.

V	V	I
Vn	V	O
Vn	V	tO

Indirecti.		
V	V	I
V	Vn	O
V	Vn	tO

In 4. figurâ.
Directus.

tI	V	I

Indirecti		
tI	V	I
tI	Vn	O
tI	Vn	tO

Ex quibus quatuor habentes pro conclusione tO potestate continentur in aliis quatuor habentibus pro conclusione O, siquidem tO subalternata est ipsius O, vt constat ex tabulâ subalternarum proposita *disp.19.q.2.*

Propositio 15.

148 Singulos syllogismos tabulæ præcedentis legitimos esse, atque adeò per illos ex antecedente vero necessariò inferri consequens verum, demonstratiuè ostenditur.

Demonstratio autem eorum tum ostensiuè, tum per deductionem ad impossibile facienda est eâdem methodo, ac arte, quâ facta est *quæst.3.propos.13.* syllogismorum de medio communi pertinentium ad primam partem illius Artis. Pro quo (relictis quatuor in aliis potestate contentis, qui demonstrati manebunt, iis demonstratis) suppono primò, singulos reliquorum duodecim', quo ordine sunt in tabulâ positi per dictiones sequentium versuum significari, vti *loco citato* in simili factum est.

Vtili & Vntibo Rutilis, queis Tistiri iunge.
Tistilis Rubusi, pariter Punduso Musulli.
Pusmunno Timulis iunges, Tirumique Timunno.

Nempe per duas primas dictiones significantur duo primi directi primæ figuræ. Per tertiam indirectus eiusdem. Per quartam, & quintam directus, & indirectus secundæ figuræ. Per quatuor sequentes. duo priores directi, & duo priores indirecti tertiæ. Et per tres vltimas vnus directus, & duo priores indirecti quartæ. Suppono secundò. *Vtili*, & *Vntibo* per ipsa principia huius Artis in ipsis euidenter exercita demonstrari immediatè; atque adeò modos perfectos dici posse respectu aliorum, qui per reductionem ad ipsos sunt ostensiuè demonstrandi. Vnde suppono tertiò, cæteros omnes de conclusione affirmatiua reduci ostensiuè ad *Vtili*; ad *Vntibo* autem omnes de conclusione negatiuâ. Quartò suppono, per litteram S. denotari, propositionem significatam per vocalem præcedentem conuertendam esse eo genere conuersionis simplicis, quâ conuertitur singularis de prædicato communi in particularem de prædicato singulari, vel vice versâ, iuxta dicta *disput. 19. quæst. 6.* Per M. verò significatur, mutandas esse propositiones, ita vt maior pro minore, vel minor pro maiore ponatur. Cætera autem ad ostensiuam demonstrationem huiusmodi modorum præstanda ex *propos.it.illâ 13.quæstionis 3.citatâ* petenda sunt: quia hic eodem pacto habent locum.

Per deductionem autem ad impossibile demon- 149
strari nequeunt modi imperfecti propositæ tabulæ reducendo eos ad duos perfectos prædictos. Demonstrabuntur tamen vna cum duobus ipsis perfectis ad duos perfectos de medio communi contentos in tabulâ propositâ *quæst.3.propos.10.* nempe ad AVV, & EVVn. Qui solùm differunt à modis notissimis *Darij*, & *Ferio*, quòd loco particularis propositionis singularem habent. Est autem eorum demonstratio, reductioque perinde facienda, iuxta sequentes regulas, ac facta est *propos.it.illâ 13. citatâ* syllogismorum de medio communi. Quæ quidem regulæ regulas etiam conuersionum traditas *suprà disput.19. quæstion.6.* supponunt.

1. Omnes modi de conclusione affirmatiuâ re- 150
ducuntur ad EVVn, & omnes de conclusione negatiuâ ad AVV. 2. *Vtili* & *Vntibo* sic reducuntur. Ex contradictorio conclusionis fiat maior, & ex conuertente minoris concessæ fiat minor, infereturque contradictoria maioris etiam concessæ. 3. *Rutilis* reducetur sic. Ex contradictoriâ conclusionis fiat maior, & ex maiori minor, infereturque contradictoria conuertentis minoris ipsi minori consequenter repugnans, siue inferatur conclusio, quæ conuersa in vniuersalem reddet contradictoriam minoris. 4. *Tistiri* sic reducitur. Ex contradictoriâ conclusionis fiat maior, & ex conuertente minoris fiat minor, infereturque contradictoria conuertentis maioris, siue conclusio, quæ conuersa in vniuersalem reddet contradictoriam maioris. 5. *Tistilis* sic reducitur. Ex contradictoriâ conclusionis fiat maior, & ex conuertente maioris fiat minor, infereturque contradictoria conuertentis minoris, siue conclusio, quæ conuersa in vniuersalem reddet contradictoriam minoris. 6. *Rubusi*, & *Punduso* sic reducuntur. Ex contradictoriâ conclusionis fiat maior, & ex minore minor, infereturque contradictoria maioris. 7. *Musulli*, & *Pusmunno* sic. Ex contradictoriâ conclusionis fiat maior', & ex maiori minor, infereturque contradictoria minoris. *Timulis* sic reducitur. Ex contradictoriâ conclusionis fiat maior, & ex minori minor, infertur contradictoria conuertentis minoris, siue conclusio, quæ conuersa in vniuersalem dabit contradictoriam minoris. *Tirumi* denique, & *Timunno* reducuntur ita. Ex contradictoriâ conclusionis fiat maior, & ex conuertente maioris fiat minor; infereturque contradictoria minoris.

Ex dictis, ex ipsaque naturâ huius primæ par- 151
tis Artis præsentis infertur primò, 16. intra ipsam syllogismos esse, in quibus ex antecedente falso necessariò infertur consequens verum: quia 16. syllogismi sunt, qui habentes conclusiones easdem totidem syllogismorum vtilium contradictorias, aut subcontrarias, siue alteram contradictoriam, & alteram subcontrariam præmissas habent, provt ad istam proprietatem requiritur, iuxta dicta *quæst. 3. consectar. 1.* Vnde consequenter efficitur, esse quoque 16. syllogismos, in quibus ex maiori falsa (seu contradictoria, seu subcontraria maiori vtilium) & minore verâ necessariò infertur consequens verum. Et totidem, quibus idem efficitur ex maiori verâ, & minore falsâ, iuxta dicta *ibid.consect.3.& 4.*

Secundò infertur, in hâc Artis parte, nullum 152
esse syllogismum, in quo ex antecedente vero necessariò inferatur consequens falsum: quia nullus est, qui retinens easdem præmissas alicuius syl-

negatiui

logismi vtilis pro conclusione habeat contradictoriam conclusionis illius, provt ad istam proprietatem requiritur, iuxta dicta etiam *quæst. 3. conclus. 2.* eo quòd nullus habet pro conclusione propositionem vniuersalem, qualis solùm esse potest contradictoria conclusionis cuiusuis syllogismi vtilis; siquidem omnes conclusiones syllogismorum vtilium particulares sunt, & propositioni particulari aliter, quàm per vniuersalem non potest contradici, vt constat. Vnde consequenter efficitur, nullum quoque esse intra hanc Artis partem syllogismum, in quo ex alterâ præmissarum verâ, & alterâ falsâ, aut ex vtràque falsâ necessariò inferatur consequens falsum: quia ad hos omnes casus necesse erat, quòd talis syllogismi conclusio contradictoria esset conclusionis alicuius syllogismi vtilis, iuxta dicta in eadem *q. 3. conclus. 5. & 7.*

153 Vnde tertiò infertur, præter eos paucos syllogismos, in quibus ex vero, & ex falso, & ex mixto antecedente necessariò sequitur consequens verum, cæteros omnes huius partis Artis eiusmodi esse, vt ex suppositione antecedentis consequens contigenter possit esse aut verum, aut falsum pro diuersitate materiæ.

154 Et hæc de primâ parte huius Artis categoricorum syllogismorum de medio singulari constructa ex illis sex dumtaxat propositionibus I. O. V. Vn. tI. tO. Sequitur iam, vt de secundâ parte eius ex 12. selectis propositionibus constituenda agamus, iuxta dicta suprà *propositione tertia*, nimirum ex A. E. I. O. V. Vn. tA. tE. tI. tO. tV. tVn Ex quibus eisdem construximus secundam partem syllogismorum de medio communi. Pro quo sequentes propositiones statuendæ sunt.

Propositio 16.

155 Omnes binarij præmissarum, quorum altera saltem est quæuis harum A.E.I.O. inutiles sunt ad concludendum legitimè in Arte istâ.

Hæc propositio aliquas ex præcedentibus comprehendit in se. Inde autem ostenditur: quia, cum dictæ quatuor propositiones nullum habeant terminum singularem, necesse est, vt omnis binarius, vel ex vnâ earum compositus non habeat medium bis singulare, contra *propositionem quintam*, quandoquidem medium amborum præmissarum debet terminus esse, vt constat ex *propos. 2.*

Propositio 17.

156 Modi diuersi syllogismorum, qui ex 12. assumptis propositionibus, nuperque expositis pro hac Artis parte in quatuor figuris statutis *propos. 11.* componi possunt, omninò sunt 13824.

Constat hæc propositio ex dictis *propos. 17. q. 3.* quæ ad rem recolenda.

Propositio 18.

157 Ex 144. binariis præmissarum, qui ex 12. propositionibus fieri possunt, iuxta combinationum regulam sæpè in superioribus repetitam, 96. sunt inutiles in hac Arte.

Vel quia ambæ præmissæ sunt negatiuæ, contra *propos. 4.* vel quia altera saltem earum est vna ex his propositionibus A. E. I. O. quæ binarium vitiosum reddunt in hâc Arte, iuxta *propos. 16.* Restant igitur 48. præmissæ pro singulis figuris ex se non inutiles.

Propositio 19.

158 In numero omnium syllogismorum, qui ex dictis 48. præmissis ex se non inutilibus in omnibus quatuor figuris effici possunt 340. omninò deprehenduntur legitimi; atque adeò, vtiles ad inferendum necessariò verum ex vero. Cæterique subindè omnes in hâc parte Artis possibiles ad id inutiles, atque adeò non legitimi sunt.

Hæc propositio planè constabit facienti examen omnium dictorum syllogismorum, iuxta regulas, quas præscribunt propositiones præcedentes eâ industriâ, quâ illud faciendum docuimus circa primam, & secundam partem Artis constructæ *qu. 3.* atque etiam circa primam huius: quam certè industriam repetere necessarium non est. Itaque ex 13824. syllogismis in hac parte Artis possibilibus, iuxta *propos. 17.* solùm sunt legitimi, atque adeò vtiles ad inferendum necessariò verum ex vero. In primâ quidem figurâ 42. directi, & 39. indirecti. In secundâ 66. directi, & 66. indirecti. In tertiâ 23. directi, & 23. indirecti. In quartâ denique 39. directi, & 42. indirecti; atque in omnibus quatuor figuris 340. Quos exhibet tabula sequens.

Tabula omnium categoricorum syllogismorum de medio singulari in hac secundâ parte Artis possibilium, quibus necessariò concluditur verum ex vero, legitimique proinde dicuntur. 159

In 1. figurâ,
Affirmatiui Directi.

1	V	tA	A
2	V	tA	V
	V	tA	I
3	V	tI	I
4	V	tV	V
	V	tV	I
5	tV	tA	tA
	tV	tA	A
6	tV	tA	tV
	tV	tA	V
	tV	tA	tI
	tV	tA	I
7	tV	tI	tI
	tV	tI	I
8	tV	tV	tV
	tV	tV	V
	tV	tV	tI
	tV	tV	I

Negatiui directi.

1	Vn	tA	E
	Vn	tA	tE
	Vn	tA	tVn
	Vn	tA	Vn
	Vn	tA	O
	Vn	tA	tO
2	Vn	tV	Vn
	Vn	tV	tVn
	Vn	tV	O
	Vn	tV	tO
3	tVn	tA	tE
	tVn	tA	tVn
	tVn	tA	tO

4	tV	tE	tE
	tV	tE	tVn
	tV	tE	tO
5	tV	tVn	tVn
	tV	tVn	tO
6	tVn	tV	tVn
	tVn	tV	tO
7	Vn	tI	O
	Vn	tI	tO
8	tVn	tI	tO
9	tV	tO	tO

Affirmatiui indirecti.

2	V	tA	tI
	V	tA	I
	V	tI	I
3	V	tV	tI
4	V	tV	I
6	tV	tA	tV
	tV	tA	tI
	tV	tA	V
	tV	tA	I
7	tV	tI	V
	tV	tI	I
8	tV	tV	tV
	tV	tV	tI
	tV	tV	V
	tV	tV	I

Negatiui indirecti.

1	Vn	tA	E
	Vn	tA	Vn
	Vn	tA	tVn
	Vn	tA	tE
	Vn	tA	O
	Vn	tA	tO
2	Vn	tV	tE
	Vn	tV	tVn
	Vn	tV	tO
3	tVn	tA	Vn
	tVn	tA	tVn
	tVn	tA	O
	tVn	tA	tO
4	tV	tE	Vn
	tV	tE	tVn
	tV	tE	O
	tV	tE	tO
5	tV	tVn	tVn
	tV	tVn	tO
6	tVn	tV	tVn
	tVn	tV	tO
7	V	tE	O
	V	tE	tO
8	V	tVn	tO

In 2. figura.
Affirmatiui directi.

2	tI	tA	A
	tI	tA	V
	tI	tA	I
3	tI	tI	I
4	tI	tV	V
	tI	tV	I
5	tA	tA	tA
	tA	tA	A
	tA	tA	tV
	tA	tA	V
	tA	tA	tI

	tA	tA	I
5	tV	tA	tA
	tV	tA	A
	tV	tA	tV
	tV	tA	V
	tV	tA	tI
	tV	tA	I
7	tA	tI	tI
	tA	tI	I
7	tV	tI	tI
	tV	tI	I
8	tA	tV	tV
	tA	tV	V
	tA	tV	tI
	tA	tV	I
8	tV	tV	tV
	tV	tV	V
	tV	tV	tI
	tV	tV	I

Negatiui directi.

1	tE	tA	E
	tE	tA	tE
	tE	tA	tVn
	tE	tA	Vn
	tE	tA	O
	tE	tA	tO
2	tE	tV	Vn
	tE	tV	tVn
	tE	tV	O
	tE	tV	tO
3	tVn	tA	tE
	tVn	tA	tVn
	tVn	tA	tO
4	tV	tE	tE
	tV	tE	tVn
	tV	tE	tO
5	tV	tVn	tVn
	tV	tVn	tO
6	tVn	tV	tVn
	tVn	tV	tO
7	tE	tI	O
	tE	tI	tO
8	tVn	tI	tO
9	tV	tO	tO
1	tA	tE	E
	tA	tE	Vn
	tA	tE	tVn
	tA	tE	tE
	tA	tE	O
	tA	tE	tO
3	tA	tVn	Vn
	tA	tVn	tVn
	tA	tVn	O
	tA	tVn	tO
4	tA	tO	O
	tA	tO	tO

Affirmatiui directi.

1	tA	tI	A
	tA	tI	V
	tA	tI	I
3	tI	tI	I
4	tV	tI	V
	tV	tI	I
5	tA	tA	tA
	tA	tA	A
	tA	tA	tV

tA

	tA	tA	V
	tA	tA	tI
	tA	tA	I
5	tA	tV	tA
	tA	tV	A
	tA	tV	tV
	tA	tV	V
	tA	tV	tI
	tA	tV	I
7	tI	tA	tI
	tI	tA	I
7	tI	tV	tI
	tI	tV	I
8	tV	tA	tV
	tV	tA	V
	tV	tA	tI
	tV	tA	I
8	tV	tV	tV
	tV	tV	V
	tV	tV	tI
	tV	tV	I

Negatiui directi.

1	tA	tE	E
	tA	tE	tE
	tA	tE	tVn
	tA	tE	Vn
	tA	tE	O
	tA	tE	tO
2	tV	tE	Vn
	tV	tE	tVn
	tV	tE	O
	tV	tE	tO
3	tA	tVn	tE
	tA	tVn	tVn
	tA	tVn	tO
4	tE	tV	tE
	tE	tV	tVn
	tE	tV	tO
5	tVn	tV	tVn
	tVn	tV	tO
6	tV	tVn	tVn
	tV	tVn	tO
7	tI	tE	O
	tI	tE	tO
8	tI	tVn	tO
9	tO	tV	tO
1	tE	tA	E
	tE	tA	Vn
	tE	tA	tVn
	tE	tA	tE
	tE	tA	O
	tE	tA	tO
3	tVn	tA	Vn
	tVn	tA	tVn
	tVn	tA	O
	tVn	tA	tO
4	tO	tA	O
	tO	tA	tO

In 3. figura.
Affirmatiui directi.

3	V	V	I
4	V	tV	V
	V	tV	I
7	tV	V	tI
8	tV	V	I
	tV	tV	tV
	tV	tV	V
	tV	tV	tI
	tV	tV	I

Negatiui directi.

2	Vn	tV	Vn
	Vn	tV	tVn
	Vn	tV	O
	Vn	tV	tO
4	tV	Vn	tE
	tV	Vn	tVn
	tV	Vn	tO
5	tV	tVn	tVn
	tV	tVn	tO
6	tVn	tV	tVn
	tVn	tV	tO
7	Vn	V	O
8	Vn	V	tO
	tVn	V	tO

Affirmatiui indirecti.

3	V	V	I
4	tV	V	V
	tV	V	I
7	V	tV	tI
	V	tV	I
8	tV	tV	tV
	tV	tV	V
	tV	tV	tI
	tV	tV	I

Negatiui indirecti.

2	tV	Vn	Vn
	tV	Vn	tVn
	tV	Vn	O
	tV	Vn	tO
4	Vn	tV	tE
	Vn	tV	tVn
	Vn	tV	tO
5	tVn	tV	tVn
	tVn	tV	tO
6	tV	tVn	tVn
	tV	tVn	tO
7	V	Vn	O
	V	Vn	tO
8	V	tVn	tO

In 4. figura.
Affirmatiui directi.

2	tA	V	tI
	tA	V	I
3	tI	V	I
4	tV	V	tI
	tV	V	I
6	tA	tV	tV
	tA	tV	tI
	tA	tV	V
	tA	tV	I
7	tI	tV	V
	tI	tV	I
8	tV	tV	tV
	tV	tV	tI
	tV	tV	V
	tV	tV	I

Negatiui directi.

1	tA	Vn	E
	tA	Vn	Vn
	tA	Vn	tVn
	tA	Vn	tE
	tA	Vn	O
	tA	Vn	tO
2	tV	Vn	tE
	tV	Vn	tVn
	tV	Vn	tO
3	tA	tVn	Vn
	tA	tVn	tVn
	tA	tVn	O
	tA	tVn	tO
4	tE	tV	Vn
	tE	tV	tVn
	tE	tV	O
	tE	tV	tO
5	tVn	tV	tVn
	tVn	tV	tO
6	tV	tVn	tVn
	tV	tVn	tO
7	tE	V	O
	tE	V	tO
8	tVn	V	tO

Affirmatiui indirecti.

1	tA	V	A
2	tA	V	V
	tA	V	I
3	tI	V	I
4	tV	V	V
	tV	V	I
5	tA	tV	tA
	tA	tV	A
6	tA	tV	tV
	tA	tV	V
	tA	tV	tI
	tA	tV	I
7	tI	tV	tI
	tI	tV	I
8	tV	tV	tV
	tV	tV	V
	tV	tV	tI
	tV	tV	I

Negatiui indirecti.

1	tA	Vn	E
	tA	Vn	tE
	tA	Vn	tVn
	tA	Vn	Vn
	tA	Vn	O
	tA	Vn	tO
2	tV	Vn	Vn
	tV	Vn	tVn
	tV	Vn	O
	tV	Vn	tO
3	tA	tVn	tE
	tA	tVn	tVn
	tA	tVn	tO
4	tE	tV	tE
	tE	tV	tVn
	tE	tV	tO
5	tVn	tV	tVn
	tVn	tV	tO
6	tV	tVn	tVn
	tV	tVn	tO
7	tI	Vn	O
	tI	Vn	tO
8	tI	tVn	tO
9	tO	tV	tO

Propositio 20.

Omnes syllogismos, siue syllogisticos modos tabulæ præcedentis legitimos esse, atque adeo per illos ex antecedente vero necessariò inferri consequens verum demonstratiuè ostenditur. 160

Pro quo suppono primò, iuxta dicta *q.3. propositione.* 13. & 21. omnes syllogismos directos primæ figuræ euidenter esse legitimos euidentiâ à principiis, in quibus Ars ista fundatur, *suprà pr. posit.*1. statutis: quia in eiusmodi syllogismis expresse exercentur dicta principia. Vndè, eorum vi illatiuâ suppositâ tanquam per se euidente à dictis principiis, quæ præ se ferunt, vis illatiua reliquorum per reductionem ad illos demonstranda est. Demonstratio autem aut ostensiua, aut per deductionem ad impossibile potest esse iuxta dicta *loco cit.* Appellabimus autem, sicuti ibi, distinctionis gratiâ, omnes dictos syllogismos directos, siue syllogisticos modos primæ figuræ perfectos, & reliquos omnes imperfectos respectu eorum.

Suppono secundò, syllogismos imperfectos variis modis ad perfectos reduci posse demonstratione tum ostensiuâ, tum deducente ad impossibile; eligemus tamen vnum, aut alterum faciliorem, cæteris prætermissis: cùm satis sit vnâ, aut alterâ viâ vim illatiuam dictorum syllogismorum ostendere demonstratiuè. 161

Suppono tertiò: quoties in aliquo syllogismo ex imperfectis alij potestate includuntur, eo quòd conclusiones eorum illius conclusioni subalternantur, easdemque cum ipsis præmissas habent, sat esse demonstrare illum per reductionem ad perfectum. Eo enim semel demonstrato, reliqui potestate in ipso contenti demonstrati manent, vt suprà *q.3. prop.*13. & 21. citatis in simili statutum est. Sunt autem in præcedente tabulâ syllogismi imperfecti alios in se potestate includentes ij, qui numeris notantur, & alios infra se siue numeris habent, scilicet, quos potestate continent. Vndè, ad perfectos reducendi illi potissimùm sunt, qui notati sunt numeris. 162

Suppono quartò, vnumquemque syllogismum imperfectum notatum numero ad eum perfectum reduci ostensiuè, qui eodem numero notatus est, quando ostensiuè est reducibilis; quâdo verò solùm per impossibile, ad eum, quem illi assignabimus. Vtraque autem reductio, suppositâ maiori eius explicatione traditâ suprà *q.3. propositi.*13 quæ ad rem recognoscenda est, per sequentes regulas est facienda, quæ etiam supponunt regulas conuersionum traditas *disp.19. q.6.* eamque conuersionem præscribere semper censendæ sunt, quæ ad intentum fuerit idonea ex diuersis, quæ sæpè eadem propositio subire potest, vt dictum in simili *q.3. propositi.*21. 163

Sunt itaque pro modis indirectis primæ figuræ reducendis regulæ istæ. 1. Omnes affirmatiui, & ex negatiuis omnes contenti in tabulâ à *n.*1. vsque ad 6. inclusiuè ad eos perfectos, quibus correspondent in numeris, affirmatiui quidem ad affirmatiuos, & negatiui ad negatiuos sic ostensiuè reducuntur. Sumantur præmissæ vniuscuiusque modi imperfecti, & ex eisdem positis in modo perfecto illi correspondente inferetur conclusio, quæ conuersa dabit eamdem conclusionem modi imperfe 164

imperfecti. 2. Regula est. Reliqui indirecti negatiui notati *n.*7. & 8. sic ad suos correspondentes reducuntur etiam ostensiuè. Ex conuertente minoris modi imperfecti fiat maior perfecti, & ex conuertente maioris fiat minor, infereturque eadem conclusio imperfecti.

165 Pro modis autem directis secundæ figuræ reducendis sequentes sunt regulæ. 1. omnes affirmatiui, & ex negatiuis omnes contenti in tabulâ à *n.*1. vsque ad 9 inclusiuè secundum primum ordinem numerorum ad eos perfectos, quibus correspondent in numeris, affirmatiui quidem ad affirmatiuos, & negatiui ad negatiuos sic ostensiuè reducuntur Ex conuertente maioris modi imperfecti fiat maior perfecti, & ex minore retentâ minor, infereturque eadem conclusio imperfecti. 2. Regula est. Alij negatiui notati in tabulâ *n.* 1. & 3. secundi ordinis numerorum ad perfectos negatiuos sibi correspondentes in numeris sic reducuntur. Ex conuertente minoris modi imperfecti fiat maior perfecti, & ex maiori minor, infereturque in modo perfecto conclusio, quæ conuersa dabit conclusionem imperfecti. 3. Regula est. Reliquus modus negatiuus notatur *n.*4. secundi ordinis cum suo subalternato ad nullum perfectum huius Artis reduci potest, aut ostensiuè, aut per impossibile. Reducetur tamen per impossibile ad aliquem modum perfectum Artis præteritæ syllogismorum de medio communi, nimirum ad tAA tA hoc pacto. Ex contradictoria conclusionis fiat minor dicti modi perfecti, & ex maiori concessâ fiat maior, infereturque contradictoria minoris etiam concessæ.

166 Pro modis verò indirectis secundæ figuræ, etsi dari possent totidem regulæ, ac pro directis, quibus reducerentur immediatè ad perfectos, sufficit tamen per vnicam reducere eos ad ipsos directos, singulos scilicet ad singulos, penes ordinem, quem habent in tabulâ: quo mediatè ad perfectos per ipsas regulas directorum manebunt reducti. Regula autem est huiusmodi. Ex minori modi indirecti fiat maior directi, & ex maiore minor, infereturque in modo directo eadem conclusio indirecti.

167 Pro modis directis tertiæ figuræ reducendi hæc vna est regula. Omnes affirmatiui ad affirmatiuos, & negatiui ad negatiuos, quibus correspondent in numeris, sic reducuntur ostensiuè. Ex minore modi imperfecti fiat maior perfecti, & ex conuertente minoris minor; infereturque eadem conclusio imperfecti.

168 Pro modis verò indirectis tertiæ figuræ satis est dare regulam, quâ illi singuli ad singulos directos eiusdem figuræ iam demonstratos reducantur. vti eam dedimus pro indirectis secundæ figuræ. Ea autem est. Et minore modi indirecti fiat maior directi, & ex maiore minor, infereturque in modo directo eadem conclusio indirecti.

169 Per quam etiam eamdem, solamque regulam, compendij causâ, modos omnes quartæ figuræ fat erit demonstrare reducendo scilicet directos ad indirectos primæ iam demonstratos, & indirectos ad directos, quos perfectos vocamus, vnumquemque ad sibi correspondentem, secundum ordinem, quem vtrique habent in tabulâ; sumptâ minore modi reducendi pro maiore modi, ad quem reducitur, & maiore pro minore: quò eadem conclusio modi reducti in modo, ad quem reducitur, inferetur.

170 Quibus omnium modorum syllogisticorum, quos continet præcedens tabula, vis illatiua legitima ad inferendum necessariò verum ex vero sufficienter est demonstrata. Cæteræ autem demonstrationes, quibus tum ostensiuè, tum per deductionem ad impossibile illa demonstrabilis est, non difficile ab vnoquoque ex dictis à nobis, tum circa præteritam, tum circa præsentem Artem colligi poterunt.

Propositio 21.

Consectaria, quæ ex primâ parte Artis præteri- 171
tæ syllogismorum de medio communi intulimus *q.*3 pariter ex hâc secundâ parte præsentis Artis inferenda veniunt.

Est certissimum: quia licet ea omnia ex primâ parte huius Artis non potuerint inferri, vt vidimus *propositione.* 15. eo quod propositiones particulares, quales sunt conclusiones syllogismorum vtilium eius partis intra illam non habent suas contradictorias Ex hac tamen secundâ benè possunt: quia nulla est propositio, quæ intra illam suam contradictoriam non habeat quandoquidem ex duodecim propositionibus, quæ materia eius sunt, sex sunt aliis sex oppositæ contradictoriè, vt constat. Dicendum itaque ex 13824. syllogismis in hac parte Artis possibilibus, iuxta dicta *proposit.* 17. vt sunt 340. exhibiti per tabulam datam *proposit.* 19. In quibus ex antecedente vero necessariò sequitur consequens verum, sic totidem esse, in quibus ex antecedente falso necessariò sequitur consequens verum, & totidem necessariò pariter concludentium ex antecedente vero consequens falsum; & totidem similiter ex falso falsum; & totidem ex maiore falsa, & minore verâ verum; & totidem ex maiore verâ, & minore falsâ verum; & totidem ex maiore falsâ, & minore verâ falsum; & totidem ex maiore verâ, & minore falsâ falsum. Quo omnes syllogismi in hac parte Artis possibiles, in quibus, supposito antecedente, aut vero, aut falso, aut mixto cum necessitate infertur consequens aut verum, aut falsum 2720. sunt: Proindeque in reliquis, qui restant ex dicto *n* 13824. in hac parte Artis possibilium, nempe in 11104. ex quouis antecedente neque veritas, neque falsitas consequentis sequitur cum necessitate; sed alterutra contingenter pro diuersitate materiæ. Quæ omnia consentaneè ad dicta in præcitatis consectariis pariterque demonstrari possent, factis itidem huiusmodi syllogismorum, penes ipsorum diuersitatem, diuersis tabulis. Quæ tamen omittimus, ab vnoquoque, prout libuerit, facilè illinc huc transferenda, sicut & alia consectaria ibi tradita, & huc spectantia aliquo modo.

Propositio 22.

Quemadmodum ex sex suppositionibus prima, 172
& ex duodecim secunda pars huius Artis in præcedentibus constructa est; ita pars tertia continens totam integram Artem ex 18. propositionibus categoricis simplicibus possibilibus *disp.*19. *quæst.*1. recensitis, & sæpè hactenus commemoratis construi pariter posset.

Constat ex dictis in totâ hâc, & præcedente quæstione. Cæterùm, quia huiusmodi pars Artis tertia, siue integra Ars ob suam nimiam syllogismorum multitudinem plus prolixitatis, quàm vtilitatis haberet, eam omittimus aliisque, eam ex dictis à nobis facilè construendam, si forsan arri-

ſerit, remittimus. Vt factum in ſimili *quæſt.* 3. *propoſition.* 23.

QVÆSTIO V.

Quænam Artes pro ſyllogiſmis hypotheticis, & qualiter conſtrui poſſint?

173 SYllogiſmus hypotheticus dicitur, qui ex vnâ, vel pluribus propoſitionibus hypotheticis conſtat. Vnde purè hypotheticus dicetur, ſi omnes tres propoſitiones (ex quibus omnis ſyllogiſmus conſtare debet) hypotheticas habeat; mixtus verò, ſi habeat vnam, aut duas categoricas, vt dicebamus *quæſt.* 2. Dico ergo vniuersè, quot fuerint principia vniuerſalia pro omni materiâ, quorum virtute ex duabus propoſitionibus neceſſariò inferatur tertia, in quibus aut vna, aut plures ſint hypotheticæ, tot poſſe Artes ſyllogiſmorum hypotheticorum pro omni materiâ vniuerſales conſtrui in talibus principiis fundatæ, quarum conſtructiones tales erunt, quales poſtulauerint principia. Vt autem eiuſmodi Artes vniuerſales ſint pro omni materiâ propoſitiones hypotheticæ interuenientes in ſenſu coniunctiuo communi omnibus hypotheticis ſumendæ ſunt, præſcindendo à ſenſu cauſali, & illatiuo, qui non reperiuntur in omnibus, iuxta dicta *diſp.* 19. *quæſt.* 1. *&* 3. Igitur ſtatuentes imprimis per ſequentes propoſitiones aliquot eiuſmodi principia, aliquot ſubindè eiuſmodi Artes in illis fundemus, vt ſequitur.

Propoſitio 1.

174 Quidquid verificatur aut affirmatiuè, aut negatiuè de omni ſub aliquâ hypotheſi, ſub eâdem pariter verificatur de quolibet contento ſub illo.

Principium hoc ea duo celebria *Dici de omni*, & *Dici de nullo* (in quibus Ars ſyllogiſmorum categoricorum de medio communi fundatur, prout vidimus *quæſt.* 3 *propoſit.* 1.) complectitur translata ad ſtatum conditionatum. Nec minùs euidens, quàm illa eſt. Cùm ſit manifeſtum vniuerſaliter, quâ ratione, & in quo ſtatu verificatur aliquid de continente, eâdem ratione, & in eodem ſtatu debere itidem verificari de contento, iuxta dicta *ibi.* De quo nullum eſt dubium.

175 Per hoc principium transfertur ad ſyllogiſmos purè hypotheticos integra Ars ſyllogiſmorum categoricorum de medio communi conſtructa à nobis dicta *quæſt.* 3. cum omnibus ſuis propoſitionibus, & tabulis, & conſectariis, mutuo dumtaxat eorum omnium ſtatu ex abſoluto in conditionatum, propoſitaque in talibus ad reddendas hypotheticas propoſitiones abſolutas ſingulis litteris, quibus illæ ſignificantur, littera H. provt iam aliàs fecimus ſuprà *diſput.* 19. *quæſt.* 3. Itaque tota illa Ars, hâc ſolùm factâ mutatione, quam quilibet facere poteſt, æquè omninò valebit hîc pro ſyllogiſmis purè hypotheticis, atque ibi valuit pro categoricis. Sicuti enim legitimus eſt in primâ figurâ hic ſyllogiſmus categoricus A. I. I. hoc eſt: *Omnis homo loquitur: aliquod animal eſt homo: ergo aliquod animal loquitur*; ita etiam eſt legitimus in primâ figurâ hic ſyllogiſmus hypotheticus HA. HI. HI. id eſt: *ſi omnis homo vigilat, omnis homo loquitur: ſed, ſi omnis homo vigilat, aliquod animal eſt homo: ergo, ſi omnis homo vigilat, aliquod animal loquitur.* Et ſicut legitimus eſt in ſecundâ figurâ hic ſyllogiſmus categoricus E. A. E. ita & hic hypotheticus HE. HA. HE. & in cæteris omnibus pariter.

Adde. Eamdem ſyllogiſmorum categoricorum 176
Artem ad eos hypotheticos mixtos venire applicandam, qui ex vnâ præmiſsâ categoricâ, & alterâ hypotheticâ conſtant, inferuntque ſub eâdem hypotheſi concluſionem; hâc tamen lege, quòd conditio poſita in hypotheſi non excludat obiectum præmiſſæ categoricæ. Ratio eſt conſpicua: quia quando conditio non excludit obiectum abſolutè verum vnius præmiſſæ, ſi ſub hypotheſi talis conditionis eſt verum obiectum alterius, non poſſunt non ſub eâdem hypotheſi ambo eſſe vera; & conſequenter nec poteſt non eſſe verum ſub eadem hypotheſi obiectum concluſionis, iuxta dicta. Secùs eueniet, ſi conditio ita eſt excluſiua obiecti abſolutè veri vnius præmiſſæ, vt illud ſub hypotheſi talis conditionis verum non ſit, quantumuis ſub hypotheſi eius ſit verum obiectum alterius. In tali enim caſu, cùm non ſint ambo vera ſub tali hypotheſi, neutiquam inferunt ſub eâdem veritatem obiecti concluſionis, quæ ex veritate amborum ſimultaneâ inferenda erat. E. g. Quia hic ſyllogiſmus categoricus in tertiâ figurâ legitimus eſt. I. A. I. nimirum: *Aliquis homo currit*: *Omnis homo eſt animal: ergo Aliquod animal currit*, hic etiam hypotheticus mixtus ei correſpondens eſt legitimus. I. HA. HI. nimirum: *Aliquis homo currit: ſi nullus homo eſt lapis, omnis homo eſt animal: ergo ſi nullus homo eſt lapis, aliquod animal currit*, eo quòd conditio minoris non excludit veritatem minoris; hic verò legitimus non eſt: *Aliquis homo currit: ſi nullus homo mouetur, omni homo eſt animal: ergo, ſi nullus homo mouetur aliquod animal currit.* eo quòd conditio minoris excludit veritatem maioris: quia licet ſit abſolutè verum, aliquem hominem currere; non tamen eſt verum ex hypotheſi, quòd nullus homo moueatur. Similiterque in cæteris omnibus philoſophandum eſt.

Ex quibus patet, quo pacto integra Ars ſyllo- 177
giſmorum categoricorum de medio communi conſtructa à nobis *quæſtion.* 3. ad ſyllogiſmos purè hypotheticos ipſis correſpondentibus ſit abſolutè transferibilis; atque adeo ab vnoquoque transferenda pro libito. Ad ſyllogiſmos autem mixtos prædictos cum limitatione explicatâ. Quo huiuſmodi ſyllogiſmorum Ars æquè, atque illorum, conſtructa manet. Aduerto tamen id, quod ſupponit principium cui hæc Ars ſubnititur, omnes ſcilicet propoſitiones conditionatas, ſiue hypotheticas vniuſcuiuſque ex ſyllogiſmis prædictis eiuſdem hypotheſis, eiuſdemve conditionis debere eſſe, vt ſyllogiſmus ſit legitimus provt opus eſt, vt quæ ab ſtatu abſoluto ad conditionatum transferuntur eaſdem in ſtatu conditionato, atque in abſoluto ſortiantur proprietates, iuxta doctrinam traditam ſuprà *diſp.* 19. *quæſt.* 3. *propoſit.* 2.

Propoſitio 2.

Quidquid verificatur affirmatiuè, aut negatiuè de 178
termino

termino singulari sub aliquâ hypothesi, sub eâdem pariter verificatur de quolibet identificato cum illo.

Hoc etiam principium duo illa complectitur statuta à nobis *quæstione quarta*, in quibus Ars syllogismorum categoricorum de medio singulari *ibid.* constructa à nobis fundatur, translata tamen ad statum conditionatum, vbi non minùs euidentia sunt, quàm in absoluto. Vnde per illud tota illa Ars integrè transferenda est ad syllogismos purè hypotheticos de medio singulari correspondentes categoricis, de quibus ibi, vti ad hypotheticos de medio communi Artem constructam *quæstione tertia*, transferendam docuimus *proposition. præcedent.* Necnon ad hypotheticos de medio singulari mixtos cum limitatione ibi data. In quo amplius non oportet morari. Dicta enim pro illis in *præcedent. propositon.* pariter in præsenti pro his dicta sunto, porportione seruatâ.

Propositio 3.

179 Coniunctum ex duabus quibusque veritatibus absolutis cum duabus conditionatis, quibus vnaquæque absolutarum sub conditione alterius est vera, connectitur; legitimèque subinde ex tali coniuncto quæuis talium conditionatarum infertur. Vnde contradictorium cuiusuis ex dictis conditionatis cum contradictorio dicti coniuncti absolutarum connectitur pariter. Hocque subindè ex illo legitimè infertur. Coniunctum verò ex quâuis veritate conditionatâ, & ex purificatione conditionis cum veritate absolutâ conditionati connexa est. Taliſque subinde conditionati absoluta veritas legitimè infertur ex tali coniuncto. Vndè, rursus contradictorium absolutum conditionati pariter cum contradictorio connectitur dicti cuniuncti. Hocque subinde ex illo legitimè infertur.

180 Prima pars huius propositionis tum ex dictis *disputatione decima*, *quæstione quinta*, *propositione secunda*, tum maximè ex dictis *disputatione decima nona*, *quæstione tertia*, tum etiam, suppositis dictis ibi, ex terminis ipsis est manifesta. Si enim hæc duo vera sunt absolutè: *Petrus loquitur, & Paulus audit*, non possunt non esse vera hæc duo conditionatè: *Si Petrus loquitur, Paulus audit: si Paulus audit, Petrus loquitur.* Quoduisque subindè duorum posteriorum ex coniuncto duorum priorum infertur legitimè.

181 Secunda autem pars propositionis inde constat. Quia extremorum connexorum contradictoria inuersam connexionem habent, vt *disputatione decima quarta*, *quæstione quarta*, & sæpè aliàs statuimus. Et quoniam coniunctum ex duabus veritatibus absolutis per disiunctum ex contradictoriis earum contradicitur, iuxta doctrinam statutam *disputatione decima nona*, *quæstione quarta*, *propositione prima*. Taleque disiunctum & vnâ ex dictis veritatibus indiuisim cum contradictorio alterius connectuntur, iuxta doctrinam demonstratam *disputatione decima*, *quæstione quinta*, *propositione vndecima*, de quâ iterum redibit sermo *quæstion. sequent.* consequitur de primo ad vltimum; contradictorium cuiusuis ex veritatibus conditionatis, cum quibus coniunctum absolutarum connectitur, & vna ex ipsis absolutis indiuisim cum contradictorio alterius absolutæ connecti. Si enim ex contradictoriâ huius: *Si Petrus loquitur, Paulus audit* infertur contradictoria illius coniuncti: *Petrus loquitur, & Paulus audit*, consequens est, vt ex tali contradictoriâ, & ex vnâ talis coniuncti inferatur contradictoria alterius. Nempè ex his duabus: *Si Petrus loquitur, Paulus non audit: at Petrus loquitur*, illa, *Paulus non audit.* Ex hisque pariter duabus: *si Petrus loquitur, Paulus non audit, & Paulus audit*, illa, *Petrus non loquitur.* Tanoumdemque venit dicendum de contradictoriâ alterius conditionatæ, quæ infertur ex dicto absolutarum coniuncto.

Hinc tertia propositionis pars demonstranda 182
venit (præterquam quod ea tum ex terminis, tum ex doctrinâ iam statutâ *disputatione decima*, *quæstione quinta*, *propositione quinta*, manifesta est.) Si enim coniunctum ex veritate conditionatâ, & ex purificatione, hoc est, ex veritate absolutâ conditionis, non esset connexum cum veritate absolutâ conditionati, duo sequerentur contradictoria simul vera. Quod est impossibile Est ergo connexum. Sequela ostenditur. Ponamus namque hæc duo esse vera: *si Petrus loquitur, Paulus audit: Petrus loquitur*, & nihilominus non esse hoc verum: *Paulus audit*; huius vtique contradictorium: *Paulus non audit* verum erit; atque ita per doctrinam *numer. præcedent.* hoc erit verum: *si Petrus loquitur, Paulus non audit* contradictorium illius: *si Petrus loquitur, Paulus audit.* Quod ponebatur verum. Darentur ergo duo contradictoria vera.

Quarta autem pars propositionis eodem modo 183
ac secunda demonstranda est. Ex eâque pariter consequitur contradictorium absolutum conditionati, & altera pars coniuncti ex veritate conditionatâ, & ex purificatione conditionis cum contradictorio alterius partis esse connexum; atque ita bene sic argui: *si Petrus loquitur, Paulus audit: at Paulus non audit: ergo Petrus non loquitur.* Similiterque sic: *Petrus loquitur: at Paulus non audit: ergo non si Petrus loquitur, Paulus audit*, seu, quod in idem recidit: *ergo si Petrus loquitur, Paulus non audit.*

In his manifestis ptincipiis Ars specialis venit 184
fundanda syllogismorum hypotheticorum constantium duabus propositionibus categoricis, & vnâ hypotheticâ, ita vt altera ex categoricis pro obiecto habeat id, quod est conditio in hypotheticâ, aut eius contradictorium; & altera id, id quod est conditionatum in hypotheticâ, aut eius contradictorium. Et quoniam hypothetica in quadruplici differentiâ esse potest. Nam vel habet affirmatum, siue affirmatiuum vtrumque, conditionem scilicet, & conditionatum; vel negatum, siue negatiuum vtrumque; vel affirmatum primum, & negatum secundum, vel vice versâ. Octo hinc propositiones resultant, ex quibus hæc Ars construi potest. Significemus ergo eas in hunc modum. Hypotheticam de affirmato, siue affirmatiuo vtroque per H. Hypotheticam de negato, siue negatiuo vtroque per nHn. Hypotheticam de affirmatiuâ conditione, & negato conditionato per. Hn. Residuam hypotheticam per. nH. categoricam autem habentem pro obiecto conditionem affirmatiuam per C. habentem verò pro obiecto conditionem negatiuam per. ↄ. habentem conditionatum affirmatiuum per T. & habentem negatiuum per ⊥. Quo materia huius

ſus Artis ſunt H. nHn. Hn. nH. C. ☽. T ⊥.

185 Iam verò figuræ ſyllogiſticæ tres ſunt in Arte iſtâ ponendæ. Prima, in quâ ſyllogiſmi ex vnâ hypotheticâ, & alterâ harum duarum C.☽. concludant vnam harum duarum T.⊥. Quæ figura in tertio principio ſtatuto, in propoſitione fundatur. Secunda, in quâ ſyllogiſmi ex vnâ hypotheticâ, & alterâ harum T.⊥. concludant vnam harum C.☽. quæ figura in quarto principio ſtatuto in propoſitione fundatur. Tertia, quæ ex vna harum C.☽. & alterâ harum T. ⊥. omni factâ combinatione concludat hypotheticam. Quæ figurâ fundatur in primo principio ſtatuto in propoſitione. Non ponitur autem quarta figura fundanda in principio ſecundo, vi cuius ex contradictorio concluſionis ſyllogiſmorum tertiæ figuræ infertur contradictorium antecedentis, atque adeo ex ipſo contradictorio, & alterâ præmiſſarum contradictorium reſiduæ: quia ſyllogiſmi ita facti mirabili correſpondentiâ recidunt in eoſdem primæ, & ſecundæ figuræ.

186 Modi autem ſyllogiſtici, ſiue ſyllogiſmi poſſibiles in primâ figurâ omninò ſunt 16. quia ſingulæ quatuor hypotheticarum cum illis duabus C.☽. componunt 8. binarios præmiſſarum. Quorum ſinguli rurſus cum aliis duabus T.⊥. componunt 16. ſyllogiſmos. Totidem ſunt poſſibiles in ſecundâ figurâ, ob eamdem rationem. In tertiâ autem ex his quatuor categoricis C.☽. T.⊥. ad propoſitum combinatis 8. reſultant binatij præmiſſarum, quorum ſinguli cum quatuor hypotheticis ſupradictis componant modos ſyllogiſticos 32. atque ita omnes totius Artis ſunt 64.

187 Porrò modi vtiles ad concludendum neceſſariò verum ex vero quatuor omninò ſunt in primâ figurâ. Nimirum H.C.T. hoc eſt: *ſi Petrus loquitur, Paulus audit: at Petrus loquitur: ergo Paulus audit.* nHn. ☽. ⊥. hoc eſt: *ſi Petrus non loquitur, Paulus non audit: at Petrus non loquitur: ergo Paulus non audit.* Hn. C. ⊥. id eſt; *ſi Petrus loquitur, Paulus non audit: ſed Petrus loquitur: ergo Paulus non audit.* & nH. ☽. T. id eſt, *ſi Petrus non loquitur, Paulus audit: ſed Petrus non loquitur: ergo Paulus audit.* Quorum vis legitimè illatiua per demonſtrationem factam pro principio tertio in propoſitione ſtatuto, in quo illi fundantur, manet apertè demonſtrata. Modi itidem vtiles ſecundæ figuræ iſti quatuor dumtaxat ſunt. H. ⊥. ☽. id eſt: *ſi Petrus loquitur, Paulus audit: ſed Paulus non audit: ergo Petrus non loquitur.* nHn. T. C. id eſt: *ſi Petrus non loquitur, Paulus non audit: ſed Paulus audit: ergo Petrus loquitur.* nH. ⊥. ☽. hoc eſt: *ſi Petrus non loquitur, Paulus audit: at Paulus non audit: ergo Petrus loquitur.* & Hn. T. ☽. hoc eſt: *ſi Petrus loquitur, Paulus non audit: at Paulus audit: ergo Petrus non loquitur.* Quorum pariter vim illatiuam legitimam demonſtratio facta pro principio quarto ſtatuto in propoſitione demonſtrat. In tertiâ verò figurâ modi vtiles ad concludendum neceſſariò verum ex vero octo omninò ſunt, nempè ſequentes. C. T. H. id eſt: *Petrus loquitur, & Paulus audit: ergo ſi Petrus loquitur, Paulus audit.* T. C H. id eſt: *Petrus loquitur, & Paulus audit: ergo ſi Paulus audit, Petrus loquitur.* ☽. ⊥. nHn. id eſt: *Petrus non loquitur, & Paulus non audit: ergo ſi Petrus non loquitur, Paulus non audit.* ⊥. ☽. nHn. id eſt.: *Petrus non loquitur, & Paulus non audit: ergo ſi Paulus non audit, Petrus non loquitur.* C. ⊥. Hn. hoc eſt: *Petrus loquitur: & Paulus non audit: ergo ſi Petrus loquitur, Paulus non audit.* T. ☽. nH. hoc eſt: *Petrus loquitur, & Paulus non audit: ergo ſi Paulus non audit, Petrus loquitur.* ☽. T. nH. id eſt: *Petrus non loquitur, & Paulus audit: ergo ſi Petrus non loquitur, Paulus audit.* Ac denique ⊥. C. Hn. id eſt: *Petrus non loquitur, & Paulus audit: ergo ſi Paulus audit, Petrus non loquitur.* Quorum vim illatiuam manifeſtè demonſtrant dicta pro primo principio in propoſitione ſtatuto. Quod autem cæteri omnes modi vſque ad 64. inutiles ſint ad concludendum neceſſariò verum ex vero inde conſtat: quia ex principiis ſtatutis prædicti ſolùm tanquam legitimi deducuntur, vt per omnes diſcurrenti perſpicuum fiet.

Sequitur nunc vt per ſigna propoſita tabulam imprimis apponamus ſyllogiſmorum huius Artis concludentium neceſſariò verum ex vero. Deindeque per totidem conſectaria ſeptem alias adiiciamus ſyllogiſmorum concludentium neceſſariò verum ex falſo; & falſum ex vero; & falſum ex falſo; & ex alterâ præmiſsâ verâ, & alterâ falsâ tum verum, tum falſum. Vti præſtitimus *quæſtione tertia, poſt propoſitionem decimam tertiam*, pro ſyllogiſmis categoricis primæ partis illius Artis. Præſtandumque pariter deinceps docuimus pro reliquis tum illius Artis, tum conſtructæ *quæſtione quarta*. In hac enim Arte tabulæ iſtæ diuerſas atque in illis proprietates, eaſque valdè notandas habent, vt apparebit. 188

Tabula prima ſyllogiſmorum hypotheticorum præſentis Artis concludentium neceſſariò ex antecedente vero conſequens verum. 189

In 1. figurâ.

H	C	T
nHn	☽	⊥
Hn	C	⊥
nH	☽	T

In 2. figurâ.

H	⊥	☽
nHn	T	C
nH	⊥	C
Hn	T	☽

In 3. figurâ.

C	T	H
T	C	H
☽	⊥	nHn

⊥	ↄ	nHn
C	⊥	Hn
T	ↄ	nH
ↄ	T	nH
⊥	C	Hn

Vis illatiua horum syllogismorum in præcedentibus relinquitur demonstrata.

Consectarium 1.

190 Tabula 2. syllogismorum hypotheticorum præsentis Artis concludentium necessariò ex antecedente falso consequens verum.

In 1. *figurâ.*

Hn	ↄ	T
nH	C	⊥
H	ↄ	⊥
nHn	C	T

In 2. *figurâ.*

Hn	T	ↄ
nH	⊥	C
nHn	T	C
H	⊥	ↄ

In 3. *figurâ.*

ↄ	⊥	H
⊥	ↄ	H
C	T	nHn
T	C	nHn
ↄ	T	Hn
⊥	C	nH
C	⊥	nH
T	ↄ	Hn

Hos syllogismos, quòd loco præmissarum syllogismorum primæ tabulæ habent earum contradictorias necessariò ex falso inferre verum constat ex demonstratione factâ *q.* 3. *consect.* 1.

Consectarium 2.

191 Tabula tertia syllogismorum hypotheticorum huius Artis concludentium necessariò falsum ex vero.

In 1. *figurâ.*

H	C	⊥
nHn	ↄ	T
Hn	C	T
nH	ↄ	⊥

In 2. *figurâ.*

H	⊥	C
nHn	T	ↄ
nH	⊥	ↄ
Hn	T	C

In 3. *figurâ.*

C	T	Hn
T	C	Hn
C	⊥	nH
⊥	ↄ	nH
C	⊥	H
T	ↄ	nHn
ↄ	T	nHn
⊥	C	H

Hi loco conclusionis syllogismorum primæ tabulæ habent eius contradictoriam cum eisdem præmissis, & ideò concludunt ex vero falsum per demonstrationem factam *quæst.* 3. *consect.* 2.

Consectarium 3.

192 Tabula quarta syllogismorum huius Artis necessariò concludentium ex antecedente falso consequens falsum.

In 1. *figurâ.*

Hn	ↄ	⊥
nH	C	T
H	ↄ	T
nHn	C	⊥

In 2. *figurâ.*

Hn	T	C
nH	⊥	ↄ
nHn	T	ↄ
H	⊥	C

In 3. *figurâ.*

ↄ	⊥	Hn
⊥	ↄ	Hn
C	T	nH
T	C	nH
ↄ	T	H
⊥	C	nHn
C	⊥	nHn
T	ↄ	H

Hi syllogismi loco omnium propositionum syllogismorum primæ tabulæ habent earum contradictorias, & ideò necessariò concludunt falsum ex falso per demonstrationem factam *quæst.* 3. *consectar.* 3.

Consectarium 4.

193 Tabula quinta syllogismorum hypotheticorum huius Artis necessariò concludentium ex maiore falsâ, & minore verâ consequens verum.

In 1. *figurâ.*

Hn	C	T
nH	ↄ	⊥

H	C	⊥
nHn	ↄ	T

In 2. figurâ.

Hn	⊥	ↄ
nH	T	C
nHn	⊥	C
H	T	ↄ

In 3. figurâ.

ↄ	T	H
⊥	C	H
C	⊥	nHn
T	ↄ	nHn
ↄ	⊥	Hn
⊥	ↄ	nH
C	T	nH
T	C	Hn

Hi loco maioris syllogismorum primæ tabulæ habent eius contradictoriam, reliquis duabus retentis, atque adeò concludunt intentum per demonstrationem datam *quæst. 3. consect. 4.*

Consectarium 5.

194 Tabula sexta syllogismorum huius Artis in quibus ex maiore verâ, & minore falsâ necessariò sequitur conclusio vera.

In 1. figurâ.

H	ↄ	T
nHn	C	⊥
Hn	ↄ	⊥
nH	C	T

In 2. figurâ.

H	T	ↄ
nHn	⊥	C
nH	T	C
Hn	⊥	ↄ

In 3. figurâ.

C	⊥	H
T	ↄ	H
ↄ	T	nHn
⊥	C	nHn
C	T	Hn
T	C	nH
ↄ	⊥	nH
⊥	ↄ	Hn

Hi loco minoris syllogismorum primæ tabulæ habent eius contradictoriam, retentis maiore, & conclusione. Proindeque intentum concludunt per demonstrationem factam *q. 3. consect. 5.*

Consectarium 6.

Tabula septima syllogismorum huius Artis, in quibus ex maiore falsâ, & minore verâ necessariò sequitur conclusio falsa. 195

In 1. figurâ.

Hn	C	⊥
nH	ↄ	T
H	C	T
nHn	ↄ	⊥

In 2. figurâ.

Hn	⊥	C
nH	T	ↄ
nHn	⊥	ↄ
H	T	C

In 3. figurâ.

ↄ	T	Hn
⊥	C	Hn
C	⊥	nH
T	ↄ	nH
ↄ	⊥	H
⊥	ↄ	nHn
C	T	nHn
T	C	H

Hi loco maioris, & conclusionis syllogismorum tabulæ primæ habent earum contradictorias, retentâ eâdem illorum minore; atque ita intentum concludunt per demonstrationem factam *q. 3. consect. 6.*

Consectarium 7.

Tabula octaua syllogismorum huius Artis, in quibus ex maiore verâ, & minore falsâ necessariò sequitur conclusio falsa. 196

In 1. figurâ.

H	ↄ	⊥
nHn	C	T
Hn	ↄ	T
nH	C	⊥

In 2. figurâ.

H	T	C
nHn	⊥	ↄ
nH	T	ↄ
Hn	⊥	C

In 3. figurâ.

C	⊥	Hn
T	ↄ	Hn
ↄ	T	nH
⊥	C	nH

C

C	T	H
T	C	nHn
ↄ	⊥	nHn
⊥	ↄ	H

Hi loco minoris, & conclusionis syllogismorum tabulæ primæ habent earum contradictorias, retentâ eâdem illorum maiore. Quare intentum concludunt per demonstrationem factam *quæstion. 13. consectar. 7.*

197 Circa has octo tabulas nonnulla sunt valde notatû digna. Primum, singulos earum syllogismos bis in eis poni, semel in vnâ, & semel in alterâ tabulâ; atque adeò omnes duplicatos esse. Vnde, cùm sint illi omnes 64. vt vidimus *numero 186.* in tabulis sunt 128. In quo tabulæ istæ à similibus in præcedentibus *ex quæstione 3.* citatis syllogismorum categoricorum discriminantur. In illis enim syllogismus repetitur; sed omnes vniuscuiusque tabulæ diuersi adæquatè sunt ab omnibus cæterarum, vt ibi notauimus, & ostendimus; atque ita in nullum eorum cadunt simul proprietates ad diuersas tabulas pertinentes, vti in hos omnes hypotheticos. Id, quod in diuersitatem valdè notandam naturarum vtrorumque refertur.

198 Secundum notandum est, (vt ad specialiora veniamus,) omnes syllogismos hypotheticos primæ figuræ tabulæ primæ, atque adeo concludentes necessariò verum ex vero, etiam reperiri repetitos in primâ figurâ tabulæ septimæ, atque adeo eius etiam naturæ esse, vt ex maiore falsâ, & minore verâ necessariò inferant conclusionem falsam. Exempli gratiâ, hic syllogismus H. C. T. id est: *Si Petrus loquitur, Paulus audit: at Petrus loquitur: ergo Paulus audit*, talis naturæ est, vt si antecedens sit verum necessariò consequens sit verum; si tamen maior sit falsa, & minor sit vera, necessariò sit consequens falsum. Id, quod ipsi syllogismi termini manifestant. Syllogismi autem secundæ figuræ eiusdem tabulæ primæ in secundâ figurâ tabulæ secundæ sunt repetiti. Et consequenter, talis naturæ sunt, vt si antecedens sit verum, consequens necessariò sit verum; & si antecedens sit falsum, consequens etiam sit necessariò verum. Quod est mirabile, vt cernere est in hoc H. ⊥. ↄ. id est: *Si Petrus loquitur, Paulus audit: sed Paulus non audit: ergo Petrus non loquitur.* Idemque cernetur in aliis tribus. Vndè, obitèr collige, esse aliquos syllogismos legitimos ad inferendum necessariò verum ex vero, qui non contingenter, & per accidens; sed prorsus necessariò, & per se ex antecedente falso inferunt etiam consequens verum, vt suprà *quæstione tertia, consectar. 11.* notabamus. Et idem est de aliis tribus. Ex syllogismis verò tertiæ figuræ eiusdem primæ tabulæ primus, tertius, quintus, & septimus (quo ordine sunt descripti,) repetiti reperiuntur in tertiâ figurâ tabulæ octauæ. Atque adeò eius naturæ sunt, vt in vnoquoque eorum, si antecedens est verum, necessariò consequens sit verum. Si tamen sit maior vera, & minor falsa necessariò consequens sit falsum. Secundus autem, quartus, sextus, & octauus residui repetiti sunt in tertiâ figurâ tabulæ septimæ. Eiusque proinde naturæ sunt, vt si antecedens sit verum, necessariò sit consequens verum. At, si maior sit falsa, & minor vera, necessariò sit consequens falsum. Sit hic pro exemplo repertus in primâ, & octauâ tabulâ C. T. H. id est: *Petrus loquitur, & Paulus audit: ergo, Si Petrus loquitur, Paulus audit.*

Sit tertium notabile. Omnes syllogismi, seu 199
syllogistici modi primæ figuræ positæ in tabulâ secundâ etiam sunt repositi in tabulâ octauâ; atque adeo talis naturæ sunt, vt si antecedens sit falsum, consequens necessariò sit verum; si tamen maior sit vera, & minor falsa, consequens necessariò sit falsum. Pro exemplo sit hic H n ↄ T. hoc est: *Si Petrus loquitur, Paulus non audit: at Petrus non loquitur: ergo Paulus audit.* Et idem est de aliis tribus. De syllogismis verò secundæ figuræ eiusdem tabulæ secundæ iam dictum est reperiri item in secundâ figurâ tabulæ primæ, & quam proprietatem propterea habent. Ex syllogismis autem tertiæ figuræ eiusdem tabulæ secundæ primus, tertius, quintus, & septimus reperiuntur etiam in tertiâ figurâ tabulæ septimæ, atque adeo tales sunt, vt, si antecedens sit falsum, necessariò sit consequens verum; si tamen maior sit falsa, & minor vera, necessariò sit consequens falsum. Exempli gratiâ, ↄ ⊥ H. id est: *Petrus non loquitur, & Paulus non audit: ergo, Si Petrus loquitur, Paulus audit.* Secundus verò, quartus, sextus, & octauus residui reperiuntur repetiti in tertia figurâ tabulæ octauæ. Taleque proinde sunt, vt, si antecedens sit falsum, necessariò sit consequens verum; si tamen sit maior vera, & minor falsa, necessariò sit consequens falsum.

Quartum notabile est. Omnes syllogismi pri- 200
mæ figuræ descripti in tertiâ tabulâ etiam descripti sunt in quinta. Eiusque subinde naturæ sunt, vt, si antecedens sit verum, necessariò sit consequens falsum; si verò sit maior falsa, & minor vera, necessariò sit consequens verum. Sit pro exemplo hic, n H n ↄ T. id est: *Si Petrus non loquitur, Paulus non audit: sed Petrus non loquitur: ergo Paulus audit.* Idemque de cæteris est. Syllogismi verò secundæ figuræ eiusdem tabulæ tertiæ, in secundâ figurâ tabulæ quartæ sunt repetiti, aique adeò talis naturæ, vt si antecedens sit verum, consequens necessariò sit falsum, si autem antecedens sit falsum, consequens etiam necessariò sit falsum. Id habet hic, n H ⊥ ↄ. id est: *Si Petrus non loquitur, Paulus audit: at Paulus non audit: ergo Petrus non loquitur.* Et cæteri pariter. Ex syllogismis autem tertiæ figuræ eiusdem tabulæ tertiæ primus, tertius, quintus, & septimus repetiti sunt in tabulâ sextâ. Taleque sunt proinde, vt si antecedens sit verum, necessariò sit consequens falsum; si tamen sit maior vera, & minor falsa, necessariò sit conclusio vera. Secundus verò, quartus, sextus, & octauus in tabulâ quintâ sunt repetiti; atque adeò talis naturæ, vt si antecedens sit verùm, necessariò sit consequens falsum; si verò sit maior falsa, & minor vera, necessariò sit consequens verum. Vt in hoc cernitur, qui est secundus T C H n. id est: *Petrus loquitur, & Paulus audit: ergo, si Paulus audit, Petrus non loquitur.*

Quintum notabile est. Syllogismi, siue modi 201

syllogistici primæ figuræ tabulæ quartæ etiam reperiuntur in tabulâ sextâ. Ac proinde eius generis sunt, vt, si antecedens sit falsum, & consequens necessariò sit falsum. Si verò sit maior vera, & minor falsa, consequens necessariò sit verum, vt in hoc cernitur. H ☽ T. id est: *Si Petrus loquitur, Paulus audit: sed Petrus non loquitur: ergo Paulus audit.* De syllogismis verò secundæ figuræ eiusdem tabulæ quartæ iam dictum est reperiri etiam in tabulâ tertiâ, & quam conditionem ob id habeant. Ex syllogismis autem tertiæ figuræ eiusdem tabulæ quartæ primus, tertius, quintus, & septimus reperiuntur etiam in tabulâ quintâ; atque adeò cum necessitate concludunt, tum ex antecedente falso consequens falsum; tum ex maiore falsâ, & minore verâ consequens verum. Secundus autem, quartus, sextus, & octauus in tabulâ sextâ repetuntur, necessarióque subinde concludunt, tum ex antecedente falso consequens falsum, tum ex maiore verâ, & minore falsâ consequens verum. Exempla cuique obuia sunt.

202 Sextum notandum est: Syllogismos primæ figuræ tabulæ quintæ etiam repetiri in tabulâ tertiâ, vt dictum *num* 200. Vndè etiam constat, quam proprietatem propterea habent. Syllogismi verò secundæ figuræ tabulæ quintæ in sextâ tabulâ repetuntur; atque adeò talis naturæ sunt, vt, si maior eorum falsa, & minor vera sit, consequens necessariò sit verum; atque etiam consequens sit necessariò verum, si sit maior vera, & falsa minor. Ex syllogismis tamen tertiæ figuræ eiusdem quintæ tabulæ mediam partem contineri insuper in tabulâ tertiâ, & alteram mediam in tabulâ quartâ, ex dictis circa illas *numero* 200. & 201. constat, & quas ob id proprietates habeant.

203 Septimum notabile. Syllogismi primæ figuræ tabulæ sextæ in quartâ item reperiuntur, vt dictum est *numero* 201. syllogismi autem secundæ figuræ eiusdem tabulæ in quintâ etiam tabulâ reperiuntur, vt dictum *numero* 202. Ex syllogismis verò tertiæ figuræ medietas in tabulâ tertiâ, & altera medietas in quartâ sunt repetiti, iuxta dicta *num.* 200. & 201.

204 Octauum notabile. Syllogismi primæ figuræ tabulæ septimæ in tabulâ etiam primâ sunt, vt dixImus *numero* 198. syllogismi autem secundæ figuræ in tabulâ octauâ. Et ex syllogismis tertiæ figuræ medietas in tabulâ primâ, & medietas altera in secundâ, iuxta dicta *numero* 198. & 199.

Nonum denique notabile est. Syllogismi primæ figuræ tabulæ octauæ in secundâ etiam tabulâ sunt; vt vidimus *numero* 199. syllogismi verò secundæ figuræ in tabulâ etiam septimâ, vt dictum est *numero* 204. Et ex syllogismis autem tertiæ figuræ medietas in tabulâ primâ, & altera medietas in secundâ, iuxta dicta *numero* 198. & 199. Vndè etiam constat, quas habeant omnes prædicti proprietates. Omniaque dicta ex demonstrationibus factis, suppositisque pro dictis tabulis ex *quæst.* 3. sunt manifesta.

Consectarium 8.

205 Suppositâ doctrinâ huius Artis, Ars quædam ei subalternata, & non contemnenda subinferenda venit ad probandam per quatuor syllogismos hypotheticos eamdem conclusionem cuiusuis omnino ex categoricis legitimis contentis in Artibus constructis *quæstione* 3. & 4. in hunc modum.

Ponatur ob oculos quilibet syllogismus categoricus ex prædictis. Exempli gratiâ, hic in *Barbara*.

Omnis homo loquitur:
Sed omne risibile est homo:
Ergo omne risibile loquitur.

Acceptáque pro conditione maiore, & conclusione pro conditionato, iuxta primam figuram huius Artis, arguatur sic.

Si omnis homo loquitur, omne risibile loquitur:
Sed omnis homo loquitur:
Ergo omne risibile loquitur.

Similiterque sic, acceptâ pro conditione minore.

Si omne risibile est homo, omne risibile loquitur:
Sed omne risibile est homo:
Ergo omne risibile loquitur.

Deinde, acceptâ pro conditione contradictoriâ conclusionis, & pro conditionato contradictoriâ maioris, arguatur sic, iuxta secundam figuram huius Artis.

Si aliquod risibile non loquitur, aliquis homo non loquitur:
Sed omnis homo loquitur:
Ergo omne risibile loquitur.

Similiterque sic acceptâ pro conditionato contradictoriâ minoris.

Si aliquod risibile non loquitur, aliquod risibile non est homo:
Sed omne risibile est homo.
Ergo omne risibile loquitur.

Pariterque probari potest conclusio cuiusliber omninò alterius ex syllogismis categoricis memoratis.

Consectarium 9.

Ex dictis etiam colligitur, syllogismos hypothe- 206
ticos huius Artis multas conditiones habere diuersas, oppositasque iis, quas habent categorici, de quibus *q.* 3. & 4.

Primò enim, hi legitimi esse possunt, habendo quatuor terminos, vt in hoc cernitur: *Si Petrus loquitur, Paulus audit: at Petrus loquitur: ergo Paulus audit.* Possunt etiam habere tantùm tres, vt si dicas: *Si Petrus currit, Petrus mouetur: at Petrus currit: ergo Petrus mouetur.* Cùm tamen illi tres tantùm habere debeant ad hoc, vt legitimi sint ibi monstrauimus. Secundò in illis à puris negatiuis legitimè non potest argui, iuxta dicta ibidem; benè tamen in his, vt: *Si Petrus non loquitur, Paulus non audit: at Petrus non loquitur: ergo Paulus non audit.* Tertiò in illis duo ex terminis, ex quibus constant, semel tantùm debent poni in præmissis, & nullus in toto syllogismo potest poni pluries, quàm bis. In his verò omnes termini bis in præmissis, & aliqui quater possunt in syllogismo poni, vt patet in exemplis adductis Quæ, & aliæ differentiæ à diuersitate principiorum, in quibus hi, & illi syllogismi fundantur, trahunt originem.

Propositio 4.

Quoties vnumquodque duorum extremorum 207
conditionatè est verum sub hypothesi contradicto-

rij

rij alterius, non potest non eorum alterutrum esse absolutè verum.

Supposito enim, quòd sit conditionatè verum, existere A, si non existit B, & existere B, si non existit A, necesse est, absolutè existere A, vel B. demonstratur facilè. Nam ex duobus extremis contradictoriis alterum absolutè existere necesse est, iuxta principium euidentissimum statutum *disputatione 9. quæstione 5. propositione. 1.* Vel ergo absolutè existit A, & sic iam erit absolutè existens vnum ex duobus extremis A. B. vel absolutè existit contradictorium ipsius A, & sic, cùm sub eius conditione ponatur verum esse existere B, & eo existente sit putificata conditio, nequibit non existere B, iuxta principium tertium statutum *propositione. 3.* atque ita etiam absolutè existet vnum ex duobus extremis A. B. Posito igitur, quòd vnumquodque eorum conditionatè sit verum sub hypothesi contradictorij alterius, non potest non eorum alterutrum esse absolutè verum. Quod erat demonstrandum.

208 In hoc principio alia Ars syllogismorum hypotheticorum fundari potest habens vnam figuram, in quâ ex duabus propositionibus hypotheticis, quas ipsum principium præ se fert, inferatur categorica vagè, seu disiunctiuè enuntians alterutrum ex illarum conditionatis. Habet autem figura ista quatuor modos vtiles ad inferendum necessariò verum ex vero. Primus, in quo ambo extrema conditionata sunt positiua, vt: *Si Petrus non existit, Paulus existit; &, si Paulus non existit, Petrus existit: ergo alteruter eorum existit.* Secundus, in quo ambo extrema conditionata sunt negatiua; vt: *Si Petrus existit, Paulus non existit; &, Si Paulus existit, Petrus non existit: ergo alteruter eorum non existit.* Tertius, in quo conditionatum primæ propositionis est positiuum & conditionatum secundæ negatiuum, vt: *Si Petrus non existit, Paulus existit; &, Si Paulus existit, Petrus non existit: ergo, vel Paulus existit, vel Petrus non existit.* Quartus denique, in quo vice versâ, vt: *Si Petrus existit, Paulus non existit; &, Si Paulus non existit, Petrus existit: ergo, vel Paulus non existit, vel Petrus existit.* Poterit autem vnusquisque ad normam Artis præcedentis omnes syllogismos in hac possibiles numerare, à quatuorque vtilibus dictis inutiles secernere. In quo nobis non oportet ampliùs morari.

209 Aduerto tamen, categoricam illatam ex duabus conditionatis prædictis interdum pro ratione materiæ vsurpari in sensû disiuncto, id est, non postulante ad suam verificationem veritatem aliquam re ipsâ absolutam; sed dumtaxat duas conditionatas propositionum, ex quibus illa infertur. Quo casu antecedens, & conclusio æquiualentes prorsus sunt: quia idem re ipsâ obiectum enuntiant, licèt diuerso modo, vti euenit in hoc syllogismo. *Dexter oculus est necessarius ad videndum, si deest sinister, & sinister, si deest dexter: ergo dexter, vel sinister oculus est necessarius ad videndum.* Existente enim vtroque oculo, neuter eorum est necessarius absolutè ad videndum; sed tantùm sub conditione defectus alterius; atque adeò conclusio in tali casû solùm habere Potest veritatem conditionatam re ipsâ veritati antecedentis æquiualentem. Plerumque tamen categorica illata ex duabus conditionatis prædictis sumitur in sensu disiunctiuo postulante ad sui verificationem veritatem absolutam vnius ex extremis disiuncti, vti euenit in omnibus exemplis suprà propositis. Hæc enim conclusio: *Petrus, vel Paulus existit* illata ex his duabus conditionatis: *Petrus existit, si non existit Paulus; & Paulus existit, si non existit Petrus* idcircò vera est, quia vnus eorum absolutè, & determinatè existit, siue alter itidem existat, siue secùs. Id namque sensus disiunctiuus exposcit. Quo fit, vt conclusio in tali sensu sumpta non sit omninò æquiualens antecedenti, ex quo infertur, vti est sumpta in sensû disiuncto, licèt sit terminans connexionem eius. Quo sensu propterea debet sumi in syllogismis huius Artis, sicuti & in principio, in quo illa fundatur, sumitur. Alij enim syllogismi, in quibus antecedens, & consequens æquiualent non sunt syllogismi in rigore; sed tantùm specie tenus. Circa quæ videantur dicta *suprà disputatione 10. quæstione 2. & 5.*

Sed rogabit aliquis. Cur in hac Arte non 210
ponimus secundam figuram inferentem ex alterâ ex præmissis syllogismorum figuræ positæ, & ex contradictoriâ conclusionis eorum contradictoriam alterius præmissæ, iuxta doctrinam datam in simili *propositione tertia*? Respondeo: quia contradictoria conclusionis syllogismorum figuræ positæ non compatitur secum alteram ex præmissis; sed ambas necessariò excludit (quod est notandum;) atque adeò non potest simul cum alterâ ex præmissis inferre contradictorium alterius. Exempli gratiâ, contradictoria conclusionis huius syllogismi: *Si Petrus non existit, Paulus existit; & si Paulus non existit, Petrus existit: ergo alteruter eorum existit*, hæc est: *Neuter eorum existit.* Cuius veritas cum neutrius præmissæ veritate componi potest. Cùm enim ambarum purificet conditionem, si prima esset vera, & eius conditionatum esset absolutè verum; iuxta principium tertium statutum *propositione tertia*; atque ita darentur duo contraria simul vera. Quod repugnat; nempe, neque Petrum, neque Paulum existere, & Petrum existere; idemque est, si secunda esset vera, pariterque venit dicendum de contradictoriis conclusionum reliquorum syllogismorum vnicæ figuræ positæ pro Arte istâ, vt patet.

Propositio 5.

Hæc forma arguendi hypotheticè: *Si est A, est B, & si est B, est C: ergo, si est A, est C,* 211
etsi videatur legitima specie tenus, legitima non est.

Videtur specie tenus legitima: quia ex eo quòd A sit simul cum B, & B sit simul cum C, intra eumdem casum legitimè infertur, A esse etiam simul cum C. Quia respectû eiusdem casus, quæ sunt simul eidem tertio sunt simul inter se: secùs respectû diuersorum, quales faciunt diuersæ hypotheses in formâ arguendi propositâ iuxta dicta *disputatione decima nona, quæstione tertia*, ob idque legitima non est, vt cernitur in hoc exemplo: *Si extiterit auxilium A, existet consensus. si extiterit consensus, existet carentia auxilij A: ergo si extiterit auxilium A, existet carentia auxilij A.* Maior enim est

vera pro casu existentiæ consensus ab auxilio A minor etiam est vera pro casu existentiæ consensus ab auxilio B; & tamen conclusio falsa est. Pariterque in similibus. Itaque, sicut ex eo quòd A sit simul cum B in vno instanti, & B sit simul cum C in alio instanti, non sequitur, quòd A, & C sint simul in vllo instanti. Ita ex eo quòd A sit simul cum B sub vnâ hypothesi, & B sit simul cum C sub aliâ, non sequitur, quòd A sit simul cum C sub vllâ. Vide ad rem dicta *loco citato*. Et hæc satis de syllogismis hypotheticis.

QVÆSTIO VI.

Quænam Artes pro syllogismis ex complexis. Et qualiter construi possint.

212 APpello syllogismos ex complexis eos, qui ex aliquâ saltem, aut ex aliquibus propositionibus complexis componuntur. Supponoque ex dictis *disputatione decima nona, quæstione quarta*, omnes propositiones complexas ad copulatiuas, & disiunctiuas reduci. De hisque proinde dumtaxat esse sermonem in præsenti. Quanquam autem propositiones complexæ propriè dicantur, quæ ex duabus, aut pluribus simplicibus componuntur, vt ibi statuimus. Impræsentiarum verò quæcunque propositiones plura cum aliquâ distinctione enunciant, eo quòd terminos aliquos complexos habent, sub nomen complexarum cadere possunt, etiamsi ex pluribus simplicibus formaliter compositæ non sint. Cuiusmodi sunt istæ: *Omnis homo currit, & mouetur: Petrus, & Paulus, & Franciscus loquuntur: Mobile illud homo est, vel equus, vel leo*: & similes. His positis sit.

Propositio 1.

213 Quoties aliqua ex propositionibus simplicibus, ex quibus coalescit complexa, tanquam syncategorema alterius accipitur, syllogismi ex complexis per easdem regulas syllogismorum ex simplicibus componendi veniunt.

Est dicere. Syllogismi ex simplicibus eodem modo componendi veniunt, iuxta Artes in præcedentibus constitutas, siue eorum propositionibus per modum syncategorematum addantur aliæ simplices, quibus illæ in complexas transeant, siue non addantur. Exempli gratia, sicut hic syllogismus ex simplicibus in *Darij* legitimè concludit: *Omnis homo loquitur: aliquod risibile est homo: ergo aliquod risibile loquitur*; ita & hic ex complexis coalescentibus ex simplicibus modo dicto. *Omnis homo loquitur, & auditur: aliquod risibile est homo: ergo aliquod risibile loquitur; & auditur.* Similiter hic in *Cesare: Nullus lapis est animal, vel lapis viuit: sed omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis, vel lapis viuit.* Et hic in *Disamis: Aliquis homo, qui habet aures audit: omnis homo, qui habet aures est animal: ergo aliquod animal audit.* Et in cæteris pariter. Ratio autem propositionis conspicua est. Quia syncategoremata terminorum propositionum simplicium nullatenus immutant earum naturam in ordine ad syllogismos ex eis componendos, dummodò, vbicunque ponuntur termini categorematici, & ipsorum syncategoremata constanter ponantur, vt est notissimum.

Propositio 2.

Quia complexa copulatiua vniuersali simpli- 214
ci, & complexa disiunctiua particulari simplici æquiualent, iuxta doctrinam statutam *disputatione decima nona, quæstione quarta*, perinde de illis, ac de his, suâ seruatâ proportione, philosophandum venit in ordine ad componendos syllogismos concludentes legitimè secundum regulas in præcedentibus Artibus stabilitas.

Sic syllogismus hic syllogismo facto in *Derij* respondet, atque adeò legitimus est: *Hic homo est sapiens, & hic homo est dives: aliquod risibile est hic, vel hic homo: ergo aliquod risibile est hic sapiens, vel hic dives.* Similiter hic legitimus est respondens facto in *Cesare: Neque equus est homo, neque leo est homo: Sed omne risibile est homo: ergo neque hoc risibile est equus, aut leo, neque hoc, neque hoc* &c. Pariterque censendum de cæteris. Poterunt autem sub formâ quasi reflexâ vniuersaliore quælibet complexæ proferri ad formandos syllogismos, iuxta regulas Artium præcedentium hoc pacto, signatis ipsis complexis: *Omne extremum enuntiatum per propositionem primam est verum: Sed aliquod extremum secundæ est ex enuntiatis per primam ergo aliquod extremum secundæ est verum.* Ecce syllogismum in *Darij*. Pariterque procedendum in cæteris consentaneè ad illarum naturas. Ratio autem propositionis in promptû est: quia syllogismi æquialentes quoad sensum eodem pacto sunt, aut non sunt legitimi, vt constat. Eiusmodi autem syllogismi ex complexis legitimis ex simplicibus æquualentes sunt, vt supponimus.

Propositio 3.

Ex propositionibus copulatiuis Ars specialis 215
syllogismorum ex complexis ipsarum naturæ subnixa construi non potest, sicut ex disiunctiuis.

Quia nullum datur vniuersale principium, in quo ea fundari possit. Solùm namque est vniuersaliter verum ex veritate cuiusuis copulatiuæ inferri legitimè veritatem cuiusuis ex simplicibus, ex quibus constat, tum determinatè, tum vagè, seu disiunctiuè sumptis. In hoc autem principio non syllogismi; sed enthymemata ex complexis fundanda veniunt. Qualia sunt hæc: *Petrus loquitur, & Paulus audit: ergo Paulus audit: Petrus loquitur, & Paulus audit: ergo, vel Petrus loquitur, vel Paulus audit*, & similia. Quod si ex complexis habentes præpositam negationem, vt: *Non Petrus loquitur, & Paulus audit*, syllogismi possunt componi, id inde nascitur: quia illæ æquiualent disiunctiuis, per quas sunt exponendæ. Agamus ergo iam de syllogismis ex disiunctiuis, deque speciali eorum Arte.

Propositio 4.

Veritas disiunctiua, & veritas determinata 216
contradictoriè oppositæ vni ex extremis disiuncti sumptæ indiuisim cum veritate determinatâ alterius extremi connexæ sunt.

Si enim est verum disiunctiuè : *Petrus existit, vel Paulus existit*, & simul est verum determinatè : *Paulus non existit*, non potest non esse verum etiam determinatè : *Petrus existit* ; alioquin huius contradictoria : *Petrus non existit* esset vera, & consequenter hæc copulatiua. *Paulus non existit, & Petrus non existit*, contradictoria disiunctiuæ, quæ ponebatur vera, darentur que duæ contradictoriæ simul veræ. Quod est absurdum.

217 Est autem sermo in propositione de disiunctiuâ rigorosâ, quæ in sensu disiunctiuo vsurpatur, veritatemque absolutam vnius ex suis extremis exposcit ad sui verificationem. Non item vsurpata in sensu disiuncto, quæ nullius extremi postulat absolutam veritatem, cùm sit duabus conditionatis prorsus æquiualens, vt dicebamus *quæst. 5. num. 209.* atque ita ex positione eius, & contradictorij vnius ex eiusdem extremis non infertur positio alterius, vt cernitur in hoc syllogismo idcircò illegitimo. *Dexter, vel sinister oculus est requisitus ad videndum : sed non est requisitus dexter : ergo est requisitus sinister.* In quo maior in sensu disiuncto, & minor in sensu determinato sunt veræ, & nihilominus conclusio in sensu pariter determinato est falsa.

218 Igitur in principio proposito, atque ita exposito Ars specialis syllogismorum ex disiunctiuis, quos etiam disiunctiuos appellant, fundatur. In quâ ex vnâ propositione disiunctiuâ, & aliâ simplici enuntiante contradictorium vnius ex partibus disiuncti infertur tertia enuntians alteram partem. Est enim modò sermo dumtaxat de disiunctiuâ, deque disiuncto obiecto eius habente duas tantùm partes ; de habente namque plures dicemus posteà. Et in hâc quidem Arte maioris distinctionis gratiâ duæ figuræ distingui possunt. Prima, in quâ ex disiunctiuâ, & simplici enuntiante contradictorium prioris partis disiuncti infertur enuntians partem posteriorem. Secunda, in quâ vice versâ, ex disiunctiuâ, & simplici enuntiante contradictorium partis posterioris disiuncti infertur enuntians partem priorem. Designabimus autem compendij gratiâ, vti fecimus in simili *quæstione quintâ, propositione tertia*, disiunctiuam de vtroque extremo affirmato per D. Disiunctiuam autem de vtroque extremo negato per. n Dn. de affirmato vero primo, & negato secundo per. Dn. Et de negato primo, affirmatoque secundo per. nD. simplex verò enuntians, vel contradictorium prioris partis disiuncti, vel ipsam partem, si fuerit affirmatiua, per rectam P. significabitur ; si verò fuerit negatiua, per inuersam d. & simplex enuntians vel contradictorium partis posterioris disiuncti, vel ipsam partem, si affirmatiua, per rectam S. si negatiua, per inuersam 2. Quo materia huius Artis octo istæ propositiones erunt. D. nDn. Dn. nD. P. d. S. 2.

219 Modi autem possibiles in primâ figurâ huius Artis omninò sunt 16. quia singulæ quatuor disiunctiuarum cum illis duabus simplicibus P. d. componunt 8. binarios præmissarum. Quorum singuli rursus cum aliis duabus S. 2. componunt. 16. syllogismos. Totidémque sunt possibiles in secundâ figurâ ob eamdem rationem, in eo solùm differentes à prioribus, quòd pro præmissis habent illas S. 2. & pro conclusionibus illas P. d. Priores autem è conuerso. Atque ita omnes modi possibiles in hac Arte sunt 32.

Porrò modi vtiles ad concludendum necessariò verum ex vero quatuor omninò sunt in primâ figurâ, vt ipsum principium, in quo Ars hæc fundatur, satis euidenter præ se fert. Nempe DdS. id est : *Vel Petrus loquitur, vel Paulus loquitur : sed Petrus non loquitur : ergo Paulus loquitur.* nDn P 2. id est : *Vel Petrus non loquitur, vel Paulus non loquitur : sed Petrus loquitur : ergo Paulus non loquitur.* D nd 2. id est : *Vel Petrus loquitur, vel Paulus non loquitur : at Petrus non loquitur : ergo Paulus non loquitur.* nDP S. id est : *Vel Petrus non loquitur, vel Paulus loquitur : at Petrus loquitur : ergo Paulus loquitur.* In secunda autem figurâ totidem omninò modi vtiles sunt, vt ipsum principium æquè euidenter etiam præ se fert. Nimirum D 2 P hoc est : *Vel Petrus loquitur, vel Paulus loquitur : at Paulus non loquitur : ergo Petrus loquitur.* nDn S d. hoc est : *Vel Petrus non loquitur, vel Paulus non loquitur : at Paulus loquitur : ergo Petrus non loquitur.* D n S. P. hoc est : *Vel Petrus loquitur, vel Paulus non loquitur : at Paulus loquitur : ergo Petrus loquitur.* Et nD 2 d. id est : *Vel Petrus non loquitur, vel Paulus loquitur : at Paulus non loquitur : ergo Petrus non loquitur* : Quos omnes exhibet tabula sequens. 220

Tabula syllogismorum disiunctiuorum concludentium necessariò verum ex vero. 221

In 1. figurâ.

D	d	S.
nDn	P	2
Dn	d	2
nD	P	S

In 2. figurâ.

D	2	P
nDn	S	d
Dn	S	P
nD	2	d

In hâc itidem Arte aliæ insuper septem tabulæ describi possunt, vti vltra primam vtilium ad concludendum necessariò verum ex vero descriptæ sunt *quæst. 5. propos. 3.* Nempe tabula syllogismorum concludentium necessariò verum ex falso. Tabula concludentium necessariò falsum ex vero. Tabula concludentium necessariò falsum ex falso. Tabula concludentium necessariò verum ex maiore falsâ, & minore verâ. Tabula concludentium necessariò verum ex maiore verâ, & minore falsâ. Tabula concludentium necessariò falsum ex maiore falsâ, & minore verâ. Et tabula concludentium necessariò falsum ex maiore verâ, & minore falsâ. Quarum vnaquæque octo etiam, sicut descripta syllogismos habebit ; atque ita omnes octo tabularum erunt 64. cùm tamen possibiles in hâc Arte tantùm 222

sint 32. vt diximus. Ex quo patet, vnumquemque eorum semel in vnâ, & semel in alterâ tabulâ venire ponendum, atque adeò duarum tabularum, in quibus ponitur, proprietates participare eodem pacto ac de hypotheticis *loco citato* dictum est.

223 Hoc tamen habent peculiare in hâc Arte syllogismi mutantes maiorem syllogismorum vtilium tabulæ primæ in eius contradictoriam, quales sunt ponendi in tabulis 2. 4. 5. & 7. quod veluti mutant speciem. Transeunt enim ex disiunctiuis in copulatiuos, cùm contradictoria maioris disiunctiuæ vtilium copulatiua debeat esse, iuxta dicta *disp. 19. quæst. 4.*

224 Hæc dicta sunt de modis syllogisticis, veluti simplicioribus huius Artis, habentibus scilicet pro maiore propositionem disiunctiuam compositam ex duabus tantùm simplicibus. Quia tamen propositio disiunctiua ex pluribus, quàm duabus simplicibus potest constare. Idque absque vllo limite, & termino; nempe ex tribus, aut ex quatuor, aut ex quinque, aut ex sex; & ita ascendendo sine fine. Restat modò, vt dicamus de modis syllogisticis veluti complexioribus habentibus pro maiore disiunctiuam ex pluribus, quàm duabus simplicibus constantem. Qui quidem, si penes diuersos numeros propositionum simplicium, diuersasque earum mixtiones affirmationis, & negationis, ex quibus eorum maior constare potest, discriminandi sint, infiniti erunt: quia, quibusuis eorum datis, alij plures diuersi dari poterunt à diuersitate maioris disiunctiuæ nullum habente terminum iuxta dicta. Pro omnibus tamen vnica vniuersalis regula assignanda est: quâ omnes sub principio huius Artis, atque adeò sub Arte ipsâ coërceantur. Ea autem est huiusmodi.

225 Datâ quauis omninò propositione disiunctiuâ, ex quibusuis simplicibus coalescens, si ea sumatur pro maiore, pro minore autem contradictoria cuiuslibet omninò partis eius, residua pars, prout iacet, legitimè pro conclusione inferetur. Id enim manifestè præ se fert principium statutum, in quo hæc Ars nititur. Sic, si disiunctiua pro maiore assumenda ex quatuor simplicibus coalescit, trifariam imprimis ex illâ, iuxta datam regulam argui legitimè potest in hunc modum. Primò. *Petrus loquitur, vel Paulus, vel Ioannes, vel Franciscus: sed non loquitur Petrus: ergo loquitur Paulus, vel Ioannes, vel Franciscus.* Secundò. *Petrus loquitur, vel Paulus, vel Ioannes, vel Franciscus: sed non loquitur Petrus, neque Paulus: ergo loquitur Ioannes, vel Franciscus.* Tertiò. *Petrus loquitur &c. sed non loquitur Petrus, neque Paulus, neque Ioannes: ergo loquitur Franciscus.* (copulatiua enim, quæ pro minore sumitur in secundo, & tertio casu contradictoria est disiunctiuæ partialis, cui correspondet, vt constat ex doctrinâ statutâ *disputatione decima nona, quæstione quarta.*) Deinde argui potest interpolatis simplicibus maioris, iuxta omnem combinationem possibilem. Primò sic: *Petrus loquitur, vel Paulus, vel Ioannes, vel Franciscus: sed non loquitur Petrus, neque Franciscus: ergo loquitur Paulus, vel Ioannes.* Secundò: *sed non loquitur Petrus, neque Ioannes: ergo loquitur Paulus, vel Franciscus.* Tertiò: *sed non loquitur Paulus, neque Ioannes: ergo loquitur Petrus, vel Franciscus.* Quartò: *sed non loquitur Paulus, neque Franciscus: ergo loquitur Petrus, vel Ioannes.* Quintò: *sed non loquitur Petrus, neque Ioannes, neque Franciscus: ergo loquitur Paulus* &c. multæ enim adhuc restabant combinationes. Similiterque de similibus philosophandum est.

Ex quibus patet, quàm multi syllogismi vti- 226
les ex quâuis disiunctiuâ coalescente ex pluribus, quàm duabus simplicibus componi possint, qui eò plures erunt, quò plures fuerint simplices, ex quibus ea constat. Multóque plures erunt inutiles, iuxta *superius* dicta. Et hæc de syllogismis ex complexis satis sint dicta.

QVÆSTIO VII.

Quænam Artes pro syllogismis modalibus. Et qualiter construi possint.

SVppono primò syllogismos modales dici in 227
præsenti quicumque aut vnâ, aut duabus, aut omnibus tribus propositionibus modalibus constant: modalibus, inquam, de modis dialecticis nominaliter sumptis, de quibus latè tractatum est suprà *disputatione decima nona, quæstione prima & quinta.*

Suppono secundò, Arist. *lib. 1. Prior. à cap. 8.* 228
vsque ad 21. de syllogismis modalibus prolixè tractasse discurrendo per singulas figuras, perque singulos earum modos tentandoque sigillatim, in quibus eorum qui syllogismi modales aut de *Necesse*, aut de *Contingens*, aut mixti ex his duobus concludant legitimè, non factâ mentione syllogismorum de *Possibile*, aut de *Impossibile*. In quo Aristotelem cæteri logici sunt imitati. Nullus tamen, quod sciam, Artem vniuersalem pro huiusmodi syllogismis constituxit, aut regulas vniuersales tradidit. Imò neque speciales ab Aristot. traditas modo dicto ex propriis principiis demonstrauit. Quem ego defectum, vt suppleam.

Suppono tertiò ex demonstratis suprà *disputa-* 229
tione vndecima, quæstione quinta: & disputatione decima quarta, quæstione quarta ex sæpéque dictis in præcedentibus principia sequentia. 1. Omnis syllogismus legitimus ad inferendum necessariò verum ex vero ideò talis est, quia in eo antecedens obiectiuum indiuisim sumptum cum consequente obiectiuo necessariò connexum est. 2. Quoties vnius ex præmissis obiectum contingens, aut impossibile est, integrum antecedens obiectiuum indiuisim sumptum contingens, aut impossibile est, quidquid sit de obiecto alterius præmissæ. Vnde, vt integrum antecedens obiectiuum sit aut necessarium, aut possibile ambarum præmissarum obiecta sumpta seorsim aut necessaria, aut possibilia debent esse. Ratio est clara: quia, vt totum quoduis contingens, aut impossibile sit, sat est, quòd vna pars eius contingens, aut impossibilis sit; cùm tamè, vt sit necessarium, aut possibile, omnes partes eius debeant esse necessariæ, aut possibiles. Quòd si altera ex præmissis sit de *Contingens*, & altera de *Impossibile*, hæc præualet, & antecedens indiuisim est impossibile, vt constat. 3. Quod est possibile, aut est necessarium, aut contingens; & quod est necessarium, aut contingens, eo ipso est possibile. 4. Contradictorium necessarij est impossibile; & contradictorium impossibilis est necessarium & contradictorium contingentis est contingens & contradictoriũ possibilis,

aut est impossibile, aut contingens, impossibile quidem, si possibile est necessarium; contingens autem, si possibile est contingens. 5. Necessarium cum necessario, atque adeò possibili potest connecti, secùs cùm contingente, vel impossibili: quia, quod connectitur cum contingente eo ipso est contingens, & quod connectitur cum impossibili eo ipso est impossibile. Vnde, quoties connexum est necessarium, & id, cum quo est connexum est necessarium; atque adeò etiam possibile. 6. Contingens cum contingente, atque etiam cum necessario; & consequenter cum possibili potest connecti, vt patet in actione contingente connexâ cum termino contingente, atque adeò possibili; & in creaturâ contingente connexâ cum Deo necessario, atque adeò possibili; secùs cum impossibili: quia connexum cum impossibili eo ipso est impossibile. Vnde, si connexum est contingens, id, cum quo est connexum, aut contingens, aut necessarium esse debet; atque adeò possibile. 7. Possibile cum possibili, atque adeò cum necessario, vel contingente potest connecti; secùs cum impossibili, iuxta dicta. Vnde, quoties connexum est possibile, & id, cum quo est connexum possibile est; & consequenter, vel necessarium, vel contingens. 8. Impossibile connecti potest, tum cum impossibili, vt patet in omni chymerâ connexâ cum duobus contradictoriis; tum cum necessario, vt patet in actione chymericâ peccaminosâ Deo cum ipso Deo ex suo conceptu connexa; tum cum contingente, vt patet in frigefactione chymericâ oriunda ab igne contingente, cum ipsoque subinde connexa ex conceptu suo. Vnde; si connexum est impossibile, id, cum quo est connexum, aut impossibile, aut necessarium, aut contingens, & consequenter possibile esse potest; atque etiam debet; siquidem inter impossibile, & necessarium, & contingens, atque adeò possibile non datur medium.

230 Suppono denique, modum *Necesse* significari per N. *Possibile* per P. *Contingens* per C, & *impossibile* per B. vt suprà statuimus *disput. 19. quæst. 5.* His positis sit.

Propositio 1.

231 In omni modo syllogistico omnium Artium in præcedentibus quæstionibus constructarum legitimo; atque adeò vtili ad necessariò inferendum verum ex vero, si sumatur integrum antecedens *de ineſſe* pro *dicto*, iungaturque modus *Necesse* antecedens modale de *Necesse* coalescet legitimè inferens consequens etiam modale de *Necesse* habens similiter eiusdem modi syllogistici consequens *de ineſſe* pro *dicto*.

E. g. in primo modo legitimo primæ Artis constructæ *quæst. 3.* AAA. sic. NA NA NA. id est, *Necesse est, omnem hominem esse animal: Necesse est, omne risibile esse hominem: ergo necesse est, omne risibile esse animal.* In primo autem *modo* legitimo secundæ Artis constructæ *quæst. 4.* VtI I. sic. NV NtI NI. id est. *Necesse est, Socratem esse animal: Necesse est; aliquod risibile esse Socratem: ergo necesse est, aliquod risibile esse animal.* Similiter in primo modo legitimo specialis Artis constructæ pro hypotheticis *quæst. 5. propos. 3.* HC T. hoc pacto. NH. NC. NT. *Necesse est, si Socrates est animal, Socratem viuere: sed est necesse, Socratem esse animal: ergo est necesse, Socratem viuere.* Et in primo modo legitimo Artis specialis constructæ pro disiunctiuis *quæst. 6. propos. 4.* DdS. sic ND. Nd. NS. id est: *Necesse est, vel Deum esse iniustum, vel omne peccatum esse puniendum: at necesse est, Deum non esse iniustum: ergo necesse est, omne peccatum esse puniendum.* Similiterque de cæteris omnibus modis legitimis omnium Artium syllogismorum in præcedentibus constitutis venit censendum. Ex quo patet, hanc vnicam propositionem vniuersalissimam Artem exhibere omnes præcedentes supponentem, & complectentem pro omnibus syllogismis modalibus fundatis in legitimis de *ineſſe* dictarum præcedentium, & habentibus antecedens integrum de *Necesse*, concludentibusque necessariò verum ex vero. Accipe enim omnes tabulas syllogismorum vtilium, siue legitimorum in prædictis Artibus factas, adiiceque singulis earum litteris litteram N. quâ modus *Necesse* designatur, habebisque vniuersalissimam Artem eiusmodi syllogismorum modalium vtilium, siue legitimorum quorum integrum antecedens est de *Necesse*.

Propositio autem ex principiis statutis suppositione tertiâ facilè demonstratur. Quia cuiusuis omninò syllogismi legitimi integrum antecedens cum consequente est connexum, iuxta *princ. 1.* sed quoties connexum est necessarium, & id, cum quo est connexum est necessarium, iuxta *princip. 5.* Ergo in quouis omninò syllogismo legitimo, quoties antecedens est necessarium, & consequens est necessarium. Ergo, qui per adiunctum modum *Necesse* modaliter enuntiat, tale antecedens necessarium esse, legitimè inde infert etiam modaliter per adiunctum modum *Necesse*, & tale consequens necessarium esse. Perinde enim est asserere, veluti in actu exercito: *Necesse est, omnem hominem esse animal: Necesse est, omne risibile esse hominem: ergo necesse est, omne risibile esse animal*; atque asserere quasi in actu signato de syllogismo *de ineſſe* facto in *Barbara*, cui modalis dictus respondet: *Antecedens est necessarium: ergo & consequens*, vt est notissimum. 232

Quoniam autem, quod est necessarium eo ipso est possibile, iuxta *princip. 3.* consequitur, omnem syllogismum legitimum ad inferendum consequens modale de *Necesse* legitimum quoque esse ad inferendum consequens modale de *Possibile*. 233

Propositio 2.

In omni modo syllogistico legitimo præcedentium Artium, si fiat syllogismus modalis, prout dictum *propos. 1.* cuius altera præmissa sit de *Necesse*, & altera de *ineſſe*, legitimè inferetur consequens de *Necesse*, quando præmissa de *ineſſe* fuerit in materiâ necessariâ. 234

Quia in tali casu integrum antecedens erit necessarium, atque adeò, & consequens iuxta *princip. 5.* statutum suppositione tertiâ, venitque demonstratio facta *propos. 1.* E. g. *Necesse est, omnem hominem esse animal: omne risibile est homo: ergo necesse est, omne risibile esse animal.* Vel: *Omnis homo est animal: Necesse est, omne risibile esse hominem: ergo necesse est, omne risibile esse animal.* Cæterùm in his syllogismis illatio solùm est legitima ratione materiæ specialis; sub eâdem enim formâ erit illegitima, si præmissa de *ineſſe* sit in materiâ contingente. Tunc enim etsi antecedens sit verum, consequens erit falsum; atque etiam si præmissa de *ineſſe* sit in materiâ impossibili. Erit namque in primo casu integrum antecedens con-

tingens,& in 1. impossibile, iuxta *princ.*2. Quorum neutrum infert determinatè consequens necessarium, iuxta *princ.*6.& 8.& posteà dicenda

235 Ex hàc propositione sequitur primò. Quoties in omni modo legitimo præcedentium Artium ambæ præmissæ sunt in materiâ necessariâ ex ambabus etiam de *inesse* inferri consequens modale de *Necesse* legitimè ratione materiæ; secùs, quando aliqua illarum est in materiâ contingente, vel impossibili

236 Secundò sequitur, sicuti dictum est circa præced. ex iis præmissis, ex quibus legitimè infertur quoquomodo consequens modale de *Necesse* etiam inferri legitimè consequens modale de *Possibile*.

Propositio 3.

237 In omni modo syllogistico legitimo præcedentium Artium si fiat syllogismus modalis, provt dictum *propos.*1. cuius ambæ præmissæ sint de *Possibile*, legitimè infertur consequens de *Possibile*, & consequenter de *Contingens*, vel *Necesse* sub disiunctione.

Quia quoties connexum est possibile, & id, cum quo est connexum, possibile est, atque adeò, vel contingens, vel necessarium sub disiunctione, iuxta *princip.* 7. statutum suppositione tertiâ: Ergo quoties antecedens legitimi syllogismi est possibile, & consequens, cum quo illud connectitur debet esse possibile, atque adeò vel contingens, vel necessarium sub disiunctione. Vnde syllogismus modalis adstruens possibilitatem antecedentis, qualis est dictus, legitimè infert possibilitatem consequentis; disiunctumque dein contingentiæ, vel necessitatis, provt demonstratum est in simili *propos.*1. Quo vniuersalissimam etiam Artem habemus pro syllogismis modalibus legitimis, quorum ambæ præmissæ sunt de *Possibile*.

238 Ex hac propositione sequitur, etiam inferri vniuersaliter consequens modale de *Possibile* ex antecedente, cuius aut altera, aut vtraque præmissa est de *inesse*: quia ex suppositione, quòd sit vera, nequit non esse possibilis, siue possibiliter talis. Quod ad rem recidit in idem, vt constat.

Propositio 4.

239 Syllogismus modalis habens aut vtramque, aut alteram præmissam de *Contingens* in nullo *modo*, seu penes nullum *modum* legitimum præcedentium Artium constitui potest, provt dictum est *propos.*1. legitimè inferens consequens de *Contingens*; benè tamen inferens consequens de *Possibile*, atque adeò etiam de *Contingens*, vel de *Necesse* sub distinctione.

Prima pars propositionis contra Logicos Aristotelicos, imò & contra ipsum Aristotelem suprà citatum est. Docent enim penes omnes modos secundæ, & tertiæ figuræ Artis à nobis constructæ *quæst.* 3. ex vtraque præmissâ de *Contingens* legitimè inferri consequens de *Contingens*; secùs verò penes modos secundæ figuræ. Sed demonstratur oppositum primò veluti à posteriori. Nam in hoc syllogismo facto penes *Celarent* primæ figuræ: *Contingens est, nullum currentem esse hominem: Contingens est, omnem equum esse currentem: ergo contingens est, nullum equum esse hominem*, planè est antecedens verum, & consequens falsum. Idemque euenit in hoc facto penes *Felapton* tertiæ figuræ. *Contingens, est, nullum currentem esse hominem: Contingens est, omnem currentem esse equum: ergo contingens est, aliquem equum non esse hominem.* Non ergo inferunt legitimè.

Deinde id ipsum simul cum alterâ propositionis parte demonstratur ex principiis statutis *suppositione tertiâ*: Quia ex eo quòd connexum sit contigens, non sequitur esse etiam contingens id, cum quo est connexum, licet sequatur, esse id possibile, atque adeò aut contingens, aut necessarium sub disiunctione, iuxta *princip.*6. Ergo ex eo quòd antecedens cuiusuis syllogismi legitimi præcedentium Artium sit contingens, non sequitur esse contingens consequens, cum quo illud connexum est, eoque titulo est legitimus syllogismus iuxta *princip* 1. licet sequatur, consequens esse possibile, atque adeò contingens, vel necessarium sub disiunctione: Ergo neque ex adstructâ talis antecedentis contingentiâ per modales de *Contingens* sequitur per modalem pariter de *Contingens* talis consequentis contingentiam adstrui debere, licet sequatur debere adstrui eiusdem possibilitatem; atque adeò contingentiam, vel necessitatem sub disiunctione. Quod ipsum est, syllogismum modalem habentem vtramque præmissam de *Contingens* penes nullum modum legitimum præcedentium Artium constitui posse legitimè inferentem consequens modale de *Contingens*. Tametsi penes omnes constitui possit legitime inferens consequens modale de *Possibile*, atque adeò & consequens modale de *Contingens*, vel *Necesse* sub disiunctione. Perinde autem est, eiusmodi syllogismum habere alteram tantùm, atque habere vtramque præmissam de *Contingens*, quod ad rem attinet; siquidem eo ipso quòd alterius præmissæ obiectum contingens est, integrum antecedens indiuisim sumptum, quo pacto cum consequente connectitur, contingens est iuxta *princip.*2. Per quæ integra propositione-stra demonstrata manet. Vniuersaliterque constat, quomodò syllogismi modales penes omnes modos legitimos præcedentium Artium formati cum alterâ, aut cum vtràque premissâ de *Contingens* ad inferendum consequens de *Possibile*; atque adeò etiam de *Contingens*, vel *Necesse* sub disiunctione legitimi sint; ad inferendum verò consequens de *Contingens* determinatè nequaquam.

240

Quidquid autem per conclusionem modalem legitimè infertur, vel non infertur ex alterâ, aut ex vtràque præmissâ de *Contingens*, iuxta dicta, id ipsum infertur ratione materiæ, vel non infertur ex alterâ, aut ex vtràque præmissâ de *inesse*, dummodò ea in materiâ sit contingente, vt constat ex dictis in simili *propos.*2.

241

Propositio 5.

Syllogismus modalis habens aut vtramque, aut alteram præmissam de *Impossibile* penes nullum modum legitimum præcedentium Artium constitui potest legitimè inferens consequens de *Impossibile*, aut de *Necesse*, aut de *Contingens* determinatè; benè tamen penes omnes inferens consequens de vno, vel alio, vel alio eorumdem trium modorum sub disiunctione.

242

Demonstratur ex principiis statutis *suppositione tertiâ*. Quoniam ex eo, quòd connexum est impossibile, non sequitur, id, cum quo est connexum, debere esse determinatè aut impossibile, aut necessarium, aut contingens; potest namque esse primum, vel secundum, vel tertium sub disiunctione, iuxta *princip.*8 Ergo ex eo quòd antecedens cuiusuis

cuiusuis syllogismi legitimi præcedentium Artium sit impossibile, non sequitur, debere consequens, cum quo illud connexum est, esse determinatè impossibile, aut necessarium, aut contingens; sed tantùm esse, vel impossibile, vel necessarium, vel contingens sub disiunctione. Ergo neque ex adstructâ talis antecedentis impossibilitate per alteram, aut per vtramque modalem de *Impossibile*, sequitur debere talis consequentis adstrui impossibilitatem, aut necessitatem, aut contingentiam determinatè per modalem de aliquo ex tribus modis illis correspondentibus; sed tantùm vnam, vel alteram, vel tertiam sub disiunctione per modalem de disiuncto eorumdem trium modorum. Quod ipsum est id, quod adstruit hæc propositio quinta, iuxta dicta etiam in simili *propositione decima quarta*.

243 Ex hac autem sequitur, sicut ex illâ. Quidquid per propositionem modalem legitimè infertur, aut non infertur ex alterâ, aut ex vtràque præmissâ de *Impossibile* penes modos omnes legitimos præcedentium Artium, iuxta dicta id ipsum inferri ex alterâ, aut ex vtràque præmissâ de *inesse*, quando illa est in materia impossibili.

244 Ex dictis autem hactenus liquidum manet, quodnam modale consequens inferat, aut non inferat antecedens modale mixtum ex modalibus de diuersis *modis*, iuxta omnes mixtiones possibiles in omnibus syllogismis factis penes modos de *inesse* legitimos præcedentium Artium. Quotiescunque enim altera præmissa est de *Impossibile*, de quocunque aliorum trium modorum sit altera perinde se habet antecedens in ordine ad inferendum consequens iuxta *principium* 2. statutum suppositione tertiâ, ac si ambæ essent de *Impossibile*. De quo casû dictum est in hâc *proposit.* 5. Quotiescunque autem altera præmissa est de *Contingens* de quocunque aliorum duorum modorum sit altera, perinde se habet antecedens ac, si ambæ essent de *Contingens*, iuxta idem *princ.* 2. De quo casû dictum est *proposit.* 4. Quotiescunque denique altera præmissa est de *Necesse*, & altera de *Possibile*, ambæ sunt de *Possibile*. De quo casû est dictum *proposit.* 3. Quo integra Ars syllogismorum modalium, qui fieri possunt penes omnes modos legitimos syllogismorum de *inesse* omnium Artium in præcedentibus quæstionibus constructarum maner completa.

245 Venio iam ad syllogismos modales factos penes modos syllogismorum de *inesse* præcedentium Artium illegitimos, siue inutiles ad concludendum necessariò verum ex vero, vtiles tamen ad concludẽdum necessariò aut verum ex falso, aut falsum ex vero, aut falsum ex falso &c. iuxta septem eorum tabulas sub totidem consectariis factas, ac demonstratas *quæst.* 3. post *propos.* 13. Quibus similes in omnibus sequentibus Artibus effici possent, vt suis in locis adnotauimus. Sitque pro huiusmodi syllogismis modalibus.

Propositio 6.

246 Quoties syllogismus de *inesse* ex antecedente falso infert necessariò consequens verum, modalis penes ipsum factus ex antecedente de *Impossibile* legitimè inferet consequens de *Necesse*

Quia in tali casû syllogismus de *inesse* pro antecedente habet contradictorias præmissarum syllogismi legitimi, & pro conclusione eamdem syllogismi legitimi, vt ex eius constructione loco nuper citato constat; atque adeò quando antecedens talis syllogismi est impossibile, antecedens syllogismi legitimi, cui ille respondet, est necessarium, iuxta *princ.* 4. statutum suppositione tertiâ. Et consequenter ex adstructâ per propositiones modales de *Impossibile* impossibilitate antecedentis talis syllogismi legitimè sequitur adstruenda per modales de *Necesse* necessitate antecedentis legitimi syllogismi, cui ille respondet; sed ex talibus modalibus de *Necesse* legitimè infertur conclusio modalis de *Necesse*, iuxta *propos.* 1 Ergo de primo ad vltimum ex antecedente de *Impossibile* syllogismi modalis facti penes syllogismum de *inesse* inferentem necessariò verum ex falso, de quo tractamus, legitimè infertur idem consequens de *Necesse*, quod ex antecedente de *Necesse* syllogismi modalis facti penes legitimum, cui ille respondet, veniebat inferendum. Quo demonstrata satis pulchrè propositio manet.

Itaque, quia hic syllogismus de *inesse* IEO, qui 247
est quartus ex directis primæ figuræ in tabulâ propositâ loco citato sub *consect.* 1. ex antecedente falso necessariò infert consequens verum, hic modalis penes ipsum factus legitimus est. RI. RE. NO. id est: *Impossibile est, aliquem hominem esse lapidem: Impossibile est, nullum risibile esse hominem: ergo necesse est, aliquod risibile non esse lapidem.* Similiter, quia hic syllogismus de inesse OAO, qui est quartus ex directis secundæ figuræ eiusdem tabulæ necessariò infert ex antecedente falso consequẽs verum, hic modalis penes ipsum factus legitimus est: RO. RA. NO. id est: *Impossibile est, aliquem hominem non esse animal: Impossibile est, omnem lapidem esse animal: ergo necesse est, aliquem lapidem non esse hominem.* Idemq; est de cæteris omnibus huiusmodis syllogismis modalibus factis penes reliquos omnes modos de *inesse*, tum dictæ tabulæ, tum cæterarum similium; quæ in reliquis omnibus Artibus syllogismorum de *inesse* suum locum habent. In quibus syllogismis modalibus illud est etiam valde notandum, quòd semper, & necessariò eorum antecedens est verum, eo ipso, quòd antecedens syllogismorum de *inesse*, penes quos fiunt, falsum, & impossibile est; atque ita semper ex vero necessariò inferunt verum, eoque iure præ illis, siue aliter, quàm illi, in quibus fundantur, ad scientias sunt vtiles.

Ex hac propositione sequitur primò. Ex eisdem 248
præmissis modalibus in casû posito eriam inferri legitimè consequens de *Possibile*: quia consequens de *Possibile* in consequente de *Necesse* potestate contentum est, vt constat ex dictis.

Secundò sequitur, in casû propositionis ex præ- 249
missis modalibus de *Contingens* legitimè inferri consequens modale de *Possibile*, atque adeò de *Necesse*, vel *Contingens* sub disiunctione: quia quãdo præmissæ syllogismi de *inesse* fundantis sunt de obiecto contingente, earum contradictoriæ syllogismi legitimi, cui ille respondet, etiam sunt de obiecto contingente, iuxta *princ.* 4. citatum. Quãdo autem præmissæ syllogismi legitimi de *inesse* sunt de obiecto contingente modalis, in eo fundatus ex præmissis modalibus de *Contingens* legitimè infert consequens modale de *Possibile*, atque adeò & de *Necesse*, vel *Contingens* sub disiunctione, iuxta *proposit.* 4. Tantumdem ergo de primo ad vltimum in casû propositionis venit dicendum. Itaque penes syllogismum de *inesse* IEO citatum primæ figuræ legitimus fit hic modalis CI. CE PO. id est: *Contingens est, aliquem ambulantem esse equum: Contingens*

tingens est, nullum hominem esse ambulantem : ergo possibile est, atque adeò vel necessarium, vel contingens, aliquem hominem non esse equum. Pariterque de cæteris venit dicendum. In quibus etiam ex antecedente vero sequitur necessariò consequens verum, tametsi sit falsum antecedens syllogismorum de *ineſſe*, in quibus fundantur. Mitto alias comparationes, quæ ad rem fieri possent, quia minus vtiles. & pergo.

Propositio 7.

250 Quoties syllogismus de *ineſſe* ex antecedente vero infert necessariò consequens falsum, modalis penes ipsum factus ex antecedente de *Necesse* legitimè infert consequens de *Impossibile*.

Quia in tali casû syllogismus de *ineſſe* easdem præmissas habet syllogismi legitimi, & pro conclusione contradictoriam conclusionis eiusdem, iuxta *consect.* 2. ex citatis paulò antè ex *q.* 3. sed quoties antecedens legitimi de *ineſſe* fundat antecedens modale de *Necesse* legitimè infertur consequens modale de *Necesse*, iuxta *propositi.* 1. & quoties consequens est necessarium, eius contradictorium est impossibile, iuxta *princ.* 4. suppositionis tertiæ : ergo de primo ad vltimum antecedens modale de *Necesse* fundatum in antecedente de *ineſſe* syllogismi illegitimi, de quo agimus, quod idem est, atque legitimi, cui ille respondet, legitimè infert modale consequens de *Impossibile*. Quod erat demonstrandum. Exempli gratia, quia hic syllogismus AAO. qui primus est primæ figuræ in tabulâ descriptâ sub dicto *consect.* 2. ex antecedente vero necessariò infert consequens falsum legitimus est hic modalis penes ipsum factus NA.NA.RO. id est : *Necesse est, omnem hominem esse animal : Necesse est, omne risibile esse hominem: ergo impossibile est, aliquod risibile non esse animal.* Idemque est de cæteris omnibus dicendum. In quibus, vt vides ex antecedente vero necessariò infertur consequens verum ; tametsi syllogismi de *ineſſe*, in quibus fundantur, necessariò inferant falsum. Mitto hic etiam cæteras comparationes, vtpote minus vtiles : quia ab vnoquoque consentaneè ad prædicta facilè fieri possunt.

Propositio 8.

251 Quoties syllogismus de *ineſſe* ex antecedente falso necessariò infert consequens falsum, modalis penes ipsum factus ex antecedente de *Impossibile* legitimè infert consequens de *Impossibile*.

Quia in tali casû syllogismus de *ineſſe* pro præmissis, & conclusione habet contradictorias præmissarum, & conclusionis syllogismi legitimi iuxta dicta *consect.* 3. ex citatis ex *quæst.* 3. atque ita quoties hæ sunt de obiecto necessario, eoque iure fundant modalem integrum legitimum de *Necesse*, iuxta *propositi.* 1. nequeunt non esse illæ de obiecto impossibili, iuxta *princ.* 4. suppositionis tertiæ, fundareque idcircò modalem integrum legitimum de *Impossibile*, prout data propositio fert. Pro exemplo sit modalis fundatus in hoc IEA. qui quartus est primæ figuræ in tabulâ dicti *consect.* 3. nempe : RI.RE.RA. id est : *Impossibile est, aliquem hominem esse lapidem : Impossibile est, nullum risibile esse hominem : ergo impossibile est, omne risibile esse lapidem.* Idemque est de cæteris omnibus, in quibus omnes propositiones necessariò sunt veræ: cùm tamen in syllogismis de *ineſſe* fundantibus illos omnes sint falsæ.

Ex antecedente autem modali de *Contingens* in 252
casû huius propositionis legitimè infertur consequens etiam de *Impossibile* : quia infertur contradictorium consequentis inferendi ex eodem antecedente in casu propositionis sextæ, quod erat de *Possibile*, vt ibi vidimus, contradictorium autem consequentis de *Possibile* consequens de *Impossibile* est, vt constat. Sic penes eumdem modum citatum hic syllogismus est legitimus CI. CE. RA. id est : *Contingens est, aliquem ambulantem esse equum : Contingens est, nullum hominem esse ambulantem : ergo impossibile est, omnem hominem esse equum.* Pariterque sunt legitimi cæteri huiusmodi, semperque, & necessariò inferentes verum ex vero. Cæteras autem comparationes vt minus vtiles prætermitto.

Propositio 9.

De syllogismis modalibus factis penes eos de 253
ineſſe, qui ex alterâ præmissâ falsâ, & alterâ verâ necessariò inferunt consequens verum idem dicendum est, ac dictum *propositi.* 6. de factis penes necessariò inferentes verum ex vtraque præmissâ falsâ. De modalibus autem factis penes eos de *ineſſe*, qui ex alterâ præmissâ falsâ, & alterâ verâ necessariò inferunt consequens falsum, idem ac dictum est *propositi.* 8. de factis penes inferentes falsum ex vtraque præmissâ falsâ.

Ratio est in promptû : quia ex vnâ præmissâ modali de *Impossibili*, aut de *contingens* correspondente præmissæ falsæ dictorum syllogismorum de *ineſſe*, & ex aliâ quâuis correspondente præmissæ veræ eorumdem idem venit consequens modale inferendum, ac, si ambæ præmissæ modales essent de *Impossibili*, aut de *Contingens*, eo quòd quando vna pars antecedentis impossibilis, aut contingens est, perinde integrum antecedens est impossibile, aut contingens, ac si ambæ essent tales, iuxta *princ.* 2. statutum suppositione tertiâ : ergo, quod in casibus *propositi.* 6. & 8. infertur ex duabus præmissis modalibus de *Impossibile*, aut de *Contingens* correspondentibus duabus præmissis falsis syllogismi de *ineſſe*, id ipsum venit inferendum in casibus propositionis præsentis ex vnâ præmissâ modali de *Impossibile*, aut de *Contingens* correspondente vni præmissæ falsæ syllogismi de *ineſſe*, & ex alterâ quâuis modali correspondente præmissæ veræ. Idem ergo est dicendum de syllogismis modalibus ad hanc propositionem spectantibus, ac de spectantibus ad *propositi.* 6. & 8. Exempla autem pro hâc facilè quisque, iuxta adhibita pro præcedentibus poterit adhibere.

Et quomodò per præcedentes vniuersales, 254
scientificéque demonstratas propositiones Ars vniuersalissima ex multis, variisque Artibus, quasi partialibus coalescens constructa manet pro omnibus syllogismis modalibus, qui fieri possunt circa omnes de *ineſſe* tam illegitimos, quàm legitimos; tam categoricos, tum de medio communi, tum de singulari, quàm hypotheticos, atque etiam ex complexis, iuxta horum omnium Artes constructas in præcedentibus *qq.* & eis suppositis.

Modò in hâc illud idem infero, quod intuli in 255
omnibus illis. Nempe, quot sunt syllogismi modales legitimi, atque adeò vtiles ad inferendum necessariò verum ex vero, qui innumeri propemodum sunt, vt constat ex dictis, tot esse illegitimos

mos ad id inutiles; vtiles tamen ad concludendum necessariò verum ex falso. Tales enim erunt, qui habuerint præmissis contradictorias præmissarum legitimorum cum eâdem conclusione. Et totidem habeates easdem legitimorum præmissas cum contradictoriâ conclusione concludentes necessariò falsum ex vero. Et totidem concludentes necessariò falsum ex falso. Ac demùm totidem in vnoquoque residuorum generum, iuxta dicta in simili in cæteris Artibus, & demonstrata in primâ *q. 3. post propos.* 13. in consectariis; atque hæc de Artibus syllogismorum satis sint dicta.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit Enthymema, & quotuplex, quænamque pro Enthymemate vniuersales Artes construi possint. & qualiter.

256 EEnthymema dicitur in præsenti argumentatio illa, in quâ ex vnicâ tantùm propositione altera legitimè infertur. Possumus autem illud diuidere, vti diuisimus syllogismum *quæst.* 2. Primò in affirmatiuum, & negatiuum. Secundò in categoricum, & hypotheticum. Tertiò in compositum ex simplicibus propositionibus, & in compositum ex complexis. Quartò in modale, & non modale. Quintò in euidens, & obscurum &c. iuxta dicta *ibi.*

257 Putant nonnulli, omne Enthymema mentaliter esse syllogismum, etsi voce tenus duas tantùm propositiones habeat: quia semper, inquiunt, subintelligitur tertia; sed malè: Quia, quàm certum est, vnum extremum per vnicam tantùm propositionem tum vocalem, tum etiam mentalem enuntiabile connecti sæpissimè cum altero, tam certum est ex vnicâ tantùm propositione enuntiante primum legitimè inferri alteram enuntiantem secundum, quin subintelligatur tertia. Quod ex dicendis insuper manifestè patebit. Non nego, quoties ex vno obiecto iudicato inferimus aliud, præter iudicium expressum de primo dari etiam ex parte antecedentis iudicium tacitum de connexione primi cum secundo. Hoc tamen commune est omni humano discursui, vt vidimus *disput.* 2. *quæst.* 5. Neque hoc iudicium tacitum connexionis antecedentis cum consequente numeramus, dum de numero iudiciorum, siue propositionum interuenientium in discursu, siue argumentatione sermonem habemus, alioquin ex quatuor iudiciis dicendus esset syllogismus coalescere, quandoquidem, qui syllogisticè discurrit, præter duo expressa iudicia, quæ habet de obiectis duarum præmissarum insuper habet ex parte antecedentis iudicium tacitum de connexione eorum cum obiecto conclusionis. Itaque dari Enthymemata à syllogismis etiam mentaliter diuersa, in quibus ex vnicâ tantùm propositione legitimè infertur altera, quin tertia subticeatur modo explicato, dubitandum non est. De iisque dumtaxat agimus in præsenti. Alia enim, in quibus tertia propositio subauditur, qua in syllogismos coalescunt, ad syllogismos reuocantur, minusque propriè Enthymemata dicenda veniunt. Pro Enthymematibus ergo huiusmodi sequenter sunto Artes, siue regulæ vniuersales.

Propositio 1.

Omnes Artes, siue regulæ vniuersales traditæ 258
disput. 19. *q.* 2. *& seqq.* pro exhibendis binariis omnibus propositionum inter se connexarum, atque adeò subalternarum, siue non mutuò, siue mutuò, Artes siue regulæ vniuersales pro Enthymematibus sunt.

Est clarum: quia quoties vna propositio cuiusuis generis cum alterâ etiam cuiusuis generis connexa est siue non mutuò, siue mutuò legitimè ex primâ infertur secunda per Enthymema, vt est notum. Vnde omnia ea Enthymemata illegitima erunt, atque adeò inutilia ad inferendum verum ex vero, in quibus propositio, quæ est antecedens cum eâ, quæ est consequens, siue conclusio, connexa non est, vt etiam est notum.

Propositio 2.

Omnes regulæ supra traditæ *disput.* 19. *q.* 6. pro 259
conuersionibus propositionum etiam sunt regulæ pro Enthymematis.

Quia in omni conuersione legitimâ à propositione conuersâ ad conuertentem legitimè arguitur per Enthymema, vt ex *ibi* dictis est notum.

Propositio 3.

In omni modo syllogistico legitimo omnium 260
Artium in præcedentibus quæstionibus constructarum duo legitima Enthymemata de conclusione conditionata fundantur. Alterum, quo ex maiore syllogismi infertur consequens sub conditione minoris; Alterum, quo ex minore syllogismi infertur consequens sub conditione maioris. Eâ tamen lege, vt nec minor maiorem, nec maior minorem excludat.

Ratio est conspicua. Quia quoties modus syllogisticus legitimus est non potest non esse verum consequens, si ambæ præmissæ sint veræ, vt constat: sed quoties vna præmissa absolute est vera, & altera ipsam non excludit, necessariò sub alterius hypothesi sunt ambæ veræ, vt constat etiam ex se, & ex dictis *disput.* 19. *quæst* 3. Ergo, quoties modus syllogisticus legitimus est, & vna ex præmissis est vera, nequit non esse verum consequens sub hypothesi alterius, quando hæc non excludit illam. Quod ipsum est ex vnâ præmissâ legitimè inferri consequens sub conditione alterius non excludentis illam, vt propositio data fert. Itaque: quia hic syllogismus categoricus in *Darij: Omnis homo est animal: aliquod ambulans est homo: ergo aliquod ambulans est animal* legitimus est, & veritas minoris non excludit veritatem maioris, quia ex eo quòd minor sit vera, non fit, maiorem esse falsam, ideò hoc Enthymema etiam est legitimum: *Omnis homo est animal: ergo, si aliquod ambulans est homo, aliquod ambulans est animal.* Quia verò in hoc syllogismo disiunctiuo legitimo: *Vel exiſtit actio, vel exiſtit terminus sed non exiſtit terminus: ergo exiſtit actio*, veritas minoris excludit veritatem maioris: quia, si minor sit vera, nequit non esse maior falsa. Idcircò hoc Enthymema non est legitimum: *Vel exiſtit actio, vel exiſtit terminus: ergo, si non exiſtit terminus: exiſtit actio.* Est quippe conclusio conditionalis falsa, etiamsi antecedens sit verum. Similiterque de similibus philosophandum est. Quo ampliſſimam pro Enthyme-

matis

matis Artem habemus omnes præcedentes syllogismorum sub datâ lege complectentem.

Propositio 4.

261 Vniuersaliter, quoties vnica propositio obiectiua cum alia quapiam connexa est, legitimè per Enthymema infertur ex primâ secunda.

262 Quia ab omni connexo ad id, cum quo connexum est legitimè arguitur, vt ex se, & ex sæpè dictis notissimum est.

263 Ex quibus infero provt in omnibus præcedentibus syllogismorum Artibus intuli, quot sunt enthymemata legitima, atque adeò vtilia ad inferendum necessariò verum ex vero, tot esse ad id quidem inutilia; vtilia tamen ad inferendum necessariò verum ex falso; & totidem ad inferendum necessariò falsum ex vero; & totidem ad inferendum necessariò falsum ex falso. Primi enim generis erunt, quæ loco propositionis antecedentis legitimorum habeant eius contradictoriam cum eâdem conclusione. Secundi, quæ loco conclusionis habeant eius contradictoriam cum eâdem antecedente; & tertij, quæ loco ambarum habeant earum contradictorias, iuxta demonstrationes factas suprà *q.* 3. post *propositionem decimam tertiam, in Corollariis.*

264 Aduerto ad extremum: *Exemplum*, quod inter argumentationes censetur à Logicis, ad Enthymema reuocari. Est enim quoddam Enthymema inferens vnam propositionem ex aliâ ob similitudinem quam habet prior cum posteriore, atque adeò ob connexionem saltem moralem, siue probabilem prioris cum posteriori fundata in tali similitudine. Quod argumentationis genus frequentissimum locum habet in scientiis humanis, vt infrà *disputatione decima tertia*, explicabimus.

QVÆSTIO IX.

Quid, & quotuplex sit Inductio. Et quænam pro Inductionibus Artes, siue regulæ vniuersales præscribi possunt.

265 INductionem appello, sumpto vocabulo latissimè, omnem argumentationem simplicem ex pluribus quam tribus propositionibus compositam. In quo inductio sic sumpta à syllogismo, qui tribus, & ab enthymemate, quod duabus propositionibus constant, discriminatur.

266 Diuidi autem potest Inductio ita accepta in ascensum (à quo inductio specialius sumpta nihilo differt) descensum, soritem, & aggregationem. Ascensus, siue inductio specialis argumentatio est, in qua ex inferioribus sigillatim enuntiatis sufficienterque numeratis enuntiatiue infertur superius ea omnia complectens. Vt *Hic homo est albus, & hic homo est albus, & hic homo est albus, idemque de cæteris est. Ergo omnis homo est albus.* Descensus vero est argumentatio in qua vice versa ex superiore enuntiato inferiora contenta in illo sigillatim enuntiatiueque inferuntur vt, *Omnis homo est albus, ergo hic homo est albus, & hic homo est albus, & hic homo est albus & idem de cæteris est.* Pro diuersitate autem inferiorum in superiore contentorum ascensus atque descensus diuersi euadent. Possunt namque esse inferiora aut individua contenta in specie, aut species contentæ in genere, aut genera minus vniuersalia contenta in magis vniuersali &c. iuxta dicta latiùs supra de prædicabilibus *disp.* 17. Sorites, quæ argumentatio aceruatis, seu conglobata, seu de primo ad vltimum dici solet, ea argumentatio est, in qua ex pluribus propositionibus aliquo modo concatenatis, siue seriatim ordinatis quædam alia colligitur ex subiecto primæ, & prædicato vltimæ coalescens. Vt *A connectitur cum B. & B. connectitur cum C. & C. connectitur cum D. ergo A connectitur cum D.* Huius autem argumentationis tot diuersæ species distingui possunt, quot sunt diuersi ordine, siue series in quibus primum sicut comparatur ad secundum immediatè, ita comparatur ad tertium, ad quartum, ad quintum, ad reliquaque cuncta mediatè. Tales sunt ordines seriatim connexorum, identificatorum, distinctorum, priorum, & posteriorum, continentium, & contentorum, similium & cæteri huiusmodi. Denique Aggregationem appello eam argumentationem in qua ex pluribus propositionibus diuisim sumptis infertur consequens. Hoc enim differt à cæteris omnibus argumentatio ista, quòd in illis omnes propositiones pro antecedente positæ ita indiuisim inferunt conclusionem, est ea ex nullis illarum sumptis seorsim possit inferri. In hac vero ex singulis, aut aliquibus propositionibus pro antecedente positis seorsim sumptis potest conclusio inferri, tametsi euidentiùs, siue certiùs ex omnibus simul inferatur. Sic ex pluribus testimoniis prius iudicatis infertur obiectum testificatum. Quod ex vno, aut aliquibus eorum seorsim sumptis etiam posset inferri; tametsi cum minore certitudine, sic etiam ex pluribus indiciis aut coniecturis colligimus sæpè conclusionem, quam ex paucioribus earum, minus tamen certè possemus colligere &c. iam pro huiusmodi argumentationibus inueniendis stabiliendisque sequentes regulæ generales per sequentes propositiones præscribi possunt.

Propositio 1.

267 Pro ascensibus, & descensibus inueniendis statuendisve, seu formandis omnes regulæ generales traditæ *disp.* 17. ad sciendum quomodo ex inferioribus prædicata superiora abstrahantur, & quomodo prædicata superiora de inferioribus prædicentur, subseruiunt.

Est clarum, quandoquidem Ascensus illatio est ab inferioribus ad superius, in qua abstractio quædam interuenit huius ab illis. Descensus vero illatio est à superiore ad inferiora, in qua prædicatio interuenit illius de his. Aduerto autem primo ascensum, siue inductionem specialem, qua ascenditur ab indiuiduis ad rationem illis communem, in scientiis physicis magnum vsum habere, vtpote quæ ex indiuiduis sub experientiam cadentibus sua abstrahunt vniuersalia principia, iuxta dicenda *disputatione vigesima prima.* Secundo aduerto in descensu illationem semper esse euidentem ac prorsus certam, atque adeo illam argumentationem esse simplicem, & absolutè legitimam ad inferendum verum ex vero. Quia euidens est, ac prorsus certum quidquid conuenit, aut non conuenit omni, conuenire, aut non conuenire singulis contentis sub omni, iuxta principia statuta supra *quæst.* 3. *propos.* 1. in ascensu verò illatio tunc solum est euidens, & certa, atque adeo prorsus legitima. Quando ex parte antecedentis aut distinctè, aut partim confusè pronuntur omnia inferiora contenta in concepto communi,

communi, de quo in conclusione. Quando enim non ponuntur omnia vt sæpe contingit in scientiis, quam certum aut probabile, aut improbabile fuit idem esse de cæteris, quæ tacentur, ac de eis quæ ponuntur, tam certa, aut probabilis, aut improbabilis erit conclusio de termino cuncta complectente, vt est notum.

Propositio 2.

268 Quotiescumque in quouis ordine, in quauisve serie terminorum, sicut se habet primus ad secundum immediatè, ita se habet mediatè ad tertium, ad quartum, ad quintum, & cæteros. Sorites siue argumentatio de primo ad vltimum legitima est, tam euidensque ac certa, quam euidens ac certa est ea habitudo terminorum.

Sic, quia nequit A. connecti cum B connexo cum C. connexo cum D. quin mediatè connectatur cum D. ideo legitime arguitur. A. *connectitur cum B. & B. connectitur cum* C. *& C. connectitur cum D. ergo A. connectitur cum D.* Et quia nequit A. esse prius B. priore C. priore D. quin sit prius D. quolibet genere prioritatum de quibus tractatum est *supra disputatione decimaquinta*, ideoque legitimè ita arguitur A. *prius est quam B. & B. prius quam C. & C. prius quam* D. *ergo* A. *prius est quam D.* Similiter quia si A. est simile B. simili C. simili D. nequit non esse simile ipsi D. legitimè arguitur A. *est simile B. & B. est simile. C. & C. est simile D. ergo A. est simile D.* Denique quia nequit primum identificari cum secundo identificato cum tertio identificato cum quarto; quin identificetur cum quarto, eademque est ratio de continentia tum actiua, tum passiua atque identitate; ideirco propter vnum, aut propter alterum titulum hæc argumentatio est legitima. *Omnis homo est animal, & omne animal est viuens, & omne viuens est substantia, & omnis substantia est subiectum accidentium*, ergo (de primo ad vltimum) *omnis homo est subiectum accidentium*, pariterque philosophandum est de similibus omnibus.

269 Sed est aduertendum ad hoc vt sorites sit argumentatio legitima ex parte antecedentis, absque interruptione debere poni omnia media seriei, secundum quam fit, vt in exemplis positis, alioquin si fiat interruptio, aliquo ex mediis prætermisso, antecedens poterit esse verum & consequens falsum, vt si quis ita arguat. A connectitur cum B. & C. connectitur cum D. & D. cum E. ergo A connnectitur cum E. casu quod B, cuius connexio cum C. prætermissa est, verè cum C. non sit connexum, consequens erit falsum, etsi antecedens verum sit, & in cæteris pariter.

Propositio 3.

270 Pro argumentatione quam aggregationem nuncupauimus specialis regula non videtur præscribi posse, præter generales tradendas infra *disputatione vigesima nona*, ad inueniendas obiectorum connexiones, oppositionesque in quauis materia.

Solum ergo aduertendum superest huiusmodi argumentationem in moralibus, & coniecturalibus magnum, frequentemque vsum habere, eiusque potissimum generis esse argumentationes, quibus prudentia humana subnixa est.

QVÆSTIO X.

Quid sit dicendum de Argumentatione quæ ex terminis obliquis, aut ex terminis infinitis componitur.

271 PRo syllogismis ex obliquis nonnullas regulas tradunt Logici, quæ videri possunt in Fonsec. *libro sexto, instit. dialectic. capite trigesimo*, in Lync. *libro quinto, Dialecticæ tractatu secundo, capite primo*, & in aliis: quas tamen solum applicant syllogismis categoricis de medio communi, de cæteris argumentationibus ex obliquis prorsus tacentes. Cæterum, quia eiusmodi regulæ, vtpote ex certis, vniuersalibusque principiis non demonstratæ satis firmæ esse non possunt: eas omitto, neque in aliis quærendis immoror, vtpote quæ vix aut nec vix quidem vniuersales & demonstratæ dari possunt, sat sit præceptum illud Aristotelicum præscribere, quo iubemur resolutione, expositioneve vti in eiusmodi argumentationibus ex obliquis, reuocando eas ad argumentationes ex rectis, pro quibus sunt omnes regulæ, arteque traditæ in præcedentibus. Quod facilè quisque præstare potest, retento eodem propositionum sensu. Exempli gratiâ, hic syllogismus ex obliquis. *Omnis potestas est, à Deo: Regnum est potestas: ergo Regnum est à Deo.* ad hunc ex rectis reducitur. *Omnis potestas est aliquid datum à Deo: Regnum est potestas: ergo Regnum est aliquid datum à Deo.* Similiter hic. *Nullum vitium est in Deo: Omnis acceptio personarum est vitium: ergo nulla acceptio personarum est in Deo.* ad hunc. *Nullum vitium est aliquid conueniens Deo. Omnis acceptio personarum est vitium: ergo nulla acceptio personarum est aliquid conueniens Deo.* & in cæteris pariter. Vnde vniuersaliter sequitur. Quotiescumque argumentatio ex obliquis alicui argumentationi legitimæ ex rectis æquiualens fuerit quoad sensum, tunc eam legitimam esse, quidquid sit de verbis, aut forma eius quæ pro illis examinandis, diiudicandisque vniuersalis regula esto.

272 Iam de argumentationibus coalescentibus ex omnibus aut ex aliquibus terminis infinitis, siue infinitatis, dico vniuersè idem prorsus, censendum, ac de habentibus omnes terminos finitos, atque ita omnes Artes in præ-

cedentibus quæstionibus constitutas, & stabilitas cum omnibus suis regulis perinde prorsus in argumentationibus de terminis infinitis, ac definitis locum habere. Quia termini infiniti termini quidam communes sunt, in nihilo quod ad rem attinet, diuersi à finitis, nisi quod plerisque earum communiores sunt, siue vniuersaliores. quod ad propositum non interest, vt constat. Vnde non bene aliqui Logici de hac doctrina subdubitasse videntur, vt cernere est in Lync. *suprà, capite secundo*, quod viderint aliquos syllogismos de terminis aliquibus infinitis legitime concludere sub forma, quæ in syllogismis definitis locum non habet: etenim hoc inde non nascitur, quod Artes, regulæque traditæ pro syllogismis de terminis finitis non sint eodem pacto communes syllogismis de infinitis. Sed quod syllogismi aliqui de infinitis, à communibus vtrorumque regulis exorbitantes æquialentes esse possunt aliquibus legitimis definitis, seu mutuo cum illis connexi, eoque titulo petinde atque illi concludentes legitimè. Id quod in aliquibus syllogismis de terminis finitis contingit ob æquialentiam, quam habent cum aliis legitimis, vt mox ostendam, tantumdemque in aliis argumentationibus à syllogismis diuersis euenire poeest.

273 Enimverò cum propositio affirmatiua de prædicato infinito æquialeat, seu mutuo connexa sit, negatiuæ de prædicato finito; similiterque negatiua de prædicato infinito, affirmatiuæ definito, vt suprà *disputatione decima nona, quæstione 6. suppositione quinta*, statuimus. Huic legitimo syllogismo in *Darij*, *Omne non animal est non homo: Aliquis lapis est non animal: ergo aliquis lapis est non homo*, hic est æquialens seu mutuo connexus. *Nullum non animal est homo: Aliquis lapis non est animal: ergo aliquis lapis est non homo.* Eoque iure bene concludens cum tamen à regulis Artis multum exorbitet. Primo, quia procedit ex ambabus præmissis negatiuis. Secundo, quia ex antecedenti negatiuo concludit affirmatiue. Tertio, quia habet quinque terminos. Quarto quia non habet medium positum bis in antecedente, &c. Vnde non ratione formæ, sed solum ratione materiæ concludit benè, ob æquialentiam scilicet, seu mutuam connexionem quam ea habet cum materia prioris formam legitimam habentis, tantundemque est de aliis huiusmodi. Quo etiam pacto hic syllogismus de omnibus terminis finitis. *Nullus homo est nudus, aliquod rationale est homo: ergo aliquod rationale est vestitum*, benè concludit ratione materiæ, (etsi sit vitiosus quoad formam, vtpote habens quatuor terminos, & concludens affirmatiuè ex vna præmissa negatiua) quia æquialet huic legitimo, in *Darij*: *Omnis homo est vestitus: aliquod rationale est homo: ergo aliquod rationale est vestitum*. Pariterque censendum est desimilibus, de cæterisque argumentationibus huiusmodi ex quo patet ad quæstionem propositam.

QVÆSTIO XI.

Quid sit argumentatio demonstratiua, seu demonstratio quotuplex, & qualis.

BIfariam sumitur demonstratio. Primo lacè pro quauis argumentatione siue euidenti 274
siue probabili inferente verum ex vero. Quo sensu dixit Clemens Alexand. *libro octauo, Stromat. ex veris aliquid concludere, est demonstrare.* Secundo strictè, pro quauis argumentatione inferente euidenter consequens ex antecedente euidente. Quo pacto accipi solet communiter à Philosophis. Tertio strictius pro argumentatione inferente euidenter effectum ex causa euidenter præcognita, quomodo eam accepit Aristot. *libro primo, Post. capit. secundo*, vbi postquam dixisset, *Scire autem vnamquamque rem simpliciter, sed non vt sophistæ per accidens, arbitramur, cum causam ob quam res est, illius causam esse, & fieri non posse, vt res aliter se se haberet, cognoscere arbitramur.* Subdit. *Demonstrationem autem dico, ratiocinationem eam, quæ scientiam efficit, eam verò scientiam efficere dico, qua scimus, eam ipsam habendo.* Si igitur *ipsum scire tale est, quale posuimus, necesse est demonstratiuam scientiam ex veris & primis medioque vocantibus, & ex notioribus, & prioribus ipsa conclusione, causisque eiusdem esse.* In quibus verbis duas demonstrationis definitiones supponunt plerique interpretes contineri, cum tamen in rigore altera tantum demonstrationis, altera vero scientiæ demonstratiuæ sit definitio, vt verba ipsa præ se ferunt, circa quas tamen agentes de demonstratione varias quæstiones excitant, quas summatim tangam, vt sequitur.

Primo enim quærunt, quo sensu dicatur de- 275
monstratio scientiam afficere, effectiuéne causando habitum scientificum, an formaliter quatenus conclusio demonstrationis scientia formalis est? an ex parte inductiuè quo pacto præmissæ demonstrationis in conclusionem quæ est scientia, influunt, & ex parte formaliter, quatenus conclusio, quæ est scientia, integræ demonstrationis pars est? censeo hunc postremum esse sensum legitimum.

Secundo quærunt, an præmissæ demonstra- 276
tionis necessario debeant esse veræ? quæ quæstio in eam recidit, an iudicium humanum necessario eo ipso quod est euidens verum sit, vel euidens, & falsum esse possit, de quo nos *suprà disputatione quarta, quæstione tertia.*

Tertio quærunt, an præmissæ veriores sint 277
conclusione, quæ quæstio ab illa dependet, an vna cogitio verior altera possit esse, de quo nos *disput. 3. quæst. 3.*

Quarto quærunt, quid quotuplex, & qua- 278
lis sit euidentia & certitudo intellectionum propositionumque, ex quibus constat demonstratio: de quo nos *disput. 4. & 5.*

Quinto quærunt, vtrum præmissæ sint ne- 279
cessario euidentiores, atque certiores conclusione, de qua quæstione paulo inferius dicemus.

Sexto quærunt, qua ratione præmissæ ad cau- 280
sandam conclusionem concurrant, de quo nos *suprà disput. 2. quæst. 5. propos. 4.*

Septimò

281 Septimò quærunt; an & quomodo præmissæ formales necessitent, aut non necessitent intellectum ad eliciendam conclusionem formalem. De quo nos *disputatione septima, quæstione secunda.* Quodnam autem obiectum habeat conclusio, & quomodo ea à præmissis discriminetur, *disputatione secunda, quæstione tertiâ*, declaramus.

282 Octauo quærunt. An omnis demonstrato debeat constare præmissis immediatis è *Circa quod*, certum est non debere; quia demonstrationes remotæ à principiis quales pleræque sunt, ex præmissis demonstratis per præuias demonstrationes constant; tametsi etiam certum sit omnem demonstrationem à propositionibus immediatis, seu notis, quæ sunt principia debere vel proximè, vel remote suam trahere originem, quod solùm voluit Aristoteles verbis relatis, sed de hoc plura à nobis dicentur infrà *disputatione vigesima secunda.* Quid sit autem, & quotuplex propositio immediata, seu per se nota iam est explicatum à nobis suprà *disputatione decimanona, quæstione octaua*, multa præterea ab aliquibus hic quæti solent, spectantia ad naturam, & accidentia discursus humani, aut euidentiæ, & certitudinis eius. De quibus à nobis satis est dictum *disputatione secunda, quæstione quinta, & disputatione quarta, & quinta*, per totas, aut etiam alibi in præcedentibus.

283 His positis, ego demonstrationem iuxta secundam acceptionem commemoratam, quæ communior est sic definio. *Est argumentatio, qua ex antecedente euidente per illationem euidentem consequens euidens infertur.* Omnis quippè argumentatio, legitima cuius obiectum integrum fuerit euidens demonstratiua argumentatio, seu demonstratio dicenda est. Obiectum autem integrum cuiusvis argumentationis legitimæ tria claudit, antecedens obiectiuum, consequens obiectiuum, & connexionem obiectiuam antecedentis cum consequente in qua illatio nititur. Vt ex dictis *disputatione secunda, quæstione quinta*, & sæpè aliàs satis est notum.

284 Itaque ad demonstrationem in primis requiritur quod antecedens in se sit euidens, deinde quod sit etiam euidens connexio antecedentis cum consequente, ex quibus duabus euidentiis nascetur, quòd & consequens in se sit euidens. Vt satis constat ex se, & dictis *disputatione quarta.* Ad euidentiam autem antecedentis ex pluribus partibus constantis omnium partium euidentia requiritur: vt ex se & ex dictis ibidem notissimum est; quia quam certum est non posse totum habere *esse* quin habeant esse omnes partes eius; tam certum est non posse totum habere *esse* quin habeant esse omnes partes eius: tam certum est non posse esse euidenter iudicabile *esse* totius, quin euidenter sit iudicabile *esse* omnium partium eius. Vnde fit primo neque ad euidentiam consequentis, neque ad demonstrationem sufficere quod vna ex præmissis antecedentis, sit euidens; quia vnius tantum euidentia non facit euidens integrum antecedens, ex quo infertur consequens. Secundò fit neque ad euidentiam consequentis, neque ad demonstrationem sufficere, quod integrum antecedens in se sit euidens, si non est euidens connexio eius cum consequente, quia consequens ex antecedenti non vtcumque, sed provt connexo cum consequente infertur, vt constat. Tertiò fit quando euidentiæ, aut partium antecedentis, aut partium coniuncti ex antecedene, & ex connexione eius cum consequente sunt inæquales totum ipsum coniunctum indiuisim sumptum non magis euidens esse, quam est pars habens euidentiam minimam omnium. Vnde fit quanto euidentiam consequentis in tali casu prædicatam minimam euidentiam non posse excedere: quia euidentia consequentis ab euidentia antecedentis provt secum connexi participata maior esse non potest, quam euidentia coniuncti ex antecedente & connexione prædicta ex quo indiuisim sumpto illud infertur. Hæc certa apud omnes.

Est tamen controuersum iuxta quæstionem iu- 285
dicatam *num.* 279. Vtrum euidentia consequentis oriunda ab euidentia antecedentis provt secum connexi, æqualis saltem esse posset, cum ipsa euidentia antecedentis ex qua nascitur, vel minor semper esse debeat. Posse esse æqualem affirmant Petrus. Hurt. *in logica disput. 11. sect. 3.* Ouiedo *contr. 10. punct. 3. & alij*, debere tamen semper esse minorem tenent Petronius *lib. 1. Post. quæst. 4. articulo 2.* Lalemander *in logica disput. 9. partic. 3.* Peñafiel *disput. 10. quæst. 3*, Spinula *disput. 12. sect. 4.* Episc. Echalaz plures referens *disp. 36. cap. 5, & alij.* Quod est probabilius, primo quia expresse est traditum, ex professo probatum ab Aristot. *lib. 1. Post. cap. 2. citato*, & à sancto Thom. *ibidem.* Secundo, quia vt arguit Arist. *semper illud est tale magis, ob quod vnumquodque tale est, veluti magis id est dilectum atque amatum ob quod amamus, atque diligimus. Quare si ob prima scimus ac credimus, & illa sane scimus, ac credimus magis.* Tertio, quia sicut lumen sensibile semper est connaturaliter maius in luminoso vnde nascitur, quam in aliis corporibus in quæ deriuatur: ita lumen euidentiæ intellectualis connaturaliter erit maius in antecedente vnde deriuatur in consequens quam in ipso consequente, Quarto, quia id per quod aliud manifestatur clarius manifestato, esse debet; sed per antecedens manifestatur consequens: ergo antecedens clarius, siue euidentius consequenti esse debet. Quintò, quia intellectus quo plura simul cognoscit eo minus euidentius cognoscit singula, quia eo minus potest ad singula attendere: ergo quando iudicat consequens, & simul cum illo antecedens (consequens enim non iudicato simul antecedente, quoad illud iudicandum mouetur, iudicare non potest: vt constat.) minus euidentius iudicat vtrumque, quam iudicabat prius antecedens seorsim: ergo saltem euidentia qua antecedens est iudicabile antequam iudicatur consequens, maior est euidentia qua est iudicabile ipsum consequens. Hæc satis; quia cætera apud præcitatos Doctores videri possunt.

Iam pro secunda quæstionis parte, demonstra- 286
tio in demonstrationem *Propter quid*, & demonstrationem *Quia* diuiditur communiter ab Auctoribus ex Aristotele *libro primo Post. capite decimo*, Vbi tamen Aristot. scientiam potius, quæ per demonstrationem acquiritur, quam ipsam demonstrationem diuisit in *Quia* & *Propter quid*: dicens discrimen inter scire *Quia res est*, siue *rem esse*, & siue *Propter quid res est*: Et primum quidem tum per causam remotam, tum per quidpiam mutuo connexum cum re scita haberi posse. Secundùm verò solum haberi posse per causam proximam rei scitæ. Vnde apud Aristotelem cum scitur quidpiam per sui causam proximam, tanquam per medium, quia non solum scitur id esse, sed etiam *Propterquid* est, id-

circo talis scientia dicitur scientia *Præter quid*. Cum vero scitur quidpiam per quoduis aliud medium, quod non est causa immediata eius, talis scientia dicitur *Quia*. Eo quod tum solum scitur quia tale quid est, siue quòd tale quid est, seu tale quid esse: non vero cur est, seu propter quid est, seu vnde proueniat eius esse. Ex quo patet iuxta mentem Aristotelis demonstrationem *Propter quid*, eam solum dicendam esse, qua demonstratur quidpiam per causam sui proximam; demonstrationem autem *Quia*, qua demonstratur quidpiam per quoduis aliud medium.

287 Vnde rursus fit, non bene confundi communiter à Logicis diuisionem demonstrationis in *Propterquid*, & *Quia* cum diuisione demonstrationis in *A priori*, & *A posteriori* pro eadem vsurpantes vtramque. Constat enim ex dictis non omnem demonstrationem *Quia*, esse à posteriori: siquidem demonstratio *Quia* habita per causam remotam, à priori potius quam à posteriori esse dicenda est: & demonstratio *Quia* habita per aliquid simultaneum, & mutuo connexum cum eo quod demonstratur, à simultaneo non à posteriori dicenda est esse. Ex quo rursus apparet, etsi diuisio in *Propterquid & Quia*, provt intellecta ab Aristotele sit adæquata, eo quod omne, quod scitur demonstratiuè, siue demonstratur, non potest non aut per causam sui proximam, aut per aliud medium sciri, seu demonstrari. Diuisionem tamen in *A priori*, & *A posteriori*, adæquatam non esse: quia deest tertium membrum scientiæ, demonstrationisve *A simultaneo*. Quinimo quo sensu accipitur à Logicis longius adæquatione distat. Pro eodem enim vsurpant esse demonstrationem *A priori*, ac esse per causam: & esse *A posteriori*, ac esse per effectum: cum tamen aliæ prioritates, & posterioritates sint præterquam causæ, & effectus, vt constat ex doctrina tradita *disputatione decima quinta*. Itaque & est diuisio demonstrationis in *Propterquid* & *Quia* provt explicauimus, & est diuisio demonstrationis in *A priori*, *A posteriori*, & *A simultaneo*, cuiusuis membra rursus penes diuersos ordines prioris, & posterioris expositos *disputat. citata* subdividenda sunt in *A priori*, *A posteriori*, & *A simultaneo*, secundum seriem, aut temporis aut originis, aut connexionis &c. iuxta ibi dicta. Porro demonstratio *Propterquid*, & *A priori* in serie originis, iuxta Aristotelem & fere omnes, non solum est ea, quæ habetur per causam physicam influentem physice in effectum, sed etiam ea, quæ habetur per causam metaphysicam ratione tantum nostra influentem in id quod demonstratur, qualis est essentia respectu passionis etiam à se indistinctæ realiter & passio immediatior essentiæ respectu remotioris iuxta doctrinam à nobis traditam supra *disputatione decima septima*, *quæstione decima octaua*.

288 Præterea demonstratio sumpta vniuersè in *Ostensiuam*, & *per impossibile*, siue deducentem ad impossibile, siue ad absurdum celebri diuisione diuiditur. *Ostensiua* est quæ per aliquod, aut aliqua connexa cum propositione demonstranda, prius iudicata vt talia, ipsam propositionem ostendit. *Per impossibile*, autem est, quæ ex contradictorio propositionis demonstrandæ aliquid infert impossibile seu absurdum, seu plane falsum, indeque concludit esse falsum tale contradictorium (quia nequit esse falsum consequens legitimæ illationis, nisi sit falsum antecedens, vt ex dictis in superioribus constat) & consequenter veram propositionem demonstrandam cui contradicit,

Denique demonstratio penes diuersitatem cui- 289
dentiæ, aut metaphysicæ, aut moralis &c. quam habere potest, iuxta diuisiones factas supra *disputatione quarta*, *quæstione secunda*, in metaphysicam, physicam, & moralem &c. diuidi potest: diuiditur insuper demonstratio in eam quæ fit per medium intrinsecum, id est pertinens ad materiam propriam scientiæ, de qua agitur, & in eam quæ fit per medium extrinsecum, id est, pertinens ad materiam alterius scientiæ, iuxta dicenda latiùs infra *disputatione vigesima secunda*. Venio ad tertiam quæstionis partem, pro qua præteriam dicta multa alia quæsita fieri solita breuiter sunt resoluenda, vt sequitur.

Primo enim quæritur. Quænam præcogne- 290
scenda sint ante scientiam conclusionis, quę acquiritur per demonstrationem, circa quod fere omnia sunt certa, (tametsi nonnulla ab aliquibus controuertantur) præsertim suppositis, quæ à nobis in superioribus tradita sunt. Certum namque primo est, debere præcognosci iudicatiuè, imo & euidenter omnia principia, in quibus demonstratio nititur, provt connexa cum conclusione, ex eis inferenda. Secundo est certum debere præcognosci per simplicem apprehensionem subiectum, & prædicatum propositionis obiectiuæ, in quam tendit ipsa conclusio, qua ratione ante omne iudicium nostrum apprehensio simplex terminorum propositionis iudicandæ debet præcedere, iuxta dicta à nobis suprà *disput. 2. quæst. 4.* Quod solum censendum est voluisse ibi Aristot. *lib. 1. Post. cap. 1.* cum docuit ante conclusionem demonstratiuam debere præcognosci subiectum, passionem, & principia, & de subiecto quidem cognoscendum esse, quòd sit; de passione quid vocabulum significet, de principiis autem quod vera sint: passionem enim pro prædicato vsurpauit, quia plerumque est passio, quod conclusio demonstratiua prædicat de subiecto, tametsi sæpè etiam sit accidens subiecto contingens. Alia autem præter hæc ante iudicium scientificum conclusioni demonstratiuæ respondens præscisi non debent, vt constat.

Secundo quæritur, an detur demonstratio, at- 291
que adeo scientia demonstratiua de subiecto singulari, & contingente, & corruptibili: negat Aristotele *lib 1. Post. cap. 2.* & *sequentibus*, & *lib. 6. Ethic. cap. 6. & 14.* & cum eo multi logici præsertim antiquiores. Affirmant tamen Pet. Hurt. *disput. 11. logi. cap. 6.* Ouiedo *contr. 10. punct. 6.* Peñafiel *disput. 12. quæst. 1. & 2.* Lync. *lib. 5. logi. tract. 3. cap. 2. & lib. 8. Metaphysicæ tract. 6.* Carleton *in logica disput. 49. sect. 1.* Spinula *disput. 12. sect. 1.* & alij recentiores. Circa quod, Dico primo, De subiecto singulari sepissime demonstratur, atque adeo scientia euidente demonstratiuaque scitur, seu iudicatur aliquod prædicatum: est certum neque vsquam ab Aristotele negatum: quia de Deo subiecto singularissimo multa demonstrant, tum Metaphysica tum Physica: de Sole, de Luna, de aliisque Planetis atque de singulis eorum Cœlis, quæ subiecta etiam sunt singularia, multa demonstrat Astronomia, de accidentibus sensibilibus sensu perceptis, quæ etiam provt talia subiecta singularia sunt, multa demonstrat Physica. Imo vniuersè

quæ

quæcumque omnis scientia humana demonstrat de subiectis vniuersalibus, de singularibus in eis contentis sumptis seorsim etiam provt talibus demonstrare potest, quia quidquid conuenit conceptui communi eo ipso conuenit singulari provt coalescenti ex ipso conceptu communi, & propria singularitate. Dico secundo, quod in omnibus prædictis scientiis demonstratiuè prædicatur de subiecto singulari vniuersale stricte loquendo esse non potest, sed vel singulare, vel particulare, seu vagum necessario esse debet. Quia dum quilibet conceptus quantumuis alias vniuersalis de subiecto singulari actualiter prædicatur non potest non contrahi reducique ad conceptum singularem, aut vagum, vt constat ex doctrina communi tradita suprà *disput* 2. *quæst.* 3. & rursus *disputat.* 17. *quæstion.* 6. *conclusion.* 1. Dico tertio, quod in omnibus prædictis scientiis demonstratiuè prædicatur de subiecto singulari, semper potest esse singulare: quia debet esse aut singulare, aut vagum iuxta dictum præcedens. Quoties autem est vagum cum euidentia reduci potest ad singulare determinatum, cum euidens sit subiecto determinato à parte rei quidpiam indeterminatum, & vagum conuenire non posse, iuxta doctrinam generalem traditam *disputat.* 10. *quæstione secunda, & quinta.* Dico quarto, prædicata nihilominus quæ de subiectis singularibus scientiæ supradictæ demonstrant, quamuis vt sic sint singularia, seu singularizata provt dictum est; semper tamen, aut fere semper sunt de suo seu ex se vniuersalia, id est talia, vt in concepum vniuersalem coire possint cum aliis omnino similibus conuenientibus aliis subiectis. Nam & obiectorum singularium ea sunt nobis notiora, quæ ex se de suove sunt vniuersalia; hoc est similia pluribus, vt aliàs in hoc opere tetigi. Quo sensu interpretandus est Aristot. si quando loquendo vniuersè ad demonstrationem, aut scientiam obiecti vniuersalitatem requirit. Locis enim citatis plerumque agit speciatim de demonstratione potissima *Propter quid*, de scientiaque acquisita per illam, qua per essentiam vniuersalem, tanquam per causam immediatam passio similiter vniuersalis demonstratur, ac scitur. Iam vero quod attinet ad contingentia, & corruptibilia. Dico quinto. Omnis demonstratio, omnisque scientia Metaphysica de rebus provt in statu quiditatiuo eo ipso est de necessariis atque adeo in suo genere incorruptibilibus, & quodammodo sempiternis. Quia eiusmodi sunt veritates ad statum rerum quiditatiuum spectantes, quæ ratione *disputat.* 10. *quæstion.* 1. expositum est. Demonstrationes vero, scientiæque Physicæ de rebus provt in statu existentiali plerumque sunt de contingentibus, atque adeo corruptibilibus, siue defectibilibus, loquendo absolutè. Quia omnis veritas existentialis, & absoluta distincta à Deo absolutè contingens, atque adeo corruptibilis, siue defectibilis est, tametsi omnis conclusio demonstratiua, atque scientifica ex suppositione antecedentis, atque adeo etiam principiorum ex quibus infertur & quorum subinde terminat connexionem necessario sit vera. Quia ex suppositione quod existit connexum, necessario existit terminus, cum quo provt existente est illud connexum: vt constat. quæ omnia certissima sunt, neque vllatenus admissa menti Aristotel. qui quoties docet, scientiam esse de necessariis, atque adeo indefectibilibus, aut loquitur speciatim de scientia rerum provt in statu quiditatiuo, quam nos Metaphycam dicimus; aut si vniuersè de omni scientia, certè non de necessitate absoluta conclusionis scientificæ, sed de necessitate eius ex suppositione principiorum loqui censendus est.

272 Tertio quæritur. An demonstratio debeat constare prædicato vniuersali de Omni, secundum quod ipsum, & per se. Affirmat Aristot. *libro primo, Post. per varia capit.* multique eius Expositores sub istis terminis, tametsi alij præsertim ex Recentioribus iam citatis, aut negent, aut limitent, aut explicent: potest autem controuersia esse de prædicato tùm præmissarum, siue principiorum, tum conclusionis: tametsi aliqui de solo primo agant. Diciturque prædicatum *Vniuersale*, quod verificatur de pluribus, de *Omni* autem dicitur, quod conuenit omni, & semper. *Secundum quod ipsum*, verò quod conuenit subiecto quatenus tali, atque adeo cum ipso reciprocatur siue conuertitur. *Per se* denique quod per se conuenit subiecto. Pro cuius postremi explicatione quatuor modi dicendi *per se* ex eodem Aristot. supponuntur. Primus est, quo definitio per se prædicatur de definito. Secundus, quo passio propria per se etiam prædicatur de subiecto, cuius est propria passio. Tertius, quo substantia dicitur per se non vero in alio stare. Quartus, quo causa per se non vero per accidens dicitur influere in effectum. Dico primo. Prædicatum tum principiorum, tum conclusionis demonstrationis non semper est vniuersale formaliter; quia sæpe est singulare. Tametsi aut semper, aut fere semper ex se, & quasi materialiter sit vniuersale, hoc est exactè simile aliis pluribus iuxta nuper dicta. Vnde & quia sæpe etiam iuxta dicta contingens est, neque semper est de *omni*. Dico secundò. Nec semper est prædicatum *secundum quod ipsum*, quia sæpe non est passio propria subiecti, sed vel passio communis, vel accidens contingens eius iuxta dicta etiam & postea *disputatione vigesima prima*, dicenda. Dico tertio, nec semper est prædicatum *Per se*: quia sæpe neque est definitio neque passio propria subiecti, neque effectus per se eius neque substantia, cum sit aut passio communis, aut accidens contingens aliunde ipsi subiecto obueniens citra vllam causalitatem oriundam ab eo per se, vt ex dictis in præcedentibus colligitur, constabitque ex dicendis infra *disputatione citata*. Aristot. autem dum prædictas conditiones ad prædicatum demonstrationis exposcit, de sola demonstratione potissima *Propter quid*, cuius prædicata eas habent, censendus loqui.

273 Quarto quæritur. Vtrum de entibus per accidens scientia demonstratiua detur? Negant multi Logici fundati in Aristotel. requirente ad conclusionem scientificam prædicatum per se. Sed ego cum Peñafiel *disputatione duodecima citata quæstione tertia*, & aliis Recentioribus affirmo. Quia sæpe demonstratur de subiecto concretum adiectiuum; quod solum est ens per accidens proprie loquendo. Vt constat ex dictis *disputatione nona, quæstione prima & secunda.*

274 Quinto quæritur. An demonstratio debeat constare principiis propriis non vero alienis, aut communibus? affirmat Arist. *lib.* 1. *Post. cap.* 7. sed loquitur de demonstratione potissima. Qua per

essentiam tanquam per causam immediate demonstratur aliqua passio eius. Vniuerse tamen loquendo dicendum procul dubio est cum communi, sæpissime conclusiones proprias scientiæ de qua tractatur demonstrari per principia, aut communia ipsi scientiæ & aliis, aut extranea ipsi propriaque alterius ab ea diuersæ, iuxta diuisionem scientiarum tradendam *disputatione vigesima prima*. Vnde etiam patet sæpissime conclusionem vnius scientiæ per medium demonstrari aut ipsi extraneum, proprium que alterius, aut ipsi & aliis scientiis commune. Quia in idem fermè recidit conclusionem demonstrari per principium commune aut extraneum, ac demonstrari per medium commune, aut extraneum. De quibus omnibus in sequentibus plura dicenda sunt. Verum autem in demonstrationibus fas sit admittere circulum aut regressum inferius *disputatione vigesima secunda*, explicabimus: vbi plura alia, quæ hîc circa demonstrationem aut scientiam demonstratiuam attingi possent, opportunius vniuersaliusque circa argumentationem siue discursum in vniuersum, circa scientiamve discursiuam latius acceptam attingemus.

QVÆSTIO XII.

Quid sit argumentatio probabilis. Quid improbabilis Quotuplex. & qualis.

295 SVpposito, quæ de probabilitate, & improbabilitate iudicij, atque adeo opinionis humanæ diximus supra *disputatione sexta*, pauca supersunt dicenda: in præsenteque dumtaxat enim restat notandum argumentationem tribus ex titulis posse dici probabilem, probabilitate scilicet de qua tractamus excludente euidentiam & certitudinem. Primo quia habet antecedens probabile; Secúdo quia habet illationem probabilé. Tertio quia habet consequés probabile, quoduis enim ex his tribus habeat probabile probabilis dicetur, siue duo residua probabilia, siue euidentia, aut certa sint. Pariterque argumentatio dicetur improbabilis si vel antecedens, vel illationem, vel consequens improbabile habuerit, quidquid sit de duobus residuis.

296 Vnde sequitur primo in omnibus modis arguendi legitimis ad necessario inferendum verum ex vero, quos in quæstionibus præcedentibus statuimus, tametsi illatio semper sit euidens, vtpote principiis euidentibus subnixa, probabiliter tantum, atque adeo citra demonstrationem argui, quando antecedens quod assumitur probabile tantum est. Quo casu & consequens erit tantum probabile ex vi talis antecedentis, quantumuis euidens sit illatio, qua infertur ex illo iuxta doctrinam demonstratam *disputatione sexta, citra quæstione quinta*. Dico *Ex vi talis antecedentis*, quia nihil vetat, id quod ex vi alicuius antecedentis, ex quo infertur, est tantum probabile, aliunde nihilominus esse aut certum, aut euidens. Pari ratione in prædictis modis legitimis improbabiliter dicetur argui, quantumuis illatio sit euidens, quando antecedens assumptum improbabile fuerit. Quo etiam casu improbabile erit consequens illatum, quantum est ex vi talis antecedentis præcisè, quidquid sit aliunde de eo. Vt *loco itidem citato* monstratum est.

Secundo sequitur. Quoties illatio est tantum 297
probabilis, vt sæpe extra modos arguendi legitimos supradictos contingit, toties argumentationem esse tantum probabilem, atque etiam consequens probabile tantum euadere vi talis illationis, quantumuis sit certum, aut euidens antecedens: sicut tum argumentatio, tum consequens provt per illam illatum improbabilia sunt, quoties illatio est improbabilis; tametsi sit antecedens certum, aut euidens. vt ex doctrina etiam data *q. 5. citata* palam est. Illationem autem tunc esse euidentem, aut probabilem, aut improbabilem, quando connexio antecedentis cum consequente, in qua fundatur, est euidens aut probabilis, aut improbabilis *disp. 6. citata* & sæpe alias in præcedentibus dictum est: sicuti & ea obiecta dici euidentia, certa, probabilia aut improbabilia vniuersè, quæ ex vi fundamentorum quæ ad illa iudicanda extant, per iudicia euidentia, certa, probabilia, aut improbabilia iudicabilia à nobis sunt.

Denique aduerto. Syllogismos tantum probabi- 298
les Dialecticos nuncupari, eoque nomine à demonstratiuis distingui. Quo etiam iure quælibet alia argumentatio quouis ex dictis modis tantum probabilis, atque adeo non demonstratiua, dialectica argumentatio vocari poterit. Loci autem dialectici nuncupantur, ea capita siue sedes vnde argumentationes dialecticæ petuntur ad probabiliter, copioseque differendum pro vtraque parte circa quamuis propositam quæstionem. De quibus locis nos infra agemus *disp. 28*. Porro de argumentationibus dialecticis, de locis dialecticis, de cæterisque eò spectantibus in libris Topicorum agunt Arist. & eius interpretes.

QVÆSTIO XIII.

Quid sit argumentatio aut etiam propositio fallax, seu deceptoria; Quotuplex, & Qualis.

SVppono primo. Logicos communiter ex Ari- 299
stot. *lib. 1. Topic. capit. 1. & lib. 1. Elench. capit. 1.* syllogismum pseudographum à sophistico, siue fallaci discriminare, quod primus in peculiari materia alicuius scientiæ præsertim demonstratiuæ decipiat. Secundus vero in quauis materia cuiusuis scientiæ præsertim probabilis. Agunt autem in præsenti, quemadmodum & in præcedentibus de syllogismo tantum speciatim; cum tamen de argumentatione potius in genere deberent agere: quandoquidem præter syllogismum aliæ argumentationes dantur, vt constat ex dictis, in quas sicut euidentia & probabilitas, ita etiam fallacia non minus quam in syllogismos cadere potest.

Suppono secundo. Aristotelem *in libris Elenchorum*, & cum eo Dialecticos communiter late agere de syllogismo sophistico (qui & Sophisma, & interdum Paralogismus vocari solet) deque captionibus sophistarum (quales dicuntur homines illi, qui ex simulata sapientia quæstum faciunt, contentioseque eos, cum quibus disputant, in technam aliquam, seu deceptionem sophismatis suis conantur pertrahere.) Dicunt autem primo tria esse genera sophismatum. Primum eo- 300
rum

tum quæ solius materiæ ratione peccant. Secundum eorum quæ vitium habent ab ipsa forma. Tertiũ eorũ quæ peccant ex vtroque capite. Dicunt secundo, Sophistas quinque sibi metas seu fines suarum fallaciarum præscribere. Nempe Redargutionem, Falsum, Paradoxon, Solœcismum, & Nugationem. Redargutio est, cum respondens cogitur sibi contradicere, id est, negare quod in eadem disputatione antea concesserat, aut concedere quod negauerat. Falsum est, quando respondens trahitur ad aliquid asserendum apertè falsum. Paradoxon, quando inducitur ad asserendum aliquid incredibile, seu præter opinionem. Solœcismus, quando circa congruentiam sermonis allucinatur. Nugatio denique, quando perducitur ad verbi alicuius inutilem ineptamque repetitionem. Qui duo posteriores fines satis pueriles sunt.

301 Dicunt tertio Dialectici locos vnde sophistæ sua argumenta fallacia petunt ad obtinendum primum, potissimumque ex quinque prædictis finibus sibi propositis tredecim esse. Quorum sex in verbis consistunt, septem autem in rebus: omnesque captiones etiam eu fallaciæ appellari solent, accepta nomenclatura ab argumentis captiosis, seu fallacibus, quæ ex eis depromuntur. Nempe loci captionesve verborum siue fallaciæ hæ numerantur. Æquiuocationis, Amphibologicæ, Compositionis, Diuisionis, Accentus, & Figuræ dictionis. Rerum autem hæ Accidentis, eius quod simpliciter dicitur, & secundùm quid, Ignorationis elenchi, consequentis, Petitionis principij, Non causæ vt causæ, & Plurium interrogationum vt vnius. Quos omnes explicant Dialectici in hunc ferme modum.

302 Fallacia æquiuocationis est locus aptus ad decipiendum æquiuocatione vocabuli, quæ in vsum venit, quando idem vocabulum bis aut pluries in argumentatione ponitur in significationibus diuersis. Videtur enim idem terminus, cum re vera sit plures quantum ad obiecta significata: vnde nascitur, vt argumentatio male concludat re vera, cùm apparenter videatur bene concludere.

303 Fallacia amphibologiæ siue ambiguitatis est locus aptus ad decipiendum ambiguitate sermonis; quæ nascitur ex multiplici significatione orationis; sicut præcedens ex multiplici significatione simplicis vocis. Venitque in vsum quando in argumentatione eadem oratio modo in vna modo in diuersa significatione vsurpatur, atque adeo re vera est multiplex cum specie tenus videatur eadem.

304 Fallacia compositionis est locus aptus ad decipiendum ratione sensus compositi falsi, cum scilicet de subiecto provt coniuncto cum alio quopiam dicitur aliquid ei non conueniens nisi vt seiuncto ab illo. Diuisionis vero fallacia est locus aptus ad decipiendum ratione sensus diuisi falsi; cum scilicet vice versa de subiecto, provt seiuncto ab alio quopiam dicitur aliquid ei non conueniens, nisi vt coniuncto cum illo, e. g. Hæc propositio. *Possibile est sedentem stare.* Falsa est in sensu compositio; quia stare subiecto sedenti conuenire non potest nisi provt seiuncto à sessione. Vera tamen in diuiso; quia sedens potest non sedere, atque non sedens stare. Hæc vero propositio. *Necesse est currentem moueri.* Falsa est in sensu diuiso; quia subiecto currenti provt seiuncto à cursu non conuenit necessariò moueri; vera tamen in composito, quia vt coniuncto cum cursu conuenit. In vsum autem veniunt hæ duæ fallaciæ quando in argumentatione propositio exposcens ad suam veritatem sensum diuisum sumitur in composito, è contra vero quæ exposcit sensum compositum sumitur in diuiso.

Fallacia accentus est deceptio prouenieus à va- 305
rietate accentus, cum scilicet eadem vox diuersis cum accentibus prolata diuersa significat modoque cum vno, modo cum alio in argumentatione profertur. Quo fit vt cum videatur idem terminus multiplex sit reipsa.

Fallacia denique Figuræ dictionis locus est aptus 306
ad decipiendum propter similitudinem, quam dictiones inter se habent. Vnde occasionem capit sophista ad tribuendum vni dictioni quod conuenit simili, ad vnamve vsurpandum pro altera, quo in deceptionem respondentem tentat pertrahere.

Iam vero ex fallaciis quæ in ipsis rebus fundan- 307
tur, atque adeo extra dictionem esse, extra dictionemve euenire dicuntur. Prima & omnium deterrima, vtpote qua teste Aristot. *lib. 1. elench. cap. 5.* sapientes etiam capi solent, fallacia est Accidentis, quæ nascitur ex diuersitate subiecti, & accidentis, sumpto accidente, provt hìc sumitur, pro prædicato diuerso à subiecto aliquo modo & affirmabili de illo medio verbo *esse* substantiuo. Qui enim medio eiusmodi verbo affirmat subiectum esse prædicatum, atque adeo iudicat subiectum idem cum prædicato esse, proclive est, vt iudicet quidquid conuenit, aut non conuenit prædicato, conuenire etiam, aut non conuenire subiecto, & è conuerso, atque adeo vt fallatur, quando aliquid conuenit prædicato, non qua idem, sed qua diuersum est à subiecto, vel vice versa, vt cernitur in hoc syllogismo. *Petrus est animal, animal est genus, ergo Petrus est genus.* Cuius conclusio fallit; quia esse genus non conuenit animali quatenus identificato cum Petro, quale asseritur in maiori, sed quatenus ab illo distincto, diuersoque per rationem nostram, & in cæteris pariter.

Fallacia eius quod simpliciter dicitur, & secun- 308
dùm quid tunc intercenit, quando ex eo quod simpliciter, & sine adiectione dicitur, colligit sophista quod dicitur secundùm quid, seu cum adiectione, vel vice versa. Vt si ita inferat, *Arma sunt restituenda domino: ergo sunt restituenda domino furioso.* Vel è conuerso: *Arma non sunt restituenda domino furioso: ergo non sunt restituenda domino.*

Fallacia ignorationis Elenchi locus est idoneus 309
ad fallendum prætermissione conditionum requisitarum ad Elenchum, est autem Elenchus iuxta Aristotelem *lib. 1. Elench. cap. 1.* Syllogismus cum contradictione conclusionis, hoc est, colligens contradictoriam, aut etiam contrariam alicuius certæ propositionis suppositæ. Tunc autem speciatim fallit Elenchus quando vt contradictoriam, vel contrariam propositionis suppositæ infert, quæ neque contradictoria, neque contraria illius re vera; sed tantum apparenter est.

Fallacia petitionis principij est locus aptus ad 310
decipiendum ex eo quod conclusio probanda ad probationem sui accipitur. Dicitur autem conclusio principium, quia initio proponitur, vt ad eam probatio dirigatur. Quæ quidem tunc dicitur peti cum sub aliis verbis synonymis postulatur. Si quis enim conclusionem sub eiusdem verbis à respondente posceret. Vt eius concessione ipsam confirmaret, non deceptionis, sed initionis occasionem præberet, recenseri autem possunt ex Aristotele *lib. 8. Topicor. cap. vltimo*, varij modi petendi

principium. Primus cum ad probationem synonimi petitur synonymum. Secundus, cum ad probationem definiti petitur definitio, aut etiam è conuerso. Tertius, cum petitur vniuersale ad probationem particularis in eo contenti, aut omnia particularia ad probationem vniuersalis. Quartus, cum petitur quoduis aliud totum ad probationem partis eius, aut omnes partes ad probationem totius. Quintus, cum ad probationem vnius ex correlatiuis petitur alterum. Quamquam enim iuxta solum primum modum detur in rigore quasi formaliter petitio vitiosa principij, in reliquis tamen sæpe etiam datur saltem æquiualenter.

311 Fallacia consequentis est, cum ex consequente videtur inferri antecedens, aut ex contradictorio antecedentis contradictorium consequentis, quemadmodum iuxta formas legitimas ex antecedente infertur consequens, & ex contradictorio consequentis contradictorium antecedentis. Vt siquis supponens ex igne bene inferri calorem, viciſſim, ex calore inferat ignem, aut supponens ex leone bene inferri animal, è contra ex non leone non animal inferat. Quæ illationes etsi apparentes vitiosæ erunt, & in cæteris pariter.

312 Fallacia nõ causæ, vt causæ, in eo stat, quod falsitas alicuius conclusionis ei antecedenti tribuatur, à quo non est: vt si abusio pecuniæ aut armorũ ipsis pecuniæ, & armis tribuatur, indeque pecuniam, & arma exterminandã esse inferatur, quòd aliqui abutantur illis. Vnde causa hoc loco late pro ratione motiua ad conclusionem sumitur, quæ sæpe reipsa consequentis obiectiui causa non est.

313 Fallacia denique plurium interrogationum, vt vnius locus idoneus est ad fallendum, eo quod qui plura diuersa sub vna interrogatione siue propositione comprehendit, ansam præbet vt respondens responsione simplici decipiatur. Proponente enim sophista, Socratem esse hominem, & equũ: si negaueris coargueris, quod negas Socratem esse hominem: si concesseris coargueris, quod asseras Socratem esse equum. Sunt autem huius loci capita tria: primum, quando de vno quæruntur, seu proponuntur multa: secundum, quando de multis vnum: tertium, quando de multis multa.

314 Hactenus de locis sophismatum quibus potissimum vtuntur sophistæ ad obtinendum primum ex finibus sibi propositis, respondentis scilicet redargutionem. Modo supersunt indicandi alij loci, quibus ad reliquos quatuor fines *n.* 300. commemoratos obtinendos vtuntur, de quibus agit Aristot. *lib.* 1. *Elench. cap.* 12. Primum enim vt ad falsum inducant, tum nullam permittunt determinatam materiam disputationis, tum multitudine interrogationis onerant respondentem, tum eo illum perducere conantur, vbi maior sibi supperit argumentorum copia, tum denique omnia eius dicta commendant, vt incautè concedat, quod impugnent. Deinde vt ad Paradoxon impellant, tum admirabiliores cuiusque sectæ opiniones rogant, tum eo, in quibus voluntatis affectus repugnat iudicio rationis, tum ea, in quibus natura legibus repugnat, id est veritas rerum communi opinioni, tum ea quæ adeo sunt dubia, vt neutram in partem propendere videantur. Præterea vt trahant ad solœcismum, tum genera variare, tum fallacia figuræ dictionis, de qua supra, vti solent. Denique vt trahant ad Nugationem definitiones, aut orationes integras pro nominibus & vice versa vsurpant.

Postremò Aristot. *lib.* 2. *Elench.* & cum eo Dialectici de enodatione prædictorum sophismatum tractant, dicuntque aliam apparentem tantum esse, aliam veram. Veram autem generatim loquendo explicatione vitij sophismatis exhiberi, tum negatione consequentiæ, quando sophisma peccat in forma, quando vero in materia, aut negatione propositionis falsæ, aut distinctione dubiæ. 315

Et hæc de Fallacia argumentationis provt de illa cum Aristotele tractant Dialectici, quæ apud illos fusiori calamo scripta videri possunt, præsertim apud Conimbricens. *sub finem Logicæ* vbi de libris Elenchorum, & apud Fonsec. *institut. Dialecticæ, libro octauo.* Quibus suppositis nonnulla supersunt aut adnotanda à nobis, aut adiicienda sicut sequitur. 316

Enimvero fallacia siue deceptio humani intellectus in vniuersùm aut iudicij circa propositionem obiectiuam, aut discursus circa obiectiuam argumentationem esse potest, cumque discursus nihilo diferat ab aggregato iudiciorum inter se subordinatorum, provt explicauimus *disput.* 2 *quæst.* 5. consequens est vt omnis fallacia intellectus nostri in iudicio falso consistat. Nihilominus fallacia discursus in duo membra diuidi potest, nempe in fallaciam antecedentis, & fallaciam illationis, quarum vtraque secum fert fallaciam consequentis: & prima quidem à iudicio falso, expresso, & formali de antecedente obiectiuo incipit, completurque per iudicium falsum de consequente. Secunda verò à iudicio falso tacito saltem, aut virtuali de connexione antecedentis cum consequente incipit, & per iudicium de consequente falsum completur. Est autem iudicium de consequente provt tali falsum, esto alias consequens ipsum in se sit verum, quando deest veritas antecedentis, aut connexionis eius cum consequenti; quia consequens provt connotans talem veritatem, (qualiter per tale iudicium iudicatur, vti à nobis loco citato explicatum est) re vera non datur, esto secundùm se præcisè re vera detur. 317

Rursus prima dictarum fallaciarum circa argumentationis materiam, secunda verò circa formam dici potest versari. Quatenus forma argumentationis potissimum in connexione antecedentis cum consequente: materia autem in ipso antecedente, aut etiam consequente stare videtur. Ex quibus patet omnem fallaciam intellectus humani, aut circa propositionem per se notam, aut circa propositionem per aliud notam, aut circa connexionem antecedentis cum consequente, (quæ etiam cum ipso antecedente de quo saltem tacitè prædicatur, propositionem quandam, aut per se, aut per aliud notam constituit) versari. 318

Præter causas autem, originesve fallaciarum, seu deceptionum humanarum, de quibus cum Dialecticis diximus, multæ aliæ insuper, quæ verè dantur signari possunt. Primo enim sæpe nascitur quod homo fallatur, aut falsum iudicando; aut etiam siniſtrè discernendo ex prauitate intellectus, qui aut tantæ habitudinis, aut perspicaciæ tam paruæ est, vt saltem circa obiecta ex se obscura facile eludatur & erret. 319

Secundò, nasci potest id ipsum ex prauitate imaginationis; siue phantasiæ, cum enim intellectus humanus pro statu præsenti ope imaginationis, siue phantasiæ ad intelligendum indigeat, qua ratione supra exposuimus *disput.* 1. & 2. *quæst.* 3. in promptu est vt prauitas imaginandi in pra- 320

prauitatem redundet intelligendi, ex prauitateque apprehensionem imaginationis suis Phantasiæ fallacia deceptioue iudiciorum intellectus nascatur. Intellectus quippe, quod attinet ad apprehensiones simplices, quibus proponit sibi res iudicandas, Phantasiam sequitur, quandoquidem illas per eadem Phantasmata sensibilia, quæ propria sunt obiecta phantasiæ, tanquam per quædam substituta apprehendit, vti etiam *locis citatis* affatim explicatum est; atque adeo sicut ad veritatem deprehendendam, ita etiam ad non errandum per iudicia maximopere confert, quòd huiusmodi apprehensiones atque phantasmata rebus ipsis apprehensis, & iudicandis consentanea sint, & proportionata: qualia vtique eò magis aut minùs erunt, quo magis, aut minùs recta, siue perfecta, quoue minùs aut magis praua, siue imperfecta fuerit ipsa phantasia.

321 Vnde fit tertio ex læsione ipsius phantasiæ, siue imaginationis (quæ multis modis multisque ex causis potest atque etiam solet accidere) fallaciam intellectus enasci, sicut etiam interdum vel ex nimis intensa, vel ex nimis remissa, & perfunctoria imaginandi attentione.

322 Quarto, nasci solet fallacia intellectus humani ex defectu considerationis eorum quæ iudicat: ad recte enim, & sine errore iudicandum valde conducit attente, & per otium considerare quæ iudicanda sunt, cum omnibus eorum circumstantiis, cæterisque adminiculis, quæ ad rectum verumque iudicium de eis ferendum possunt conferre. Ob id à pecatoribus, & mundanis tam fœdè passim erratur circa ea quæ ad suam iustitiam, æternamque salutem pertinent: quia minùs quàm oportet ea considerant. Ob id etiam in vniuersum passim errant, & decipiuntur qui ante debitum examen temere de quibusque rebus statim, atque se illis offerunt, iudicium ferunt.

323 Quinto nasci solet fallacia ex defectu præuiæ notitiæ earum rerum de quibus agitur, propterea ij dumtaxat qui in vnoquoque genere rerum periti sunt, vt Theologi, in re theologica, Medici in re medica, Milites in re militari, & cæteri huiusmodi tutò, & citra periculum erroris iudicant de tali rerum genere. In quo alij non sic periti facilè decipiuntur.

324 Sexto. Passiones animæ tam ad irascibilem, quam ad concupiscibilem partem spectantes ad instar quarumdam nubium humanum intellectum obnubilant ac veluti obcæcant, ne videat veritatem, eoque magis quo magis sunt inordinatæ, & vehementes, in causaque proinde sunt, vt sæpe in suis iudiciis decipiatur. Vnde patet quantum interfit ad humanas scientias rectè assequendas pacatum animum habere, & ab eiusmodi inordinatis passionibus liberum.

325 Septimo. Ex deceptione externorum sensuum in intellectum deriuari potest, atque etiam sæpe solet fallacia. Quia quidquid sub externam sensionem cadit siue vere, siue fallaciter, connaturalissimè statim cadere solet sub iudicium. Quomodo autem decipiantur sensus externi & circa quæ obiecta suprà *disp. 1. q. 2.* expositum est.

326 Octauo denique obiecta ipsa iudicanda ex peculiari conceptu quem habent, sub quoue apparent, intellectum solent decipere; eo quod multa falsa, vt etiam notauit Arist. verisimiliora quam vera sunt ex conceptu suo obiectiuo, cuius generis fallacias aliquas satis abstrusas, atque adeo ad decipiendum aptissimas in isto opere detegimus, & suis in locis notauimus. Ex quibus omnibus apparet, quot ex causis, quotque modis intellectus humanus decipi possit atque etiam soleat, quotque subinde fallaciarum, seu deceptionum eius genera sint.

Media autem siue remedia ad huiusmodi fallacias seu deceptiones præcauendas, siue vitandas diuersa sunt pro diuersitate causarum, vnde proueniunt. Fallaciæ quippe oriundæ ex prauitate intellectus, ex prauitateve imaginationis connaturali maxima ex parte vitabuntur, si homo in se sentiens hos defectus aliorum, qui eis carent, auctoritate ducatur, potissimum ad iudicandum de rebus præsertim obscuris: iudicabit etiam si impensiori consideratione & studio curet supplere, quantum possit, facultatis suæ defectum. Qui autem læsione imaginationis, seu phantasiæ laborat petat remedia à medicinâ, interimque prædictis etiam mediis vtatur. Fallaciæ autem, quæ nasci solent ex defectu considerationis, examinis ve rei iudicandæ, sublato eiusmodi defectu per considerationem idoneam, siue per examen idoneum, euitabuntur: quæ autem proueniunt ex defectu præuiæ notitiæ materiarum quibus agitur, studio talium materiarum, interim tamen auctoritate peritorum in illis cauendæ sunt. Sicut quæ ex passionibus nascuntur passionum mortificatione, abstinentiaque à iudicando, dum passio turget, aut vrget, dilato iudicio, si potest, ad tempus tranquillius. Fallaciæ denique, prouenientes à deceptione externorum sensuum, reflexione supra eorum sensiones impedientur, si præhabeatur obseruatum (vt facilè adhibito tum aliorum sensuum, tum intellectus examine præ haberi potest) qua ratione quibus in casibus sensus ipsi decipi soleant. Postremo pro vitandis tum generatim plerisque dictarum fallaciarum, tum speciatim iis, quæ proueniunt à conditione obiectorum vniuersè conferunt deseruiuntque cuncta instrumenta sciendi tradenda *tract. seqqu.* cum regulis suis. Siquidem quæcumque conducunt ad inueniendam veritatem, non possunt non conducere consequenter ad euitandam seu præcauendam falsitatem.

QVÆSTIO XIV.

Quid sit argumentatio complexa quotuplex, & qualis.

328 ARgumentationem complexam diximus *suprà q. 2.* eam esse quæ ex pluribus argumentationibus simplicibus, atque adeo ex pluribus illationibus composita est. Cum tamen argumentatio simplex vnica constet illatione ex vnico antecedente, seu complexo, seu simplici vnicum infertur consequens seu complexum, seu simplex. Vnde argumentatio complexa tot inprimis modis diuidenda venit, quot est diuisa argumentatio simplex: de quibus in præcedentibus satis est dictum, insuperque in tot alia membra diuidi potest, quot sunt possibiles mixtione diuersarum argumentationum simplicium, ex quibus complexa potest coalescere, omni combinatione facta.

329 Speciatim vero argumentatio complexa quadruplex est. Prima, quâ ex vnico antecedente plura consequentia inferuntur per plures illationes. Secunda, quâ ex pluribus antecedentibus per plures illationes vnum, & idem consequens infertur.

Tertia,

Tertia, quâ ex pluribus antecedentibus per plures illationes plura inferuntur consequentia. Quarta quæ ex harum trium aliqua mixtione resultat, quæ mixtio rursus quadruplex potest esse, nempe primæ & secundæ, primæ & tertiæ, secundæ & tertiæ, primæ, secundæ & tertiæ.

330 Inter argumentationes autem complexas celebris illa censenda venit, quæ Dilemma appellatur, & argumentum cornutum, eo quod vtroque cornu feriat, dici consueuit, est quippe argumentatio, in qua supposita propositione disiunctiua euidente de extremis contradictoriè oppositis, aut etiam contrariè citra medium, quorum alterutrum determinatè est necessario concedendum ad Aduersario, ex quocumque concedatur, siue concedi supponatur, aliquid necessariò sequitur contra Aduersarium ipsum. Sic ad probandam extensionem fidei Christi Domini per vniuersum mundum miraculosam fuisse, potest argui in hunc modum, aut in confirmationem fidei Christianæ facta fuerunt vera miracula, aut secùs: si dicatur primum: ergo eius introductio, & extensio miraculosa fuit; si secundum, cum sit euidenter grande miraculum talem fidem tot tantisque obstaculis obnoxiam, absque veris miraculis in eius confirmationem factis fuisse introductam, & extensam, vtique eius introductio, & extensio miraculosa fuit. Similiter ad retundendam sententiam Pyrrhoniorum asserentium nihil sciri, ita potest solerque argui. aut sciunt ipsi quod asserunt, aut non, si sciunt: ergo iam aliquid scitur, si non, igitur asserunt quod nescunt, quo quid stultius? Pariterque in similibus.

331 Censenda similiter atque dicenda venit argumentatio complexa omnis series argumentorum, atque adeo illationum, quâ in omnibus, scientiis discursiuis ex aliquâ primâ propositione vel sola, vel iuncta cum aliâ, aut cum aliis infertur secuncunda, & ex secundâ pariter tertia, & ex tertia quarta, & ita deinceps: quæ quidem series siue ordines argumentorum, atque adeo illationum in duplici sunt differentia. Alij enim sunt ordines qui incipientes à principiis, siuè propositionibus per se notis versus alias propositiones tendunt, quæ tum immediatè tum mediatè ex ipsis principiis inferuntur, alij vero qui vice versa ex datis aliquibus propositionibus non per se noscibilibus, sed per aliud, versus ipsa principia tendunt, ex quibus propositiones ipsæ inferendæ subindéque noscendæ erant, eò quòd eiusmodi propositiones tum cum principiis ipsis, tum cum aliis propositionibus intermediis mutuò connexæ sunt: & prioris quidem generis ordines Synthetici dicuntur, posterioris vero generis Analytici, eò quòd, qui ex principiis versus alias propositiones ex eis inferendas procedunt, veluti componendo procedunt, cum tamen qui ex propositionibus datis versus principia, vt ibi tandem quiescant, tendunt, procedant quasi resoluendo. Synthesis quippe compositio, Analysis autem resolutio, loquendo cum proprietate, est.

Porro ordines analytici rursus in duplici sunt 332
differentia, alij enim ex datis propositionibus quarum veritas quæritur, alias & alias inferunt, vsque dum cadunt in principia vera, ex quibus eadem retrogrado ordine synthetico inferendæ veniunt, atque adeo demonstrandæ siue probandæ ostensiuâ demonstratione, siue probatione. Alij verò ex datis contradictoriis propositionum, quarum quæritur veritas, alias, & alias inferunt, vsque dum cadunt in contradictorias principiorum verorum. Quarum falsitas cum primùm per ipsa principia vera, quibus contradicunt, detegitur, propositionum datarum, à quibus discursus sunt inchoati, detegit falsitatem, & consequenter veritatem aliarum quibus eæ contradicunt, & quarum veritas quærebatur, quæ proinde demonstratæ, siue probatæ manent demonstratione, siue probatione ducente ad impossibile.

Est tamen aduertendum, ad demonstrandas propositiones, quarum veritas quæritur, discursu analytico cuiusuis ex duobus dictis generibus, necessarium non esse, quòd fiat illationum progressio vsque ad principia prima vera, aut eorum contradictoria falsa, sed satis esse, quòd fiat, donec cadatur in propositionem cuius aut veritas, aut falsitas aliunde iam præcognita est, siue sit illa principium, aut contradictoria principij, siuè secùs. Cæterum de iis omnibus in sequentibus præsertim *disputat. vigesima secunda*, & vberius, explicatius agendum est. Hæc modo tetigimus, vt sciatur eiusmodi argumentorum, atque illationum series, seu ordines, argumentationes quasdam complexas, easque potissimas esse. De cæteris autem excogitabilibus cadentibus sub diuisionem factam, quia in scientiis nullum vsum, aut fermè nullum habent, nihil est quod specialim dicamus.

TRACT

TRACTATVS V.

DE SCIENTIA HVMANA, de obiecto que per ipsam scibili in vniuersum.

1 *QVAMQVAM multa de Scientia humana, de obiecto que per ipsam scibili sub terminis aliis in præcedentibus dicta sint, adhuc tamen restant nonnulla de illis sub terminis propriis dicenda in præsenti Tractatu. Qui quidem duabus disputationibus absoluetur. Altera erit de naturæ scientiæ humanæ sumptæ vniuersè, & obiecti eius provt talis. Deque varietate, & quidditate singularum scientiarum. Altera de Accidentibus humanarum scientiarum earumdemque obiectorum provt talium.*

DISPVTATIO XXI.

De Natura scientiæ humanæ sumptæ vniuersè, & obiecti eius qua talis. Deque varietate, & quidditate singularum scientiarum.

2 MATERIA huius Disputationis sub duabus tantum quæstionibus, quantum fieri possit succinctè est expedienda à nobis, ex quibus prima breuior, secunda autem productior erit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit scientia humana. Quid obiectum humanitùs scibile in vniuersum.

3 MVltifariam vsurpari solet hoc nomen *Scientia*. Primò latissimè pro qualibet omninò cognitione iudicatiuâ, siue ea sit euidens, siue obscura, siue sit certa, siue incerta, siue sit probabilis, siue improbabilis, siue sit ex terminis capta, siue per discursum acquisita. Dico *iudicatiua*, quia cognitio simpliciter tantum apprehensiua scientia non dicitur: sicut neque scire dicitur aliquid, qui illud apprehendit tantum simpliciter. Itaque iuxta hanc acceptionem quicumque aliquid iudicat, siue iudicatiuè cognoscit quauis ratione, illud scire dicitur. Omnéque subinde iudicium humanum, siue omnis cognitio humana iudicatiua (vt modo Diuinam, Angelicámque prætermittamus,) scientia humana appellatur. Appellatur insuper consentaneè ad hanc acceptionem humana scientia omne aggregatum iudiciorum ab intellectu humano oriundum, cuiusvis demum generis illa sint, præsertim quando talia iudicia ordinem, siue habitudinem aliquam inter se habent. Quo casu etiam simplices apprehensiones talibus iudiciis subseruientes vna cum ipsis iudiciis sub nomen scientiæ cadunt. Hoc sensu Philosophia, Theologia, Iurisprudentia, Mathematica, Medicina, & cæteræ huiusmodi humanæ scientiæ nuncupantur, quatenus aggregata quædam cognitionum humanarum aliquatenus inter se ordinatarum: in quibus præter apprehensiones simplices iudiciis subseruientes, quæ quasi per accidens ingrediuntur scientiæ conceptum, plerumque alia sunt iudicia euidentia, alia obscura, alia certa, alia incerta, alia probabilia, & alia interdum improbabilia, alia denique ex terminis habita, alia comparata per discursum.

Secundò nomen *Scientia* paulò strictiùs accipitur pro qualibet notitiâ, seu cognitione iudicatiuâ euidente, siue ea ex solis terminis apprehensis capiatur, siue acquiratur per discursum. Quo pacto sumpta scientia omnem cognitionem obscuram etiam iudicatiuam excludit, qualis est fides, & opinio, & cæteræ huiusmodi. Vnde iuxta hanc acceptionem solùm dicetur scientia humana (vt modò etiam Diuinam, Angelicámque 4

omit

omittam) omne iudicium humanum euidens qualis ratione comparatum. Et consequenter omne aggregatum huiusmodi iudiciorum, præsertim cum illa inter se habuerint aliquam habitudinem.

5 Tertiò sumitur nomen *Scientia* pro cognitione iudicatiuâ per discursum acquisitâ siue euidente, siue obscurâ, siue certâ, siue incertâ, siue probabili, siue improbabili, atque adeo etiam pro aggregato huiusmodi cognitionum præsertim inter se ordinatarum. Quo sensu sumpta scientia humana omne iudicium humanum comprehendit, præter iudicia principiorum, quæ citra discursum habentur ex solis terminis apprehensis.

6 Quartò sumitur nomen *Scientia*, strictiùs pro sola notitiâ, seu cognitione iudicatiuâ euidente, acquisitâ per discursum euidentem, siue demonstratiuum. Quo pacto accepta scientia humana, sola iudicia humana euidentia per demonstrationem comparata, atque adeo, & aggregata huiusmodi iudiciorum, præsertim inter se ordinatorum complectitur; non item iudicia humana etiam euidentia, quæ habentur ex terminis, & versantur circa principia.

7 Quintò denique nomen *Scientia* strictissimè vsurpatur ab Aristot. *lib.* 1. *Post. c.* 2. pro cognitione iudicatiuâ, & euidente habitâ per demonstrationem de obiecto omninò necessario: non vtcumque, sed per propriam, & immediatam causam sui demonstrato.

8 Hæc omnia de scientia actuali, quæ cognitio, siue intellectio quædam est actualis vna, vel multiplex, dicta sunt. Ex quibus patet scientiam humanam habitualem ipsi correspondentem totidem modis venire vsurpandam. Est quippe scientia habitualis habitus quidam intellectualis, siue facilitas quædam, quæ per repetitionem actuum scientiæ actualis in intellectu humano paulatim gignitur, ad similesque actus promptiùs, faciliúsque eliciendos, postquam est genita, subseruit.

9 Vnde etiam constat obiectum humanitùs scibile totidem modis venire accipiendum, ac accipitur scientia humana. Quia obiectum humanitùs scibile id omne, & solum appellatur, quod per scientiam humanam iudicatiuè cognoscibile, siue iudicabile est.

10 Portò nos in hoc, & in sequenti Tractatu, sicut & sæpe alias in toto hoc opere, scientiam humanam latissimè sumimus iuxta acceptionem primam, pro cognitione humanâ iudicatiuâ ad præsentem hominum statum pertinente in totâ suâ latitudine; potissiméque pro aggregato eiusmodi cognitionum, seu iudiciorum aliquatenus inter se ordinatorum in vniuersum, vnà cum simplicibus apprehensionibus eis subseruientibus, & consequenter obiectum humanitùs scibile latissimè pariter accipimus pro obiecto ab intellectu humano in statu præsente iudicabili quoquo modo, quoad totam suam latitudinem. Quale est quod correspondet prædictæ scientiæ.

11 Omne autem obiectum ab intellectu humano pro statu præsente iudicabile propositio obiectiua est constans, vt minimum, duobus terminis, & plerumque tribus; quorum primus significatur per nomen, & subiectum dicitur; secundus significatur per verbum, & dicitur actus; éstque potissimum prædicatum: tertius autem est id ad quod actus per verbum significatus terminati concipitur; ad prædicatúmque vt pars eius pertinere censetur, iuxta doctrinam latius traditam, & expositam *disputatione* 2. *quæstione* 4. & *disputatione* 8. Sæpeque alibi in præcedentibus. Vnde obiectum humanitùs scibile, seu cognoscibile latissimè sumptum in subiectum, & prædicatum diuidi in primis potest, atque etiam solet. Prædicatum autem aut est essentiale subiecto; quia vel ipsum totum est, vel pars eius: aut est accidentale ipsi; quia ipsius essentiæ quidpiam adiicit vel metaphysicè, seu per rationem nostram, vel physicè. Quod rursus aut necessarium, aut contingens subiecto esse potest, &c. iuxta doctrinam de prædicatis traditam latè *disputatione* 17. *quæstione* 7. Hinc quoties aliqua scientia humana in aliquo aggregato iudiciorum aliquatenus ordinatorum, iuxta dicta consistens, aut cætera omnia quæ attingit, aut eorum pleraque prædicat de vno subiecto; ipsíque proinde siue immediatè, siue etiam mediatè attribuit; tale subiectum talis scientiæ subiectum attributionis consueuit appellari. Sic Deus subiectum attributionis Theologiæ dicitur, corpus humanum prout medicabile subiectum attributionis Medicinæ, quantitas subiectum attributionis Mathematicæ: aliaque huiusmodi aliarum scientiarum subiecta attributionis vocantur.

Iam verò propositio obiectiua, in quam iudicium humanum, atque adeo scientia humana tendit, quando per se, & ex ipsis terminis apprehensis citra discursum est iudicabilis, principium obiectiuum dicitur; iudiciúmque illi respondens principium formale. Quando verò per aliam, aut alias priùs iudicatas medio discursu dumtaxat iudicabilis est; conclusio obiectiua, siue consequens appellatur, iudiciúmque illi respondens, formalis conclusio, seu consequens. Vnde scientia humana sumpta vniuersè ex principiis, & conclusionibus, seu consequentibus formalibus, obiectum autem ei correspondens, ex principiis & conclusionibus, seu consequentibus obiectiuis coalescunt. De quo plura sunt dicta *supra disputatione* 19. *quæstione* 8. dicenturque etiam in sequentibus. 12

Principia autem scientiarum omnium in duplici sunt differentiâ. Alia enim sunt quæ prædicant de subiecto, aut ipsius essentiam, aut partem eius. Alia quæ prædicant de subiecto, aut aliquam ex primis, seu immediatis ipsius passionibus, aut aliquod accidens ipsi contingens sub experientiam cadens. Et ad primum quidem genus principiorum pertinent definitiones, seu potius propositiones per se notæ prædicantes definitiones de definitis; ad secundum verò Axiomata qualia appellantur propositiones vniuersales immediatè, seu per se notæ, quæ prædicant de subiecto passionem aliquam immediatam, & sunt euidentes, (qualiaque appellari etiam expedit non euidentes,) ob id in scientiis demonstratiuis, quales sunt Geometrica, Arithmetica, Mechanica, & cæteræ huiusmodi definitiones, seu propositiones de definitionibus, & Axiomata vt fundamenta totius scientiæ, præmittuntur. In omníque scientiâ humanâ vniuersè prædicta duo genera principiorum quatenus ad illa prærequiruntur præmitti debent, vt scientificè procedatur. 13

QVÆ

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit scientia humana latissimè sumpta iuxta dicta q. 1. Quotuplexque obiectum per ipsam scibile sumptum similiter.

14 SVppono primò. Varias scientiarum diuisiones tradi ab Auctoribus, vt videre est in Platone, Arist. Alcinoo, Laërtio, Ammonio, D. Isidoro, Hugone Vict. Richardo, Alberto, Eugubino, & aliis apud Conimb. *in Logica quæst 2. Proœmiali.*

Quas ipsi Conimb. ex communi Dialecticorum ad tres reducunt. Prima, quæ sumitur ex obiecto, est scientiarum in Sermocinales, quæ sunt Grammatica, Rhetorica, Dialectica, cum Historia, & Poëtica ad Grammaticam, aut Rhetoricam reducta; & Reales, quæ sunt cæteræ mox recensendæ. Secunda diuisio, quæ ex fine sumitur, est scientiarum in Practicas, quarum finis est opus, & Theoricas, quarum finis est sola cognitio veritatis. Practicarum autem, aliæ dirigunt actiones internas, vt Logica actiones intellectus, Moralis actiones voluntatis: quæ rursus diuiditur in Ethicam, Politicam, & Oeconomicam. Aliæ dirigunt actiones externas, vt Grammatica, & Rhetorica externum sermonem; Fabrilis, Pictura, Textoria, Nautica, & cæteræ huiusmodi alia opera externa. Theoricæ vero ad Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam, siue Theologicam reuocantur; quarum vnaquæque rursus sua membra habet. Tertia diuisio, quæ sumitur ex scientiarum gradibus, earum est in superiores, & inferiores. Superiores sunt Physica, Moralis, & Theologia, siue Metaphysica. Inferiores quatuordecim numerantur, quarum septem Artes liberales dicuntur, nempe Grãmatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia: septem vero Artes Mechanicæ seu seruiles, nimirum Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgica, Textoria, & Nautica: pluresque numerari potuissent, vt notant Conimb. *suprà articulo 2.* aut etiam deberent. Et aliquæ inter Mechanicas, siue Seruiles recensitæ abs iure tales appellantur; ab aliisque præsertim Recentioribus inter liberales censentur.

15 Suppono secundò. Aliam prætereà celebrem fuisse apud Antiquos diuisionem scientiæ humanæ latè vsurpatæ (quam Philosophiam latè etiam sumpto hoc vocabulo appellant): quâ videlicet ea diuiditur in Naturalem, Moralem & Dialecticam, comprehensis sub Naturali Physiologia, seu Physica, Metaphysica, & Mathematicis disciplinis. Cuius diuisionis meminerunt Plato, testante Alcinoo, Aristot. Chrysippus, Eudromus, Xenocrates, Plutarchus, Laërtius, Eusebius, Cæsar, & alij apud Conimb. *in Proœmio Physicæ ante quæstiones.*

16 Suppono tertiò. Celebratissimam omnium esse diuisionem scientiæ seu Philosophiæ Theoricæ, siue Contemplatiuæ in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam, idque non solùm apud Antiquos, sed etiam apud Moderniores Philosophos. Quam vt rectam, & exactam defendunt Conimb. *in Proœmio Physicæ, quæstione prima*, Pereira *in sua Physica libro primo, à capite quinto*, & alij Physici, Logicique communiter, quos longum esset recensere. Tametsi aliqui Recentiores eam non satis approbent. Ratio autem, quam omnes tradunt ad istam diuisionem probandam, est, quia intellectus humanus, vel titulo immaterialitatis, quâ gaudet, vt plerique censent; vel potiùs titulo modi intelligendi per species alienas, quem pro præsente statu habet, vt ego arbitror, ordinariè saltem concipit quidquid scit pro statu præsenti, cum aliqua abstractione à materiâ; atque adeo quot sunt obiectorum scibilium abstractiones à materiâ possibiles, tot eorum scibilitates diuersæ, torque subinde in intellectu humano scientiæ diuersæ asserendæ sunt. Abstractiones autem à materiâ obiectorum scibilium possibiles tres sunt omninò. Prima à materiâ solùm singulari, quam vocant signatam. Secunda à materiâ singulari, atque etiam a materiâ sensibili. Tertia à materiâ singulari & à sensibili, & ab intelligibili. Tresque proinde omninò sunt scientiæ scibilium obiectorum, nempe Physica, quæ suum obiectum considerat quatenus materiale, & sensibile, atque adeo sub solâ abstractione eius à singularitate. Mathematica, quæ suum obiectum, nempe quantitatem considerat præscindẽdo ab eo, quòd illa sit in hoc ente materiali, vel alio; tametsi quia illa res ipsa in aliquo ente materiali siue corporeo debet esse, ab omni materiâ segregata intelligi nequit. Quod est, ipsam concipi cum abstractione à materia singulari, & sensibili; secùs cum abstractione ab intelligibili, & Metaphysica, quæ suum obiectum considerat sub eis tantum rationibus, quæ in entibus purè immaterialibus, siue incorporeis reipsa inueniuntur, eò quòd vel eorum sunt propriæ, vel entibus simul immaterialibus, ac materialibus sunt communes. Quod ipsum est, illud concipere cum abstractione ab omni materia singulari scilicet sensibili, & intelligibili.

Cæterùm Auctores huius diuisionis in quibus- 17
dam, nisi ego fallor, videntur peccare. Primò, quia illam solis scientijs speculatiuis siue theoricis applicant: cum & practicis æquo iure censenda videatur communis. Si enim, vt ipsi supponunt, nihil ab intellectu humano intelligitur, absque aliqua abstractione à materiâ: vtique scientiæ etiam practicæ subaliquâ abstractione à materiâ suâ obiecta considerabunt; atque ita quæuis illarum, aut sub Physicam, aut sub Mathematicam aut sub Metaphysicam cadet. Secundo, quia Arithmetica saltem, quæ pars citra dubium est Metaphysicæ, ab omni materia etiam intelligibili abstrahit, quandoquidem quæ demonstrat de numeris Angelorum, aliorumque entium purè immaterialium numeris communia sunt. Malè ergo dicitur vniuersè à plerisque, Mathematicam à sola materia singulari, & sensibili, non item ab intelligibili abstrahere, vt benè viderunt Conimb. *vbi suprà.* Tertiò quia, sicut Geometria pars Mathematicæ abstrahit à materiâ singulari & sensibili, secùs ab intelligibili modo explicato, ita ea pars Physicæ quæ agit de generatione & corruptione in vniuersum, aliæque huiusmodi abstrahunt à materiâ singulari, & sensibili, secus ab intelligibili: quia agunt de suis obiectis cum præcisione ab eo quòd sint in his entibus materialibus, aut in aliis, cum tamen re ipsâ in aliquibus esse debeant. Quartò quia, si sit sermo de subiecto obiectiuo scientiæ, sæpe illud est quid singulare, atque adeo nullatenus à materiâ abstractum: si autem de prædicato, etsi illud plerumque saltem sit ex se vniuersale, id est aptum ad conueniendum in conceptum vniuersalem cum aliis similibus; sæpe tamen est singularizatum, atque adeo propriè, & formaliter nullate-

nus abstractum à materia, iuxta doctrinam traditam *supr. disp.* 20. *q.* 11. Malè ergo supponitur indistinctè, omnem scientiam speculatiuam cõsiderare suum obiectũ sub aliquâ abstractione à materiâ. Mitto alia, &

18 Suppono quartò. Scientiam latissimè sumptam multifariam diuidi posse pro arbitrio diuidentis; vt ex doctrinâ vniuersali de diuisione & diuidendi methodo *infra disputatione vigesima septima*, tradenda constabit. Quare, quo aptiore possimus ordine ex variis, qui eligi possent, eiusmodi scientiam, atque adeo etiam eius obiectum in multa membra, quæ habere potest, in multasve partes diuidemus in *præsente quæstion.* Inter diuidendum autem singulorum membrorum, seu partium naturam, quantum sat fuerit ad propositum, succinctè tamen, & breuiter explicabimus.

19 Suppono quinto. Scientiam latissimam bifariam vsurpari posse: Primò pro aggregato singulari omnium iudiciorum, & consequenter apprehensionum simplicium eis subseruientium intellectui humano, pro statu præsente possibilium, circa omnia obiecta ab ipso scibilia. Quo pacto totum quoddam physicum est, ex scientiis minùs latis compositum physicè; atque adeo in eas tanquam in partes sui physicas diuisibile. Secundo pro conceptu vniuersalissimo abstracto ab omnibus humanis scientiis, siue aggregatis eiusmodi iudiciorum, apprehensionumque, & eis communi. Quo pacto totum quoddam Logicum est in dictas scientias, siue aggregata diuisibile tanquam in suas partes Logicas, seu tanquam in sua inferiora. Pariterque scientia itidem minùs lata, vel pro scientia singulari in alias ex quibus physicè componitur tanquam in partes sui physicas diuisibili; vel pro conceptu communi in alias, ex quibus Logicè abstrahitur, tanquam in sua inferiora diuisibili sumi potest: quibus suppositis sit.

Diuisio 1.

20 Scientia humana, sumpta latissimè pro singulari aggregato omnium aliarum minus latarum, in Physicam, & Metaphysicam tanquam in duas sui partes physicas diuidenda est in primis. Sumpta vero latissimè pro conceptu communi omnibus omninò scientiis humanis in Physicam & Metaphysicam, & ex vtraque mixtam est diuidenda, tanquam in tres suas partes Logicas siue tria sua inferiora. Quarum vnaquæque rursus in alias sub se contentas subdiuiditur.

Physicam enim dico, sumpto latè hoc vocabulo, eam partem scientiæ humanæ, siue eam scientiam humanam, quæ de rebus iudicat, provt habentibus *esse* intra statum existentialem, Metaphysicam autem, sumpto etiam latè hoc nomine, appello eam partem scientiæ humanæ, siue eam scientiam humanam, quæ de rebus iudicat, provt habentibus *esse* intra statum quiditatiuum præscindentem ab existentiâ, iuxta dicta de huiusmodi statibus *disputatione decima*, quæ ad rem recognoscenda sunt. Vnde scientia humana mixta ex vtraque erit, quæ de rebus iudicat partim provt habentibus *esse* intra statum existentialem, & partim provt habentibus *esse* intra statum quiditatiuum. Potest autem scientia humana trifariam excogitari mixta ex Metaphysicâ, & Physicâ. Primò quoad conclusiones tantùm. Secundò quoad principia tantùm. Tertiò quoad conclusiones & principia simul.

21 Deinde quæuis ex dictis tribus scientiis in Absolutam & conditionatam est diuidenda, aut tanquam in duas partes sui Physicas, si singulariter sumatur; aut tanquam in duo membra siue inferiora sua Logica, si sumatur vniuersaliter, iuxta duos modos, quibus ea potest sumi, paulo ante explicatos. Est autem scientia absoluta, quæ de rebus iudicat absolutè, siue provt in statu absoluto: conditionata verò, quæ de rebus iudicat conditionatè, siue sub aliquâ factâ hypothesi, siue provt in statu conditionato, iuxta dicta circa huiusmodi status *disput.* 10.

Porro inter Metaphysicam, seu absolutam, 22
seu conditionatam, & Physicam seu absolutam seu conditionatam prædictis modis vsurpatas, sequentia discrimina sunt. Primum; quòd Metaphysica tam conditionata, quam absoluta de rebus iudicat provt in statu quiditatiuo: Physica verò tam conditionata quam absoluta de rebus iudicat, provt in statu existentiali, vt dictum est. Secundum; quòd Metaphysicæ tam absolutæ, quam conditionatæ obiecta omnia necessaria sunt, quoad suam veritatem obiectiuam; quatenus vnumquodque necessariò est, aut non est, tam absolutè quam conditionatè id, quod de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo, siue ex vi quiditatis suæ, independenterque ab existentia est, aut non est: Physicæ verò absolutæ omnia obiecta (vno Deo, & negationibus chymerarum impossibilium exceptis) quoad suam veritatem obiectiuam contingentia sunt; quatenus contingenter sunt, aut non sunt existentialiter, & absolutè. Physicæ autem conditionatæ quoad veritatem existentialem conditionatam multa obiecta sunt necessaria. Quia ex hypothesi conditionis necessariò existunt, aut non existunt: & multa sunt contingentia; quia etiam ex hypothesi conditionis existunt, aut non existunt contingenter. Tertium discrimen est, quòd Metaphysicæ tam conditionatæ quam absolutæ principia, in ipso lumine rationis intellectui humano indito sedem habent; quatenus intellectus humanus apprehensis terminis per species alienas, (quas à sensibus oriundas in memoriâ asseruatas ad concipienda cuncta habet iuxta doctrinam latè traditam *disputatione prima*,) citra discursum & experientiam, vi solâ sua iudicatiuâ eorum connexionem deprehendit; atque ita prædicatum necessariò conuenire subiecto iudicat, seu absolutè seu ex hypothesi conditionis. Principia verò Physicæ absolutæ in experientiâ ipsâ fundantur; quatenus intellectus humanus citra discursum quidem, non tamen citra experientiam, sed eâ adiutus, in eave fundatus iudicat illa, in quibus subinde iudicandis non deprehensione connexionis subiecti cum prædicato, sed experientiâ ipsâ ducitur. Physica autem conditionata, ex parte habet principia conditionata independenter ab experientiâ iudicabilia, (quoad quam subinde partem fortasse ad Metaphysicam eo titulo reduci posset, iuxta mox dicenda,) ex parte verò nulla principia conditionata habet, sed ab absolutis mediâ experientiâ iudicabilibus sumit exordium, iuxta dicta *disp.* 19. *q.* 8. *concl.* 5. De quibus omnibus plura etiam in ea *q.* dicta sunt.

Aliter diuisio proposita nec minus aptè fortasse 23
posset exponi dicendo, Metaphysicam latam esse eam scientiam, cuius omnia principia vi solius connexionis terminorum noscuntur. Physicam autem latam eam, cuius omnia principia noscuntur

cunt vi solius experientiæ. Mixtam verò, quæ aliqua prioris, & aliqua posterioris generis principia habet. Quo pacto vsurpatis dictis vocabulis, Metaphysica lata de multis iudicabit provt in statu existentiali conditionato, & Physica lata de multis iudicabit, provt in statu quiditatiuo tam conditionato quam absoluto. Quia multa sunt vi connexionis, & citra experientiam tum ex ipsis terminis, tum per discursum iudicabilia provt in statu existētiali cōditionato, & multa sunt ex principiis experimentalibus, atque adeo mediâ experientiâ, & non aliter per discursum iudicabilia provt in statu quiditatiuo tum conditionato, tum absoluto: vt constat ex doctrinâ traditâ *loco nuper citato*. Re tamen intellectâ non multùm interest priore illo, aut hoc posteriore modo loqui.

24 Interest tamen ad distinctionem, & ordinem sequentium diuisionum, schematúmque earum subiungendorum, vt prætermissâ scientiâ mixtâ, sub Physicâ latâ eas specialiores scientias ponamus, quæ aut adæquatè, aut maiore ex parte Physicæ sunt, tametsi aliquâ ex parte minore Metaphysicæ etiam sint: sub Metaphysicâ autem latâ eas, quæ aut adæquatè, aut maiore ex parte sunt Metaphysicæ; tametsi minore aliquâ ex parte etiam sint Physicæ.

25 Igitur Physica lata imprimis in Discursiuam, & Narratiuam est diuidenda. Discursiuam eam appello, quæ potissimè circa obiecta vniuersalia versatur discurrendo circa illa ex professo, discursúque illa comprobando; tametsi maiore ex parte ex principiis ab experientiâ oriundis; quod omnibus scientiis sub Physicam latam cadentibus commune est, iuxta dicta. Narratiuam autem voco eam, quę potissimè agit de euentibus rerum singularibus, eos potiùs narratiue adstruendo, quam medio discursu comprobando; tametsi etiam interdum suos circa illos discursus misceat, & aliqua alia vniuersalia obiecta tangat.

26 Ex quibus duabus scientiis Physicis, prima rursus diuiditur in Theologiam, Physiologiam, Rationalem, & Moralem. Theologia est scientia tractans de Deo, vt de subiecto attributionis, & consequenter de cæteris omnibus rebus Theologicè, id est, quatenus illæ respectum aliquem, seu habitudinem dicunt ad ipsum Deum, idque maiori ex parte physicè, hoc est, provt in statu existentiali, & ex principiis ab experientia oriundis. (Sub quæ complector principia credita fide diuinâ, aut etiam humanâ. Nam cum fides sit ex auditu *ad Rom.* 10. quæcumque per fidem scimus, ab experientiâ etiam dicuntur suam trahere originem) Physiologia autem, quæ & Physica (strictiùs sumpto, hoc nomine) dicitur de omni ente naturali condistincto à rationali, & libero provt talibus tractat, quatenus mobili, & causatiuo; indagando scilicet per motus & effectus eius sub experientiam cadentes naturam, & passiones ipsius; sub quâ ratione distinctionis gratia philosophicè de omni ente dici potest tractare. Rationalis vero scientia est, quæ agit de omni ente rationali intellectiuove provt tali: atque adeo de intellectione, & scientiâ; deque eius origine & cæteris ipsi annexis; vt sunt locutio vocalis, & scripta, aliaque signa manifestatiua conceptuum. Moralis denique scientia est, quæ tractat de omni ente libero quatenus tali, atque adeo de libertate, & operibus liberis, siue moribus, de cæterisque à libertate dependentibus, vel ipsi annexis. Vt sunt gubernatio, legislatio, obeditio, virtutes morales, vitia, merita, demerita, &c.

Secunda autem dictarum Physicarum scientiarum nimirum. Narratiua, rursus diuiditur in Historiasem; quæ versatur circa euersus præteritos, aut etiam præsentes publicos; & Prædictiuam, seu diuinatiuam, quæ versatur circa euentus futuros, aut etiam præsentes occultos. 26

Metaphysica item lata, quæ maximè omnium est discursiua, de obiectisque vniuersalibus potissimum agit, in Philosophiam primam, Mathematicam, & alias Anonymas scientias venit in primis diuidenda. Philosophia prima, quæ & Metaphysica (strictiùs sumpto hoc vocabulo) dici potest, ea pars vniuersalior Metaphysicæ latæ, quæ de conceptibus communibus vtrique generi rerum, spiritualium scilicet, & corporearum metaphysice tractat. Nimirum de ente, essentia, & existentia vniuersè: de ente distincto, & indistincto; vno, & pluribus; vero & falso; bono, & malo; absoluto, & relato; connexo, & inconnexo; opposito, & non opposito: simili, & dissimili; increato, & creato; infinito, & finito; simplici, & composito; substantiali, & accidentali; causatiuo, & causabili, aliisque huiusmodi. Vnde de Deo & Angelis & Hominibus, & cæteris tam huius vniuersi, quam cæterorum excogitabilium subiectis eatenus etiam metaphysicè tractat, quatenus in prædicatis conspirant cōmunibus enti spirituali, & corporeo. Hinc collige Philosophiam primam, in tractantem de omni obiecto possibili & in tractantem de omni obiecto impossibili siue chymerico, aut etiam in tractantem de vtroque sub dictis conceptibus communibus, diuidi posse. 28

Mathematica verò est, quæ maiore ex parte metaphysicè agit de quantitate corporea, qualis est continua: quo iure & sub Metaphysica lata, & extra Philosophiam primam ponenda venit. Tametsi & aliqua minore ex parte procedat physicè, & ea pars eius quæ agit de quantitate discretâ numerorum, nempe Arithmetica, eatenus ad philosophiam primam spectare videatur, quatenus quantitas discreta, & passiones eius tum rebus spiritualibus, tum corporeis communes sunt. Ponitur enim nihilominùs Arithmetica pars Mathematicæ, quia valde affinis, & necessaria cæteris eius partibus est; vtpote agens de suâ quantitate obiectiua sub eadem ratione, sub quâ cæteræ agunt de suâ, scilicet sub ratione æqualis vel inæqualis, proportionalisque subinde vel secus quoad ipsam æqualitatem, vel inæqualitatem: sub istâ enim omninò ratione agit vniuersa Mathematica de quantitate. 29

Anonymas autem scientias in præsentiarum dico, quæ excogitari possunt tractantes saltem maiori ex parte metaphysicè, hoc est provt in statu quiditatiuo, de aliis obiectis specialioribus, quam vt enti spirituali & corporeo communia sint. Nimirum de obiecto spirituali provt tali; eoque, vel substantiali, vel accidentali; vel absoluto, vel relatiuo, &c. descendendo vsque ad species atomas: & de obiecto corporeo provt tali; eoque vel substantiali, vel accidentali; vel viuente, vel non viuente, &c. pariter descendendo. veruntamen scientiæ istæ metaphysicæ, de facto non dātur. Quia cum circa eiusmodi obiecta vtpote, aut minùs vniuersalia, aut aliunde minus sæpe prudentia intellectui, pauca principia metaphysicè, atque adeo citra experientiam iudicabilia inueniantur, maiori ex parte de illis mediâ experientiâ, atque adeo physicè agitur: scientiæque humanæ proinde tractantes de illis sub Physicam potius, quam sub Metaphysicam latam locandæ veniunt. 30

Diuiſio 2.

31 Iam verò Theologia (quam Phyſicæ latæ diſcurſiuæ ſubiecimus,) primùm in ſupernaturalem, & naturalem, & ex vtraque mixtam; deinde vero in alia membra diuidi poteſt.

Theologiam ſupernaturalem dicimus eam, cuius principia per fidem diuinam ſupernaturalem ex diuinâ reuelatione habitam comparantur; ſiue eiuſmodi reuelatio immediatè ſit facta credenti, ſiue aliis prius facta per ſacras Scripturas, aut per traditiones, aut per Eccleſiæ definitionem, aut per prædicationem, aut aliter credenti innoteſcat. Theologiam verò naturalem vocamus eam, cuius principia naturaliter, independenterve à ſupernaturali reuelatione ab hominibus acquiruntur, aut mediâ experientiâ, aut vi naturali, quam intellectus habet ad iudicandum ex ſolis terminis apprehenſis, iuxta dicta latè *diſputatione decima nona, quæſtione octaua.* Mixta autem ex vtraque Theologiâ erit ea, cuius principia partim ſunt ſupernaturalia, ſiue per ſupernaturalem fidem parta, & partim ſunt naturalia, ſiue naturali experientiâ, rationeque intellectus ſubnixa. De facto verò Theologia purè ſupernaturalis, aut purè naturalis fere non datur: quia omnis Theologia, quæ circumfertur mixta eſt ex vtraque. Quocirca omiſſis duabus puris de ſolâ mixta deinceps poterit eſſe ſermo.

32 Hæc autem rurſus in Poſitiuam, Controuerſam, Scholaſticam, Moralem, & Prudentialem diuidenda venit. Poſitiua dicitur, quæ in exponendâ ſacrâ Scripturâ diſtenta eſt, eruendo ſcilicet ex illâ patefaciendóque ſenſus, quos habet. Qui quidem duo imprimis ſunt litteralis, ſiue hiſtoricus; & myſticus, ſiue ſpiritualis. Litteralis ſiue hiſtoricus dicitur, quem Auctor Scripturæ Spiritus ſanctus, primum ſignificare voluit per verba in vſitatâ eorum ſignificatione, ſiue propriâ, ſiue metaphoricâ vſurpata, myſticus autem ſenſus vocatur, qui non verbis, ſed rebus per verba ſignificatis proximè denotatur; ob idque myſticus ſiue ſpiritualis dicitur, quia ſub rebus ſignificatis per voces, quaſi reconditum myſterium ſub quadam vmbrâ ſeu figurâ, & quaſi ſpiritus ſub corpore latet. Qui quidem ſenſus myſticus in tria membra diuidi communiter ſolet: nempe in Tropologicum, ſeu Moralem, qui ad vitæ emendationem, ſiue honeſtos mores refertur; in Allegoricum, qui myſterium aliquod ad fidem pertinens præ ſe fert; & in Anagogicum, qui ad ea refertur quæ ſunt æternæ Beatitudinis. Qui quatuor communiter ſenſus ſcripturæ numerantur his verſiculis comprehenſi:

Littera geſta docet. Quid credas Allegoria.
Moralis quid agas. Quo tendas Anagogia.

De quibus omnibus videri poteſt. *Vaſquez*, diſſerens latè 1. *part. diſputat.* 15. & 16. Controuerſa autem Theologia dicitur, quæ dogmata fidei tuetur contra omnes errores oppoſitos. Quæ rurſus in tot partes diuidi poteſt, quot ſunt celebriores erroneæ ſectarum, quas impugnat. Quales ſunt Paganiſmus, Iudaiſmus, Mahometiſmus, Hæreſis. Eaque aut Ariana, aut Pelagiana, aut Manichæa, aut Lutherana, aut Caluiniſtica, aut Anabaptiſtica, aut alia cæterarum omnium. Scholaſtica autem Theologia eſt, quæ argumentis, & ratiocinationibus hinc inde diſputando conatur tum dogmata fidei alias ſtatuta confirmare illuſtrareque, tum ex illis ex aliiſque principiis naturalibus, alias & alias in dies veritates tum theologicas, tum etiam naturales inferre, notificaréque. Agit autem primùm de Deo, deinde de Chriſto Domino, de Angelis, de hominibus, deque toto vniuerſo, prout à Deo ſunt, ad Deúmque ipſum referuntur. Moralis verò Theologia eſt, quæ tum reuelatis tum naturalibus principiis vtens in eis ſpeciatim veritatibus illuſtrandis, & detegendis, quæ ad mores pertineant, diſtenta eſt. Atque adeo per honeſtos, prauóſque mores, per vitiáque ſubinde, & virtutes, tum generatim tum ſpeciatim latiſſimè excurrit generatim ſcilicet agendo de operum libertate, obligatione, honeſtate, & turpitudine. Speciatim autem de legibus, de contractibus, de votis, de iuramentis, de ſingulis virtutibus, de ſingulis vitiis, &c. Porro loca, ex quibus Theologia tum Scholaſtica tum Moralis ſua depromit argumenta, decem communiter numerantur. Nimirum Auctoritas ſacræ Scripturæ, Auctoritas Traditionum Chriſti & Apoſtolorum, Auctoritas Eccleſiæ Catholicæ, Auctoritas Conciliorum, Auctoritas Pontificis Romani, Auctoritas Patrum, Auctoritas Theologorum, atqueetiam Iuriſprudentium, Ratio naturalis lumine naturali deducta, Auctoritas Philoſophorum, Auctoritas humanæ Hiſtoriæ. De quibus latè diſſerit Canus *per lib.* 12 *in ſuo opere de locis*, videatur Vaſquez 1 *part. diſp.* 12. & alij Scholaſtitici *ad art.* 8. *queſt.* 1. Sanct. Thom. Denique Prudentialis Theologia dicitur ea, quæ de ſingulorum operum honeſtate Theologicè formet dictamina practica, quibus ad eorum exequutionem voluntatem humanam dirigit.

Diuiſio 3.

Phyſiologia, quæ & ſub Phyſicam latam diſcurſiuam cadit, & Phyſica (ſtrictiùs ſumpto hoc nomine) dici ſolet, in ſpeculatiuam, & practicam diuidi poteſt; deinde verò in plura alia membra ſubdiuidi. 33

Speculatiua dicitur ea, cuius finis ſpeculatio, cognitóque veritatis ſui obiecti eſt, ibique ſiſtit. Practica autem cuius potiſſimus finis praxis ſiue operatio eſt; tametſi aut abſolutè, aut reſpectiuè ad talem finem ſuas miſceat ſpeculationes. Porro Phyſiologia ſpeculatiua alia eſt, quæ generatim de Naturâ vniuerſâ, ſiue de omni ente mobili, & cauſatiuo prout tali, atque adeo philoſophicè tractat. Aliæ quæ ſub eadem ratione ſpeciatim tractant de Cœlis, de Elementis, Igne, Aëre, Aquâ, Terra: de mixtis, viuentibus vegetatiuis, vt ſunt Arbores, Herbæ: de mixtis viuentibus vegetatiuis ſimul, & ſenſitiuis, vt ſunt animalia Volatilia, Aquatilia, Terreſtria, & hæc tum irrationalia, ſeu Bruta tum rationalia, & conſequenter de animalibus, corporibuſque ſigillatim horum omnium viuentium. De mixtis denique non viuentibus, vt ſunt lapides, metalla, liquores, &c. atque de eorum formis materiiſque ſigillatim. Phyſiologia autem practica, eiuſque partes ſiue ſpecies (quæ ſicut, & aliæ quæque ſcientiæ, ſiue doctrinæ practicæ Artes vocari conſueuerunt) circa omnia & ſingula obiecta commemorata Phyſiologiæ ſpeculatiuę & partium, ſiue ſpecierum eius verſari poſſunt, non quidem in ipſorum ſpeculatione ſiſtendo, ſicuti ſiſtunt illæ, ſed vltra progrediendo

ad

ad praxin, mediaque illa procurando inipsis, aut ex ipsis obiectis affectus aliquos naturales homini aliquatenus vtiles comparare, applicando scilicet ac sua passiuis, aut per admotionem, aut per mixtionem alteratiuam, aut aliter, vt tales effectus ex vi natiuâ actiuorum, & passiuorum tandem procreati resultent. De facto tamen huiusmodi partes, seu species Physiologiæ practicæ, quæ dantur fere sequentes sunt. Medicina, quæ intrinseca hominis provt corporei per causas naturales procurat bona, nimirum sanitatem, longam vitam, robur, pulchritudinem, & voluptatem sensibilem, cuius quidem quasi administræ sunt aliæ, quæ extrinseca alia hominis bona ad dicta intrinseca conducentia etiam per causas naturales procurant, vt Magia quæ ratio quædam est operandi mira, & insolita, per causas naturales in hominis vtilitatem aliquâ ratione cedentia. Agricultura quæ in procreandis terræ fructibus proficuis homini distenta est. Coquinaria cuius munus est per causas etiam naturales conficere condireque quæcumque ad hominis substentationem, aut etiam voluptatem, aut comeduntur, aut bibuntur. Pharmacopœia, quæ docet omnia medicamenta per causas naturales conficere ad sanitatem hominis, longamque vitam conferentia. Plastica, quæ & massam parare & vasa, aut etiam alia instrumenta per causas etiam naturales ex illa confingere docet ad hominis vsum. Fulsonica, quæ rationem conficiendi tincturas, tingendique tradit etiam per causas naturales. Curatiua brutorum, quæ sicut Medicina hominis, ita brutorum sanitatem, & cætera ipsorum bona intrinseca per causas naturales procurat. His addi possent aliæ Artes, quæ in varias hominum vtilitates siue commoditates etiam corporeas cedunt. Quia tamen earum effectus vt in plurimum absque naturali aliquâ alteratione generationeve, aut corruptione interueniente ab aliquo genere motus artificioso potiùs quam ab aliis causis naturalibus enascuntur, ad Mechanicam, quæ circa quantitatem motus, vt circa obiectum proprium versatur, potius quam ad Physiologiam reducendæ veniunt. De quibus agemus subinde *infra diuisione octaua.*

34 Porro Medicina præsertim dogmatica rationi simul, & experientiæ subnixa (cum Empirica soli experientiæ, Methodica soli rationi subnitatur), etsi ex fine sit practica, parsque propterea à nobis practicæ Physiologiæ ponatur: quia tamen præuias quasdam multarum rerum speculationes ad praxin requisitas præmittit, eam in primis in duas partes oportebit diuidere, quarum altera primaria dicetur, altera secundaria. Primariæque speculationi incumbentis species siue partes erunt Anatomica, quæ singula membra corporis humani eorumque functiones considerat; atque discernit sigillatim. Ad quam reuocantur speculationes de humoribus corporis, de motibus de pulsibus; de respiratione; de somno, & vigiliâ; de generatione; de fœtus gestatione; de augmentis; de pubertate; de canicie; de impinguatione, & de similibus. Pathologica, quæ morborum omnium naturam proprietatesque speculatur. Pharmocologica, quæ medicamentorum etiam omnium tam simplicium, quam compositorum, necnon cæterarum rerum, quæ vel ad sanitatem, vel ad morbum hominis possunt quoquomodo conferre, naturam etiam, & proprietates speculatur. Quæ quidem Medicinæ pars latissimè excutit per cunctas fermè res totius vniuersi, & Prognostica, quæ de futuræ valetudinis, vel morbi, vel mortis hominis signis iudicium ferr. Secundaria autem pars medicinæ primò in Hygijnen agentem de valetudine conseruanda, & Therapeuticam agentem de valetudine recuperanda, necnon in Cosmeticam curantem corporis pulchritudinem, Athleticamque curantem robur membrorum, atque voluptuariam curantem corporis sensuumve eius voluptatem diuidenda est. Secundo autem in Diæreticam prædicta omnia, aut eorum aliqua procurantem per Diætam, hoc est per bonum regimen earum rerum, quibus humanus victus constat, (quæ sex numerantur à Medicis, dicunturque non naturales, sunt autem Ambiens; motus & quies; somnus, & Vigilia; quæ retinentur, aut excernuntur; quæ ingeruntur; & Passiones animi.) Et Pharmaceuticam prædicta omnia, aut eorum aliqua procurantem per medicamenta; & Chirurgicam prædicta Omnia, aut eorum aliqua procurantem per manuum opera, vt sectiones, adustiones &c.

Magia autem primum diuiditur in Naturalem, & superstitiosam. Naturalis est, quæ mira, & insolita operatur per solas causas naturales; atque adeo licita est, cuius multæ extant regulæ, & exempla apud Cardanum *de varietate rerum*, apud Alexium Pedemontanum, & apud Baptistam à Porta. Videatur etiam noster Delrius *in suo opere de Magia.* Et huius quidem Magiæ naturalis duæ sunt partes. Chymica scilicet, quæ & Pyrothecnica dicitur, quòd virtute ignis potissimùm sua opera eliciat, cuius munia sunt reducere mixta ad sua principia Sal, Sulphur, & Mercurium, & purum separando ab impuro succos omnes, liquores, olea, quintam essentiam, &c. ex omnibus mixtis extrahere, necnon ex aliis metallis aurum, argentumque conficere, & Magia arctiùs sumpta, quæ per alias ab igne causas sua opera exequitur. Magia autem superstitiosa, atque adeo illicita est, quæ mira & insolita operatur Dæmonis ope, interuentúque aliquorum signorum, aut etiam eius inuocatione, ad quam pertinent veneficia, philtra, incantationes, fascinationes, præstigiæque Diabolicæ cuiusuis generis, necnon Sagarum transmutationes, transportationes, & cætera huiusmodi opera Dæmoniaca. 35

Agriculturæ quatuor sunt vniuersalia munera (sub quibus specialiora alia considerari possunt,) excolere agros, & quæcumque ad hominum vtilitatem in illis seruntur infra arbores, & frutices, excolere consita cum arboribus fruticibusque ex quibus constant, etiam ad hominum vtilitatem, excolere pascua cum omnibus quæ pro pascendis gregibus, atque armentis vtilia sunt, & excolere florida cum omnibus ex quibus illa componuntur ad hominum voluptatem. 36

Coquinaria in quatuor, vel quinque membra diuidi potest, nempe in Panificam docentem conficere panem (cuius administræ sunt artes præparantes frumenta donec sunt conuersa in farinam) Pistoriam docentem conficere condireque quæcumque ex pane simul & carne fiunt. Dulciariam docentem conficere omnia edulia, quæ 37

cum saccharo, & melle confici, condirique solent. Potoriam, quæ poculenta omnia conficere docet, & Culinariam quæ cætera præter dicta, quæ in culina, vt plurimùm ad esum præparantur, conficit, condirque.

38 Pharmacopœia penes diuersa genera medicamentorum, quæ conficit diuidi potest in confectricem eduliorum, potionum, vnguentorum, emplastrorum, lotionum, &c.

39 Plastica diuiditur in Figulinam, quæ vasa conficit ex argilla; Vitriariam, quæ ex vitro, Ærariam, quæ ex ære; Argentariam quæ ex argento, &c.

40 Fullonica, vel penes diuersos colores, quibus tingit, vel penes diuersas materias quas tingit, diuidi poterit, provt libuerit.

41 Curatiua denique brutorum, perinde atque Medicina, diuidi posset. Sat tamen fuerit eam diuidere in Curatiuam brutorum volatilium, aquatilium, & terrestrium. Cuius postremæ pars est veterinaria. quæ sola extat pro brutis terrestribus veterinariis, id est aptis ad vectutam, medendis.

Diuisio 4.

42 Rationalis doctrina seu scientia (quæ etiam Physicæ latæ discursiuæ subiecta est) in eas quæ de ente rationali vniuersè, de Deo, de Angelo, & de homine provt intellectiuis, & rationalibus agunt, erat imprimis diuidenda. Cæterùm, quia tres priores de facto partes sunt Theologiæ Scholasticæ, de qua *diuisione secunda*, eis omissis, de sola vltima restat in præsenti dicendum, quæ quidem primò in Logicam & Administras eius, subindeque in alia membra diuidenda est.

Logica dicitur ea scientia, quæ intellectiones humanas dirigit, de illisque proinde quatenus dirigibilibus agit; atque adeo, etiam de earum obiectis provt talibus; de scientiâque, humana & scibili in vniuersum: quatenus horum omnium notitia ad intellectionum ipsarum directionem maximo opere confert. Sunt autem Logicæ duæ præcipuæ partes, altera inuentiua, quæ quâ ratione quærenda sint, & inuenienda obiecta intelligenda præscribit. Altera iudicatiua, quæ qua ratione de obiectis inuentis propositisque sit citra errorem iudicandum docet, vtraque autem tum de intellectionibus, earumque obiectis euidentibus tractat. Qua ex parte Logicæ nomen, vt plurimùm retinet, tum de intellectionibus, earúmque obiectis probabilibus. Quâ ex parte Dialectica potius consueuit vocari: vtraque vero rursus de intellectionibus earumque obiectis fallacibus atque adeo aut planè fallis, aut improbabilibus differit, quatenus ab illis docet cauere.

43 Scientiæ autem, quas Logicæ Administras dicimus sunt Animastica, qua parte de sensibus, & sensationibus, à quibus omnis humana intellectio sumit exordium, deque ipsius intellectionis naturâ & proprietatibus, necnon de cæteris animæ functionibus, quæ ad probè, aut prauè intelligendum conferre possunt, tractat. Memoratiua, quæ docet quomodo semel intellecta, aut etiam sentita in Memoria tum sensitiua tum rationali, contra obliuionis iniuriam sint conseruanda, vt quoties opus fuerit re intelligantur. Et Traditiua, quæ præscribit, quo pacto quæ nobis à nobis sunt intellecta aliis, vt & ipsi intelligant, communicanda sint.

Porro Traditiua alia Grammatica, & alia Rhetorica est. Grammatica docet loqui, cuius partes 44
sunt Etymologia, quæ vocabulorum venatur significationem? Syntaxis, quæ quo pacto ex vocabulis sint orationes componendæ, siue construendæ præscribit: Orthographia quæ rectè, & appositè scribendi vocabula ipsa regulas tradit, & Prosodia quæ pariter exhibet regulas eadem rectè, & consonè proferendi. Rhetorica autem ars est copiosè, & ornatè loquendi, quæ vt Cicer. *de Fin.* ait, à Logicâ non aliter differt quam manus extensa à compressâ, nisi quod Logica directè, primarióque incumbit in perficienda interna mentis intellectione, indirectè autem & secundariò in perficienda loquutione externa, intellectioni internæ correspondente. Rhetorica verò vice versa externæ loquutionis perfectionem directè, & primario procurat, consequenter autem, & veluti quid prærequisitum, perfectionem intellectionis, cui loquutio externa respondit. Rhetoricæ quippe finis persuasio motióque animorum audientium est. Munera autem penes materiæ diuersitatem sunt Exornatio laudationem, vituperationémque continens; Deliberatio suasioni dissuasionique incumbens, & Iudicium accusationem, defensionémque comprehendens. Quo circa Rhetorica à materia dicenda in exornantem, deliberantem, & iudicantem diuidi potest, eius autem partes sunt, Inuentio, docens quærere, & inuenire quæ sunt dicenda: Dispositio docens illa rectè disponere, & distribuere per Exordium, Narrationem, Confirmationem, & Epilogum: Eloquutio docens eadem idoneis verbis, sententiisque perpolire, exornaréque: Memoria docens memorare, siue recordari dicenda: & Pronunciatio docens vocem, motusque manuum, totiusque corporis inter dicendum moderari.

Diuisio 5.

Moralis scientia (quæ etiam sub Physicâ latâ 45
discursiuâ comprehenditur) in eas pariter quæ de ente libero in vniuersum; de Deo; de Angelo; de hominéque, quatenus liberis agunt, erat in primis diuidenda. Quia tamen tres priores de facto Theologicè potiùs quam philosophicè procedunt, atque ita partes quædam sunt Theologiæ Scholasticæ, de quâ diximus *diuisione secunda*, de solâ postremâ, quæ etiam sub meram philosophiam à Theologia condistinctam cadit, dicendum in præsenti est. Quæ quidem in Ethicam, Monasticam, Oeconomicam, Politicam, Iurisprudentiam, & Prudentiam diuidi primùm potest. Deinde autem in alia quædam membra subdiuidi.

Ethica est, quæ generatim agit de moribus, deque vltimo fine hominis; atque adeo generatim etiam præscribit, quænam hominis opera honesta & quænam turpia sint, vt illa sequatur, hæc fugiat, vltimumque subinde suum finem ita assequatur. Monastica, hominis provt vitam solitariam agentis mores considerat: atque adeo ad huiusmodi vitam honestè peragendam dirigit. Oeconomica vero, considerat mores hominis, provt vitam agentis domesticam intra suam scilicet domum, cum suâ familiâ. Quomodóque, talis

talis vita sit recte peragenda docet, Politica autem de moribus, de operibúsque liberis hominum, prout vitam ciuilem intra rempublicam agentium tractat. Cuius tres species simplices & quatuor compositæ numerantur. Prima simplicium est Monarchica, quando summa gubernatio reipublicæ penes vnum tantum supremum Principem est. Secunda est Aristocratica, quando reipublicæ clauo assidet Senatus, vel Concilium aliquorum selectorum virorum, quæ Oligarchica etiam dicitur. Tertia est Democratica seu Polyarchica, quando respublica administratur à plebe. Compositæ autem sunt quæ resultant ex trium simplicium mixtionibus, quæ quidem mixtiones quatuor sunt. Nempe ex primâ, & secundâ: ex primâ, & tertiâ; ex secundâ & tertiâ, & ex omnibus tribus. Quarum specierum Politicæ, vnaquæque rursus tres partes habet, prima quæ gubernatrix dici potest præscribens quoquomodo superiores erga subditos se debeant gerere. Secunda quæ dici potest Obœmperatrix præscribens quomodo subditi vice versâ se debeant gerere erga superiores; & tertia quæ Socialis vocari potest, docens quâ ratione pares, siue inter se non subordinati se debent gerere inter se. Quo etiam pacto Oeconomica in gubernatricem, obtempetatricem, & socialem diuidi potest: imo harum quævis rursus est talis, aut filiorum, aut famulorum ob horum diuersas conditiones.

46 Præterea Monarchica Politica de facto alia Ecclesiastica est, alia Sæcularis, seu Ciuilis. Quarum prima circa ea, quæ pertinent ad spiritum, ad vitamque æternam referuntur, versatur. Quocirca Theologiæ potius, quam Moralis Philosophiæ, de qua modo agimus, pars est, tametsi distinctionis gratia mentio eius impræsentiarum importuna non sit. Sæcularis, autem seu ciuilis est quæ versatur circa ea quæ ad corpus potius, atque adeo ad vitam præsentem, & temporalem degendam pertinent.

47 Iam vero Iurisprudentia, quæ tum Oeconomicæ tum maximè Politicæ quædam est administra, doctrina est legum, & præceptorum, quæ sicut & Politica cui subseruit, in Ecclesiasticam, & Sæcularem, siue in Canonicam, & Ciuilem, quales de facto dantur, venit in primis diuidenda. Vtraque autem præterea diuidi potest, in Legislatricem, Obseruatricem, Punitiuam, & Remuneratiuam. Ita quod Legislatrix sit quæ docet, & leges condere, & conditas intimare, exponeréque, & explicare ad vsum. Obseruatrix verò, quæ docet leges obseruare, siue eis parere. Punitiua autem, quæ transgressoribus legum punitiones, pœnasve præscribit. Remuneratiua denique, quæ docet obseruatoribus legum præmia largiri.

48 Tandem prudentia ea singularum scientia est, quæ omnium præcedentium vniuersalia dogmata ad praxin reducit, formando practica dictamina de singularibus actionibus ad illas spectantibus exequendis. Vnde in totidem partes diuidi potest penes earumdem materias diuersas, circa quas versatur. Quocirca alia dici potest prudentia Ethica, alia Monastica, alia Oeconomica, alia Politica, alia Iuridica, &c.

Diuisio 6.

Historialis scientia, siue doctrina (quam Physicæ latæ narratiuæ partem posuimus) in veram, & fabulosam primò, deinde in alia quædam membra diuidenda venit. 49

Vera (quæ Historia absolutè dicitur) ea est, quæ euentus veros, siue qui reuera euenerunt, narrat. Fabulosa autem est, quæ aliqua saltem eorum quæ narrat, effingit: potest autem vera diuidi primo in sacram, & profanam, ita quod sacra comprehendat quæcumque narrantur spectantia quoquomodo ad Ecclesiam, siue ad spiritum, cum aliqua relatione ad vitam æternam: profana verò cætera cuncta. Vnde sacra rursus in Canonicam, quæ in sacra Scriptura continetur auctoréque Spiritu sancto dictata est, & Ecclesiasticam quæ cætera pertinentia ad Ecclesiam ex humanâ tantùm auctoritate refert, diuidenda venit. Profana autem primo diuidi potest in vniuersalem, & particularem: vniuersalisque rursus in vniuersalem quoad tempus tantum, tractantem de rebus gestis ab initio mundi vsque ad tempus præsens, non tamen vbique; sed in aliquo determinato loco: & vniuersalem quoad locum tantum, tractantem de rebus gestis in toto vniuerso pro aliquo tantum determinato tempore, non vero pro omni. Et vniuersalem quoad vtrumque tractantem de vtrisque, quæ subinde vniuersalis etiam erit quoad genera euentuum: quia nullus est qui non comprehendatur sub gestis in omni tempore, & omni loco. Harum autem vnaquæque, si absque discretione temporum, & locorum agit de cunctis, quæ aut in omni tempore, aut in omni loco, aut in vtroque, acciderunt, communi retento vocabulo, Historia appellatur. Si autem cum distinctione procedit narrans, quæ acciderunt per singulas vniuersi temporis partes suo ordine, Chronologia appellatur. Solet autem Annales dici, quando tales partes sunt anni, & Diarij, quando sunt dies, pariterque dici posset Mensales, quando sunt menses, Sæculares quando sunt sæcula, &c. Similiterque Topologia vocari poterit, quando cum distinctione prodit per diuersa loca. Posserque, dici proportione seruatâ Regnales, quando talia loca sunt regna. Prouinciales, quando prouinciæ, Vrbales quando vrbes, &c. Chronologia autem simul, & Topologia dicetur, quando tum per singula tempora, tum per singula loca narrans, quæ in singulis euenerunt, cum distinctione procedit. Particularis item historia aut potest esse talis quoad tempus tantum, quia agit de cunctis rebus gestis in aliquo particulari tempore, aut quoad locum tantum, quia agit de cunctis gestis in aliquo particulari loco, aut quoad vtrumque: quia agit de gestis in aliquo particulari loco, pro aliquo particulari tempore, aut quoad genus euentum: quia agit de aliquo tantum genere rerum præscindendo à temporibus, & locis in quibus illæ extiterunt. Et prima quidem in tot partes diuidi potest, in quot tempus hactenus transactum est diuisibile. Quo pacto Historiæ mundi ab eius creatione vsque ad Diluuium, & à Diluuio vsque ad Abraham, & ab Abraham vsque ad Moysem, & à Moyse vsque ad Christum Dominum, aliæque pariter, aut penes minoris temporis partes diuisæ diuersæ inter se reputantur. Secunda similiter in tot partes diuidi potest, quot sunt mundi loca diuersa.

Quâ ratione Historiæ Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Angliæ, Germaniæ, & cæteræ huiusmodi, aliæque penes minora loca, aut etiam penes maiora diuisæ diuersæ censentur. Tertia in tot eodem modo partes est diuisibilis quot diuersorum temporum, atque locorum partialium sunt combinationes possibiles. Quarta denique tot partes, siue species habet quot sunt rerum diuersa genera, quomodo alia est Historia de Cœlis, alia de Elementis, de Aëre, de Aqua, de Terrâ, alia de mixtis, iisque aut viuentibus, aut non viuentibus; quod si de viuentibus, aut vegetatiuis tantùm, vt plantis; aut vegetatiuis simul & sensitiuis, vt animalibus brutis; aut vegetatiuis simul sensitiuis, & rationalibus, vt hominibus. Quod si de hominibus, aut agit de familiarum prosapiis, & Genealogia dicitur; aut agit de personarum gestis, & Personalis dici potest. Personæ autem huiusmodi interdum publicæ sunt, interdum priuatæ. Ad Historias hominum reducuntur, historiæ tum generales, tum speciales de scientiis, & Artibus humanis de earumque effectibus, seu euentibus.

50 Iam Historialis Fabulosa in Poëticam, Mythologicam, Parabolicam, & Ænigmaticam potest diuidi; Poëtica est, quæ multa non vera verisimilia tamen fingit, & metricè narrat, tametsi sæpè etiam vera ponuntur; Mythologica est, quæ Apologos, & fabulas fingit, vt morale quidpiam verum ex eis colligi possit; cuius modi sunt Fabulæ Æsopi, & Apologi D. Cyrilli, aliæque eiusmodi; Parabolica est, quæ affingit parabolas, vt simile quid per illas viuidè exprimat. Quod sermonis genus valde est ad persuadendum efficax, ob id tam vsitatum à Christo Domino, vt constat ex Euangeliis. Ænigmatica autem est, quæ Ænigmata conficit, quibus aliud proponit, aut verbis, aut figuris pictis, aut vtrisque; aliud tamen valde sub eo occultum, abstrusumque significare intendit. Porro Poëtica primò penes formam carminis, siue poëmatis, quod componit, diuidi potest: Aliud enim est Monocolon constans vno tantùm genere versuum: aliud Dicolon constans duobus; aliud tricolon constans tribus, &c. Tum aliud est Distrophon, quod post secundum quemque versum reuertitur in idem genus; Aliud Tristrophon, quod post tertium; Aliud Tetrastrophon, quod post quartum, &c. Ipsorum autem versuum varia sunt genera, diuersisque ex capitibus sortiuntur nomina: vt à numero pedum quibus constant Hexametrum, Pentametrum, Tetrametrum, Trimetrum, Dimetrum. A diuersitate pedum, quos frequentius habent: Iambicum, Troehaicum, Dactylicum, Anapæsticum, Choriambicum, Pœonicum, Ionicum, Antipasticum, &c. A nominibus suorum Auctorum Alcaïcum, Archilochium, Pindaricum, Asclepiadeum, Anacreonticum, Ibicum, Sapphicum, Adonicum, Glyconicum, &c. Secundò diuidi potest Poëtica penes materiam in Comicam, Tragicam, & Satyricam confingentes comœdias, tragœdias, & satyras. Elegiacam, Epicam, Bucolicam, & Georgicam canentes res flebiles, funebres, pastoritias, & rusticas, in aliasque huiusmodi.

Diuisio 7.

Prædictiua scientia, seu diuinatrix (quam Physicæ latæ narratiuæ partem etiam posuimus) primo in supernaturalem, & naturalem: deinde autem in alia varia membra diuiditur. 51

Supernaturalis est, quæ habetur per diuinam reuelationem; estque triplex Prophetica, Fides diuina, & Prædictio Theologica, genita, scilicet per discursum ex præcognitis per prophetiam, aut fidem. Naturalis autem est, quæ independenter à reuelatione Dei, ab alioque supernaturali principio acquiritur. Hæc autem est duplex; licita scilicet, & illicita, siue Diabolica. Licita est quæ acquiritur per media licita, illicita autem, quæ per illicita, qualia sunt quoduis pactum, quouisque commercium cum Dæmone.

Porro Prædictiua licita alia est euentuum necessariorum, hoc est oriundorum à causis necessariò operantibus, qui subinde causis ipsis suppositis, nequeunt non euenire. Atque adeo scitis cum certitudine causis, & ipsi cum certitudine præsciuntur. Alia est, euentuum liberorum suamve trahentium originem à causis operantibus liberè; quorum quidem non certa, sed coniecturalis, vt summùm potest notitia haberi ex præcognitis scilicet aliquibus indiciis, & circumstantiis non quidem cogentibus, sed inclinantibus causas liberas in tales euentus. Vtraque autem in tot membra diuidi potest quot sunt principia, aut ostendentia, aut indicantia euentus futuros, vel occultos. Ea autem sunt Cœli cum suis Astris; Elementa, Aër, Aqua, Terra; Mixta viuentia, plantæ, bruta, homines, Mixta non viuentia, Lapides, Metalla, Liquores cum suis alterationibus & effectibus. De facto tamen ex scientiis prædictiuis solum videntur habere nomen Astrologia, quæ ex Cœlis Astrisque prædicit; & Physiognomia, quæ prædicit ex vultu aliisque partibus humani corporis. Prædicit autem Astrologia, primò cum omni certitudine euentus aliquos futuros cœlestes, vt Eclipses, oppositiones, coniunctiones Astrorum, aliosque huiusmodi; Qua parte dici potest cœlestium euentuum, à quorum computatione per confectas tabulas Ephemeristica etiam dicitur. Secundò prædicit cum aliquâ certitudine aliquos euentus futuros sublunares & necessarios: vt notabiliores alterationes elementorum, atque etiam mixtorum, cum effectibus ex eis oriundis; à quo munere sublunatium appellari potest euentuum. Cuius ea est pars, quæ ex positione quam Astra habent, dum nascuntur homines, eorum inclinationes moresque coniectat, & Genethliaca nuncupatur. Patiterque inclinationes, & mores hominum coniectat ex eorum vultu, aliisque partibus corporis Physiognomia. Scientia verò, quæ ex elementis, eorumque alterationibus & effectibus euentus aliquos siue necessarios, siue liberos prædicit, aut coniectat Stœchiologia vocari potest. Mictologia autem quæ ex mixtis in vniuersum, quæcumque illa sint. 52

Iam verò prædictiua illicita, siue Diabolica multa sub se continet membra. Alia enim est prædictiua ex Astris, scilicet Astrologia illicita prædicens liberos euentus, qui ex Astris præsciri non possunt, alia est prædictiua ex elementis; & alia ex mixtis figillatim. Ex elementis siquidem per 53

ignem

ignem prædicit Pyromantia, & Lampadomantia per flammam; Capnomantia per fumum, & Tephramantia per cinerem. Per aërem prædicit Aëromantia, per aquam prædicit Hydromantia, & Lecanomantia per peluim, vel patinam, per terram prædicit Geomantia. Prædictiua autem ex mixtis, alia est prædictiua per sacrificia, quæ rursus diuiditur in Oenomantiam prædicentem per vnum, & Libamina; & Libanomantiam prædicentem per Thus, & Odoramenta, quæ Diis adolentur, diciturque etiam Empyroscopia. Alia est prædictiua per instrumenta; quæ diuiditur in Axinomantiam prædicentem per secures, Catoptromantiam prædicentem per specula, Coscinomantiam prædicentem per cribrum & forficem, Dactylomantiam prædicentem per annulos, & sortilegium prædicens per sortes. Alia est prædictiua per viuentia, eaque aut vegetatiua: vt Daphnomantia prædicens per lautum, quæ & Daphnephagia appellatur, Batomantia prædicens per herbas, Sycomantia per ficum, & Rhabdomantia per virgam. Aut sensitiua, vt Ichthyomantia prædicens per pisces, Ægomantia per capram, Aruspicina per victimarum exta, Auspiciumque, seu Augurium, seu Oeonoscopia prædicens per auium garritum, volatum, & pastum. Aut rationalia, vt Necromantia, seu Necyomantia, seu Sciomantia prædicens per defunctorum manes, siue vmbras ab inferis euocatas, Chyromantia per lineas manuum, Metoposcopia per lineamenta frontis, & Onirocrisia per insomnia.

Diuisio 8.

54 Denique Mathematica (quam partem diximus esse Metaphysicæ latæ) priuo diuiditur in Arithmeticam, Geometriam, Cosmographiam, Musicam, Opticam, Mechanicam, & Chronometriam: quarum singulæ deinde in alia membra subdiuiduntur.

Arithmetica est, quæ versatur circa quantitatem discretam numerorum, cum præcisione, seu abstractione ab omni materiâ: diuidi autem potest primò in Absolutam, & Algebraïcam. Absoluta est, quæ agit de numeris absolutis, iisque aut integris in infinitum ascendentibus supra vnitatem, quâ parte integra dici potest: aut fractis in infinitum descendentibus infra vnitatem, qua parte dici potest Fracta: aut partim integris, partim fractis, quo pacto dici potest mixta. Algebraïca siue Algebra est quæ agit de numeris figuratis, eorum radicibus veris, & fictis, in infinitumque ascendit supra quemlibet numerum, atque etiam in infinitum descendit non solum infra vnitatem; sed etiam infra nihil, seu cyphram.

55 Deinde absoluta Arithmetica in vulgarem Popularem, seu elementarem, & in Regularem, Tabularem, Analogisticamque potest diuidi: vulgaris est, quæ valgates simplicesque regulas præbet Numerandi; Addendi, Subtrahendi, Multiplicandi, Diuidendi, Reducendique datum numerum ad aliam denominationem. Regularem autem appello eam, quæ sublimiores alias, & compositas exhibet regulas, Quarum prima est Aurea, seu Regula trium directa & euersa. Secunda Regula Socieratis multipliciter composita cum tempore, lucro, damno, &c. Tertia regula Alligationis, seu mixtionis. Quarta regula falsi cum simplici vel duplici positione. Tabularis verò est, quæ varias constituit tabulas ad varios vsus: quales sunt tabulæ sinuum rectorum, sagittalium, tangentium, & secantium, tabulæ Ephemeridum, tabulæ Logarithmorum, &c. Analogistica denique est, quæ agit de numerorum Combinationibus, Progressionibus, & Proportionibus, hisque Geometricis, Arithmeticis, Harmonicis; cuius pars est Arithmetica Astronomica vtens progressione Sexagenariâ. His adde Arithmeticam lusoriam, siue diuinatoriam, quæ problemata iucunda, vulgoque insolubilia, & res occultas per abditas numerorum proprietates pandit. Præterea vulgaris Arithmetica alia figuralis est, quæ per figuras, siue characteres procedit; eosque, vel communes, vel Romanos, vel Græcos, vel Hebraïcos, vel Gothicos, &c. Alia est imaginatoria, quæ mentaliter tantùm numerat; alia calculatoria, quæ numerat per calculos.

Algebraïca autem Arithmetica, siue Algebra 56
deinde pariter diuiditur in Prostaphæreticam, & Geometricam seu Cossicam. Quarum prior agit de operationibus numerorum in genere per signa, & id est plus, & minus, eos scilicet provt talibus, signis affectis numerando, addendo, subtrahendo, multiplicando, & diuidendo. Posterior autem agit de numeris Cossicis: hoc est planis, solidis, surdis, deque eorum radicibus, vel realibus, vel ineffabilibus: quæ quidem vniuersas figuras Geometricas & linearum potestates per numeros explanat. Diuidique potest in Realem, agentem de numeris planis, & solidis habentibus veras radices, vt quadratis, cubis; &c. & fictam, quæ agit de numeris surdis, seu irrationalibus, qui non habent veras radices, inquitens earum loco quam proximum illis numerum potest; & mixtam ex vtraque.

Geometria est, quæ tractat de quantitate con- 57
tinuâ extensâ, cum præcisione etiam seu abstractione ab omni materiâ saltem sensibili. Diuiditurque primo pro triplici quantitatis, quam habet pro obiecto, dimensione, longa scilicet, lata, & solida, in Longimetriam agentem de lineis; Planimetriam agentem de areis seu superficiebus; & Stereometriam agentem de corporibus, seu quantis solidis. Rursus autem prima in Rectilinearem tractantem de lineis rectis, & Curuilinearem tractantem de lineis curuis diuidi potest. Secunda pro figurarum planarum diuersitate, de quibus agit, in Cyclometriam tractantem de circulis, Trigonometriam de triangulis, Trapeziometriam de trapeziis, &c. Tertia denique penes figurarum solidarum, de quibus agit, diuersitatem in Sphærometriam tractantem de Sphæra, Conometriam de cono, Cylindrometriam de Cylindro, &c. 58

Cosmographia est, quæ agit de quantitate integri mundi ex Cœlis, & elementis, cum mixtis in eis inclusis, compositi: cuius tres partes numerantur, Geographia, quæ terras tum inter se comparatas, tum ad Cœlos relatas vniuersaliter describit: Hydrographia, quæ pariter describit maria: & Vranographia, quæ cœlorum motuumque eorum quantitatem considerat. Quibus Meteorographia est addenda, pro quantitate Aëris, aut etiam ignis elementaris (si datur) à terra vsque ad æthera extensa. Rursus verò Geographia diuiditur in Chorographiam, quæ maiora metitur loca, vt regiones, prouincias, insulas, &c. Et Topographiam, quæ minora, vt vrbes, portus, castra, templa, &c. quo etiam pacto Hydrographia, aut

etiam

etiam Vranographia, Meteorographiáque diuidi possit. Quibus adde Geodæsiam, quæ Planimatria quædam practica Agrimensorum propria est. Aliqui ponunt sub Vranographia Astronomiam, & Astrologiam prædictiuam; sed non satis bene. Quia licet secunda supponat primam, & ipsi subalternetur quodammodo, propriè tamen ad Mathematicam agentem de quantitate non pertinet, sed ad Physicam narratiuam, quâ parte prædictiua est effectuum ex causis. Ob id de Astrologia prædictiua diximus *diuis.* 7. Modoque Vranographiam pro eadem sumimus ac Astronomiam. Quæ quidem primo diuiditur in Sphæricam considerantem totam Sphęram Cœlestem, cum suis Circulis & motibus: & Theoricam complectentem septem planetarum theorias, seu speculationes speciales: lunæ videlicet, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, & Saturni. Sphærica autem rursus penes diuersa media, quibus iuuatur ad contemplandam sphæram cœlestem, diuiditur in Dioptricam ætherea phænomena obseruantem, per instrumenta Dioptrica; qualia dicuntur omnia visualia, siue adiuuantia visum, Planisphericam vtentem Planisphæriis, siue Astrolabiis, vbi sphæra ipsa in planum proiecta descriptaque visitur; idque vel orthographicè vel scenographicè, vel stereographice, iuxta dicenda postmodum: & Stereosphæricam vtentem globis arte factis, eandem sphæram referentibus siue repræsentantibus. Theoricæ autem Astronomiæ computistica subalternatur, quæ tres potissimè conficit computos Astronomicum scilicet, Politicum, & Ecclesiasticum.

59 Musica est, quæ quantitatem discretam soni, atque adeo proportionalem eius harmoniam considerat, ad praxinque reducit; quo titulo duplex in primis est; Theorica, & Practica, vtraque autem rursus penes sonorum diuersitatem in Vocalem, scnos naturalium vocum moderantem; & Organicam moderantem sonos instrumentorum diuidi potest Et secunda iterum in Flatricem pro sonis qui flatu, & Pulsatricem pro sonis qui pulsu instrumenti excitantur: ad ista namque duo genera reducuntur omnia instrumenta musica.

60 Optica est, quæ circa quantitatem specierum, siue radiorum visualium versatur. Diuiditurque primum in Perspectiuam; quæ optica etiam (strictiùs sumpto hoc nomine) dicitur; & de radiis directis agit: & Catoptricam, quæ agit de radiis reflexis; atque adeo de speculis Planis, Cõuexis & Concauis, Cylindricis, Conicis, Prismaticis, &c. Et Dioptricam, quæ agit de radiis refractis in aqua, nubibus (vbi deinde) Conspicilis, Telescopiis, Microscopiis, Vitris causticis, &c. quibus adde Diacatoptricam comparatem radios reflexos atque refractos interse. His omnibus subalternatur Prospectiua agés de variis proiectionibus & descriptionibus, quæ in varias speciis seu partes diuidenda venit. Quarum prima est orthographia, quæ rem describit vti apparet oculo infinitè distanti. Secunda est scenographia; quæ rem describit vti apparet oculo finite distanti, Tertia est stereographia, quæ rem describit; vti apparet oculo contiguo ipsi rei, & totam eius soliditatem veluti Diaphanam penetranti. Quarta est Sciographia, quæ rudibus lineamentis totam rei figuram in plano adumbrat. Quinta est Ichnographia à quâ describuntur fundamenta ædificij superstruendi. Vnde Sciographia, & Ichnographia magis ad Architectos pertinent, quàm ad Opticos. Orthographia vero, & Scenographia ad vtrosque pertinent, sed diuersis modis. Nam apud Opticos scientias significant, quæ versantur circa proiectiones rei prospectæ descriptas in plano postposito, provt apparentes in ipso plano oculo distanti infinite, aut distanti finitè. Apud Architectos verò orthographia scientiam significat delineantem aduersam frontem ædificij; & Scenographia importat insuper descriptionem abscedentium laterum; ideoque perfectior est, quam Orthographia. Stereographia autem ad solos Opticos, non item ad Architectos pertinet: quia soli proiectioni corporis inspecti describendæ in plano postposito potest seruire. Ex quibus patet, alias esse Orthographiam, Scenographiamque Opticorum, & alias Architectorum.

Mechanica ea scientia est, quæ ponderis, & 61
impulsus, atque adeo etiam motus ex eis oriundi quantitatem pro obiecto habet. Diuidi autem potest primo in Liberalem, quæ maiori ex parte est intellectualis, & discursiua, aut nobilioris conditionis; & Illiberalem, quæ maiori ex parte est manuaria, & inferioris notæ: quarum vtraque plures sub se comprehendit partes, & Artes. Ad Liberalem enim spectare in primis videntur Statica, Bellica, Nautica, Venatica, Lusoria, Gymnastica, Pictura, Statuaria, & Architectura. Ad Illiberalem verò Typographia, Fabrilis, Lanifica, Linifica, Serica, Textoria, Acupictoria, Sartoria, Sutoria, & aliæ huiusmodi.

Porro Statica, quæ Mechanicæ pars est potissi- 61
ma, vtpotè mensurandæ quantitati ponderum, impulsuum, & motuum potissimè incumbens, varias, & ipsa partes habet in quas subdiuiditur, penes diuersitatem scilicet tum potestarum, tum mediorum, circa quæ versatur. Prima est Centrobaryca agens de centro grauitatis; ad quam reducitur Isorrhopostatica, de æquiponderantibus agens, quæ secunda nihilominus dici potest. Tertia est Zygostatica, tractans de librâ. Quarta Machlostatica, de vecte. Quinta Trochlostastica, de Trochleâ. Sexta Cochleostastica, de cochleâ. Septima Sphenostastica, de cuneo. Octaua Polymechanostastica, agens de variis harum machinarum coniunctionibus, seu mixtionibus. Nona est Hydrostatica, agens de corporibus provt in aqua, in quouisve humido vniuersè: cuius duæ sunt partes; altera de natantibus in humido dicta Bareocolymbia; altera de iis quæ in humido mergũntur, cuius nomen est Bareodysia. Decima est Aëriostatica, agens de corporibus provt in aëre. Vndecima Pyrostatica, agens de corporibus provt in igne. Duodecima Polymesostatica, agens de corporibus provt in diuersis mediis. Decima tertia est Hydatholcia, tractans de aquis attrahendis, & aquæductibus. Decima quarta est Automatica, agens de iis quæ per se moueri videntur, vt horlogia machinalia, & cætera huiusmodi. Bellica est ars, quæ tractat de omnibus, quæ pertinent ad bellum. Diuiditur primo in marinam, agentem de bello provt in mari; & terrestrem, agentem de bello provt in terra. vtraque autem partes habet, Fortificationem, docentem fortificare quæuis loca pro defensione; Castrametationem docentem ordinare exercitum; Poliorceticam docentem obsidere contrarium, & Tormentariam machinarum bellicarum pro offensione factricem, gubernatricemque. Nautica est ars nauigandi. Diuidi potest in Nauificam, docentem fabricare, & instruere naues, quò idoneæ sint ad nauigationem: & Nauigeram, docentem illas tutò per maria ducere. Venatica est

est ars venandi ; est triplex, Ferina, quæ docet animalia agrestia terrestriaque seu viua, seu occisa capere : Aucupium, quod docet pariter capere aues non eicutes : & Piscatura, quæ docet similiter capere pisces quorumuis generum Lusoria est ars ludendi quouis ludorum genere : vnde in tot partes diuidi potest, quot genera sunt ludorum diuersa. Ludi autem penes instrumenta, cum quibus luditur distingui possunt in ludos Alearum, Foliorum, Acierum, Pilarum, Globorum, &c. Quibus adde ludum Præstigiarum docentem tanta manuum, aliorumve instrumentorum subtilitate quædam mouere siue tractare, vt circumstantium oculis aliud appareat ab eo quod re verâ est. Gymnastica disciplina quædam est exercitationis : sub quâ poni possunt Equestris, Pugillaris, Collimatoria, Saltatoria, Cursoria, & aliæ huiusmodi. Pictura pingere in plano docet. Statuaria solidas statuas conficere : idque aut sculptura, quo pacto dicitur sculptoria, aut fusione, quo pacto fusoria appellatur. Architectura denique ædificandi est ars : diuidique potest in Idealem, docentem delineare siue describere ædificia ; idque vel orthographicè, vel scenographicè, vel ichnographicè, iuxta dicta *numero sexagesimo*. Et Realem docentem ædificia ipsa construere. Rursusque vnaquæque diuiditur penes diuersitatem ædificiorum, quorum formam præscribit, in Gothicam, & Romanam. Cuius postremæ ordines sunt Toscanus, Doricus, Ionicus, Corinthius, & ex eis Compositus

63 Iam verò Typographia in imprimendis libris distenta est. Fabrilis opera artificiosa docet componere ex variis materiis : à quarum diuersitate alia Æraria, alia Auraria, alia Argentaria, alia Ferraria, &c. Lanifica lanam laborare docet, Lanifica linum, Serica sericum. Textoria texit, Acupictoria acu pingit, Sartoria vestit, Sutoria calceat, &c. Præter eas, quas *supra diuis.* 3. posuimus, & cum his numerari possunt : præter aliasque innumeras huiusce generis, quas relinquimus.

64 Chronometria denique ea scientia est, quæ temporis quantitatem metitur, quod præstat per horologia tum Solaria, aut etiam Lunaria (quoad quam partem cæteris nobiliorem Gnomonica dicitur,) tum Rotata ; tum Arenaria, tum Aquaria, tum cætera cuiusuis generis.

65 Modo, vt omnes humanæ scientiæ in hac quæstione recensitæ vnico, veluti obturu inspectæ, faciliùs comprehendi possint, schemate propositas dabimus, quod quia non capit vnica pagina in octo partes diuidemus, vt sequitur, penes totidem diuisiones scientiarum præmissas.

SCHEMA

SCHEMA OMNIVM SCIENTIARVM humanarum, in octo partes distributum, penes totidem ipsarum scientiarum diuisiones in præsenti quæstione traditas.

SCHEMATIS SCIENTIARVM

Pars I.



SCHEMATIS

SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars II.



SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars III.



SCHEMATIS

SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars IV.



SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars V.



SCHEMATIS

SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars VI.



SCHEMATIS SCIENTIARVM Pars VII.



SCHEMATIS

SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars VIII.



SCHEMATIS SCIENTIARVM
Pars VIII. prosequitur.



DISPVTA

DISPVTATIO XXII.

De accidentibus humanarum Scientiarum earumdemque obiectorum provt. talium.

1 DIcimvs scientiarum & obiectorum accidentia (latè hoc nomine sūpto) quæcumque de eis prædicantur, adiiciendo quidpiam supra subiectum vel physicè, vel metaphysicè, seu per rationem nostram, iuxta diuisionem prædicatorum accidentalium & essentialium traditam *supra disp. 17. quæst. 7.* atque ita de huiusmodi prædicatis scientiarum humanarum in *præsenti disp.* tractandum est. Sumimus autem scientiam humanam, quemadmodum in præcedentibus, latissimè pro quouis humano iudicio ac iudiciorum aggregato, vnà cum simplicibus apprehensionibus iudiciis ipsis subseruientibus. Quæ quidem scientia actualis est, de quâ solùm agimus provt præsens institutum exposcit. De habituali quippe actuali correspondente ferè nihil amplius oportet scire impræsentiarum quam quòd est habitus quidam, siue facilitas per repetitionem actuum ipsius actualis scientiæ genita in intellectu, & ipsum ad similes actus faciliùs eliciendos adiuuans.

QVÆSTIO PRIMA.

Quâ ratione intellectus humanus acquirat Scientiam.

2 SVppono primò, ex doctrinâ cum Arist. ex fere omnibus Catholicis contra Platonem eiusque Assecias statuta *supr. disp. 1. q. 1. propos.* 1. Scientiam humanā neutiquam esse à naturâ, aut à Deo inditâ infusamve hominibus à principio: sed quæcumque ab ipsis humanitùs sciuntur, per species successu temporis sensuum ministerio acquisitas, perque vim, quam habent intelligendi, talibusque speciebus vtendi ab eorum intellectu indistinctam sciri. Vnde homines ne habitum quidem vllum humanarum scientiarum, ab intellectu distinctum accipiunt à Deo, quando creantur. Quidquid nouissimè annuens Platonicis arbitretur Lalemander *tom. 1. decis. Philos. disp. 10. Partit. 1.* multas pro se rationes afferens referensque ex Platonicis, præsertim ex Marsilio Ficino *lib. 11. Platonicæ Theol. cap. 7.* Etenim pro omnibus ab experientiâ petitis, quæ eiusmodi habitui tribuuntur, vis intelligendi, quam intellectus à se indistinctam habet, vnà cum speciebus per sensus haustis, quibus iuuatur, sufficientissima est. Videatur si placet Vallius noster latè ad rem differens *in logicâ lib. 2. post. disp. 4.*

3 Suppono secundò, ex doctrinâ datâ *disp. 2. q. 4.* de modo indicandi nostro, sæpéque aliàs in hoc opere repetitâ, omne obiectum ab hominibus scibile, atque adeo iudicabile pro statu præsente propositionem esse obiectiuam constantem duobus saltem terminis, & plerumque tribus; subiecto videlicet significabile per nomen, & actu significabili per verbum, & termino talis actus per nomen item vt plurimùm, aut etiam interdum per verbum significabile, ex quo patet omnem scientiam humanam de huiusmodi propositionibus obiectiuis esse.

Suppono tertiò, ex dictis latiùs *disp. 19. q. 8.* 4 omnem propositionem obiectiuam humanitùs scibilem aut per se citra discursum, aut per aliud medio discursu, aut vtroque modo scibilem, siue iudicabilem esse. Propositionum autem per se scibilium alias tales esse vi cōnexionis immediatæ subiecti cū prædicato ab intellectu perceptibilis, alias vi experientiæ, sub quam cadit earum obiectiua realitas. Propositiones verò per aliud scibiles idcirco tales esse; quia aliud cum eis connexum provt tale præscibile ab intellectu est, iudiciumque de connexo, provt tali ad iudicium de termino connexionis valet intellectum determinare: vnde patet, quænam propositiones vtroque modo scibiles sint. Quænam autem propositiones ex scibilibus per se sint tales vi connexionis immediatæ subiecti cum prædicato, citra experientiam, & quænam sint tales vi experientiæ citra huiusmodi connexionem ex *q. citatâ* petendum, ac supponendum est.

Suppono quartò bifariam posse homniem assequi iudicium seu scientiam alicuius obiectiuæ propositionis. Primò absque adiutorio, secundò cum adiutorio Magistri docentis ipsum talem propositionem; idque siue propositio sit ex per se scibilibus, vel vi immediatę connexionis terminorum, vel vi experientiæ; siue ex scibilibus per aliud; siue ex scibilibus per se, & per aliud. Assequitur homo absque adiutorio Magistri scientiam propositionis per se scibilis, vi connexionis immediatæ terminorum, quando vel fortuitò, vel ex industriâ atque adeo liberè iuxta dicta *disp. 7* in tales eiusmodi terminorum apprehensiones cadit, quæ valent per se procreare talis propositionis iudicium, siue independenter, siue dependenter ab arbitrio concursuve voluntatis, iuxta dicta *ibidem.* Assequitur homo absque adiutorio Magistri scientiam propositionis per se scibilis vi experientiæ; quando eius realitas vel fortuitò, vel ex industriâ sub talem alicuius sensus, alteriusve potentiæ experientiam cadit, quæ in talis propositionis iudicium valet intellectum inducere: idque itidem vel independenter, vel dependenter à voluntate. Quænam autem realitates sub experientiam tum sensuum, tum potentiarum aliarum hominis cadant, ex dictis *disp. 1. quæst. 2.* sæpéque aliàs tactis constat. Assequitur denique homo absque adiutorio Magistri scientiam propositionis per aliud noscibilis, quando indicans aliud provt connexum cum illa, inde ad illam iudicandam determinatur seu mouetur: idque etiam seu concurrente, seu non concurrente voluntate iuxta dicta *disp. 7. citatâ*, ex quibus patet quomodo possit homo assequi absque Magistri adiutorio scientiam propositionis scibilis per se, & per aliud.

Cum adiutorio autem Magistri docentis pro- 6 positionem aliquam cuiusuis ex prædictis generibus tunc eam assequitur homo, quando per talem doctrinam ad illam iudicandam inducitur. Magister autem homo non aliter docere potest propositionem aliquam, quam significando illam provt à se iudicatam per verba, aut per alia signa externa siue prolata, siue scripta, iuxta dicta de huiusmodi signorum significatione *disp. 8. q. 2.*

Quo

Quorum signorum significationem debet propterea discipulus præscire, seu præ cognoscere vt per illam in conceptus tum obiectiuos, tum formales à magistro significatos *ibidem* dicta possit incidere. Bifariam autem potest discipulus mediâ doctrinâ Magistri siue prolatâ siue scriptâ venire in notitiam iudicatiuam, seu scientiam propositionis obiectiuæ. Primò, quia per talem doctrinam inducitur ad concipienda fundamenta idonea ad illam iudicandam; ex quibus semel conceptis determinatur ipse ad iudicium: secundò, quia independenter ab aliis fundamentis per testimonium, auctoritatemque Magistri præcisè ad iudicandam permouetur propositionem traditam. Potest autem ad eam iudicandam etiam vtroque ex capite simul moueri, nempe & ex fundamentis mediâ doctrinâ partis, & ex Magistri auctoritate. Porro fundamenta idonea ad iudicandam propositionem obiectiuam in vniuersum, aut sunt ipsius termini ritè & provt ad iudicium requiritur apprehensi, quando ea est ex per se noscibilibus, aut est antecedens aliquod præiudicatum provt connexum cum illâ, quando ea est ex noscibilibus per aliud, quale esse inter cætera solet auctoritas illam testificantis. Quare fundamentum idoneum ad propositionem obiectiuam iudicandam in extrinsecum & intrinsecum diuidi solet; ita quod extrinsecum dicatur auctoritas ipsam testificantis, intrinsecum autem quodlibet aliud. De quo plura diximus *supra disputatione sexta, & septima*, quæ ad rem recolenda. Iudicare autem propositionem ob testimonium auctoritatemve illam testificantis fide illam credere est, vt constat.

7 Et quod dicimus de propositione obiectiuâ, in quam tendit iudicium, pariter venit intelligendum de illatione obiectiuâ cui nititur discursus, hoc est de connexione antecedentis cum consequente, quam tacitè saltem iudicat qui secundum infert ex primo; vti *disputatione secunda, quæstione quinta*, sæpéque *alibi* docuimus: quæque subinde propositio obiectiua est, seu potius propositionem obiectiuam cum ipso antecedente, cui attribuitur, componit; Atque adeo perinde, ac aliæ obiectiuæ propositiones tum per se, tum per aliud, tum per intrinseca, tum per extrinseca fundamenta scibilis, seu iudicabilis esse potest. His positis sit.

Propositio 1.

8 Omnis scientia humana in suâ acquisitione à ministerio sensuum dependet proximè vel remotè.

Quatenus omnia quæ ab hominibus pro præsente statu sciuntur mediis speciebus obiectorum sensibilium per sensus haustis intellectuique communicatis sciuntur; provt latè expositum est *supra, disputatione prima*. Quomodo autem per species proprias sensibilium obiectorum cætera omnia obiecta scibilia, respectu quorum sunt illæ alienæ, ab hominibus cognoscantur, atque adeo sciantur, *disp. 2. quæst. 3.* ex professo explicatum est, & sæpè alias obiter in toto hoc opere repetitum.

9 Semel tamen acquisitis ab intellectu humano sensuum ministerio speciebus sensibilium obiectorum, multa vtens illis scire potest homo independenter ab aliquâ nouâ experientiâ; vt patet in eo qui visum amisit, & per species visibilium rerum, quas antea acquisierat, multa, nihil iam videns, cognoscit. Et quidem omnis scientia Metaphysica, quam de rebus provt in statu quiditatiuo præscindente ab existentia in dies acquirimus, etsi absque speciebus, quæ primitùs ministerio sensuum intrarunt in animam, acquiri non posset; attamen propriè loquendo ab experientiâ non dependet. Quia ea tantum scientia, loquendo propriè, dicitur ab experientiâ dependere, quæ vel est experimentale iudicium de re sub experientiam ipsam cadente, ex apprehensionibus experimentalibus terminorum citra discursum natum: qualia sunt principia formalia omnis scientiæ Physicæ. Vel est iudicium medio discursu ex alio, aut aliis eiusmodi experimentalibus oriundum, qualia sunt omnis scientiæ physicæ formales conclusiones, iuxta diuisionem traditam *disput. 21. quæst. 2.* & sæpe alibi in præcedentibus tactam scientiarum metaphysicarum, & Physicarum. Scientiæ quippe nullo ex his modis per experientiam, siue mediâ experientiâ genitæ non dicuntur, propriè loquendo, ab experientiâ dependere; etsi dependeant ab speciebus sensibilium rerum, quæ per experimentales sensiones acquisitæ primitus fuerunt. Vnde apparet non omnem scientiam humanam dependere ab experientiâ, loquendo propriè; tametsi à nonnullis loquentibus minus propriè dependere dicatur, quia dependet ab speciebus, quæ suam ab experimentalibus sensionibus trahunt originem.

Propositio 2.

Iudicium humanum de propositione per aliud 10
notâ, absque præsuppositio iudicio de propositione per se notâ, stare non potest: hoc tamen sine illo stare, nihil est, quod prohibeat.

Est certissimum. Quia cum propositio per aliud nota dicatur ea, quæ ex alio quopiam prius iudicato tamquam ex antecedente infertur per discursum, necessum planè est, vt iudicium de propositione per aliud notâ conclusio sit supponens iudicium de antecedente, ex quo illa infertur. Cumque series iudiciorum præcedentium, & subsequentium versus partem præcedentium in infinitum nequeat extendi; eò quòd intellectus non potest non illam ab aliquo iudicio primo inchoare, vt est notissimum: iudicium quæ primum nullum aliud supponens, eo ipso sit iudicium de propositione, non per aliud atque ad eo per se notâ; vt planè etiam constat. Concluditur tandem iudicium de propositione per aliud notâ, absque iudicio præsuppositio proximè, vel remotè de propositione per se notâ, stare non posse. Quæ erat pars prima propositionis. Secunda autem inde apparet: quia manifestè fieri potest, sæpéque de facto contingit, vt intellectus propositionem iudicet per se notam ex ipsis terminis apprehensis, ibique sistat nullam aliam ex illâ vlteriùs inferendo, seu iudicando.

Ex hac propositione sequitur. Omnem scien- 11
tiam humanam in aggregato iudiciorum consistentem, iuxta dicta *disputatione 21.* eo ipso quòd constet ex iudiciis de propositionibus per aliud notis, necessariò debere etiam constare ex aliquo, aut aliquibus iudiciis de propositionibus per se notis: non tamen è conuerso debere constare ex aliquo, aut aliquibus iudiciis de propositionibus per aliud notis, eo ipso quòd constet ex iudiciis de propositionibus per se notis.

Et quoniam in scientiis humanis iudicia de pro- 12
positionibus per se notis principia formalia, ipsæ verò pro

propositiones principia obiectiua dicuntur, eo quod ab illis, & scientiæ inchoantur, & iudicia subsequentia nascuntur. Iudicia verò de propositionibus per aliud notis conclusiones formales, ipsæque propositiones conclusiones obiectiuæ appellantur. Sequitur rursus omnem scientiam humanam ex conclusionibus constantem necessariò etiam debere constare ex principiis; non tamen è conuerso.

13 Tot autem differentiæ sunt principiorum humanarum scientiarum, quot sunt differentiæ propositionum per se notarum, seu per se noscibilium, de quibus satis diximus *suprà disputat. 19. quæst. 8.* Atque adeo, cæteris inde suppositis, duæ dumtaxat in præsenti notandæ sunt. Principiorum scilicet, quæ prædicant definitionem de definito, & principiorum, quæ de subiecto prædicant quidpiam aliud. Quarum priora explicationes quædam sunt terminorum vniuscuiusque scientiæ, in omnique scientiâ subinde præmitti debent, atque etiam solèt; definitionésque absolutè appellantur appellatione mutuâ à prædicato, quod in se continent. Ex posterioribus autem, est. ea potissimùm quæ prædicant cum euidentiâ Passionem aliquam immediatam de essentiâ, Axiomata, seu Pronuntiata nuncupari soleant: nos tamen omnia compendij causâ sic nuncupabimus deinceps diuidentes adæquatè principia scientiarum in definitiones, & Axiomata seu Pronuntiata.

Propositio 3.

14 Multæ obiectiuæ propositiones scibiles sunt ab vno homine, quæ non sunt scibiles ab altero per fundamenta intrinseca. Nulla tamen est propositio scibilis ab vno homine, quæ non sit scibilis ab altero per fundamenta extrinseca.

Prior pars propositionis inde constat apertè. Quia actus interni prorsus secreti vnius hominis sub ipsius experientiam, atque adeo scientiam cadentes nullatenus per fundamenta intrinseca possunt innotescere alteri: quia nullum datur fundamentum intrinsecum valens ipsos alteri homini manifestare. Aliàs non essent prorsus secreti, vt ponimus. Dari autem re verâ multos huiusmodi actus secretos, indubitatum est. Euentus etiam singulares contingentes in vno tempore, neque aliter quam mediâ experientia hominum existentium in eodem tempore per fundamenta intrinseca noscibiles (quales innumeros in singulis temporibus dari indubitatum est) aliis hominibus in eodem tempore non existentibus, sed tantùm, vel in præterito, vel in futuro, neutiquam per fundamenta intrinseca innotescere possunt. Innumeræ denique propositiones sunt obiectiuæ, tum ex per se noscibilibus tum ex per aliud, quas homines actioris ingenij, perspicacioríque, aut etiam magis exculti intellectus per fundamenta extrinseca assequi possunt, sæpéque de facto assequuntur. Quas tamen pariter per fundamenta intrinseca nequaquam alij homines possunt assequi, qui hebetiori ingenio, ac minùs perspicaci, aut etiam rudiori, seu minùs exculto intellectu prædicti sunt.

15 Posterior autem propositionis pars inde monstratur. Quia nemo est quamlibet sciens propositionem, qui non possit eam per signa externa siue prolata, siue scripta ita notificare alteri, vt hic ad eam credendam atque adeo sciendam per extrinsecam auctoritatem notificantis permoueri possit. Quod ipsum est, nullam esse propositionem scibilem ab vno homine, quæ ab altero per fundamenta extrinseca non sit scibilis.

Ex hac propositione infertur. Etsi sint multæ 16
propositiones obiectiuæ per aliud noscibiles, quæ nullo modo per se noscibiles sunt ab hominibus; eo quòd nec habent subiectum cum prædicato vllo modo connexum, nec vllo modo sub experientiam hominum cadere possunt, provt ad id opus erat; iuxta dicta *disp. 19. q. 8.* nullam tamen esse propositionem obiectiuam per se noscibilem ab hominibus, quæ non sit etiam per aliud noscibilis, per extrinsecam scilicet auctoritatem eius, qui potest illam ex terminis noscere; & semel notam aliis per signa notificare. Alia quæ in hac *q.* possunt adiungi, opportuniùs dicentur in sequentibus.

QVÆSTIO II.

Qualiter obiecta scibilia sint inter se ordinata. Et quo ordine possint illa cadere sub scientiam humanam.

SErmo est de propositionibus obiectiuis, quales 17
sunt omnia obiecta scibilia humanitùs, iuxta dicta *q. 1.* Suppono autem primò totam doctrinam de connexione oppositionéque rerum in vniuersum traditam *suprà disp. 14.* necnon quam de connexione oppositionéque propositionum dedimus *disp. 19.*

Suppono secundò ex dictis *disp. 2. q. 5.* sæpéque 18
aliàs repetitis, omnem discursum humanum, quo ex vnâ vel pluribus propositionibus aliam inferimus, in connexione antecedentis cum consequenti fundari. Quamquam enim ad inferendum negatiuè possit intellectus, aut etiam sæpe soleat induci per oppositionem eius quod adstruitur in antecedente cum eo, quod negatur in consequente. Quia tamen nequit non esse connexum cum negatione id quod opponitur rei negatæ, negatióque suo modo adstructa per conclusionem negatiuam, potiùs quam res negata, est consequens illatum ex antecedente; ideo vniuersaliter dicimus, sicut & aliàs sæpe diximus; omnem discursum humanum in connexione antecedentis, cum consequenti fundari: tam quando cons. quens negatiuum, quam quando potissimum est. Itaque fundamentum ad inferendum consequens, seu positiuum, seu negatiuum vniuersaliter est connexio antecedentis seu positiui, seu negatiui cum consequenti ipso.

Suppono tertiò ex demonstratis *disp. 17. q. 18.* 19
consectar. 2. & sequent. ex quauis essentiâ in infinitum porrigi multas progressiones siue series passionum tum propriarum, tum communium, tum vtrarumque in quarum serierum vnaquaque essentia cum primâ passione, prima autem passio cum secundâ, secunda cum tertiâ, tertia cum quartâ, & ita deinceps sine termino connexæ sunt connexione immediatâ. Quo fit vt singulæ cum reliquis, præter sibi immediatam, mediatè connectantur; eoque magis, aut minùs mediatè, quò sunt plures, aut pauciores, quæ mediant. Huiusmodi autem progressionum, siue serierum aliquæ sunt solarum proprietatum, aliquæ solarum passionum communium, aliquæ vtrarumque mixtim. Quæ mixtio variis modis potest accidere, ita tamen quidem, vt cùm primùm in quauis serie occurrit aliqua passio communis respectu essentiæ sibi immediatè præcedentis, nec possit non esse illa etiam passio communis respectu omnium præcedentium

tium essentiarum vsque ad primam radicalem, à quâ incipit series; nec possint non cæteræ omnes post illam sequutæ, respectu earumdem essentiarum, esse itidem passiones communes: tametsi quælibet earum, respectu essentiæ sibi immediatè præcedentis, sit passio propria, siue proprietas. Quemadmodum autem essentia radicalis, seu prima prioritate quadam originis saltem Metaphysicâ, prior est passionibus tum propriis, tum communibus, cum quibus connectitur: ita & passiones ipsæ similiter priores sunt illis, cum quibus connectuntur, & posteriores illis, quarum terminant connexionem prioritate, posterioritatéque originis saltem Metaphysicâ: eaque aut immediatâ, aut mediatâ pro ratione connexionis quàm habent, vel terminant aut immediatam, aut mediatam. Et passiones quidem propriæ cum quidditate essentiarum præcedentium, quarum sunt propriæ, vicissim connectuntur: passiones verò communes non item. Quæ omnia *loco citato* tum demonstrata, tum explicata latiùs sunt.

20 Ex quibus patet, quomodo ex principiis vniuersalibus per se notis, vi connexionis subiecti cum prædicato, & positis pro antecedente, tanquam ex quibusdam essentiis radicalibus siue primis, in infinitum porrigantur multæ series consequentium tanquam passionum; ita vt in vnaquáque earũ primum antecedens cum primo consequente, & hoc cum secundo, & hoc cum tertio, &ita deinceps sine fine immediatè connexa sint. Vnde singulorum rursus resultant connexiones mediatæ. In hisce quippe seriebus à dictis principiis vniuersalibus exordientibus: semper continetur in consequente passio aliqua propria, aut communis essentiæ contentæ in antecedente; eodemque pacto subinde veniunt illæ demonstrandæ infinitæ; ac demonstratæ sunt infinitæ *loco citato* series talium passionum. Et sicut in seriebus illis passiones, quæ connectũtur, priores sunt secundum originem saltem Metaphysicam iis, quæ ipsarum terminant connexionem; ita in his antecedentia connexa consequentibus, cum quibus connectuntur, simili prioritate priora sunt. Series tamen consequentium, exordientes à principiis singularibus per se notis, ex vi experientiæ plerumque non incipiunt ab essentiis radicalibus versus passiones, quia plerumque incipiunt ab effectibus versus causas, & causæ nõ sunt passiones effectuum, sed potius è conuerso; atque adeo neque incipiunt à prioribus versus posteriora, sed vice versâ Cæterùm quia postquam intellectus ex effectibus tanquam ex principiis experimentalibus venit in cognitionem causarum, potest deinde ex essentiis causarum pergere ad inquirendum earum passiones, quarum series, iuxta dicta, sicut & aliarum essentiarum, infinitæ sunt; idcirco series etiam consequentium à principiis singularibus experimentalibusque exordientes in infinitum porrigi possunt, vel incipiendo à posteriori ab effectibus versus causas, & progrediendo à priori à causis versus earum passiones, vel incipiendo & progrediendo à priori à rebus sub experientiam cadentibus versus earumdem passiones, omissis causis, vt fieri etiam potest, & solet.

21 Suppono quartò. Connexionem mediatam siue vnius termini cum alio, siue vnius propositionis cum aliâ, siue vnius antecedentis cum vno consequente (quæ omnes connexiones mediatæ vnius essentiæ aut simplicis, aut complexæ cum aliâ veniunt etiam dicendæ) realiter identificari cum aggregato coalescente tum ex extremis, quæ mediate connecti dicuntur, tum ex mediis omnibus quæ interiacent, vt est notissimũ ex dictis *disp.* 14. Quocirca connexio mediata nullatenus ab intellectu deprehendi potest, vel scitu, non apprehensis, aut etiam deprehensis, vel scitis vnà cum extremis connexis omnibus dictis mediis, quæ interiacent. Vnde si sit series continua terminorum connexorum, A B B D E, & intellectus solùm apprehendat A & E, nequibit iudicare E prædicatum conuenire A subiecto, siue ei annecti vi connexionis, quam A re ipsâ habet cum E: sed oportebit, vt his omnibus terminis apprehensis, priùs iudicet B annexum esse ipsi A. & C. ipsi B. & D. ipsi C. & E ipsi D. indéque pergat ad iudicãdum E, de primo ad vltimum, vt aiunt, annexum esse ipsi A. Similiter si sit eadem series propositionum, aut antecedentium quorumuis, & consequentium, nequaquam potent intellectus ex iudicato A inferre E. cum quo A re ipsâ, mediatè tamen, connexum est: nisi inferendo priùs B. ex A, vi connexionis immediatæ, quam A habet cum B, paritérque C. ex B. & D. ex C. & E. ex D. quibus præillatis in promptu erit inferre ipsum E ex ipso A, ob connexionem mediatem huius cum illo per talem discursum deprehensam. Tantumdemque venit dicendum de oppositione mediata, qualis reperitur inter connexa cum vno ex extremis oppositis & altero, iuxta dicta *disp.* 14. *q.* 4. Quæ quidem oppositio mediata, sicut etiam identificatur realiter cum aggregato coalescente ex extremis mediatè oppositis, & mediis omnibus, quæ interiacent, ita etiam nisi his omnibus deprehensis, & notis neutiquam potest deprehendi, noscique ab intellectus

Suppono quintò. Quoties cumque vna propositio 22
vera est, eius oppositam, seu contradictoriè, seu contrariè necessariò esse falsam: quia duæ propositiones oppositæ quouis oppositionis genere non possunt esse simul veræ, vt constat ex doctrinâ statutâ *disp.* 19. Quoties cumque autem vna propositio falsa est, eius opposita necessariò est vera, si sunt oppositæ citra medium, vt sunt omnes contradictoriæ, & aliquæ contrariæ; secùs si sunt oppositæ cum admissione medij: quia illæ simul falsæ non possunt esse sicut hæ, iuxta dicta *ibidem*. Vnde qui scit duas propositiones esse oppositas, si sciat vnam esse veram, confestim scit alteram esse falsam: & si sciat vnam esse falsam confestim scit alteram esse veram, quando oppositio recusat medium, secùs quando illud admittit. Quoties verò vna propositio cum altera connexa est, si prima sit vera, secunda necessariò est vera; & si secunda sit falsa, prima necessariò est falsa; atque ita qui nescens eiusmodi connexionem scit primam esse veram, confestim scit secundam quoque veram esse: qui verò eandem connexionem nescens scit secundam esse falsam, confestim scit esse falsam & primam. Quæ constant etiam ex dictis *disp.* 19. *citata*. Tantumdémque venit dicendum de antecedente comparato cum consequente, quia antecedens, & consequens, duæ quædam propositiones sunt, vel complexæ, vel simpliciter, vt est notum.

Suppono sextò. Quâ ratione ex quouis antece- 23
dente infertur consequens, eâdem ex contradictorio consequentis inferri contradictorium antecedentis, propter inuersam connexionem, quam extremorum connexorum contradictoria habent, de quâ *disp.* 14. *quæstione quarta*, & sæpe *alibi*. Vnde quando antecedens habet partes ex contradictorio consequentis, & vnâ ex partibus antecedentis infertur contradictorium residuæ, qua ratione ex antecedente infertur ipsum consequens, iuxta doctrinam statu

ſtatutam *diſp.* 20. *q.* 5. & 6. & quoniam ex quouis contrario conſequentis legitimè infertur contradictorium ipſius conſequentis: quia nequit vnum ex contrariis ſtare quin deſit alterum, vt conſtat: conficitur, vt, de primo ad vltimum, ex quouis contrario conſequentis inferatur etiam legitimè contradictorium antecedentis. Atque adeo etiam ex quouis contrario conſequentis vnà cum alterâ parte antecedentis compoſiti legitimè infertur contradictorium reſiduæ. Ex quouis verò contrario conſequentis licet inferatur legitimè, vt diximus, contradictorium antecedentis, non tamen infertur legitimè ipſius antecedentis quoduis contrarium; quia contrarium antecedentis contrarietate admittente medium bene poteſt ſimul deeſſe cum ipſo antecedente, vt conſtat, atque adeo ex eo quòd, ſtante contrario conſequentis, deſint tum conſequens, tum antecedens, non ſequitur debere ſtare contrarium antecedentis, poteſt namque deeſſe item, cùm contrarietas eius eſt ex admittentibus medium. Ex quibus patet ex falſitate conſequentis legitimè inferri falſitatem antecedentis, iuxta paulo ante dicta: nec non ex falſitate conſequentis & alterâ ex partibus antecedentis compoſiti falſitatem reſiduæ, quemadmodum ex veritate contradictorij conſequentis infertur legitimè veritas contradictorij antecedentis, necnon ex veritate contradictorij conſequentis, & vnâ ex partibus antecedentis compoſiti veritas contradictorij reſiduæ. Siquidem ex duobus quibuſuis extremis contradictoriè oppoſitis neceſſariò eſt alterum falſum, quando alterum eſt verum, & vice versâ. Quæ omnia tum ex ſe, tum ex dictis *locis citatis* notiſſima ſunt.

24 Suppono ſeptimò. Propoſitionem per aliud notam ſiue noſcibilè aut poſſe innoteſcere, ſeu probari, ſeu demonſtrari *oſtenſiuè*, inferendo ſcilicet eâ ex aliquo, vel aliquibus præiudicatis provt connexis cum illâ. Aut per *impoſſibile* inferendo ex eius contradictoria cõſequens falſum, quo falſitas talis cõtradictoriæ & conſequenter veritas propoſitionis, cui contradicit, comprobatur: iuxta dicta de hoc duplici demonſtrationum, ſiue argumentorum genere *ſuprà diſp.* 20. *q.* 11. Argumentatio autem ad probandam propoſitionem per aliud notam, ſiue ea ſit oſtenſiua, ſiue deducens ad impoſſibile, aut poteſt procedere à priori; vt quando pro antecedente ſumitur quid prius ad inferẽdum quid poſterius; aut à poſteriori, vt quando è conuerſo pro antecedente ſumitur quid poſterius ad inferendum quid prius; aut à ſimultaneo, vt quando antecedens, & conſequens ſimultanea ſunt iuxta dicta etiam de his argumentationum generibus *loco citato*. Aut poteſt procedere mixtè, vt quando cum ſit argumentatio complexa, aliam aut alias illationes habet à priori, aliam, aut alias à poſteriori, aliam, aut alias à ſimultaneo, &c. His poſitis ſit.

Propoſitio 1.

25 Principia obiectiua ſcientiarum quatenus talia abſque vllo ordine ſunt ſcibilia ab intellectu humano: ſiue ea inter ſe ordinem aliquem habeant re ipſa; ſiue ſecùs.

Quia vnumquodque eorum independenter à quouis alio ſcibile eſt, hoc ipſo quod titulo principij per ſe, & ex ſolis ſuis terminis apprehenſis ſcibile ſit.

26 Dico autem *quatenus talia*. Quia vt conſtat ex doctrina tradita *diſp.* 19. *q.* 8. eadem propoſitio obiectiua & per ſe, & per aliud ſcibilis eſſe poteſt. Eſt tamen principium dumtaxat quatenus ſcibilis per ſe. Quo pacto quoad ſuam ſcibilitatem nullum cum aliis principiis ordinem habet cum ſit potiùs obiectiua cõcluſio, quatenus ſcibilis per aliud: quo pacto ſubordinata eſt ei principio, ſiue iis principiis, aut etiam aliis propoſitionibus, per quę ſcibilis eſt.

Propoſitio 2.

Scientia de quauis omnino concluſione obiectiuâ quatenus tali, neceſſariò ſupponit ſcientiam de aliquo principio obiectiuo. 27

Hæc propoſitio in *propoſit.* 2. datam *q.* 1. recidit, eſtque certiſſima. Quia vel antecedens, ex quo immediatè infertur concluſio obiectiua titulo talis eſt quid per ſe notum, atque adeo principium obiectiuum vnum, aut multiplex: & ſic habetur intentum. Vel eſt quid notum per aliud; & ſic cum intellectus ab aliquo iudicio, aut ſimplici, aut complexo ex terminis habito, debeat neceſſariò inchoare diſcurſum ſuum, vt eſt notiſſimum. Tandem ad aliquod principium obiectiuum, aut ſimplex, aut complexum eſt deueniendum, à cuius ſcientiâ ducat originem ſcientia de concluſione obiectiuâ. Scientia ergo de concluſione obiectiuâ quatenus tali, neceſſariò ſupponit ſcientiam de aliquo principio obiectiuo. Dico autem *quatenus tali*: quia fieri poteſt, vt propoſitio obiectiua, quæ quatenus nota per aliud concluſio eſt, per ſe etiam noſcibilis ſit; quâ ratione ſi noſcatur, nullius principij ſcientiam ſupponet notitia eius, iuxta *propoſit.* 1.

Propoſitio 3.

Quando concluſio obiectiua non immediatam, ſed mediatam connexionem terminat principij obiectiui, per quod ſcitur, eius ſcientia non ſolum ſupponit ſcientiam de tali principio, ſed etiam ſcientiam de omnibus aliis concluſionibus obiectiuis, quæ interiacent. 28

Eſt etiam certum. Quia, cum connexio mediata principij obiectiui cum concluſione obiectiuâ non poſſit innoteſcere, ignotis mediis; iuxta *ſuppoſitionem quartam*; nec poterit principium ſciri, vt connexum cum concluſione, provt opus eſt, vt ſcientia principij in ſcientiam concluſionis influat; niſi & talia media ſciantur. Debent ergo illa vna cum principio præſciri ad hoc, vt concluſio ſciatur.

Ex hac propoſitione infertur. Quò remotior, ſeu magis mediata eſt connexio principij cum concluſione ſciendâ, eò plures propoſitiones præſciri debere; vt ea ſciatur. 29

Propoſitio 4.

Ex quauis omnino propoſitione obiectiuâ aliquæ aliæ poſſunt ab intellectu humano inferri immediatè. Mediatè autem aliæ, & aliæ & aliæ abſque vllo termino, ſeu fine ſunt inferibiles.

Quæ dico in hac propoſitione, & dicam in ſequẽtibus de propoſitionibus obiectiuis, pariter ſunt intelligenda de antecedentibus; & conſequentibus; etſi de illis ſub his nominibus ſermo non fiat; ſiquidem antecedentia, & conſequentia propoſitiones quædam ſunt, vel complexæ, vel ſimplices: propterea perinde ſit loqui de propoſitionibus obiectiuis inferentibus, & illatis, ac de antecedentibus & conſequentibus. Igitur prima pars propoſitionis noſtræ inde probanda venit. Quia, vt conſtat ex doctrina ſtatuta *ſuppoſitione tertia*, nulla eſt eſſentia in quauis propoſitione contenta, quæ multas propoſitiones ſibi immediatè annexas, atque adeo 30

ex se inferibiles immediatè non habeat. In quibus licet nonnullæ dentur, quæ de facto ab intellectu humano inferri non possint: (eo quòd connexiones immediatæ quas essentia cum illis habet adeo sunt abstrusæ, & occultæ, vt nequeant ab intellectu humano pro statu præsenti deprehendi, iuxta doctrinã tactam *supra disp.* 19. *q.* 8. ob id namque sunt aliquæ propositiones per se noscibiles secundum se, non verò quoad nos, vt *ibi* explicauimus) aliquæ tamen dantur proculdubio quæ possunt; vt experientia manifestat. Quia, vt quisque facilè poterit experiri, nulla est excogitabilis propositio obiectiua, aut simplex, aut cõplexa; ex qua immediatè nequeat ab intellectu humano aliquæ aliæ de facto inferri. Et quidem ex infinitis aliis comparationibus, quas quæuis essentia atq; adeo & quæuis propositio obiectiua cũ infinitis aliis terminis à se diuersis subire potest, iuxta doctrinã certissimã, quam supponimus: quis credat, fieri posse, vt nulla alia resultet propositio ab intellectu humano iudicabilis, atque adeo ex tali essentiâ, ex talive propositione antecedente inferibilis de facto? Quod si necesse est, vt aliquæ resultent tales, indistinctè loquendo, consequenter est necesse, vt resultét aliquæ immediatè tales: quia propositiones mediatè iudicabiles & inferibiles absque immediatè talibus dari non possunt, vt ex dictis in præcedentibus constat.

31 Secunda autem propositionis nostræ pars ex primâ sequitur manifestè. Quia si nulla est propositio obiectiua, siue ea sit prima siue secunda, siue quælibet alia cuiusuis seriei, ex quâ immediatè non possent aliquæ aliæ inferri; nulla vtique erit ex quâ mediatè non possint inferri infinitæ, vt est notissimum. Siquidem ex illatis quibusque aliæ, & ex his aliæ, & semper aliæ superfunt sine fine inferendæ.

Propositio 5.

23 Quotiescumque propositiones obiectiuæ sunt mutuò connexæ, mutuò etiam quæuis earum ex quauis inferibilis est, absolutè tamen vna per alterã, & hæc vicissim per illam scibiles esse non possunt.

Prior pars propositionis cernitur in serie solarum proprietatum, ab aliquâ essentiâ radicali suo ordine prodeuntium, & mutuò connexarum: vbi ex essentia proprietatis prima, & ex primâ proprietate secunda, & ex secundâ tertia, & ex tertiâ quarta, & ita deinceps procedendo sine fine inferuntur. Pariterque ex quauis proprietate totius seriei assumpta vicissim inferri potest, quæ immediatè præcedit, & ex hac alia immediatè præcedens, & ex hac alia, & ita semper retrocedendo, donec in essentiâ radicali discursus sistatur. Itaque si sint propositiones seriatim, & mutuò connexæ. ABCD. ex A. poterit inferri B & ex B C & ex C D. vicissimque ex D. poterit inferri C. & ex CB. & ex BA. Quas mutuas illationes in primis veluti hypotheticè, siue ex suppositione fieri posse, nihil est, quod prohibeat; iudicando scilicet esse, veram propositionem B ex factâ hypothesi, siue suppositione quòd vera sit propositio A. & vicissim iudicando esse veram propositionem A ex factâ hypothesi, siue suppositione quòd vera sit propositio B. Paritérque de cæteris. Deinde si A aliũde quã per B absolutè sciatur, & ex A ita præscitâ absolutè inferatur B, nihil erit quod vetet, ex B absolutè iudicatâ, vicissim & absolutè inferri ipsam A. tametsi hoc iudicium secundum de A virtute contineatur in primo de eadem; casu quod ex solo illo nascatur mediatè, vt supponimus suppoñentes ex illo solo nasci immediatè iudicium absolutum de B. Quo casu proinde iudicium secundum de A non magis intensiuè scitam reddet intellectui ipsam A. quàm erat per primum iudicium; sed quasi extensiuè dumtaxat veluti per quandam primij iudicij replicationem. Aliud erit, si B non solùm per A, ex quâ supponimus inferri, sed aliunde insuper sit iudicabilis absolutè: tum enim ex B per A simul, & aliunde iudicato absolutè eo iudicio inferetur vicissim A, quod reddat ipsam magis scitam intensiuè intellectui, quàm erat per primum: quia, præterquam ex fundamento primi, nascetur illud insuper ex fundamento peculiari iudicij de B.

Cæterùm inferri absolutè B ex A, & vicissim 33
A ex B, ita quod B aliunde quam per A, & A aliunde quam per B non sciantur absolutè, omninò impossibile est; vt fert posterior nostræ propositionis pars. Fieret enim inde, vt scientia absoluta de A esset simul prior, & posterior naturâ quam scientia absoluta de B; tum vt mutuò causarentur adinuicem, quoad primum suum physicum *esse*, idque intra idem genus tum prioritatis, tum causalitatis. Quod manifestè repugnat, vt omnes fatentur; & nos ostendimus *suo loco*.

Vnde patet demonstrationes, siue argumen- 34
tationes, siue discursus rigorosè circulares quibus ita probatur, sciturve primum vnicè per secundum, vt secundum vicissim probetur, sciaturve vnicè pariter per primum, omnino impossibiles esse: vt diserte docuit Aristot. & cum eo omnes scientifici. Tametsi, per illatum ex primo aliunde præscito, quodam regressionis genere, iterum ipsum primum sciri possit; maximè quando secundum non solum per illationem ex primo sed aliunde insuper scitur; vt sæpè contingere potest.

Propositio 6.

Licet omnis scientia humana à principiis tum 35
formalibus, tum obiectiuis necessariò sumat exordium, iuxta doctrinam in præcedentibus, præsertim *propos.* 2. statutam: principia tamen à quibus de facto exorditur non adeo sunt prima, vt non sint aliqua priora, à quibus posset exordiri.

Quia principia obiectiua, à quibus omnis scientia humana de facto incipit, etsi titulo talium sint per se nota, insuper sunt nota siue noscibilia per aliud, à fundamento extrinseco, nimirum per testimonium eorum, qui priùs illa asseruerunt, iuxta *dicta quæstione prima*, sub finem; & sæpè etiam à fundamento intrinseco, per alias scilicet propositiones obiectiuas secum connexas. Potuerunt igitur ista principia non solum per se, vti de facto cognoscuntur, sed insuper per dictas propositiones, aut per dicta testimonia cognosci. Quo casu scientiæ ab eis de facto exordientes non ab eis quidem, sed ab aliis principiis priùs notis inchoarentur, vt est notissimum. Itaque licet omnis scientia humana necessariò insuper debeat à principiis inchoari, quæ de facto sint prima, nulla tamen ita sunt prima, vt non potuerint esse alia priora; quæ nulla sunt quantumuis per se euidentia, quæ non potuerint per alia prius nota cognosci, nempe per testimonia saltem assentientium siue testificantium ipsa. Quantumuis enim sit

per

per se euidens propositio obiectiua, ob idque fortasse non possit non per se & ex terminis semel tantè apprehensis ab intellectu iudicari; insuper tamen per aliud quoduis præcognitum provt connexum cum illâ cognosci poterit; firmiúsque aut etiam euidentiùs per se simul, & per illud, quam per se solum cognoscetur; etsi illud tantum sit testimonium cuiuluis hominis, qui in ea materiâ puretur fide dignus. Quo sensu series propositionum scibilium ordinatè connexarum, etiam versus principia dici possunt in infinitum extendi, quatenus à nullis principiis potest incipere earum scientia, quin possit à prioribus.

Propositio 7.

36 Omnis propositio scibilis, demonstrabilis, seu probabilis ostensiuè, & per impossibile est scibilis, demonstrabilis seu probabilis, atque etiam vice versa, omnis quæ est talis per impossibile, & ostensiuè talis est

Suppositis definitionibus argumentationis ostensiuæ, & argumentationis per impossibile, seu deducentis ad impossibile statutis suppositione septima, facile demonstratur hæc propositio. Sit namque in primis propositio demonstrabilis ostensiuè per CBA. quatenus ex A per se nota legitimè inferri potest B, & ex B C & ex C D. sint autè contradictoriæ illarum DCBA, istæ EFGH. Quoniam enim per principium statutum *suppositione sexta*, eo ipso quod D potest legitimè inferri ex C, & C ex B, & B ex A, necesse est quod ordine inuerso, ex E possit inferri F. & ex F G. & ex G H. si accipiatur E contradictoria ipsius D demonstrandæ: ex illaque accepta, & suppositâ inferatur F. & ex FG tandem ex G inferatur H. contradictoria ipsius A per se notæ vt veræ. Quo ipsius H falsitas deprehenderur, atque adeo iuxta principium etiam statutum *suppositione sextâ*, & falsitas ipsius E antecedentis vnde H infertur. Quo tandem veritas ipsius D. cui E contradicit demonstrata erit per impossibile. Necesse est ergo quod D. sit demonstrabilis per impossibile, si semel est demonstrabilis ostensiuè. Quod erat ostendendum.

37 Deinde sit propositio D demonstrabilis per impossibile, quia ex eius contradictoria E est inferibilis F. & ex FG. & ex GH. quæ contradictoria est propositionis A per se notæ vt veræ, atque adeo & ipsa H & E, vnde infertur, falsæ deprehenduntur, veritasque proinde ipsius D per earum falsitatem demonstranda venit demonstratione per impossibile. Sint insuper B contradictoria ipsius G, & C contradictoria ipsius F. His namque positis hoc ipso quo F ex E, & G ex F, & H ex G sunt inferibiles, necessario sunt inferibiles vice versa, iuxta iam dicta, B ex A & C ex B & D ex C. atque adeo & demõstrabilis ostensiuè ipsa D ex A per se nota, perq; intermedias BC. Necesse est ergo quod si D est demõstrabilis per impossibile, & ostensiuè quoque sit demonstrabilis. Quod erat ostendendum.

38 Cæterum, quamquam omnis propositio demonstrabilis ostẽsiuè possit demonstrari per impossibile, & omnis demonstrabilis per impossibile possit demonstrari ostẽsiuè, vt practicè etiam in scientiis humanis poterit vnusquisque experiri; nihilominus pro varietate propositionum demonstrandarum aliquæ promptiùs, & meliùs veniunt demonstrandæ ostensiuè: aliquæ verò per impossibile. Demonstratio quippe, vt in plurimum procedit promptiùs, & meliùs per media affirmatiua quam per negatiua, eo quòd positiuorum connexiones promptiùs & meliùs quam negatiuorũ se produnt. Quare vt in plurimùm propositiones quæ per media negatiua erant demonstrandæ ostensiuè promptiùs, & minùs demõstrantur per impossibile per media opposita positiua: & vice versa, quæ per media negatiua veniebant demonstrandæ per impossibile, promptiùs, & meliùs per positiua opposita veniunt demonstrandæ ostensiuè: per demonstrationem autem impræsentiarum, semper intelligo probationem propositionum, etiam non euidentem.

Denique aduerto; ad demonstrationem per im- 39
possibile non solùm contradictoriam propositionis demonstrandæ assumi posse: sed etiam contrariam citra medium, secus contrariam cum admissione medij. Quia falsitas duarum priorum necessariò arguit veritatem propositionis demonstrandæ; cũ nequeant simul cum illa falsæ esse, secus falsitas posterioris quæ simul cum illa falsa esse potest, iuxta doctrinam statutam *disp.* 19.

Propositio 8.

Bifariã in primis potest intellectus humanus, seu 40
discurrẽdo, seu argumẽtando procedere ad acquirendam veritatem, aut falsitatem alicuius propositionis; Syntheticè videlicet, & Analyticè, siue ordine synthetico, & analytico, secundum vtrumuis autem ordinem rursus variè potest se gerere.

Ordine synthetico, siue compositorio dicitur intellectus discurrendo, seu argumentando procedere, quando in seriebus propositionum ordinatè connexarũ, à principiis aut ab ea parte, in qua sunt principia, incipit, & versus alteram partem conclusionũ in infinitum iuxta *superiùs* dicta extẽsibilem pergit: ordine vero analytico, siue resolutorio similiter seu discurrendo, seu argumentando procedere dicitur, quando vice versa ab aliquâ dictarum serierũ propositione incipiendo pergit versus principia. Potest autem intellectus istis discursibus, siue argumentationibus inuestigare scientiam siue demõstrationẽ, seu probationem, aut determinatæ alicuius propositionis datæ, propositæque per modum quæstionis, vt eius veritas, falsitásve inquiratur, aut aliquarum propositionum indistinctè per ipsos discursus, argumentationesve inueniendarum, nulla earum in particulari præeunte aut apprehensione, aut quæstione.

Porrò. ad inueniendam, siue probandam veritatem, aut falsitatem alicuius determinatæ propositio- 41
nis datæ primo modo, potest intellectus procedere syntheticè, sumendo aliqua principia quæ magis videantur concernere propositionem datam siue materiam eius, inferendoque ex illis tum immediatè, tũ mediatè varias propositiones, (quas nõ difficilè reperiet præsertim per regulas à nobis inferiùs tradẽdas) donec incidat in aliquam cum propositione data immediatè connexã, atque adeo ipsã inferentem: Quo casu veritas eius scita, siue demõstrata manebit, vel in aliquã propositionẽ datæ oppositã, atq; adeo ipsã excludentẽ. Quo casu scita siue demõstrata erit falsitas eius. Hic tamen modus procedendi satis est incertus, & casualis ad inueniendum quod inquiritur. Secundo modo potest intellectus procedere Analyticè, quærendo propositionem aliquam connexam immediatè cum propositione data, & aliam connexam cum aliqua eius opposita: illisque inuentis, quærendo alias duas similiter connexas cum ipsis, & rursus tertio loco alias duas connexas pariter immediatè cum duabus secundi loci, & ita deinceps donec incidat in propositionem per se notam: quæ in principium

vnius, vel alterius seriei inferens reliquas propositiones suo ordine aut simul cum data; quo casu veritas eius scita, seu demonstrata erit; aut simul cum eius opposita; quo casu eius falsitas erit demonstrata, seu scita. Qui quidem modus certior, & aptior est, quam primus ad inueniendum quod quæritur. Tertiò modo potest procedere intellectus sumendo propositionem datam, & aliam ei oppositam, & inferendo ex ambabus seorsim alias duas, cum quibus illæ connectantur, & rursum ex his duabus alias duas, & ita deinceps donec incidatur per vnam, aut alteram seriem in propositionem, aut planè veram, quia vel ex terminis vel aliunde scitur talis esse, aut planè falsam: quia planè opponitur propositioni, quæ vel ex terminis, vel aliunde scitur esse vera. Etenim si per seriem incipientem à propositione data inciditur in propositionem falsam, argumento est, propositionem datam falsam esse; quia ex vera falsa nequit inferri iuxta *suppos.* 5. si autem per seriem incipientem à propositione opposita datæ inciditur in propositionem falsam pariter propositio oppositæ datæ arguitur falsa propter eamdem rationem. Quocirca propositio data vera erit, si oppositio sit citra medium, (si namque medium admittat ambæ poterunt esse falsæ.) Deinde si per seriem incipientem à propositione datâ inciditur in propositionem veram, quia vera tum ex verâ tum etiam interdum ex falsâ potest inferri, inde de propositione data nihil certum sciri potest: Quare tentandum est an ex propositione verâ, in quam inciditur, discursu retrogrado ipsa propositio data sit inferibilis, vt eueniet, quoties omnes seriei propositiones mutuò inter se connexæ sint; provt sæpe contingit iuxta dicta *propos.* 5, Quo pacto propositionis datę veritas comprobabitur, & consequẽter etiam falsitas oppositæ eius, si vero per seriem incipientem à propositione oppositâ datæ inciditur in propositionem veram, ob eandem rationem de ipsâ propositione oppositâ datæ nihil certi scietur; nisi ipsa discursu inuerso ex repertâ verâ mutuò inferatur ob mutuam cum illa connexionem. Quo casu & ipsa comprobabitur vera, atque adeo etiam falsa data, cui opponitur. Potest autem intellectus tertio isto modo procedere aut syntheticè, aut analyticè, quia aut versus eam partem seriem, in qua sunt principia, vel propositiones principiis immediatè oppositæ potest procedere, aut versus alteram in qua sunt conclusiones oriundæ à principiis, vel propositiones ipsis oppositæ.

42 Iam vero ad inueniendam siue probandam cum veritatem, tum falsitatem multarum propositionum nullatenus antea præconceptarum, primo modo eoq; potissimo potest procedere intellectus syntheticè sumendo aliquam propositionem, quæ scitur iam vera vel ex terminis, vel aliunde, adhibitoque instrumento inuentionis vel naturaliter, vel exartè iuxta *inferiùs* dicenda, quærendo multas alias, cum quibus illa aut immediatè, aut mediatè connexa sit, quæ omnes ex illâ pariter illatæ veræ comprobabuntur, & consequenter etiam falsæ omnes illis oppositæ. Quia duæ quæque oppositæ simul veræ esse non possunt. Secundo modo potest procedere intellectus analyticè, sumendo aliquam propositionem, quæ scitur falsa, eo quod aliqua eius eius opposita scitur vera, & quærendo multas cum ea connexas atque adeo inferentes ipsam immediatè, aut mediatè, quæ omnes falsæ comprobabuntur (quia falsa nisi ex falsâ nequit inferri) & consequenter veræ omnes illis oppositæ citra medium: quia duæ quæque citra medium oppositæ non possunt esse simul falsæ. Tertiò modo potest intellectus procedere syntheticè simul, & analyticè sumendo propositionem, cuius nec veritas nec falsitas scitur, & quærendo multas ex ea inferibiles immediatè, & mediatè ob connexionem eius, quam terminant, atque etiam multas inferentes ipsam immediatè, & mediatè ob connexionem, quâ, cum ipsa connexæ sunt; omnesque obseruando, donec incidatur in aliquam, quæ aut ex terminis, aut aliunde sciatur esse vera. Per quam omnes illatæ ex illa veræ comprobabuntur, quia quæ inferuntur ex verâ necessariò sunt veræ. De inferentibus autem ipsam examinabitur, an vicissim ob mutuam connexionem inferantur ex ipsâ. Quo casu etiam veræ comprobabuntur. Per omnes autem iam scitas vetas consequenter scientur falsæ omnes illis oppositæ, vel rursus obseruando omnes, tum ex propositione assumpta illatas tum eam inferentes, donec incidatur in aliquam, quæ sciatur falsa ob oppositionem cum aliqua, iam scita vera; per quam falsæ comprobabuntur omnes eam inferentes, & consequenter veræ harum oppositæ citra medium: quia falsam inferentes necessario sunt falsæ: de illatis verò ex illa examinandum erit an mutuo inferentes illam sint. Quo casu & ex falsæ erunt, atque adeo veræ ipsarum citra medium oppositæ.

Ex quibus omnibus modis procedendi intellectus circa propositiones scibiles ordinatè connexis, totidem regulæ sumendæ veniunt ad eum dirigendum pro quærendâ veritate, & falsitate propositionum obiectiuarum ad omnes humanas scientias spectantes, atque adeo pro scientiis ipsis augendis in infinitum iuxta ea, quæ in sequentibus fusiùs dicenda sunt. Circa quas regulas illud est aduertendum. Quoties dicimus assumptâ aliquâ propositione, quærendas esse alias tum inferibiles ex illâ, tum illam inferentes tam mediatè quam immediatè non ita esse intelligendum, vt intellectus coarcteturad vnam, aut alteram seriem propositionum ordinatè connexarum, incipientem ab assumptâ propositione per vnam aut alteram propositionem ipsi immediatam. Potest enim, imo & debet cum latitudine discurrere per omnes series, quæ se obtulerint à dictâ propositione assumpta incipientes, & quoquo versùs se extendentes etiam in varios ramos dispertiæ, vt citiùs inueniat quod inquirit, & plurium propositionum, siue verarum, siue falsarum scientiâ ditetur. Posse quippe ex qualibet propositione assumpta vtrimque extendi multas, & varias series propositionum ordinatè connexarum tum ex illa inferibilium, tum illam inferentium incipientes ab ipsa propositione assumpta per multas propositiones ipsi vtrimque immediatas, ex iam dictis in *præcedentibus* indubitatum est.

Ex dictis colliges quantum inuentio veritatis ac 44
falsitatis propositionum à deprehensione connexionum, oppositionumque earum pendeat.

QVÆ

QVÆSTIO III.

Quousque scientia humana per nouas veritates in dies inuentas, per vetereſque errores in dies detectos augibilis ſit ſucceſſu temporis.

45 QVæstio hæc cum ex doctrinâ in præcedentibus traditâ, tum ex euentibus ſcientiarum diuerſis temporibus reſpondentibus eſt reſoluenda.

Propoſitio 1.

46 Scientia humana ex naturâ ſuâ per nouas veritates inuentas, ſucceſſuve temporis inueniendas in infinitum eſt augibilis.

Hæc propoſitio ex dictis in præcedentibus manifeſtè monſtratur. Quia omnis ſeries propoſitionum obiectiuarum ordinatè connexarum, atque ab intellectu humano ſucceſſiuè ſcibilium, quæ à principiis per ſe notis incipiunt, in infinitum porriguntur, nullaque ſubinde eſt propoſitio obiectiua, ex quâ ſemel ſcitâ, vt verâ non poſſit alia immediatè inferri, atque adeo ſciri etiam ut vera, ſubindeque mediatè aliæ, & ſic deinceps ſine fine, vti *quæſtione præcedenti propoſit. 4.* ſtatutum eſt. Igitur datâ ſcientiâ humanâ de quibuſuis veritatibus obiectiuis, de aliis inſuper & aliis ſine vllo termino poteſt ſucceſſu temporis dari, quod ipſum eſt ſcientiam humanam per nouas veritates ſucceſſu temporis inuentas in infinitum poſſe augeri, ſiue augibilem eſſe, vt noſtra propoſitio fert.

47 Quæ confirmari poteſt, ſeu declarari. Quia quæuis eſſentia in quauis propoſitione obiectiua contenta, per infinitas combinationes comparationeſque, quas cum infinitis aliis terminis à ſe diuerſis ſubire poteſt, infinitas paſſiones tum proprias, tum communes ex ipſa ab intellectu humano inferibiles poteſt ſortiri, vt ex doctrinâ demonſtratâ *diſput. 17. quæſt. 18.* compertum eſt. Sed huiuſmodi combinationes comparationeſque aliter quam ſucceſſiuè ab intellectu humano pro ſtatu præſenti non poſſunt fieri, atque adeo nec aliter quam ſucceſſiuè eiuſmodi paſſiones ſciri. vt eſt notiſſimum, & infinitum ſucceſſiuè pertranſire aut exhauriri impoſſibile eſt, vt etiam conſtat. Ergo vniuſcuiuſque eſſentiæ quibuſuis paſſionibus ſucceſſu temporis ſcitis, aliæ in infinitum reſtant ſciendæ Quot ergo reſtabunt ſemper ſciendæ paſſiones omnium eſſentiarum excogitabilium, quę etiam infinitæ ſunt? Certè infinities infinitæ. Vnde patet, etſi homines innumerabiliter plures eſſent, innumerabiliterque pluribus annis viuerent, omneſque ſtudiis ſemper dediti in ſcientiis humanis excolendis augendiſque ſemper intenti, ſemperque occupati manerent, fore vtique, vt nunquam tot eſſent ab illis veritates inuentæ, quin infinitè infinities plures ſemper reſtarent inueniendę. Sciętia ergo humana etiam in eâ hypotheſi in infinitum eſſet augibilis ſucceſſu temporis. Quanto igitur potiori iure talis modò aſſerenda eſt, quando tam pauci, tam parcéque incumbunt in augenda illa?

Propoſitio 2.

48 Scientia humana ex naturâ ſuâ etiam eſt in infinitum augibilis per veteres errores in dies detectos, detectis videlicet ſucceſſu temporis falſitatibus propoſitionum, quæ veræ antea putabantur, & veritatibus propoſitionum, quæ putabantur antea falſæ.

Vt hanc propoſitionem demonſtrem, ſuppono 49
primò. Propoſitionum, quæ iam per humanas ſcientias ſciuntur, à fundamentis iam notis, per quæ ſciuntur, alias euadere certas aut phyſicè aut moraliter, alias vero tantum probabiles, & de certarum quidem veritate, inuariatis fundamentis à quibus certæ euadunt, nemo dubitare poteſt, ſaltem prudenter: quocirca abſolutè cenſentur veræ, & conſequenter falſæ earum oppoſitæ Ex probabilibus autem ferè omnes habent oppoſitas etiam probabiles, atque adeo à quibuſdam tantum hominibus prudenter cenſentur illæ veræ, cum tamen ab aliis prudenter etiam cenſeantur veræ illarum oppoſitæ, ſtantibus eiſdē fundamentis ab vtriſque notis Et hæc quidem communia ſunt propoſitionibus per ſe notis, quæ ſunt principia ſcientiarum, & propoſitionibus notis per aliud, quæ ſunt concluſiones. Igitur quod per præſentem propoſitionem intenditur eſt, fundamenta quibus innititur intellectus humanus ad iudicandas, atque adeo ſciendas propoſitiones aut certò, aut probabiliter, ita ſucceſſu temporis variari poſſe; vt propoſitio quæ modo eſt certa, atque adeo ab omnibus communiter vera cenſetur, poſtmodum ſit incerta (reddita aut certâ aut probabili oppoſitâ eius,) atque adeo aut ab omnibus communiter, aut ab aliquibus cenſeatur falſa, & vera eius oppoſita, quæ antea ab omnibus communiter cenſebatur falſa. Tum vt propoſitio quæ modo eſt probabilis atque adeo ab aliquibus ſaltē reputata vera, poſtmodū ſit improbabilis (reddita certâ eius oppoſitâ) atque ita ab omnibus communiter reputetur falſa, & eius oppoſita vera, quę antea ab aliquibus ſaltē falſa reputabatur.

Suppono ſecundò. Fundamenta ad iudicanda 50
principia obiectiua ſcientiarum aut eſſe connexionem, oppoſitionemve immediatam ſubiecti cum prædicato ab intellectu deprehenſam; aut eſſe experientiam iuxta duo diuerſa huiuſmodi principiorum genera, de quibus latius *ſupra diſp. 19. quæſt. 8.* Fundamenta verò ad iudicandas concluſiones obiectiuas ſcientiarum tum ex principiis, tum ex aliis antecedentibus, quæ interiacent, tum ex connexione ex oppoſitioneve eorum cum concluſione iudicanda provt deprehenſis, ſeu iudicatis prius ab intellectu integrari: vti ex dictis in *præcedentibus* ſatis conſpicuum eſt. Connexionem autem ſiue oppoſitionem eiuſmodi quando eſt mediata, ab intellectu deprehendi non poſſe, niſi vnà cum extremis mediatè connexis, aut oppoſitis ipſi omnia media, quæ intetiacent, innoteſcant: provt ex doctrinâque *præced. ſuppoſit. quarta* ſtatuta cōſtat.

Suppono tertiò. Ex antecedente certo per illationem euidentem atque adeo certam, neceſſariò inferri conſequens certum, ex antecedente autem certo per illationem probabilem, & ex antecedente probabile per illationem certam neceſſario inferri conſequens probabile; certum verò minimè, ex antecedente denique probabili per illationem probabilem, & probabile? & improbabile conſequens inferri poſſe: certum verò nequaquam; quæ omnia *ſupra* ſunt demonſtrata *diſput. 6. quæſt. 5.*

His ſuppoſitis, probatur propoſitio primò. Quia 51
fieri poteſt, ſæpéque fit, vt vel experimentum ignotum antea, vel per deprehenſionem connexionis

subiecti cum prædicato antea etiam ignotæ, principia aliqua certa successu temporis innotescant hominibus, quæ manifestè sunt oppositа aliquibus propositionibus antea putatis veris, quę subinde iam deinceps certo censentur falsæ ob manifestam oppositionem, quam habent cum principiis certis inuentis. Fieri etiam potest vt, per principia probabilia similiter successu temporis inuenta, propositiones ipsis oppositæ, quæ antea certæ erant incertæ reddantur, atque adeo ab aliquibus saltem, quibus talia principia illis opposita arridēt, iam falsæ credantur.

52 Secundo probatur pròpositio. Quia fieri potest, sæpeque fit vt, discurrendo ex principiis certis per certas illationes in aliquas conclusiones certas incidat intellectus humanus successu temporis, quæ manifestè sunt opppositæ propositionibus antea putatis veris, quæ subinde propositiones certo deprehenduntur falsæ successu temporis. Similiter fieri potest, & sæpè fit, vt discurrendo ex principiis probabilibus, aut per certas, aut per probabiles illationes, incidat intellectus humanus successu temporis in aliquas conclusiones probabiles, oppositas propositionibus antea certis; quæ subinde à suâ certitudine cadunt, falsæque ab aliquibus iam reputantur; cum ante ab ominbus veræ censerentur. Vnde patet multas intellectum humanum in eodem tempore amplecti propositiones re ipsa oppositas eo, quòd earum oppositio, cum sit mediata ipsi non innotescit, donec successu temporis discurrendo ex vnâ mediatè oppositarum, tandem incidit in conclusionem immediatè oppositam alteri; quo & ipsarum oppositarum mediatè mediatam oppositionem deprehendit, atque ita iam deinceps alteri dumtaxat earum, alterâ tanquam falsâ repudiatâ, assentitur. Per quæ satis superque demonstrata propositio manet.

53 Sed dicet aliquis. Propositiones reipsa falsæ, & veræ putatæ in quouis tempore ab intellectu humano finitæ sunt: ergo, esto omnes successu temporis falsæ ab intellectu humano deprehendantur, per detectionem huiusmodi falsitatum finitè tantum augebitur scientia eius. Non ergo est illa augibilis in infinitum per detectionem veterum errorum, vt propositio data fert. Respondeo: etsi in quouis tempore determinato propositiones falsæ eo vsque ab intellectu humano veræ putatæ sint finitæ, sicut etiam propositiones veræ eo vsque ab eo scitæ finitæ sunt. Quia tamen in dies potest intellectus humanus, absque vllo termino, propositiones falsas veras putare; sicuti potest in dies absque vllo termino propositiones veras scirè iuxta dicta *propos.* 1. ita similiter potest in dies absque vllo termino propositiones falsas re ipsa, & antea putatas veras falsas deprehendere, atque ita perinde eius scientia in infinitum est augibilis per detectionem veterum errorum, atque per inuentionem veritatum nouarum.

Propositio 3.

54 Scientiam humanam successu temporis esse sine termino augibilem, tum per nouas veritates inuentas, tum per veteres falsitates detectas, ipsi euentus scientiarum qui semper successu temporis euenerunt, satis superque manifestant.

Imprimis enim certum est singulas scientias humanas in aliquo tempore cepisse, cum antea non essent, vel quia nunquam fuerunt, saltem in aliis à prioribus Mundi Parentibus, vel quia eas vtcumque tempus à mentibus hominum aboleuit. Ob id singularum inuentores ab Historiographis notantur, vt videre est in Theatro vitæ humanæ *lib.* 1. & *seqq.* vb incipiendo ab ipsis litteris Alphabeti, & à diuersis Characterib⁹, quibus diuersæ Nationes illas describunt, de horum omnium primis inuentoribus agitur. Sicut de inuentoribus Grammaticæ, Prosodiæ, Poëticæ, Rhetoricæ, Logicæ, Physicæ & Metaphysicæ: necnon de singularum Mathematicarum disciplinarum inuentoribus, tum de inuentoribus aliarum scientiarum, atque etiam artium cuiusuis generis. Deinde etiam est certum singula scientias, & artes, aut saltem pleraſque à paruis initiis inchoatas successu temporis excreuisse, in diesque sumpsisse accrementa, atque etiam num sumere. Quæ manifesto argumento sunt eas semper successu temporis, atque adeo sine fine augibiles esse,

Vtque ad specialiora, & nobis propiora ve- 55
niamus. Nemo est qui nesciat Theologiam scholasticam, quæ paucis retro annis vix noscebatur, & vnà cum illa Metaphysicam, seu primam Philosophiam à tempore S. Thom. D. Bonau. Scoti, Nominalium, aliorumque huiusmodi Magistrorum mirum in modum auctam fuisse, quotidiéque adhuc citra intermissionem augeri. Logica autem & creuit hactenus nonnihil, & modo eam non parum præterea auctam istud opus ostendit. Physiologia etiam cum plerisque suis partibus sua, currente tempore, accepit, & adhuc accipit augmenta. Ecquid de Artibus magis practicis tum liberalibus tum illiberalibus, de earumque operibus & inuentis quotidie aut absolutè, aut quoad suam perfectionem crescentibus dicam? Mirabile profecto est quanta hinc singulis fermè annis noua adinuenta pullulent.

Quorum quidem commemorare singula neque 56
est necessarium, neque possibile. Quatuor tamen inter omnia notatu digniora, quæ sese paucis abhinc annis prodiderunt hominibus, omnino reticere non possum; vtpotè ea quibus innumera propemodum alia inuenta noua; & scientiæ humanæ augmenta manarunt; adeò vt per illa vniuersum hoc & faciem quodammodo, & mores videatur mutasse. Sunt autem illa quatuor, Magnetis virtus sine proprietas, qua naturaliter sese conuertit ad Polos Mundi, deprehensa primum paucis retro annis à Ioanne Gita Amalphitano in Regno Neapolitano. Tubus opticus, quo res distantes perfectè conspiciuntur, & quæ ob distantiam nimiam latebant oculos, quasi ad eorum ditionem tractæ visuntur. Quod instrumentum ante quinquaginta ferè annos vel sexaginta casu, vt fertur, adinuentum est in Hollandia. Puluis tormentarius, qui recens etiam est horum sæculorum inuentio: & Ars imprimendi quam anno 1450. primus inuenisse dicitur Ioannes Faustus Moguntinus, quaque primus liber impressus, vt fertur, fuit ille celebris D. Augustini de Ciuitate Dei.

Etenim Acus nautica tacta Magnete, eiusdem- 57
que per tactum virtute collimandi in Polum affecta inuentum est, quod nauigantibus primo viam aperuit, certumque & tutum iter præbuit per immensa, & aliàs impervia spatia maris Oceani. Quo factum est, vt Europæi, Hispanis præeuntibus, nouũ Americæ orbem, & Indi ex America vicissim antiquum Europæ orbem appulerint. Tum vt vtrique cum habitantibus in remotissimis partibus Africæ,

Africæ, & Asiæ mutuò communicauerint, ac mutuum subinde assiduumque cum illis & inter se commercium iniuerint. Vnde prouenit, & in dies prouenit, vt omnibus, & singulis Mundi nationibus innumerabiles innotuerint, & in dies innotescant, quas antea ignorabant veritates tam naturales, quam politicas: necnon, vt multi antiqui errores per nouas veritates detecti fuerint. Iam enim plane constat Mundum hunc inferiorem ex terris, & aquis compositum sphæricam figuram habere. Constat multas regiones eius ex spectantibus ad Zonam Torridam, & ad duas Zonas frigidas non solum habitabiles, sed valde temperatas esse & amœnas. Constat esse Antipodes, qui contraria nobis, & aliis vestigia premunt, aliaque huiusmodi sexcenta constant, circa quæ Antiquiores etiam doctissimi planè decepti sunt, deceptique extiterunt per multa tempora.

58 Per Tubum autem opticum in Cœlis multæ veritates priscis Astronomis prorsus ignotæ apparuerunt. Sit prima. Plures quam septem sunt Planetæ, siue erratica Astra, visuntur enim alia quatuor exigua erraticè circa Iouem moueri, quæ primus obseruauit Galilæus Galilæi Florétiæ Mathematicus. Secunda, circa Saturnum alia duo sunt obseruata tam vicina corpori eius, vt illud oblongum ad instar oui repræsentent. Tertia, quotidie in Sole videntur diuersæ maculæ, quæ Astra etiam quædam errantia circa Solem sunt, & dum inter Solem, & aspectum nostrum ponuntur, exiguam eius nobis eclypsant particulam. De his scripsit volumen integrum P. Christophorus Scheyner Societatis nostræ, & primus ipsarum inuentor. Qui in altero suo libello dicto, *Apelles post tabulam*, dicit Mercurium, dum infra Solem transit, similem maculam causare. Quarta, in Pleiadibus, vbi naturali oculo, vt summum septem, per tubum opticum videntur stellæ fixæ quadraginta. Quinta, Nebulòsa Cancri dicto instrumento cernitur esse congeries exiguarum stellarum, & Galilæus citatus testatur se suo instrumento perfectissimo vidisse viam lacteam esse etiam congeriem stellarum, quæ ob nimiam paruitatem oculo non distinguuntur, sed velut confusum lumen apparent. Sexta, Venus instar Lunæ crescit, & decrescit, atque adeo modo plena, modo corniculata per tubum videtur, quod primus obseruauit Ioannes Keplerus Germanus Mathematicus Imperatoris Rodolphi. Vnde manifestè constat primo, lumen Veneris, sicut & Lunæ à Sole esse: secundò, Venerem circa Solem tanquam circa centrum moueri; atque ita eo aliquando superiorem, & aliquando inferiorem esse. Id quod etiam de Mercurio ob alia experimenta demonstrat noster Scheyner in suo *Apelle post tabulam*. Septima, Luna non est corpus perfectè sphericum, & rotundum, sed asperum, & montuosum, vt terra, provt per tubum quotidie potest videri, & primus Galilæus obseruauit scribens, & plane ostendens in suo libello cuius titulus *Sidereus Nuntius* in Lunâ esse asperitates velut montes, qui comparatione corporis lunaris maiores sunt, quam nostri altissimi, sicut Olympus, & similes comparatione orbis terræ. Octaua, Multi Cometæ, Luna, & quibusdam aliis Planetis multo altiores esse sunt visi. De quo videndus Tychobrahe, apud quem etiam videndum, quomodo Mercurius, & Venus sæpe distant à terrâ magis, quàm Mars. Ex quibus, & aliis huiusmodi veritatibus iam hac nostrâ ætate constantibus manifestè conuincitur, Cœlos neque esse solidos, neque ita inter se distinctos, atque ordinatos vt putarunt Antiqui, id quod demonstrat, & eruditè confirmat noster Scheyner in suo opere *de Maculis Solaribus*, per integrum librum. Quo circa noster Clauius cum communes Ptolemæi, & aliorum veterum opiniones de Cœlorum soliditate, distinctione, & ordine perpetuò defendisset, in suoque opere de sphærâ dilucidè explicasset, in vltimâ huius impressione factâ, ipso viuente, addidit se multa ex relatis per tubum opticum vidisse, & obseruasse tandemque iunxit. *Quæ cùm ita sint, videant Astronomi, quo pacto orbes cœlestes constituendi sint, vt hæc phænomena possint saluari.* Manifestè significans suam communemque opinionem, quam de Cœlis eo vsque tenuerat, iam cum nouis obseruationibus stare non posse,

Iam verò ex Pulueris tormentarij noua inuentione quot alia inuenta sint deriuata facilè deprehendere poterit, qui animaduerterit ab eâ vnâ inuentione ortum esse, vt integra ars bellica antiqua cum suis partibus Fortificatione, Castramentatione, Poliorceticâ, & Machinariâ in nouam artem bellicam longè diuersam nouas, & longè diuersas partes habentem sit transformata, & consequenter omnia illius opera artificiosa in longè diuersa huius conuersa, id quod pariter bona ex parte etiam contingit artibus Venatoriis antiquæ; & nouæ. Missaque facio innumera aliàs ignium artificialium ostenta pulcherrima, quæ propace, & lætitia inuenta ex eodem primæ inuentionis fonte manarunt. 59

Denique Ars imprimendi quantum humanis scientiis, earumque augmentis fuerit proficua, nemo est, qui non videat; compertum enim est, si Typographia mundo deesset fore vt innumeræ veritates, quæ ab hominibus modo existentibus sciuntur, & ab extituris deinceps sciendæ sunt, (quod eas Typographiæ facilitas in libris per totum orbem spargendis perpetuo duraturas impressit, & in dies imprimit) ignorarentur. Certum quippe est, si deesset Typographia fore, vt pleraque eorum quæ beneficio eius innumeris in libris facile scripta per totum orbem circumferuntur, ob idque cunctis hominibus innotescunt, aut non scriberentur calamo, aut eo scripta in libris paucissimis, pauciique hominibus subinde communicata plerosque laterent. 60

Itaque per hæc pauca exempla euentuum scientiarum humanarum conspicue apparet à posteriori etiam, seu ab effectu, quam sine fine sint illæ augibiles naturæ suâ successu temporis, tum per nouas veritates in dies inuentas, tum per veteres errores in dies detectos, vt nostra propositio fert. 61

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Consectarium 1.

Etsi nouitas doctrinæ sine idoneo fundamento, aut etiam temerè inducta reprehensibilis, ac penitus vitanda sit, vt re vera est, at nouitas doctrinæ prudenter, & benè fundatæ non solùm laudabilis, & expetenda, sed prorsus necessaria est, suppositâ scientiæ humanæ natura. 62

Prior consectarij pars per se est manifesta, cùm sit notissimum esse reprehensione dignam, atque adeo vitandam doctrinam idoneo fundamento carentem, & multò magis quando idoneo fundamento destituta communi prudentium oppositum

asserentium placito aduersa, atque adeo temeraria est.

65 Posterior autem pars consectarij ex propositionibus statutis sequitur euidenter. Si enim necessarium est, supposita humanæ scientiæ natura, quod in dies crescat scientia, atque adeo etiam doctrina bene fundata nouis inuentis veritatibus, & vetustis detectis erroribus, ob nouæ fundamenta idonea, aut etiam conuincentia successu tempores emergentia; vt statuimus: aliundeque huiusce modi scientiæ doctrinæque humanæ accrementa expetibilia plane sint laudabiliter. Apertè sequitur nouitatem doctrinæ prudenter & benè, aut etiam conuincenter fundatam tum laudabilem, & expetendam, tum etiam necessariam esse, suppositâ scientiæ humanæ naturâ.

64 Id quod appositè confirmat illud Daniel. 12. *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia*, iuxta intelligentiam Richard. de sancto Victore *lib. de Tabernaculo fœderis, tractat.* 1. dicentis: *Non est malum, nec mirum, si in vno aliquo aliquid possumus addere: quod ad maiorem euidentiam, vel pleniorem intelligentiam possit proficere. Hæc propter illos dicta sunt, qui nihil acceptant, nisi quod ab antiquissimis Patribus acceperunt. Sed qui assiduè producit nouos fructus ad recreationem hominis exterioris, nunquam credendum est, nullos de cæteris scientiæ fructus impertiri ad innouandos sensus hominis. Vbi ergo est quæso? Pertransibunt plurimi, & abundabit scientia.* Etenim vt bene Cornelius Tacitus *lib.* 3. *Annalium. Non omnia apud priores meliora: sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tulit.* In multis enim quæ humanitùs, & citra diuinam reuelationem priores iudicarunt, & docuerunt, eo ipso quod fuerunt homines potuerunt falli: Dicente Galeno *lib.* 2. *Compos. med. cap.* 8. *Difficile est, qui homo sit, non in multis peccet, quædam videlicet penitus ignorando, quædam male iudicando, & quædam tamen negligentiùs tradendo.* Et quidem *artes fiunt per ad inuentiones*, ait Aristoteles *in Proœmio Metaphysicæ*, Et *artis est*, inquit Hippocrates *lib. de Arte Medic. ea inuenire posse, quæ antea non erant.* Vnde pariter Columel. *de re Rustic. lib.* 1. *in Præfat.* dicit: *Sic miror antiquos, vt temporum nostrorum ingenia non despiciam, neque enim quasi cassa, & effœta natura nihil iam laudabile pariat.*

65 Facit etiam illud Matth. 13. *Omnis Scriba doctus in Regno Cœlorum similis est Patrifamilias, qui profert de thesauro sua noua, & vetera.* Vtraque enim in scientiis æstimatione digna esse possunt; sicut etiam contemptu penes meritum, quod habuerint aliunde, quam à vetustate, aut nouitate. Nam vt ait D. Isidorus Pelusiota *lib.* 2. *epist.* 46. *Non graue ac sceleratum est, aliquid innouare, cum vtilitas nouitati adiuncta est: non enim noxia, & vtilia vetustate perpenduntur; verum id explorandum est, an in antiquioribus rebus vitium inueniatur; an contra in recentioribus virtus reperiatur.* Mitto huiusce generis plura quæ possent adiici, præter dicenda etiam ad rem postmodum *consect.* 2.

Consectarium 2.

66 Etsi sæpe sit necessarium, sæpe vtile, sæpe rationi consonum atque laudabile, alios tamquam Magistros, siue Doctores sequi in scientiis humanis addiscendis, acquirendis, & amplexandis. Vnum tamen Auctorem non Canonicum, atque adeò humanitùs scribentem, siue docentem semper, & in omnibus sequi contra naturam scientiæ humanæ, atque adeo rationi absonum, & prorsus irrationabile est: quinimò interdum penitus impossibile.

Est imprimis necessarium simpliciter alios tanquam Magistros, Doctoresve, seu Auctores sequi in his omnibus, quæ sciri non possunt independenter à fide humana, & consequenter ab auctoritate aliorum hominum cui fides humana subnititur, vt est manifestum. Quam multa autem sint, quæ vel ab omnibus, vel à multis hominibus aliter quam mediâ fide humanâ, mediaque subinde auctoritate aliorum hominum sciri nequeunt, ex dictis in præcedentibus constat. Deinde omnibus tyronibus communiter, qui scientiam aliquam, siue doctrinam humanam acquirere, siue addiscere incipiunt, necessarium est habere Magistros, à quibus doceantur, illósque sequi; quia sine illis, aut nihil, aut parum, cum magnaque difficultate proficiunt. Vnde patet in his duobus casibus à fortiori esse rationi consonum, atque laudabile alios, tanquam Magistros, Doctoresve, siue Auctores sequi.

Præterea rationi consonum, & laudabile, imò 67
& necessarium moraliter ad vitandos errores est, vt etiam prouecti in quauis scientia eos Auctores, sequantur vt plurimum, qui in illa excelluerunt, eximiique & præclari Magistri habiti sunt. His namque passim contradici ab hominibus inferioris notæ etiam prouectis in tali scientiâ, & rationi dissonum, & morali periculo errandi expositum est. Dico *inferioris notæ*: quia homines ingenio, & eruditione pares sibi vicissim contradicere, sæpe non est cur dissonet rationi, aut censeatur moraliter obnoxium errori. Ratio est conspicua, quia quoties duo intellectus perfectione, & eruditione inæquales, ex eisdem propositis fundamentis ad iudicandum moti, sibi in iudiciis contradicunt, pro perfectiore, & sapientiore standum procul dubio est, iuxta prudentiæ regulas; quia credendus ille est penetrare, perspicereque quod iudicat melius, quàm alter. Vnde secundus imprudenter, & temerè iudicabit, si aduertat se suo iudicio contradicere primo, imprudenterque subinde quilibet alius præ primo sequitur secundum. Quando vero intellectus perfectione, & eruditione pares, ex eisdem propositis fundamentis ad iudicandum moti, sibi in iudiciis contradicunt, non est cur pro vno potiùs, quàm pro altero stetur; quia non est cur credatur vnus melius, quàm alter penetrare, quod iudicat. Vnde & vtrique eorum alteri contradicere, & cuilibet vtrumvis eorum pro arbitratu sequi fas erit, citra vllam imprudentiæ notam. Itaque ex Auctoribus ingenio, & eruditione paribus nullus tenetur alterum sequi, aut per prudentiæ regulas, aut alio titulo. Auctores vero ingenio, & eruditione excellentes à cæteris inferioris notæ eleruditione excellentes à cæteris inferioris notæ eleruditione excellentes à cæteris inferioris notæ ele

aliis, tum à se inuentas quilibet Auctor suo tempore sciuit; scriptasque reliquit, aliæ, & aliæ successu temporis sunt à successoribus eius sine fine inuentibiles, ac scibiles; in quibus subinde asserendis, neque illum sequi, neque illius auctoritate possunt vlla ratione duci, vt constat. Secundo. Quia licet in propositionibus, quas talis Auctor adstruxit ob fundamenta suo tempore nota ex eisdem solis fundamentis iure non possit à successoribus contradici, quando ij neque tanto ingenio neque tantâ eruditione sunt præditi, iuxta dicta *nuper*: tamen quia iuxta *propos. 2.* ob fundamenta noua, quæ successu temporis sine fine detegi possunt, in diesque deteguntur de facto, aliquæ dictarum propositionum, quas talis Auctor prudenter reputauit veras, plane à successoribus eius (quantumuis hi sint notæ inferioris.) deprehenduntur falsæ, aut quas ipse prudenter reputauit falsas, deprehenduntur veræ; idcirco in omnibus talis Auctor quantumuis cæteros præcellat, à successoribus eius quantumuis ipsi inferioribus sequendus non est; sed potius est relinquendus omnino; tum iuxta regulas prudentiæ, quoties ob fundamenta detecta nouitet, ab illoque ignota, eius sententiæ minùs probabiles, quam erant antea, factæ sunt, quod sæpe contingit; tum ex necessitate, quando pariter ob fundamenta noua eius sententiæ factæ sunt improbabiles; quod euenire etiam solet non rarò.

69 Et quidem homines quantumuis magnos, & eximios ingenio, sapientiâ, prudentiâ, aut etiam sanctitate decipi posse, & sæpe de facto deceptos fuisse in iis quæ humanitùs iudicarunt, & docuerunt: atque adeo neminem debere eos semper in omnibus sequi; imò potius omnes debere interdum eos deserere, vel etiam debitâ cum reuerentiâ impugnare; concors huiusce modi hominum, aliorumque sententia, & frequens experientia est. Ostendamus primum, allatis aliquot testimoniis eorum. Sanctus Augustinus *in Prologo, lib. 3. de Trinitate*, dicit: *Noli meis litteris quasi Canonicis scripturis deferuire; sed in illis & quæ non credebas, cum inueneris incunctanter credere; in istis autem quod certum non habeas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.* Et ad Vincentium Victorem *lib. 2. Negare non possum, nec debeo sicut in ipsis maioribus ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio, & nullâ temeritate culpari.* Et *in Epist. 8. ad Hieronymum. Ego solis eis Scriptoribus, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere, &c. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantâve doctrina polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi per alios Auctores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non absonet, persuadere potuerunt;* Quam sententiam etiam tenet *in lib. 2. de Vnico Baptismo.* Et rursus *in Epist. ad Vincentium. In Epistola autem ad Fortunatum* similiter ait: *Neque quorumlibet disputationes quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum veluti Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, qua illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere. Si forte inuenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales esse volo intellectores meorum.* Quæ omnia habentur in Decreto, *distinctione 9.* per varios Canones. Consonat sanctus Hieronymus *in Epistol. ad Theophilum aduersus Ioannem Hierosolymitanum*, dicens: *Scio me aliter habere Apostolos; aliter reliquos tractatores, illos semper vera dicere, istos in quibusdam, vt homines aberrare.* Et S. Thomas *1. part. quæst. 1. art 8. ad secundum*, docet sacram Theologiam ex Auctoribus quidem Scripturæ Canonicæ arguere necessariò. Ex Auctoribus verò Philosophorum, & aliorum Doctorum Ecclesiæ dumtaxat arguere probabiliter, in cuius confirmationem adduxit verba Augustini iam relata *ex Epistola ad Hieronymum. Ego solis, &c.*

Quæ etiam verba cùm retulisset Abulens. *in defensione part. 2. c. 18.* subdit. *Ecce qualiter solum vult Augustinus debere adhiberi firmam fidem libris Canonicis, id est, libris, qui sunt in Canone Bibliorum, &c. In Scripturis autem hominum singularium, qui loquuntur vt homines, quantacumque sapientiæ, & ingenij sint, & quantacumque sanctitatis, non est danda tanta auctoritas, sed scimus eos potuisse errare: ideò licet ipsi aliquid asserant, non est credendum necessariò quod ita sit, sed possumus aliis magis credere, si videamus, quod melius proderit.* Multaque insuper dicit ad rem *in eo cap.* Et *cap. 81. & 82.* latè demonstrat, & si libri alicuius Doctoris sint aliquo modò approbati per Ecclesiam, vti libros Cypriani, Athanasij, Nazianz. Basil. Chrysostom. Hilarij, Augustini & reliquorum Patrum Catholicorum approbauit Gelasius Papa, in Decreto *dist. 15. Can. sancta Romana* non propterea omnia, quæ sunt in ipsis scripta, tenenda esse vt vera, nisi per Ecclesiam sint definita. 70

Et Durandus in præfatione sui operis sub finem 71
postquam ex relatis Augustini testimoniis monstrasset solis Scripturis Canonicis, non item scriptis Doctorum etiam sublimiorum Ecclesiæ vt Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & Gregorij integram fidem in omnibus præbendam esse, subiungit. *Ex quibus patet, quòd compellere, seu inducere aliquem, ne doceat, vel scribat dissona ab iis quæ determinatus Doctor scripsit, est talem Doctorem præferre sacris Doctoribus, præcludere viam inquisitioni veritatis, & præstare impedimentum sciendi, & lumen rationis non solum occultare sub modio, sed comprimere violenter,* Accedat huc Philo Iudæus in vita Moysis, *lib. 1.* dicens: *Præclara ingenia multa nonant circa scientiam: Anima benè nata præceptis obuiam se se offerens à se ipsa magis, quàm à Magistro adiuta.* Et *infra: Qui arreptas semel qualiacumque dogmata obstinatè defendunt, siue probata siue improba more causidicorum mercenariorum ius, & æquum negligentes.*

Multa ad rem tradit Merchior Canus *disp. 7. de locis cap. 3.* Primò enim statuit auctoritatem sanctorum, siue paucorum, siue plurium, siue etiam omnium in rebus purè Philosophicis fidem tantum probabilem facere, certam vero minimè. Imò 72
in rebus etiam ad fidem ad sacramque doctrinam spectantibus non solum vnius, aut alterius Doctoris quantumuis eruditi; & sancti auctoritatem certam fidem non facere, sed neque plurium, reliquis, licet paucioribus, reclamantibus; *Hanc siquidem, inquit, felicitatem Deus in solis diuinis voluminibus, ineſſe voluit, quemadmodum Augustinus grauissimè ac verissimè tradidit. Cæteroqui nemo quantumuis eruditus & sanctus non interdum hallucinatur, non alicubi cæcutit, non quandòque labitur.* Quod multis comprobat exemplis sanctorum, qui circa fidem interdum bonâ fide errarunt. Itaque ad certam fidem suâ auctoritate faciendam in rebus fidei communem omnium, sanctorum Patruum consensum exposcit Canus. Quæ omnia

loco

loco citato efficaciter, & eruditè demonstrat. Multa præterea de auctoritatis Doctorum gradibus, deque varietate approbationum doctrinæ eorum videri possunt apud eundem Canum *libro 5. cap. 5.* Abulens. *in defens. part. 2. cap. 80. & sequentibus.* Azor. *lib. 2. cap. 14.* Turrecremata *super Decretum, distinct. 9. & 15.* Bann. *1. part. quæst. 1. art. 8.* Grabin. *tom. 3. præscript. part. 1.* & alios præsertim scribentes super *cap. Gloriosus* de reliquis, & veneratione Sanctorum, *in 6.*

73 Et quidem auctoritati puræ humanæ esse rationem præferendam insuper docet Augustin. *lib. 19. de Ciuitat. c. 3. & lib. 2. de ordine c. 9.* Estque latissimè probatum *in lib. de Placitis Philosophiæ intento 2. Prologi.* Multaque ad rem tradunt Hostiensis *in Proœmio Summæ.* Abbas *in c. Cappellanus de Feriis.* Turrecrem. in Decreto *distinct. 9. & 15.* Sarmiento *lib. 2. Select. cap. 10.* quibus consonant sanctus Thomas *in lib. 1. Ethic. lect. 6.* & Aristoteles *ibidem.* Necnon Socrates in Charmide scribens, *Considerandum semper esse verene dictum sit, non quis dixerit.* Et Plato in Phædro, *Oportet præter Hippocratem vtrum nobis disputationis ratio constet.* Quo etiam spectat illud Quintiliani *libro decimo. institut. cap. 2. Pigri est ingeny contentum esse iis, quæ ab aliis sunt inuenta.* Et *cap. 5. Non semper est desperandum aliquid illis, quæ dicta sunt melius posse reperiri.* Porrò prætexitis Auctoribus communiter, plùs, quàm præsentibus deferri, vt solet, inuidiæ præsentium attribuunt aliqui. Quo circa Velleius Paterculus *lib. 2.* dixit: *Nos præterita veneratione prosequi, inuidia præsentia, his nos obrui, illis vero instrui credere solitos, atque audita libentius, quàm visa laudare.* Et Martialis lib. 5. Epigramm. 10.

Esse quid hoc dicam; viuis quòd fama negatur:
Et sua quod rarus tempora Lector amat?
——Hæc sunt inuidiæ nimirum regula mores;
——Præferat antiquos semper vt illa nouis.

74 Iam verò quòd multi viri ingenio, & sapientiâ, aut etiam sanctitate eximij in iis, quæ humanitùs iudicarunt, & scripserunt, sæpè decepti fuerint imprimis cernitur in S. August. qui in libris suarum Retractationum multa reprobat tanquam falsa, quæ priùs docuerat vt vera, multaque subinde vera censet, quæ prius reputauerat falsa, in quibus omnibus propterea aliquando deceptus est. Idem apparet in sancto Thoma, in cuius operibus multæ propositiones extant aperte sibi contradicentes, præter eas quæ tantùm specie tenus oppositæ sunt: quidquid conetur Petrus Bergomo omnes ad concordiam reducere, à sensúque oppositio vindicare in tabulâ, quam fecit earum, vnde petendæ sunt. Ex oppositis enim re verâ, quæ posterius tempore sunt scriptæ à sancto Doctore aliarum sunt quædam retractationes. Quocirca Caietanus *1. part. quæst. 34. art. 1.* ait *Diuus Thomas circa Verbum essentialiter dictum, quod aliquando concessit, mutauit opinionem.* Additque. *Nec derogat dignitati Doctoris, quoniam naturale est intellectui humano perfici in progressu temporis.* Ipseque S. Thomas *3. part. quæst. 9. art. 4.* inquit: *Quamuis alibi aliter scripserim.* Et Catharin, *lib. 1. pro immaculata Conceptione. fol. 53.* Sic habet. *De Diuo Thoma, etiam qui insignes Thomistæ habentur, Capreolus, & Caietanus fatentur ingenuè in nonnullis eum variè scripsisse, & posteriùs, quæ antea scripserat, retractasse.* Præterquam quod, vt fama est, S. Thom. suum Magistrum sanctum Augustinum imitatus, suum quoque librum Retractationum, qui tamen non exstat, dicitur conscripsisse. Quinimò fermè omnes alij Patres insigneſque Doctores Ecclesiæ, non in Philosophicis tantum, sed etiam Theologicis ad fidemque spectantibus rebus errores aliquos bonâ tamen fide habuerunt. Quorum plures refert Sixtus Senensis in suâ Bibliothecâ per totum librum 5. & 6. Vbi videndi.

Aristotelem autem in multis errasse contra fidem conspicuè in eius scriptis cernitur; Aliquosque 75
eius errores congerit sanctus Antoninus *parte 4. titulo 11. capite 4. & 5.* Sed & in rebus ipsis Philosophicis sæpè eum deceptum fuisse, & errasse indubitatum est. Imò & in rebus Mathematicis, vbi facilius deprehenduntur errores. E. g. *lib. 4. de Cœlo*, dicit latitudinem figuræ esse causam cur corpora aquæ supernatent. & *in Problemat. sect. 23*, Plus aquæ magis sustinere, quam minus, atque adeò in aquâ profundiore minus mergi nauigia: Quod vtrumque falsum est, & contra demonstrationes factas ab Archimede. Tum *lib 7. Physicæ*, ait lineæ circulari non posse dari rectam æqualem. Quod planè repugnat Archimedi, & possibilitati quadraturæ circuli ab eo demonstratæ, quam tamen ipse Aristot. sæpe fatetur. In *qq. Mechan.* errat reducens ad vectem primi generis cuneum, atque etiam remum, & temonem nauis; asserensque maioribus trochleis onera faciliùs attolli, &c.

Platonem itidem, Socratem, Zenonem, Epicu- 76
rum, alioſque huiusmodi illustres Philosophos multos errores habuisse, non solum contra fidem, sed etiam contra Philosophiam, indubitatum est. Ex quibus omnibus abundè manet consectarium nostrum probatum.

Consectarium 3.

Ad innouandum laudabiliter in scientiis hu- 77
manis, præsertim contra auctoritatem præcedentium Doctorum, non solùm acri ingenio, maturo iudicio, & discursu facili; sed magnâ insuper prudentiâ, atque discretione opus est, sinceroque solius veritatis studio ab omni nouitatis libidine prorsus immuni.

Imprimis enim nouitatis studioſi qui potiùs proferendi noua, quàm inueniendi vera tenentur cupidine, eaque præuenti & præoccupati scientiis incumbunt, valdè obnoxij incedunt erroribus. Humanæ doctrinæ non quod nouæ, sed quod veræ, sunt æstimandæ; & veritas vbicumque appareat amplexanda, nullibique despiciendа est: siue in rebus ipsis inculta, siue in libris iam ex culta inueniatur. Gemmæ quippe, argentum, & aurum, aliaque huiusmodi pretiosa non minoris habentur, dum ex scriniis iam depurata, elaborata, & perpolita percipiuntur, quàm dum impura, deformia & inculta capiuntur ex fodinis. Itaque ad securè innouandum, veritas ab omnibus, non nouitas est prætendenda; nec tamen deserenda eo titulo, quòd est cum nouitate coniuncta, qualiter, vel rudioribus item potest, atque etiam solet quandoque occurrere. Tametsi regulariter nouarum veritatum inuentio productioque selectis dumtaxat viris, ingenio doctrináque præstantibus congruat; cæteris per tritas iam vias præcurrentium, vti par est, vestigia prementibus. Vtrique autem ne deuient, aut errent, suppositо solius veritatis studio sincero prædicto, hisce prudentiæ regulis ducendi sunt,

Primò, In propositionibus per se notis iam à 78
præeuntibus Auctoribus determinatis tunc solùm

inno

innouandum est, quandoad id fundamenta idonea, quæ non innotuerunt illis, detecta sunt. Cæteroquin ei Auctorum determinationi regulatiter standum est, pro quâ maius steterit pondus auctoritatis: auctoritatis autē pondus tum ex Auctorum multitudine, tum maximè ex ipsorū qualitate pēsanda est. Dico *regulariter*. Quia interdum intellectui præstantissimo, cuius perspicaciæ, aut plus, aut certè nō minus, quàm præeuntiū iure possit deferri, fas erit contra omnes illos, absque nouo fundamēto detecto, solis propositionis terminis iudicare.

79 Secundò, In propositionibus per aliud notis, quæ ex principiis, aut ab omnibus, aut à meliore, Auctorū præeuntiū parte receptis, inferēdæ veniūt; à nemine tamen illorum aut illæ, aut earū oppositæ illarę sunt; quia discursus eorum eo vsque nō peruenerunt, vnicuique est licita, atque laudabilis innouatio; vtpotè quæ nulli præeuntium contradicens præeuntium scientiæ præbet augmentum.

80 Tertiò, in propositionibus per aliud notis, quæ ex principiis à meliore, siue magis authorizatâ parte Auctorū receptis, inferendæ veniunt, vnicuique est innouatio licita, atque laudabilis; vtpotè consentiens meli ori Auctorū parti, ipsorūque scientiā adaugens: tametsi cōtradicēs sit aliorū parti deteriori.

81 Quartò, In propositionibus per aliud notis, quæ ex principiis à deteriori siue minùs authorizatâ parte Auctorum receptis, inferendæ veniunt nulli est laudabilis, sed omnibus vituperabilis aut etiam illicita innouatio: quando talium Auctorum principia sententiæque improbabilia sunt; quia vituperabile, aut etiam illicitum est, ex principiis improbabilibus quidpiam inferre tanquam verum. Quando verò talium Auctorum principia sunt probabilia, tametsi minùs quàm opposita; licitum & laudabile erit in propositionibus ex eis inferendis probabiliter innouare: tametsi minùs, quàm innouare in inferendis probabiliter ex oppositis (Nisi fortasse eximia auctoritas inferentis suppleat aliquando defectum dictæ probabilitatis minoris.) Quia licitū & laudabile est amplecti iudicium probabile, etsi minus probabile: tametsi minùs, quàm amplecti iudicium probabilius.

82 Quintò, In propositionibus per se notis à præeuntibus Auctoribus nullatenus tactis, vel quia in eas non inciderunt, vel quia materiam earum non tetigerunt: necnon in propositionibus pariter antea intactis inferibilibus ex illis, licitum, & laudabile est vnicuique innouare. Dūmodo innouatio, vel euidens, vel saltem probabilis sit. Quia licitū, & laudabile est scientiam saltem probabilem nemini contradicentem inducere. Quæ omnes regulæ tū ex se, tum ex dictis, in præcedentibus satis sunt notæ.

83 Ex quibus vniuersaliter concluditur, licitam & laudabilem esse nouitatem cuiuslibet omninò scientiæ siue iudicij humani vel euidentis, vel probabilis: vituperabilem verò, aut etiam illicitam esse nouitatem cuiuslibet scientiæ siue iudicij humani improbabilis. Qualia autem iudicia probabilia, & qualia improbabilia censenda sint, per vniuersalem de probabilitate, & improbabilitate doctrinam traditam *disp.6.* diiudicandum est.

Consectarium 4.

84 Ad eligendum inter sententias præeuntium Auctorū, siue illæ circa propositiones per se notas, siue circa per aliud notas scientiarū humanarū versentur. sua etiam prudentia, discretioque necessaria est.

Præter sententias enim euidentes, de quarum electione nemini est dubitandum. imprimis est necessaria prudentia ad discernendas sententias probabiles ab improbabilibus; vt, improbabilibus reiectis, de quarum pariter reiectione nemini potest dubium esse, ex probabilibus illæ, sicuti par est, eligantur, quæ vitæ fuerint probabiliores. Discernere autem inter magis, & minus probabiles, prudentiæ itidem opus est. Pro quo seruire potest tota doctrina tradita *suprà disputatione sexta*, cum regulis ad rem ibi etiam traditis. Recognoscantur.

QVÆSTIO IV.

Quænam præterea de scientiis humanis quæstiones hic ab Auctoribus tractari soleant.

Dico. Eæ, quæ sequuntur redactæ ad summam pro complemento disputationis præsentis, quia ad institutū, quod insequimur id satis est. 85

Quæritur autem primò. Quâ ratione scientiæ humanæ, aut à suis obiectis, aut etiam aliunde specificentur. Circa quam quæstionem quid à nobis dicendum, atque tenendum sit, ex generali doctrinâ de specificatione rerum præsertim respectiuarum tradita *suprà disput. 15.* facilè quisque potest colligere; nisi malit eam speciatim latéque tractatā videre apud P. Hurt. *disp.1. Metaph. sect.6.* Arriag. *disp.1. Log. sect.3.* Ouied. *contr.1 Log. pūct.3.* & alios. 86

Secundò quæritur. Quam vnitatem habeant singulæ scientiæ humanæ, & vnde eam accipiant. In quâ quæstione vt certum supponitur ab omnibus singulas scientias actuales; quarum quælibet vna appellatur: vt vna Logica, vna Medicina, vna Geometria, &c. vnitatem Physicam non habere; quia neque habent vnitatem Physicæ identitatis; cùm coalescant ex multis actibus inter se physicè distinctis: neque habent vnitatem physicæ vnionis; cùm coalescant ex multis actibus successiuè, & absque continuatione temporis ab intellectu humano conceptis, atque adeo physicè non vnitis. Vnitas ergo, à quâ vna dicitur quælibet huiusmodi scientiarum actualium, quasi moralis est, in aliquâ subordinatione, siue ordine affectuū, ex quibus constat consistens. Quæ quidem subordinatio, seu ordo, atque adeo vnitas singularum scientiarum quasi moralis ex variis capitibus sumi potest, seu deriuari in earum actus. Primò ex quauis subordinatione obiectorum. Secundò ex vnitate siue similitudine rationis, sub quâ illa attinguntur per actus scientiæ. Tertiò ex vnitate siue similitudine modi tendendi ipsorum actuum in sua obiecta. Quartò, demùm ex quavis omninò necessitudine, siue respectu considerabili, aut obiectorum actuum scientiæ, aut ipsorū actuū; siue inter se consideratorū siue relatè ad quoddam tertiū: Et quoniā penes huiusmodi respectuum diuersitatem actus humanæ scientiæ arbitrariè in plura, & minora, aut in paucrora, & maiora aggregata diuidi possunt, aut etiam ad vnum aggregatum omnes complectens reuocari. Idcirco scientiæ humanæ, aut plures, & minùs extensæ, aut etiam vnica tantùm si libuerit possunt signari. Quare nec penitus est dānandus Mirandulanus qui apud Conimbr. *in Proœm. Physicæ, q.1.* ad vnā reduxit omnes scientias humanas; nec reliquorū Auctorum est miranda varietas, qua diuersimodè illas in plures diuidunt. Provt cōstat ex dictis à nobis *suprà disp.21. q.2.* Hæc dicta de scientiis actualibus.

De habitualibus verò controuertitur inter Auctores. Quam vnitatem habeant, & vnde desumptam. Sunt multi qui dicunt singulas, quæ communiter distinctæ censentur, vt Logica, Medicina, Geometria &c. physicam eamque identitatis vnitatem habere; ita vt quæuis earum vnicus, & indiuisibilis physicè habitus sit, atque adeo vnica, 88

ca, & indiuisibilis physicè qualitas : indeque id nasci : quia ratio formalis, sub quâ vnaquæque respicit omnia sua obiecta, vnica saltem logicè est. Communior tamen est & longè probabilior sententia asserentium scientiarum etiam habitualium vnitatem, perinde atque actualium, quibus respondent quasi moralem tantum esse in aliquâ subordinatione, siue ordine partium earum consistentem. Pro diuersitate enim actuum vniuscuiusque scientiæ non posse non esse diuersas partes integri habitus, qui in intellectu gignitur ex ipsorum actuum repetitione, & in quo habitualis ipsas scientia consistit. De quibus apud Auctores præsertim Recentiores plura videri possunt.

89 Tertiò quæritur. Quo differant inter se scientia speculatiua, & practica. Inquove ratio scientiæ speculatiuæ, practicæque consistat : quæ quæstio à multis valdè fusè; prolixéque tractatur, cùm tamen ea, vt multi etiam aduertunt, de nomine sit, sicut & aliæ huius generis, quæ circa definitiones rerum versantur : eo quippè tota controuersia reducitur, vt statuatur quænam Scientia siue cognitio practica, & quænam speculatiua sit nuncupanda. Censeo, iuxta communem, & magis vsitatum modum loquendi; eam omnino cognitionem practicam venire dicendam, quæ & praxim, seu operationem ipsius cognoscentis habet pro obiecto, & ad eam exequendam cognoscentem ipsum dirigere, mouere, seu quoquomodo iuuare valet. Cæteras autem cognitiones omnes speculatiuas seu Theoricas venire dicendas. Quo posito sequitur primò : cognitionem habentem pro obiecto operationem alterius suppositi speculatiuam esse, non practicam. Secundò sequitur, cognitionem non habentem pro obiecto operationem ipsius cognoscẽtis, etsi ad eius exequutionem concurrat, vt concutrit cognitio de Deo ad amorem de eodem, non esse practicam, sed speculatiuam. Tertiò sequitur : cognitionem de operatione ipsius cognoscentis provt iam exequutâ, siue existente non esse practicam : quia ad illam exequendam nequit concurrere. Deber ergo esse, quo sit practica, de eiusmodi operatione provt exequibili. Quartò sequitur, vt cognitio sit practica, operationem, in quam tendit, non debere esse liberam : in brutis enim, atque etiam sæpe in hominibus cognitiones practicæ dantur de operationibus non liberis. Quintò sequitur, vt cognitio sit practica, non debere esse de operatione expositâ errori. Alioquin Deus nullam cognitionem haberet practicam: quod est absurdum. Sextò sequitur non ad solas operationes connaturales cognoscenti, sed etiam ad ipsi supernaturales cognitiones practicas dari. Quæ nimirum & illas habent pro obiecto, & ad illas concurrunt. Septimò sequitur, vt cognitio sit practica non satis esse quod ex intentione extrinsecâ cognoscentis ordinetur ad praxim, & in eam influat: potest enim sic ordinari, & influere, quæ nõ habet pro obiecto ipsam praxim, provt requiritur ad cognitionem practicam. Octauò sequitur, cognitionem habentem plura obiecta respectu vnius practicam, & respectu alterius speculatiuam esse posse. Nonò sequitur, cognitionem siue practicam, siue speculatiuam respectu alterius cognitionis de se in se influxiuæ praxim esse posse. Decimò sequitur, scientiam in aggregato plurium cognitionum consistentem adæquatè esse practicam; si omnes tales cognitiones sint practicæ, (quod raro, aut nunquam eueniet,) inadæquatè verò, si tantùm aliquæ. Communiter tamen ea scientia quæ maiori ex parte practica est, practica solet dici absolute, præsertim quando cognitiones eius speculatiuæ, vel ex intentione scientis, vel aliunde sunt ordinatæ ad practicas in easque influunt, siue ad eas quoquomodo conducunt. Ex quibus palam est, quo pacto circa materiã huius quæstionis loquendũ sit.

Quartò quæritur. Quo inter se differant Scien- 90
tia & Ars. Dico Artem interdum latissimè vsurpari pro Scientiâ, cum Scientiaque subinde confundi. Vnde Arist *lib.* 1. *Post. c.* 1. Et *lib.* 1. *Rhetoricorum ad Theodectem*, Mathematicas disciplinas appellat Artes: quas easdem appellat scientias *lib* 8. *Topic. cap.* 2 & *lib* 13. *Metaphysicæ, cap. vltimo.* Paulo strictiùs solet etiam Ars vsurpari pro quavis scientiâ practicâ, atque adeo etiam cum scientiâ practicâ confundi. Strictissimè verò, & propriè sumitur Ars pro eâ facultate intellectuali, quæ dirigit hominem ad ea opera siue externa, siue interna exequenda, quæ & cadunt sub libertatem eius, & benè, aut malè effici possunt. Vnde scientia practica, quæ præscribit quo pacto eiusmodi opera rectè facienda sunt proprissimè, & strictissimè omnium dicitur Ars, iuxta communem & visitatum loquendi morem. In quo non est cur amplius moremur.

Quintò quæritur, An detur scientia demon- 91
stratiua de singularibus, de contingentibus, de corruptibilibus, ac de entibus per accidens. Quas nos quæstiones suprà resoluimus *disp.* 20. *q.* 11.

Sextò quæritur, Quomodo scientiæ subal- 92
ternentur inter se. Dico, Duplici ex titulo dici communiter vnam scientiam subalternari alteri. Primò, quia obiectum illius, sub huius obiecto continetur tanquam inferius sub superiori. Secundò, quia illa huius conclusionibus, aut etiam principiis vtitur ad suas conclusiones in propriâ materiâ probandas. Priori modo subalternantur Metaphysicæ strictæ, seu Primæ Philosophiæ cæteræ fermè scientiæ. Posteriori autem eidem Primæ Philosophiæ subalternatur Logica, & Physiologiæ Medicina. Ex quibus duabus subalternationibus prior magis propria est, quàm posterior. Addunt aliqui tertium subalternationis modum pro scientiis, quarum subalternata de eodem obiecto subalternantis agit, sub differentiâ, tamen quadam accidentali ipsi, quo pacto Perspectiua de quantitate, quod est Geometriæ obiectum agit sub differentiâ visualis. Cæterùm subalternatio hæc à primâ duarum præcedentium non differt; quia omnis scientia de obiecto inferiori scientiæ de obiecto superiori subalternata, iuxta eum modum de obiecto agit coalescente ex ipso superiore, & differentiâ propriâ, quæ ipsi obiecto superiori accidentalis est; atque ita de eodem obiecto scientiæ subalternantis sub differentiâ accidentali ipsi agit. Itaque Perspectiua eo primo subalternationis modo est subalternata Geometriæ, nõ tertio ab illo, & à secundo diuerso. Addunt præterea alij quartum pro scientiis subordinatis, vt media ad finem: quo pacto Ars Frænofactoria subordinatur Equestri, & vtraque Militari, sed huiusmodi subordinatio magis adhuc impropriè venit appellãda subalternatio: multique renuunt propterea eam subalternationem vocare. In quibus omnibus subinde solum de modo loquendi potest esse dissidium.

Septimò quæritur. Quomodo inter se differant 93
scientia euidens; opinio, & fides. De quo satis est dictum *supra disp.* 2. *q.* 2. *diuis.* 12. Quæritur item, an scientia euidens, opinioque, aut fides de eodem obiecto possint in eodem intellectu coniungi. Necnon an ex motiuo talis scientiæ, talisque opinionis, aut fidei possit idem numero actus simul enasci. De quibus etiam est dictum satis *disp.* 4. *q.* 5. & 6.

TRA

TRACTATVS VI.

DE INSTRVMENTIS, REGVLISQVE SCIENDI.

Atque adeo de Arte mirabili quamlibet scientiam compendiariâ viâ addiscendi, tractandi, docendi, ac sine fine propagandi: tum de re quauis pariter sine fine dicendi, seu disserendi.

1 *AD decem capita reduci possunt omnia instrumenta sciendi, ea sunt Obseruatio, Compositio, Diuisio, Definitio, Locatio, Combinatio, Argumentatio, Translatio, Memoratio, Traditio. Quæ totidem disputationibus in hoc tractatu sunt exponenda; adiunctis in singulis regulis ad vsum vniuscuiusque instrumentorum idoneis. Quomodo autem Ars vniuersalis sciendi ex hisce omnino instrumentis, & regulis, prout à nobis fuerint exposita, constare debeat; & qualis demum ea naturæ & efficaciæ sit, in sequente disp. præmittendum est.*

DISPVTATIO XXIII.

De natura siue scientia, existentiaque, & accidentibus Artis vniuersalis sciendi.

2 TRADITVRI in sequentibus Artem sciendi vniuersalem de naturâ, possibilitate, & existentia deque accidentibus tum contingentibus, tum necessariis eius, nonnulla in præsenti disputatione præmittere operæ pretium duximus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Ars vniuersalis sciendi.

3 ARtem vniuersalem sciendi dicimus in præsenti eam facultatem quâ instructus quilibet intellectus humanus in qualibet omninò scientiâ comparandâ, tractandâ, augendâ, tradendaque ita iuuari possit; vt cũ illa aut absolutè, aut longè faciliùs, certiùs, & breuiùs præstare valeat id, quod sine illâ aut absolutè non valeret, aut si valeret, difficiliùs ramen, & tardiùs, aut etiam à casu, & fortuitò. Scientiam autem hic vsurpamus latissimè, vti & in præcedentibus, pro quolibet omnino iudicio humano humanitùs pro præsente statu acquisibili, pro quolibetque aggregato huiusmodi iudiciorum aliquatenus subordinatorum vnà cum simplicibus apprehensionibus ipsis iudiciis subseruientibus.

4 Etenim, vt cæteræ fermè Artes hominem iuuant modo ad faciendũ absolutè, quod sine illis nõ posset, modo ad faciendum longè faciliùs, & expeditiùs; vt in Mechanicâ cerni potest, cuius machinis interdum homo subleuat pondus, quod sine illis subleuare non posset: interdum quod sine illis posset, faciliùs subleuat, & expeditiùs. Ita Ars hæc, de quâ tractamus, hominẽ adiuuare valet quandoque ad præstandũ, quod sine illâ absolutè nõ posset præstare in acquisitione, tractatione, atque traditione scietiarum, plerumque autem ad id præstandum faciliùs expeditiúsque. Et sicut per alias artes certâ viâ inuenitur id, quod sine illis casu dumtaxat, fortuitóque obuenire solet: vt in Venatoriâ, Bellicâ, Nauticâ, Architectu râ, Picturâ, & aliis huiusmodi licet videre; ita similiter per Artem istam intellectus humanus certis determinatisque viis assequi valet ea, in quæ aliàs nõnisi casu, & fortuitò solet incidere. Denique vt per alias Artes breui compendiariâ viâ assequuntur homines ea, quæ sine illis nõ nisi longissimâ, subindeque, & laboriosâ valdè assequerentur, vt in Typographiâ, Fusoriâ, Chymicâ, & similibus cernere est. Ita per hanc Artem breui, & compendiariâ via assequitur intellectus humanus, quod aliàs longissimâ. Quippe inter addiscere, docereque cum Arte istâ, & sine illâ, id interest, quod inter scripta compingere typis, & calamis; aut inter statuas fabricare fusione, & sculpturâ.

5 Dicitur autẽ Ars hæc sciendi vniuersalis. Quia talis est ex suo conceptu, & naturâ tum ex parte subiecti, cui prodest; tum ex parte formæ quam præscribit; tum ex parte materiæ propriæ, quam præbet, & alienæ ad quam extenditur; tum ex parte scopi, seu finis, in quẽ ordinatur. Ex parte quidem subiecti: quia nullus est intellectus humanus, qui in suis functionibus per hanc Artem nequeat iuuari, siue ille sit tardus, siue velox, siue sit hebes, siue acutus, siue confusus, siue perspicax. Vnusquisq; enim illâ fretus plus, minúsv:

minúsve iuxta capacitatem propriã proficiet, semper tamen longè ampliùs quam sine illâ. Iæpeque fiet, vt tardus, siue hebes intellectus cum illa maiores in scientiis progressus faciat, quam velox acutusque sine illâ: iuxta vulgare illud proloquium. *Claudus in viâ auteuertit cursorem extraviam.* Ex parte vero formæ: quia quã præscribit hæc Ars vniuersalissima est pro omni materia scientiarum. Ex parte autem materiæ propriæ, quia quam præbet ob suam vniuersalitatem in omnibus scientiis locum habet. Et ex parte materiæ alienæ: quia nulla est in sciẽtiis humanis, vbi non exerceat suam formam. Denique ex parte scopi, seu finis; quia ad rectè cognoscendum & sciendum omnia omnino cognoscibilia, seu scibilia, quæ humanitùs tam practicè, quàm speculatiuè scibilia sunt, primariò ordinatur, atque adeo etiam secundariò ad rectè faciendum quæcumque mediâ cognitione, seu scientiâ ab hominibus fieri possunt. Vnde patet per huiusmodi Artem, non solùm omnes scientias, sed etiam omnes Artes tum liberales, tum illiberales vniuersaliter perficiendas, atque promouendas venire; tanta eius vniuersalitas est, miraque virtus, & potentia. Quæ omnia ex dicendis fient conspicua.

6 Dicitur etiam Ars hæc mirabilis ars sciendi præcisè, eo quod finis eius potissimus scire cuncta scibilia est. Cum hoc tamen stat esse quoque illam artem rectè præstandi omnia, tum quæ ad cuncta scienda possunt conducere, tum quæ ex cunctorum scientiâ possunt enasci. Quo circa Ars est rectè addiscendi scientias omnes, easque rectè ordinandi, disponendi, tractandi, in dies augendi, ac sine fine propagandi. Ars est quamuis notitiam rectè aliis communicandi, siue docendo siue dicendo siue aliter quoquomodo manifestando; aut etiam persuadendo. Ars item est rectè faciendi, seu operandi tum physicè, tum etiam moraliter, quatenus Ars est perficiendi semper, & promouendi omnem omninò artem, disciplinam, atque doctrinam; vnde opera humana rectè, & ordinatè aut etiam affabrè facta proficiscuntur. Atque ita demum ars quoque est „ seipsam, suamque praxim semper, ac semper perficiendi. Quo mira eius vniuersalitas enitet ampliùs.

QVÆSTIO II.

An sit possibilis, aut etiam de facto detur Ars vniuersalis sciendi, qualis in præcedenti quæstione exposita est.

Propositio 1.

7 CEnseo non solum possibilem esse, sed etiam ad praxim sic reducibilem, vt effectus, quos promittit, re vera sortiatur.

Quod sit possibilis; primò demonstratur cæteræ omnes Artes humanæ, quibus ad sua opera molienda exequendaque artificiosè iuuantur homines; si enim cæteræ potentiæ hominis naturales cum suis operationibus Arte perfectibiles sunt; multæ subinde pro perficiendis illis sunt Artes possibiles, siquidem de facto dantur: vt constat. Quidni potentia intellectiua cum suis operationibus Arte pariter perfectibilis erit, Arsque subinde pro ea pariter erit possibilis, nimirum Ars vniuersalis sciendi, de qua tractamus?

8 Secundò probatur id ipsum. Quia omnis Ars in ipsã naturã fũdatur, quatenus obseruatis sedulò operationibus naturæ cum modis, quibus illæ exercentur, in promptu est animaduertere, quibus instrumẽtis, & regulis natura ipsa in eiusmodi operationibus adiuuari possit, & perfici. Sed non minùs, imò magis possibile est obseruare operationes intellectus humani cum modis, quibus illæ exercentur, animaduertereque quibus instrumentis, & regulis in illis possit ipse intellectus iuuari, & perfici, quam est possibile id ipsum præstare circa potẽtias cæteras naturales, quas cæteræ de facto perficiũt Artes. Ergo non minùs imò magis possibilis est. Ars vniuersalis sciendi pro intellectu iuuando, & perficiendo, quæ sunt possibiles pro cæteris potentiis cæteræ Artes, quas esse possibiles, cum de facto dentur, est certum.

Tertiò probatur, quia cæteræ fermè Artes humanæ, de quarum existentiâ, atque adeo possibilitate constat, normæ quædam sunt loquendo vniuersè, coniungendi coniungibilia, & seiungendi seiungibilia, quatenus opus est vt resultent artificiosi effectus, provt explicatiùs trademus *q.* 3. sed manifestè est possibilis norma coniungendi coniungibilia, & seiungendi seiungibila, quatenus opus est vt resultet scientia artificiosè comparata, provt constat ex *ibidem* dicendis: ergo possibilis est Ars vniuersalis sciendi. Demum de facto talis Ars datur, provt apparebit ex dicendis: ergo est possibilis. 9

Quòd autem ea sic fit ad praxim reducibilis, vt effectus, quos promittit, sortiatur; tum ex dictis constat, quatenus probant talem artem sciendi esse possibilem, quæ practicè talium effectuum productrix sit, tum ex dicendis *in seqq.* amplius constabit. 10

Propositio 2.

Ars vniuersalis sciendi, de quâ in præsenti sermo est, de facto iam datur re ipsa, in librisque scripta circumfertur: minùs tamẽ perfecta, minúsque exposita demonstratâ quam nos eam damus in isto opere. 11

Maiorem quippe partem huiusmodi Artis continet Organum Arist. siue Logica cui Rhetorica eiusdem Arist. Cic. Quintil. & aliorum affinis est. Potissima verò, ac præstantissima pars eius est Ars illa, quam dicunt mirabilem, Raymundi Lullij, cuius explicationes quædam sunt syntaxes Artis mirabilis Petri Tolosani; Digestum sapientiæ Yuonis Parisini, & aliæ huiusmodi. Pars etiam quædam non contemnẽda Artis vniuersalis sciẽdi in Arte Cyclognomonicã Cornelij Gemmæ cõtenta est. Aliaque pars quodammodo diuersa à prædictis est, quam Francisc. de Verulamio in opere cuius titulus est, *Instauratio magna*, præsertim in secundâ parte eius quam appellat *Organum nouum*, videtur prætendisse. Ex quibus fermè partibus tota ars vniuersalis sciendi coalescit. Vt ex dicendis in *seqq.* compertum fiet.

QVÆSTIONES III.

In quo vnicè consistat, ex quibusve instrumentis, & regulis vnicè constet Ars vniuersalis sciendi.

12 PRo resolutione huius quæst. suppono primo. Omnẽ artem humanã pro scopo habere effectum aliquem à se oriundũ, tanquam à norma dirigente ad quem effectum producendum cõmuniter vtiturars aliqua artificiosa, siue à se ordinatè præscripta vel cõiunctione coniungibilium, vel seiũctione seiungibilium. Aliæ quippe Artes effectus, quos prætendunt, potissimum causant applicando actiua passiuis; atque ita efficiẽdo, vt causæ naturales siue admotione, siue mixtione inuicẽ applicatæ, & coniunctæ naturaliter progignant effectus præintentos. Ita se gerunt Medicina, Magia, Agricultura, Coquinaria, Pharmacopœia, Plastica, Fullonica, Curatiua brutorũ, & cæteræ huiusmodi. Aliæ vero effectus, quos prætendunt potissimùm causant, vel miscendo, vel aliter coniungendo

gendo aliqua, ex quibus per modum compositionis citra naturalem generationem ipsi effectus resultãt. vt cernere est in Architecturâ, Picturâ, Typographiâ, Fabrili, Textoriâ, Sartoriâ, Sutoriâ, & similibus. Aliæ per seiunctionẽ potissimùm, ad quã reduci potest extensio, & motio, in effectus præintentos veniunt: vt Statica, Bellica, Nautica, Gymnastica, Sculptoria, Musica & cæteræ ad similes. Aliæ æqualiter fermè se gerunt vtroque modo, iam cõiunctione aliqua vtendo, iam seiunctione, seu motione.

13 Suppono 2. prætet potissimam artis operationem, ex quâ proximè resultat effectus artificiosus, quem ars habet pro scopo, plerumque alias operationes ad eandem artem pertinentes præcedere, per quas ipsa parat, præparatque siue disponit quæcumq; ad ipsũ effectum obtinendum prærequisita sunt. Sic præparat Architectura lapides, lateres, ligna, & cætera pertinentia ad materiam, ex quâ construendum est ædificium. Sic præparat Pictura colores, quibus pingenda Imago est, sic Fabrilis instrumenta, cũ quibus est Faber operaturus &c. Solet etiam ars interdũ præscribere quomodo effectus artificiosus in quẽ, vt in scopum, collimat, postquã est obtentus, est conseruandus, aut etiam ornandus, & perpoliendus, vel alio vectandus &c. quę operationes artis sunt ad potissimam subsequutæ.

13 His statutis, suppono 3. Artem vniuersalem sciẽdi pro scopo habere scientiam humanitùs ab hominibus, pro statu præsente acquisibilẽ de quouis omninò obiecto scibili: atque adeo iuxta dicta *disp.* 12. iudiciũ humanitùs ab hominibus pro statu præsẽte cõparabile de quauis omnino propositione obiectiuâ. Vnde ea erit huiusmodi Artis operatio potissima, ex qua proximè iudiciũ huiusmodi de quauis omnino propositione obiectiua veniat oriundũ. Venit autẽ proximè oriundum iudiciũ humanũ de propositione obiectiuâ ex cõparatione terminorũ eius, si sit per se ex ipsisve terminis noscibilis. Ex cõparatione autẽ aliarum propositionũ cum ipsâ, si sit noscibilis per alias. Per huiusmodi quippè cõparationes sese intellectui humano produnt connexiones, & conuenientiæ, oppositionesq; & disconuenientiæ tum terminorũ propositionũ per se scibiliũ; in quibus fundãtur, nituntur q; iudicia de ipsis affirmatiua, & negatiua; tũ propositionũ antecedentium cũ consequentibus per illas scibilibus; in quibus fundantur, nituntur q; illationes per quas hæ ex illis affirmatiuè atq; negatiuè inferuntur: provt ex doctrina tradita *supr. disp.* 19. *q.* 8 & sæpè aliàs repetita liquidum est. Itaq; cùm primùm intellectus humanus cõparando terminos, hoc est apprehendendo alios, vt subiecta, & alios vt prædicata, sicq; varias propositiones obiectiuas ex illis cõponendo, in aliquam incidit per se noscibilẽ affirmatiuè, vi cõnexionis immediatæ subiecti cũ prædicato, statim per huiusmodi apprehensiones cõparatiuas terminorũ talis propositionis ad illã affirmandã, seu affirmatiuè iudicãdam inducitur. Cũ primùm verò idẽ præstando, incidit in propositionẽ per se noscibilem negatiuè, vi oppositionis immediatæ subiecti cũ prædicato negabili, seu (quod in idem recidit) vi connexionis immediatæ subiecti cũ negatione talis prædicati, statim per huiusmodi apprehensiones cõparatiuas terminorũ talis propositionis, inducitur ad illã negandam, seu negatiuè iudicandam. Cũ primùm itẽ intellectus per aliquã experientiã excitatus propositionem obiectiuã ex subiecto pariter & prædicato compositã, & ex vi talis experientiæ per se noscibilem apprehendit, statim per tales apprehensiones mouetur ad illã iudicandã aut affirmatiuè, si sit propositio ex vi experientię positiuæ per se affirmabilis, aut negatiuè, si sit propositio ex vi experientiæ negatiuæ per se negabilis; idque independenter ab omni connexione, aut oppositione subiecti talis propositionis cum prædicato. Quæ omnia ex doctrina tradita *q. illa* 8. *cuata* cõperta sunt. Cũ primũ denique intellectus humanus cõparando propositiones obiectiuas, hoc est concipiendo alias cu aliis connexas, siue alias aliis oppositas, in aliquas incidit, quarum prima cum secunda connexa est, connexione ab ipso intellectu deprehẽsibili; si prima est per se noscibilis, aut aliunde iã ipsi nota; statim mouetur ad iudicandum illã provt connexã cum secunda, indeque pergit ad inferendum siue illatiuè affirmandũ secundã ex prima. Quòd si deprehendit primã secundæ esse oppositã, seu (quod in idem recidit) connexã cum negatione eius, ex prima vt sic iudicatâ mouetur ad illatiuè negandã secundam. Ex quibus apparet quomodo, per cõparationem terminorum atq; propositionum, proximè incidat intellectus humanus in omnia iudicia, atque adeo in omnẽ scientiã, quam pro præsente statu acquirit, de quibusuis obiectis, siue de quibusuis propositionibus obiectiuis tum per se, tum per aliud scibilibus ab intellectu ipso.

Quæ cum ita sint, manifestè sequitur primo Potissimum instrumentũ sciendi, siue acquirendi sciẽtiam humanã vnicè esse combinationẽ, quæ docet facere omnes collectiones, atque adeo omnes cõparationes possibiles ex quibusuis terminis, ex quibusuisq; propositionibus datis. Cũ enim per huiusmodi cõparationes proximè cadat intellectus, vt vidimus, in omnẽ scientiã, quam naturaliter acquirit, neque aliter quã per illas in vllius obiecti à se scibilis sciẽtiã possit cõnaturaliter cadere: eo quòd aliter quã per illas in nullius propositionis obiectiuæ seu per se, seu per aliud scibilis iudiciũ potest incidere, vt cõstat ex dictis. Necesse naturaliter est, vt quo plures intellectus humanus eiusmodi cõparationes fecerit, eò plurium propositionũ ex eis resultantiũ, sub easque quoquomodo cadẽtiũ scientiã acquirat. Vnde, si fecerit omnes cõparationes ex quibusuis terminis datis possibiles, provt præscribit ars cõbinandi, omniũ vtiq; propositionũ ex talibus terminis componibiliũ & per se scibilium ab ipso scientiam acquirit; si autẽ fecerit omnes comparationes ex quibusuis propositionibus datis possibiles, omniũ etiã earum per alias ex ipsis dictis à se scibilium acquiret scientiã. Et consequenter si faceret omnes cõparanes ex omnibus excogitabilibus terminis, ex omnibusque excogitabilibus propositionibus possibiles, omnium similiter propositionum tum per se, tũ per alios scibilium scientiã assequeretur. Quia tamen primum est impossibile, ob terminorum propositionumque excogitabilium infinitudinem; & secundum impossibile est. Per hæc tamen constat; quod dicebamus: Potissimum scilicet instrumentum sciẽdi, siue acquirendi scientiam humanam vnicè esse combinationem, seu artem combinandi, per quam scientia humana mirificè venit in dies augenda, eximiis profectò accrementis & nunquam finiendis. Nam licet per adæquatam combinationem alicuius dati numeri terminorum, atque ex iis nascentium propositionum, possit exhaurire scientia earum, quæ ex illis per fundamenta intrinseca, hoc est intra numerum ipsarum combinationum reperta, scibiles sunt; vt ex dictis colligere est. Semper tamen fortasse restabunt inter illas plurimæ ignotæ, & successu temporis sciendæ: eò quòd per fundamenta successiuè quærenda extrinsecus scibiles sunt. Ipsique termini & propositiones cum aliis & aliis sine fine combinabiles erunt; atque adeo compotes 15

præbere materiam scientiæ in infinitum augibilis, nec vndeque vmquam exhauriendæ.

Ex quibus sequitur secundò. Cætera instrumenta sub initium huius tractatus commemorata, ex quibus integra Ars vniuersalis sciendi, siue acquirendi scientiam coalescit, vni *Combinationi*, quæ huiusmodi Artis est pars potissima, quadamtenus subordinata esse. *Obseruatio* enim in aduertendis, seu notandis, scituandis, aut etiam quærendis terminis, quæstionibus, propositionibus, & illationibus obiectiuis, quæ sunt materia combinationis, distenta est. *Compositio* autem, & *Diuisio* adunando dispersa, & distinguendo confusa eandem materiam ad combinationem adaptat. Quam insuper perficit. *Definitio* omnimodam eius explicationem exhibendo. *Locatio* & illam, vt ad manum sit, suis in locis reponit; & loca item vbi inuenienda sit designat. *Argumentatio*, præterquam quod quidam est combinationis comes, seu potiùs immediatus effectus, sicut & iudicatio seu scientia ipsa, speciales insuper formas præscribit necessario inferendi, atque adeo infallibiliter per illas iudicardi de inuentis per combinationem. *Translatio* in quadam analogorum comparatione, quæ non sine combinatione fit, præcipuè consistit; specialique quoddam argumentationis genus pro effectu habet. *Memoratio* scientiam per combinationem comparatam docet repetere, & retinere. *Traditio* autem docet eandem aliis communicare: omniaque fermè instrumenta ista insuper combinatio ipsa transcendit; quatenus nullum fermè eorum absque vsu combinationis ritè, & scientificè venit in vsum. Nulla quippè fermè operatio intellectus humani ritè ab ipso peragi potest sine combinatione; hoc ipso quod modus, quem habet operandi, intelligendive, siue sciendi pro statu præsenti comparatiuus est. Quæ omnia ex dicendis latius *in sequentibus disputationibus* magis conspicua fient.

17 Vnde etiam amplius constabit, legitimam, & vnicam Artem vniuersalem sciendi, siue acquirendi scientiam humanam, imprimis ex *Combinatione*, deinde ex cæteris instrumentis recensitis, prout à nobis exponentur, constare.

QVÆSTIO IV.

Quid & qualiter censendum sit de Artibus siue Methodis sciendi hactenus traditis & euulgatis, quæ in scholis circumferuntur.

18 QVas ego vidi sunt. Organum Aristotelis, siue Logica, à multis post ipsum expositoribus explicata, sed parum aucta. Rhethorica tum ab eodem, & Cicerone, & Quintiliano, & aliis antiquioribus composita, tum à Modernioribus illustrata. Ars, quam mirabilem appellant Raymundi Lullij. Syntaxes Artis mirabilis Petri Gregorij Tolosani. Diæstum sapientiæ Yuonis Parisini Capucini. Ars Cyclognomica Cornelij Gemmæ; & Instauratio magna inchoata à Francisco de Verulamio. De quibus singulis sigillatim meum fero iudicium, vt sequitur.

De Logicâ, siue Dialecticâ.

19 Aristoteles à libro Categoriarum, siue Prædicamẽtorũ incepit suam Logicam. In quo post præmissam explicationẽ Vniuocorũ, Æquiuocorũ, Denominatiuorum, & eorum quæ in subiecto sunt, aut non sunt, de subiectoque dicuntur, aut non dicuntur, ad decem genera vniuersalia, ad decemve terminos generícos reducit cuncta ab intellectu humano scibilia, collocando sub singulis suo ordine quæcunque sub singulis subordinatè continentur, vel tanquam genera minus vniuersalia, seu species intermediæ, vel tanquam infimæ species, vel tanquam individua. Decem autem genera sunt. Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs, Habere. Quorum vniuscuiusque naturã, & passiones, partesque in quas diuiditur breuiter explicat. Subiungit, & exponit quædam prædicata multis prædicamentis communia, quæ Postprædicamenta appellantur. Vt esse opposita, esse prius, vel posterius, vel simul, & moueri aliquâ specie motus.

Sequuntur libri Perihermenias, siue de interpre- 20
tatione; vbi agit Aristoteles de significatione vocũ, de Nomine & Verbo, de Oratione, de Enũtiatione, siue Propositione, & eius speciebus; Deque propositionum oppositionibus.

Post hæc scripsit Arist. Priora Analytica, seu li- 21
bros de Priore resolutione: vbi latè tractat de argumentationis speciebus; potissimum verò de syllogismis, quod attinet ad eorum formam præscindẽdo à materia. In Posterioribus verò Analyticis, seu libris de Posteriori resolutione; postmodũ agit Arist. de Demonstratione, siue de Syllogismo demonstratiuo. Qui quidem, suppositâ legitimâ formâ, de quâ egerat Arist. in præcedentibus libris, à solâ euidentiâ materiæ euadit demonstratiuus, seu demonstratio.

Sequuntur libri Logicorum in quibus tractat 22
Arist. de Argumentatione, atque adeo de syllogismo probabili, qui Dialecticus dici solet, recensitis per otium locis, vnde argumenta probabilia peti possunt, ad disserendum circa quamuis quæstionem. Qui loci propterea dialectici dici etiam solent.

Postremò in libris Elenchorum Aristot. agit 23
de argumentationibus, atque adeo de syllogismis sophisticis, siue fallacibus, deque locis vnde sophistæ argumenta sumere possunt, aut etiam solent ad decipiendum.

Hæc Arist. in suâ Logicâ. Quibus addidit Por- 24
phyrius tractatum de Prædicabilibus, vt Prædicamentis Aristot. lucem adferret. Ex cæteris vero Interpretibus tum Arist. tum Porphyr. quidam doctrinam eorum paulo vberius explicarunt. Quidam vero præsertim Moderniores implicarunt potius, multis metaphysicis disputationibus in Logicam longè ab ipsâ alienis insertis.

Legitima quippè Logica ea scientia practica est, 25
quæ intellectum humanum in suis operationibus dirigit, atque ita eò tendere, ad idque proficua esse debent quæcumque tractantur in Logica, vt præbeantur instrumenta, siue regulæ practicæ, quibus iuuetur ac dirigatur intellectus humanus ad simpicitrer apprehẽdendum, iudicandum, & discurrẽdum, provt oportet, vt veritates, falsitatesque inueniat in omni materia scientiarum: illarumque subinde scientiam acquirat, & in dies augeat. Ad quem finem conducunt tractatus de terminis respondentibus simplici apprehensioni, tractatus de propositionibus respondentibus iudicio, & tractatus de argumentationibus correspondentibus discursui: quæ sunt tria genera operationum intellectus humani, iuxta latiùs dicta *supra disput. 2.*

Porro ad tractatum de terminis pertinent Prædica- 26
menta Arist. quatenus ordinationes quædam locique quidam sunt terminorum, atque adeo ad id instrumen

instrumentum sciendi spectant, quod nos locationem vocamus. De quo *latè infrà*. Pertinent etiam ad tractatum de terminis vniuersalia, siue prædicabilia Porphyrij, de quibus nos egimus *disp.* 17. nec non cætera, quæ de terminis addunt Logici, tradita à nobis *disp.* 18. quæ quidem vel conferunt, vel spectant ad aliud sciendi instrumentum. Quod *obseruationem* appellamus: de quo etiam *infra*. Pertinent etiam ad tractatum de terminis *Definitio*, & maiori ex parte *Compositio*, & *Diuisio*: De quibus etiam logici Aristotelici agunt: suntque tria alia instrumenta sciendi explicatiùs à nobis, quàm ab illis *inferius* tradenda. Ad tractatum autem de propositionibus pertinent tradita ab Aristot. in libris Perihermen. & à nobis *disp.* 19. quæ ad aliqua ex instrumentis sciendi commemoratis, & fusius *inferius* exhibendis multum conducunt. Denique ad tractatum de Argumentationibus pertinent, quæ tradita sunt ab Arist. in libris Priorum & Posteriorum, atque etiam Topicorum, & Elenchorum, & à nobis copiosiùs *supra disputatione vigesima*, conducuntque tum ad alia instrumenta sciendi, tum maximè ad *argumentationem*, quod vnum est è numero eorum. Quamquam autem, quæ de locis argumentorum Arist. in libris Topicorum tradidit, quodammodo videantur spectare ad potissimum sciendi instrumentum, quod est *Combinatio*, siue ipsum concernere. Tamen neque Arist. neque eius Assectæ mirabilem talis instrumenti vim, & energiam videntur agnouisse. Quandoquidem ne mentionem quidem expressam de illo fecerunt. Absque quo perspicuè exposito, prout nos illud dabimus *infra*, valde imperfecta proculdubio extitit hactenus Arist. Logica. In qua etiam alia ex instrumentis sciendi tradendis, aut absolutè aut quoad debitam perfectionem desiderantur.

De Rhetorica

27 Rhetorica (quam aliqui, vt *aliàs* tetigimus, dumtaxat discriminant à Logica, velut manum extensâ à compressâ) pro fine habet persuasionem, motionemq; animorum, vnde ea in perficiendâ dictione, quâ homines aliis hominibus suos manifestant conceptus, in ordine ad eos persuadendos, atque mouẽdos, distenta est. Quoad hanc autem partem satis perfecta videtur circumferri in Auctoribus, qui de ea scripserunt: Tametsi his temporibus minùs quam olim, quamque oporteret æstimata, ad praximque reducta sit. Habet tamen Rhetorica alteram partem præuiam (in qua præcipuè modo dicto Logicæ assimilatur,) cuius munus est quærere, & inuenire ea quæ aliis in ordine ad eorum persuasionem, motionemque dicenda sunt. Et in hac quidem parte *Combinatio* perspicuè exposita, qualiter vniuersalissimũ, ac præstantissimum est inuentionis instrumentum, etiam desideratur hactenus apud Rhetoricos.

28 Itaque Rhetorica in quinque omnino partes solet distribui. Prima est *Inuentio*, quæ docet apta argumenta ad persuadendum, & mouendum quærere, & inuenire per comparationem materiæ, de quâ tractatur, ad quædam loca communia, quæ designat, recensetque; & sunt fermè eadem, quæ Logica ad iuueniendum pariter argumenta pro suo fine idonea designat in libris Topicorum. De quibus nos *infra*. Et ab hac quidem parte, vt diximus, combinatio exactè exposita deest. Secunda pars est *Dispositio*, id est rerum iam inuentarum ordinata distributio respectiuè ad dictionem. A quâ profecto dispositione, siue ordinatâ compositione præcipuè dependet vis, & efficacia orationis, atque etiam ornamẽtum & decor. Distribuitur autem oratio in Exordiũ, quo leuiter auditorum animi ad dictionem reliquam præparantur. In Narrationem, quæ explicatio quædam est dicendarum rerum, & quasi fundamentũ, & sedes constituendæ fidei, seu persuasionis, & motionis. In Confirmationem præcipuã orationis partẽ, qua assumptum propositum rationibus, & argumentis stabilitur, oppositũque refutatur: & in Epilogum, quæ breuis quædam est omniũ dictorum recapitulatio, siue Perorationem, quæ nouas insuper ponderationes amplificationesve rationum addit, ad animos tandẽ excitãdos, seu permouẽdos. Tertia pars Rhetoricę est *Eloquutio*: eloqui autẽ est, ea, quæ prudenter inueneris & disposueris, idoneis verbis, ac sẽtentiis perpolire, & exornare. Is vero loquendo potens est, qui oratione suâ fidem facit, & animos flectit, & id quidem delectando. Circa hanc Rhetoricæ partẽ fusè tractãt Rhetores de omnibus, quæ ad eloquutionẽ conferunt, qualia sunt ornatus, & splendor verborũ, eorũ collocatio, & iunctura, Tropi omnes, atque Figuræ, stylus varius pro varietate materię &c. Quarta Rhetoricæ pars est *Memoria*, quam eloquentiæ thesaurũ meritò appellant, cuius mala fides summis nonnũquam viris magno rubori, & detrimẽto fuit; vt Ciceroni, Demostheni, Theophrasto, Herodi Attico, Heradio, Lyceo, Bartholomæo, Sotino, & aliis. Cum tamen è contra multi ea facultate ab arte proculdubio confirmata mirabiles extiterunt, vt Mithridates, Themistocles, Crassus, Cineas, Theodectes, Portius Latio, Seneca, Corosus quidã adolescẽs, teste Mureto, & alij. Esse quippè artem memorandi, quâ memoria naturalis mirificè iuuari possit, ex dicendis *disp.* 32. constabit vbi Artem istam exhibebimus. Quinta deniq; pars Rhetoricæ est *Pronũtiatio*, quę & vocis modos, & manuũ, & totius corporis motus ad aures astantiũ, oculosq; alliciẽdos regit: pro quo multæ, variæque regulæ tradũtur à Rhetoribus.

De Arte Raymundi Lullij.

Raymundus Lullius, quem Doctorẽ Illuminatum appellant, sæcularis cum esset & coniugatus in eremum pœnitentiæ causa secessit: ibique Artem quãdam sciendi composuit, non sine supernaturali aliquâ, vt fertur, speciali que inspiratione, quam primo latè scriptam Artem magnam, deinde vero ad summam redactam Artem breuem vocauit. Adeoque ad omnes scientias comparandas proficua, & efficax ipsam exercentibus visa est, vt Artis mirabilis nomen sibi arrogauerit. Diuisit autem illam Raymundus in tredecim partes sequentes. 29

Prima pars est de Alphabeto. vbi per. 9. litteras 54. termini significãtur circa quos Ars versatur: nimirũ.

B. Significat Bonitatem, Differentiam, verum, Deum, Iustitiam, & Auaritiam.

C. Significat Magnitudinem, Concordantiam, Quid, Angelum, Prudentiam, & Gulam.

D. Significat Durationem, Contrarietatem, De quo, Cælum, Fortitudinem, & Luxuriam.

E. Significat Potestatem, Principium, Quare, Hominem Temperantiam, & Superbiam.

F. Significat Sapientiam, Medium, Quantum, Imaginatiuam, Fidem, & Acediam,

G. Significat Voluntatem, Finem, Quale, Sensitiuam, Spem, & Inuidiam

H. Significat Virtutem, Maioritatem, Quando, Vegetatiuam, Charitatem, & Iram

I. Significat, Veritatem, Æqualitatem, Vbi, Elementatiuam, Patientiam, & Mendacium.

R. Significat, Gloriam, Minoritatem, Quomodo, Instrumentatiuam, Pietatem, & Inconstantiam,

Ex quibus terminis nouem, qui primo loco per dictas nouem litteras significantur, & transcendentes sunt, Principia absoluta dicuntur. Nouem verò, qui significantur secundo loco, & valde sunt vniuersales, Principia respectiua appellantur; Nouem autem qui tertio loco, quæstiones quædam sunt, vt apparet, dicuntur tamen in Arte Regulæ. Reliqui verò termini qui tres residuos nouenarios componunt, subiecta vocantur, & sunt. In quibus terminis sub litteris dictis combinandis, & variè comparandis totam profecto suam operam impendit hæc Ars.

30 Secunda enim pars eius est de Figuris. Quæ quatuor ponuntur. Prima est composita ex tribus circulis concentricis, in quorum centro ponitur A. Sunt autem Circuli diuisi in nouem partes, iuxta numerum litterarum Alphabeti, & in primo circulo ipsæ litteræ sunt distributæ. In secundo nouem principia absoluta in concreto, vt Bonum, Magnũ, Durans &c. Vnumquodque sub ea littera perquam significatur. In tertio autem circulo eadem principia in abstracto pariter distributa sunt, vt Bonitas, Maguitudo, Duratio &c. Secunda figura constat ex duobus circulis concentricis, in quorum centro est. T. & in primo litteræ Alphabeti sunt distributæ, in secundo autem sub illis varij alij termini, inter quos considerandæ veniunt principia respectiua Differentia, Concordantia, Contrarietas &c. Quæ sub ipsis terminis in nouem angulis trium triangulorum intra aream circuli interni decussatorum collocata sunt. Tertia figura est tabella omnium binariorum ex dictis nouem litteris possibilium. Quarta figura componitur ex tribus circulis primo fixo, & duobus interuis volubilibus seorsim circa centrum. In quorum singulis eædem litteræ Alphabeti sunt distributæ.

31 Tertia pars Artis est de Definitionibus, nempe principiorum absolutorum & respectiuorum, quæ sunt in Alphabeto primo, & secundo loco posita. Hi namque 18. termini dumtaxat definiuntur.

32 Quarta pars est, de Regulis, siue quæstionibus in Alphabeto positis: circa quas aliud non fit quam singulas diuidere in varias species, siue membra quæ sub se continent.

33 Quinta pars est, de Tabula quadam generali habente septem columnas, & in singulis viginti quadrata claudentia in se totidem quaternarios, compositos ex tribus litteris Alphabeti & littera T. variè interposita, quæ significat litteras Alphabeti, quæ sunt ante ipsam, pertinere ad primam figuram, quæ verò post ipsam ad secundam.

34 Sexta pars est, de Enacuatione tertiæ figuræ, quæ fit comparando omnes sex terminos vnicuique litteræ correspondentes, tum inter se, tum cum terminis alterius litteræ, cum illa componentis binarium aliquem ex pertinentibus ad tertiam figuram.

35 Septima pars, est de Multiplicatione quartæ figuræ: quæ fit circumuoluendo illius circulos, & comparando eorum litteras omnibus modis possibilibus per ternarios.

36 Octaua pars est, de Mixtione Principiorum, & Regularum siue quæstionum Alphabeti, quæ fit comparando cuncta ista inter se omni comparatione, atque adeo omni combinatione possibili.

37 Nona pars est, de nouem subiectis, quæ quarto loco significantur per nouem litteras Alphabeti, vbi eorum conditiones assignantur, & quomodo illis alij Artis termini conueniant explicatur.

Decima pars est, de Applicatione nimirum terminorum Artis quæ triplex distinguitur, scilicet Impliciti ad explicitum, Abstracti ad concretum, & quæstionis ad loca Artis. 38

Vndecima pars est, de centum formis, quæ sunt centum quidam termini vniuersales, agiturque de quæstionibus, quæ iuxta alias partes seu loca Artis circa vnumquemque huiusmodi centum terminorum, necnon circa alios Artis effici possunt. 39

Duodecima pars est, de Habituatione, vbi docetur; quomodo intellectus habituandus est ad hanc Artem per exercitium eius. 40

Decima tertia pars est, de modo docendi hanc Artem, qui breuiter exponitur 41

Hæc summa Artis Lullianæ, ex quâ patet, totam eam in tradendis variis modis combinandi, atque adeo comparandi terminos propositos distentam esse, proindeque artem quandam combinandi vnicè esse; vnicumque instrumentum combinationis: (quod inter omnia instrumenta sciendi potissimum est, vt *suprà* notauimus) in se continere, minùs tamen perfectè propositum (nisi ego fallor) quam nos illud dabimus *infra disp.* 29. 42

Primò enim videtur Ars ista deficere, quòd non demonstrat quot sint combinationes, siue collectiones possibiles ex terminis datis, & quomodo illæ adæquatè confici, siue percurri possint. Secundò quòd solum videtur agere de binariis & ternariis; non item de quaternariis, quinariis, & aliis collectionibus, seu aggregatis ex datis terminis factibilibus. Tertiò quòd per multas regulas variè formatas (quasi varietas formarum mysterium contineat) non sine aliqua confusione, & praxis difficultate tradit id, quod per vnicam aperte, & absque mysterio tradi potest: vt videbimus *disp. citata*; Nimirum adequata datorum terminorum combinatio, quam solum hæc Ars potest prætendere; nec tamen per omnes suas regulas videtur assequi. Quartò quòd non aduertit, regulas suas non solum circa terminos vniuersalissimos, quos præ se fert, sed insuper circa specialiores singularum scientiarum debere exerceri, vt harum veritates speciales per Artem hanc inueniri queant. Vnde factum est, vt multi Lullistæ decepti per solam combinationem terminorum huius Artis omnes scientias, etiam quoad earum speciales veritates acquiri posse putent, & frustra tenent. Cùm sit certissimum ex terminis vniuersalissimis huius Artis, qui omnes scientias transcendunt, solas vniuersalissimas veritates, in quibus omnes conspirant, posse consurgere. Atque ita ad deprehendendas specialiores vniuscuiusq; scientiæ, specialiores vniuscuiusq; scientię terminos debere combinari. Quintò denique videtur Ars deficere, aut certè eius expositores, quòd non aduertunt, combinationum ex datis terminis possibilium multas debere reiici, tanquam inutiles in ordine ad faciendam scientiam vtpote quarùm extrema neque connexionem inter se neque oppositionem, neq; aliud necessitudinis genus habent ad scientiã faciendam requisitum iuxta doctrinam in *præcedentibus* traditam præsertim *disp.* 19. *q.* 8. *& disp.* 22. *q.* 2. Quo fit vt multi Lullistæ, dum ex omnibus omnino combinationibus terminorum Artis argumenta teneantur, deprome re ad comprobandum id, quod intendunt, multa argumenta fæpe producunt non solum debilia, nulliusque roboris ad propositum, sed contemptibilia penitus atque ridicula. Quo & ipsi Arti contemptum, inuidiamque conciliant,

De

De Syntaxibus Artis mirabilis Petri Gregorij Tolosani.

44 Hic Auctor in opere isto aliud non præstitit, quam Artem Raymundi Lullij sub aliâ formâ, seu potius sub nullâ speciali, quoad materiam vero nonnihil auctam tradere. Proponit enim syllabum siue tabulam terminorum, (quam Speculum vocat) continentem imprimis eos fere omnes, quos ponit Raymundus in suo Alphabeto, insuperque decem genera prædicamentorum Aristotelis, & alios quosdam. Deindeque prætermissis figuris & regulis Lullianis, nullaque speciali methodo siue regula combinandi exhibita generatim supponit, per comparationem, aut etiam reductionem reliquorum omnium terminorum ad istos vniuersaliores sui *Speculi*. Perque istorum item comparationem inter se in materia omnium scientiarum sine fine discurri posse. Prætereà ipsos *speculi* terminos latè explicat, variaque dat vniuersalia sciendi præcepta, quæ eadem fere sunt quæ dantur in Logica Arist. & in Arte Raymundi. Ac tandem vt in omnibus discurrendi, seu differendi materiam præbeat, discurrens ipse per omnes scientias, vniuersalioribus singularum principiis & conclusionibus propositis, vniuersalem quandam singularum præbet notitiam. Vnde ex pertinentibus ad veram vniuersalem Artem sciendi contenta in Logica Aristotelis, & in Arte Raymundi tangit. Sed minus explicatè, minus disertè, & minus precisè, quam opus est. Quo neque Logicam Aristotelis, neque Artem Raymundi aut multum promouet, aut à defectibus absoluit.

De Typo omnium scientiarum Ægidij Moncurtij.

45 Hic Auctor Ordinis Minimorum S. Francisci de Paulâ est, & ipse Lullista. Qui in præscripto opere aliud non facit, quam explicare per modum dialogi inter concupiscentiam, & veritatem terminos Artis Lullianæ, vtensque illis ratiocinatur in materia præsertim Theologicâ. Vnde eius scopus esse videtur Artem Raymundi circa Theologiam practicare, breuiter accommodans ad hanc terminos illius, id quod etiam præstat DD. Petrus Sanchez de Lizarazo in suâ Lullianæ Artis expositione; vbi illam eximiè commendat, sicut & alij Lulliste interpretes eius Lupetus, Lauineta, Henricus Cornelius Agrippa, Gueuara, Delgadillo, & cæteri. Quorum tamen plerique communiter eius expositione, aut praxi deficere videntur defectibus fermè commemoratis *n.* 43.

De praxi Artis Lullianæ pro concionatoribus à P. Delgadillo Carmelitano conscripta.

Fuit hic Egregius Concionator Hispanus à 46
me bene notus, & ipse Lullista. Qui præter Commentarios quos edidit Artis Raymundi, seperatim in quadam Charta pro Concionatoribus speciatim proposuit: primo 20. quæstiones, secundo 100. terminos, tertio 8. vtilitates, quæ ex eorum Combinatione capi possunt. Omnia Hispano Sermone, quæ in Latinum versa sunt huiusmodi.

Quæstiones 20.

Si dispositi. Si assequitur. Si auget. Si conseruat. Si extendit. Si magnificat. Si faciliret. Si fructificet. Si eleuat. Si promouet. Si inclinat. Si vtitur. Si meliorat. Si communicat. Si reparat, Si debetur. Si correspondet. Si ordinat. Si requirit. Si metitur.

Termini 20.

1 --- Fides.	Spes.	Auxilium.	Vocatio.	Lux.
2 --- Amor.	Fidelitas.	Spiritus.	Nuditas.	Perfectio.
3 --- Bonitas.	Liberalitas.	Misericordia.	Beneficium.	Æstimatio.
4 --- Obedientia.	Timor.	Humilitas.	Resignatio.	Paupertas.
5 --- Oratio.	Secessus.	Vnio.	Altitudo.	Cupido.
6 --- Sanctitas.	Perseuerantia.	Propositum.	Renouatio.	Castitas.
7 --- Fortitudo.	Valor.	Expugnatio.	Resistentia.	Victoria.
8 --- Gubernatio.	Capacitas.	Prudentia.	Consilium.	Iustitia.
9 --- Pax.	Suauitas.	Prouidentia.	Præuentio.	Rectitudo.
10 --- Fœlicitas.	Summitas.	Appetitus.	Satisfactio.	Centrum.
11 --- Recognitio.	Conuersio.	Contritio.	Pœnitentia.	Iustificatio.
12 --- Puritas.	Superioritas.	Affabilitas.	Pulchritudo.	Splendor.
13 --- Gratitudo.	Imitatio.	Auxilium.	Gratia.	Redemptio.
14 --- Deificatio.	Religio.	Exemplum.	Patientia.	Mortificatio.
15 --- Deuotio.	Conscientia.	Limpitudo.	Quies.	Securitas.
16 --- Solicitudo.	Exercitium.	Ædificatio.	Dedicatio.	Sacrificium.
17 --- Libertas.	Triumphus.	Celebratio.	Restitutio:	Lucrum.
18 --- Reformatio.	Lex.	Proportio.	Examen.	Constantia
19 --- Distributio.	Protectio.	Correctio.	Præmium.	Vigilantia.
20 --- Plenitudo.	Abundantia.	Beneplacitum	Veritas.	Potentia.

Vtilitates. 8. ex prædictorum Combinatione.

1. Inuenire duo mille quæstiones circa quoduis punctum.
2. Probare vnamquamque quæstionem centum rationibus.
3. Explicare vnumquemque terminum centum descriptionibus.
4. Elicere ad tria, vel quatuor millia Maximarum, seu Principiorum.

5. Illustrare quemuis scripturæ locum per singula verba in infinitum.
6. Statutis aliquibus Maximis, siue Principiis per centurias discurrere ad probandum quoduis assumptum.
7. Examinare statum animæ propriæ.
8. Materiam Orationis mentalis inuenire distributis terminis per dies hebdomadæ.

Denique duo notat. Primum terminos non debere sumi abstractos, sed inter se contractos: secundum ex vnâ centuriâ multas fieri posse considerando illâm, secundum omnia latera. Hæc ex illo summatim.

47 Circa quæ noto. Benè hunc Auctorem aduertisse, Combinationem, quæ est scopus Artis Lullianæ, non solùm circa terminos vniuersalissimos ipsius Artis, sed circa quosuis alios esse exercendam. Elegit autem ipse pro concionibus prædictos, quòd sibi aptiores ad illas, & in numero proportionato ad praxim combinandi visi fuerint: posset tamen alios eligere, pluresque, vel pauciores. Quos autem ipse quæstiones nuncupat, termini etiam sunt verbales apti ad quæstiones atque propositiones, quæ sine verbis stare non possunt: cùm tamen alij sint nominales. Quare centum etiam ex illis, potioreque iure quam ex his debuisset ponere: sicut & iustè recensitis combinationibus ex eis possibilibus, exactiùs quæstiones, rationes, descriptiones, principia, &c. ex eis orirunda numerare. Tametsi hæc iuxta *superiùs* dicta totidem, quot combinationes esse non debeant.

De Digesto Sapientiæ Yuonis Parisini Capucini.

48 In hoc opere Lutetiæ Parisiorum impresso anno 1648. Nexum omnium scientiarum, veramque Encyclopædiam omnes scientias humanas comprehentem diu quidem quæsitam, & eo vsque nondum inuentam, putat se tradere Auctor iste, existimans eam haberi per vnicam combinationem terminorum transcendentium Artis Raymundi Lullij, quæ principia appellantur tum absoluta; vt sunt *Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas, Cognitio, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria.* Tum relatiua; vt sunt *Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Finis, Maioritas, Æqualitas, Minoritas.* Ad hæc enim 18. principia omnino omnes humanas scientias reduci: quibus propterea assumptis cæteros Artis Lullianæ terminos reiicit.

49 Diuidit autem Artem suam, quam nouam reputat, in tres partes iuxta tres humanæ mentis operationes: Apprehensionem videlicet, Iudicium, & Discursum. Et in primâ pro Apprehensione, quæ terminos simplices attingit, per totidem tabulas quot sunt principia commemorata, innumeros alios terminos cuilibet eorum subiungit, qui vel eum concernunt, vel ei opponuntur quoquomodo, speciatimque ex repertis in Bibliis sacris (quo quidem pacto omnes termini Calepini ad dicta 18. principia reduci possunt.) E. g. sub *Bonitate* ponit imprimis Communicationem, Auxilium, Vtilitatem, Pulchritudinem, &c. Reducens subinde ad horum singulos ordine Alphabetico concernentes, aut contrariantes quouis modo. Nempe ad Pulchritudinem reducit hos: Adorno, Amœnus, Amethystus, Apparatus, Barba, Capillus, Cæsaries, Compono, Comptus, Concinno, Decet, Decor & alios multos; multoque plures discurrendo per terminos Calepini posset eodem pacto reducere. Quod dicit se facere, vt habeatur magna copia terminorum ad discursus faciendos, quibus & principia ipsa, ad quæ pertinent, possint occultari. Similiter sub principio *Magnitudo* ponit velut titulos *Profundum, Continens, Numerus.* Et sub vnoquoque rursus terminos plurimos: & speciatim ex Bibliis Altum, Altitudo, Aaron idest mons, Abias, Æther, Agag id est tectum, Aceruus, Ager, Altare, Aquila, Arbor, Arduus, Arx, Ascendo, Astra, Cacumen, Cœlum, Caput, Cedrus, Cete, Circuitus, Collis, Conscendo, Cypressus, Desuper, Desursum, Effero, Elatus, Eleuo, Euectio, Exalto, Excelsus, Exhalo, Extollo, Fastigium, Firmamentum, Gigas, Immensus, Infinitus, Ingens, Libanus, Machina, Mons, Palma, Pinnaculum, Pinus, Pyramis, Scala, Solium, Statua, Sublimis, Surgo, Sursum, Sycomorus, Tabor, Thronus, Transcendo, Tribunal, Turris, Vapor, Vertex, & alios. Simili modo sub principio *Duratio* ponit vt titulos, *Conseruatio, Mora, Duratio mala, Continuatio*; & Repugnantia iis. Et sub vnoquoque plurimos terminos, præter eos, qui ex Bibliis. V. g. sub *Conseruatio*, Permanentia, Confidentia, Spes, Fortitudo, Columna, Constantia, Patientia, Reliquiæ Sanctorum, Prohibitio alienandi, Memoria, Immobile, Terra, Centrum, Consuetudo, Vsus, Præscriptio, Prosapia, Annales, Alimentum, Torpedo, Mora; *Repugnant continuationi* Intermitto, Interpono, Interrumpto, Luna, Lunaticus, Mare, Momentum, Nunc, Obliuio, Pinnula, Conuerto, Plebs, Corrumpo, Renascor, Renouo, Respiro, & alia plurima. *Repugnat Moræ Celeritas*, sub quâ ponit Abortus, Accelero, Accola, Alilia, Breuitas, Calcei, Carbasa, Alæ, Capra, Ceruus, Ciro, Curro, Ignis, Diligentia, Euoluo, Expedio, Pluma, Pondus, Amor, Præcurro, Repente, Rheda, Equi, & alia. Pariterque discurrit per cætera principia, & eorum contraria.

Iam in secunda parte Artis, pro secundâ mentis 50
operatione docet prædicta principia combinare, & consequenter etiam cæteros terminos ad illa reducibiles, *quia ad vnitos*, inquit, *ipsos, & combinatos terminos vniuersales, quod est mirabile, & longo meo experimento probatum, reducuntur omnes propositiones affirmatiuæ, & negatiuæ, quæcunque fieri possunt.* Combinationes autem principiorum facit, ponendo vnumquodque in recto, & cætera in genitiuo; quo pacto sub quouis resultant 17. Combinationes, & sub omnibus 306. quarum proponit Tabulas sic.

Bonitas.	*Duratio.*
Magnitudo bonitatis,	Bonitas Durationis,
Duratio bonitatis,	Magnitudo durationis,
Potestas bonitatis, &c.	Potestas durationis, &c.

Magnitudo	*Potestas.*
Bonitas magnitudinis	Bonitas potestatis,
Duratio magnitudinis	Magnitudo potestatis,
Potestas magnitudinis &c.	Duratio potestatis, &c.

Ostendit subinde quomodo cæteri termini Artis Lullianæ ad has combinationes reducantur. Nempe Deus reducitur ad omnes, Angelus ad Magnitudinem

gnitudinem cognitionis, Cœlum ad principium potestatis, &c. Quid autem contineatur sub quauis harum combinationum ex specialioribus materiis habet in tabula sub finem operis.

51 Denique in tertiâ parte Artis pro tertiâ mentis operatione docet, propositum quoduis thema reduci debere ad suum principium combinatum, vt intellectus de particulari fiat vniuersalis; deinde percurrenda esse singula combinata principia, vt ex illis ad propositam conclusionem probandam possint etui diuersa media propriis suis inductionibus illustranda. Exemplum ponit in hoc themamate. *Religio est homini conueniens.* Quod nouem rationibus probat, ex nouem principiis absolutis coniunctis cum relatiuis; quas currente calamo dicit se scripsisse, ex leuiter apprehensis ipsis principiis. Deinde exemplum ponit in hoc themate. *Melius est regere prudentiâ, quam vi.* Quod probat, discurrendo per 306. combinationes principiorum commemoratas, totidem rationibus, licet interdum valde succinctis, tanquam rationum seminibus, vt ipse ait, vbi vt plurimum non vtitur principiis ipsis, sed aliis terminis, aut æquiualentibus, aut concernentibus, aut quoquomodo ad ipsa principia reducibilibus, iuxta tabulas huiusmodi terminorum supra datas ab eo, à nobisque indicatas. Ne autem fastidio sumsit, omnes dictas combinationes percurrere ad quoduis thema probandum; dat aliam methodum, scilicet reducere thema ad sua principia, & ea combinare per circumuolutionem rotarum tertiæ figuræ Lullianæ, quam hîc apponit, & commendat. Aut per tabulam generalem eiusdem Lullij, quam hîc etiam depingit constantem septem columnis, quarum vnaquæque coalescit ex viginti collectionibus ternariorum interpositâ litterâ T. significante, quæ ipsam sequuntur litteras esse principiorum relatiuorum: Hucusque proœmium operis in quo, vt vidimus, exponit Artem.

52 Deinde verò discurrendo per singulas combinationes principiorum supra commemoratas; tanquam per quædam capita vnamquamque earum latè illustrat, multa adductâ eruditione vndequaque ac demum aliquo themate demonstrato ferme in hunc modum.

MAGNITVDO BONITATIS Miscellanea.

53 Dicit magnam bonitatem esse effusam largitionem, & bonam; cuius amplæ & effusæ largitionis plurima adducit exempla ex naturalibus, ex moralibus, ex politicis, ex historiis; adiunctis etiam sententiis eam laudantes.

Ex Iure Ciuili.

Congerit multa ex Iure Ciuili, citatis legibus de largâ, & magnificâ largitione seu plena beneficentia, deque spectantibus ad ipsam.

Ex Iure Canonico.

Idem præstat ex Iure Canonico.

Ex Theologia.

Idem ex Theologia citatis Sanct. Thom. August. & aliis apud quos ea sint.

Ex Bibliis.

Pariter decerpit, quæ huc spectant ex scripturis Sacris.

Demonstratio.

Magnum & integrum beneficicium conferendum. Hanc propositionem, siue hoc thema probat percurrendo 18. principia per totidem rationes ex eis desumptas; quo finit hoc quasi caput, venitque ad secundum, siue ad combinationem secundam.

Duratio bonitatis.

Quam dicit significare continuationem, vel moram in beneficiendo. Primumque circa continuationem multa affert exempla sententiasque cô spectantes & concernentes sicut in præcedente. 1. Miscellanea. 2. ex Iure Ciuili. 3. ex Canonico. 4. ex Theologia. 5. ex Bibliis. 6. ex Patribus. 7. Demonstrationem affert, vt in præcedente, per 18. principia, totidem rationibus huius thematis *Beneficium est continuandum.* Pariter se gerit circa *Moram* afferendo Miscellanea, ex Iure Ciuili, ex ex Canonico, ex Theologia, ex Bibliis, ex Patribus, demonstrationemque similem huius: *Beneficium sensim, & cum mora dandum.* Pergit, & similia suo ordine congerit circa *Celeritatem in dando*, quæ repugnat moræ: multa addit circa hunc nouum titulum; *vbi malum, simul nascitur antidotum.* Ex circa frequentem Communionem sub alio titulo; tandemque demonstrat hoc thema, sicut & alia, *Frequens Communio bonis optima.* 54

Potestas bonitas.

Seu *potens bonitas*, & *quantum possit.* Procedit suo ordine afferens multa. 1. Miscellanea. 2. ex vtroque Iure. 3. ex Bibliis. Demonstratque vt supra *Beneficia sunt potentia ad conciliandos animos.* 55

Cognitio bonitatis.

Primò affert Miscellanea circa, *Beneficium palam conferre*: & mox circà repugnans, *Latens beneficium.* Ponit Miscellanea, ex Theologia, & demonstrationem huius, *Latens debet esse beneficium.* 56

Voluntas bonitatis.

Seu *Appetitus boni.* Circa quod ponit Miscellanea. Et mox circa *Amor sui bonus*, multa Miscellanea, ex Iure Ciuili, Canonico, Theologia, Bibliis, Patribus, Philosophis, & demonstrationem huius; *Bonum quare appetitur.* Rursusque huius, *Oportet prius sibi quam alteri bonum velle.* Adiungit insuper Miscellanea circa hoc oppositum, *Respicere beneficia*; & demonstrationem huius, *Beneficium facile non accipiendum.* Iterumque Miscellanea, *Sub nocere.* &, *Peccans sibi nocet*; & demonstrationem huius, *Quando quisque sibi nocet.* Addit Miscellanea circa, *Malus & inordinatus sui amor.* Tum ex iure, Bibliis, Patribus; & demonstrationem huius, *Cauendum ab inordinato sui amore.* 57

Sic prosequitur cæteras omnes combinationes vsque ad finem tomi, qui valde ingens est. Sat tamen fuerit hæc pauca indicasse, vt methodus discurrendi in hac materiâ huius Auctoris cognoscatur ab iis, quibus sibi eius copia non fuerit. Qui quidem sub titulis, siue combinationibus, *Magnitudo cognitionis.* &, *Maioritas cognitionis*, multâ eruditione præterea contendit probare dari 58

vnam

vnam scientiam vniuersalem, cuius principiis omnes particulares compendio addisci possunt, & perquam omnia sciantur, qualem putat esse suam à se inisto opere traditam, sicut retulimus.

59 Cæterùm per nullam scientiam de principiis, aliisque veritatibus vniuersalibus, communibusque cunctis rebus scibilibus, omnes scientias particulares de singulis illis agentes, quoad proprias earum veritates addisci posse, sicut Auctor iste prætendit, tum ex dictis *in præcedentibus*, tum ex se est manifestum. Siquidem manifestum est, scientiam de genere neque esse per se scientiam de specie includente tale genus; neque ipsam inferre. Ex quo patet illum quoad hoc apertè falli; sicut & alios multos Lullistas putantes per solam Combinationem terminorum suæ Artis, in omnium scibilium notitiam, siue scientiam veniri posse, provt *suprà num.* 42. notatum est. Nec refert ad terminos tum Artis Raymundi, tum huius Artis Yuonis (quæ quidquid ipse dissimulet, pars quædam illius est) cæteros omnium scientiarum terminos eatenus dici posse reduci, quatenus illi vtpotè transcendentes in his omnibus reperiuntur, siue eis conueniunt. Quoniam ex hoc dumtaxat sequitur vniuersalissimas veritates ex illis terminis pullulantes, & per illorum combinationem ab intellectu reperiendas in omnibus pariter scientiis, quibus illæ sunt communes habere locum; quin tamen per earum notitiam specialiorum veritatum, quæ singularum scientiarum propriæ sunt, de veniri possit. Quòd si terminis specialioribus singularum scientiarum ad illos 18. transcendentes huius, & Lullianæ Artis, quod illos aliquo modo participant, semel reductis, vti eos in hac suâ Arte reducit Yuo; adhibitaque subinde combinatione eorum, multæ resultant, deprehenduntur que veritates ad scientias speciales spectantes; id quidem non inde nascitur, quòd tales termini specialiores ad tales terminos transcendentes reducti, & sub eis combinati sunt. Sed quod combinati absolutè, atque adeo non tantum quoad illas communes, sed insuper quoad proprias specialesque rationes inter sed comparati, tales speciales veritates progignunt, & exhibent, quales profectò pariter progignerent, & exhiberent, etiamsi nequaquam prius ad illos transcendentes reducti; sed aliàs, & aliter collecti & spectati similiter combinarentur. Vnde tandem concluditur in ordine ad acquirendam notitiam specialium veritatum singularum scientiarum invtilem esse laborem, quem exhibet Yuo, in reducendis omnibus terminis earum ad illas 18. transcendentes. In qua reductione potissimum stat specialitas, seu potiùs specialis expositio, siue illustratio, si quam habet Ars eius, Artis Lullianæ. Ad id vtique deseruit eiusmodi terminorum specialiorum ad illos transcendentes reductio, vt sciatur, & appareat, quomodo illi ob summam suam vniuersalitatem, seu transcendentiam in cæteris omnium aliquomodo reperiantur. Et consequenter veritates ex eis comparatis oriundæ pariter omnibus scientiis communes sint.

De Arte Cyclognomicâ. Cornelij Gemmæ.

60 Cuius inscriptio ita habet [*Cornelij Gemmæ Louaniensis Medicinæ professoris de Arte Cyclognomonica libri tres. Doctrinam Ordinum vniuersam, vnáque Philosophiam Hippocratis, Platonis, Galeni, & Aristotelis in vnius communissimæ, ac circularis methodi speciem referentes, quæ per animorum triplices Orbes ad sphæram Cœlestis similitudinem fabricatos, non Medicinæ tantum arcana pandit mysteria, sed & inueniendis, construendisque Artibus, ac scientiis cæteris viam compendiariam patefacit. Antuerpiæ ex officinâ Christophori Plantini.* 1569.] Ex inscriptione autem colligitur scopus operis. Quod sane valdè obscurè ac veluti mysteriosè procedit, propositis passim figuris variis, typis, schematibusque quibus ea, quæ docet velare, & obscurare potiùs quam explicare, & patefacere videtur. Expedit tamen quæ scripta in eo sunt summatim vtcumque referre, quo possit aliquale de ipso ferri iudicium.

In Libro 1.

Cap. 1. diuidit Artes, seu Methodos iuxta diuisionem finium, efficientium, materiarum & formarum earum; Artemque artium methodum solidam, Catholicam, & absolutam vocat, omnemque methodum reducit ad Analysim, Synthesim, & Peripheriam. Vocans Analysim diuisionem superioris in inferiora, synthesim vero abstractionem, siue adunationem inferiorum in vnum conceptum superius; Peripheria autem methodus circularis est. Et Analysis quidem inuentioni est aptior, Synthesis traditioni. *Cap.* 2. modum procedendi intellectus circa subiecta scientiarum describit, scilicet priùs magis communia per Analysim discutiendo, deinde minus communia. *A cap.* 3. *vsque ad.* 6. omnia ad ternarium reuocat, & vnitatem; & ita scientiam diuidit in Metaphysicam, quam reducit ad intellectum, & Physicam quam reducit ad imaginationem, & Logicam mediam, quam reducit ad rationem; vocatque ob id rationalem. Circa quod varias figuras, classes, ideasque depingit ex analogia ad mundos, quos ponit tres. Maiorem, qui est hoc vniuersum; minorem, qui est Homo; & tertium medium, qui est Respublica. In his cuncta esse per Analogiam dicit; iuxta illud Platonicorum, aliorumque celebratissimum axioma, *Quidlibet est in quolibet*, quod vt ostendat, multa congerit pronunciata, quæ & Iurisprudentiæ, & Theologiæ practicæ & Medicinæ communia sunt. De quibus nos *infra suo loco.* 61

A cap. 6. *vsque ad finem libri*, de circulatione, seu conuersione methodi exemplaris per quatuor genera causarum agit. Vbi etiam de amore latè, quem vniuersi clauigerum cum Orpheo vocat, & vniuersas causas complecti in se dicit. Eximiè etiam extollit ternarium numerum tum verbis, tum praxi totius operis; in quo cuncta reducit ad ternarium, ducitque iterum ad vnitatem, ait enim Deum, qui trinus, & vnus est, sibi similia cuncta creasse.

In Libro 2.

Latè in primis agit de causis in vniuersum: deinde de 62
causis methodi exemplari, efficienti, finali, materiali, & formali; quarum schema proponit, quod totius methodi, totiúsve Artis Cyclognomicæ veluti paradigma est in hunc modum.

Causæ


In Deo.
Archetypus
in naturâ, & diuinâ, fabricâ
Mundi maioris.
Mundi minoris.
Mundi tertij. & Reipublicæ.
in
Rebus Mundi.
Actionibus.
Studiis Fortunâ
Animorũ.
Corporũ.
Donorũ.
Remotissimæ, & exemplares; vt carceres primi, vel elementa Methodi.
Ordines & classes rerum actu iam, & rudiusculè perideâ Archetypum constitutæ
Metaphysica
Rationalis, vel Logica
Physica
1. 2. 3.
Causæ cõstitutrices Methodi, vel Artis Cyclognomonicæ
Præcedentes causæ Methodi
Efficiens
Primaria, vt facultas interior animi
Intellectus. Ratio. Imaginatio.
Secundaria, vel instrumentaria, & sine qua non
Obiecta intellectus. Obiecta rationis. Obiecta phantasiæ.
Finalis
Proxima, vt habitus, siue cognitio
Sapientia. Scientia. Opinio, vel Peritia.
Posterior; vt actio, vel effectus
Moralis
Ethica. Oeconomica. Politica.
Ad vitam necessaria
Mechanica. Liberalis.
Proximæ, & vere principes causæ, vtque principia Methodi intorna
Materies
Communis
Quæstio Responsio
& horum gratia
Compositio. Diuisio. Definitio. Demonstratio.
Proprias Methodi
Relatio Metaphysica ad idem.
Relatio Physica secundum idem.
Relatio Logica circa idem rerum, vel instrumentorum scilicet.
Forma
Accidentalis vt modus.
Essentialis
Via
A summis deorsum. A medio. Ab imis sursum.
Ordo
Simplex
Rectus
Analysis. Synthesis.
Circularis.
Compositus.

In

In libro 3.

63 Ad praxim artis accedit. Definit Methodum *Quæ est inuestigandi veri via compendiaria: cuius vis omnis potissimùm tum in instrumentorum, tum in rerum ipsarum ordinibus collocatur*, positis variis Methodi diuisionibus, quæ in schemate *supra* posito ferè continentur, nouem Canones assignat ad praxim. Primus est, vt conceptus finis qui se offert simplex in alios particulares quantum fieri possit diuidatur, seu dirigatur. Secundus est, vt mox obiecti triplicis mutua proponatur ob oculos necessitudo, sc. agentis, patientis, & vtriusque proportio, quod medium paragogon appellat. Tertius est, vt subiectum seu patiens in suas causas resoluatur, iuxta ordinem discursus in longitudinem ab intellectu. Quartus, vt idem subiectum iuxta discursum Physicum ab imaginatrice profluentem exploretur in latitudinem (quod præstat, quantum ex tabulâ possum colligere, comparando illud ad locos communes decem Categoriarum.) Quintus, circa idem principium passiuum, siue subiectum discurrere docet in altitudinẽ philologico, & à ratione deprompto; quod præstat comparando illud ad instrumenta logica, vel potiùs eam circa illud exercendo per circulos, tabulas &c qualia sunt compositio, diuisio, definitio, demonstratio. Hic ponit pro ordinatione doctrinæ cuiusuis hos versus.

Membra decem subeant animo tradenda docentis,
Subiectum, Series, Nomen, Finitio, Causa,
Effectus, Species, Partes, Cognata, Remota.

Posteà variis exemplis, figuris, tabulis canones præmissos illustrat, seu offundit potiùs. Sextus Canon, versatur circa medium paragogon, hoc est circa proportionem extremorum, vnde maximè sumitur iudicatio: distineturque in construendis classibus Indicationum: *est autem Indicatio similitudinis quædam vel dissimilitudinis notio inter agens, & passiuum, vim nobis futuræ actionis insinuans ex analogia, siue proportione vnius ad alterum*, (hîc namque agit de practicâ Indicatione) passim tamen agit de Indicatione proportionis subiecti ad prædicatum, causæ ad effectum, vel è contra &c. Atque id quidem secundum substantiam, quantitatem, & reliqua prædicamenta, quod sanè per longas & obscuras ambages figuratum eo spectare videtur, vt habitudo rerum quarumque comparatarum deprehendatur. Septimus Canon instruitur ad vestigandam naturam agentis (breuius quidem sed non clarius quam alia) vbi præcipere videtur, vt fiant resolutiones & discursus quemadmodum circa passum. Octauus Canon, ex ante dictis inuenire docet analogiam agentis ad passum, vbi docet Platonem vsum Methodo diuidendi (quam magnifecit,) quæ quidem non est simplex diuisio, sed mixta quædam ex resolutione & diuisione inter media: nimirum quia primum diuiditur subiectum in suas partes Logicas, vt beatitudo in animæ & corporis, deinde quoduis membrum diuisionis resoluitur in suas causas & media, siue principia; vt sunt beatitudinis virtutes prudentia, iustitia &c. quæ causæ rursus diuidendæ, & ita deinceps, donec primæ elementa pertingantur, quod quidem est, diuisionem miscere cum comparatione ad locos omnes. In quo sanè stat omnis ars, quam sub ratione diuisionis comprehendit Plato. Concludit autem vim omnem vbique: (hoc est in quibusuis scientiis, & artibus) in extremorum præcipuè analogia & proportione positam esse, quod variis probat exemplis, vtendo resolutione hactenus dictâ, vt inueniat proportionem extremorum secundum substantiam, quantitatem, qualitatem & cætera prædicamenta. Nonus & vltimus Canon docet cuncta dicta retexere via synthetica, quod per varios circulos præstat satis obscurè; hîc de Arte Lulliana despectè videtur loqui, eamque potius ad sophisticam, quam ad veras scientias comparandas deseruire posse suspicatur: hic tabulam locorum communium Dialecticorum tradit, quam suspicatur esse artificium Lullij. Compositoriam viam, siue syntheticam traditioni commodiorem *dicit* esse, à causis ad effecta: Resolutoriam siue analyticam inuentioni aptiorem vice versa. Rursusque addit agens de demonstratiua Methodo, à principiis ad conclusionem synthetice procedi, analytice autem à conclusione versus principia Compositoriæ. Methodi affert exemplum, cùm proposito particulari, visaque eius conuenientia cum aliis a, bstrahitur ratio conclusionis vtriusque, & sic deinceps: vt proposito homine abstrahi potest ratio animalis, rursus ratio viuentis &c. Diuisiuæ autem affert exemplum Vlpiani diuidendi ius in Naturale. Gentium, & Ciuile, rursusque in seruitutes, emptiones, venditiones & alias species, ad extremum Canones relatos sequentibus versibus comprehendit.

Quam sit multa scopi facies circumspice primum.
Harum quamque in agens, patiens, mediumque resolue.
Mens trahat in longum causas, elementaque passi.
Serpat & in latum signorum à sensibus ordo,
Perficies sphæræ mediâ ex ratione profundum:
Fiat, vt in passo medij resolutio triplex,
Et totidem effussæ classes ab agente ferantur.
E medio extremis petitur proportio rebus.
Componet resoluta viâ via versa priori

In Epilogo.

Inter alia ita habet, *Itaque à primo motore naturarumque Architecto Deo ad res omnes, & mobiles, & stabiles, & vnas, & triplices obiter demonstrauit, vt puncta suum opificem cuius Characterismo sunt insignita, vndique colant, obseruent, & admirentur: vt iuxta actionis, & passionis communissimam rationem artes omnes, & facultates, quæstiones, actiones, & studia ex Trinitate atque vnitate perpetua gubernentur. Est enim hæc omnis inter extrema principia duo, actiuum & passiuum, sc. seu res naturæ, seu rationis examines, quæ tamen extrema in vnius medij, seu Proxeneta terij vel Paranymphi cuiusdam ratione sunt comprehensa. In naturali quidem essentia, & artificiali inter agens, & patiens quærenda proportio: vti vtriusque extremorum affinitate vel pugna, in rationali complexu seu Dianoitico inter subiectum vt vocant, & prædicatum in communi medio, quod argumentum à Dialecticis appellatur. Vnde eius ternarij progressus à Deo incipiens per medias classes singulas, principiè per animam rationalem, seu mundum minorem vsque ad humanam rempublicam, seu mundum μικρότατον propagatur, vsque ad scientiæ, vel artis cuiuscumque inuentionem, vel compositionem similem tribus iis motibus analysi, synthesi, & vtriusque plena conuersione perficiendam. Vt enim in Deo est Pater, Verbum, & nexus vtriusque Spiritus sanctus;*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctus, ita & res mundi intelligibiles, atque sensibiles omnes catena quadam aurea in continuum sunt distributæ; ita & in anima rationali vigent hæ partes præcipuæ illius superior sc. & virtus inferior siue imaginatrix. Extrema hæc denique copulans ratio eademque ex parte confusa definiens absolutè. Ad normam omnium digesta est sphæra Methodicæ ratio, vel artis Cyclognomicæ nostræ in orbes potissimos tres, & rursum in singulis discursionum inuoluit orbitas totidem, velut in longitudinem, latitudinem, & altiudinem exporrectas. Longitudinis quidem methaphysicam ab intellectu ex relatione rerum ad idem principium. Latitudinis à Phantasia, seu Physicam viam ex relatione secundum idem potissimum. Altitudinis denique Logicam, vel rationalem à ratione possibili oriundam cum relatione potissimum orbis totius circa idem velut centrum.] Hæc ille quibus aliqualis operis anatome detegi videtur confusanee & vniuersaliter.

65 In hac Arte pauca video ad praxim vtilia præter instrumenta Logicæ nota, quæ tangit: de quibus nos *in sequentibus* latius agemus, tametsi nonnullas habeat notatu dignas obseruationes. Quarum potissima ea est, quam præ se fert ferè per totam de Analogia rerum, cuius profecto singularis obseruator, atque æstimator est ipsius Auctor tum in ipsa, tum in alia Arte, quam composuit & Cosmocriticam nuncupauit. Et quidem merito propterea, quæ de huiusmodi Analogia deque nouo instrumento sciendi pro illa addito *inferius* nos *disput.* 31. dicemus.

De Instauratione magna, deque nouo Organo Scientiarum Francisci Baconis de Verulamio.

66 Hic Auctor Angliæ Cancellarius hæreticus atque adeo damnatus est, sed istud ipsius opus cum expurgatione permissum. Quod quidem vt ex eiusdem Nouo Organo, Lugduni impresso anno 1545. constat, & *Instauratio magna* inscribitur, & in sex partes distribuitur, quas tamen omnes non videtur Auctor absoluisse, atque adeo neque euulgasse. Prima pars continet *Partitiones scientiarum.* Secunda pars est ipsum *Nouum Organum,* quod etiam vocat *Interpretationem naturæ.* Tertia est de *Phænomenis Vniuersi,* siue de *Historia naturali, & experimentali ad condendam Philosophiam.* Quarta pars appellatur *Scala intellectus.* Quinta *Prodromi,* siue *Anticipationes Philosophiæ secundæ.* Sexta *Philosophia secunda,* siue *Scientia activa.*

67 Et in prima quidem parte, quæ seorsim circumfertur impressa sub inscriptione *de dignitate, & augmentis scientiarum.* Imprimis ipsius *lib.* 1. post longam litterarum commendationem vindicationemque à calumniis, tres intemperies doctrinarum notat atque ponderat Auctor. Scilicet alia est doctrina phantastica, siue vanæ imaginationis: alia litigiosa, siue vanæ altercationis: alia mollis, siue vanæ affectationis, quarum postrema, & omnium pessima aut impostura aut nimiæ credulitati subnititur, valdeque subinde est obnoxia falsitati, & mendacio. Deinde quosdam alios morbos scientiis humanis valde aduersos recenset. Primò, Immodicum studium duorum extremorum Antiquitatis, aut Nouitatis. Secundo, Suspicio, quædam & diffidentia, quæ nihil nunc posse inueniri autumat, quo Mundus tandiu carere potuit. Tertiò, Existimatio, quod ex omnibus rectis veteribus optima semper fuit electa. Quartò, Præmatura atque proterua deductio doctrinarum in artes, & Methodos. Quintò, Renunciatio vniuersalis doctrinæ, & primæ Philosophiæ post peculiares scientias paratas. Sextò, Eximia reuerentia intellectus humani, qua se subdueunt homines à contẽplatione naturę & ab experimentis. Septima, Intrusio propriarum meditationum, & artium in quamuis doctrinam. Octauò, Impatientia dubitandi, & cæca festinatio decernendi. Nonò, Imperiosa tradendi methodus: neque omnia intrepidè affirmanda cum Epicuro, neque omnia sub dubio linquenda cum Socrate, & Academia. Decimò, Auersio à præcipuo scopo scientiarum, qui in eo est vt Arti quam quis profitetur aliquid præclarum adiiciat. Non in eo præcipuè, vt subtilis interpretis, vehementis antagonistæ, aut methodici abbreuiatoris, aut inutilis transmutatoris munus obeatur, quo vectigalia scientiarum augeri quidem poterunt: patrimonium, & fundus minimè. Vndecimò denique pessimus morbus, siue error est, Deuiatio à proprio scientiarum fine, qui est gloria Dei & humanæ vitæ subsidium. Præterea *libro secundo,* lustrationem generalem aggreditur omnium scientiarum seu doctrinarum in earumque deinceps diuisionem, & singularum explicationem incumbit, per omnes libros sequentes, vsque ad finem voluminis. Interim sedulo & accuratè adnotans, quænam earum partes neglectæ, incultæque iaceant, quænam omnino desiderentur, vt tandem demonstret posteris viam eas redintegrandi; nimirum per nouam methodum, quam molitur in hoc integro suo opere Instaurationis magnæ.

In cuius secunda parte de *Nouo, Organo,* siue 68
de *Interpretatione naturæ* nouam suam Artem. Sciendi tradit; quæ tota in eo posita est vt documenta præbeat ad veritatem quærendam, non intra intellectum mediis notionibus abstractis atque atque adeo confusis, quod præstat Logica vulgaris, sed intra res ipsas mediis experimentis ex eis sumendis. Quo circa ars imprimis est experiendi vrgendique naturam rerum, vt se se prodat per manifesta experimenta, ex quibus intellectus humanus itinere certo possit ascendere ad axiomata non tantum vniuersalissima, & remota; sed etiam minus vniuersalia, & proxima; eaque non mere notionalia, sed bene terminata ipsisque rerum medullis hærentia: per quæ non iam ad probabilem tantum, & contentiosam, sed ad certam stabilemque scientiam, eamque vt plurimum actiuam atque adeo generi humano valde vtilem veniri posset; idque non per viam syllogismorum, quam docet Logica vulgaris, sed per viam numquam hactenus tritam inductionum legitimarum exquisitarumque, quam monstrat hæc ars. Syllogismus quippe ex propositionibus constat, propositiones ex verbis, verba notionum tesseræ sunt. atque ita si notiones confusè sunt, & temerè à rebus abstractæ, nihil in iis quæ superstruuntur est firmitudinis. Itaque spes vna est in inductione vera certis experimentis subnixa.

Igitur *in libro primo, Noui Organi.* Per 130. 69
Aphorismos multa sententiosè pronuntiat de natura & proprietatibus, atque defectibus tum scientiarum tum humani intellectus. De erroribus, & deceptionibus, quibus humanus intellectus, vt putat ipse, aut plenus, aut obno-

xius inceſſit hactenus per viam vſitatam diſcendi, quam præſcribit vulgaris Logica, notionum ſcilicet abſtractarum, ex eiſque naſcentium ſyllogiſmorum. De obſtaculis, ac detrimentis ſcientiarum oriundis indidem, & ex neglectu experiendi, necnon ex defectu, aut etiam inſcitia veræ inductionis, quam ipſe per hanc ſuam Artem nouiter ſatagit introducere: de aliiſque multis ad hæc ſpectantibus. Poſt quæ *libro ſecundo*, accedens iam ad proponendam Artem ipſam interpretandi naturam, eam in duas partes partitur, altera eſt de educendis axiomatibus ab experientia, altera de ducendis experimentis nouis ab axiomatibus. Statuit autem debere imprimis præparationem fieri Hiſtoriæ naturalis, & experimentalis, quæ fundamentum, & baſis huius totius Methodi eſt. Quoniam verò huiuſmodi Hiſtoria varia eſt, & ſparſa, vt intellectui citra confuſionem compareat, intra ordinem idoneum ſiſti debere. Itaque formandæ ſunt Tabulæ, & coordinationes *Inſtantiarum*, id eſt rerum, ſeu ſubiectorum conuenientium in natura ſiue forma, de qua ſuſcipitur contemplatio, ratiocinatio, aut inquiſitio, E. g. Pro inquiſitione formæ calidi, inſtantiæ in tabula hiſtoricè proponendæ ſunt. Primò. Radij ſolis. Secundò. Meteora ignita. Tertiò. Fulmina comburentia. Quartò. Eructationes flammarum. Quintò. Flamma omnis. Sextò. Ignita ſolida. Septimò. Balnea calida. Octauò. Vapores, & fumi feruentes, & cæteræ huiuſmodi. Secundo, facienda eſt tabula *Inſtantiarum*, quæ priuantur natura data de qua agitur. Earum videlicet tantum, quæ magis cognatæ ſunt præcedentibus, ne abeatur in infinitum. Tertiò, facienda eſt tabula *Inſtantiarum*, in quibus natura de qua fit inquiſitio ineſt ſecundum magis, & minus, ſiue ſecundum gradus diuerſos, quales ſunt gradus caloris in diuerſis ſubiectis, aut in eodem pro diuerſis temporibus. Propoſitis autem, & latè, non tamen adeo expoſitis clare his tribus tabulis, quas *comparentiarum Inſtantiarum ad intellectum* appellat. [*In opere*, inquit, *Aphor.* 15. *ponenda eſt ipſa inductio. Inuenienda eſt enim ſuper comparentiam omnium & ſingularum inſtantiarum natura talis, qua cum natura data perpetuo adſit, abſit; atque creſcat, & decreſcat; ſitque limitatio naturæ magis communis. Vnde affirmatiue occurrent opinabilia, & notionalia, male terminata, & axiomata quotidie emendanda. Facienda tamen eſt*, ait *Aphor.* 16. *naturæ ſolutio, & ſeparatio. Eſt enim inductionis veræ opus primum ad inueniendas formas, Reiectio ſiue excluſiua naturarum ſingularum, quæ non inueniuntur in aliqua inſtantia, vbi natura data adeſt, aut inueniuntur in aliqua inſtantia, vbi natura data abeſt. Aut inueniuntur in aliqua inſtantia creſcere, cum natura data decreſcat, aut decreſcere, cum natura data creſcat. Tum vero per Reiectionem debitis modis factam ſecundo loco, tanquam in fundo manebit (abeuntibus in fumum opinionibus volatilibus) forma affirmatiua ſolida & vera & bene terminata.*] Iam *Aphoriſm. vigeſimo primo*, dicit poſt prædictas tabulas *Comparentiæ primæ*, & *reiectionem*, ſiue *excluſiuam*; pergendum eſſe ad reliqua auxilia intellectus circa *interpretationem* naturæ, & *inductionem* veram & perfectam; quæ quidem auxilia numerat, dicens [*Dicemus itaque primo loco de Prærogatiuis Inſtantiarum. Secundo de adminiculis Inductionis. Tertio de Rectificatione Inductionis. Quarto de variatione Inquiſitionis pro natura ſubiecti. Quinto de prærogatiuis naturarum, quatenus ad inquiſitionem, ſiue adeo quod inquirendum eſt prius, & poſterius. Sexto de terminis Inquiſitionis, ſiue de ſynopſi omnium naturarum in vniuerſo. Septimo de deductione ad praxim, ſiue de eo, quod eſt in ordine ad hominem. Octauo de Paraſceue ad Inquiſitionem. Poſtremo autem de ſcala aſcenſoria axiomatum.*] Quæ quidem totidem ſunt partes in quas hic ſubdiuidit Artem. Ex illis verò dumtaxat agit vſque ad *Aphoriſm. quinquageſimum ſecundum*, & finem huius libri ſecundi, de prima, ſcilicet de *Prærogatiuis Inſtantiarum*; hoc eſt de differentiis, ſeu de diuerſis proprietatibus earum: quas 27. recenſet & latè explicat. De cæteris vero nuſquam videtur ſcripſiſſe. Nam in hoc volumine ſolùm habet præter dicta, opuſculum breue, in quo deſcribit qualis debeat eſſe, & ſufficiat Hiſtoria naturalis, & experimentalis pro baſi & fundamento huius Artis, & Philoſophiæ comparandæ per illam; ſubiungens catalogum omnium Hiſtoriarum particularium, quæ conficiendæ ſunt. Alia verò duo, vel tria parua volumina huius Auctoris, quæ ſolum extare videntur (quorum præcipuum poſthumum eſt) de quibuſdam partibus Hiſtoriæ naturalis, & experimentalis ſunt ab ipſo compoſita. Ex quibus apparet eum Artem, ſeu Methodum ſciendi, quam molitus fuerat, inchoatam tantùm reliquiſſe.

Verum enim verò circa illam nonnulla 70
mihi certa videtur. Primum, eius Auctorem vehementer deceptum fuiſſe, quòd putauerit, & ſuppoſuerit omnes ſcientias humanas in vniuerſum ab experientiâ dependere, neque aliter quàm mediis experimentis venire acquirendas. Conſtat enim ex dictis in præcedentibus, atque etiam ex ſe Geometriam, Arithmeticam, Primam Philoſophiam, & alias huiuſmodi ſcientias Metaphyſicas independentes eſſe ab experimentis; vtpotè quarum principia experimentalia non ſunt, nec per experientiam noteſcunt; ſed per ſolam vim intellectus iudicatiuam ex ipſis terminis vniuerſalibus, ex quibus conſtant, apprehenſis deprehenduntur. Vnde manifeſtè etiam fallitur dictus Auctor, dum aſſerit ſcientiam ſubnixam notionibus vniuerſalibus, & abſtractis, nec terminatis in ipſis experimentalibus, atque adeo ſingularibus rebus, eo ipſo eſſe opinabilem, & incertam, erroribuſque valdè obnoxiam. Cum potius, quo ſunt vniuerſaliores, & abſtractiores termini ſcientiæ, atque adeo à ſingularibus experimentalibus remotiores, eò euidentior, & certior & minus erroribus expoſita ſcientia ſit. Vt patet in Geometria, Arithmetica, & Philoſophia prima; quarum certitudo, & euidentia maior adhuc eſt, vt implurimum, quam quæ per experientiam capitur in ſcientiis Phyſicis. Ex quo tandem apparet, in eo etiam dictum Auctorem deceptum eſſe, quod aſſerit; defectus atque detrimenta ſcientiarum omnium vniuerſe (quæ certè, nec tot nec tanta ſunt, quantum ipſe exaggerat) ex neglectu, aut

aut etiam inscitia experiendi profecta esse, id namque, vt tutissimum, est verum de defectibus, & detrimentis scientiarum physicarum; Metaphysicarum verò non item.

71 Secundum enim certum est, si omnes, & solas scientias Physicas ab experientia dependere, valdéque proinde ad illas acquirendas conferre documenta regulasque experiendi, quales prætendit prædictus Auctor in sua Arte. Quæ quidem vtiliores forent, si & minùs multæ, & minùs implexæ, & minùs nouis, atque exquisitis terminis obscuratæ ab eo fuissent traditæ, provt eas nos curabimus tradere *disputatione vigesima quarta sequente*.

Ex dictis autem in tota hac *quæst.* colligitur id, quod dicebamus *suprà quæstione secunda*, omnia fermè instrumenta sciendi commemorata *quæstione tertia*, ex quibus legitima Ars vniuersalis sciendi coalescit, aut tradita iam ab Auctoribus, aut tacta aliqualiter esse; tametsi ab eis non tamen perspicuè, & exactè, quam opus est, fuerint exposita, quamque nos, annuente Deo, in *sequentibus disputationibus* exposita dabimus. Vt sequitur.

DISPVTATIO XXIV.

De Obseruatione.

1 PRIMVM ex instrumentis sciendi Obseruatio est. De eaque proinde est à nobis in hac *disputatione* agendum: atque adeo etiam de Arte experiendi, quæ potissimæ Obseruationis, qualis est experimentalis, regulas tradit. Deque ipsius administris, siue annexis Attibus sentiendi, seu perficiendi sensationes tum externorum sensuum, tum internorum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Obseruatio, & Quotuplex.

2 OBseruatio præparatio quædam est materiæ scientiarum; atque adeo illa in attenta animaduersione, seu notatione, securaque asseruatione, aut etiam sedula inquisitione terminorum, quæstionum, propositionum, atque etiam illationum consistit. Termini quippe, quæstiones, propositiones, & illationes materia scientiarum sunt circa quam, vel ex quâ, provt ex dictis in *superioribus* constat. Et is dicitur obseruare quoduis eorum quatuor, qui cùm in illud aut media inquisitione, aut aliter incidit, & attentè aduertit ac notat; & vel memoriæ affixum, vel scriptum ad vsum futurum texendi aliquatenus scientiam, retinet & asseruat. Ex quo patet quanti momenti sit Obseruatio ad scientiam comparandam: tanti quippe ea interest ad scientiæ acquisitionem, quanti ad cuiusuis operis constructionem præparatio materiæ, ex quâ illud est construendum. Præterquam quod ipsa Obseruatio, vt plurimum scientia insuper quædam est.

3 Diuidi autem potest imprimis Obseruatio ex parte materiæ in Obseruationem terminorum respondentem simplici apprehensioni, & Obseruationem quæstionum apprehensioni etiam simplici respondentem (quatenus quæstio obiectiua propositio est simpliciter tantum, ac dubitatiuè apprehensa citra affirmationem, aut negationem, iuxta dicta *suprà disputatione decima nona, quæstione septima*,) & Obseruationem propositionum respondentem iudicio, seu affirmatiuo, seu negatiuo, & Obseruationem respondentem discursui illationum obiectiuarum, hoc est connexionum, aut oppositionum propopositionum obiectiuarum, quibus nituntur illationes formales; provt in *superioribus* sæpe explicatum est. Et obseruationem alicuius ex mixtionibus seu collectionibus, quæ ex quatuor prædictis obseruabilibus coalescere possunt.

4 Aliter tamen potest Obseruatio diuidi, ex parte modi, in Obseruationem experimentalem, id est dependentem ab experientia proximè, vel remotè: & Obseruationem idealem, id est oriundam citra experientiam à sola contemplatione, seu consideratione propriâ obseruantis, & Obseruationem doctrinalem, id est nascentem ex aliorum doctrina aut scripta, aut ore prolata. Ex quibus prima, nimirum experimentalis, aut potest esse casualis, id est facta mediis experimentis casu, fortuitóque obuenientibus; aut potest esse industriosa, id est facta mediis experimentis ex industriâ quæsitis. Industriosa autem rursus, aut naturalis esse potest, id est facta mediis experimentis quæsitis à causis naturalibus, provt operantibus de suo citra omne artificium; aut artificiosa, id est facta mediis experimentis quæsitis à causis naturalibus; aut etiam aliunde alicuius artificj interuentu. Similiter Obseruatio doctrinalis, aut casualis potest esse, id est factâ mediâ doctrinâ fortuitò obueniente; aut potest esse industriosa, id est facta mediâ doctrinâ ex industriâ quæsita. Quælibet autem harum aut terminorum, aut quæstionum, aut propositionum, aut illationum, aut alicuius ex eis mixtionis potest esse Obseruatio, iuxta priorem diuisionem.

QVÆSTIO II.

Qualiter generatim loquendo Obseruatio facienda sit.

5 DVo sunt Obseruationis munera; vt ex descriptione eius tradita constat. Primum attentè inspicere, aduerteréve, siue notare id, quod est obseruandum. Secundum asseruare illud ad aliquem vsum futurum. Quæ quidem asseruatio, vt secura sit, per illius scriptionem in aliquo ad id parato codice fieri debet. Nam quidquid obseruatione dignum occurrit si soli memoriæ credatur, certo periculo pereundi committitur. Ob id vterque Plinius nihil legisse fertur, quod non exscripserit. Itaque omnis scientiarum studiosus paratum sibi codicem habere debet, in quem statim referat quæcumque obseruatione digna percepe

perceperit; siue experientâ, siue proprio discursu, siue lectione librorum, siue aliter.

6 Sed dubitari potest. Quæ sit expeditior formaredigendi in suos locos siue catalogos quæcumque obseruantur, vt ea postea cum opus fuerit reperiantur faciliùs. Quadruplex potest excogitari. Prima vt geminos habeas codices, in quorum alterum, tanquam in aduersaria tumultuariò referas, quæ obseruaueris nullo alio ordine, nisi quo series obseruationum tulerit: vt inde postea per otium eadem transferas in alterum maiorem distinctum certis titulis, & ordinatis capitibus. Hæc tamen forma, nisi idonei amanuensis ad munus secundum copia fuerit, idonea non est: quia laborem duplicat, & quadamtenus actum agit. Secunda: vt omnia consequenter provt succedunt obseruationes, misceas in tuo codice, subiuncto tamen eorum indice, vbi ordine elementarium litterarum, quanam in pagina scriptum vnumquodque sit, indicetur. Verum hæc quoque forma minus est apta; quia multa, dum scribuntur, repetere; & eadem aut affinia multis in locis, dum leguntur, quærere cogit. Tertia; vt magnus constituatur capitum, seu titulorum numerus, sub quorum vnumquodque ponantur, quæ ad ipsum pertinent. Cuius tamen formæ abhuc supereſt incommodum quærendi, & eligendi vnum inter nimis multa. Quarta ergo cæteris aptior, & tenenda videtur. Vt exiguus numerus capitum sit, in quem omnia obseruatu digna referri possint, atque haberi in promptu cum res feret, adhibitis dumtaxat ad marginem breuibus notis eorum, quæ sub capitibus collocantur, quas facile sit quærenti aliquid celeriter percurrere. Eiusmodi autem capita, siue tituli ex scientiis sumi possunt, per nominave scientiarum constitui, ad quas pertinent, obseruanda, iuxta diuisionem explicationemque illarum datam *disputatione vigesima prima, quæstione secunda.* Notæ autem marginales, seu tituli minus vniuersales sub vniuersaliori capite, siue titulo vniuscuiusque scientiæ ponendi, & quoties opus fuerit repetendi penes varietatem obseruationum ad eos spectantium, ipsius titularis scientiæ partes signabunt: quæ quidem aut maiores, aut minores esse poterunt, provt diuidenti, signantique, spectata materia, magis commodum visum fuerit. Itaque sumantur ex scientiis recensitis *quæstione citata*, fere ad 30. pro titularibus, quarum nomina præfigantur totidem quaternionibus chartæ albæ, seu vacuæ, vt sub vnoquoque scribantur cuncta, quæ occurrerint obseruanda; appositis ad marginem, dum scribuntur, pro indicandis singulis obseruatis, nominibus, seu notis earum partium scientiæ præfixæ, ad quas illa pertinent. Quo facilè, quoties opus fuerit, reperientur singula scripta in codice coalescente ex iis quaternionibus. Qui quidem ita chartophori inserta esse debent, vt quoties eorum aliquis fuerit expletus alius, & alius vacuus adiici possit, quorum omnium folia suum titulum in fronte habeant inscriptum, vt facilè appareat:

7 sintque suo ordine numerata, vt citari possint.

Modo, pro eiusmodi obseruationibus vtilius peragendis, hæc sunto generalia monita. Primò. Si quam maximè scientiam, aut artem professurus es; vt Theologiam, Iurisprudentiam, Medicinam, Concionandi munus, &c. ea de re peculiarem curam habeto. Augusti Imperatoris lectio tota erat in coaceruandis exemplis, præceptisque ad optimam gubernationem vtilibus, eum tu pro tuo pariter instituto ac vitæ ratione imitator.

Secundò. Materias ternas, quaternas, plùs, 8
minùs, quas ex rebus excerptis illustrare velis, tibi statuito. Sic fiet, vt multa sæpe, quæ te alioqui ad eorum scopum non respicientem præterfugerent, sis obseruaturus, quibus tuum illud designatum mente propositum probetur, illustretur, locupleteturque, & venustetur.

Tertiò. Si ad manum sunt libri, & facile 9
parabiles, & res excerpenda ex illis sit paulo longior; eximia dumtaxat, indicatis illis locis, vnde reliqua peti possint, breuiter annotato. Certe in terminis sumptis seorsim obseruandis, & sub supradictis titulis tui codicis scribendis vix tibi erit vnquam vllus labor ponendus; cùm illi ex indicibus librorum de illis agentium peti possint abundè; sat erit ipsos libros notare. Ad quos etiam pro innumeris quæstionibus, propositionibus, & illationibus citra specialem earum obseruationem, cum opus fuerit, recurri poterit. Itaque ex libris, qui circumferunrur selectiora tantum sunt excerpenda, obseruatis eorum locis, vbi cætera reperientur.

Quartò. Si quidpiam ad duplex, triplexve 10
caput pertinere videbitur, in vno totum perscribito; in aliis vero quaternioribus summatim illud tangito, indicata etiam capitis pagina vbi perscriptum reperietur.

Quintò. Sine multa materia ingens opus 11
fabricari non potest. Magnus effectuum prouentus magnam causarum copiam desiderat. Proinde, si excelsum scientiarum ædificium construere, siue copiosum scientiarum prouentum comparare prætendis, obseruationi studiose incumbito; in coaceruandisque obseruabilibus, ex quibus tanquam ex quadam materia, & à quibus tanquam à quibusdam causis scientiæ proueniunt, diligentissimus esto. Certè primus, & præcipuus studiorum labor in congerendis, ordinandisque obseruabilibus ponendus est. Nam, quò quis plura obseruata in omni materia scientiarum ad manum in promptuque habuerit, eò promptiùs, & faciliùs, & plurium veritatum scientiam acquirer. Pleraque enim obiecta conceptibilia aliqualem inter se connexionem, oppositionem, cognationem, aut repugnantiam habent: atque ita quò plura eorum per obseruationem præparata in combinationem, atque comparationem (potissimum, & proximmm scienti instrumentum, iuxta *superius* dicta) veniunt, eo plures veritates, aut positiuas, aut negatiuas produnt, ex iis obiectorum conceptibilium passionibus nascentes, siue in eis fundatas. Veritates enim etiam propriæ, & intrinsecæ aliquorum obiectorum propositorum, quæ ipsis dumtaxat considerantis, & combinatis, non deteguntur, sæpe sæpius ex combinatione comparationeque eorum cum aliis in lucem procedunt. Vtpote, quæ in connexione, aut oppositione mediata ipsorum obiectorum propositorum nituntur; quæ sine mediis obiectis forinsecus adductis, & cum ipsis antea propositis comparatis, neutiquam innotescere possunt. Quo fit, vt non solum

vnius

vnius scientiæ partes, sed omnes fermè scientiæ vicissim sese adiuuent; ita vt sæpissimè per obiecta vnius, tanquam per media aliena, aut extranea manifestentur, & notæ fiant propriæ veritates alterius. Vnde studentes præcipuè qui discere incipiunt, in paucis quibusdam obiectis per otium disquirendis, radicitúsque enucleandis nequaquam deberent immorari, ac detineri, vt plerumque solent; putantes, donec ea plene intellexerint, & penetrauerint, inutile sibi fore pergere ad alia. Falluntur tamen manifestè, tempusque, & caput perdunt; quandoquidem ea pauca obiecta, vt in plurimùm absque mediâ aliorum notitiâ; etiam quoad veritates, quas in se continent, nullatenus intelligi possunt, nedum plenè & iniquè penetrari. Quare passim euenit, vt qui in aliquâ quæstione examinandâ, intra limites terminorum eius, detentus prorsus hærebat, nec se poterat à difficultatibus vtrimque emergentibus expedire: si ad alia plura obiecta se extendat, vel leuemque eorum notitiam sumat, eaque iam tinctus reuertatur ad iterum discutiendam talem quæstionem, statim, & absque vlla mora incidat in apertam eius resolutionem ab omni iam penitus expeditam difficultate. Itaque pro cunctis scientiam aggredientibus hoc esto generale, & valdè expediens; imò plerumque necessarium consilium. In paucis quibusdam obiectis radicitus intelligendis principio ne insistito; sed omnibus imprimis scientiæ obiectis celeriter, & leuiter perlustratis, atque adeo obseruatis, aliqualem ipsorum omnium notitiam capito. Quâ tinctus ad singula iam per otium suoque ordine examinanda, ac penitus enucleanda redito.

12 Sextò. Inter obseruanda in primis sunt eligenda vniuersaliora: quia scientiæ fœcundiora sunt; atque adeo æstimabiliora, ob multa quæ continent sub paucis.

13 Septimò. Ex Auctoribus ij imprimis legendi sunt, ex quibus alij velut ex fontibus acceperunt in vnaquaque facultate, seu scientia. Nec prætermittendum tamen, quod moderniores antiquioribus addiderunt. Itaque omnes aliquatenus videre operæ pretium erit. Quòd si omnes perlegi nequeunt; ob nimiam multitudinem; perlectis integrè aliquibus selectioribus, cæterorum indices, & tituli capitum celeriter percurri poterunt. Vnde innotescet sufficienter num quidpiam nouum, seu peculiare obseruatione dignum addant.

14 Octauo. Propositiones, quòd videntur valde euidentes, & cunctis notæ, neutiquam sunt despiciendæ, imo vero eò auidius sunt obseruandæ, quo sunt euidentiores, atque notiores: tum propter se, quia scire cum euidentia quidlibet semper est æstimabile; tum maximè propter alias occultas, quæ fors ex eis demonstrandæ veniat.

QVÆSTIO III.

Qualiter obseruatio experimentalis facienda sit. Qualisque subinde sit ars experiendi vbi etiam de artibus sentiendi, & imaginandi.

15 DE obseruatione, eo solùm titulo experimentali appellata, quòd remotè ab experientiâ dependet; quatenus eorum obseruabilium est obseruatio, quæ medio discursu deducta, deprehensaque sunt ex aliis per se cadentibus sub experientiam, nihil speciale est quod dicamus in hac quæstione: præter dicenda in *sequente* de obseruatione ideali, ad quam ea potest reduci. Solum ergo est nobis in præsenti dicendum de obseruatione experimentali, propterea sic dicta, quod eorum est obseruatio, quæ per se cadunt sub experientiam, aut etiam eorum, quæ tam parum distant tam proximéve inferuntur ex ipsis sub experientiam cadentibus, vt sub experientiam pariter cadere censeantur, atque dicantur.

16 Suppono autem primò, ea dici sub experientiam per se cadere, quæ per se & in se percipiuntur per sensus externos, qualia sunt omnia accidentia sensibilia *suprà disputatione prima, quæstione secunda*, commemorata, & quæ seipsis tum eisdem sensibus, tum aliis potentiis intentionalibus tam appetitiuis, quam cognoscitiuis notescunt: quales sunt eorundem sensuum, & potentiarum proprij actus, iuxta dicta *ibidem*. Necnon quæcumque de talibus accidentibus, & actibus vi huiusmodi perceptionum eorum, per se & ex terminis, atque adeo citra discursum iudicantur ab intellectu. Vnde omnes resultant propositiones obiectiuæ per se, & ex terminis noscibiles vi experientiæ, iuxta dicta *disput. 19. quæst. 8.* Itaque omnia accidentia sensibilia, & omnes actus intentionales, & omnes propositiones obiectiuæ circa obiecta ista formatæ, per seque noscibiles vi perceptionis experimentalis eorum, per se sub experientiam cadere dicenda veniunt.

17 Suppono secundo, Artem experiendi eam dici in præsenti, quæ docet inquirere inuenireque experimenta; atque adeo & veritates, propositionesve experimentales seu sub experientiam cadentes, quæ scientiarum omnium physicarum principia sunt.

18 Vnde suppono tertiò, Artem experiendi subministras habere sibi cæteras omnes artes, quæ docent perficere sensationes externas, aliasque experimentales perceptiones obiectorum experimentalium, de quibus *suppositione prima*. Quia, quò eiusmodi sensationes, perceptionesque sint perfectiores, eo plura perfectioraque experimenta, eoque plures subinde veritates experimentales perfectiúsque notas producent, vt constat.

19 Itaque valde imprimis ad Artem experimentalem conducit ars perfectiua sensionum Visus, nimirum Optica, seu Perspectiua, vtpote, quæ & omnes fallacias Visus detegit; quo & experimentorum inde oriundorum præcauere fallacias docet, & instrumenta conficit, quibus obiecta, aut minùs bene visibilia, aut absolutè inuisibilia oculo naturali, ob nimiam eorum

distantiam, aut paruitatem, aut molius, aut absolutè visibilia redduntur. Cuiusmodi sunt Conspicilia, Telescopia Microscopia, &c. Quorum profecto beneficio multa in Cœlis, & alibi, alioquin inuisibilia, detecta sunt; quæ innumerabilium veritatum feracia phænomena, experimentave prodiderunt. Huiusmodi autem ars non parum perfecta iam circumfertur apud Mathematicos Perspectiuos: tametsi indies sicut & cæteræ ampliùs, & ampliùs promoueri, ac perfici possit.

20 Deinde ad Artem experimentalem valde conducit ars perfectiua sensionum Auditus, quam mirifice prouexit hac nostrâ ætate noster Athanasius Kircherius in sua Musurgia vniuersali, siue Arte magna consoni, & dissoni in cuius *libr.* 9. præsertim multa noua exhibet, quibus Auditus iuuari, in suisque operationibus ita perfici possit, vt vel perfectiùs audiat ea, quæ alias audiret imperfectius; vel absolutè audiat ea, quæ alias audire non valeret. Similiterque pro sensibas Odoratus, Gustus, & Tractus suæ quoque Artes (quæ desiderantur) excogitari possent; quibus in suis operationibus pariter adiuuandi venirent, ac perficiendi non exiguo Artis experiendi subsidio.

21 Porro Artes perfectiuæ operationum externorum sensuum, consequenter sunt perfectiuæ operationum ei respondentium sensus interni (qui vnus re ipsa est, diuersas tamen operationes habens *vt suprà disputat.* 19. *quæstion.* 2. statuimus.) Quia quò perfectiùs per externos sensus obiecta sensibilia capiuntur, eo perfectiùs concipiuntur, apprehenduntur que illa per sensum internum, quod attinet ad eas illorum conceptiones apprehensionesque, quæ primo per sensationes externas ingeruntur, ab eisque pendent. Cæterùm, quia ex primariis huiusmodi obiectorum sensibilium internis sensionibus, species eorum relinquuntur impressæ, quibus iteratò possint ipsa ab interno sensu, independenter ab externis sentiri, & concipi: præter perfectionem ab Artibus externorum sensuum oriundam, quæ etiam in has interni sensus secundarias operationes, mediis primariis, & speciebus ex eis relictis deriuatur; alia insuper peculiaris perfectio huiusmodi secundariarum interni sensus operationum, ab aliis & peculiaribus Artibus immediatè perfectiuis earum, quærenda & expectanda est. Quæ quidem duæ potissimum sunt, altera Ars memorandi docens quo pacto sensus internus promptè recordari possit eorum, quæ antea percepit, siue concepit quoquomodo. De qua, quia coincidit cum Arte memorandi intellectualiter, vna cum hac agemus *infra disputation.* 32. Altera est Ars imaginandi, siue formandi phantasmata sensibilia pro intelligendis in illis res insensatas, iuxta doctrinam stabilitam *disputat.* 2. *quæstion.* 3. de modo intelligendi nostro per species alienas, quam hic supponimus.

22 Quæ quidem Ars eò tendere debet, vt regulas præbeat ad formandum phantasmata proportionata rebus, quæ in illis intelligendæ sunt; quæ proportio in similitudine siue Analogia phantasmatum cum rebus in eis intelligendis consistit. Atque ita quo phantasma magis est simile rei pro qua subrogatur, eo magis est aptum ad illam in ipso concipiendam. Quia cum conceptus obiectiuus proprius cuiusuis rei, qualis est qui per ipsius propriam speciem habetur, aptissimus omnium sit ad eius essentiam cum suis passionibus intelligendam, & percallendam, vt est notissimum; consequitur inter conceptus rei alienos oriundos ab speciebus alienis eos aptiores esse, qui magis accedunt ad proprium. Constat autem eos ad proprium magis accedere, qui magis illi similes sunt; tales autem sunt qui formantur per phantasmata magis similia ipsi rei concipiendæ in ipsis. Vt ex doctrina, quam supponimus ex *citato loco* est notissimum.

Similitudo autem rei insensatæ cum phantas- 23
mate subrogando pro illa, per proprietates illius sensatas, aut aliter notas, seu potisitiuas, seu negatiuas deprehendetur; aut etiam per proprietates aliarum rerum, quæ cum proprietatibus illius analogiam habent. Sic cum alicui rei varia accidentia sensibilia contingere cernimus, indeque ducimur, ad concipiendam eius substantiam, nimirum entitatem in ea latentem, quæ talibus accidentibus substat; eam, siue ad instar fundamenti superstructi ædificij, siue ad instar corporis eis accidentibus, veluti vestibus, obuoluti; siue ad instar nuclei tecti corticibus imaginamur; quæ, & alia huiusmodi phantasmata sunt sensibilia, substantiæ adsimilia. Sic spiritum ob negationem corporis, quam habet annexam, per ea sensibilia phantasmata solemus concipere, quæ minus de corporeitate habere videntur, eoque titulo magis spiritui assimilantur, nempe per phantasmata, aut aëris, aut nubis tenuis, aut luminis, aut aliarum huiusmodi subtilium rerum. Sic effectum à causa effectiua procedentem, per phantasmata alicuius obiecti sensibilis ab alio sensibili exeuntis, aut quasi exeuntis apprehendimus: vt riuuli à fontè, luminis à luminoso, fructus ab arbore, &c. Sic denique per phantasmata cuiusuis obiecti, siue sensati, siue insensati, quodlibet aliud vniuersè cum quo illud similitudinem, siue analogiam habet venit intelligendum. Quò spectant omnes metaphoræ, & translationes, omnes parabolæ, omnes apologi, omnia hieroglyphica, &c. eoque aptius quoduis obiectum concipietur per alterius phantasma, quo maior eorum similitudo, siue analogia fuerit: vt constat ex dictis.

Hinc duplex nascitur regula bene imaginandi, 24
idoneaque subinde formandi phantasmata pro singulis rebus insensatis, apprehendendis in illis tanquam in substitutis. Prima est, quæ præscribit inquisitionem animaduersionemque proprietatum rei concipiendæ, quibus ad bene eam imaginandam & concipiendam, id est in phantasmate idoneo subrogato pro illa, est inducendus intellectus. Secunda, quæ præscribit inquisitionem, animaduersionemque aliorum obiectorum, aliquam cum re concipienda simulitudinem, analogiamve habentium; eo fine, vt ad horum instar idoneè illa concipiatur, iuxta dicenda latiùs *infra disputat.* 31. In quibus duabus regulis consistit potissimum præfata Ars imaginandi, siue formandi idonea phantasmata sensibilia pro rebus insensatis in illis idoneè, & aptè concipiendis. Quomodo autem eiusmodi inquisitiones proprietatum, similiumque, aut analogorum obiectorum rei insensatæ concipiendæ faciendæ sint, in artibus obseruandi, & combinandi, ad quas potissimum spectat cunctorum inuentio, docetur generatim. Atque ita huius Artis imaginandi munus dumtaxat est eas inuentionis regulas generales ad suum propopositum finem applicare; & quidquid ad id aptum inuenerit sedulo notare, & aduertere.

Quibus obiter positis; iam ad exponendam 25
Artem

Artem experiendi veniamus. Quæ quidem in duas partes diuidi potest, Altera, quæ minus artificiosa est, curam præscribit aduertendi, aut etiam inquirendi, & notandi atque adeo obseruandi omnia experimenta, quæ ex causis naturalibus, aut etiam liberis, citra industriam nostram proueniunt; Omnesque subinde propositiones circa illa, vi experientiæ per se noscibiles. Altera, quæ plus de artificio habet, regulas præbet industriosè experiendi, per industriosam scilicet explicationem applicabilium, aut etiam separationem separabilium, vnde experimenta sunt prouentura. Quam quidem octo potissimum modis petagi posse, docet Franciscus Verulam *tom. de dignit. & augment. scient. lib.* 2. Modi autem sunt. 1. *Variatio experimenti.* Quando scilicet experimentum in iam cognitis cognitum, in aliis similibus tentatur. Vt siquis tentet papyrum efficere ex serico; vinum ex aliis præterquam vuarum succis, vel fructuum aliorum, vel herbarum. Quæ variatio experimenti, aut fieri potest in materia, aut in efficiente aut in parte, aut in quantitate, aut in qualitate &c. 2. *Productio experimenti.* Quæ duplex est. Repetitio; vt si fiat instillatio vini iam instillati; & Extensio; vt sic quemadmodum ex viro extrahitur aqua, quâ mixtum erat; sic ex meto vino extrahantur partes crassiores aut subtiliores. 3. *Translatio experimenti*: quæ est duplex: aut à naturâ vel casu in artem, vt si ex iride naturali deducatur artificiosa; aut ab vna arte in aliam, vt si quemadmodum fiunt conspicilia iuuantia Visum, sic fiant alia instrumenta iuuantia Auditum, aut Odoratum &c. aut à parte eiusdem artis ad partem diuersam eiusdem; vt si remedia curatiua morborum, pro sanitate conseruandâ adhibeantur &c. 4. *Inuentio experimenti.* Quæ fit cum contrarium eius, quòd experimento constat, probatur; vt an frigus descendat deorsum, sicuti calor ascendit sursum. 5. *Compositio experimenti.* Quæ fit vbi vrgetur, aut perducitur experimentum ad annihilationem, vel priuationem virtutis: vt si tentetur quomodo magnes non trahat ferrum: quibusque mediis aliæ virtutes aliarum rerum impediantur. 6. *Applicatio experimenti*; id est traductio ingeniosa eius ad aliquod aliud experimentum vtile: vti experimentum balnei applicuit Archimedes ad aliud, quo pondus auri & argenti, ex quibus erat fabricata corona discriminaret, de quo ipse *in suo Opusc. de coronâ.* 7. *Copulatio experimenti.* Quæ est applicationum nexus, & catena; vt cum singula profutura non fuissent ad vsum aliquem, connexa valeant; cuius exempla passim cernuntur in Artibus mechanicis. 8. *Sortes experimenti.* Quæ fiunt, cum aliquis tentat experiri id, quod numquam tentatum est; quin adducatur aut alio experimento, aut ratione.

26 Cæterùm, quamquam isti octo modi experiendi totidem sint regulæ, non parum vtiles ad promouendum diuersimodè experiendi exercitium: nos tamen ad vniuersaliores regulas combinationum octo prædictas, & alias innumeras complectentes integram Artem experiendi reducimus. Pro quo supponendum est primò, catenus ab industriâ nostrâ pendere experimenta, quatenus ab eâ dependet applicatio applicabilium, & separatio separabilium per motum localem facienda, vnde experimenta sunt prouentura. Secundo est supponendum, applicationem applicabilium, aut per iuxta positionem, aut per mixtionem fieri posse. Pariterque separationem separabilium, aut per remotionem iuxta positorum, aut per segregationem mixtorum. Tertio est supponendum, extrema tam applicabilia, quam separabilia inter se comparata, aut posse esse vicissim actiua, & passiua, vt calefactiuum & frigefactiuum: aut posse esse nec actiua, nec passiua, vt album, & nigrum: aut posse esse alia mere actiua, & alia merè passiua; vt illuminatiuum, & illuminabile. Rursus quæ vicissim sunt actiua, & passiua; aut possunt esse actiua & passiua formarum oppositarum, vt calefactiuum & frigefactiuum; aut formarum non oppositarum, vt calefactiuum & humectatiuum. Tum quod merè passiuè se habet; aut formam oppositam suæ pati potest, vt cum nigrum dealbatur; aut non oppositam, vt cum nigrum illuminatur. Tum denique quæ nec actiua sunt, nec passiua; aut possunt esse constituta formis oppositis, vt album, & nigrum; aut non oppositis, vt album, & dulce. Adde extrema actiua, aut per formam similem formæ factæ posse esse actiua, vt cum calefactiuum calidum calefacit medio calore; aut per dissimilem, vt cum calefactiuum non calidum calefacit, mediâ aliâ virtute. Quarto est supponendum, applicationem per iuxta positionem, aut immediatam esse posse; vt cum corpora applicata mutuò se tangunt; aut mediata, vt cum inter corpora applicata aliqua est intercapedo aut aëre, aut alio corpore occupata. Quarum vnaquæque rursus diuersos gradus habere potest: nam vnum corpus potest tangere aliud, aut circumquaque quoad totam superficiem extimam eius, aut quoad aliquam tantùm ipsius partem; quæ tanta, vel tanta esse potest, iuxta omnes differentias possibiles partialium quantitatum eius. Tum intercapedo, siue distantia corporum applicatorum, citra contactum aut maior, aut minor esse potest, iuxta omnes differentias quantitatis eius possibiles. Applicatio etiam per mixtionem suos gradus habere potest; ita quod eò maior sit, quo minutiora sunt corpuscula, quæ miscentur, & quo magis exactè sunt intermixta. Vnde tot differentias habere potest, quot sunt differentiæ possibiles tum quantitatum corpusculorum miscendorum, tum faciendarum ex eis mixtionum, citra summam. Præterea omnes prædictæ applicationes, quæ tales sunt in ordine ad locum, alias in ordine ad tempus differentias subire possunt; quatenus vna quæque plus, aut minus potest durare, iuxta omnes partium temporis differentias possibiles. Quæ quidem discrimina in iis quæ successiuè operantur, non minùs quam alia prædicta conferunt ad experimenta varianda. Pariterque suâ propositione seruatâ philosophandum est de differentiis separationis separabilium factæ vel per remotionem iuxta positorum, vel per segregationem mixtorum. Quinto supponendum est, extrema diuersa applicabilia cuiusuis illa sint generis ex antea prædictis in quouis numero posse applicari, iuxta omnium numerorum differentias ex eis possibiles. Possunt namque applicari duo, vel tria vel quatuor, vel quinque naturæ diuersæ seu genericè, seu specificè, & ita deinceps in quouis numero possibili; idque vel per iuxta positionem tantùm, vel mixtionem tantùm, vel per vtramque simul, iuxta ponendo scilicet duo, vel tria, vel quatuor, vel quinque aggregata aliàs iam mixtorum &c. in quouis etiam numero.

Ex quibus omnibus apparet, quam sit innume- 27
rabilis multitudo applicationum, separationumque diuersarum, quæ à nobis rerum naturalium

effici possunt, vt totidem ex illis experimenta pullulent scientiæ feracia; per quæ noua in dies principia pro scientiis omnibus physicis sine fine acquiramus. Imprimis enim tot sunt possibiles applicationes; separationesque diuersæ pro experimentis diuersis ex eis oriundis, quot sunt possibiles collectiones, siue combinationes rerum applicabilium, tum per iuxta positionem, tum per mixtionem, tum per vtramque, perque contra positas separationes separabilium: quæ quidem pene infinitæ sunt. Quarum collectionum vnaquæque rursus quoad applicationem, aut separationem sine fine potest variari penes innumeras commemoratas differentias, quæ à differentiis loci & temporis, quantitatisque applicabilium separabiliumque nasci possunt Quo iterum applicationes separationesque possibiles rerum pene in infinitum excrescunt.

28 Vnde rursus apparet, Artem vniuersalem experiendi complectentem, vna cum octo commemoratis ex Verulamio, alios pene infinitos modos experiendi diuersos, ipsissimam esse Artem combinandi, quam trademus *disp.* 29. applicatam tamen ad hanc materiam. Quare suppositis combinandi, regulis *ibi* tradendis, Ars experiendi tantum præscribit, vt iuxta illas ex quibusvis datis extremis applicabilibus, separabilibusve per motum localem omnes eorum applicationes, siue comparationes possibiles fiant, penes omnes earum commemoratas differentias: notatisque experimentis ex earum singulis resultantibus, propositiones per se vi eorũ noscibiles pariter adnotentur, & obseruentur.

29 Sed quoniam omnia experimenta, propositionesque per se notæ ex eis immediatè nascentes de singularibus sunt: imprimis ex eis repetitis quoad eius fieri possit, vniuersales sunt abstrahendæ iuxta regulas abstrahendi, siue adunandi tradendas *disp.* 26. Deinde ex huiusmodi experimentis, ac propositionibus notis naturæ & passiones, aut propriæ aut communes sunt inferendæ rerum ex quibus illa proueniunt, aut tanquam ex causis, vel efficientibus, vel materialibus, vel formalibus, vel etiam fortasse finalibus, & exemplaribus, aut tanquam ex partibus componentibus quauis ratione. Etenim virtutes, facultates, siue potentiæ rerum, vnde experimenta proueniunt, & per experimenta ipsa manifestè innotescunt, & rerum ipsarum passiones esse comperiuntur propriæ, aut communes, & earumdem rerum eo ipso notificant naturam; vt est notissimum.

30 Vbi valdè notandum est, quemadmodum essentiæ Metaphysicæ diuersas sortiuntur passiones, aut proprias, aut communes; tum per comparationes dissimiles ad extrema similia, (vt patet in circulo comparato nunc ad quadratum sibi inscriptum, nũc ad quadratum sibi circumscriptum.) Tum per comparationes similes ad extrema dissimilia (vt patet in circulo comparato nunc ad quadratum, nunc ad triangulum vtrumque sibi inscriptum.) Tum per comparationes dissimiles ad extrema dissimilia (vt patet in circulo comparato nunc ad quadratum sibi inscriptum, nunc ad triangulum sibi circumscriptum.) Ita res physicas diuersa sortiri experimenta, diuersasque proinde in eis mediis experimentis passiones aut proprias, aut communes detegi, (quales semper sunt potentiæ quas habent ad experimenta procreanda.) Tum per applicationes dissimiles ad extrema similia. (Vt patet in aquâ nũc per iuxta positionem mediatam, nunc per immediatam, aut per mixtionem igni applicata.) Tum per applicationes similes ad extrema dissimilia (vt patet in igne per iuxta positionem applicato eodem modo nunc luto, nunc ceræ.) Tum per applicationes dissimiles ad extrema dissimilia (vt patet in igne nunc per mixtionem luto, nunc per iuxta positionem ceræ applicato.) Vnde etiam fit vt eadem natura, seu forma physica provt in diuersis subiectis diuersa valeat experimenta procreare: calor enim prius in aqua diuersos valet causare effectus sensibiles, quam provt in aëre; & provt in aëre diuersos, ac provt in lapide, vel ferro, &c.

Quæ cum ita sint, iam facile apparet quomo- 31
do, per vnicum combinationis instrumentum ad suam materiam applicatum, valeat Ars experiendi noua in dies experimenta, absque vllo terminore perire. Quibus mediis omnes scientiæ physicæ tum naturales, tum morales nouas in dies cunctarum rerum queant detegere passiones, tum proprias, tum communes pariter absque termino vllo; ex quibus valeant noua axiomata, cum nouis aliis propositioinibus ex illis oriundis formare, non solum generalissima aut cunctis, aut plerisque rebus communia; sed etiam minùs, & minùs generalia vsque ad singularum specierum, aut etiam individuorum propria. Qui erat scopus per tot ambages procuratus à Verulamio in illo suo organo nouo, quod moliebatur, *vt suprà disp.* 21. *quæst.* 4. *à n.* 66. notatum est.

Id tamen adnotandum superest, ad obseruatio- 32
nem experimentalem spectare, Historiam experimentorum conficere in omni materiâ, quantum fieri possit, vniuersalem & exactam, referentem scilicet, dilucidamque notitiam præbentem omnium experimentorum, quæ ab orbe condito vbilibet euenerunt siue casu, siue ex industria. Quam quidem Historiam eximie commendat Verulam. & iure optimo, quia omnium scientiarum physicarum ab experientiâ dependentium basis, & fundamentum est. Tametsi Metaphysicarum non sit, vt quæ ab experientia non pendent: in quo deceptus est Verulam. provt diximus *loco citato.*

QVÆSTIO IV.

Qualiter obseruatio idealis, & obseruatio doctrinalis faciendæ sint.

SVppositis dictis *quæstione prima* de obseruatione in genere; ferè nihil restat dicendum de obseruationibus ideali, & doctrinali speciatim. Vnum duntaxat pro primâ, & alterum pro secundâ documentum addemus. Primum quod studiosus scientiarum aliquam, aut aliquas semper materias paratas in promptuque habeat ad meram speculationem idoneas; circa quas intra se discurrere possit, quotiescumque sibi tempus vacat; nec tamen pro præsenti occasione aut legere, aut ab aliis audire, aut experiri quidpiam, sibi integrum non est. Ita enim fiet, vt tempus, alioqui perdendum, lucretur, & multa sua speculatione obseruatu digna reperiat, quæ postmodum cum primum licuerit in suos referat codices. Id quod cum fructu vberiori succedet, si regulas inueniendi in hac Arte traditas, præsertim combinationis inter speculandum exerceat adiutus Arte memorandi tradendâ *disp.* 32. ad retinenda in memoria, ponendaque ob oculos mentis extrema combinanda, terminos scilicet propositiones atque quæstiones, aut

aut etiam illationes ad præparatas pro speculatione materias quoquomodo spectantes.

34 Secundum documentum est, quod sciendi studiosus attentè notet quæcumque ab aliis audit, aut scripta legit quoquomodo, frequenterque in omni materia occurrente ab aliis interroget; & quidquid vndecumque obseruatione dignum acceperit in suos referat codices, nihil eo titulo despiciendo quod aut nimis verum, aut valde obuium videatur, vt iam aliàs monuimus. Euenit namque sæpe sæpius, vt veritates vulgò despectæ, quòd valde sunt notæ, vel obuiæ, virtute contineant alias occultas, propterea que sint magni æstimabiles: quas & si per se seorsim prodere nequeant, produnt tamen dum cum aliis vel casu, vel ex industria iunguntur. Id quod in veritatibus scientiarum omnium frequens est: vt ex dictis in *superioribus* satis est notum.

DISPVTATIO XXV.

De Compositione.

1 POst comparatam per obseruationem materiam scientiarum oportet illam veluti adaptare, ac disponere, quo possit iustè aptéque poni, & accommodari in fabricâ, siue structurâ ipsarum scientiarum: id autem præstant tria sciendi instrumenta, quæ suo ordine sequuntur. Nempe compositio colligendo dispersa, Diuisio distinguendo confusa, & Definitio explicando implicata, atque patefaciendo obscura. De quibus subinde in hac, & *duabus sequentibus disputationibus* eodem, quem inter se habent, ordine agendum est.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Compositio, & Quotuplex

2 COmpositio loquendo vniuersè nihil est aliud, quam plurium in vnum aggregatio, siue coniunctio. Vnum autem per compositionem coalescens ex pluribus totum vniuersè appellatur, & plura, ex quibus coalescit illud, partes ipsius. Quamquam verò compositio imprimis dicatur actus ille, quo plura ab aliquo tanquam à principio effectiuo colliguntur in vnum. Inde tamen extensum nomen est, ad actum quo plura vnum, seu partes totum quasi formaliter constituunt: Quo sensu sæpe plura vnum, seu partes totum dici solent componere. Quare duplex compositio potest distingui, altera effectiua conueniens colligenti plura in vnum, velut partes in totum: altera formalis conueniens ipsis pluribus quatenus constituentibus totum ipsum, vt partes eius.

3 Porro compositio sumpta vniuersè duplex imprimis est: altera realis, altera mentalis. Realem dicimus eam, qua realiter coniunguntur plura; vt ex illis resultet vnum. Quod passim tum à causis naturalibus, tum ab artificialibus fit, vt est notum. Omnis enim actio naturalis coniungit aliquam formam cum subiecto, ex quibus duobus resultat vnum. Et sæpe coniungit plura alia entia diuersa, ex quibus tanquam ex partibus tertium quoddam coalescit. Artes etiam quæ versantur circa externam materiam ferè omnes, & totæ sunt in coniungendis pluribus variis modis ad componendum vnum. Mentalem autem compositionem appellamus eam, quæ mente, vel intellectu fit, dum concipiuntur vt vnum ea, quæ aliàs sunt plura: per cognitionem enim concipientem vt vnum plura mentaliter aggregantur, seu coniunguntur talia plura ad componendum tale vnum. Et de compositione quidem reali non est cur amplius in præsenti dicamus: vtpote quæ ad componendas scientias eatenus solùm potest conferre, quatenus ex facta plurium in vnum aggregatione, seu coniunctione, seu compositione reali, siue iuxta positione, siue permixtione aliqua experimenta possunt enasci, quæ veritatum aliquarum notitiam præbeant, de quo satis est dictum *supra disputatione vigesima quarta, quæstione tertia*. Igitur de sola compositione mentali, ut de vno ex instrumentis sciendi agendum nobis modo est.

Quæ quidem sicut & alia instrumenta mentalia Logica, compositionem etiam vocalem, & scriptam sibi correspondentes fert secum, quatenus quà ratione vnumquodque mente concipimus, eâdem illud externis vocibus, & scripturis significamus; siue compositum, siue diuisum; siue vnicum, siue multiplex. Vti ex sæpe in *superius dictis*, satis est notum. Quocirca compositio, de quâ iam vt de instrumento sciendi agimus, sumpta vniuersè in mentalem, vocalem, & scriptam diuidenda erit. Mentalisque rursus diuidetur in obiectiuam, ex parte obiecti se habentem; & intentionalem, quæ est ipsa cognitio obiectum componens dum ipsum concipit compositum, siue ex pluribus vnum. Hanc enim nolo appellare formalem, vti appellant multi: quia potius est quasi effectiua alterius quæ ex parte obiecti se habet, & est quasi formalis: iuxta ea, quæ dicebamus *nuper* vniuersaliùs de effectiua, & de formali compositione. 4

Iam verò huiusmodi compositio tot modis diuidenda venit, quot totum per eam componibile diuisibile est. Totum autem aliud est physicum coalescens ex partibus realiter inter se distinctis: aliud metaphysicum coalescens ex formalitatibus distinctis inter se per solam rationem: aliud logicum complectens sub se plura inferiora, vtpote quid vniuersale respectu eorum, atque adeo ex eis quodammodo, velut ex quibusdam partibus constans; vti mox explicabimus. Quocirca compositio pariter alia physica, alia metaphysica, alia logica dicenda erit. Vbi aduertendum est totum ex partibus realiter inter se distinctis coalescens alio sensu solere diuidi in physicum constans partibus physicè vnitis, vt homo; & morale constans partibus vnitis solum moraliter, vt exercitus. Hîc tamen latiùs sumimus totum physicum pro coalescente ex partibus distinctis physicè, & mentaliter collectis in quoddam vnum, siue illæ inter se habeant vnionem physicam, siue moralem, siue aliam. De quibus plura sunt dicenda *suo loco*. Vbi de Toto & Parte vniuersè agendum ex professo est. 5

Totum autem physicum rursus aut ex partibus inter se diuersis, quæ essentiales dicuntur, aut ex partibus eiusdem rationis, quæ integrales appellantur, 6

tur, potest esse compositum. Quod si ex diuersis, aut quarũ vna est materia, & altera forma substantialis, vt sunt in homine corpus, & anima, aut quarum vna est subiectum, & altera forma accidẽtalis, vt sunt in albo corpus, & albedo, aut quarum nulla est subiectum, aut forma comparatione alterius, vt sunt in animali ossa, & caro. Quæ rursus partes eamdem diuisionem, ac partes metaphysicæ mox tradendam subire possunt, iuxta diuisionem prædicabilium essentialium datam *disput.17.q.7.* Insuper totum physicum ex partibus potest esse compositum, quarum alia sit res, alia modus, aut ex partibus quæ omnes sint res, aut ex partibus quæ omnes sint modi, &c. Ex quibus apparet quotuplex sit compositio totius Physici ex suis partibus physicis.

7 Totum etiam Metaphysicum, aut est compositum ex partibus, quarum nulla est contrahibilis per alterum, vt sunt prædicabilia innominata: aut ex partibus quarum vna per alteram est contrahibilis non mutuò, vt sunt genus, & differentia; aut ex partibus quarum vna est mutuo per alteram contrahibilis, vt sunt prædicabilia mixta, iuxta dicta de huiusmodi prædicabilibus *disput.17.q.7. citata.* Vnde itidem constat, quotuplex sit compositio totius Metaphysici ex suis partibus metaphysicis.

8 Totum denique Logicum, aut est essentiale inferioribus, de quibus prædicabile est, istud autem est quintuplex iuxta diuisionem traditam *loco citato*, nempe Genus, Species, Differentia, Anonymum, & Mixtum, aut est accidentale, & istud est quadruplex iuxta dicta *ibidem*, Passio propria, siue proprietas, & Passio communis; Accidens proprium, & Accidens commune, quæ omnia rursus in plura alia membra diuiduntur, vt *ibidem* videre est.

9 Sed est notandum ex latius dictis de naturâ vniuersalis *in dicta disput.27.* ea, ex quibus sub vno conceptu adunatis vniuersale fit, plerumque esse formalitates abstractas, siue præcisas ab aliis eorum inferiorum de quibus vniuersale factum prædicabile est. Genus enim, Differentia, Anonymum, & Mixtum semper coalescunt ex formalitatibus abstractis ab aliis repertis in speciebus, & indiuiduis, de quibus prædicabilia sunt. Species etiam vt plurimùm coalescit ex formalitatibus abstractis, à differentiis indiuidualibus. Tametsi interdum citra abstractionem ex integris indiuiduis adunatis possit coalescere, quando ea sunt inter se exactè similia & æqualia. Prædicabilia autem accidentalia semper fiunt vniuersalia per adunationẽ actuum abstractorum à subiectis, de quibus prædicabilia sunt, quando concipiuntur abstractè, quo pacto significantur per verba. Quando autem concipiuntur concretè, provt significantur per participia, vel nomina adiectiua, etsi in eorum adunatione, qua vniuersalia fiunt, nulla interueniat abstractio, siue præcisio; eo quod subadunationem, non actus solum, sed integra concreta particularia cadunt: vtpotè quæ vt sic ab ipsis actibus, tanquam à formis habent exactè similia apparere; nihilominus dum de solis subiectis inclusis in ipsis concretis prædicatur, abstractio quædam interuenit, siue præcisio qua subiecta ipsa, vt distincta à prædicatis apparent, atque adeo & à residuo, quod prædicata adiiciunt. Quæ præcisio etiam ante adunationem prædicabilium concretorum eueniet, si ante eam eorum subiecta concipiantur vt condistincta à formis, seu actibus; vt sæpe fit.

10 Ex his apparet, vniuersale, rigorosè loquendo, dumtaxat esse totum logicum comparatione eorum quæ in ipso adunantur; quia sola ista continentur in ipso tanquam partes logicæ eius: non item subiecta de quibus illud est prædicabile; quando hæc ab ipsis adunatis formaliter saltem distincta sunt. Itaque genus rigorosè loquendo dumtaxat est totum logicum, respectu earum formalitatum specierum, quas præcisas à differentiis adunat, non item respectu ipsarum specierum de quibus prædicatur; & idem est de Differentia, Anonymo, & Mixto, quæ prædicant partem de toto. Prædicabilia autem accidentalia respectu actuum, aut concretorum adiectiuorum, quæ adunant, sunt tota logica, non vero respectu subiectorum de quibus sunt prædicabilia. Vnde rursus apparet omnia vniuersalia qua ratione sunt tota logica, respectu suarum partium logicarum, specifica esse, siue ad vnum speciei prædicabile pertinere, quia prædicantur de illis vt integra essentia singularum. Ex quo tandem concluditur, quoties illa respectualiorum subiectorum; in ordine ad quæ sortiuntur proprias, & speciales naturas, (vt Genus, Differentia, Anonymum, & Mixtum respectu specierum, & Prædicabilia accidentalia respectu subiectorum actuum, siue formarum) tota logica nuncupantur, eiusmodi loquutionem minus proptiam esse.

Dicitur autem totum logicum respectu partium 11
logicarum totum potentiale, cum tamẽ totum Physicum, & Metaphysicum actualia dicantur. Quia totum logicum non concipitur, vt compositum ex iis quæ adunat tanquam ex partibus actuin se permanentibus, quemadmodum totum physicum, & metaphysicum, vt composita ex suis partibus concipiuntur, sed vt vnum factum ex pluribus quasi per conuersionem horum in illud. Quæ plura eatenus partes illius potentiales, seu potestatiuæ dicuntur, quatenus dum illud in ea per contractionem ad singula quasi multiplicabile est, quodammodo etiam in ea est resolubile, ac tanquam in partes diuisibile. Quæ omnia ex dictis de naturâ vniuersalis *in ea disputatione decima septima* conspicua sunt.

QVÆSTIO II.

Qualiter compositio facienda sit in ordine ad scientiam.

SVppono per compositionem physicam ex partibus specie diuersis essentiam compositam resultare specie diuersam ab essentiis singularum partium, atque ita sublatâ qualibet ex talibus partibus, in residuâ non manere eamdem essentiam specificam, quæ erat in toto. Ob idque eiusmodi partes essentiales toti dicuntur, ab integralibusque discriminantur; ex quibus (cùm sint eiusdem speciei tum inter se, tum cum suo toto) sublatâ qualibet, in residuâ manet eadem essentia specifica, quæ erat in toto. Per compositionem itidem metaphysicam ex formalitatibus diuersis essentia composita resultat specie diuersa ab essentiis singularum formalitatum. 12

Hinc quia omnis essentia ab aliis diuersa, & in 13
se est obiectum scibile ab aliis diuersum, & infinitas passiones tum proprias, tum communes de se etiam scibiles habet penes infinitas comparationes, quas potest illa subire cum infinitis aliis essentiis, iuxta doctrinam stabilitam *disputat. 17. quæst. 18.* &

& rursus *disput. 22. quæst. 2.* conficitur quotiescumque intellectus ex diuersis partibus, seu physicis, seu metaphysicis componit essentiam ab essentiâ ipsarum partium diuersam, toties illum parare sibi nouum obiectum scibile, virtute continens infinita alia de ipso scibilia. Componit autem intellectus, quod ad rem attinet, essentiam diuersam ex partibus inter se diuersis, seu physicis, seu metaphysicis, atque adeo seu physicâ, seu metaphysicâ compositione, de quibus agimus, quotiescumque concipit considerative aggregatum ex pluribus rebus diuersis, aut ex pluribus diuersis formalitatibus quoquomodo coalescens, quacumque demum ratione res ipsæ & formalitates considerentur comparatæ inter se. Nempe sine res considerentur vnitæ, siue non vnitæ, siue coniunctæ in eodem subiecto, aut loco, aut tempore, aut statu; siue seiunctæ in distinctis subiectis, aut locis, aut temporibus aut statibus; & siue formalitates considerentur identificatæ in eadem re, siue distinctæ in distinctis rebus, iisque aut vnitis, aut aliquomodo coniunctis, aut secus. Tum siue res, aut formalitates sint multæ, siue paucæ in quouis numero. Aggregatum enim ex illis, quouis ex his modis mente compositum, semper erit totum quoddam habens essentiam diuersam à partibus, atque adeo nouum quoddam obiectum scibile, annectens sibi infinitas passiones aut communes, aut proprias etiam scibiles. Videantur quæ *supra* diximus de essentiis compositis *disputatione nona, quæstione quinta.*

14 Igitur regulæ, quæ præscribunt quomodo ab intellectu nostro affatim componendæ sint essentiæ diuersæ seu physica, seu metaphysica compositione, ipsæ sunt quæ præscribunt quomodo per copiosam materiæ scibilis præparationem, affatim humanæ scientiæ sint promouendæ. Tales autem omnino sunt regulæ combinationum tradendæ *disput. 29.* & in præsenti applicandæ, iuxta *ibi* dicenda. Quot enim per illas ex quouis numero dato rerum, aut formalitatum inter se diuersarum, diuersæ quomodolibet collectiones effici possunt; tot possunt ab intellectu nostro essentiæ diuersæ componi; vt constat ex dictis.

15 Deinde supponendum est id, quod aliàs non semel notaui, in scientiis humanis nihil æstimabilius esse vniuersalitate. Nam quo vniuersaliora sunt obiecta, quæ scit intellectus humanus, eò plura sub paucioribus scit; eoque plura alioquin dispersa, sub paucioribus collecta commodissimè habet, immane alioquin pondus scientiæ, sine onere portans; ingentesve scientiæ diuitias expeditissimè paucis sub gemmis secum ferens. Vniuersalitas autem obiectorum scibilium per logicam compositionem ab intellectu fit, hoc est, per adunationem plurium sub vno conceptu ipsis communi, atque adeo vniuersali, tum eisdem, tum aliis, quibus illa conueniunt. Vnde patet quam magni momenti sit in scientiis humanis compositio logica, siue multorum adunatio sub vno conceptu communi.

16 Sed, quomodo ea facienda, ac frequentanda est, prout oportet? Dico, mediis eisdem commemoratis nuper combinationum regulis. Cum enim sola extrema inter se similia, sint adunabilia à nostro intellectu sub vno conceptu communi, vti apud omnes in confesso est, & à nobis *disp. 19. q. 8.* explicatum est. Nec possit similitudo extremorum intellectui nostro apparere, nisi mediâ eorum comparatione: vt etiam est notum. Consequitur plane regulas combinandi, quæ sunt regulæ faciendi omnes comparationes possibiles inter quæuis extrema data, eo ipso esse regulas ad deprehendendum, quænam eorum inter sunt similia, & consequenter ad adunandum illa sub vno conceptu communi. Intellectus enim noster promptissimus est, ad adunanda sub vno conceptu communi quæcumque semel apprehendit exactè similia, vt experientia demonstrat; quia valde procliue nobis est concipere sub vno conceptu quæcumque concepta sub pluribus prorsus similia nobis apparent.

Itaque vniuersalitatis studiosus, quales esse debent omnes scientifici; vel hoc etiam fine combinationem, comparationemque terminorum in omni materia, quoad eius fieri possit, exerceat: vt quinam eorum sint inter se similes, deprehendat, & deprehensos in vnum conceptum adunet ipsis communem, siue sint illi res integræ, siue rerum formalitates ab aliis præcisæ, & abstractæ. Semel enim deprehensâ, apprehensâque exactâ similitudine terminorum, ab intellectu nostro, promptissimum illi & connaturalissimum est, adunare illos sub vno conceptu communi, facillimumque subinde erit vnicuique id intendenti absque vlla alia arte præstare. Nec opus est, ad adunandos multos terminos sub vno conceptu communi, quòd omnes illi sigillatim distinctéque præconcipiantur: sat erit præconcipere aliquos, vt pro eis & cæteris omnibus, qui pariter ipsis fuerint adsimiles, vnicus conceptus cunctis communis efformetur. Imò verò semel concepto ab intellectu vnico dumtaxat termino particulari, integrum ipsi erit pro eo, & cæteris, qui fuerint ei exactè similes, conceptum communem formare, tametsi pro tunc intellectus nesciat, quibus aliis, præter illum particularem, communis atque adeo conueniens sit talis conceptus. Quia tamen magni interest in scientiis humanis scire quibusnam particularibus conueniat quilibet conceptus communis, maximè quando particularia ab aliis conceptibus differentialibus, à quibus ille est abstrahibilis, sunt inter se diuersa. Imò hic est positiuus fructus scientiæ vniuersalis, scire ad quæ particularia se extendat suum cõmune obiectum: vt talium particularium naturæ passionesq; plene cognosci possint. Idcirco magni momẽti est, conceptum vniuersalem formare, non vtcumque, sed facta particularium combinatione, comparationeque, vt simul sciatur quænam sunt illa, quibus ille communis est. Ex quibus, quomodo sit facienda compositio logica, & quam sit illa proficua scientiis humanis, satis constat. 17

DISPVTATIO XXVI.

De Diuisione.

QVIA sola composita diuidi possunt, 1
simplicia enim qua talia sunt indiuisibilia, procliue est, vt postquam de compositione agimus, de diuisione agamus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Diuisio, & quotuplex.

2 DIuisio, (sicut & compositio) alia est realis, qua realiter diuiditur totum in suas partes, tum à causis naturalibus, tum ab artificialibus: alia est mentalis ab intellectu oriunda, qua totum in suas partes diuisum concipitur, talique subinde sui conceptione diuidi dicitur. Et hæc (de qua tantum nunc agimus) vnum ex instrumentis scien-di est, vocalemque, & scriptam diuisionem sibi habet annexas; sicut & alia instrumenta logica; iuxta dicta pariter de compositione *disputatione 25. quæstione 1.* Quare diuisio huiusmodi sumpta vniuersè in mentalem, vocalem, & scriptam diuidenda erit. Mentalisque rursus diuiditur in obiectiuam ex parte obiecti se habentem; & intentionalem, quæ est ipsa cognitio obiectum diuidens, dum illud concipit in suas partes diuisum. Prout dictum pariter de compositione *loco citato.* Porrò diuisio à Logicis sic solet definiri. *Est oratio totum in suas partes distribuens.* Quæ definitio admitti potest sumpta oratione prout comprehendit mentalem, vocalem, & scriptam iuxta dicta *disp. 18. q. 2. diuis. 6.* Vt ita complectatur illa mentalem, vocalem & scriptam diuisionem.

3 Est autem diuisio huiusmodi imprimis duplex. Alia nominis: alia rei, Diuisio nominis est, quâ nomen in plura, quæ habet immediata diuersaque significata (quo iure æquiuocum est, aut analogum) distribui solet: vt *Canis alius latrabilis, alius cœlestis, alius marinus.* Diuisio verò rei est, quâ quodvis aliud totum in suas partes distribuitur: *vt Animal in rationale, & brutum. Homo in corpus, & animam, &c.* Ex quibus totum dicitur *diuisum*, partes autem *membra diuidentia* appellantur; Vnde quot tota diuersa, tot rei diuisiones diuersæ recen-sendæ sunt. Totorum autem aliud est Physicum, aliud Metaphysicum; aliud Logicum. Eorumque vnumquodque rursus in sua, eaque diuersa membra diuiditur, vt vidimus *disp. 25. q. 1.* Penesque videnda ibi totidem membra diuisionis totius in suas partes sunt designanda.

4 Hoc tamen prænotato vniuersim, quòd totum quodvis tunc dicitur diuidi per se, quando diuiditur in suas partes præcisè sumptas, absque vllo addi-tamento, vt cùm diuiditur homo in animam, & cor-pus. Tunc verò dicitur diuidi per accidens, quando membra in quæ diuiditur aliquid addunt suprà partes totius, quod subinde & toti, & partibus aliquo modo accidentarium est; vt cùm diuiditur homo in partem mouentem, & partem motam. Vnde diuisio cuiuslibet totius imprimis alia per se, alia per accidens esse potest.

5 Itaque diuisio sumpta vniuersè penes totorum diuisibilium diuersitatem, alia est physica, alia metaphysica, & alia logica. Deinde physica alia est totius in partes integrales, alia totius in partes essentiales; easque aut quarum alia est forma, vel substantialis, vel accidentalis, & alia materia, siue subiectum respectu illius; aut quarum nulla respectu alterius est forma, vel subiectum. Tum aut quarum alia est mo-dus, alia res, aut quarum omnes sunt modi; aut quarum omnes sunt res, &c. Quarum diuisionum vnaquæque, aut erit diuisio per se, si sit in partes præcisas totius aut erit diuisio per accidens, si sit in membra addentia aliquid supra partes. Metaphysica autem alia est totius in partes mutuò se contrahentes; alia totius in partes quarum nulla contrahit aliam: alia totius in partes, quarum alia contrahit aliam non mutuo. Quarum quælibet rursus per se, aut per accidens esse potest iuxta *super* dicta. Logica denique diuisio alia est generis in species, alia speciei in individua: alia Differentiæ alia Anonymi; alia Mixti prædicabilis in sua inferiora; in quibus quinque diuisum essentiale est membris diuidentibus. In rigore tamen sola diuisio speciei in individua est per se. Nam in cæteris membra diuidentia aliquid addunt supra partes diuisi, eis aliquo modo accidentale, iuxta dicta de natura totius logici *disputatione 25. quæstione 1.* Alia diuisio etiam ex Logicis est accidentis in subiecta, in qua diuisum membris diuidentibus est accidentale: idque vel tanquam passio propria, vel tanquam pas-sio communis, vel tanquam accidens proprium, vel tanquam accidens commune eorum. Alia est subiecti in accidentia, in qua membra diuidentia sunt accidentalia diuiso. Idque pariter, aut tan-quam passiones propriæ, vel communes, aut tan-quam accidentia propria, vel communia eius. Alia tandem est accidentis in accidentia, in qua diui-sum, & membra diuidentia vicissim sibi acciden-talia sunt, idque similiter aliquo ex quatuor dictis modis. Ex quibus tribus diuisionum generibus primum non est diuisionum per accidens (quid-quid Logici censeant:) quia membra diuidentia partes diuisi sunt præcisè ipsam constituentia, at-que adeo ipsi conuenientia per se, tametsi diuisum econtra accidentariè conueniat illis. Secundum vero & tertium genus diuisionum per accidens sunt. Differunt tamen, quod in illo diuisum mem-bris diuidentibus est essentiale; atque ita ad genus, vel differentiam vel anonymum, vel mixtum præ-dicabile reuocatur, cum prædicatur de illis. In hoc vero diuisum accidentale est membris diuidenti-bus, atque adeo ad aliquod ex prædicabilibus acci-dentalibus pertinet, quando de illis prædicatur. Recognoscatur diuisio prædicatorum subiectorum-que vniuersalium tradita *suprà disput. 17. quæst. 7.* Ex quibus omnibus palam est quid, & quotuplex sit diuisio.

6 Ex eisdemque apparet terminos dumtaxat com-positos eâ ratione, qua sunt compositi, diuisibi-les esse: Simplices verò minimè, quâ ratione sim-plices sunt. Itaque termini physici simplices, vt Angeli, non sunt in partes physicas diuisibiles, & termini simplices metaphysici, vt quædam vltimæ rerum formalitates, non sunt in partes metaphysi-cas diuisibiles, & termini logicè simplices, vt sin-gularia non sunt in partes logicas diuisibiles. Ter-mini autem diuisibiles, quia compositi, aut in par-tes ex quibus componuntur præcisè sumptas diui-di possunt, in quas dicuntur diuidi per se, aut in-membra addentia aliquid supra ipsas partes, in quæ dicuntur diuidi per accidens. vt dictum est.

QVÆSTIO II.

Qualiter Diuisio facienda sit in ordine ad scientiam.

SVppono primò, regulas illas quas ad bene diui-dendum præscribunt Logici. Prima est, vt sin-gula membra diuidentia minùs contineant, quàm diuisum;

diuisum, omnia verò simul sumpta adæquentur diuiso. Defectu enim prioris inepta hæc diuisio est: Animal aliud sensu, aliud ratione præditum est: Nam sensu præditum æquè latè patet, ac animal. Defectu verò posterioris hæc est diuisio inepta: animal aliud est reptibile, aliud volatile; quia diuisum latius patet quam membra diuidentia. Atque etiam hæc, Animal aliud homo, aliud brutum, aliud Angelus, quia membra diuidentia latiùs patent quàm diuisum.

8 Secunda regula est, vt quantum fieri potest, diuisum prius in immediata quam in mediata membra diuidatur. Quam non seruant qui diuidunt viuens, in hominem, & brutum, arborem, fruticem, & herbam, transiliendo duo immediata genera Animal, & plantam in quæ prius viuens est diuidendum.

9 Tertia regula est, vt vnum ex membris diuidentibus non includatur in alio. Quia eiusmodi inclusio vitiosam reddit diuisionem, vt in hac cernitur, Viuens aliud planta, aliud animal, aliud homo, & in similibus.

10 Quarta regula est, vt in diuidendo non vna tantum pars diuisi nominetur, reliquis significatis per negationem illius; vt si quis dicat, quantitatum alia est linea, alia non linea. Nisi quando vel per negationem nominatæ melius nobis aliæ innotescunt: vel tam plures sunt, vt commodè per propria nomina percurri non possint. Quocirca bene sic diuidimus, Substantia alia est corporea, alia est incorporea: Animal aliud est rationale, aliud irrationale; & similiter. Ad hanc quippè regulam spectat etiam cauere nimiam prolixitatem in diuidendo, qualis sæpe esset si omnia membra diuisi essent nominatim recensenda, vt si esset diuidendum animal in hominem, leonem, equum, canem, & cæteras species sigillatim. Quo casu, vno membro, vel altero nominato, cætera sub aliquo conceptu communi, aut positiuo, aut negatiuo complectenda sunt, vt diuisio sit adæquata.

11 Quæ vt distinctius capias, Nota diuisionem bifariam posse dici adæquatam. Primò quia est diuisio termini compositi in omnes suas partes; Secundo; quia membra diuidentia simul sumpta adæquantur diuiso, quatenus membra diuidentia cuncta contenta in diuiso continent; & vice versa. Et hoc posteriori modo adæquata debet esse semper diuisio, iuxta regulam primam. Priori vero modo, vt plurimum, debet etiam esse adæquata diuisio in omnia membra diuidentia specificè diuersa diuisi, cum scilicet expedit, (vt fit plerumque) singula distinctè cognoscere; nec sunt tam multa, vt nequeant commodè recenseri (qualia rarò sunt.) Interdum verò non debet; cum vel sunt nimis multa, vel ad rem de quâ tractatur non interest, distinctè cognoscere singula. Quod penes subiectam materiam, & intentionem diuidentis diiudicandum est. Volenti tamen vniuersaliter in omnique materia scientiam augere semper conandum est adæquatè diuidere. Dico autem in omnia membra specificè diuersa: quia in membra eiusdem speciei rarò in scientiis interest diuisio adæquata: vt plurimumque est impossibilis ob nimiam eorum, aut infinitam multitudinem.

12 Iam secundò suppono. Diuisionem vnum ex præstantissimis esse sciendi instrumentis. Primo, quia confusa distinguit faciens, vt cognoscantur distinctè, quæ prius cognoscebantur confusè. Atque ita veluti detegit, in lucemque, & vsum producit fructus, quos paucis sub terminis collectos custodit compositio. Parum quippe prodesset sub paucis possidere multa, si ea tamquam pauca dumtaxat retenta sub compositione, non vero item tanquam multa media diuisione proficerent. Secundo, quia copiosissimam suppeditat materiam scientiarum, multiplicatis paucis essentiis compositis in multas, ex quibus illæ compositæ sunt. Tertiò, quia viam aperit, non solùm ad dignoscendas essentias, passionesque singularum partium diuisi; sed etiam ad percallendam ipsius diuisi naturam, tum cognitis distinctè partibus ex quibus constat, tum detectis passionibus quas ex comparatione sortitur cum eiusmodi partibus tum seorsim, tum coniunctim consideratis; sumptisque vel absolutè, vel comparatiue inter se. Quæ omnia licet omnibus diuisionibus communia sint; physicæ scilicet, metaphysicæ, & logicæ, vnicuique suo modo: potissimè vero conueniunt logicæ, quâ totum logicum siue vniuersale diuiditur in sua inferiora, siue in membra sibi subiecta; vtpotè quæ potissime omnium in scientiis humanis locum, & vsum habet.

Porrò ad exactè diuidendum; atque adæquatè provt oportet in omnia diuersa membra diuisi, 13
iuxta *paulo ante* dicta potissimum iustrumentum sunt regulæ combinandi tradendæ *disputatione vigesima nona*, quia potissimum instrumentum sunt inueniendi, in quot, & quas partes diuersas sit quoduis totum diuisibile, vt cerni potest in multis adæquatis diuisionibus, quæ per eiusmodi regulas sunt factæ à nobis in isto opere, præsertim *disputatione decima nona*, *& vigesima*, vbi quas Artes perfectas, ac demonstratas dedimus circa propositiones, & syllogismos in eiusmodi adæquatis diuisionibus per regulas combinandi factis fermè fundatæ sunt: vt vel hinc etiam pateat, quam ad omnia sit generalis Ars combinandi.

Itaque quando differentiæ essentiæ communis nascuntur ex diuersitate collectionum par- 14
tium, aut physicarum, aut metaphysicarum ex quibus talis essentia coalescit (vti euenit in essentia, & differentiis syllogismorum ex certis quibusdam propositionibus compositorum, propositionumque compositarum ex terminis; in aliisque huiusmodi) combinatio monstrat in quot differentia membra talis essentia est diuidenda; similiterque quoties essentia communis per varios casus est contrahibilis, resultantes ex variis circumstantiarū collectionibus. Et vniuersim per comparationem cuiusuis essentiæ communis ad alios terminos mediâ combinatione faciendam, quibus illa eorum conueniat, de quibusque illorum tanquam de subiectis sit prædicabilis, in quosque illarum subinde tanquam in sua membra logica, vt totum logicum sit diuisibilis, deprehendendum est. Similiter ex quibus formalitatibus tanquam ex partibus metaphysicis, quæuis res constat, per eius comparationes ad alios terminos media combinatione faciendas inuenitur; & consequenter in quas partes tanquam totum metaphysicum sit diuisibilis. Pleræque siquidem rerum formalitates respectiuè ad diuersa connotata extrinseca, ad quæ illæ comparantur, concipiuntur atque distinguntur ab illis ab intellectu nostro. Denique combinatio quæ docet variis simplicium collectionibus varias essen-

tias compositas physicè compingere consequenter docet in vnaquaque earum tanquam in suas partes physicas, vt totum physicum diuisibilis, ex quibus patet quomodo medio combinationis vsu exactè, & adæquatè, quoad eius fieri possit, sit quoduis totum diuidendum.

15 Quoniam autem series diuisionum coalescens ex immediatis, & mediatis, varia esse potest comparatione eiusdem totius. Potest siquidem quantitas, exempli gratia, primâ diuisione diuidi, vel à latere supremo ad infimum, vel à dextro ad sinistrum, vel âb vno angulo ad alterum, vel ab angulo ad latus &c. idque vel in partes æquales, vel inæquales. Rursusque quæuis ex duabus partibus diuisionis primæ variè similiter in alias duas partes potest subdiuidi; & rursus quælibet ex quatuor variè pariter in duas, donecque ad eas vigesimas, vel trigesimas partes totius perueniatur per seriem diuisionum erectam, ad quas easdem æque bene per alias series, si eligerentur, posset itidem perueniri. Tantumdemque fermè in cæteris totis diuidendis, subdiuidendisque, iuxta naturam vniuscuiusque euenire potest, idcirco eiusmodi series diuisionum subdiuisionumque in scientiis sæpe sunt arbitrariæ, parumque aut nihil subinde interest hanc, aut illam eligere ex variis quibus totum propositum diuidi potest. Si quæ tamen aliquando commodior cæteris apparuerit, vt sæpe etiam euenet, prudentia erit eam eligere.

16 Postremo noto, Resolutionem propriè loquendo idem ac diuisionem esse: quia idem est totum in suas partes resolui, atque in illas diuidi. Vnde vbicumque Analysis, latinè resolutio à Platone, & aliis Græcis Philosophis, vt instrumentum præstantissimum sciendi commendatur, ipsa diuisio potissimùm de quâ nunc agimus commendatur. Verum quia resolui seu diuidi totum in suas partes, ad illas tanquam ad quædam sui principia reduci est. Inde factum est per translationem quandam, vt dum conclusiones in scientiis ad principia vnde inferuntur, & quasi nascuntur, reuocantur in illa dicantur resolui. Quo sensu ordo procedendi intellectus à conclusionibus versus principia analyticus dicitur; sicut è contra syntheticus ordo procedendi à principiis versus conclusiones, iuxta ea quæ dicebamus *supra disputatione vigesima secunda, quæstione secunda*, synthesis enim græcè compositio latinè est. Itaque synthesis, & analysis siue compositio, & resolutio, seu diuisio in significatione propria hæc duo sunt instrumenta sciendi de quibus in hac, & *præcedente disputatione* tractatum est. In translatitia autem ad Argumentationem spectat. Quæ aliud est instrumentum sciendi de quo *disputatione trigesima*. Porro duo ista sciendi instrumenta synthesim, & analysim, siue compositionem, & diuisionem tanti faciebat Plato; vt in sophista, & Phædro omnem rerum cognitionem, & scientiam illis attribuat.

DISPVTATIO XXVII.

De Definitione.

QVIA sæpe sæpius definitio per quandam diuisionem obiecti definiti datur, consentaneum est, vt postquam de diuisione in præcedente disputatione tractauimus modo in præsente de definitione tractemus. 1

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Definitio, & quotuplex.

DEfinitio secundum Arist. lib. 2. Post. cap. 10. *Est oratio ipsum quod quid est significans.* Id est oratio explicans naturam, essentiam, seu quiditatem rei. Definitum autem dicitur id, cuius natura, essentia, seu quiditas per definitionem explicatur. Quamquam autem per verba Aristotelis sola definitio vocalis videatur definiri. Quia tamen definitio in vniuersum alia vocalis, alia scripta, alia mentalis est: rursusque mentalis alia intentionalis (qualem ipsam cognitionem vocamus) & alia obiectiua oportet vtique definitionem definitionis ita etiam vniuersè vsurpari, vt omnes istas comprehendat definitiones: qualiter hæc recepta communiter, in quam Aristotelica recidit. *Oratio explicans naturam rei.* Vsurpari potest, vt dictum in simili *disputatione vigesima sexta, quæstione prima*, de definitione diuisionis. Etenim definitiones vocalis, scripta, mentalis, intentionalis, & obiectiua eiusdem termini obiectiui inuicem sibi correspondentes explicationes quædam sunt naturæ eius, vnaquæque suo modo, vt est notum. Definitio namque obiectiua clarior semper siue potentior atque adeo notior est, quam definitum obiectiuum, eoque iure per se explicatio quædam, seu declaratio obiectiua eius; eandemque rursus aut cognitam, aut significatam explicant, declarant, siue notificant definitum ipsum definitio mentalis intentionalis, aut vocalis, aut scripta: vnde definitio sumpta vniuersim aptiùs fortasse definietur, si dicatur esse, *Explicatio, declaratio, siue notificatio obiecti minus noti per magis notum.* 2

Scire tamen opus est, bifariam posse, & solere explicari, declarari, siue notificari obiectum minus notum per magis notum. Primò, tanquam per connotatum extrinsecum. Secundò, tanquam per partes intrinsecas distinctè conceptas. Quia bifariam potest, & solet obiectum, aut à nobis clarius; siue distinctiùs; hoc est cum maiori ab aliis discretione cognosci, aut pariter significari cæteris. Primo cognoscendo, aut significando illud respectiuè, siue comparatiuè ad aliud notius, ad quod aliquam habitudinem habet: secundo cognoscendo, aut significando partes eius distinctè, quæ priùs cognoscebantur, aut significabantur confusè. Priori modo declaratur, notificatur, seu definitur, 3

finitur, *rationale* cum dicimus, *Rationale est potens ratiocinari.* Posteriori modo *homo* cum dicimus, *homo est compositum ex corpore & spiritu.* Potest autem vterque modus in eandem definitionem concurrere; vt si dicamus, *homo est potens sentire, & potens ratiocinari.* Portò partes obiecti, per quas distinctè conceptas illud est definibile, aut physicæ, aut metaphysicæ possunt esse, & vtræquæ tales, vt vna per alteram, aut sit contrahibilis non mutuò, aut sit contrahibilis mutuò, aut neutro modo sit contrahibilis iuxta diuisionem earumdem datam *disputatione vigesima quinta, quæstione* 1. (Per partes enim logicas quantumuis distinctè conceptas non est propriè definibile totum logicum, quia eæ, vtpote minus vniuersales, minus quàm illud notæ sunt.) Connotatum autem extrinsecum per quod obiectum est definibile, aut potest esse terminus connexionis intrinsecæ eius, quo casu erit illius passio absoluta, vel propria, vel communis: aut potest esse terminus non quidem connexionis eius intrinsecæ, sed habitudinis alterius generis: quo casu non erit illius passio absoluta propria, aut communis, sed accidens, contingens; tale tamen vt ex eius suppositione passio aliqua propria, aut communis obiecti definiti relatè ad ipsum notificetur, iuxta dicenda *postmodum.*

4 Scire insuper oportet, essentiam obiecti definibilis, quæ per eius definitionem dicitur explicari, aut physicam, aut metaphysicam, aut transcendentalem, aut logicam esse posse; rursusque quamlibet earum aut per se, aut per accidens, iuxta diuisionem harum essentiarum factam *disp.9.q.2.* Vnde quid sit vnaquæque earum sumendum est, & supponendum, ne actum agamus.

5 Quæ cum ita sint, colligitur primò. Obiectum physicè indiuisibile, vt Angelus, per partes physicas definiri non posse: quia caret illis. Sicut neque per partes metaphysicas obiectum indiuisibile metaphysicè: qualia sunt essentiæ metaphysicæ, rerum, & aliæ simplices earum formalitates. Vnde rursus efficitur, essentias metaphysicas rerum physicè indiuisibilium, aliæque earum formalitates metaphysicè indiuisibiles per solum connotatum extrinsecum definibiles esse, non item per partes intrinsecas, quas nullas habent, vt ex dictis *disput.9. quæst.2.citata* constat.

6 Secundò colligitur. Ea solum obiecta per genus, & differentiam definibilia esse, quæ ex partibus composita sunt, quarum vna per alteram est contrahibilis non mutuò. Quia huiusmodi partes dumtaxat sunt genus, & differentia, iuxta dicta *disp.17.q.7.* Et quoniã obiecta huiusmodi ex partibus coalescentia longè pauciora cæteris sunt, quæ vel ex partibus constant alterius rationis, vel prorsus sunt indiuisibilia; ideò longè pauciora sunt obiecta, quæ per genus & differentiam definibilia sunt, quam quæ non sunt. Vt videant Logici characterem bonæ definitionis in vniuersum esse non posse ex genere, & differentiã constare.

7 Tertiò colligitur. Si definitio quiditatiua ea solùm appellaretur, quæ datur per partes constituentes quiditatem obiecti definiti, fore vtique vt essentiæ metaphysicæ rerum physicè indiuisibilium nullatenùs possent quiditatiuè definiri; quia nullas habent partes, vt *nuper* dicebam; & essentiæ metaphysicæ rerum physicè diuisibilium, etsi possent quiditatiuè physicè definiri per partes physicas, quas habent; quiditatiuè tamen metaphysicè non possunt: quia non habent partes metaphysicas. Cæterùm, quia essentia metaphysica vniuscuiusque rei, in subiecto radicali omnium actuum eius consistens, nequit à nobis diiudicari siuè discerni, nisi per aliquem eiusmodi actum qui proprietas sit eius; vt facilè potest vnusquisque colligere ex dictis à nobis *disp.2.q.4.* & *disp.9.q.2.* fæpeque *alias*: idcircò aliqua ex primis, siue immediatis cuiusuis essentiæ metaphysicæ proprietatibus loco ipsius essentiæ nobis est in ordine ad scientiam. Vt fert vulgatum axioma Philosophorum præsertim antiquiorum. Atque ita definitio cuiusvis essentiæ metaphysicæ, data per aliquam ex primis eius proprietatibus, quiditatiua reputatur, talisque asseritur. Qualis subinde dici etiam poterit cuiusvis alterius obiecti indiuisibilis, data per aliquam ex immediatis proprietatibus eius. Cum tamen definitio descriptiua appelletur, quæ quiditatiuam, subsequitur; atque adeo, vel datur per proprietatem mediatam, quando essentia quæ definitur indiuisibilis est, vel datur per quamlibet proprietatem etiam immediatam, quando essentia quæ definitur est diuisibilis, sicque per partes sibi intrinsecas quiditatiue definibilis.

Quartò colligitur. Definitionem descriptiuam 8
non solùm esse eam quæ datur per proprietatem absolutam cum quâ absolutè essentia definita connectitur, sed etiam eam, quæ datur per proprietatem ex suppositione, cum quâ essentia definita non absolutè, sed ex suppositione ipsi absolutè contingenti connexa est. Pro exemplo prioris sint definitiones istæ: *Homo est animal risibile*, siue, *Homo est risibilis: Corpus est ens extensum localiter*, siue, *Corpus est extensum localiter.* Risibilitas enim proprietas est absoluta hominis (sicut extensio localis corporis, quia essentia hominis cum risibilitate est absolutè connexa; sicut cum extensione locali est etiam connexa essentia corporis. Pro exemplo autem posterioris sint istæ: *Calor est qualitas frigori opposita*, siue, *Calor est oppositus frigori*: *Triangulum est figura habens tres angulos æquales duobus rectis*, siue, *Triangulum habens, &c.* Oppositio enim cum frigore proprietas caloris est ex suppositione naturæ frigoris ipsi calori contingenti. Quo etiam pacto æqualitas cum duobus rectis trium angulorum trianguli proprietas est ex suppositione. Quia calor cum naturâ frigoris non est absolutè connexus, ex suppositione tamen quòd frigus talem naturam habeat non potest non calor esse illi oppositus oppositione semiextrinsecâ ipsi, atque adeo inuoluente in suo conceptu reali naturam frigoris absolutè accidentariam calori. Tantumdemque venit dicendum de æqualitate trium angulorum trianguli cum duobus rectis; De cæterisque huiusmodi prædicatis cuiuis essentiæ semiextrinsecis, & necessariis ex suppositione alicuius extrinseci connotati, ipsi absolutè contingentis, & accidentarij, atque adeo nullam ipsius intrinsecam connexionem terminantis, sed tantum relationem aliquam alterius generis semiextrinsecam: quales sunt in exemplis positis relationes formales oppositionis, & æqualitatis consentaneè ad doctrinam vniuersalem de relationibus traditam *suprà disp.14.* Vnde etiam patet quomodo obiectum sit definibile per connotatum extrinsecum sibi accidentarium, seu contingens prout *num.3.* ponebamus; & nihilominus definitio semper ex suppositione saltem sit necessaria definitio.

Quintò colligitur. Etsi definitio descriptiua per 9
solam proprietatem essentiæ definitæ dari possit, vt si dicas, *Homo est risibilis*: communiter tamen

clariùs, & meliùs dari per proprietatem simul & aliud prædicatum commune, quod si fuerit essentiæ definitæ intrinsecum aut genus, aut prædicabile mixtum erit, si autem fuerit extrinsecum erit passio communis. Vt si dicas, *Homo est animal risibile*: sumpto homine pro composito, ex animali & rationali, animal erit prædicabile mixtum, esset autem genus si rationale esset differentia propria hominis, & non prædicatum commune Angelis: sumpto vero homine pro subiecto potente sentire & ridere, animal, quod est potens sentire erit passio communis; passio autem propria risibile, quod est potens ridere. Definitio vero quiditatiua, si sit essentiæ compositæ per partes, ex quibus componitur distinctè cognitas, nulla prætermissa, dari debet: nequit enim totum explicatè innotescere, vt debet per definitionem si penitus ignoratur pars aliqua eius, non tamen opus est, vt omnes essentiæ definitæ partes distinctè innotescant; sat erit, imo sæpe expediet, vt duæ tantum, aut tres innotescant distinctè, cæteris in ipsis confusè cognitis, ne definitio sit productior, atque adeo prolixior, quam par est. Exempli gratia, partes metaphysicæ hominis *sunt ens, substantiale, corporeum, viuens, sensibile, rationabile*, & tamen per solas has duas, *animal rationale*, idoneè definitur, cæteris sub *animali* confusè cognitis. Partes autem per quas essentia composita, communisque siue specifica quiditatiuè est definibilis, siue illæ physicæ sint, siue metaphysicæ, aut possunt esse genus, & differentia; aut prædicabilia anonyma, aut mixta, iuxta dicta de huiusmodi prædicabilibus *disputatione decima septima, quæstione septima*. Iam vero definitio quiditatiua essentiæ non compositæ, etsi per solam proprietatem immediatam dari possit iuxta dicta *numero septimo*, vt si dicamus, *Leo est rugibilis*: sumpto leone pro subiecto potente rugire, quod est essentia metaphysica eius. Meliùs tamen, & clariùs datur per proprietatem immediatam simul, & passionem communem; vt si dicamus, *Leo est animal rugibile*: sumpto leone pro eodem subiecto cuius passio communis est esse animal, hoc est, esse viuens sensibile. Porro quoties definitio siue quiditatiua, siue descriptiua per prædicatum commune, & proprium essentiæ definitæ datur; prædicatum commune, si non est genus, dicitur gerere vicem generis: & prædicatum proprium, si non est differentia, dicitur gerere vicem differentiæ. Non tamen propterea est vniuersaliter verum id, quod circumfertur vulgo inter Logicos, omnem bonam definitionem dari per genus, & differentiam essentiæ definitæ, aut per aliquid loco generis, & aliquid loco differentiæ: siquidem, vt constat ex dictis, bona definitio esse potest data per solam proprietatem essentiæ definitæ, aut per partes essentiæ definitæ, quarum neutra sit aliis communis; quibus in casibus nihil erit in tali definitione quod gerat vicem generis; aut data per partes quarum neutra seorsim sit propria essentiæ definitæ, coniunctum tamen earum proprium sit eius. Quo casu nihil in tali definitione erit, quod gerat vicem differentiæ sumptum seorsim.

10 Sextò. Ex dictis facilè quisque poterit colligere quot modis vnaquæque essentia sit definibilis earum quæ recensuimus *num. 4.* siue ea sit simplex, siue composita physicè, aut metaphysicè; tum siue sit essentia per se siue essentia per accidens; iuxta dicta de eiusmodi essentiis *loco ibi citato*.

Septimò denique colligitur. Aliquos esse termi- 11
nos obiectiuos, qui indefinibiles propriè sunt: quia ex vnà parte cùm sint simplicissimi per partes intrinsecas distinctiùs cognitas, quas nullas habent, definiri non possunt, ex alia vero, cùm sint ex notissimis omnium, per alios terminos notiores, qui nulli dantur, tanquam per connotata extrinseca definiri nequeunt. Aliud autem genus propriè definiendi quidpiam non est, præterquàm per partes intrinsecas distinctiùs cognitas, aut per extrinseca connotata notiora, vt constat ex dictis. Nihilominus eiusmodi termini obiectiui aliquod genus explicationis, siue definitionis impropriæ subire solent, dum diuersimodè, aut concipiuntur interiùs, aut exteriùs significantur. Vt cum dicimus existentiam esse actum, quo vnumquodque esse, existereve dicitur in rerum natura: identitatem esse actum quo vnumquodque dicitur esse id quod est, aut esse idem, aut identificari cum quopiam &c.

Ex quibus omnibus ferè iam constat quotuplex 12
definitio sit; alia enim est quiditatiua, alia descriptiua, prout explicauimus: ad descriptiuam autem spectat causalis, & omnis non quiditatiua quocumque nomine nuncupetur. Alia dici potest physica, quæ vel per partes physicas, vel per connotata extrinseca physica obiecti definiti datur, & alia metaphysica quæ datur per partes, vel connotata metaphysica. Quæ diuisiones definitioni rei vniuersè sumptæ conueniunt; de quâ dumtaxat hucusque loquuti sumus. Præter eam autem assignant aliqui definitionem nominis quæ in explicatione quâdam significationis; aut etymologiæ nominis posita est; & vel impropriè est definitio vel in rei significatæ per nomen definitionem recidit.

Adnotare tamen oportet, etsi communiter defi- 13
nitio dicatur ea sola oratio, quæ conuersim prædicatur de definito, vt *animal rationale*, comparatione hominis: quo pacto sumitur definitio ab Aristot. *lib. 1. Perihermen. cap. 4. & lib. 6. Topicorum, cap. 1. sæpeque alibi*, & ab aliis Logicis communiter, à nobisque impræsente quæst. interdù tamen sub nomen definitionis venire propositionem integram, in quâ prædicatur definitio de definito: vt hæc, *homo est animal rationale*. Quo pacto vsurpauit definitionem Aristotel. *lib. 1. Post. cap. 2. & lib. 2. cap. 10* cum dixit eam, aut principium demonstrationis, aut conclusionem, & Quintilianus vbi eam enũciationem dilucidam propositæ rei appellauit. Pariterque vsurpant scientifici; dum inter principia scientiarum definitiones se dicunt ponere, ponentes propositiones integras prædicantes definitiones de definitis, vtpotè quæ vera sunt scientiarum principia, non definitiones ipsæ præcisæ, quæ nihil affirmant, aut negant.

QVÆSTIO II.

Qualiter faciendæ sit definitio in ordine ad scientiam.

SVppono primò, leges bene definiendi tradi- 14
tas ab Aristot. *lib. 6. Topic.* ad hæc tria capita reuocari. Primum quòd definitio clarior sit definito. Secundum, quòd definitio conuertatur cum definito, id est quod definitio, & definitum tum inter se, tum respectiuè ad aliud tertium mutuò verificentur,

verificentur. Tertium, quòd in definitione neque redundet aliquid superfluum, neque desit aliquid necessarium, Quæ omnia ex dictis *quæstione præcedente* satis sunt nota: sicut & alia quædam, quæ adiiciunt Logici; in quibus distinctiùs exponendis opus non est morari.

15 Suppono secundò, definitiones eximiè ad humanas scientias conferre: tùm quia sunt explicationes, declarationésve terminorum, atque adeo obiectorum earum, & nequit non conferre plurimùm ad sciendum explicatio, declaratio, seu patefactio obiectorum scibilium, vt satis ex se appareat: tùm quia principia suppeditant vsque adeo scientiis necessaria, vt sine illis scientiæ constare non possint. Talia enim sunt propositiones per se notæ, prædicantes definitiones de definitis, atque ita stabilientes statuentesque quasi in aperto siue in propatulo naturas, essentialve obiectorum scibilium: vt inde passiones earumdem scientiæ velut ex fontibus possint haurire. Cum quo stat innumeras, imò infinitas insuper definitiones posse dari, quæ non constituant principia scientiarum, sed conclusiones: quia non continent obiecta per se de definitis noscibilia, sed tantum per aliud. Nihil enim vetat explicari, atque adeo definiri quamuis essentiam per passiones tum communes, tum proprias sui; quæ tamen de se non ex terminis, sed medio discursu dumtaxat sunt iudicabiles, vt est notissimum.

16 Iam verò regulas præscribere ad quærendas, & inueniendas definitiones ex dictis in *præcedentibus* promptissimum est. Si enim definitiones ex earum genere sunt, quæ dantur per partes intrinsecas definiti seu physicas, seu metaphysicas, eædem regulæ datæ *disputatione vigesima sexta, quæstione secunda*, pro inueniendis diuisionibus totorum in suas partes, aut physicas, aut metaphysicas, pro huiusmodi quoque definitionibus talium totorum inueniendis regulæ sunt, vt constat. Si verò definitiones sunt ex earum genere, quæ dantur per connotata extrinseca, atque adeo per proprietates, aut etiam passiones communes essentiarum definibilium: regulæ vtique docentes quomodo quarumvis essentiarum proprietates, passionesque communes quærendæ, & inueniendæ sint; consequenter erunt docentes quomodo definitiones earumdem essentiarum quærendæ sint, & inueniendæ. Istæ autem regulæ combinationum, atque comparationum sunt, de quibus *disp.* 29. iuxta dicenda *ibidem*.

DISPVTATIO XXVIII.

De Locatione.

1 POst aggregatam, dispositamque, & elaboratam, aut etiam perpolitam materiam fabricæ construendæ; sequitur vt admoueatur, in Locisque idoneis reponatur, quò eam habeat ad manum Artifex propriam in ipsâ constructione fabricæ commodiùs, & promptiùs exequendâ. Ita post aggregatam materiam scientiarum per obseruationem, quasi dispositamque, elaboratam, & perpolitam per compositionem, diuisionem, & definitionem; sequitur, vt ad manum, ad vsumque construendæ scientiæ idoneis in locis reponatur per Locationem: sic enim ob inopiam vocabuli nuncupamus illud instrumentum sciendi, quod & constitutionem, & vsum locorum scientificorum, siue pertinentium ad scientias, de quibus hic agitur, præscribit. Appositè igitur exponetur tale instrumentum in præsente *disput.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Locus, & quotuplex.

LOcus (de quo in præsentiarum sermo est) à 2
Cicerone *in Topic.* ab aliisque tum Rhetoribus, tum Dialecticis definitur communiter *Argumenti sedes*, Argumentum autem hîc dicunt quoduis inuentum idoneum ad faciendam fidem, siue ad assertionem propositam comprobandam, aut persuadendam.

Est autem apud Dialecticos Locus imprimis 3
duplex, Maxima & Differentia maximæ. Locus Maxima dicitur, propositio per se nota fidem aliis subministrans, quatenus vim in se continet probationis aliarum. Locus vero Differentia maximæ est, receptaculum plurium maximarum. Exempli gratia. Definitio est locus Differentia maximæ. Maximæ autem in eo contentæ (quæ & Pronunciata, & Axiomata dici etiam solent) propositiones istæ sunt. *Quidquid conuenit definitioni, conuenit definito. Quidquid non conuenit definitioni; nec definito. Cui tribuitur, aut non tribuitur definitio etiam tribuitur, aut non tribuitur definitum*, & aliæ huiusmodi.

Rursus Locorum, qui Differentiæ maximæ 4
nuncupantur, duo sunt genera. Alij qui continent argumenta artificiosa; qualia dicuntur, quæ fiunt per principia intrinseca. Alij qui continent argumenta artis expertia; qualia appellantur, quæ sumuntur ab extrinsecâ auctoritate. Et huius quidem posterioris generis duo tantum numerantur; scilicet *Auctoritas Diuina, & Auctoritas humana*. Prioris autem generis viginti recensentur à nostro Fonseca *libro septimo institutionum Dialecticæ, capite vndecimo*, & ab aliis Dialecticis (tametsi alij alium numerum ponant) nempe *Definitio, Descriptio*. De quibus satis constat ex dictis *disputatione vigesima septima. Notatio*, quæ est definitio nominis, de qua etiam *ibi. Coniugata*, qui sunt termini cognatæ significationis, seu denominationis, vt sapere, sapientia, sapiens. *Partes, Tota, Causæ, Effecta*; Termini quidem satis superque noti ex se. *Antecedentia, Consequentia*, quorum terminorum primus significat ea quæ necessario antecedunt rem, de quâ agitur; Secundus verò ea quæ necessariò subsequuntur. *Præcurrentia, Comitantia, Subsequentia*, circunstantiæ sunt à Cicerone dicta Adiuncta, quæ non necessariò, sed contingenter circunstant rem de quâ tractatur; alia quidem antecedenter, alia comitanter, alia consequenter. *Similia, Maiora, Minora, Paria, Dissimilia, Opposita*; qui omnes termini sunt notissimi ex se. Et *Repugnantia*, qui terminus ea significat, quæ rei de quâ tractatus repugnant, seu conuenire nequeunt.

En ad quot capita reducunt communiter Dia- 5
lectici, & Rhetores omnes locos, quos differentias

maximæ appellant. De quibus subinde sigillatim agunt ; docentes quomodo ex singulis eruenda sint argumenta, ad quamlibet assertionem propositam comprobandam, & persuadendam ; necnon adiungentes singulis maximas aliquas ex pluribus quæ in eis fundari, siue ab ipsis elici possent. Notant insuper hos omnes locos bifariam spectari posse. Primo, vt communes omnibus scientii : quo pacto ex eis nihil potest depromi, quod non sit itidem ipsis scientiis commune. Secundo, vt contractos ad hanc scientiam, aut illam, siue ad materiam eius ; qua ratione quod ex eis sumitur pro tali scientia alteri conuenire non potest. In quo ego illis non satis assentior ; quia eiusmodi Loci, vt ex se apparet, aliud non sunt, quàm termini quidam, aut transcendentes, aut valdè vniuersales ; eoque iure aut omnibus, aut plerisque scientiis communes. Termini autem vniuersales non sunt iidem cum eis, qui ex se & differentiis per quas contrahuntur coalescunt, & proprij singularum scientiarum sunt. Quare non satis benè dicitur prædictos Locos sumi posse, & vt communes omnibus scientiis, & vt speciales singularum. Melius quippè diceretur præter eos, qui omnibus scientiis communes sunt, dari pro singulis alios proprios. Adde Locos communes omnibus scientiis non satis bene ad viginti terminos reuocari : Desideratur enim alij sumendi tum ex arte Lulliana, cuius termini suprà *disputatione 23. quæstione 4* commemorati Loci etiam communes sunt, tum aliunde, vt apparebit ex dicendis. Præterea de Maximis, siue propositionibus, quæ ob suam vniuersalitatem Locorum item communium nomen merentur, angustè videntur Dialectici, atque etiam Rhetores tractasse : sunt namque longè plures, quàm ab eis assignatæ, vt etiam ex dicendis constabit. Locos etiam communes argumentationum, siue in argumentationibus consistentes abs iure omiserunt. Demum de regulis vtendi singulis illis, qui in terminis recensitis consistunt, prolixè videntur tractasse, implexeque subinde in ordine ad praxim : Satiùs facturi si ad pauciores vniuersalioresque regulas cuncta reducerent, quales erunt combinationum tradendæ à nobis *disputatione vigesima nona*. Aliunde in exhibendo vsu dictorum Locorum diminutè processisse videntur ; cum longè amplior esse possit, quam vt assertio proposita comprobetur. Vt etiam patebit ex dicendis.

6 Igitur, vt exactiùs perfectiúsque exhibeam istud Locorum instrumentum, suppono locum de quo tractamus aptiùs, vniuersaliúsque quam *suprà* sic definiri. *Promptuarium materiarum scientiarum*. Materiarum, inquam, ex quibus scientiæ componuntur : cuiusmodi sunt termini, quæstiones, propositiones, & illationes, siue argumentationes. Pro iis enim omnibus continendis, ac depromendis sunt loci in præsenti constituendi, vel designandi. Possunt autem huiusmodi scientiarum materiæ trifariam, quòd ad rem attinet, in Locis contineri. Primò vt continetur pars in suo toto, secundo vt continetur effectus in sua causa, tertio vt continetur consequens in antecedente, ex quo infertur. Primo modo inferiora vniuersalis in ipso vniuersali tanquam in toto Logico continentur, vt in termino vniuersali termini ipsi inferiores, & in quæstione vniuersali, quæstiones ipsi inferiores, & in propositione vniuersali propositiones ipsi inferiores, & in argumentatione vniuersali argumentationes ipsi inferiores. Primo item modo in quouis aggregato, siue catalogo, siue tabula aut terminorum, aut quæstionum, aut propositionum, aut argumentationum termini ipsi aut quæstiones, aut propositiones, aut argumentationes continentur tanquam in toto physico, aut metaphysico. Secundo modo continentur quæstio, & propositio in terminis, & argumentatio in propositioninus, ex quibus componuntur tanquam in quibusdam sui causis : Partes siquidem quadamtenus sunt causæ totius. Tertio modo quidquid terminat connexionem alterius, in eo censetur contineri ; vt consequens in antecedente siue sit terminus, siue quæstio, siue propositio, siue argumentatio tum quod infertur, tum quod infert.

Quidquid ergo aliquo ex his modis (vnum cum in se sit,) plurima continet eorum, ex quibus scientiæ componuntur, id Locus venit iure appellandus ; quia promptuarium quoddam est materiarum scientiarum. Sic termini vniuersaliores scientiarum loci quidam earum sunt : tum quia primo ex dictis modis continent plurimos alios terminos sibi inferiores ; tum quia secundo modo continent omnes propositiones, quæ ex illis, & aliis omnibus de quibus prædicantur, aut quibus subiiciuntur, coalescunt ; necnon omnes quæstiones quæ ex eis, & aliis quibusvis terminis possunt compingi : tum denique, quia tertio modo continent quæcumque ipsorum terminant connexionem, eoque iure ex ipsis possunt inferri. Similiter propositiones vniuersaliores scientiarum loci quidam earum sunt ; tum quia plurimas minus vniuersales continent sub se primo modo ; tum quia secundo continent omnes argmentationes, quas possunt componere : tum quia tertio continent cæteras, cum quibus connectuntur. Argumentationes itidem scientiarum loci quidam earum sunt ob similes continentias, quas habent tum minùs vniuersalium quas sub se habent ; tum complexarum, quas possunt componere ; tum cæterarum seu argumentationum, seu propositionum, quas inferunt. Sunt præterea Loci scientiarum catalogi omnes terminorum, propositionum, & argumentationum ; vtpote tota quædam ex eis composita ; maximè si sint ita ordinati, vt facilè ex eis depromi possint pro constituendis scientiis, quæ in eis continentur tum immediatè, tum mediatè. 7

Hinc loci primo in locos terminorum, & locos propositionum, & locos argumentationum diuidi possunt. Rursusque quilibet horum trium generum in simplices ; quales sunt singuli termini, singulæ propositiones, & singulæ argumentationes vniuersaliores scientiarum : & compositos, quales sunt catalogi ex terminis, ex propositionibus, ex argumentationibusque confecti. 8

Secundò, Locorum alij sunt communes omnibus scientiis ; termini scilicet, propositiones, & argumentationes ob summam suam vniuersalitatem, materiam communem omnibus scientiis continentes, catalogique ex eisdem facti ; Alij sunt speciales singularum scientiarum ; termini scilicet propositiones, & argumentationes intra earum vnamquamque vniuersaliores, vna cum catalogis compositis ex eisdem, aut etiam ex aliis ad tales scientias pertinentibus. Quocirca alij sunt Loci Dialectici, siue logici ; alij Geometrici, alij Arithmetici, alij Medici &c. 9

Etenim

Etenim loci Dialectici, siue Logici sunt. Simplices quidem terminorum Terminus, Propositio, Argumentatio, Definitio, Diuisio, Vniuersale, Genus, Species, Differentia, Oppositio, Subalternatio, Conuersio propositionum, & cæteri huiusmodi. Compositi vero terminorum Catalogi, qui ex eisdem effici possunt: necnon categoriæ, & schemata, quæ ex singulorum diuisione resultant, iuxta dicenda postmodum. Loci autem simplices propositionum sunt omnes Maximæ siue vniuersales propositiones aut per se notæ, aut demonstratæ, quas circa singulos commemoratos terminos pronuntiat Logica; vt circa definitionem, diuisionem, oppositionem, conuersionem propositionum &c. Compositi verò propositionum catalogi, qui ex dictis Maximis fieri possunt, necnon tabulæ quæ omnium propositionum oppositiones, subalternationes, seu connexiones, conuersionesque ostendunt, atque determinant; quales nos dedimus *supra disp.* 19. Et cæteræ huiusmodi. Denique Loci logici simplices argumentationum sunt singuli modi, siue formæ syllogismorum, enthymematum, aliarumque argumentationum, quos nos *supra disp.* 20. tradidimus; vt in *Barbara*, in *Celarent* &c. Compositi verò argumentationum omnes modorum tabulæ traditæ *ibidem*, & aliæ eiusmodi.

11 Loci Geometrici sunt simplices quidam terminorum, Longitudo, Latitudo, Soliditas, Æqualitas, Inæqualitas, Maioritas, Minoritas, Proportio, Proportionalitas, Inscriptio, Circumscriptio, & alij huiusmodi: Compositi verò, terminorum Catalogi, qui ex his & aliis confici possunt, schemataque resultantia ex diuisione eorum: Loci autem simplices propositionum sunt Axiomata, & omnes vniuersaliores propositiones demonstratæ; inter quas recenseri possunt omnes fermè, quas tradit Euclides in libris elementorum. Potissimè verò omnium dicuntur loci apud Geometras illæ lineæ per quas, ob vniuersalissimam aliquam proprietatem, quam demonstratam habent, infinita problemata veniunt demonstratiuè soluenda. exempli gratia, linea curua semicirculi locus est omnium triangulorum, quæ super diametrum fieri possunt, habentium angulum rectum oppositum basi: quia in omnibus triangulis habentibus pro basi diametrum circuli, terminatis ad vnum punctum circumferentiæ, angulus oppositus basi necessario est rectus, vt demonstrat Euclid. *lib. 3. elementorum propos.* 31. Similiter perpendicularis bifariam diuidens lineam datam, & sine fine extensa locus est omnium isoscelium triangulorum, quæ super datam diuisam vt super basim fieri possunt. Parallelæ etiam lineæ locus sunt omnium triangulorum æqualium, quæ super eandem, aut super æquales bases inter ipsas parallelas fieri possunt ad easdem terminati &c. Quod quidem genus locorum eximij, & admirabilis vsus est in Geometria, adeo vt, qui eis aggregandis in vsumque trahendis principio incubuerit, breuissimè ex discipulo euadat magister eximius, longè antecellens cæteros, quos latet hoc locorum compendium mirabile, ex quibus apud Pap. Alexand. alij dicuntur plani, vt linea circularis, & recta; alij solidi, vt sectiones conicæ; alij lineares, vt cæteræ lineæ curuæ. Loci denique argumentationum Geometrici simplices, & compositi argumentationes vniuersaliores Geometricæ sunt simplices, & earum catalogi.

12 Loci autem Metaphysici, proprij eius partis vniuersalioris metaphysicæ, quam dicimus Philosophiam primam sunt simplices quidem terminorum Essentia, Bonitas, Vnitas, Distinctio, Potentia, Quantitas, Totum, Oppositio, Connexio, causa, & alij huiusmodi. Compositi vero horum, aliorumque Catalogi, categoriæ, & schemata. Loci autem propositionum simplices sunt principia, & aliæ propositiones præsertim euidentes, quæ ex prædictis vniuersalissimis terminis componi possunt: quales sunt exhibitæ à nobis *disp.* 8. *quæst.* 5. *& disp.* 9. *quæst.* 5. *& disp.* 10. *quæst.* 5. *in aliisque ex sequentibus disputationibus*: & aliæ huiusmodi: ex quibus coalescentes Catalogi compositi Loci propositionum sunt. Denique Loci argumentationum simplices, & compositi argumentationes sunt simplices ex eisdem terminis oriundæ, & earum Catalogi. Pariterque de locis specialibus cæterarum singularum scientiarum censendum est.

13 Est tamen adnotandum primò, Locos proprios Logicæ eatenus esse communes omnibus scientiis, quatenus Logica vniuersalitate quadam reflexa omnium scientiarum vniuersalissima est, vtpotè quæ de omnibus obiectis per omnes scientias scibilibus formaliter provt scibilibus, seu potius provt conceptibilibus ab intellectu nostro agit, vt tetigi *in præfatione huius operis*. Atque ita omnium obiectorum à nobis conceptibilium provt talium indagat passiones, quæ vel in easdem nostrarum intellectionum recidunt, vel cerrè per eas ad breuem sphæram Logicæ contrahuntur. Quocirca huiusmodi Locorū logicorum vniuersalitas quasi reflexa ad cæteras omnes scientias, ad quas extenditur, promouendas minus apta est quam vniuersalitas directa Locorum metaphysicorum ad Philosophiam primam spectantium. Qui quidem ita Philosophiæ primæ sunt proprij, vt cæteris omnibus metaphysicis scientiis, bonaque ex parte etiam physicis, vtpotè illi subalternatis communes sint. Obiecta quippè Philosophiæ primæ ob summam vniuersalitatem eamque directam, quam habent ad omnia fermè obiecta aliarum omnium scientiarum tanquam ad inferiora sua, quibus conueniunt, extenduntur; quo fit, vt & veritates illorum in his omnibus reperiantur, & horum veritates specialiores per communes illorum, quas in se continent, innotescant. Quare vsus eiusmodi locorum Philosophiæ primæ, traductioque eorum ad omnes scientias ipsi subalternatas eximij sanè momenti est, ad eas omnes promouendas, & illustrandas, maximè cum notitia ex talibus locis deriuata eo euidentior sit, quo illi sunt vniuersaliores.

14 Secundo adnotandum est: Locos terminorum compositos bifariam posse, imò, & debere confici, siue constitui atque describi. Primò, per modum catalogi complectentis terminos vniuersaliores vniuscuiusque scientiæ inter se non subordinatos, idque, vel ordine alphabetico (vti expediet, si fuerint multi) vel sine illo. Secundo, per modum categoriæ, aut schematis complectentis omnes terminos vnicuique ex vniuersalioribus subordinatos, eos videlicet, in quos ille tum immediatè, tum mediatè diuisibilis est. Differunt autem inter se categoria, & schema, quod categoria solum fit per diuisiones generum in suas species, aut differentias, & specierum infimarum in sua individua, incipiendo ab vniuersaliore genere, & procedendo per intermedia vsque ad infimas species, & earum individua. At verò schema cæteras insuper omnes diuisiones amplecti potest; per quas terminus vniuersalior, qui assumitur diuidendus tum immediatè, tum mediatè diuisibilis est, siue illæ

sint, aut generis, aut speciei, aut differentiæ, aut anonymi, aut mixti prædicabilis in sua inferiora; siue sint aut accidentis in subiecta, aut subiecti in accidentia, aut accidentis in accidentia; siue sint totius, aut Physici, aut Metaphysici in suas partes, iuxta dicta de huiusmodi diuisionibus *disput. 26. quæst. 1.* Ex quo patet omnes diuisiones, diuisa, & membra diuidentia, quæ categoria continet, in schemate contineri simul cum aliis. Ac proinde schema omnes categoriæ vtilitates, & insuper aliàs secum adferre. Quare categoriis prætermissis satius erit compendij causa solis schematibus vti. Tametsi Aristotel. in Logica categorias decem generum vniuersaliorum posuerit, pro exemplo scilicet, ni fallor, huiusmodi locorum, & pro materia communi omnibus scientiis. Vti nos ampliora schemata ponemus *quæstione sequente.*

15 Tertio adnotandum est, locos propositionum compositos per modum catalogi debere fieri. Schemata enim nec possunt facile propositionibus accommodari, nec sunt necessaria pro illis, suppositis schematibus terminorum, ex quibus illæ componuntur, & ratione quorum dumtaxat sunt illæ, quod ad rem attinet, in alias diuisibiles in se aliquatenus contentas titulo etiam terminorum. Oportebit autem distinctionis gratia tum propositiones per se notas separatim à notis per aliud describere, tum vtrarumque catalogos in varias partes diuidere, præfixis singulis suis titulis penes varietatem, diuersitatemque materiarum, ad quas illæ pertinent, seu reduci possunt, etiam intra latitudinem vniuscuiusque scientiæ. Debent autem in hisce catalogis vniuersaliores imprimis, & selectiores propositiones poni, & quæ in singulis materiis euidentiores, siue certiores fuerint; eatenus interim à ponendis cæteris abstinendo, quatenus opus fuerit, ne catalogi tantùm crescant, vt nequeant facilè ad vsum, pro quo fiunt, percurri.

16 Denique loci argumentationum compositi per modum itidem catalogi sunt faciendi: tametsi hi in specialioribus materiis parum sint necessarij, aut vtiles, suppositis locis compositis terminorum, atque propositionum. Hinc certe argumentorum catalogus, ne memoria excidant, describi poterit; quando ea omnia ad aliquam propositionem variè demonstrandam, seu comprobandam fuerint necessaria, aut vtilia. Dixi in specialioribus materiis: quia modorum, siue formarum vniuersalium arguendi (quales traduntur in Logica, & nos tradimus in hoc opere *disputat. 20.*) catalogi semper, vt valde proficui præmanibus habendi sunt ad vsum.

QVÆSTIO II.

Qualiter sint loci constituendi parandi, & trahendi in vsum in ordine ad scientiam.

17 SVppositis omnibus dictis *quæst. præcedent.* iam in præsenti noto primo, instrumentum Locationis, quod locos constituit, & parat, ad vsumque trahit, & accommodat, eximij sane momenti esse ad omnes scientias humanas in infinitum augendas, promouendas, & illustrandas. Sunt quippe loci, quasi altissimi fontes, vnde intellectus humanus per instrumentum combinationis nouas quotidie veritates potest facile haurire, quin vnquam possint illi exhauriri.

Noto secundo, Locos simplices terminorum (à quibus semper est inchoandum) ex materia per obseruationem aggregata confici, seu constitui per instrumentum compositionis. Cum enim sint termini quidam vniuersales, atque adeo tota quædam Logica per compositionem ex partibus, ex quibus constant, quâ ratione ex illis constant effici debent. Quare regulæ compositionis datæ *disputatione vigesima quinta*, ad tota Logica componenda pro hisce locis conficiendis regulæ sunto. Itaque ad construendos illos regulæ illæ adhibendæ sunt. 18

Noto tertio, quò sunt isti Loci vniuersaliores, eò esse vtiliores, atque ita omnium vtilissimos esse qui sunt communes omnibus scientiis. Dicuntur autem communes omnibus scientiis, qui vel totam materiam, vel aliquam saltem partem materiæ singularum scientiarum sua amplitudine complectuntur. Quales sunt loci Logicæ, & Philosophiæ primæ; tametsi diuerso modo, vt iam *quæstione prima*, notauimus. Qui tamen inter se comparati non æquales amplitudinis, siue vniuersalitatis sunt, vt constat. In singulis etiam scientiis loci proprij vniuscuiusque eò vtiliores sunt, quò vniuersaliores. 19

Noto quarto, duo me in hac Arte pro maiore eius vtilitate prætendere. Nempe, & formam sciendi vniuersalem, communemque omnibus scientiis tradere, & materiam etiam comunem omnibus scientiis exhibere, circa quam singulæ earum imprimis exerceant ipsam formam, antequam ad eam exercendam in propriis materiis accedant, idque iuxta regulas eam exercendi traditas ab hac ipsa Arte circa materiam communem; quæ subinde pro exemplo pariter deseruit; vt sciatur, quo pacto circa cæteras materias specialiores singularum scientiarum eadem ipsa forma exercenda sit. Huiusmodi autem materia communis omnibus scientiis in locis communibus eisdem posita est. Et quidem hæc eadem fuit, aut esse debuit intentio Raymundi Lullij in sua Arte, Aristot. in suis Categoriis, eiusdemque & omnium Rhetorum in Topicis, dum quosdam communissimos terminos tanquam quosdam locos communes ab omnibus scientiis adeundos, atque versandos exhibuerunt: nimirum & materiam præbere, ex qua omnes scientiæ per formam ab eisdem præscriptam, siue suppositam combinationis, comparationisque ad suam fabricam multa desumerent; & exemplum suppeditare ad eandem formam pariter exercendam in propriis, ac specialioribus materiis singularum. Porro numerus locorum communium terminorum ad fines prædictos assumendus arbitrarius est. Ob id Auctores commemorati circa illum variarunt. Quare & nos inspectis omnibus eum numerum eorumque terminorum assumendum censuimus, qui magis idoneus, & aptus ad propositum visus est. 20

Itaque reiectis locis communibus Logicis, qui minùs idonei sunt ad intentum, vt *supra numero decimo tertio*, tetigimus, omisso etiam loco communi Auctoritatis, quòd cuique obuius, & rebus extrinsecus est, viginti terminos selegimus ex Philosophia prima pro locis communibus 21

munibus in hac Arte, iuxta dicta, exhibendis; qui aptiore ad intentum vniuersalitate, amplitudineque quàm cæteri, qui assumi possent, ad omnium humanarum scientiarum materias extendi, easque tangere, & quodammodo continere, seu complecti videntur. Hi autem sunt, quos sequens catalogus tanquam quidam locus compositus ex ipsis continet.

---

22 # CATALOGVS LOCORVM
Communium Terminorum.

A ____ Essentia.
B ____ Bonitas.
C ____ Vnitas.
D ____ Existentia.
E ____ Distinctio.
F ____ Potentia.
G ____ Quantitas.
H ____ Totum.
I ____ Oppositio.
K ____ Connexio.
L ____ Similitudo.
M ____ Causa.
N ____ Cognitio.
O ____ Exigentia.
P ____ Appetitus.
Q ____ Ordo.
R ____ Vbi.
S ____ Quando.
T ____ Quomodo.
V ____ Cum quo.

Designo autem singulos terminos suis litteris; vt faciliùs possint mediis illis in tabulas postea combinationum induci; sub regulasque earum cadere. vtque faciliùs ij memoriæ mandari, in eaque retineri possint. Aliter sic sub formâ quasi quorumdam versuum describi poterunt.

Essentia,	Bonitas,	Vnitas,	Existentia,	Distinctio.
Potentia,	Quantitas;	Totum,	Oppositio,	Connexio.
Similitudo;	Causa,	Cognitio;	Exigentia,	Appetitus.
Ordo,	Vbi,	Quando,	Quomodo,	Cum quo.

Quid autem significet, quidve sit ex conceptu suo vnusquisque horum terminorum, tum ex se satis notum est, tum ex singulorum schematibus mox subiungendis amplius notescet.

23 Sed est insuper notandum quintò. Dum termini isti pro constructione, siue promotione scientiarum in combinationem, comparationemque inducantur tum inter ipsos, tum etiam cum aliis faciendam, deberi imprimis, vt clariùs, & expeditiùs se se explicet, & prodat eorum fœcunditas, adiungi singulis sua coniugata; id est alios terminos cognatam cum illis significationem habentes. E. g. termino *Essentia* adiungentur, *Ens*, & *Esse*. Termino *Bonitas*, *Bonum*, *Bene*, & *Bonificare*. Termino *Vnitas*, *Vnum*; *Adunare* & *Adunatio*. Termino *Existentia*, *Existens*, & *Existere*. Termino *Distinctio*, *Distinctum*, *Distincte* & *Distingui*, siue *Distinguere*: & cæteris omnibus similiter, & quoniam oppositorum eadem, vt fertur communiter, seu potiùs valdè adsimilis disciplina est, vt copiosior ex dictis terminis proueniat scientiæ prouentus, insuper singulis coniungentur eorum oppositi, aut contradictoriè, aut contrariè, aut priuatiuè, aut relatiuè, nimirum Vnitati coniungetur Pluralitas, Distinctioni Identitas, Potentiæ Actus, & Impotentia, Toti Pars, Causæ Effectus, &c. & omnibus generatim eorundem carentia, siue negatio. Quæ coniunctiones mentaliter compendij gratiâ effici poterunt; mentaliter notatione ista, regulave applicata.

Sequitur nunc, vt singularum terminorum 24
catalogi propositi schemata fiant, factis vniuscuiusque diuisionibus, subdiuisionibusque in membra præcipua, quæ per vsum instrumenti, seu regularum diuidendi *disp.* 26. præscriptum facilè fient in ipsum modum.

SCHEMATA

SCHEMATA SINGVLORVM LOCORVM
communium terminorum præcedentis Catalogi.



Huic (quam ponimus esse possibilem) *Chimera* tot ferè modis diuidenda opponenda est: quæ est essentia impossibilis.

Bonitas



Malitia opposita tot ferè modis diuidenda venit.

Vnitas



Huic opponitur *Pluralitas*. Quæ quantitas discreta est, *de quâ infrà*.



Huic opponitur *Defectus* siue *negatio existentiæ* pariter diuidenda.



Huic opponitur *Identitas* totidem modis diuidenda.

Potentia



Huic opponendus *Actus* pariter diuidendus.
Tum *Impotentia* diuidenda similiter.



Quantitati est opponenda *Indiuisibilitas*.



Huic opponitur *Pars* diuidenda pariter.



Huic opponitur *Compositio*, siue *Compatibilitas* pariter diuidenda.



Huic opponitur *Inconnexio* diuidenda similiter.



Dissimilitudo opposita pariter diuidenda. Quò quæuis differentia spectat.

Causa



Hùc spectat *Effectus* totidem modis diuidendus.



Huc spectat *Ignoratio*, siue cognitionis defectus pariter diuidendus.



Huc facit *reiectio* opposita diuidenda similiter.



Huc facit *carentia appetitus* diuidenda similiter.



Huc facit *carentia ordinis* pariter diuidenda.

Vbi



Huc spectat *sine vbi* pariter diuidendum.



Hic *sine quando* diuidendum similiter.



Huc spectat *sine modo* pariter diuidendum.



Huic opponitur *sine aliquo* similiter diuidendum.

26 Circa quæ Schemata primum est aduertendum, series diuisionum in illis non vsque ad vltima membra diuisi, sed vsque ad ea tantùm fieri, quæ ob vniuersalitatem, quam retinent, nomen adhuc merentur locorum, qui magno cum fructu in combinationem comparationémque trahi possint; interimque vitatur prolixitas, caueturque ne terminorum multitudo ipsi combinationi obstaculo sit. Deinde est aduertendum, terminos oppositos diuisis, aut contrariè, aut relatiuè, aut contradictoriè, qui pariter diuisibiles esse adnotantur, bifariam diuidi posse, saltem mentaliter; vt eorum pariter membra trahantur in combinationem. Primo faciendo ex illis eorumque membris similia schemata. Secundo; (quod facilius est, & ferme in idem recidit) iungendo singulis membris factorum iam schematum, terminos ipsis speciatim oppositos, aut contrariè, aut relatiuè, aut contradictoriè. Præterea est aduertendum. Vti ex viginti terminis communibus, quos assumpsimus, viginti schemata proposita facta sunt: ita ex omnibus terminis propriis singularum scientiarum, præsertim vniuersalioribus sua quoque schemata debere fieri ab earum studiosis. Sunt quippe eiusmodi schemata in omnibus scientiis vtilissima: tum quia sub vnum velut obtutum coniiciunt omnes scientiæ terminos cum ea, quam inter se habent subordinatione; quod magni momenti est ad deprehendendas veritates ex eis componibiles, aut priundas. Tum quia vnicum etiam ad obtutum dant definitos, & explicatos terminos scientiæ per eorum membra diuidentia; quod magni etiam interest ad eorum essentias atque passiones percallendas. Tum quia promptè notificant quibus communes sint veritates de terminis diuisis scitæ. Quo fit, vt per earum extensionem, seu multiplicationem promptissimè scientiam adaugeant. Tum denique, quia terminorum conuenientias, & differentias, similitudinesque strictas, & analogicas, atque etiam dissimilitudines in quouis gradu; necnon oppositiones, & connexiones facilè produnt, & ostendunt. Quod quantum possit ad scientiam augendam, ex sæpe dictis in hoc opere palam est. Et hæc de locis terminorum, tam compositis, quam simplicibus satis sint dicta.

De locis autem propositionum fere nihil est, 27
quod addamus ad dicta iam *quæst.* 1. Non enim necessarium est aliquem eorum catalogum hic apponere gratiâ exempli: cùm facilè quisque, iuxta ibi dicta, huiusmodi catalogos possit facere. Sed neque gratia exhibendi numerum locorum communium propositionum in omnibus scientiis combinandum; vti exhibuimus numerum locorum communium terminorum. Tum quia loci propositionum communes omnibus scientiis tam multi sunt, tamque diuersi, vt commodè ad numerum breuem reduci nequeant; tum etiam: quia licet circa propositiones etiam debeat combinatio exerceri in ordine ad deprehendendas earum connexiones, & oppositiones quibus valeat intellectus induci ad inferendum alias, ex aliis. Combinatio tamen potissimùm est exercenda circa terminos ob plures, vtilitates, quas facta circa illos fert secum; vt videbimus *disputatione vigesima nona*, aliundeque loci propositionum compositi, quales sunt simplicium catalogi, ex alio fine præcipuè fiunt; habendi scilicet ad manum propositiones, per quas ob suam vniuersalitatem demonstrari, siue probari possunt aliæ minus vniuersales, quæ ex terminorum combinationibus facilè, & passim pullulant. Ex quibus patet multo minùs circa locos argumentationum debere hîc adiici quidpiam, præter dicta *quæst.* 1.

DISPVT

DISPVTATIO XXIX.

De Combinatione.

1 HOc est potissimum atque præstantissimum omnium sciendi instrumentum; imò & vnicum, per quod immediatè fabrica scientiæ humanæ construitur, & absque vllo termino semper augetur. Ad quod subinde ordinantur alia instrumenta, de quibus egimus hucusque: illud igitur tanquam præcipuum totius Artis vniuersalis sciendi accuratè nobis est exponendum in præsenti disputatione.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Combinatio, & Quotuplex.

2 COmbinatio est aggregatio, siue Collectio plurium in varia aggregata, secundum omnes possibiles differentias aggregatorum, quæ ex illis fieri possunt. Itaque ex dato quouis numero quorumlibet terminorum, siue extremorum omnia aggregata possibilia differentia inter se, quæ ex illis fieri possunt, componere, id propriè est tales terminos, taliave extrema combinare. Determinare autem, seu definire, quot omnino aggregata inter se differentia possint, ex quouis numero terminorum, siue extremorum fieri; id propriè combinare non est, sed recensere combinationes ex quouis numero possibiles. Quo titulo regulæ, & tabulæ id determinantes regulæ, & tabulæ combinationum dicūtur communiter. Etenim non solùm dicitur combinatio aggregatio complectens omnes cōpositiones, siue collectiones singulorum aggregatorum ex quouis numero dato factibilium, sed etiam quælibet earum. Quo iure ex quouis numero dato tot dicuntur combinationes posse fieri, quot fieri possunt aggregata. Vnde compositio, siue collectio vniuscuiusque aggregati combinatio simplex, collectio autem siue aggregatio omnium aggregatorum, ex quouis numero possibilium combinatio complexa veniunt dicendæ.

3 Quamquam autem combinatio, spectata eius etymologia, dumtaxat sonet aggregationem binariorum ex quouis numero possibilium. Latiùs tamen accipitur, vti supponimus, pro aggregatione etiam terminorum quaternariorum, quinariorum, & cæterorum omnium aggregatorum possibilium ex quouis numero. Differt autem combinatio à compositione physicâ, & metaphysicâ, de quibus *disput.* 25. Primò, quia compositio seu physica, seu metaphysica non petit, sicuti combinatio, vt fiant ex numero dato omnia aggregata possibilia. Secundò, quia finis compositionis seu physicæ, seu metaphysicæ est ex pluribus aggregatione coniunctis vnam essentiam constituere: finis verò combinationis plura aggregatione coniuncta vicissim comparare: atque ita combinatio, de quâ hic tractamus compatationem extremorum combinatorum fert secum annexam; ex quibus quid combinatio sit liquet.

Iam, vt videamus quotuplex sit. Suppono ex 4
septem omnino capitibus nasci posse differentiam aggregatorum, quæ ex dato quouis numero terminorum confici possunt (terminos compendij causa appellabo deinceps, quoties non expresserim aliud, extrema combinabilia quæcumque illa sint) 1. ex differentiâ substantiæ. 2. ex differentiâ positionis. 3. ex differentiâ repetitionis ipsorum terminorum. 4. ex differentiâ substantiæ, & positionis. 5. ex differentiâ substantiæ, & repetitionis. 6. ex differentiâ positionis, & repetitionis. 7. ex differentiâ substantiæ, positionis, & repetitionis. 1. Itaque euadunt inter se differentia aggregata penes differentiam substantiæ suorum terminorum, quando vnum non constat iisdem omnino terminis, quibus constat aliud, vt in his omnibus cernitur ABC. ABD. AEF. GHI. 2. Penes differentiam positionis terminorum differunt aggregata, quando ijdem eorum termini diuersam positionem habent in aliqua serie ordinata secundum prius, & posterius in qua sunt positi, earum de quibus *suprà* egimus *disputat.* 15. vt in iis apparet in serie positis extensionis localis ABC, ACB. BAC. 3. Penes differentiam repetitionis terminorum euadunt differentia aggregata, quando in vno idem terminus, aut iidem termini pluries ponuntur, quam in alio: vt in his AA. AAA. AAAA. (Appellamus autem impræsentiarum eosdem terminos, non tantum eos, qui numericè, sed etiam eos, qui specifice iidem sunt) 4. Penes differentias substantiæ, & positionis terminorum euadunt differentia aggregata, quando eorum, quæ ex numero dato fiunt, aliqua inter se differunt penes differentiam substantiæ tantum, vt in exemplis primi casus: aliqua penes differentiam positionis tantum, vt in exemplis casus secundi: & aliqua penes vtramque, vt in his ABC. BAD. 5. Penes differentias substantiæ, & repetitionis terminorum differunt aggregata, quando aliqua penes differentiam substantiæ tantum differunt, vt in primo casu: & aliqua penes differentiam repetitionis tantum, vt in casu tertio; & aliqua penes vtramque, vt in his ABC. AAB. 6. Penes differentias positionis, & repetitionis terminorum differunt aggregata, quando aliqua penes differentiam positionis tantum differunt, vt in secundo casu; aliqua penes differentiam repetitionis tantum, vt in tertio, & aliqua penes vtramque: vt in his AAB. BBA. 7. Denique penes differentiam substantiæ, positionis, & repetitionis terminorum euadunt differentia aggregata; quando quædam inter se differunt penes differentiam substantiæ tantum, vt in primo casu; quædam penes differentiam positionis tantùm, vt in secundo; quædam penes differentiam repetitionis tantum, vt in tertio; quædam penes differentiam substantiæ, & positionis tantùm, vt in quarto; quædam penes differentiam substantiæ, & repetitionis tantum, vt in quinto; quædam penes differentias positionis, & repetitionis tantum, vt in sexto; & quædam penes tres omnes differentias, vt in his ABCD. BBAC.

Hinc septem differentiæ, siue species combi- 5
nationis distinguendæ veniunt. Prima, est combinatio tum determinanda, tum facienda penes differentiam solius substantiæ terminorum combinandorum. Secunda, penes differentiam solius positionis. Tertia, penes differentiam solius repetitionis. Quarta, penes differentias substan-

tiæ, & positionis. Quinta, penes differentias substantiæ, & repetitionis. Sexta, penes differentias positionis, & repetitionis. Septima, penes differentias substantiæ, positionis, & repetitionis. De quibus omnibus sigillatim agendum nobis est *in sequentibus*.

6 Cæterùm hæc dicta sunt de combinatione, quæ absoluta appellari potest; quatenus terminos combinandos inter ipsos præcisè confert, aggregataque ex eis oriunda, absque respectu ad alia tertia, considerat. Est tamen aliud genus combinationis, quæ comparata dici potest; per quam termini combinandi ad alia tertia comparantur; siue cum eis conferuntur, secundum omnis aggregationis, distributionisque differentias, sub quibus cum eis comparabiles, siue conferibiles sunt. Itaque per combinationem comparatam, quilibet datus numerus terminorum cum quolibet alio etiam dato venit comparandus, seu conferendus, secundum omnis aggregationis, atque distributionis differentias; sub quibus termini prioris numeri cum terminis posterioris sunt comparabiles, seu conferibiles.

7 Potest autem comparatio vnius numeri terminorum ad alterum bifariam imprimis fieri: collectiuè videlicet, & diuisiuè. Collectiuè autem rursus quatuor modis. Primo, sumendo indiuisim numerum comparatum, & numerum ad quem fit comparatio diuisim, quoad omnes vnitates, binarios, ternarios, & cæteras combinationes, quæ ex ipso possunt fieri, penes differentiam solius substantiæ terminorum, sumptis tamen singulis ipsis combinationibus seorsim indiuisim. Secundò, sumendo vice versa indiuisim numerum ad quem fit comparatio, & diuisim modo dicto numerum comparatum. Tertio, sumendo vtrumque diuisim modo etiam dicto. Quarto, sumendo vtrumque indiuisim. Diuisiue verò quatuor etiam modis potest fieri comparatio. Primò, sumendo ad omnem omnino comparationem totum numerum comparatum, & conferendo illum, non solùm cum toto numero ad quem fit comparatio, sed etiam cum omnibus & singulis vnitatibus, binariis, ternariis, & cæteris combinationibus ex eo possibilibus, penes differentiam solius substantiæ terminorum. Idque diuisim secundum omnes diuisiones vtriusque numeri possibiles. Vt si ternarius ABC, ad binarium NO, sic comparetur. 1. ABC., ad N. 2. ABC, ad O. 3. A, ad N. & BC, ad O. 4. BC, ad N. & A, ad O. 5. B, ad N. & CA, ad O. 6. CA, ad N. & B, ad O. 7. C, ad N. & AB, ad O. 8. AB, ad N. & C, ad O. Quæ sunt octo comparationes, iuxta modum dictum, possibiles dicti ternarij ad dictum binarium. Secundò, sumendo vice versâ ad omnem omninò comparationem totum numerum, ad quem fit comparatio, & conferendo cum illo integro omnes, & singulas combinationes numeri cõparandi, ab vnitatibus vsque ad ipsum totum incluſiuè: idque etiam diuisim, secundum omnes diuisiones vtriusque numeri possibiles. Vt si eundem ternarium, ad eum binarium sic compares. 1. A, ad NO. 2. B, ad NO. 3. C, ad NO. 4. A, ad N. & BC, ad O. 5. BC, ad N. & A, ad O. 6. B, ad N. & CA, ad O. 7. CA, ad N. & B, ad O. 8. C, ad N. & AB, ad O. 9. AB, ad N. & C, ad O. Quæ sunt 9. comparationes possibiles, iuxta hunc secundum modum dicti ternarij ad dictum binarium. Tertiò, neutrum sumendo numerum integrè, siue totaliter ad omnes comparationes; sed comparando omnes, & singulas combinationes vnius numeri, ad omnes, & singulas alterius, ab vnitatibus vsque ad integros ipsos numeros incluſiuè; idque similiter diuisim, secundum omnes diuisiones possibiles talium combinationum. Quartò, sumendo ad omnes comparationes integrè, siue totaliter vtrumque numerum, modo dicto.

Vnde apparet combinationis comparatæ octo imprimis species esse, penes octo modos recensitos comparandi quemuis terminorum numerum datum ad quemlibet alium. Prima, collectiua, ex parte integri numeri comparati, & ex parte singularum combinationum alterius seorsim sumptarum. Secunda, collectiua, ex parte integri numeri terminantis comparationem, & ex parte singularum combinationum alterius seorsim. Tertia, collectiua, ex parte singularum combinationum seorsim sumptarum vtriusque numeri. Quarta, collectiua, ex parte vniusque numeri integrè sumpti. Quita, diuisiua, conferens integrum numerum comparatum cum singulis combinationibus alterius, factis penes differentiam solius substantiæ terminorum; idque diuisim secundum omnes diuisiones possibiles. Sexta, diuisiua, conferens singulas combinationes numeri comparati cum singulis numeri terminantis comparationem diuisim etiam, modo dicto. Et octaua, diuisiua, conferens integrum numerum comparatum cum integro altero diuisim pariter. Ex quibus quartam, quòd in tribus prioribus, & octauam, quòd in tribus ipsam præcedentibus continentur, prætermittemus: agentes dumtaxat de sex residuis speciebus combinationis comparatæ, postquàm de septem combinationis absolutæ egerimus; idque sigillatim, & eo ordine quo recensuimus vtrasque. 8

Omittimus autem præterea combinationis comparatæ alias species, quæ supersunt possibiles, vel quia in prædictis includuntur; vel quia ex mixtione earum coalescunt; vel quia & implexæ, siue prolixæ, & ad humanas scientias aut parum, aut nihil sunt conferentes: prædictæque bene intellectæ satis superque sunt; & ex eis aliæ, si quando opertuerit, non difficile colligi poterunt. 9

Inter omissas autem eadiuisiua est, quæ comparat singulas vnitates vnius ex terminorum numeris datis cum singulis vnitatibus alterius, omnibus modis possibilibus. Si enim comparatio fit, fiatque vniuscuiusque vnitatum alterius numeri, cum omnibus & singulis alterius successiuè, pars quædam est combinationis comparatæ, quam septimo loco posuimus; & sexta tractandarum est, vt *inferius* notabimus. Si autem comparatio fiat omnium simul singularum vnitatum vnius numeri, cum omnibus singulis alterius æqualis, iuxta omnes possibiles modos, quibus illæ simul sumptæ ad has simul sumptas se habere possunt; talis combinatio in absolutam recidit, factam penes differentiam solius positionis: quia perinde est ponere numerum terminorum in aliqua serie, secundùm omnes differentias positionis, quas in huius gradibus habere possunt; ac comparare numerum terminorum ad alium æqualem, secundùm omnes differentias comparationis, quas cum huius terminis subire possunt. Posuimus nihilominus inter combinationes absolutas eam, quæ fit penes differentiam solius positionis terminorum 10

numeri

numeri dati: quia sæpe sæpius ea absolutè, & sine comparatione ad tertium fit. Vt quando gradus eiusdem seriei, seu termini eam constituentes inter se conferuntur, absque respectu ad aliud, aut alia tertia penes differentias prioris, & posterioris, sub quibus possunt considerari positi in ipsâ serie, siue eam constituentes. Quo pacto considerandi veniunt gradus, seu termini constituentes seriem connexionis seriem originis, seriem potentiarum, & actuum, & alias huiusmodi. Tametsi etiam interdum eiusmodi combinatio comparatiuè ad tertia fiat, vti diximus. Vt quando plures res ad totidem loca, vel tempora comparamus, secundùm omnes differentias solius positionis, quas singulæ omnes positræ in illis singulis omnibus habere possunt. Quo itidem pacto singuli omnes termini cuiusliber numeri dati, ad singulos alios omnes alterius numeri æqualis conferri possunt aliter, quam ad loca, aut ad tempora, aut etiam tertia alterius generis, in quibus dici possint poni, vel esse; idque retentâ semper in omnibus casibus indicatis eâdem formâ combinationis.

QVÆSTIO II.

Qualiter determinandum sit, quotnam omnino combinationes effici possunt, ex quouis terminorum numero dato, intra vnamquamque ex tredecim speciebus combinationis expositis q 1.

12 Dico determinandum esse, qualitet præscribitur per totidem propositiones, quæ eodem ordine sequuntur, quo species combinationis prædictæ sunt ibi enumeratæ.

Propositio 1.

Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici possunt, penes differentiam solius substantiæ, iuxta primam speciem combinationis absolutæ, sequentes regulæ determinant.

Fiat imprimis progressio naturalis numerorum à summo deorsum 1. 2. 3. 4. 5. &c. Deinde in alterâ lineâ, siue columnâ progressioni factæ parallelâ, ponatur iuxta numerum. 3. ipsius progressionis numerus 7. qui numerus duplicatus cum adiunctâ vnitate conficiet. 15. qui numero 4. progressionis prædictæ respondebit. Rursus duplicatus numerus 15. cum adiunctâ vnitate producet. 31. qui iuxta numerum 5. ponendus erit. Sicque deinceps in infinitum procedetur duplicando numerum antecedentem, & addendo vnitatem, vt conflетur numerus sequens; fietque tabula intentum exhibens, vt sequitur.

TABVLA PRIMA.

Determinans omnes combinationes, ex quouis numero terminorum dato possibiles, penes differentiam solius substantiæ. 13

1	1
2	3
3	7
4	15
5	31
6	63
7	127
8	255
9	511
10	1023
11	2047
12	4095
13	8191
14	16383
15	32767
16	65535
17	131071
18	262143
19	524287
20	1048575

Vsus autem huius tabulæ talis est. Volo scire 14
quot omnino combinationes fieri possint ex quouis numero dato e. g. ex num. 13. numerando scilicet vnitates, binarios, ternarios, quaternarios, &c. Accipio, inspicioue in primâ lineâ tabulæ, quæ est progressionis naturalis numerorum factæ, dictum numerum 13. reperióque illi correspondere. 8191. qui est numerus quæsitus omnium combinationum possibilium ex numero 13. terminorum. Tantumdémque faciens, semper reperiam numerum omnium combinationum possibilium ex quouis numero dato.

P. Clauius in Sphæram *capit.* 1. ad assequen- 15
dum idem assumptum absque tabulâ, hanc regulam tradit. Accipiantur tot numeri, incipiendo ab vnitate in proportione duplâ, quot sunt termini combinandi, & à summâ omnium eorum tollatur numerus terminorum: reliquus enim numerus dabit omnes combinationes ex eis possibiles. Summa autem totius seriei proportionis duplæ habebitur, si vltimus numerus duplicetur, & detrahatur vnitas. Itaque sint quinque termini combinandi, hæc series accipietur 1. 2. 4. 8. 16. cuius summa est. 31. ablatis ergo. 5. remanent 26: quæ sunt omnes combinationes possibiles ex quinque terminis. Paritérque fiet in aliis numeris datis. Est tamen aduertendum à P. Clauio non recenseri inter combinationes vnitates numeri combinandi sumptas seorsim. Ob idque extrahit à summâ prædictæ progressionis numerum terminorum combinatorum; qui tamen iuxta nostram tabulam extrahendus non est; propterea quòd per vnitates etiam, sicut & per binarios, quaternarios, &c. numerum datum terminorum combinabilium dispertimur, quod ad rem attinet; vt omnes omnino differentiæ extremorum possibiles ex illo recenseantur. Hæc de numero omnium

nium combinationum possibilium ex quouis terminorum numero dato.

16 Sed quomodo sciemus quot binarij, quot ternarij, quot quaternarij, &c. ex quouis numero dato confici possunt? P. Clauius *loco citato* ad sciendum binarios hanc regulam affert. Multiplicetur numerus terminorum combinandorum per proximè minorem, medietásque numeri producti erit numerus binariorum. Sic ex quatuor terminis sex binarij consurgunt: quia 4. per 3. multiplicatus reddit. 12. cuius medietas est. 6. Ex quinque autem terminis decem binarij nascuntur: quia 5. per 4. multiplicatus reddit. 20. Vel aliter., si numerus combinandus fuerit par, multiplicetur proximè minor per meditatem eius, si verò impar, ipse per medietatem proximè minoris multiplicetur; redderturque numerus binariorum possibilium. Hæc pro binariis apud Clauium.

17 Pro ternariis autem, quaternariis, quinariis, & cæteris, atque etiam pro ipsis binariis inueniendis ex quouis numero terminorum dato possibilibus, de quibus nihil inuenitur apud Auctores, hæc esto generalis regula, eaque valdè egregia. Fiat tabula quadratorum, qualis sequens cernitur; & in primâ eius columnâ transuersâ A ponatur progressio naturalis arithmetica numerorum 1. 2. 3. 4. 5. &c. Deinde in secunda columnâ etiam transuersâ B ponatur vnitas in omnibus quadratis. Præterea in tertiâ C ponatur progressio etiam naturalis, incipiendo à numero. 2. 3. 4. 5. &c. Rursus in primâ columnâ descendente D, incipiendo ab vnitate secundi quadrati, progressio naturalis arithmetica descendat 1. 2. 3. 4. 5. &c. Quibus positis, numeri ponendi in quadratis secundæ columnæ descendentis E ita deinceps inuenientur. Summentur quartus numerus columnæ D & tertius columnæ E, qui sunt 3. & 3. productusque 6. ponatur in quarto quadrato columnæ E. Qui numerus 6. summatus rursus cum numero quinti quadrati columnæ D, qui est reddet numerum 10. ponendum in quinto quadrato columnæ E. & ita deinceps in infinitum procedetur, summando semper, seu coniungendo numerum vltimum columnæ E cum numero columnæ D quadrati immediatè inferioris, & ponendo summam vtriusque immediatè infra numerum ipsum columnæ E, & iuxta numerum ipsum columnæ summatos. Eodem modo inuenientur numeri ponendi in quadratis tertiæ columnæ descendentis F, summando scilicet numerum quartum columnæ secundæ E cum tertio columnæ F, & collocando summam, quæ est numerus 10. in quarto quadrato ipsius columnæ F. & ita deinceps descendendo. Atque eodem pacto procedetur per omnes columnas sequentes. Quo tabula in infinitum extendi poterit. Ea autem ita constructa, à quadratis columnæ primæ descendentis D ducantur lineæ transuersæ, & quasi diametrales ad quadrata columnæ primæ transuersæ A, incipiendo à quadrato quarto columnæ D, vti apparet in Tabulâ, Sicque tota constructio eius pro intento exhibendo absoluta erit.

TABVLA

TABVLA II.

18 *Determinans omnes binarios, ternarios, quaternarios, &c. ex quouis numero terminorum dato possibiles, penes differentiam solius substantiæ.*

	D	E	F							
A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
B	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
C	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
	3	6	10	15	21	28	36	45	55	66
	4	10	20	35	56	84	120	165	220	286
	5	15	35	70	126	210	330	495	715	1001
	6	21	56	126	252	462	792	1287	2002	3003
	7	28	84	210	462	924	1716	3003	5005	8008
	8	36	120	330	792	1716	3432	6435	11440	16448
	9	45	165	495	1287	3003	6435	12870	24310	33758
	10	55	220	715	2002	5005	11440	24310	48620	82378

19 Vsus autem huius tabulæ (quam sine fine posse extendi iam diximus) sic se habet. Sit numerus datus terminorum combinandorum exempli gratia, 8. quæriturque quot quinarij ex eis fieri possunt; adeundus est numerus. 8. in primâ columnâ descendente D, & numerus. 5. in primâ columnâ transuersâ A, inspiciendumque in quo quadrato ex iis, quæ sub ipso numero 5. descendunt per columnam descendentem, incipientemque ab ipso, concurrat linea diametralis ducta à prædicto numero. 8. tale enim quadratum reddit numerum quinariorum, qui ex 8. terminis fieri possunt, qui est. 56. Eodemque modo quærentur binarij, ternarij, quaternarij, &c. ex quouis ommino numero terminorum dato possibiles; inspiciendo semper in columnâ D numerum terminorum, & in columnâ A numerum designantem combinationem quæsitam, vt, si est binariorum, numerum. 2. si ternariorum numerum. 3. si quaternariorum numerum. 4. &c. & videndo in quo quadrato columnæ descendentis sub numero designante combinationem concurrat linea diametralis ducta à numero terminorum: tale enim quadratum dabit combinationum numerum.

Vtque faciliùs & promptiùs appareat, quot 20 vnitates, quot binarij, quot ternarij, quot quaternarij, &c. tum quot omnino combinationes ex quouis numero terminorum dato confici possunt; ex duabus tabulis datis extrahatur tertia; in cuius primâ columnâ ponantur imprimis numeri terminorum, & sub ipsis numeri designantes singulas combinationes: in secundâ autem columnâ numeri ipsarum singularum combinationum ex ipsis terminorum numeris possibilium cum omnium summâ ad calcem notatâ signo isto & prout sequitur.

TABVLA

TABVLA III.

Distinctiùs determinans singulas Combinationes ex quouis numero terminorum dato possibiles, penes differentiam solius substantiæ. Et earum summam.

3 — *Termini.*

1	3
2	3
3	1

Sa — 7.

4 — *Termini.*

1	4
2	6
3	4
4	1

Sa — 15

5 — *Termini.*

1	5
2	10
3	10
4	5
5	1

Sa — 31

6 — *Termini.*

1	6
2	15
3	20
4	15
5	6
6	1

Sa — 63

7 — *Termini.*

1	7
2	21
3	35
4	35
5	21
6	7
7	1

Sa — 127

8 — *Termini.*

1	8
2	28
3	56
4	70
5	56
6	28
7	8
8	1

Sa — 255

9 — *Termini.*

1	9
2	36
3	84
4	126
5	126
6	84
7	36
8	9
9	1

Sa — 511

10 — *Termini.*

1	10
2	45
3	120
4	210
5	252
6	210
7	120
8	45
9	10
10	1

Sa — 1023

11 — *Termini.*

1	11
2	55
3	165
4	330
5	462
6	462
7	330
8	165
9	55
10	11
11	1

Sa — 2047

12 — *Termini.*

1	12
2	66
3	220
4	495
5	792
6	924
7	792
8	495
9	220
10	66
11	12
12	1

Sa — 4095

13 — *Termini:*

1	13
2	78
3	286
4	715
5	1287
6	1716
7	1716
8	1287
9	715
10	286
11	78
12	13
13	1

Sa — 8191

14 — *Termini.*

1	14
2	91
3	364
4	1001
5	2002
6	3003
7	3432
8	3003
9	2002
10	1001
11	364
12	91
13	14
14	1

Sa — 16383

15 — *Termini.*

1	15
2	105
3	455
4	1365
5	3003
6	5005
7	6435
8	6435
9	5005
10	3003
11	1365
12	455
13	105
14	15
15	1

Sa — 32767

16 — *Termini.*

1	16
2	120
3	560
4	1820
5	4368
6	8008
7	11440
8	12870
9	11440
10	8008
11	4368
12	1820
13	560
14	120
15	16
16	1

Sa — 65535

17 — *Termini.*

1	17
2	136
3	680
4	2380
5	6188

6

6	12376
7	19448
8	24310
9	24310
10	19448
11	12376
12	6188
13	2380
14	680
15	136
16	17
17	1
Sa	131071

18 —— *Termini.*

1	18
2	153
3	816
4	3060
5	8568
6	18564
7	31824
8	43758
9	48620
10	43758
11	31824
12	18564
13	8568
14	3060
15	816
16	153
17	18
18	1
Sa	262143

19 —— *Termini.*

1	19
2	171
3	969
4	3876
5	11628
6	27132
7	50388
8	75582
9	92378
10	92378
11	75582
12	50388
13	27132
14	11628
15	3876
16	969
17	171
18	19
19	1
Sa	524287

20 —— *Termini.*

1	20
2	190
3	1140
4	4845
5	15504
6	38760
7	77520
8	125970
9	167960
10	184756
11	167960
12	125970
13	77520
14	38760
15	15504
16	4845
17	1140
18	190
19	20
20	1
Sa	1048575.

22 Vbi conſpicuè apparet ex 3. terminis poſſe fieri vnitates 3. binarios 3. ternarios 1. omniumque ſummam eſſe 7. Ex 4. autem terminis fieri poſſe vnitates 4. binarios 6. ternarios 4. quaternarios 1. omniumque ſummam eſſe 15. Et ex 5. terminis fieri poſſe vnitates 5. binarios 10. ternarios 10. quaternarios 5. quinarios 1. omniumque ſummam eſſe 31. Similiterque ex 6. terminis fieri poſſe vnitates 6. binarios 15 ternarios 20. quaternarios 15. quinarios 6. ſenarios 1. omniumque ſummam eſſe 63. Pariterque cenſendum de cæteris. Poſſe autem tabulam hanc, ſicut & duæ præcedentes ex quibus extracta eſt, in infinitum progredi compertum eſt. Placuit tamen illam vſque ad numerum 20. terminorum combinandorum extendere (tametſi præcedens defectu amplitudinis chartæ eò vſque non potuerit extendi) quia termini vniuerſaliſſimi ſelecti *diſputation. præcedent.* pro materiâ vniuerſaliſſimâ in omni ſcientiâ combinandâ 20. ſunt. Porro regulis, tabuliſque præſcriptis demonſtrationes adiunctæ non ſunt: tum quia ad rem non ſunt neceſſariæ; tum quia ex Arithmetica ſupponunt plura, quam vt hîc facile poſſint perſtringi. Quo etiam iure ſubſequentium regularum, & tabulam demonſtrationes omittentur.

Propoſitio 2.

23 Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici poſſint, penes differentiam ſolius poſitionis, iuxta ſecundam ſpeciem combinationis abſolutæ, ſequentes regulæ determinant.

Ex hac combinatione non reſultant plura aggregata differentia, quoad numerum terminorum facta ex numero dato; ſed plura aggregata includentia integrum numerum datum, differentiaque inter ſe tantùm quoad poſitiones terminorum diuerſas, ſecundum prius & poſterius. Igitur, vt ſciatur quoties per ſolam eiuſmodi poſitionem iidem omneſque termini numeri dati variari inter ſe poſſint, quod ſolùm propoſitio prætendit.

24 Fiat imprimis progreſſio naturalis numerorum à ſummo deorſum 1. 2. 3. 4. 5. &c. Deinde in alterâ lineâ ſiue columnâ progreſſioni datæ parallelâ ponatur iuxta numerum 1. primæ lineæ, ſiue columnæ numerus item 1: qui multiplicatus per ſecundum numerum columnæ primæ, reddet numerum 2: qui ponendus eſt iuxta ipſum numerum ſecundum columnæ primæ. Ruſuſque numerus ſecundus columnæ ſecundæ multiplicatus per tertium primæ, reddet numerum 6. ponendum iuxta numerum tertium primæ. Et ita deinceps multiplicando ſemper numerum vltimum ſecundæ per immediatè inferiorem primæ; & ponendo productum in ſecunda iuxta eumdem primæ, per quem facta eſt multiplicatio. Quo pacto tabula in infinitum produci poterit, vt ſequitur.

TABVLA IV.

Determinans quoties quiuis terminorum numerus datus penes differentiam solius positionis eorum variari possit.

1	1
2	2
3	6
4	24
5	120
6	720
7	5040
8	40320
9	362880
10	3628800
11	39916800
12	479001600
13	6227020800
14	87178291200
15	1307674368000
16	20922789888000
17	355687428096000
18	6402373705728000
19	121945100408832000
20	2432902008176640000

26 Vsus autem huius tabulæ est. Cupio scire quoties per solam positionem variari possunt omnes termini cuiuslibet numeri dati, e.g. 7. quæram in summâ tabulæ columnâ numerum 7. numerus qui ipsi in secundâ correspondens 5040. erit numerus quæsitus. Et in cæteris pariter.

27 P. Clauius in Sphæram *capit.* 1. ad eumdem finem hanc tradit vniuersalem regulam. Accipiantur tot numeri in serie naturali, incipiendo ab vnitate, 1. 2. 3. 4. 5. &c. quot sunt termini positione variandi, multiplicenturque inter se omnes, numerus enim procreatus ostendit propositum. Sic 4. termini 24. modis possunt positione variari: quia 1. 2. 3. 4. inter se multiplicati tantumdem faciunt. Sic 10. termini 3628800. modis possunt positione variari; quia 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. inter se multiplicati eum numerum reddunt. Sic 23. termini; quot sunt litteræ Alphabeti, tot his modis secundum positionem præcisè variari possunt. 25852016738884976640000. Quod est mirabile. Et in cæteri pariter.

Propositio 3.

28 Quotnam combinationes ex quouis dato numero terminorum confici possunt penes differentiam solius repetitionis iuxta tertiam speciem combinationis absolutæ, sequentia documenmenta ostendunt.

1. Combinationes inter se differentes (de talibus enim agimus semper) ex quouis numero terminorum, imò ex quouis termino dato penes differentiam repetitionis infinitæ sunt: quia numeri repetitionum eiusdem termini inter se inæquales, atque adeo inter se differentes infiniti sunt. Prima quippe repetitio eiusdem termini facit binarium, secunda ternarium, tertia quaternarium, quarta quinarium, & sic deinceps in infinitum possunt repetitiones eiusdem termini præcedentibus addi; quo in infinitum fieri poterunt numeri repetitionum, atque adeo combinationes penes repetitionem inter se differentes. Possibiles igitur, ex eodem dumtaxat termino infinitæ sunt. Vnde patet, quot sunt termini in quouis numero dato, tot esse possibiles multitudines infinitas combinationum inter se differentium ab infinitis singulorum possibilibus repetitionibus oriundas.

2. Si termini dati ad combinandum inter 29
se differentes sunt quoad substantiam, vti euenit communiter, non possunt ex eis combinationes fieri inter se differentes penes solam differentiam repetitionis: quia necesse est, vt omnes, quæ fiunt per repetitionem vnius termini, differentes sint quoad substantiam ab eis, quæ fiunt per repetitiones alterius. Omnes si quidem combinationes, quæ possunt fieri repetendo A necessariò sunt quoad substantiam diuersæ ab eis, quæ fiunt repetendo B, posito quòd A & B inter se differunt quoad substantiam, vt constat. Vnde patet ex solo eodem termino sæpiùs repetito posse fieri combinationes penes solam differentiam repetitionis: vel (quod in idem recidit ad propositum) ex pluribus exactè similibus, atque adeo eiusdem omnino rationis. Qui omnes, loquendo de identitate specificâ idem sunt toties repetitus.

3. Nihilominus quando ex dato numero 30
terminorum differentium quoad substantiam combinationes fiunt per solam repetitionem singulorum, absque vllâ eorum mixtione. Etsi omnes combinationes ad vnumquemque eorum spectantes, sint differentes quoad substantiam ab omnibus spectantibus ad alterum, differentiâ quasi materiali oriundâ à materiis, ex quibus fiunt; quasi formali tamen differentiâ oriundâ ab ipsâ combinatione solùm differunt quoad repetitiones. Vnde combinationes dici poterunt factæ penes differentiam solius repetitionis terminorum; vt ad propositionem præsentem censeantur pertinere; ab illisque discriminentur, quæ penes vtramque differentiam substantiæ, & repetitionis dicuntur fieri.

4. Ex his apparet, etsi integrum aggrega- 31
tum combinationum possibilium penes differentiam repetitionis ex quouis terminorum numero dato sit infinitum: singula tamen aggregata binariorum, ternariorum, quaternariorum, &c. semper finita esse. Quo locus super est, vt quæratur, quot binarij, quot ternarij, quot quaternarij, &c. ex quouis numero dato confici possunt.

5. Quòd si huiusmodi combinationes, vti par 32
est, sic limitemus, vt nulla excedat numerum terminorum datum; tot omnino erunt ab vnitatibus ad vltima aggregata inclusiuè; quot dabit vnitates ipse numerus datus multiplicatus per se ipsum. Ex quibus tot inter se differentes quoad solam repetitionem respõdebunt singulis terminis numeri dati, quot sunt ipsi termini. Totidemque pariter, quot sunt ipsi termini erunt inter se differentes quoad solam substantiam terminorum, respondentes singulis inter se differentibus quoad solam repetitionem. E. g. si numerus datus sit 4.

omnes

omnes combinationes ex eo possibiles erunt 16. Ex quibus singulis terminis dati numeri respondent quatuor quoad solam repetitionem differentes, nempe vnitas, binarius, ternarius, & quaternarius; & singulis hisce differentiis totidem quoad solam substantiam differentes respondent, nempe quatuor vnitates, quatuor binarij, quatuor ternarij, & quatuor quaternarij.

33 Quæ, vt vniuersaliter constent, fiat tabula, in cuius primâ columnâ descendente ponatur progressio naturalis arithmetica numerorum 1.2.3.4.5.&c. in secundâ autem iuxta vnumquemque numerum primæ ponatur productum ex multiplicatione eiusdem per se ipsum, integrumque propositum innotescet.

TABVLA V.

34 *Determinans omnes combinationes, ex quouis numero terminorum dato possibiles, penes differentiam solius repetitionis, quarum nulla excedat numerum datum.*

1	1
2	4
3	9
4	16
5	25
6	36
7	49
8	64
9	81
10	100
11	121
12	144
13	169
14	196
15	256
16	256
17	289
18	324
19	361
20	400

35 Numeri quippe primæ columnæ, qui sunt ipsi dati ad combinandum, ostendunt singulas combinationes ex se possibiles ab vnitatibus ad aggregata sibi æqualia. Numeri autem secundæ columnæ dant totam collectionem combinationum possibilium ex numeris primæ, quibus correspondent. E. g. numerus 4. indicat ex se fieri posse 4. vnitates, 4. binarios, 4. ternarios, & 4. quaternarios. Quæ omnes sunt combinationes. 16. indicatæ per numerum 16. positum in secunda columnâ iuxta numerum 4. primæ. Numerus autem 5. ex se fieri posse, 5. vnitates, 5. binarios, 5. ternarios, 5. quaternarios, & 5. quinarios. Quæ omnes sunt combinationes. 25. indicatæ per numerum 25. secundæ columnæ ipsi numero 5. primæ adiunctum. Et in cæteris pariter. Potestque tabula in infinitum progredi, vt patet.

Propositio 4.

Quot omnino combinationes ex quouis dato 36
numero terminorum confici possunt penes differentias substantiæ & positionis, iuxta quartam speciem combinationis absolutæ, sequentes regulæ determinant.

Fiat imprimis tabula, in cuius primâ columnâ descendente ponatur progressio naturalis arithmetica numerorum 1.2.3.4.5 &c. in secundâ autem columnâ ponatur iuxta numerum 1. primæ numerus etiam 1. qui multiplicandus est per numerum immediatè inferiorem primæ columnæ, nempe per 2. productoque iungendus ipse, per quem facta est multiplicatio nempe. 2. resultabitque numerus 4. ponendus in secundâ columnâ iuxta ipsum 2. Similiter 4. multiplicandus est per 3. immediatè inferiorem; addendusque producto ipse 3. coalescerque 15. ponendus iuxta 3. Rursus 15. multiplicandus per 4. addendusque producto ipse 4. coalescerque 64. ponendus iuxta ipsum 4. Pariterque procedendum in infinitum, multiplicando semper numerum vltimum secundæ columnæ per immediatè inferiorem primæ, productumque vna cum ipso, per quem facta est multiplicatio, ponendo iuxta eundem vti apparet in ipsâ tabulâ.

TABVLA VI.

37 *Determinans omnes combinationes ex quouis numero terminorum dato possibiles penes differentias substantiæ, & positionis.*

1	1
2	4
3	15
4	64
5	325
6	1956
7	13699
8	109600
9	986409
10	9864100
11	108505111
12	1302061344
13	16926797485
14	236937516480 4
15	3554627472075
16	56874039553216
17	966858672404689
18	17403456103284420
19	330665665962403999
20	6613313319248080000

38 Cuius vsus ita se habet. Volo scire quot omnino combinationes ex quouis terminorum numero dato confici possint penes differentiam tum substantiæ, tum positionis. Quæram numerum datum in prima columna; numerus enim ei correspondens in secundâ est ipse numerus combinationum quæsitus.

39 Ad sciendum autem sigillatim quot binarij, quot terminarij, quot quaternarij, &c ex quouis numero terminorum dato confici possunt penes vtramque differentiam substantiæ, & positionis sequens tabula esto hic construenda. Ponatur in primâ columnâ descendente progressio naturalis arithmetica numerorum 1. 2. 3. 4. 5. &c. eademque similiter in secundâ. Incipiendo autem à tertia, & à numero 2. descendat per summitates columnarum eadem progressio 2. 3. 4. 5. &c. Quibus positis per vnumquemque numerum columnæ primæ descendentis multiplicandus est numerus positus in quadrato immediatè superiori columnæ secundæ descendentis; productusque ponendus in quadrato ipsi immediatè inferiori columnæ tertiæ descendentis, existente in eadem columnâ transuersâ numeri ad multiplicationem assumpti ex primâ columnâ descendente. Per quem pariter multiplicabuntur cæteri vlteriores numeri columnæ superioris transuersæ, ponendo semper productum in quadrato immediatè inferiori ad numerum multiplicatum columnæ sequentis descendentis existente in columnâ eâdem transuersâ dicti numeri assumpti. Itaque 2. columnæ primæ descendentis multiplicans, 1. quadrati primi secundæ dabit, 2. ponendum in quadrato primo tertiæ, & 3. columnæ primæ descendentis multiplicans, 2. quadrati secundi secundæ dabit, 6. ponendum in quadrato secundo tertiæ. Rursusque idem 3. multiplicans 2. quadrati primi tertiæ dabit 6. ponendum in quadrato primo columniæ quartæ. Et ita deinceps in infinitum procederetur.

TABVLA VII.

40 *Determinans omnes binarios, ternarios, quaternarios, &c. ex quouis numero terminorum dato possibiles penes differentias substantiæ, & positionis.*

1	1	2								
2	2	2	3							
3	3	6	6	4						
4	4	12	24	24	5					
5	5	20	60	120	120	6				
6	6	30	120	360	720	720	7			
7	7	42	210	840	2520	5040	5040	8		
8	8	56	336	1680	6720	20160	40320	40320	9	
9	9	72	504	3024	15120	60480	181440	362880	362880	10
10	10	90	720	5040	30240	151200	604800	1814400	3628800	3628800	11

1 Vsus autem huius tabulæ est. Cupio scire, quot binarij confici possunt, penes vtramque differentiam substantiæ, & positionis ex dato numero terminorum e.g. 6. Quæram illum in primâ columnâ descendente, aspiciénsque columnam, in cuius summitate est. 2. significans binarios descendam per eam vsque ad quadratum commune ipsi, & columnæ transuersæ dati numeri 6. numerus enim in eo quadrato communi positus, qui est 30. est numerus binariorum quæsitus. Si autem cupio scire, quot ternarios, descendam per columnam habentem in summitate numerum 3. ad quadratum pariter commune, vbi repertam 120. qui est numerus ternariorum quæsitus. Si verò quot quaternarios, eos inueniam in quadrato communi columnæ habentis in summitate. 4. nimirum 360. & in cæteris pariter.

Si quis autem aliter, quam per propositam tabulam scire voluerit sigillatim, quot binarij, quot ternarij, quot quaternarij, &c, ex quouis terminorum 41

norum numero dato confici possunt penes vtramque differentiam substantiæ & positionis, sic procedendum ipsi est. Ponendæ ob oculos sunt imprimis tabulæ tertia & quarta descriptæ *propositi.* 1. & 2. quarum prior ostendit omnes, & singulas combinationes ex dato numero possibiles penes differentiam solius substantiæ terminorum: posterior autem quoties vnaquæque earum variari possit penes differentiam solius positionis. Deinde per singulas est discurrendum sigillatim (omissis vnitatibus, quæ differentiam positionis non admittunt) in hunc modum.

43 Sit numerus datus combinandus e g. 5. quæróque primò quot ex illo binarij fieri possunt penes vtramque differentiam substantiæ, & positionis: id certè facilè sic inueniam. Video in tabulâ tertiâ prædictâ ex. 5. fieri posse binarios. 10. Video deinde in tabulâ quartâ binarium quoad positionem differentias 2. subire posse: multiplicabo igitur 12. per 3. numerúsque productus. 20. erit quæsitus. Quæro secundò quot ternati. Video in tabulâ tertiâ ternarios possibiles ex 5. esse 10. & in quartâ ternarium 6. differentias quoad positionem subire posse. Multiplicatóque 10. per 6. reperio numerum quæsitum ternariorum esse 60. Et ita deinceps procedam quousque omnes combinationes percurrerim, quæ ex numero dato possunt fieri. Quarum omnium subinde summa dabit collectionem omnium ex eo possibilium penes vtramque differentiam substantiæ, & positionis, quæ eadem erit cum assignatâ in tabulâ sextâ pro tali numero. Aduerte tamen inter binarios, ternarios, quaternarios, &c. qui ex quouis numero dato resultant, quosdam esse inter se differentes quoad solam substantiam, quosdam quoad solam positionem, & quosdam quoad vtramque. Idque ita quidem, vt omnes possibiles ex numero dato intra quoduis horum trium generum per tabulam septimam, per regulamque datam resultent. Idque rursus sanè cum mirabili quadam correspondentiâ quoad numerum vniuscuiusque generis. Nimirum in 60. ternariis possibilibus ex numero 5. dato decem senarij ternariorum sunt, quorum vnusquisque ternariis constat quoad solam positionem differentibus inter se. Et sex quinarij, quorum vnusquisque ternariis constat differentibus inter se quoad solam substantiam. Et sex alij quinarij constantes ternariis differentibus inter se quoad vtraque. Pariterque suâ proportione seruatâ euenit in aliis combinationibus.

Sed iam apponamus tabulam aut ex duabus 44
præcedentibus desumptam, aut factam per regulam præscriptam, quæ distinctiùs ostendat omnes & singulas combinationes possibiles, ex quouis numero terminorum dato, penes vtramque differentiam substantiæ, & positionis cum earum summâ.

TABVLA VIII.

Distinctiùs determinans singulas Combinationes ex quouis numero terminorum dato possibiles, penes differentias substantiæ & positionis & earum summam.

3 — Termini.	
1	3
2	6
3	6
Sa	15

4 — Termini.	
1	4
2	12
3	24
4	24
Sa	64

5 — Termini.	
1	5
2	20
3	60
4	120
5	120
Sa	325

6 — Termini.	
1	6
2	30
3	120
4	360
5	720
6	720
Sa	1956

7 — Termini.	
1	7
2	42
3	210
4	840
5	2520
6	5040
7	5040
Sa	13699

8 — Termini.	
1	8
2	56
3	336
4	1680
5	6720
6	20160
7	40320
8	40320
Sa	109600

9 — Termini.	
1	9
2	72
3	504
4	3024
5	15120
6	60480
7	181440
8	362880
9	362880
Sa	986409

10 — Termini.	
1	10
2	90
3	720
4	5040
5	30240
6	151200
7	604800
8	1814400
9	3628800
10	3628800
Sa	9864100

11 — Termini.	
1	11
2	110
3	990
4	7920
5	55440
6	332640
7	1663200
8	6652800
9	19958400
10	39916800
11	39916800
Sa	108505111

12 — Termini.	
1	12
2	132
3	1320

4	11880
5	95040
6	665280
7	3991680
8	19958400
9	79833600
10	239500800
11	479001600
12	479001600
Sa	1302061344

13 —— *Termini.*

1	13
2	156
3	1716
4	17160
5	154440
6	1235520
7	8648640
8	51891840
9	259459200
10	1037836800
11	3113510400
12	6227020800
13	6227020800
Sa	16926797485

14 —— *Termini.*

1	14
2	182
3	2184
4	24024
5	240240
6	2162160
7	17297280
8	121080960
9	726485760
10	3632428800
11	14529715200
12	43589145600
13	87178291200
14	87178291200
Sa	236975164804

15 —— *Termini.*

1	15
2	210
3	2730
4	32760
5	360360
6	3603600
7	32432400
8	259459200
9	1816214400
10	10897286400
11	54486432000
12	217945728000
13	653837184000
14	1307674368000
15	1307674368000
Sa	3554627472075.

16 —— *Termini.*

1	16
2	240
3	3360
4	43680
5	524160
6	5765760
7	57657600
8	518918400
9	4151347200
10	29059430400
11	174356582400
12	871782912000
13	3487131648000
14	10461394944000
15	20922789888000
16	20922789888000
Sa	56874039553216

17 —— *Termini.*

1	17
2	272
3	4080
4	57120
5	742560
6	8910720
7	98017920
8	980179200
9	8821612800
10	70572902400
11	494010316800
12	2964061900800
13	14820309504000
14	59281238016000
15	177843714048000
16	355687428096000
17	355687428096000
Sa	966858672404689

18 —— *Termini.*

1	18
2	360
3	4896
4	73440
5	1028160
6	13366080
7	160392960
8	1764322560
9	17643225600
10	158789030400
11	1270312243200
12	8892185702400
13	53353114214400
14	266765571072000
15	1067062284288000
16	3201186852864000
17	6402373705242000
18	6402373705242000
Sa	17403456103284410

19 —— *Termini.*

1	19
2	342
3	5814
4	93024
5	1395360
6	19535040
7	253955520
8	3047466240
9	33522128640
10	335221286400
11	3026991577600
12	24135932620800
13	168951528345600
14	1013709170073600
15	5068545850368000
16	20274183401472000
17	60822550204416000
18	121645100399598000
19	121645100399598000
Sa	330665665962403999

20 —— *Termini.*

1	20
2	380
3	6840
4	116280
5	1860480
6	27907200
7	390700800
8	5079110400
9	60949324800
10	670442572800
11	6704425728000
12	60339831552000
13	482718652416000
14	3379030566912000
15	20274183401472000
16	101370917012760000
17	405483668029440000
18	1216451004088320000
19	2432902007991960000
20	2432902007991960000
Sa	6613313319248080000

Cuius tabulæ vsus idem est atque vsus tabulæ tertiæ datæ *propositi*. 1.

Propositio 5.

46 Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici possunt penes differentias substantiæ, & repetitionis iuxta quintam speciem combinationis absolutæ, sequentes regulæ determinant.

Suppono totam collectionem combinationum, de quibus propositio agit, ex quouis numero terminorum dato possibilem infinitam esse: eo quòd singuli termini infinities repeti possunt. Quia tamen finita sunt aggregata singulorum generum; scilicet binariorum, ternariorum, quaternariorum, &c. De his imprimis determinandum est, quot binarij, quot ternarij, quot quaternarij, &c. ex quouis terminorum numero dato confici possunt. Quod præstat sequens regula

Fiat tabula quadratorum, & in primâ columnâ transuersâ eius A ponatur progressio naturalis arithmetica numerorum 1. 2. 3. 4. 5. &c. in secundâ autem B ponantur vnitates semper. In primâ verò columnâ descendente C ponatur itidem progressio naturalis numerorum 1. 2. 3. 4. 5. &c. incipiendo à secundo quadrato. Quibus positis 47

sitis incipiendo à tertio quadrato eiusdem columnæ C, addatur numerus eius nempe 2. numero secundi quadrati columnæ descendentis D immediatè illi superioris, nempe. 1. summâque ex vtroque nempe. 3. ponatur in tertio quadrato ipsius columnæ D. Rursus summa ex numero 3. quadrati quarti columnæ C, & ex numero. 3. quadrati tertij columnæ D, nempe. 6. ponatur in quarto quadrato ipsius columnæ D. Et ita deinceps procedetur, sumendo semper numerum columnę primæ, & immediatè superiorem secundæ, & infra hunc immediatè ponendo summam vtriusque. Pariterque procedendum est in columnis D, & E ponendo summam ex 3. columnæ prioris & ex 1. subsequentis, nempe. 4. infra. 1. & summam ex 6. prioris, & 4. posterioris nempe 10. infra. 4. Et sic deinceps. Similiterque faciendum est in duabus quibusque columnis ex subsequentibus in infinitum. Quo tabula manet constructa, vt sequitur

TABVLA IX.

Determinans omnes binarios, ternarios, quaternarios, &c. ex quouis 48
numero terminorum dato possibiles penes differentias substantiæ, & repetitionis.

	C	D	E							
A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
B	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
	3	6	10	15	21	28	36	45	55	66
	4	10	20	35	56	84	120	165	220	286
	5	15	35	70	126	210	330	495	715	1001
	6	21	56	126	252	462	792	1287	2002	3103
	7	28	84	210	462	924	1716	3003	5005	8008
	8	36	120	330	792	1716	3432	6435	11440	19448
	9	45	165	495	1287	3003	6435	12860	24300	43748
	10	55	220	715	2002	5005	11440	24300	48600	92348

49 Vtemur autem tabulâ istâ sic. Volumus scire quot binarij fieri possunt penes vtramque differentiam substantiæ, & repetitionis ex numero dato 7. Exempli gratia, Accipiemus eum ex columnâ primâ descendente C, & ex numero 2. significante binarios columnæ transuersæ A: descendemus per columnam, quam ille terminat vsque ad quadratum commune ipsi, & columnæ transuersæ, quam terminat ipse numerus 7. in quo quadrato inueniemus 28. qui est numerus binariorum quæsitus. Quinariorum autem possibilium ex eodem numero dato 7. pariter reperiemus numerum, nimirum 462. descendentes à numero 5. columnæ A significante quinarios vsque ad quadratum cõmune columnæ transuersæ ipsius 7. vbi ille est. Et in cæteris simili modo.

Vbi aduertendum per huiusmodi tabulam in 50
infinitum extendibilem, sine fine procedi posse ad inueniendos numeros singularum combinationum ex quouis dato possibilium, quæ infinitæ sunt, vt diximus: videlicet numeros binariorum, ternariorum, quaternariorum, & cæteros possibiles absque vllo limite.

Cæterùm coarctando combinationes istas, vt 51
nulla earum excedat numerum terminorum datum ad combinandum tabula sequens excerpta ex præcedente, (putâ quadruplicata in ampliori chartâ, qualem non capit libri pagina,) ostendet quot omnino sunt omnes, & singulæ illæ ex quolibet numero dato possibiles vsque ad vigesimum.

TABVLA X.

§ 2 *Distinctiùs determinans singulas combinationes ex quouis numero terminorum dato possibiles penes differentias substantiæ, & repetitionis intra limites numeri dati. Et earum summam.*

3 —— *Termini.*

1	3
2	6
3	10
Sa	—— 19

4 —— *Termini.*

1	4
2	10
3	20
4	35
Sa	—— 69

5 —— *Termini.*

1	5
2	15
3	35
4	70
5	126
Sa	—— 251

6 —— *Termini.*

1	6
2	21
3	56
4	126
5	252
6	462
Sa	—— 923

7 —— *Termini.*

1	7
2	28
3	84
4	210
5	462
6	924
7	1716
Sa	—— 3431

8 —— *Termini.*

1	8
2	36
3	120
4	330
5	792
6	1716
7	3432
8	6435
Sa	—— 12869

9 —— *Termini.*

1	9
2	45
3	165
4	495
5	1287
6	3003
7	6435
8	12860
9	24300
Sa	—— 48597

10 —— *Termini.*

1	10
2	55
3	220
4	715
5	2002
6	5005
7	11440
8	24300
9	48600
10	92348
Sa	—— 184695

11 —— *Termini.*

1	11
2	66
3	286
4	1001
5	3003
6	8008
7	19448
8	43748
9	92348
10	184696
11	352616
Sa	—— 705231

12 —— *Termini.*

1	12
2	78
3	364
4	1365
5	4368
6	12376
7	31824
8	75572
9	167920
10	352616
11	705232
12	1351728
Sa	—— 2703455

13 —— *Termini.*

1	13
2	91
3	455
4	1820
5	6188
6	18564
7	50388
8	125960
9	293880
10	646496
11	1351728
12	2703456
13	5199040
Sa	—— 10348079

14 —— *Termini.*

1	14
2	105
3	560
4	2380
5	8568
6	27132
7	77520
8	203480
9	497360
10	1143856
11	2495584
12	5199040
13	10398080
14	20053680
Sa	—— 40107359

15 —— *Termini.*

1	15
2	120
3	680
4	3060
5	11628
6	38760
7	116280
8	319760
9	817120
10	1960976
11	4456560
12	9655600
13	20053680
14	40103760
15	77541600
Sa	—— 155079599

16 —— *Termini.*

1	16
2	136
3	816
4	3876
5	15504
6	54264
7	170544
8	490304
9	1307424
10	3268400
11	7724960
12	17380560
13	37434240

14	77542600
15	155083200
16	300475845
S^a	——600951689

17 —— *Termini.*

1	17
2	153
3	969
4	4845
5	20349
6	74613
7	245157
8	735461
9	2042885
10	5311285
11	13036245
12	30416805
13	67851045
14	145392645
15	300475845
16	600951690
17	1157560010
S^a	——2324120019

18 —— *Termini.*

1	18
2	171
3	1140
4	5985
5	26334
6	90947
7	346104
8	1081565
9	3124450
10	8435735
11	21471980
12	42888785
13	110739830
14	256132475
15	556608320
16	1157560010
17	2315120020
18	4473643870
S^a	——8947287789

19 —— *Termini.*

1	19
2	190
3	1330
4	7315
5	33649
6	134596
7	480700
8	1562265
9	4686715
10	13122450
11	34594430
12	77483215
13	188223045
14	444355520
15	1000963840
16	2158513850
17	4473643870
18	8947287740
19	17335104740
S^a	——34680209479

20 —— *Termini.*

1	20
2	210
3	1540
4	8855
5	42504
6	177100
7	657800
8	2220065
9	6906780
10	20029230
11	54623660
12	122106875
13	310329920
14	754685440
15	1755649280
16	3914173130
17	8387817000
18	17335104740
19	34670209480
20	67324743530
S^a	——134649487159

Cuius tabulæ vsus idem est, atque vsus tabulæ tertiæ datæ *propositi.* 1.

Propositio 6.

53 Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici possunt penes differentias positionis, & repetitionis iuxta sextam speciem combinationis absolutæ sequentes regulæ determinant.

Prænoto primò. Etsi reliquæ mixtiones augeant numerum combinationum; hanc tamen positionis, & repetitionis potiùs illum minuere; eoque magis, quo plus de repetitione habet. Eò quòd termini repetiti siue eiusdem omnino rationis comparati inter se differentias positionis non subeunt. Ob id iste ternarius A A A vnicam tantùm positionem censetur habere: cum tamen iste A B C sex diuersas possit sortiri. Et in cæteris pariter.

54 Prænoto secundò. In numero terminorum ad combinandum dato aut posse repeti vnum solum terminum, aut duos, aut tres, aut quatuor, aut plures. Pro quibus diuersis casibus diuersæ sunt regulæ præbendæ.

55 Si enim in numero terminorum ad combinandum dato vnus dumtaxat terminus est repetitus, posita ante oculos tabula quarta data *propositione secunda*, quæ combinationes exhibet secundum differentiam solius positionis terminorum, sumenda ex illâ est combinatio numeri repetitionum dicti termini, seu (quod in idem recidit ad propositum,) combinatio numeri terminorum exactè similium, & per illam diuidenda est combinatio integri numeri dati: quotiens enim ex diuisione resultans dabit combinationem quæsitam. Exempli gratiâ: Sit numerus datus terminorum combinandorum A B A C A, in quo quia terminus solus A ter ponitur, siue triplex A, sumenda ex tabula dicta combinatio numeri 3. quæ est 6. per quam diuidenda combinatio integri numeri 5. dati, quæ est 120. cuius diuisionis quotiens nempe numerus 20. combinatio quæsita est 20. quippè sunt differentiæ, quibus numerus 5. terminorum A B A C A, in quo vnicus terminus nempe A ter positus est, potest quoad positionem variari. Quod si ille quater esset positus, eiusmodi differentiæ tantùm essent 5. quia combinatio integra 120. diuisa per combinationem numeri quaterni 24. quotientem reddit 5. & in cæteris pariter.

Si autem in numero ad combinandum dato sit 56 duplex terminus repetitus, multiplicanda est combinatio repetitionum vnius cum combinatione repetitionum alterius. Numerus enim ex tali multiplicatione productus erit diuisor, per quem diuisa combinatio integri numeri dati quotientem dabit, qui sit ipsa combinatio quæsita. Quæ omnes combinationes ex prædictâ tabulâ sunt desumendæ. Exempli gratiâ; sit numerus datus A B A B A, in quo A ter, B autem bis positus est. Multiplicanda ergo est combinatio numeri 3. nempe 6. per combinationem numeri 2. nempe 2. cuius multiplicationis productus erit 12. per quem diuisa combinatio integri numeri dati 120. quotientem dabit 10. qui est combinatio quæsita. Itaque ternarius iste terminorum A B A B A decies omnino potest variari quoad positionem. Si autem vterque terminus repetitus bis tantum ponatur, vt in hoc quinario A B A B C, multiplicatus 2. per 2. dabit 4. per quem diuisus 120. dabit 30. numerum quæsitum. Toties enim dictus quinarius variari potest quoad positionem.

Si

57 Si verò in numero dato ad combinandum tres termini repetiti sint, combinatio repetitionum primi ducenda est per combinationem repetitionum secundi, & productus per combinationem repetitionum tertij, cuius secundæ multiplicationis productus erit diuisor, per quem diuisa integra combinatio numeri dati quotientem dabit combinationem quæsitam. Sit namque numerus datus iste septenarius A A A B B C C, in quo A ter, B autem & C bis ponuntur. Multiplicetur que combinatio ternarij nempe 6. per combinationem binarij nempe 2. productusque 12. multiplicetur per alteram combinationem. 2. produceturque 24. per quem diuisa combinatio integra septenarij nempe 5040. quotientem dabit 210. qui est combinatio quæsita.

58 Denique si in numero dato ad combinandum quatuor, aut plures sint termini repetiti pariter procedendum est; multiplicando scilicet combinationem repetitionum primi per combinationem repetitionum secundi, & productum per combinationem repetitionum tertij, & productum per combinationem repetitionum quarti, & ita deinceps. Vltimus enim productus erit semper diuisor, per quem diuisa tota combinatio numeri dati dabit quotientem combinationem quæsitam.

Propositio 7.

59 Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici possunt penes differentias substantiæ, positionis, & repetitionis iuxta septimam speciem combinationis absolutæ, sequentes regulæ determinant.

Hîc etiam, sicuti in *propositione quinta*, supponendum est integram collectionem huiusmodi combinationum ex quouis numero terminorum dato possibilem infinitam esse. Quia terminorum repetitio, vbicumque interuenit, absque limite, atque adeo in infinitum effici potest. Quia tamen finita sunt aggregata singulorum generum, scilicet binariorum, ternariorum, quaternariorum, &c. de his imprimis determinandum est, quot binarij, quot ternarij, quot quaternarij, &c. ex quouis terminorum numero dato confici possunt. Quod præstat sequens regula.

Multiplicetur numerus datus per seipsum. 60
Productusque erit numerus binariorum ex eo possibilium & inter se differentium penes triplicem differentiam substantiæ, positionis, & repetitionis. Deinde ipse numerus binariorum multiplicetur per numerum datum, dabitur numerus ternariorum. Pariterque numerus ternariorum multiplicatus per numerum datum numerum dabit quaternariorum. Et ita deinceps in infinitum combinatio vltimò inuenta multiplicata per numerum datum procreabit subsequentem combinationem. Vti sequens tabula quadratorum ostendit. Cuius constructio est. In primâ columnâ descendente ponitur progressio arithmetica numerorum 1. 2. 3. 4. 5. &c. similiterque in primâ transuersâ ab eâdem primi quadrati vtrique communis vnitate incipiendo. Multiplicatusque quiuis numerus primæ descendentis per seipsum dat numerum ponendum in secundo quadrato columnæ transuersæ ab ipso incipiente. Et rursus multiplicatus productus per eumdem dat ponendum in tertio quadrato, & sic deinceps in infinitum.

TABVLA

TABVLA XI.

61 *Determinans omnes binarios, ternarios, quaternarios, &c. ex quouis numero terminorum dato possibiles penes differentias substantiæ, positionis, & repetitionis.*

1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024
3	9	27	81	243	729	2187	6561	19683	59049
4	16	64	256	1024	4096	16384	65536	262144	1048576
5	25	125	625	3125	15625	78125	390625	1953125	9765625
6	36	216	1296	7776	46656	279936	1679616	10077696	60466176
7	49	343	2401	16807	117649	823543	5764801	40353607	282475249
8	64	512	4096	32768	262144	2097152	16777216	134217728	1073741824
9	81	729	6561	59049	531441	4782969	42046641	378419769	3405777921
10	100	1000	10000	100000	1000000	10000000	100000000	1000000000	10000000000

62 Huius autem tabulæ vsus talis est. Volo scire quot quaternarij ex numero 5. dato effici possunt. Quæro in columnâ primâ descendente numerum 5. & in primâ transuersâ numerum 4. descendensque ab hoc vsque ad quadratum commune columnæ transuersæ incipientis à numero 5. repetio ibi 625. qui est numerus, quæsitus. Pariterque reperiam cæteros.

63 Quod si quis ex progressione infinitâ combinationum, quæ ex quouis numero dato intra speciem istam confici possunt, partem aliquam sumat, exempli gratiâ: quæ ab vnitatibus excurrit vsque ad denarios: scireque velit quot sunt omnes combinationes in eâ parte progressionis inclusæ, possibilesque ex numero dato, scilicet ab vnitatibus vsque ad denarios inclusiuè. Quærat in primâ columnâ descendente tabulæ propositæ numerum datum; omnesque numeros repertos in columnâ transuersâ incipiente ab ipso vsque ad quadratum denariorum inclusiuè reducat ad summam. Ea enim dabit numerum combinationum quæsitum. Exempli gratiâ: ex numero 3. dato 88572. combinationes fieri possunt ab vnitatibus vsque ad denarios inclusiuè: quia tantumdem valent reducti ad summam omnes numeri reperti in columnâ transuersâ incipiente à numero 3. à primo quadrato ipsius vsque ad quadratum denariorum inclusiuè. Poterit autem vnusquisque iuxta indicatam tabulæ constructionem eam versus vtramque partem in infinitum protrahere; aut certè quantum sat fuerit vt & datus numerus, & portio progressionis assumpta in ipsa tabula reperiatur, quando maior est contentis in ea, quam e. g. descripsimus.

Per quam eamdem regulam scitur subinde ex 64
numero 25. terminorum possibiles omnino esse Binarios 529. Ternarios 12167. Quaternarios 279841. Quinarios 6436343. Senarios 148035839. Septenarios 3404825447. Octonarios 78310985281. Nouenarios 1801252561463. Denarios 41428808913549. Vndenarios 952862605011627. Duodenarios 21915839915267421. Tredenarios 504064318051150683. Quatuordenarios 11593479315176465709. Quindenarios 266650024249058711307. Sedenarios 6132950557728350360061 Septendenarios 141057862827752058281403. Octodenarios 3244330845038297340472269. Nouemdenarios 74619609435880838830862187. Vicenarios 17162510170252592931098303 01. Quarum omnium combinationum summa est 1794262426890043806428463477.

Quam quidem extraxi vt notarem in ea contineri omnia omnino vocabula omnium linguarum totius vniuersi, quæ extant, & longè plura possibilia, quæ extare possent, ab iis, quæ ex duabus duntaxat litteris componuntur, vsque ad ea, si quæ sunt, quæ com

componuntur ex viginti. Quia nullum est possibile vocabulum, quod non sit aggregatum quoddam coalescens ex aliquibus ex viginti tribus litteris Alphabeti, vt est notum. Continet autem prædictus numerus omnia omnino aggregata ex 23. litteris Alphabeti possibilia penes differentias substantiæ, positionis, atque repetitionis earum, penes quas possunt, & solent differre vocabula; idque à binariis vsque ad vicenarios earum. Deinde in eodem numero continentur alia aggregata litterarum, quæ vocabula non sunt: quia proferri ab hominibus, siue pronunciari non possunt; eo quòd aut omnibus, aut tam multis consonantibus constant, vt sub pronunciationem, quæ absque interpositis vocalibus non potest fieri, cadere nequeant. Quæ quidem aggregata multò sunt plura, quam vocabula. Alia etiam aggregata in eodem numero inclusa, quæ aut ex solis, aut ex plerisque vocalibus variè repetitis coalescunt, etsi vtcumque possint proferri, ad vsum significandi per illa conceptus humanos non sunt idonea. Itaque ex aggregatis possibilibus 23. litterarum à binariis vsque ad vicenarios in prædicto numero contentis nona fermè aut decima dumtaxat pars erit eorum, quæ nomen vocabulorum merentur.

6 Sed ponamus vocabula, quæ commodè pronunciari possunt, vigesimam tantùm partem esse combinationum, aggregatorumve ex 23. litteris possibilium, quæ numerus prædictus amplectitur. Nimirum 8971312134450219032142 3173. Adhuc iste vocabulorum numerus tam ingens est, vt si essent in Mundo decem millia millionum hominum continuò, & absque interruptione semper loquentium, ita quòd vnusquisque eorum in singulis quadrantibus horæ mille vocabula proferret omnia inter se diuersa, post decem millia millionum annorum nondum ab eis omnibus fuisset prolata vigesima quinta pars propositi vocabulorum numeri. Quippe 10000000000. homines in 10000000000. annis omnino proferrent modo dicto 3504000000000000000000000. vocabula, qui numerus minor est, quàm pars vigesima quinta dicti vocabulorum numeri. Per quod combinationis de quâ agimus mira vis innotescit, siquidem in tot sæculorum milliaribus à tot milliaribus hominum continuò, & semper proferentibus diuersa vocabula nondum absolueretur pars vigesima quinta numeri eorum, qui est pars vigesima numeri combinationum, quæ est pars vigesima numeri combinationum, quæ ex solis 23. litteris Alphabeti à binariis vsque ad vicenarios dumtaxat confici possunt.

Propositio 8.

67 Quoties vnus terminorum numerus datus cum omnibus & singulis alterius numeri combinationibus penes differentiam solius substantiæ factis collectiuè conferri possit iuxta primam speciem combinationis comparatæ, ex dictis *propos.* facillimè infertur.

Ex ibi enim dictis constat, quot combinationes eiusmodi ex quouis numero dato confici possunt. Tot autem comparationes vnus numerus indiuisim cum singulis alterius numeri combinationibus pariter sumptis subire potest, quot illæ sunt, vt est notissimum. Totiesque subinde cum illis collectiuè conferibilis est.

Propositio 9.

Quoties omnes & singulæ vnius terminorum 68
numeri dati combinationes factæ penes differentiam solius substantiæ cum alio integro numero collectiue conferri possunt iuxta secundam speciem combinationis comparatæ, *ex præced. propos.* constat.

Quia, quod attinet ad numerum comparationum, perinde est comparare integrum numerum datum ad singulas combinationes alterius, omnibus indiuisim sumptis; ac comparare singulas combinationes vnius numeri dati cum integro altero, sumptis pariter omnibus indiuisim, vt constat.

Propositio 10.

Quoties omnes, & singulæ vnius terminorum 69
numeri dati combinationes, factæ penes differentium solius substantiæ cum omnibus, & singulis alterius collectiuè conferri possunt, iuxta tertiam speciem combinationis comparatæ, sequens regula ostendit.

Sumantur ex tabulis traditis *propos.* 1. tum numerus combinationum, quæ fieri possunt ex numero dato terminorum, conferendo cum altero, tum numerus combinationum, quæ fieri possunt ex hoc, cum quo ille est conferendus. Ex numerisque combinationum sumptis vnus per alterum multiplicetur: productus enim dabit omnes comparationes possibiles, quibus omnes & singulæ combinationes vnius numeri terminorum cum omnibus & singulis alterius possunt conferri, singulis omnibus collectiuè siue indiuisim sumptis, vt constat.

Propositio 11.

Quoties vnus terminorum numerus datus sem- 70
per integrè sumptus cum altero & singulis eius combinationibus factis, penes differentiam solius substantiæ diuisiuè conferri potest, iuxta quartam speciem combinationis comparatæ, sequentes regulæ determinant.

Fiat tabula quadratorum, in cuius primâ columnâ descendente ponatur progressio naturalis arithmetica 1.2.3.4.5. &c. incipiendo à primo quadrato; tantumdemque fiat in primâ columnâ transuersâ incipiendo ab eodem. Quibus positis relictâ vnitate primi quadrati, vnusquisque numerus cæterorum columnæ primæ descendentis multiplicetur per seipsum, productusque ponatur iuxta ipsum in secundâ columnâ descendente, seu (quod idem est) in quadrato immediato columnæ transuersæ ab ipso incipiente. Deinde ipse productus multiplicetur per eumdem primæ columnæ descendentis, ex quo per se multiplicato resultauit; productusque ponatur in sequente quadrato eiusdem columnæ transuersæ, qui tertius erit. Hic autem positus in tertio multiplicetur per eumdem primum, productusque ponatur in quarto. Et ita deinceps in infinitum multiplicando semper vltimum per primum, à quo incipit columna transuersa, & ponendo productum in subsequente quadrato: vti apparet in tabulâ.

TABVLA

TABVLA XII.

Determinans quoties vnus terminorum numerus datus semper integrè sumptus ad alterum, & singulas eius combinationes factas penes differentiam solius substantiæ potest comparari diuisiue. 71

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024
3	9	27	81	243	729	2187	6561	19683	59049
4	16	64	256	1024	4096	16384	65536	262144	1048576
5	25	125	625	3125	15625	78125	390625	1953125	9765625
6	36	216	1296	7776	46656	279936	1679616	10077696	60466176
7	49	343	2401	16807	117649	823543	5764801	40353607	282475249
8	64	512	4096	32768	262144	2097152	16777216	134217728	1073741824
9	81	729	6561	59049	531441	4782969	42046641	378419769	3405777921
10	100	1000	10000	100000	1000000	10000000	100000000	1000000000	10000000000

72 Quæ quidem tabula, tametsi pro diuerso vsu, eadem est, ac tabula 11. Vsus autem eius ita se habet, scire cupio quoties numerus 5. terminorum datus possit comparari cum altero numero 4. etiam dato eo comparationis genere, de quo agit propositio. Quæro in primâ columnâ transuersâ numerũ 5. & in primâ descendente numerum 4. Deinde quæro quadratum commune columnæ descendenti, quæ incipit à numero 5. & transuersæ incipienti à 4. ibique reperio 1024. qui est numerus comparationum quæsitus. Et in cæteris pariter.

Propositio 12.

73 Quoties omnes & singulæ combinationes vnius terminorum numeri dati factæ secundum differentiam solius substantiæ cum integro altero numero terminorum diuisiuè conferri possunt iuxta quintam speciem combinationis comparatæ, per regulas præcedentis propositionis venit determinandum.

Quia, quod ad rem attinet, perinde se habet terminare vnum extremum comparationem alterius, ac comparari ad ipsum. Cùm ergo regulæ præcedentis propositionis ostendant quoties omnes, & singulæ combinationes vnius numeri terminorum possint alterius integri numeri diuisiuam comparationem terminare eo ipso, quòd ostendunt, quoties hoc potest diuisiuè comparari cum illis; prout *ibi* vidimus: consequens est, vt etiam ostendant, sumptæ tamen ordine inuerso, quoties omnes, & singulæ combinationes vnius numeri terminorum cum altero integro numero comparari valeant.

Positâ itaque ob oculos tabulâ præcedente, sic illa nobis vtendum est ad propositum. Scire cupimus quoties omnes, & singulæ combinationes numeri 4. ad integrum numerum 5. comparari, possunt comparatione diuisiuâ, de qua tractamus, quæremus numerum 4. in primâ columnâ descendente, & 5. in primâ transuersâ; deinde quadratum commune columnis incipientibus ab eisdem numeris, vbi inueniemus 1024. qui est numerus comparationum quæsitus. Tot quippe comparationes potest habere numerus 4. penes omnes & singulas suas combinationes sumptas seorsim cum numero 5. semper integrè sumpto; ac potest huius semper integrè sumpti terminare comparationes penes easdem omnes & singulas suas combinationes. Constat autem ex dictis *propositionibus præced.* huiusmodi terminationes, sicut & illis correspondentis numeri 5 ad 4. comparationes possibiles esse 1024. similiterque circa alios quosuis numeros datos procedendum est. 74

Propositio 13.

Quoties omnes & singulæ combinationes vnius numeri terminorum dati factæ secundum differentiam solius substantiæ cum omnibus & singulis combinationibus alterius numeri diuisiuè conferri possunt iuxta vltimam speciem combinationis 75

comparatæ, per sequentem regulam scietur.

Sumatur quæuis singularis combinatio numeri dati, e.g. vnus ternarius, de quo per tabulam exhibitam *propos.* 11. scietur quoties ille integrè sumptus cum omnibus & singulis alterius numeri dati combinationibus conferri potest. Quæretur deinde in tabulis secundâ, vel tertiâ traditis *propos.* 1. quot ternarij ex numero dato confici possunt. Numerus enim ternariorum multiplicatus per numerum iam inuentum comparationum vnius ternarij dabit numerum omnium comparationum, quibus omnes & singuli ternarij cum omnibus & singulis alterius numeri combinationibus conferri possunt. Tantumdemque fiet circa binarios, quaternarios, quinarios, & cæteras combinationes sigillatim numeri, dati. Quarum omnium subinde comparationum summa integrum reddet quæsitum comparationum numerum.

QVÆSTIO III.

Qualiter practicè sint faciendæ combinationes terminorum ad vnamquamque ex tredecim speciebus, recensitis quæstione prima spectantes.

76 ID ostendam sigillatim de singulis 13. speciebus combinationis per totidem propositiones, vt sequitur.

Propositio 1.

77 Combinationes absolutæ primæ speciei penes differentiam solius substantiæ terminorum ex quouis eorum numero dato possibiles bifariam possunt fieri. Primò per tabulas continentes omnes binarios, ternarios, quaternarios &c. ex quouis numero terminorum dato possibiles. Secundo per generalem aliquam regulam sine tabulis.

Vt fiant per tabulas idonea signa, qualia sunt litteræ Alphabeti, debent in eis substitui pro terminis, vtpotè qui per se nequeunt commodè poni in tabulis ipsis. Designemus ergo imprimis omnes numeros, quicumque illi sint, vsque ad 20. e.g. per litteras Alphabeti quo ordine ostendit tabula sequens.

TABVLA I.

Designationis terminorum. 78

1	A
2	AB
3	ABC
4	ABCD
5	ABCDE
6	ABCDEF
7	ABCDEFG
8	ABCDEFGH
9	ABCDEFGHI
10	ABCDEFGHIK
11	ABCDEFGHIKL
12	ABCDEFGHIKLM
13	ABCDEFGHIKLMN
14	ABCDEFGHIKLMNO
15	ABCDEFGHIKLMNOP
16	ABCDEFGHIKLMNOPQ
17	ABCDEFGHIKLMNOPQR
18	ABCDEFGHIKLMNOPQRS
19	ABCDEFGHIKLMNOPQRST
20	ABCDEFGHIKLMNOPQRSTV

Designamus autem terminos, quicumque illi 79
sint, per litteras combinandos vsque ad vigesimum tantùm numerum; neque vltra illum extendemus sequentes tabulas; quinimò pleræque earum ad illum non peruenient. Tum quia, id est satis ad exemplum. Tum quia terminos omnibus scientiis communes, atque ad eo in omnibus combinandos ad numerum 20. reduximus *disp. praced.* Tum quia vnusquisque, cum opus fuerit plures terminos combinare, facilè poterit pro illis plures addere characteres, vel alia signa, tabulasque huiusmodi extendere quantum voluerit.

Igitur omnes binarios, ternarios, quaternarios, 80
& quinarios possibiles penes differentiam solius substantiæ ex propositæ tabulæ numeris litterarum substitutarum pro quibusuis terminis combinandis sequentes quatuor tabulæ exhibebunt. Ita tamen, vt in duabus prioribus, ne longiores fiant, à numero 10. ad 20. transiliatur, omissis intermediis. Quos facilè ad aliorum normam poterit quisque combinare. In aliis verò ne ad 10. quidem perueniatur.

TABVLA

TABVLA II.

Exhibens omnes binarios ex quouis numero terminorum in illâ dato 81
posſibiles penes differentiam ſolius ſubſtantiæ.

2	A C	A D	A E	B C	B D	B E	C D	C E	D E
A B	A D	A E	A F	B D	B E	B F	C D	C E	D E
A C	A E	A F	A G	B E	B F	B G	C E	C F	D F
B C	A F	A G	A H	B F	B G	B H	C F	C G	D G
B D	A G	A H	A I	B G	B H	B I	C G	C H	D H
C D	A H	A I	A K	B H	B I	B K	C H	C I	D I
3	A I	A K	A L	B I	B K	B L	C I	C K	D K
A B	A K	A L	A M	B K	B L	B M	C K	C L	D L
A C	A L	A M	A N	B L	B M	B N	C L	C M	D M
A D	A M	A N	A O	B M	B N	B O	C M	C N	D N
B C	A N	A O	A P	B N	B O	B P	C N	C O	D O
B D	A O	A P	A Q	B O	B P	B Q	C O	C P	D P
C D	A P	A Q	A R	B P	B Q	B R	C P	C Q	D Q
4	A Q	A R	A S	B Q	B R	B S	C Q	C R	D R
A B	A R	A S	A T	B R	B S	B T	C R	C S	D S
A C	A S	A T	A V	B S	B T	B V	C S	C T	D T
A D	A T	A V	A X	B T	B V	B X	C T	C V	D V
A E	A V	A X	A Y	B V	B X	B Y	C V	C X	D X
B C	A X	A Y	A Z	B X	B Y	B Z	C X	C Y	D Y
B D	A Y	A Z		B Y	B Z		C Y	C Z	D Z
B E	A Z			B Z			C Z		
C D									
C E									
5									
A B									
A C									
A D									
A E									
B C									
B D									
B E									
C D									
C E									
D E									

6	A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	B C	B D	B E	B F	B G	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G	F G
A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	B C	B D	B E	B F	B G	B H	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G
A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	B D	B E	B F	B G	B H	B I	C E	C F	C G	D F	D G	D H	E G	E H
A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	B E	B F	B G	B H	B I	B K	C F	C G	C H	D G	D H	D I	E H	E I
B C	A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	B F	B G	B H	B I	B K	B L	C G	C H	C I	D H	D I	D K	E I	E K
B D	A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	B G	B H	B I	B K	B L	B M	C H	C I	C K	D I	D K	D L	E K	E L
B E	A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	B H	B I	B K	B L	B M	B N	C I	C K	C L	D K	D L	D M	E L	E M
C D	A I	A K	A L	A M	A N	A O	A P	B I	B K	B L	B M	B N	B O	C K	C L	C M	D L	D M	D N	E M	E N
C E	A K	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	B K	B L	B M	B N	B O	B P	C L	C M	C N	D M	D N	D O	E N	E O
C F	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	B L	B M	B N	B O	B P	B Q	C M	C N	C O	D N	D O	D P	E O	E P
D E	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	B M	B N	B O	B P	B Q	B R	C N	C O	C P	D O	D P	D Q	E P	E Q
D F	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	B N	B O	B P	B Q	B R	B S	C O	C P	C Q	D P	D Q	D R	E Q	E R
D G	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	B O	B P	B Q	B R	B S	B T	C P	C Q	C R	D Q	D R	D S	E R	E S
E F	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	B P	B Q	B R	B S	B T	B V	C Q	C R	C S	D R	D S	D T	E S	E T
E G	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	B Q	B R	B S	B T	B V	B X	C R	C S	C T	D S	D T	D V	E T	E V
F G	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z	B R	B S	B T	B V	B X	B Y	C S	C T	C V	D T	D V	D X	E V	E X
	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z		B S	B T	B V	B X	B Y	B Z	C T	C V	C X	D V	D X	D Y	E X	E Y
	A T	A V	A X	A Y	A Z			B T	B V	B X	B Y	B Z		C V	C X	C Y	D X	D Y	D Z	E Y	E Z
	A V	A X	A Y	A Z				B V	B X	B Y	B Z			C X	C Y	C Z	D Y	D Z		E Z	
	A X	A Y	A Z					B X	B Y	B Z				C Y	C Z		D Z				
	A Y	A Z						B Y	B Z					C Z							
	A Z							B Z													

7	A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	B C	B D	B E	B F	B G	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G	F G
A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	B C	B D	B E	B F	B G	B H	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G
A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	B D	B E	B F	B G	B H	B I	C E	C F	C G	D F	D G	D H	E G	E H
A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	B E	B F	B G	B H	B I	B K	C F	C G	C H	D G	D H	D I	E H	E I
A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	B F	B G	B H	B I	B K	B L	C G	C H	C I	D H	D I	D K	E I	E K
B C	A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	B G	B H	B I	B K	B L	B M	C H	C I	C K	D I	D K	D L	E K	E L
B D	A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	B H	B I	B K	B L	B M	B N	C I	C K	C L	D K	D L	D M	E L	E M
B E	A I	A K	A L	A M	A N	A O	A P	B I	B K	B L	B M	B N	B O	C K	C L	C M	D L	D M	D N	E M	E N
C D	A K	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	B K	B L	B M	B N	B O	B P	C L	C M	C N	D M	D N	D O	E N	E O
C E	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	B L	B M	B N	B O	B P	B Q	C M	C N	C O	D N	D O	D P	E O	E P
C F	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	B M	B N	B O	B P	B Q	B R	C N	C O	C P	D O	D P	D Q	E P	E Q
D E	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	B N	B O	B P	B Q	B R	B S	C O	C P	C Q	D P	D Q	D R	E Q	E R
D G	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	B O	B P	B Q	B R	B S	B T	C P	C Q	C R	D Q	D R	D S	E R	E S
E F	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	B P	B Q	B R	B S	B T	B V	C Q	C R	C S	D R	D S	D T	E S	E T
E G	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	B Q	B R	B S	B T	B V	B X	C R	C S	C T	D S	D T	D V	E T	E V
F G	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z	B R	B S	B T	B V	B X	B Y	C S	C T	C V	D T	D V	D X	E V	E X
	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z		B S	B T	B V	B X	B Y	B Z	C T	C V	C X	D V	D X	D Y	E X	E Y
	A T	A V	A X	A Y	A Z			B T	B V	B X	B Y	B Z		C V	C X	C Y	D X	D Y	D Z	E Y	E Z
	A V	A X	A Y	A Z				B V	B X	B Y	B Z			C X	C Y	C Z	D Y	D Z		E Z	
	A X	A Y	A Z					B X	B Y	B Z				C Y	C Z		D Z				
	A Y	A Z						B Y	B Z					C Z							
	A Z							B Z													

8	A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	B C	B D	B E	B F	B G	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G	F G
A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	B C	B D	B E	B F	B G	B H	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G
A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	B D	B E	B F	B G	B H	B I	C E	C F	C G	D F	D G	D H	E G	E H
A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	B E	B F	B G	B H	B I	B K	C F	C G	C H	D G	D H	D I	E H	E I
A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	B F	B G	B H	B I	B K	B L	C G	C H	C I	D H	D I	D K	E I	E K
A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	B G	B H	B I	B K	B L	B M	C H	C I	C K	D I	D K	D L	E K	E L
B C	A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	B H	B I	B K	B L	B M	B N	C I	C K	C L	D K	D L	D M	E L	E M
B D	A I	A K	A L	A M	A N	A O	A P	B I	B K	B L	B M	B N	B O	C K	C L	C M	D L	D M	D N	E M	E N
B E	A K	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	B K	B L	B M	B N	B O	B P	C L	C M	C N	D M	D N	D O	E N	E O
B F	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	B L	B M	B N	B O	B P	B Q	C M	C N	C O	D N	D O	D P	E O	E P
C D	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	B M	B N	B O	B P	B Q	B R	C N	C O	C P	D O	D P	D Q	E P	E Q
C E	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	B N	B O	B P	B Q	B R	B S	C O	C P	C Q	D P	D Q	D R	E Q	E R
C F	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	B O	B P	B Q	B R	B S	B T	C P	C Q	C R	D Q	D R	D S	E R	E S
C G	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	B P	B Q	B R	B S	B T	B V	C Q	C R	C S	D R	D S	D T	E S	E T
D E	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	B Q	B R	B S	B T	B V	B X	C R	C S	C T	D S	D T	D V	E T	E V
D F	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z	B R	B S	B T	B V	B X	B Y	C S	C T	C V	D T	D V	D X	E V	E X
D G	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z		B S	B T	B V	B X	B Y	B Z	C T	C V	C X	D V	D X	D Y	E X	E Y
E F	A T	A V	A X	A Y	A Z			B T	B V	B X	B Y	B Z		C V	C X	C Y	D X	D Y	D Z	E Y	E Z
E G	A V	A X	A Y	A Z				B V	B X	B Y	B Z			C X	C Y	C Z	D Y	D Z		E Z	
F G	A X	A Y	A Z					B X	B Y	B Z				C Y	C Z		D Z				
	A Y	A Z						B Y	B Z					C Z							
	A Z							B Z													

9	A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	B C	B D	B E	B F	B G	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G	F G
A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	B C	B D	B E	B F	B G	B H	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G
A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	B D	B E	B F	B G	B H	B I	C E	C F	C G	D F	D G	D H	E G	E H
A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	B E	B F	B G	B H	B I	B K	C F	C G	C H	D G	D H	D I	E H	E I
A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	B F	B G	B H	B I	B K	B L	C G	C H	C I	D H	D I	D K	E I	E K
A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	B G	B H	B I	B K	B L	B M	C H	C I	C K	D I	D K	D L	E K	E L
A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	B H	B I	B K	B L	B M	B N	C I	C K	C L	D K	D L	D M	E L	E M
B C	A I	A K	A L	A M	A N	A O	A P	B I	B K	B L	B M	B N	B O	C K	C L	C M	D L	D M	D N	E M	E N
B D	A K	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	B K	B L	B M	B N	B O	B P	C L	C M	C N	D M	D N	D O	E N	E O
B E	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	B L	B M	B N	B O	B P	B Q	C M	C N	C O	D N	D O	D P	E O	E P
B F	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	B M	B N	B O	B P	B Q	B R	C N	C O	C P	D O	D P	D Q	E P	E Q
C D	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	B N	B O	B P	B Q	B R	B S	C O	C P	C Q	D P	D Q	D R	E Q	E R
C E	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	B O	B P	B Q	B R	B S	B T	C P	C Q	C R	D Q	D R	D S	E R	E S
C F	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	B P	B Q	B R	B S	B T	B V	C Q	C R	C S	D R	D S	D T	E S	E T
C G	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	B Q	B R	B S	B T	B V	B X	C R	C S	C T	D S	D T	D V	E T	E V
D E	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z	B R	B S	B T	B V	B X	B Y	C S	C T	C V	D T	D V	D X	E V	E X
D F	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z		B S	B T	B V	B X	B Y	B Z	C T	C V	C X	D V	D X	D Y	E X	E Y
D G	A T	A V	A X	A Y	A Z			B T	B V	B X	B Y	B Z		C V	C X	C Y	D X	D Y	D Z	E Y	E Z
E F	A V	A X	A Y	A Z				B V	B X	B Y	B Z			C X	C Y	C Z	D Y	D Z		E Z	
E G	A X	A Y	A Z					B X	B Y	B Z				C Y	C Z		D Z				
F G	A Y	A Z						B Y	B Z					C Z							
	A Z							B Z													

10	A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	B C	B D	B E	B F	B G	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G	F G
A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	B C	B D	B E	B F	B G	B H	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G
A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	B D	B E	B F	B G	B H	B I	C E	C F	C G	D F	D G	D H	E G	E H
A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	B E	B F	B G	B H	B I	B K	C F	C G	C H	D G	D H	D I	E H	E I
A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	B F	B G	B H	B I	B K	B L	C G	C H	C I	D H	D I	D K	E I	E K
A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	B G	B H	B I	B K	B L	B M	C H	C I	C K	D I	D K	D L	E K	E L
A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	B H	B I	B K	B L	B M	B N	C I	C K	C L	D K	D L	D M	E L	E M
A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	A P	B I	B K	B L	B M	B N	B O	C K	C L	C M	D L	D M	D N	E M	E N
B C	A K	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	B K	B L	B M	B N	B O	B P	C L	C M	C N	D M	D N	D O	E N	E O
B D	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	B L	B M	B N	B O	B P	B Q	C M	C N	C O	D N	D O	D P	E O	E P
B E	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	B M	B N	B O	B P	B Q	B R	C N	C O	C P	D O	D P	D Q	E P	E Q
B F	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	B N	B O	B P	B Q	B R	B S	C O	C P	C Q	D P	D Q	D R	E Q	E R
B G	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	B O	B P	B Q	B R	B S	B T	C P	C Q	C R	D Q	D R	D S	E R	E S
C D	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	B P	B Q	B R	B S	B T	B V	C Q	C R	C S	D R	D S	D T	E S	E T
C E	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	B Q	B R	B S	B T	B V	B X	C R	C S	C T	D S	D T	D V	E T	E V
C F	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z	B R	B S	B T	B V	B X	B Y	C S	C T	C V	D T	D V	D X	E V	E X
C G	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z		B S	B T	B V	B X	B Y	B Z	C T	C V	C X	D V	D X	D Y	E X	E Y
D E	A T	A V	A X	A Y	A Z			B T	B V	B X	B Y	B Z		C V	C X	C Y	D X	D Y	D Z	E Y	E Z
D F	A V	A X	A Y	A Z				B V	B X	B Y	B Z			C X	C Y	C Z	D Y	D Z		E Z	
D G	A X	A Y	A Z					B X	B Y	B Z				C Y	C Z		D Z				
E F	A Y	A Z						B Y	B Z					C Z							
E G	A Z							B Z													

20	A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	B C	B D	B E	B F	B G	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G	F G
A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	B C	B D	B E	B F	B G	B H	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G
A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	B D	B E	B F	B G	B H	B I	C E	C F	C G	D F	D G	D H	E G	E H
A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	B E	B F	B G	B H	B I	B K	C F	C G	C H	D G	D H	D I	E H	E I
A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	B F	B G	B H	B I	B K	B L	C G	C H	C I	D H	D I	D K	E I	E K
A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	B G	B H	B I	B K	B L	B M	C H	C I	C K	D I	D K	D L	E K	E L
A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	B H	B I	B K	B L	B M	B N	C I	C K	C L	D K	D L	D M	E L	E M
A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	A P	B I	B K	B L	B M	B N	B O	C K	C L	C M	D L	D M	D N	E M	E N
B C	A K	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	B K	B L	B M	B N	B O	B P	C L	C M	C N	D M	D N	D O	E N	E O
B D	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	B L	B M	B N	B O	B P	B Q	C M	C N	C O	D N	D O	D P	E O	E P
B E	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	B M	B N	B O	B P	B Q	B R	C N	C O	C P	D O	D P	D Q	E P	E Q
B F	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	B N	B O	B P	B Q	B R	B S	C O	C P	C Q	D P	D Q	D R	E Q	E R
B G	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	B O	B P	B Q	B R	B S	B T	C P	C Q	C R	D Q	D R	D S	E R	E S
C D	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	B P	B Q	B R	B S	B T	B V	C Q	C R	C S	D R	D S	D T	E S	E T
C E	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	B Q	B R	B S	B T	B V	B X	C R	C S	C T	D S	D T	D V	E T	E V
C F	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z	B R	B S	B T	B V	B X	B Y	C S	C T	C V	D T	D V	D X	E V	E X
C G	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z		B S	B T	B V	B X	B Y	B Z	C T	C V	C X	D V	D X	D Y	E X	E Y
D E	A T	A V	A X	A Y	A Z			B T	B V	B X	B Y	B Z		C V	C X	C Y	D X	D Y	D Z	E Y	E Z
D F	A V	A X	A Y	A Z				B V	B X	B Y	B Z			C X	C Y	C Z	D Y	D Z		E Z	
D G	A X	A Y	A Z					B X	B Y	B Z				C Y	C Z		D Z				
E F	A Y	A Z						B Y	B Z					C Z							
E G	A Z							B Z													

21	A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	B C	B D	B E	B F	B G	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G	F G
A B	A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	B C	B D	B E	B F	B G	B H	C D	C E	C F	D E	D F	D G	E F	E G
A C	A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	B D	B E	B F	B G	B H	B I	C E	C F	C G	D F	D G	D H	E G	E H
A D	A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	B E	B F	B G	B H	B I	B K	C F	C G	C H	D G	D H	D I	E H	E I
A E	A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	B F	B G	B H	B I	B K	B L	C G	C H	C I	D H	D I	D K	E I	E K
A F	A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	B G	B H	B I	B K	B L	B M	C H	C I	C K	D I	D K	D L	E K	E L
A G	A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	B H	B I	B K	B L	B M	B N	C I	C K	C L	D K	D L	D M	E L	E M
A H	A I	A K	A L	A M	A N	A O	A P	B I	B K	B L	B M	B N	B O	C K	C L	C M	D L	D M	D N	E M	E N
A I	A K	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	B K	B L	B M	B N	B O	B P	C L	C M	C N	D M	D N	D O	E N	E O
B C	A L	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	B L	B M	B N	B O	B P	B Q	C M	C N	C O	D N	D O	D P	E O	E P
B D	A M	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	B M	B N	B O	B P	B Q	B R	C N	C O	C P	D O	D P	D Q	E P	E Q
B E	A N	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	B N	B O	B P	B Q	B R	B S	C O	C P	C Q	D P	D Q	D R	E Q	E R
B F	A O	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	B O	B P	B Q	B R	B S	B T	C P	C Q	C R	D Q	D R	D S	E R	E S
B G	A P	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	B P	B Q	B R	B S	B T	B V	C Q	C R	C S	D R	D S	D T	E S	E T
C D	A Q	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	B Q	B R	B S	B T	B V	B X	C R	C S	C T	D S	D T	D V	E T	E V
C E	A R	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z	B R	B S	B T	B V	B X	B Y	C S	C T	C V	D T	D V	D X	E V	E X
C F	A S	A T	A V	A X	A Y	A Z		B S	B T	B V	B X	B Y	B Z	C T	C V	C X	D V	D X	D Y	E X	E Y
C G	A T	A V	A X	A Y	A Z			B T	B V	B X	B Y	B Z		C V	C X	C Y	D X	D Y	D Z	E Y	E Z
D E	A V	A X	A Y	A Z				B V	B X	B Y	B Z			C X	C Y	C Z	D Y	D Z		E Z	
D F	A X	A Y	A Z					B X	B Y	B Z				C Y	C Z		D Z				
D G	A Y	A Z						B Y	B Z					C Z							
E F	A Z							B Z													
E G																					
F G																					

&c.

TABVLA III.

Exhibens omnes ternarios ex quouis numero terminorum in illâ 82
dato poſsibiles, penes differentiam ſolius ſubſtantiæ.

3	A B C
A B C	A B D
A B D	A B E
A B E	A B F
A C D	A B G
A C E	A B H
A C F	A C D
A D E	A C E
A D F	A C F
A E F	A C G
B C D	A C H
B C E	A D E
B C F	A D F
B D E	A D G
B D F	A D H
B E F	A E F
C D E	A E G
C D F	A E H
C E F	A F G
D E F	A F H
	A G H
	B C D
	B C E
	B C F
	B C G
	B C H
	B D E
	B D F
	B D G
	B D H
	B E F
	B E G
	B E H
	B F G
	B F H
	B G H
	C D E
	C D F
	C D G
	C D H
	C E F
	C E G
	C E H
	C F G
	C F H
	C G H
	D E F
	D E G
	D E H
	D F G
	D F H
	D G H
	E F G
	E F H
	E G H
	F G H

4	A B C
A B C	A B D
A B D	A B E
A B E	A B F
A B F	A B G
A C D	A B H
A C E	A C D
A C F	A C E
A D E	A C F
A D F	A C G
A E F	A C H
B C D	A D E
B C E	A D F
B C F	A D G
B D E	A D H
B D F	A E F
B E F	A E G
C D E	A E H
C D F	A F G
C E F	A F H
D E F	A G H
	B C D
	B C E
	B C F
	B C G
	B C H
	B D E
	B D F
	B D G
	B D H
	B E F
	B E G
	B E H
	B F G
	B F H
	B G H
	C D E
	C D F
	C D G
	C D H
	C E F
	C E G
	C E H
	C F G
	C F H
	C G H
	D E F
	D E G
	D E H
	D F G
	D F H
	D G H
	E F G
	E F H
	E G H
	F G H

5	A B C
A B C	A B D
A B D	A B E
A B E	A B F
A C D	A B G
A C E	A B H
A C F	A C D
A D E	A C E
A D F	A C F
A E F	A C G
B C D	A C H
B C E	A D E
B C F	A D F
B D E	A D G
B D F	A D H
B E F	A E F
C D E	A E G
C D F	A E H
C E F	A F G
D E F	A F H
	A G H
	B C D
	B C E
	B C F
	B C G
	B C H
	B D E
	B D F
	B D G
	B D H
	B E F
	B E G
	B E H
	B F G
	B F H
	B G H
	C D E
	C D F
	C D G
	C D H
	C E F
	C E G
	C E H
	C F G
	C F H
	C G H
	D E F
	D E G
	D E H
	D F G
	D F H
	D G H
	E F G
	E F H
	E G H
	F G H

6	A B C
A B C	A B D
A B D	A B E
A B E	A B F
A B F	A B G
A C D	A B H
A C E	A C D
A C F	A C E
A D E	A C F
A D F	A C G
A E F	A C H
B C D	A D E
B C E	A D F
B C F	A D G
B D E	A D H
B D F	A E F
B E F	A E G
C D E	A E H
C D F	A F G
C E F	A F H
D E F	A G H
	B C D
	B C E
	B C F
	B C G
	B C H
	B D E
	B D F
	B D G
	B D H
	B E F
	B E G
	B E H
	B F G
	B F H
	B G H
	C D E
	C D F
	C D G
	C D H
	C E F
	C E G
	C E H
	C F G
	C F H
	C G H
	D E F
	D E G
	D E H
	D F G
	D F H
	D G H
	E F G
	E F H
	E G H
	F G H

7	A B C
A B C	A B D
A B D	A B E
A B E	A B F
A B F	A B G
A C D	A B H
A C E	A C D
A C F	A C E
A D E	A C F
A D F	A C G
A E F	A C H
B C D	A D E
B C E	A D F
B C F	A D G
B D E	A D H
B D F	A E F
B E F	A E G
C D E	A E H
C D F	A F G
C E F	A F H
D E F	A G H
	B C D
	B C E
	B C F
	B C G
	B C H
	B D E
	B D F
	B D G
	B D H
	B E F
	B E G
	B E H
	B F G
	B F H
	B G H
	C D E
	C D F
	C D G
	C D H
	C E F
	C E G
	C E H
	C F G
	C F H
	C G H
	D E F
	D E G
	D E H
	D F G
	D F H
	D G H
	E F G
	E F H
	E G H
	F G H

8	A B C
A B C	A B D
A B D	A B E
A B E	A B F
A B F	A B G
A B G	A B H
A C D	A C D
A C E	A C E
A C F	A C F
A C G	A C G
A D E	A C H
A D F	A D E
A D G	A D F
A E F	A D G
A E G	A D H
A F G	A E F
B C D	A E G
B C E	A E H
B C F	A F G
B C G	A F H
B D E	A G H
B D F	B C D
B D G	B C E
B E F	B C F
B E G	B C G
B F G	B C H
C D E	B D E
C D F	B D F
C D G	B D G
C E F	B D H
C E G	B E F
C F G	B E G
D E F	B E H
D E G	B F G
D F G	B F H
E F G	B G H
	C D E
	C D F
	C D G
	C D H
	C E F
	C E G
	C E H
	C F G
	C F H
	C G H
	D E F
	D E G
	D E H
	D F G
	D F H
	D G H
	E F G
	E F H
	E G H
	F G H

9	A B C
A B C	A B D
A B D	A B E
A B E	A B F
A B F	A B G
A B G	A B H
A C D	A C D
A C E	A C E
A C F	A C F
A C G	A C G
A D E	A C H
A D F	A D E
A D G	A D F
A E F	A D G
A E G	A D H
A F G	A E F
B C D	A E G
B C E	A E H
B C F	A F G
B C G	A F H
B D E	A G H
B D F	B C D
B D G	B C E
B E F	B C F
B E G	B C G
B F G	B C H
C D E	B D E
C D F	B D F
C D G	B D G
C E F	B D H
C E G	B E F
C F G	B E G
D E F	B E H
D E G	B F G
D F G	B F H
E F G	B G H
	C D E
	C D F
	C D G
	C D H
	C E F
	C E G
	C E H
	C F G
	C F H
	C G H
	D E F
	D E G
	D E H
	D F G
	D F H
	D G H
	E F G
	E F H
	E G H
	F G H

10	A B C
A B C	A B D
A B D	A B E
A B E	A B F
A B F	A B G
A B G	A B H
A C D	A C D
A C E	A C E
A C F	A C F
A C G	A C G
A D E	A C H
A D F	A D E
A D G	A D F
A E F	A D G
A E G	A D H
A F G	A E F
B C D	A E G
B C E	A E H
B C F	A F G
B C G	A F H
B D E	A G H
B D F	B C D
B D G	B C E
B E F	B C F
B E G	B C G
B F G	B C H
C D E	B D E
C D F	B D F
C D G	B D G
C E F	B D H
C E G	B E F
C F G	B E G
D E F	B E H
D E G	B F G
D F G	B F H
E F G	B G H
	C D E
	C D F
	C D G
	C D H
	C E F
	C E G
	C E H
	C F G
	C F H
	C G H
	D E F
	D E G
	D E H
	D F G
	D F H
	D G H
	E F G
	E F H
	E G H
	F G H

&c.

GFI	ACK	AHK	AQV	BGI	BOQ	CGP	CPR	DIM	EFN	EMV	FKQ
CFK	ACL	AHL	ARS	BGK	BOR	CGQ	CPS	DIN	EFO	ENO	FKR
CGH	ACM	AHM	ART	BGL	BOS	CGR	CPT	DIO	EFP	ENP	FKS
CGI	ACN	AHN	AST	BGM	BOT	CGS	CPV	DIP	EFQ	ENQ	FKT
CGK	ACO	AHO	ASV	BGN	BOV	CGT	CQR	DIQ	EFR	ENR	FKV
CHI	ACP	AHP	ATV	BGO	BPQ	CGV	CQS	DIR	EFS	ENS	FLM
CHK	ACQ	AHQ	BCD	BGP	BPR	CHI	CQT	DIS	EFT	ENT	FLN
CIK	ACR	AHR	BCE	BGQ	BPS	CHK	CQV	DIT	EFV	ENV	FLO
DEF	ACS	AHS	BCF	BGR	BPT	CHL	CRS	DIV	EGH	EOP	FLP
DEG	ACT	AHT	BCG	BGS	BPV	CHM	CRT	DKL	EGI	EOQ	FLQ
DEH	ACV	AHV	BCH	BGT	BQR	CHN	CRV	DKM	EGK	EOR	FLR
DEI	ADE	AIK	BCI	BGV	BQS	CHO	CST	DKN	EGL	EOS	FLS
DEK	ADF	AIL	BCK	BHI	BQT	CHP	CSV	DKO	EGM	EOT	FLT
DFG	ADG	AIM	BCL	BHK	BQV	CHQ	CTV	DKP	EGN	EOV	FLV
DFH	ADH	AIN	BCM	BHL	BRS	CHR	DEF	DKQ	EGO	EPQ	FMN
DFI	ADI	AIO	BCN	BHM	BRT	CHS	DEG	DKR	EGP	EPR	FMO
DFK	ADK	AIP	BCO	BHN	BRV	CHT	DEH	DKS	EGQ	EPS	FMP
DGH	ADL	AIQ	BCP	BHO	BST	CHV	DEI	DKT	EGR	EPT	FMQ
DGI	ADM	AIR	BCQ	BHP	CDE	CIK	DEK	DKV	EGS	EPV	FMR
DGK	ADN	AIS	BCR	BHQ	CDF	CIL	DEL	DLM	EGT	EQR	FMS
DHI	ADO	AIT	BCS	BHR	CDG	CIM	DEM	DLN	EGV	EQS	FMT
DHK	ADP	AIV	BCT	BHS	CDH	CIN	DEN	DLO	EHI	EQT	FMV
DIK	ADQ	AKL	BCV	BHT	CDI	CIO	DEO	DLP	EHK	EQV	FNO
EFG	ADR	AKM	BDE	BHV	CDK	CIP	DEP	DLQ	EHL	ERS	FNP
EFH	ADS	AKN	BDF	BIK	CDL	CIQ	DEQ	DLR	EHM	ERT	FNQ
EFI	ADT	AKO	BDG	BIL	CDM	CIR	DER	DLS	EHN	ERV	FNR
EFK	ADV	AKP	BDH	BIM	CDN	CIS	DES	DLT	EHO	EST	FNS
EGH	AEF	AKQ	BDI	BIN	CDO	CIT	DET	DLV	EHP	ESV	FNT
EGI	AEG	AKR	BDK	BIO	CDP	CIV	DEV	DMN	EHQ	ETV	FNV
EGK	AEH	AKS	BDL	BIP	CDQ	CKL	DFG	DMO	EHR	FGH	FOP
EHI	AEI	AKT	BDM	BIQ	CDR	CKM	DFH	DMP	EHS	FGI	FOQ
EHK	AEK	AKV	BDN	BIR	CDS	CKN	DFI	DMQ	EHT	FGK	FOR
EIK	AEL	ALM	BDO	BIS	CDT	CKO	DFK	DMR	EHV	FGL	FOS
FGH	AEM	ALN	BDP	BIT	CDV	CKP	DFL	DMS	EIK	FGM	FOT
FGI	AEN	ALO	BDQ	BIV	CEF	CKQ	DFM	DMT	EIL	FGN	FOV
FGK	AEO	ALP	BDR	BKL	CEG	CKR	DFN	DMV	EIM	FGO	FPQ
FHI	AEP	ALQ	BDS	BKM	CEH	CKS	DFO	DNO	EIN	FGP	FPR
FHK	AEQ	ALR	BDT	BKN	CEI	CKT	DFP	DNP	EIO	FGQ	FPS
FIK	AER	ALS	BDV	BKO	CEK	CKV	DFQ	DNQ	EIP	FGR	FPT
GHI	AES	ALT	BEF	BKP	CEL	CLM	DFR	DNR	EIQ	FGS	FPV
GHK	AET	ALV	BEG	BKQ	CEM	CLN	DFS	DNS	EIR	FGT	FQR
GIK	AEV	AMN	BEH	BKR	CEN	CLO	DFT	DNT	EIS	FGV	FQS
HIK	AFG	AMO	BEI	BKS	CEO	CLP	CFV	DNV	EIT	FHI	FQT
	AFH	AMP	BEK	BKT	CEP	CLQ	DGH	DOP	EIV	FHK	FQV
20.	AFI	AMQ	BEL	BKV	CEQ	CLR	DGI	DOQ	EKL	FHL	FRS
	AFK	AMR	BEM	BLM	CER	CLS	DGK	DOR	EKM	FHM	FRT
ABC	AFL	AMS	BEN	BLN	CES	CLT	DGL	DOS	EKN	FHN	FRV
ABD	AFM	AMT	BEO	BLO	CET	CLV	DGM	DOT	EKO	FHO	FST
ABE	AFN	AMV	BEP	BLP	CEV	CMN	DGN	DOV	EKP	FHP	FSV
ABF	AFO	ANO	BEQ	BLQ	CFG	CMO	DGO	DPQ	EKQ	FHQ	FTV
ABG	AFP	ANP	BER	BLR	CFH	CMP	DGP	DPR	EKR	FHR	GHI
ABH	AFQ	ANQ	BES	BLS	CFI	CMQ	DGQ	DPS	EKS	FHS	GHK
ABI	AFR	ANR	BET	BLT	CFK	CMR	DGR	DPT	EKT	FHT	GHL
ABK	AFS	ANS	BEV	BLV	CFL	CMS	DGS	DPV	EKV	FHV	GHM
ABL	AFT	ANT	BFG	BMN	CFM	CMT	DGT	DQR	ELM	FIK	GHN
ABM	AFV	ANV	BFH	BMO	CFN	CMV	DGV	DQS	ELN	FIL	GHO
ABN	AGH	AOP	BFI	BMP	CFO	CNO	DHI	DQT	ELO	FIM	GHP
ABO	AGI	AOQ	BFK	BMQ	CFP	CNP	DHK	DQV	ELP	FIN	GHQ
ABP	AGK	AOR	BFL	BMR	CFQ	CNQ	DHL	DRS	ELQ	FIO	GHR
ABQ	AGL	AOS	BFM	BMS	CFR	CNR	DHM	DRT	ELR	FIP	GHS
ABR	AGM	AOT	BFM	BMT	CFS	CNS	DHN	DRV	ELS	FIQ	GHT
ABS	AGN	AOV	BFN	BMV	CFT	CNT	DHO	DST	ELT	FIR	GHV
ABT	AGO	APQ	BFO	BNO	CFV	CNV	DHP	DSV	ELV	FIS	GIK
ABV	AGP	APR	BFP	BNP	CGH	COP	DHQ	DTV	EMN	FIT	GIL
ACD	AGQ	APS	BFQ	BNQ	CGI	COQ	DHR	EFG	EMO	FIV	GIM
ACE	AGR	APT	BFR	BNR	CGK	COR	DHS	EFH	EMP	FKL	GIN
ACF	AGS	APV	BFS	BNS	CGL	COS	DHT	EFI	EMQ	FKM	GIO
ACG	AGT	AQR	BFT	BNT	CGM	COT	DHV	EFK	EMR	FKN	GIP
ACH	AGV	AQS	BFV	BNV	CGN	COV	DIK	EFL	EMS	FKO	GIQ
ACI	AHI	AQT	BGH	BOP	CGO	CPQ	DIL	EFM	EMT	FKP	GIR

GIS

G I S	G M V	G T V	H L T	H Q S	I M O	I R S	K N V	L M V	M N O	N O Q	O R S	
G I T	G N O	H I K	H L V	H Q T	I M P	I R T	K O P	L N O	M N P	N O R	O R T	
G I V	G N P	H I L	H M N	H Q V	I M Q	I R V	K O Q	L N P	M N Q	N O S	O R V	
G K L	G N Q	H I M	H M O	H R S	I M R	I S T	K O R	L N Q	M N R	N O T	O S T	
G K M	G N R	H I N	H M P	H R T	I M S	I S V	K O S	L N R	M N S	N O V	O S V	
G K N	G N S	H I O	H M Q	H R V	I M T	I T V	K O T	L N S	M N T	N P Q	O T V	
G K O	G N T	H I P	H M R	H S T	I M V	K L M	K O V	L N T	M N V	N P R	P Q R	
G K P	G N V	H I Q	H M S	H S V	I N O	K L N	K P Q	L N V	M O P	N P S	P Q S	
G K Q	G O P	H I R	H M T	H T V	I N P	K L O	K P R	L O P	M O Q	N P T	P Q T	
G K R	G O Q	H I S	H M V	I K L	I N Q	K L P	K P S	L O Q	M O R	N P V	P Q V	
G K S	G O R	H I T	H N O	I K M	I N R	K L Q	K P T	L O R	M O S	N Q R	P R S	
G K T	G O S	H I V	H N P	I K N	I N S	K L R	K P V	L O S	M O T	N Q S	P R T	
G K V	G O T	H K L	H N Q	I K O	I N T	K L S	K Q R	L O T	M O V	N Q T	P R V	
G L M	G O V	H K M	H N R	I K P	I N V	K L T	K Q S	L O V	M P Q	N Q V	P S T	
G L N	G P Q	H K N	H N S	I K Q	I O P	K L V	K Q T	L P Q	M P R	N R S	P S V	
G L O	G P R	H K O	H N T	I K R	I O Q	K M N	K Q V	L P R	M P S	N R T	P T V	
G L P	G P S	H K P	H N V	I K S	I O R	K M O	K R S	L P S	M P T	N R V	Q R S	
G L Q	G P T	H K Q	H O P	I K T	I O S	K M P	K R T	L P T	M P V	N S T	Q R T	
G L R	G P V	H K R	H O Q	I K V	I O T	K M Q	K R V	L P V	M Q R	N S V	Q R V	
G L S	G Q R	H K S	H O R	I L M	I O V	K M R	K S T	L Q R	M Q S	N T V	Q S T	
G L T	G Q S	H K T	H O S	I L N	I P Q	K M S	K S V	L Q S	M Q T	O P Q	Q S V	
G L V	G Q T	H K V	H O T	I L O	I P R	K M T	K T V	L Q T	M Q V	O P R	Q T V	
G M N	G Q V	H L M	H O V	I L P	I P S	K M V	L M N	L Q V	M R S	O P S	R S T	
G M O	G R S	H L N	H P Q	I L Q	I P T	K N O	L M O	L R S	M R T	O P T	R S V	
G M P	G R T	H L O	H P R	I L R	I P V	K N P	L M P	L R T	M R V	O P V	R T V	
G M Q	G R V	H L P	H P S	I L S	I Q R	K N Q	L M Q	L R V	M S T	O Q R	S T V	
G M R	G S T	H L Q	H P T	I L T	I Q S	K N R	L M R	L S T	M S V	O Q S		
G M S	G S V	H L R	H P V	I L V	I Q T	K N S	L M S	L S V	M T V	O Q T	21	
G M T		H L S	H Q R	I M N	I Q V	K N T	L M T	L T V	N O P	O Q V	&c.	

TABVLA IV.

Exhibens omnes quaternarios ex quouis numero terminorum in illa dato possibiles penes differentiam solius substantiæ. 83

	B D E F	B D E F	A C D H	B D F H	A B D E	A D E G	B C G H	C D G I				
4.	C D E F	B D E G	A C E F	B D G H	A B D F	A D E H	B C G I	C D H I				
		B D F G	A C E G	B E F G	A B D G	A D E I	B C H I	C E F G				
	7.	B D F G	A C E H	B E F H	A B D H	A D F G	B D E F	C E F H				
A B C D		C D E F	A C F G	B E G H	A B D I	A D F H	B D E G	C E F I				
	AB CD	C D E G	A C F H	B F G H	A B E F	A D F I	B D E H	C E G H				
5.	A B C E	C D F G	A C G H	C D E F	A B E G	A D G H	B D E I	C E H I				
	A B C F	C E F G	A D E F	C D E G	A B E H	A D G I	B D F G	C F G H				
	AB CG	D E F G	A D E G	C D E H	A B E I	A D H I	B D F H	C F G I				
A B C D	A B D E		A D E H	C D F G	A B F G	A E F G	B D F I	C F H I				
A B C E	A B D F	8.	A D F G	C D F H	A B F H	A E F H	B D G H	C G H I				
A B D E	A B D G		A D F H	C D G H	A B F I	A E F I	B D G I	D E F G				
A C D E	A B E F		A D G H	C E F G	A B G H	A E G H	B D H I	D E F H				
B C D E	A B E G	A B C D	A E F G	C E F H	A B G I	A E G I	B E F G	D E F I				
	A B F G	A B C E	A E F H	C E G H	A B H I	A E H I	B E F H	D E G H				
6.	A C D E	A B C F	A E G H	C F G H	A C D E	A F G H	B E F I	D E G I				
	A C D F	A B C G	A F G H	D E F G	A C D F	A F G I	B E G H	D E H I				
	A C D G	A B C H	B C D E	D E F H	A C D G	A F H I	B E G I	D F G H				
A B C D	A C E F	A B D E	B C D F	D E G H	A C D H	A G H I	B E H I	D F G I				
A B C E	A C E G	A B D F	B C D G	D F G H	A C D I	B C D E	B F G H	D F H I				
A B C F	A C F G	A B D G	B C D H	E F G H	A C E F	B C D F	B F G I	D G H I				
A B D E	A D E F	A B D H	B C E F		A C E G	B C D G	B F H I	E F G H				
A B D F	A D E G	A B E F	B C E G	9.	A C E H	B C D H	B G H I	E F G I				
A B E F	A D F G	A B E G	B C E H		A C E I	B C D I	C D E F	E F H I				
A C D E	A E F G	A B E H	B C F G		A C F G	B C E F	C D E G	E G H I				
A C D F	B C D E	A B F G	B C F H	A B C D	A C F H	B C E G	C D E H	F G H I				
A C E F	B C D F	A B F H	B C G H	A B C E	A C F I	B C E H	C D E I					
A D E F	B C D G	A B G H	B D E F	A B C F	A C G H	B C E I	C D F G	10.				
B C D E	B C E F	A C D E	B D E G	A B C G	A C G I	B C F G	C D F H					
B C D F	B C E G	A C D F	B D E H	A B C H	A C H I	B C F H	C D F I					
B C E F	B C F G	A C D G	B D F G	A B C I	A D E F	B C F I	C D G H	&c				

TABVLA V.

84 *Exhibens omnes quinarios ex quouis numero terminorum in illâ dato posſibiles penes differentiam ſolius ſubſtantiæ.*

	ACDEG	ABEFG	BDEFH	ABDEG	ACEFH	BCDFI	CDEFH
	ACDFG	ABEFH	BDEGH	ABDEH	ACEFI	BCDGH	CDEFI
5	ACEFG	ABEGH	BDFGH	ABDEI	ACEGH	BCDGI	CDEGH
	ADEFG	ABFGH	BEFGH	ABDFG	ACEGI	BCDHI	CDEGI
ABCDE	BCDEF	ACDEF	CDEFG	ABDFH	ACEHI	BCEFG	CDEHI
	BCDEG	ACDEG	CDEFH	ABDFI	ACFGH	BCEFH	CDFGH
6	BCDFG	ACDEH	CDEGH	ABDGH	ACFGI	BCEFI	CDFGI
	BCEFG	ACDFG	CDFGH	ABDGI	ACFHI	BCEGH	CDFHI
	BDEFG	ACDFH	CEFGH	ABDHI	ACGHI	BCEGI	CDGHI
ABCDE	CDEFG	ACDGH	DEFGH	ABEFG	ADEFG	BCEHI	CEFGH
ABCDF		ACEFG		ABEFH	ADEFH	BCFGH	CEFGI
ABCEF	8	ACEFH	9	ABEFI	ADEFI	BCFGI	CEFHI
ABDEF		ACEGH		ABEGH	ADEGH	BCFHI	CEGHI
ACDEF		ACFGH		ABEGI	ADEGI	BCGHI	CFGHI
BCDEF	ABCDE	ADEFG	ABCDE	ABEHI	ADEHI	BDEFG	DEFGH
	ABCDF	ADEFH	ABCDF	ABFGH	ADFGH	BDEFH	DEFGI
7	ABCDG	ADEGH	ABCDG	ABFGI	ADFGI	BDEFI	DEFHI
	ABCDH	ADFGH	ABCDH	ABFHI	ADFHI	BDEGH	DEGHI
	ABCEF	AEFGH	ABCDI	ABGHI	ADGHI	BDEGI	DFGHI
ABCDE	ABCEG	BCDEF	ABCEF	ACDEF	AEFGH	BDEHI	EFGHI
ABCDF	ABCEH	BCDEG	ABCEG	ACDEG	AEFGI	BDFGH	
ABCDG	ABCFG	BCDEH	ABCEH	AGDEH	AEFHI	BDFGI	
ABCEF	ABCFH	BCDFG	ABCEI	ACDEI	AEGHI	BDFHI	10.
ABCEG	ABCGH	BCDFH	ABCFI	ACDFG	AFGHI	BDGHI	
ABCFG	ABDEF	BCDGH	ABCFH	ACDFH	BCDEF	BEFGH	
ABDEF	ABDEG	BCEFG	ABCFI	ACDFI	BCDEG	BEFGI	&c.
ABDEG	ABDEH	BCEFH	ABCGH	ACDGH	BCDEH	BEFHI	
ABDFG	ABDFG	BCEGH	ABCGI	ACDGI	BCDEI	BEGHI	
ABEFG	ABDFH	BCFGH	ABCHI	ACDHI	BCDFG	BEGHI	
ACDEF	ABDGH	BDEFG	ABDEF	ACEFG	BCDFH	CDEFG	

85 Quo eodem pacto vnuſquiſque poterit tum tabulas iſtas quantùm voluerit extendere, tum alias conficere, quæ ſuperſunt ſenariorum, ſeptenariorum, octonariorum, &c. quas idcirco non addimus; & quia non multum vſum habent in ſcientiis. In quibus vt plurimùm ſat eſt terminos combinare vſque ad quaternarios, vel quinarios.

86 Vnde perſpicies, quam promptè per vnicam tabulam exhibeantur omnes binarij, vel quaternarij, vel quinarij poſſibiles, & deinceps, ex quouis terminorum numero dato abſque myſteriis rotarum, & circulorum mobilium, & immobilium, & cæterarum formarum Artis Raymundi Lullij. Per quæ omnia vix binariorum, & ternariorum ex paucis quibuſdam terminis haberi poteſt cum non mediocri labore combinatio adæquata.

87 Iam vero regula generalis ad combinandum ſine tabulis quoſuis terminos datos combinatione, de quâ agimus, ex tabulis ipſis eſt deſumenda. Alia namque non eſt abeâ, quæ docet comparare mentaliter, & citra ſcriptionem terminos combinandos eodem ordine, quo ſunt in tabulis comparati, & deſcripti. Quod facile fiet poſito ob oculos catalogo terminorum combinandorum propriis vocabulis deſcriptorum; notatorum tamen inſuper litteris Alphabeti hoc ordine. Vti cernitur in ſequente catalogo locorum terminorum communium, quos *ſup. diſp.* 18. *q.* 2. pro omnibus ſcientiis ad eundos, atque combinandos ſelegimus.

A —— Eſſentia.
B —— Bonitas.
C —— Vnitas.
D —— Exiſtentia.
E —— Diſtinctio.
F —— Potentia.
G —— Quantitas.
H —— Totum.
I —— Oppoſitio.
K —— Connexio.
L —— Similitudo.
M —— Cauſa.
N —— Cognitio.
O —— Exigentia.
P —— Appetitus
Q —— Ordo.
R —— Vbi.
S —— Quando.
T —— Quomodo.
V —— Cum quo.

Ita enim terminis quibuſque propoſitis, non difficile poterunt percurri mentaliter primò omnes binarij; deinde omnes ternarij; poſtmodum omnes quaternarij, aut etiam quinarij ex eis poſſibiles eodem ordine, quo totidem litteræ in tabulis præcedentibus aut ſunt de facto combinatæ, aut poſſent pariter combinari. Pro quo mentalis combinationis genere vſus & praxis repetita dabit facilitatem, & promptitudinem.

Pro

Propositio 2.

Combinationes absolutæ secundæ speciei penes differentiam solius positionis terminorum ex quouis eorum numero dato possibiles tum per tabulam, tum per generalem regulam ex eâ deductam effici possunt.

Tabula autem est, vt sequitur.

TABVLA VI.

Exhibens omnes variationes numeri terminorum in eâ dati possibiles, penes differentiam solius positionis. 89

2.	3.	4.	5.	6.
ACDB	AEBCD	BEDAC	CADEB	DBCEA	EBACD
ACBD	AEBDC	BEDCA	CADBE	DBCAE	EBADC
ADBC	AECDB	BACDE	CAEBD	DBEAC	ECDAB
ADCB	AECBD	BACED	CAEDB	DBECA	ECDBA
AB	BCDA	ABCDE	AEBDC	BADEC	CBDEA	DBACE	ECABD
BA	BCAD	ABCED	AEDCB	BADCE	CBDAE	DBAEC	ECADB
	BDAC	ABDEC	BCDBA	BAECD	CBEAD	DCEAB	ECBDA
3.	BDCA	ABDCE	BCDAE	BAEDC	CBEDA	DCEBA	ECBAD
	BACD	ABECD	BCEAD	CDEAB	CBADE	DCABE	EDABC
	BADC	ABEDC	BCEDA	CDEBA	CBAED	DCAEB	EDACB
ABC	CDAB	ACDEB	BCADE	CDABE	DEABC	DCBEA	EDBCA
ACB	CDBA	ACDBE	BCAED	CDAEB	DEACB	DCBAE	EDBAC
BCA	CABD	ACEBD	BDEAC	CDBEA	DEBCA	EABCD	EDCAB
BAC	CADB	ACEDB	BDECA	CDBAE	DEBAC	EABDC	EDCBA
CAB	CBDA	ACBDE	BDACE	CEABD	DECAB	EACDB	
CBA	CBAD	ACBED	BDAEC	CEADB	DECBA	EACBD	
	DABC	ADEBC	BDCAE	CEBDA	DABCE	EADBC	
4.	DACB	ADECB	BDCEA	CEBAD	DABEC	EADCB	
	DBCA	ADBCE	BEACD	CEDAB	DACEB	EBCDA	
	DBAC	ADBEC	BEADC	CEDBA	DACBE	EBCAD	&c.
ABCD	DCAB	ADCEB	BECDA	CABDE	DAEBC	EBDAC	
ABDC	DCBA	ADCBE	BECAD	CABED	DAECB	EBDCA	

Ponimus autem in eâ solos quatuor numeros terminorum quoad eorum positionem variandos, nempe 2. 3. 4. & 5. tum quia id satis est ad exemplum; tum quia hæc combinatio vix potest commodè habere vsum in scientiis vltra numerum 5. terminorum.

91 Regula autem generalis ad practicè citra tabulam tum istorum numerorum, tum quorumuis aliorum terminos quoad positionem variandos omnibus modis possibilibus ex ipsâ tabulâ sumenda est. Inspecto enim & obseruato ordine, quo litteræ in eâ variantur, facilè erit quosuis terminos cuiusuis numeri similiter variare, vt nulla variatio possibilium prætermittatur.

Propositio 3.

92 Tam facile est, facere combinationes absolutas penes differentiam solius repetitionis terminorum ex quouis eorum numero dato possibiles, suppositis, quæ de illis sunt dicta *quæst. 2. propo. 3.* vt opus non sit ad id præstandum regulam aliquam hîc præscribere præter dicta *ibi*. Præsertim cum ista combinationis species vix vsum vllum habeat in scientiis.

Propositio 4.

Combinationes absolutæ quartæ speciei penes 93
differentias substantiæ, & positionis terminorum ex quouis eorum numero dato possibiles tum per tabulas exhibentes omnes binarios, ternarios, quaternarios, &c. tum per generales regulas sine tabulis fieri possunt.

Sunt autem tabulæ in hunc modum.

TABVLA VII.

94 *Exhibens omnes binarios ex quouis numero terminorum in eâ dato posſibiles, penes differentias ſubſtantiæ & poſitionis.*

2	BA	AC	CD	AC	CA	DE	AB	BD	CF	EB	FD	AE	BF	CG	EA	FB	GC
	BC	AD	DA	AD	CB	EA	AC	BE	DA	EC	FE	AF	BG	DA	EB	FC	GD
AB	CA	BA	DB	AE	CD	EB	AD	BF	DB	ED	7	AG	CA	DB	EC	FD	GE
BA	CB	BC	DC	BA	CE	EC	AE	CA	DC	EF		BA	CB	DC	ED	FE	GF
3		BD		BC	DA	ED	AF	CB	DE	FA	AB	BC	CD	DE	EF	FG	
AB	4	CA	5	BD	DB		BA	CD	DF	FB	AC	BD	CE	DF	EG	GA	8
AC	AB	CB	AB	BE	DC	6	BC	CE	EA	FC	AD	BE	CF	DG	FA	GB	&c.

TABVLA VIII.

95 *Exhibens omnes ternarios ex quouis numero terminorum in ea dato posſibiles penes differentias ſubſtantiæ & poſitionis.*

3	ACB	DBC	AEB	CDB	DBE	6	AEB	BEC	CED	DFA	EFB	EDB	FDC
	ADB	DBA	AEC	CEA	DBA		AEC	BED	CFA	DFB	EFC	EDC	FBA
	ADC	DCA	AED	CEB	DCE		AED	BFA	CFB	DFC	EFD	FAB	FEB
	BCD	DCB	BCD	CED	DCA		AFB	BFC	CFD	DFE	EAB	FAC	FEC
ABC	BCA		BCE	CAB	DCB	ABC	AFC	BFD	CFE	DAB	EAC	FAD	FED
ACB	BDA	5	BCA	CAD	EAB	ABD	AFD	BFE	CAB	DAC	EAD	FAE	
BAC	BDC		BDE	CAE	EAC	ABE	AFE	BAC	CAD	DAE	EAF	FBC	
BCA	BAC		BDA	CBD	EAD	ABF	BCD	BAD	CAE	DAF	EBC	FBD	7
CAB	BAD	ABC	BDC	CBE	EBC	ACD	BCE	BAE	CAF	DBC	EBD	FBE	
CBA	CDA	ABF	BEA	CBA	EBD	ACE	BCF	BAF	CBD	DBE	EBF	FBA	
	CDB	ABE	BEC	DEA	EBA	ACF	BCA	CDE	CBE	DBF	EBA	FCD	&c.
4	CAB	ACD	BED	DEB	ECD	ACB	BDE	CDF	CBF	DBA	ECD	FCE	
	CAD	ACE	BAC	DEC	ECA	ADE	BDF	CDA	CBA	DCE	ECF	FCA	
	CBD	ACB	BAD	DAB	ECB	ADF	BDA	CDB	DEF	DCF	ECA	FCB	
ABC	CBA	ADE	BAE	DAC	EDA	ADB	BDC	EF	DEA	DCA	ECB	FDE	
ABD	DAB	ADB	CDE	DAE	EDB	ADC	BEF	CEA	DEB	DCB	EDF	FDA	
ACD	DAC	ADC	CDA	DBC	EDC	AEF	BEA	CEB	DEC	EFA	EDA	FDB	

TABVLA IX.

96 *Exhibens omnes quaternarios ex quouis numero terminorum in eâ dato posſibiles penes differentias ſubſtantiæ, & poſitionis.*

4	ACEB	BCAE	CDAB	CBAE	DCAB	ECBA	ABFD	ADBE	AFCE
	ACED	BDEA	CDAE	DEAB	DCAE	EDAB	ABFE	ADBF	AFCB
	ACBD	BDEC	CDBE	DEAC	DCBE	EDAC	ACDE	ADCE	AFDE
	ACBE	BDAC	CDBA	DEBC	DCBA	EDBC	ACDF	ADCF	AFDB
ABCD	ADEB	BDAE	CEAB	DEBA	EABC	EDBA	ACDB	ADCB	AFDC
ABDC	ADEC	BDCE	CEAD	DECA	EABD	EDCA	ACEF	AEFB	AFEB
&cætera vt in tabula 6.	ADBC	BDCA	CEBD	DECB	EACD	EDCB	ACEB	AEFC	AFEC
	ADBE	BEAC	CEBA	DABC	EACB		ACED	AEFD	AFED
	ADCE	BEAD	CEDA	DABE	EADB	6	ACFB	AEBC	BCDE
	ADCB	BECD	CEDB	DACE	EADC		ACFD	AEBD	BCDF
5	AEBC	BECA	CABD	DACB	EBCD		ACFE	AEBF	BCDA
	AEBD	BEDA	CABE	DAEB	EBCA	ABCD	ACBD	AECD	BCEF
	AECD	BEDC	CADE	DAEC	EBDA	ABCE	ACBE	AECF	Pariterque vſque ad finem numeri 6.
ABCD	AECB	BACD	CADB	DBCE	EBDC	ABCF	ACBF	AECB	
ABCE	AEDB	BACE	CAEB	DBCA	EBAC	ABDE	ADEF	AEDF	
ABDE	AEDC	BADE	CAED	DBEA	EBAD	ABDF	ADEB	AEDB	
ABDC	BCDE	BADB	CBDE	DBEC	ECDA	ABDC	ADEC	AEDC	
ABEC	BCDA	BAEC	CBDA	DBAD	ECDB	ABEF	ADFB	AFBC	
ABED	BCEA	BAED	CBEA	DBAE	ECAB	ABEC	ADFC	AFBD	
ACDE	BCED	CDEA	CBED	DCEA	ECAD	ABED	ADFE	AFBE	&c.
ACDB	BCAD	CDBB	CBAD	DCEB	ECBD	ABFC	ADBC	AFCD	

96 Eodem pacto faciet quiſque tabulam quinariorum, & cæteras ſi libuerit. Tum aliter per tabulas quadratorum poſſunt combinationes iſtæ fieri. Pro binariis quidem ex dato quouis terminorum numero poſſibilibus ponendo terminos omnes in primâ columnâ tranſuersâ tabulæ, atque etiam in primâ deſcendente, iungendóque ſingulos ſingulis in quadratis communibus columnis à ſingulis inciPientibus, præterquam in eis vbi concurrunt, qui ſunt exactè ſimiles, vt cernitur in ſequente tabulâ binariorum poſſibilium ex quatuor terminis.

TABVLA

TABVLA X.

Exhibens aliter omnes binarios ex numero 4. terminorum possibiles, penes differentiam substantiæ & positionis. 98

	A	B	C	D
A		AB	AC	AD
B	BA		BC	BD
C	CA	CB		CD
D	DA	DB	DC	

99 Pro ternariis autem ex eisdem 4. terminis possibilibus ponentur iidem termini in primâ columnâ transuersâ tabulæ, & binarij iam reperti in primâ descendente, iungentúrque illi his omnibus præterquam in quadratis, vbi aliquis terminus erat repetendus: cætera quippe quadrata dabunt omnes ternarios possibiles, vt cernitur in tabulâ sequente.

TABVLA XI.

Exhibens aliter omnes ternarios ex numero 4. terminorum possibiles penes differentias substantiæ & positionis. 100

	A	B	C	D
AB			ABC	ABD
AC		ACB		ACD
AD		ADB	ADC	
BA			BAC	BAD
BC	BCA			BCD
BD	BDA		BDC	
CA		CAB		CAD

CB

C B	C B A			C B D
C D	C D A	C D B		
D A		D A B	D A C	
D B	D B A		D B C	
D C	D C A	D C B		

101 Pariterque pro quaternariis ponentur iidem termini simplices in primâ columnâ transuersâ, & ternarij reperti in primâ descendente, iungenturque similiter. Et sic deinceps pro quinariis, &c.

102 Regulæ autem generales ad istas combinationes faciendas mentaliter sine tabulis duæ desumi possunt. Alteram ex tabulis prioris generis. Alteram ex tabulis posterioris. Quas facilè vnusquisque assequetur, inspectis attentè ordinibus, quibus in ipsis pro iisdem construendis sunt positæ litteræ.

Propositio 5.

Combinationes absolutæ quintæ speciei penes 103 differentias substantiæ & repetitionis terminorum ex quouis eorum numero dato possibiles tum per tabulas exhibentes omnes binarios, ternarios, quaternarios, &c. tum per generales regulas sine tabulis fieri possunt.

Suppono ex dictis *q. 2. propos. 5.* combinationes huius speciei ex quouis terminorum numero dato possibiles infinitas esse. Tametsi binarij, ternarij, quaternarij, &c. inter se differentes sumpti seorsim finiti sint. Pro quibus subinde damus tabulas regulásque sequentes.

TABVLA XII.

104 *Exhibens omnes binarios ex quouis numero terminorum in eâ dato possibiles penes differentias substantiæ, & repetitionis.*

2.	3.										
A A	A A	B B	A A	C C	A A	B D	D D	A C	B E	D E
A B	A B	B C	A B	C D	A B	B E		A D	B F	D F
B B	A C	C C	A C	D D	A C	C C	6.	A E	C C	E E
			A D		A D	C D		A F	C D	E F
		4.	B B	5.	A E	C E		B B	C E	7.
			B C		B B	D D	A A	B C	C F	&c.
			B D		B C	D E	A B	B D	D D	

TABVLA

TABVLA XIII.

Exhibens omnes ternarios ex quouis numero terminorum in eâ dato possibiles penes differentias substantiæ, & repetitionis. 105

3	4	5	6	7
AAA	AAA	AAA	AAB	ABF
AAB	AAB	AAB	AAC	ACD
AAC	AAC	AAC	AAD	ACE
ABC	AAD	AAD	AAE	ACF
BBB	ABC	AAE	AAF	ADE
BBC	ABD	ABC	ABB	ADF
BBA	ACD	ABD	ABC	AEF
CCC	BBB	ABE	ABD	BBB
CCA	CCB	ACD	ABE	BBC
CCB	CCC	ACE	ABF	BBD
CAB	CCD	BBB	ACC	BBE
BAA	CCA	BBC	ACD	BBF
BAB	CAB	BBD	ACE	BCD
BAC	CBB	BBE	ACF	BCE
BCC	CBC	BCC	ADD	BCF
BBD	CBA	BCD	ADE	BDD
BCD	CAA	BCE	ADF	BDE
CCD	CAC	BDE	AEE	BDF
CCA	CBB	CCC	AEF	CCC
CCB	CBC	CCD	BBB	CCD
DDD	CBA	CCE	BBC	CCE
DDA	CAA	CDE	BBD	CDF
DDB	CAC	DDD	BBE	CEE
DDC	CAB	DDE	BBF	CEF
	CBB	EEE	BCC	DDD
	CBC	EEA	BCD	DDE
	CBA	EEB	BCE	DDF
	CAA	EEC	BCF	DEE
	CAC	EED	BDD	DEF
	CAB	EEF	BDE	EEE
	CBB		BDF	&c.
	CBC		BEE	
	CBA		BEF	
	CAA		CCC	
	CAC		CCD	
	CAB		CCE	
	CBB		CCF	
	CBC		CDD	
	CBA		CDE	
	CAA		CDF	
	CAC		CEE	
	CAB		CEF	
	CBB		DDD	
	CBC		DDE	
	CBA		DDF	
	CAA		DEE	
	CAC		DEF	
	CAB		EEE	
	CBB		EEF	
	CBC			
	CBA			
	CAA			
	CAC			
	CAB			
	CBB	

TABVLA XV.

110 *Exhibens omnes variationes numeri terminorum in eâ dati possibiles penes differentias positionis, & repetitionis, quando in numero dato vnus terminus ponitur ter.*

	ABAA	AAABC	ABCAA	BCAAA	CAABA	
	BAAA	AAACB	ACBAA	BACAA	CAAAB	
4		AAACA	ABACA	BAACA		
	5	AACBA	ACABA	BAAAC	6	
AAAB		AABAC	ABAAC	CBAAA		
AABA		AACAB	ACAAB	CABAA	&c.	

TABVLA XVI.

111 *Exhibens omnes variationes numeri terminorum in eâ dati possibiles penes differentias substantiæ, & positionis, & repetitionis, quando in numero dato duo termini ponuntur bis.*

	BABA	ABACB	BCBAA	BAABC	
		ACABB	BBACA	BAACB	
4		ABBAC	BCABA	CBBAA	6
	5	ABCAB	BBAAC	CBABA	
AABB		ACBAB	BCAAB	CBAAB	
ABBA	AABBC	ABBCA	BABCA	CABBA	&c.
ABAB	AABCB	ABCBA	BACBA	CABAB	
BBAA	AACBB	ACBBA	BABAC	CAABB	
BAAB	ABABC	BBCAA	BACAB		

112 Ex istis autem tabulis iuxta earum diuersitatem possunt diuersæ regulæ colligi inspectis ordinibus, quibus in illis sunt litteræ positæ tum ad easdem tum ad cæteras combinationes, seu terminorum variationes possibiles cuiusuis numeri dati aliquem, aut aliquos terminos repetentis faciendas.

Propositio 7.

113 Combinationes absolutæ septimæ speciei penes differentias substantiæ, positionis, & repetitionis terminorum ex quouis eorum numero dato possibiles tum per tabulas exhibentes omnes binarios, ternarios. quaternarios, &c. tum per generales regulas sine tabulis fieri possunt.

Etsi combinationes etiam huius speciei ex quouis terminorum numero dato possibiles sint infinitæ, iuxta dicta *quæstione 2. propositt. 7.* binarij tamen inter se differentes, ternarij, quaternarij, &c. finiti sunt. Pro quibus subinde sequentes tabulas, regulasque præbemus.

TABVLA XVII.

114 *Exhibens omnes binarios ex quouis numero terminorum in eâ dato possibiles, penes differentias substantiæ positionis, & repetitionis.*

| | | | | | |

TABVLA XVIII.

Exhibens omnes ternarios ex quouis numero terminorum in eâ dato possibiles, penes differentias substantiæ, positionis, & repetitionis. 115

		B A C	C C C	A C C	B C B	C C A	D B D	A A C
		B B A		A C D	B C C	C C B	D C A	A A D
2	3	B B B		A D A	B C D	C C C	D C B	A A E
		B B C	4	A D B	B D A	C C D	D C C	A B A
A A A	A A A	B C A		A D C	B D B	C D A	D C D	A B B
A A B	A A B	B C B	A A A	A D D	B D C	C D B	D D A	A B C
A B A	A A C	B C C	A A B	B A A	B D D	C D C	D D B	A B D
A B B	A B A	C A A	A A C	B A B	C A A	C D D	D D C	A B E
B A A	A B B	C A B	A A D	B A C	C A B	D A A	D D D	Pariterque
B A B	A B C	C A C	A B A	B A D	C A C	D A B		vsque
B B A	A C A	C B A	A B B	B B A	C A D	D A C		ad finē
B B B	A C B	C B B	A B C	B B B	C B A	D A D	5	num. 5
	A C C	C B C	A B D	B B C	C B B	D B A		
&c	B A A	C C A	A C A	B B D	C B C	D B B	A A A	&c
	B A B	C C B	A C B	B C A	C B D	D B C	A A B	

TABVLA XIX.

Exhibens omnes quaternarios ex quouis numero terminorum in eâ dato possibiles penes differentias substantiæ, positionis, & repetitionis. 116

	A A A A	A C C A	B C B A	C C A A	A A C D	Pariterque vsque ad finem numeri 5.
	A A A B	A C C B	B C B B	C C A B	A A D A	
2	A A A C	A C C C	B C B C	C C A C	A A D B	
	A A B A	B A A A	B C C A	C C B A	A A D C	
A A A A	A A B B	B A A B	B C C B	C C B B	A A D D	
A A A B	A A B C	B A A C	B C C C	C C B C	A B A A	
A A B A	A A C A	B A B A	C A A A	C C C A	A B A B	
A A B B	A A C B	B A B B	C A A B	C C C B	A B A C	&c
A B A A	A A C C	B A B C	C A A C	C C C C	A B A D	
A B A B	A B A A	B A C A	C A B A		A B B A	
A B B A	A B A B	B A C B	C A B B		A B B B	
A B B B	A B A C	B A C C	C A B C	4	A B B C	
B A A A	A B B A	B B A A	C A C A		A B B D	
B A A B	A B B B	B B A B	C A C B	A A A A	A B C A	
B A B A	A B B C	B B A C	C A C C	A A A B	A B C B	
B A B B	A B C A	B B B A	C B A A	A A A C	A B C C	
B B A A	A B C B	B B B B	C B A B	A A A D	A B C D	
B B A B	A B C C	B B B C	C B A C	A A B A	A B D A	
B B B A	A C A A	B B C A	C B B A	A A B B	A B D B	
B B B B	A C A B	B B C B	C B B B	A A B C	A B D C	
	A C A C	B B C C	C B B C	A A B D	A B D D	
	A C B A	B C A A	C B C A	A A C A		
3	A C B B	B C A B	C B C B	A A C B		
	A C B C	B C A C	C B C C	A A C C		

117 Aliter (& faciliùs, cū exigui sunt numeri) possunt per tabulas quadratorum istæ combinationes haberi. Binarij quidem ex quouis numero terminorum dato possibiles, ponendo terminos ipsos numeri dati in primâ columnâ transuersâ; rursusque etiam in primâ descēdente; iungēdoque singulos singulis in quadratis communibus columnis à singulis incipientibus, vti factum est in *Tabulâ* 10. Nisi quòd hîc nullum quadratum relinquitur vacuum: quia iunguntur termini secundum omnes differentias, substantiæ scilicet positionis, & repetitionis. Ternarij verò omnes possibiles ex numero dato habebuntur, ponendo omnes binarios iam inuentos in prima columnâ descendente, & terminos eosdem numeri dati in primâ transuersâ, iungendoque singulos hos singulis illis in quadratis similiter communi

munibus, vt factum in *Tabulâ* 11. Nisi quòd hîc pariter nullum quadratum relinquitur vacuum. Quaternarij autem, ponendo ternarios inuentos in primâ columnâ descendente, & terminos eosdem numeri dati in primâ transuersâ, iungendoque hos illis simili modo. Pariterque deinceps est sedendum pro inueniendis, & exhibendis quinariis, senariis, septenariis, &c. ex eodem numero possibilibus.

118 Ad faciendas autem citra tabulas combinationes istas duæ regulæ possunt esse. Altera desumpta ex primo genere tabularum, inspectis ordinibus quibus in tabulis ipsis litteræ pro terminis subrogatæ positæ sunt. Altera facilior secundo tabularum generi consentanea, quæ talis est. Accipiantur termini dati in quouis numero, & vnusquisque eorum cæteris singulis, atque etiam sibi ipsi coniungatur mentaliter; factique erunt omnes binarij ex tali numero possibiles. Deinde accipiantur binarij facti, & vnicuique eorum singuli iidem termini coniungantur similiter; factique erunt omnes ternarij. Prætera accipiantur omnes ternarij, & vnicuique coniungantur eodemmodo singuli iidem termini; factique erunt omnes quaternarij. Acceptis autem quaternariis coniungantur pariter iidem termini; factique erunt omnes quinarij ex dato numero possibiles, & ita deinceps in infinitum.

Propositio 8.

119 Quo pacto omnes comparationes possibiles collectiuæ vnius dati numeri terminorum cum omnibus & singulis combinationibus alterius differentibus penes solam substantiam faciendæ sint, ex dictis *in præcedentibus* infertur facilè.

Tabulæ siquidem & regulæ datæ *propos.* 1. ostendunt omnes cuiusuis numeri dati talis speciei combinationes; cum quibus sigillatim adspectis promptissimum erit alterum quemuis integrum numerum totidem collectiuis comparationibus comparare. Vt est notum.

Propositio 9.

Ex præcedente propositione constat, quomodo fa- 120
ciendæ sint omnes possibiles collectiuæ comparationes omnium & singularum combinationum differentium penes solam substantiam vnius dati numeri terminorum cum altero etiam dato integro numero.

Est clarum. Quia promptum est, toties omnes & singulas combinationes vnius numeri ad integrum alterum comparare, quoties hoc comparatur ad illas.

Propositio 10.

Per vtramque itidem præcedentem propositio- 121
nem innotescit, quomodo faciendæ sint omnes possibiles collectiuæ comparationes omnium & singularum combinationum differentium penes solam substantiam vnius dati numeri terminorum cum omnibus & singulis alterius numeri dati.

Quod etiam adeo clarum est, vt nullâ maiore egeat explicatione.

Propositio 12.

Quomodo omnes comparationes possibiles diui- 122
uisiuæ vnius dati numeri terminorum integrè sumpti cum omnibus & singulis combinationibus differentibus penes solam substantiam alterius numeri etiam dati faciendæ sunt tum per tabulas, tum per regulam ex eis desumendam ostenditur.

Tres tabulas in exemplum ponemus primam exhibentem 9. compariationes possibiles numeri 2. terminorum ad 3. Secundam 27. possibiles numeri 3 ad 3. Tertiam 81. possibiles numeri 4. ad 3. vti constat ex tabulâ 12. datâ *sup. q.* 1. Ex quibus tabulis attentè inspectis poterit generalis regula colligi tum ad easdem sine tabulis, tum ad cæteras cuiusuis numeri ad quemuis numerum combinationes possibiles conficiendas earum, de quibus est sermo in propositione.

TABVLA XX.

123 *Exhibens omnes possibiles diuisiuas comparationes integri numeri 2. terminorum cum singulis combinationibus numeri 3. differentibus penes solam substantiam.*

Sint termini A B cum C D E comparandi sic.

A B	cum	C	A	cum	C	B	cum	C
			B	cum	D	A	cum	E
A C	cum	D	B	cum	C	A	cum	D
			A	cum	D	B	cum	E
A B	cum	E	A	cum	C	B	cum	D
			B	cum	E	A	cum	E

TABVLA

TABVLA XXI.

Exhibens omnes possibiles diuisiuas comparationes integri numeri 3. 124
terminorum cum singulis combinationibus numeri 3.
differentibus penes solam substantiam.

Sunt termini A B C cum D E F comparandi sic.

A B C cum D	A C cum D B cum E	A cum D B C cum F
A B C cum E	B cum D A C cum E	B C cum E A cum F
A B C cum F	A C cum D B cum F	A cum E B C cum F
A B cum D C cum E	B cum D A C cum F	A cum D B cum E C cum F
C cum D A B cum E	A C cum E B cum F	A cum D C cum E B cum F
A B cum D C cum F	B cum E A C cum F	B cum D C cum E A cum F
C cum D A B cum F	B C cum D A cum E	B cum D A cum E C cum F
A B cum E C cum F	A cum D B C cum E	C cum D A cum E B cum F
C cum E A B cum F	B C cum D A cum F	C cum D B cum E A cum F

TABVLA XXII.

Exhibens omnes possibiles diuisiuas comparationes integri numeri 4. 125
terminorum cum singulis combinationibus numeri 3.
differentibus penes solam substantiam.

Sunt termini A B C D cum E F G comparandi sic.

A B C D cum E	B cum E A C D cum F	B C cum E A D cum F
A B C D cum F	B C D cum E A cum F	A B C tum E D cum G
A B C D cum G	A cum E B C D cum F	D cum E A B C cum G
A B C cum E D cum F	A B cum E C D cum F	A B D cum E C cum G
D cum E A B C cum F	C D cum E A B cum F	C cum E A B D cum G
A B D cum E C cum F	A C cum E B D cum F	A C D cum E B cum G
C cum E A B D cum F	B D cum E A C cum F	B cum E A C D cum G
A C D cum E B cum F	A D cum E B C cum F	B C D cum E A cum G

A cum E	A D cum F	C cum E
		B cum F
B C D cum G	B C cum G	A D cum G
A B cum E	B C cum F	B C cum E
		D cum F
C D cum G	A D cum G	A cum G
C D cum E	A B cum E	B C cum E
	C cum F	A cum F
A B cum G	D cum G	D cum G
A C cum E	A B cum E	D cum E
	D cum F	A cum F
B D cum G	C cum G	B C cum G
B D cum E	C cum E	D cum E
	D cum F	B C cum F
A C cum G	A B cum G	A cum G
A D cum E	C cum E	A cum E
	A B cum F	B C cum F
B C cum G	D cum G	D cum G
B C cum E	D cum E	A cum E
	A B cum F	D cum F
A D cum G	C cum G	B C cum G
A B C cum F	D cum E	B D cum E
	C cum F	A cum F
D cum G	A B cum G	C cum G
D cum F	A C cum E	B D cum E
	D cum F	C cum F
A B C cum G	B cum G	A cum G
A B D cum F	A C cum E	A cum E
	B cum F	C cum F
C cum G	D cum G	B D cum G
C cum F	D cum E	A cum E
	B cum F	B D cum F
A B D cum G	A C cum G	C cum G
A C D cum F	D cum E	C cum E
	A C cum F	B D cum F
B cum G	B cum G	A cum G
B cum F	B cum E	C cum E
	A C cum F	A cum F
A C D cum G	D cum G	B D cum G
B C D cum F	B cum E	C D cum E
	D cum F	A cum F
A cum G	A C cum G	B cum G
A cum F	A D cum E	C D cum E
	B cum F	B cum F
B C D cum G	C cum G	A cum G
A B cum F	A D cum E	A cum E
	C cum F	B cum F
C D cum G	B cum G	C D cum G
C D cum F	B cum E	A cum E
	C cum F	C B cum F
A B cum G	A D cum G	B cum G
A C cum F	B cum E	B cum E
	A D cum F	C D cum F
B D cum G	C cum G	A cum G
B D cum F	C cum E	B cum E
	A D cum F	A cum F
A C cum G	B cum G	C D cum G

126 Est autem aduertendum, pro hisce similibusque tabulis combinationum comparatarum ordinatè construendis combinationum absolutarum regulis antea datis vtendum esse, quemadmodum nos vsi sumus: provt vnusquisque tabulas ipsas considerans cum attentione facilè deprehendet.

Propositio 12.

127 Quomodo omnes comparationes diuisiuæ possibiles omnium, & singularum combinationum differentium penes solam substantiam vnius terminorum numeri dati cum alio numero semper integrè sumpto faciendæ sunt, ex dictis *propos. præc.* facillimè infertur.

Quia quod ad rem attinet, æquè facilè veniunt efficiendæ comparationes singularum combinationum vnius numeri ad integrum alterum, de quibus modo, ac comparationis, vnius integri numeri ad singulas combinationes alterius, de quibus *ibi*; vt consideranti conspicuum fiet. In quo amplius non opus est morari.

Propositio 13.

128 Quomodo omnes comparationes diuisiuæ possibiles omnium, & singularum combinationum differentium penes solam substantiam vnius terminorum numeri dati cum omnibus, & singulis combinationibus alterius numeri etiam dati faciendæ sunt facillime etiam infertur ex dictis *propos.* 12.

Per tabulas siquidem & regulam *ibi* traditas scitur quomodo comparationes omnes possibiles, de quibes agetur, vniuscuiusque combinationis alterius ex numeris datis semper integrè sumptæ cum omnibus & singulis combinationibus alterius ex numeris datis faciendæ sunt. Quo posito percurrendo seorsim omnes combinationes alterius ex numeris datis, faciendoque comparationes vniuscuiusque integræ earum cum omnibus & singulis alterius numeri, erit factum, quod hîc prætenditur, vt constat.

QVÆSTIO IV.

Ad quam materiam scientiarum regulæ combinationum traditæ q. 2. & 3. sunt applicandæ & qua ratione.

129 SVppono primò, regulas combinationum ad materias scientiarum applicandas eas practicas potissimùm esse: quas dedimus *q.* 3. vtpotè quæ præscribunt quo pacto in qualibet materiâ combinationes sint faciendæ; subseruiunt tamen adiuuantque, non parum ad adæquatè combinandum, scientificéque procedendum aliæ magis speculatiuæ traditæ *q.* 2. quatenus determinant, quot combinationes ex quouis terminorum numero dato possibiles sint.

130 Suppono secundò, ex omnibus speciebus combinationum expositis *in dictis quæstionibus*, primam absolutarum esse, quæ in scientiis humanis habet potissimum, ac generalissimum vsum; tametsi & pleræque aliarum suos quoque vsus habeant, vt ex dicendis apparebit. Quocirca, de illius primæ regulis potissimum erit nobis sermo, quoties loquentes, generatim nihil in speciali de aliorum regulis dixerimus. Igitur præsentis quæstionis resolutionem sequentia documenta dabunt.

1. In omnibus omnino scientiis humanis *disp.* 21. 131
q. 1. cómemoratis ad eas plenè assequendas, promouendas, illustrandas, & in infinitum augendas prædictæ cõbinationum regulæ sunt adhibendæ, ad omnémque penitus illarum materiam tum communem, tũ propriam applicandæ, quod vt ordinatè præstetur. Primo combinabuntur inter se 20. termini omnibus scientiis communes, quos pro materiâ speciali, pro exemplóque huius Artis selegimus, atque descripsimus *disp.* 28. *q.* 2. vnà cum cæteris sub eis contentis in schematibus *ibi* propositis, qui aut omnibus etiam, aut penè omnibus scientiis videantur communes (terminos iam sumimus, sumemúsque deinceps strictè provt condistinguuntur inscientiis à propositionibus, quæstionibus, & argumentationibus.) Secundo combinabuntur inter se propositiones scitæ, seu iudicatæ, & quæstiones, (id est propositiones quarum nec veritas, nec falsitas scitur,) omnibus etiam aut penè omnibus scientiis communes, quæ vel ex primâ terminorum combinatione pullularunt, vel aliundè præhabentur in catalogis locorum communium propositionum, iuxta doctrinam statutam *disp.* 28. Ex quibus combinationibus ex professo, & per otium factis innumera propemodum venient scienda, quæ omnibus pariter aut pene omnibus scientiis communia sunt, quibus præscitis, ad eam scientiam specialem est descendendum, quam quisque prætendit assequi, vel promouere; cuius imprimis loci terminorum, qui iuxta dicta etiam *disp.* 28. termini vniuersaliores sunt eius, accipiendi sunt, vel ex catalogis, vbi iam sunt parati per locationis regulas *ibid.* traditas, vel aliunde. Acceptique primò singuli, secundò bini, tertiò terni, quartò quaterni, & ita deinceps vsque ad omnes cũ *sup. dict.* 20. terminis, seu locis terminorum communibus sunt combinandi. Similiterque acceptæ ex eâdem scientiâ speciali propositiones vniuersaliores cum locis propositionum communibus præscitis iam combinabuntur. Per quas duas combinationes potissimè veniet sciendum, quomodo scientiæ speciali, de quâ agitur, conueniunt innumera, quæ scientiis aliis ab ea diuersis etiam communia sunt. Deinde, iidem loci terminorum scientiæ specialis seorsim à prædictis communibus combinabuntur inter se, similitérque postmodum loci propositionum eius seorsim à communibus, vnà cum quæstionibus vniuersalioribus ortis à terminorum combinatione, aut aliunde quæsitis. Postremò autem, cæteri termini minùs vniuersales eisdem modis, & simul cum communibus & seorsim inter se combinandi erunt: Pariterque postmodum propositiones, & quæstiones minus vniuersales ex terminorum combinatione, aut aliunde natæ.

Secundò, in scientiis physicis, quarum prin- 132
cipia ex experimentis nascuntur, per experientiamque comparantur, præterquam quod combinationes prædictæ locum etiam habent, perindeque in illis, atque in scientiis metaphysicis, iuxta præscriptum ordinem sunt adhibendæ, speciatim tamen est incumbendum combinationibus experimentalibus, per quas extrema applicabilia, seu per admotionem, seu per mixtionem realiter applicentur omnibus modis possibilibus, ac penes omnes eorum aggregationes, atque differentias possibiles, iuxta ea quæ dicebamus *suprà disp.* 24. *quæst.* 3 paritérque extrema separabilia omnibus modis possibilibus, ac secundum omnes differentias possibi-

les separentur. Quo multa ex vtrisque nouáque in dies experimenta procreata noua etiam in dies ciusmodi scientiis physicis principia præbeant.

133 Tertiò, quamquam combinationes possibiles ex omnibus terminis, propositionibus, & quæstionibus vniuscuiusque scientiæ adhuc ex angustioribus, seu minùs extensis tam multæ sint, (prout ex dictis *quæstionibus* 2. & 3. constat,) vt ne à pluribus quidem hominibus per integram vitam sese in illis absque intermissione exercentibus exhauriri possint, siue adæquate fieri, supposito quòd successiuè (vti intellectui humano pro statu præsenti est necessarium,) faciendæ sunt. Attamen studiosi scientiarum non propterea ab illis sunt absterrendi. Non enim propterea desistimus ab inquisitione procurationeque bonorum, quod tam multa sunt, vt omnia à nobis obtineri impossibile sit. Quis vmquam abstinuit ab honoribus, aut diuitiis, aue voluptatibus inquirendis eo solùm titulo, quòd videat se omnes possibiles neutiquam assequi posse? Sed neque ab studio sciendi arcentur homines, quod planè sciant, se cuncta scibilia scire non posse. Ita neque ab exercitio combinandi, quo scientia augetur, idcircò deterrendi arcendique sunt, quòd neque omnia combinare, neque omne augmentum possibile scientiæ addere possunt. Imò vt auarus, cui medium aliquod idoneum ad abundè ditescendum se offert, eò sese impensiùs gerit circa eius vsum, quo breuiùs se putat per illud magna accrementa suæ substantiæ additurum; etsi omnia possibilia addere apertè iudicet impossibile. Ita studiosus scientiæ eò auidiùs exercitio combinandi debet incumbere, quo vberiora accrementa scientiæ suæ per istud medium, præ omnibus aliis est additurus, etiam si omnia possibilia addere nequeat; quòd omnia combinabilia combinare non valet. Industria autem erit, vt qui omnia capere non potest selectiora capiat; selectiora autem combinalia vbique sunt, vniuersaliora quare ab his vbique exordium est iuxta ordinem *paulò antè* præscriptum. Et combinatio quidem per binarios quæ expeditior, & breuior est, vbique imprimis est adhibenda, sæpe enim fiet, vt intellectus, qui sua natura comparatiuus, atque combinatiuus est, obiter passimque excitetur per illam ad ternarios, quaternariósque concipiendos & eorum terminos comparandos. Neque despiciendi sunt, aut sine examine reiiciendi conceptus, qui inter combinandum occurrunt, etsi à materiâ de quâ agitur sint diuersi, aut alieni; sed curandum vt ex eis etiam suus scientiæ fructus si quem habuerint, decerpatur. Vna quippe ex vtilitatibus combinationis est varios conceptus excitare non solum circa propriam, sed etiam circa alienas materias, in quos aliàs intellectus non caderet. Quod ex analogiâ, connexione, oppositione, aut alia habitudine, quæ aliæ materiæ cum aliis habent solet enasci.

134 Quartò, combinationes in materiâ scientiarum eò fine fiunt, vt extrema per eas aggregata inter se ab intellectu conferantur comparatiuéque inspiciantur attentâ, & accuratâ inspectione, quo possint ab ipso in eis deprehendi veritates obiectiuæ fundatæ in ipsorum consortio quauis ratione. Et quoniam argumentationes obiectiuæ ratione sui vix vnquam subeunt, in scientiis comparationem; si quam enim subeun, eis conuenit ratione propositionum aut terminorum, ex quibus constant; idcircò impræsentiarum dumtaxat curamus de combinationibus mentalibus terminorum, & propositionum, atque etiam quæstionum obiectiuarum, quæ propositiones quædam sunt ignotæ, siue non iudicatæ. Necnon de combinationibus realibus quarumuis rerum ad experiendum ordinatis. De quarum omnium fructibus, de modisque colligendi illos mediâ comparatione, & inspectione extremorum combinatorum sequitur vt dicamus.

QVÆSTIO V.

Qui fructus ex combinationibus in omnibus scientiis humanis sunt colligendi, & quâ ratione.

135 AD quatuor capita reuocantur potissimi fructus in omnibus scientiis humanis ex combinationibus colligendi: ex quibus subinde aliæ nascuntur vtilitates. Primum est inuentio quæstionum. Secundum inuentio propositionum per se notarum; quæ duo ex combinationibus terminorum præcipuè proueniunt. Tertium est inuentio illationum. Quartum inuentio propositionum notarum per aliud; quæ proueniunt præcipuè ex combinationibus propositionum & quæstionum. Quæ omnia vt obueniant abunde, sequentia documenta solerter obseruanda ad praximque deducenda sunt.

136 Primò, Factâ quâuis combinatione (ex absolutis scilicet primæ speciei penes differentiam solius substantiæ, à quibus incheandum) siue duorum, siue trium, siue quatuor, siue plurium terminorum imprimis sunt inter se omnes, & singuli comparandi tamquam subiectum & prædicatum. Est autem ex suo naturalissimo conceptu, iuxta nostrum modum iudicandi, omnis terminus significatus per verbum prædicatum per seipsum affirmabile, vel negabile de quouis alio termino; omnis item terminus per nomen adiectiuum significatus pariter est ex suo naturali conceptu prædicatum affirmabile, vel negabile de quouis alio termino medio actu essendi substantiuo significato per verbum *esse*. Vtcumque autem quilibet terminus in vniuersim de quouis alio est affirmabilis aut negabilis medio actu essendi substantiuo quiliberque subinde respectu cuiuslibet, & vt subiectum, & vt prædicatum concipi potest, idque siue sint termini simplices, siue complexi iuxta omnem complexionem possibilem, ex quouis terminorum simplicium numero dato. Potest autem quilibet omnino terminus concipi affirmabilis, vel negabilis de quouis alio aut absolute, aut ex suppositione aliorum terminorum, qui sint syncategoremata connotata per subiectum, aut prædicatum directum; idque, aut absolutâ, aut hypotheticâ affirmatione, vel negatione. Quæ omnia ex dictis *suprà disputatione secundâ, quæstione quarta*, & sæpe *aliàs* in hoc opere tactis conspicua sunt. Dum autem comparationes istæ fiunt in singulis est attentè inspiciendum, an prædicatum conueniat subiecto vel an non conueniat. Deprehendetur autem conuenire ex terminis ipsis inspectis, si deprehendatur subiectum cum prædicato connexum; non conuenire autem si deprehendatur ei oppositum, aut si vtrumuis notificet experientia, quando est materia experimentalis:

habebi

habebiturque propositio per se, nota, au affirmatiua, aut negatiua iuxta doctrinam traditam *supra disputatione 19. quæstione octaua.* Quòd si ex terminorum inspectione sciri non possit an prædicatum conueniat subiecto, vel non conueniat; habebitur quæstio aliunde examinanda, & in examen obseruanda.

137 Vnde patet. Quot sunt combinationes absolutæ penes differentiam solius substantiæ possibiles ex quouis numero terminorum dato, tot esse imprimis ex eis oriundæ, & inueniendæ, vel propositiones per se notæ affirmatiuæ, aut negatiuæ. vel quæstiones dubitatiuæ de vtrouis contradictionis extremo. Dico *imprimis* quia per accessum aliarum combinationum, quæ insuper sunt ad rem adhibendæ circa quemuis terminorum numerum datum, insuper ex eis veniunt oriundæ, & inueniendæ penè innumerabiliter plures propositiones per se notæ, aut quæstiones. Ad comparandos enim terminos vicissim vt subiectum, & prædicatum præter combinationes absolutas primæ speciei, penes differentiam solius substantiæ, terminorum insuper adhibendæ sunt combinationes secundæ penes differentiam positionis eorum, aut certè combinationes quartæ primam secundamque complectentis. Siquidem esse eundem terminum comparatione eiusdem nunc subiectum, nunc prædicatum perinde est, ac habere vtrumque nunc vnam, nunc alteram positionem. Deinde ad determinandos omnes casus, quibus, aut quæuis, aut singulæ collationes ex quibus numero terminorum dato possibiles cum singulis aliis eiusdem numeri combinationibus collectiuè comparari possunt, tamquam subiecta aut prædicata regulæ combinationis comparatæ collectiuæ, aut primæ, aut secundæ, aut tertiæ speciei adhibendæ sunt, sicuti, & regulæ combinationis comparatæ diuisiuæ aut quartæ, aut quintæ, aut sextæ speciei ad determinandos omnes casus, quibus quilibet numerus terminorum aut integer, aut quoad singulas possibiles combinationes cum quouis aut integro, aut quoad singulas ex eo possibiles combinationes penes prædicationem, & subiectionem est diuisiuè comparabilis. Per quas etiam regulas scietur, quot casus consurgere possunt ex quouis terminorum numero dato, aut ex parte prædicati, aut ex parte subiecti penes differentias recti & obliqui categorematisve & syncategorematis, aut quaslibet alias, seu respectiue ad illas. Itaque quot sunt ex quouis terminorum numero dato possibiles comparationes penes prædicationem, & subiectionem, intra omnes istas species combinationum, iuxta doctrinam de illis *quæstione secunda & tertia*, satis expositam, tot possunt ex eis resultare propositiones per se notæ, aut quæstiones categoricæ; totidemque hypotheticæ multoque plures ob speciales, quas adduut hæ differentias conditionati, & conditionis.

138 Iam verò, quando in quâuis eiusmodi comparationum deprehenditur subiectum esse connexum cum prædicato, eoque iure prædicatum conuenire subiecto, talis connexio, aut potest esse subiecti cum prædicato tamquam cum aliqua ex partibus intrinsecè constituentibus subiectum ipsum vel physicè vel metaphysicè, quo casu propositio per se nota, & affirmatiua resultans de prædicato essentiali erit, eoque vel generico, vel differentiali, vel anonymo, vel mixto iuxta differentiam huiusmodi prædicatorum traditam *disputatione decima septima, quæstione septima.* Aut potest esse subiecti cum prædicato tamquam cum aggregato omnium suarum partium siue distinctè, siue confusè conceptarum? aut tamquam cum seipso, siue diuerso, siue eodem modo concepto. Quo casu propositio per se nota, & affirmatiua resultans de prædicato essentiali specifico erit; iuxta dicta *ibidem.* Aut potest esse subiecti cum prædicato tamquam cum aliquo addente quidpiam supra ipsum. Quo casu propositio per se nota, & affirmatiua resultans de prædicato accidentali erit, annexo tamen subiecto siue ei necessario, tamquam passio ipsius propria, aut communis. Propria quidem si annectatur illi ratione essentiæ propriæ: communis autem, si annectatur illi ratione alicuius conceptus communis ipsi, & aliis.

Quando verò subiectum deprehenditur oppo- 139
situm prædicato, & consequenter prædicatum tum subiecto etiam oppositum (cùm omnis oppositio sit mutua iuxta dicta *disputatione 14.*) tum ipsi propterea non conueniens, propositio per se notà, & negatiua resultans semper erit de prædicato subiecto repugnante, atque adeo vel adæquate à subiecto distincto, vel aliquid subiecto adiiciens ipsi repugnans. Cuius negatio proinde passio subiecti censenda veniet, aut propria, aut communis, iuxta *nuper* dicta.

Quando denique deprehenditur prædicatum 140
conuenire subiecto, aut ei non conuenire citra connexionem, aut oppositionem huius cum illo, vi solius experientiæ positiuæ, vel negatiuæ iuxta dicta etiam *disputat. 19. quæst. iam citata.* tum propositio per se nota aut affirmatiua, aut negatiua resultans de prædicato accidentali & contingente subiecto erit.

Tandem quando neque interuenit experientia, 141
neque vlla deprehenditur vi apprehensionis terminorum, aut connexio, aut propositio subiecti cum prædicato, nulla propositio ex vi talis apprehensionis resultat nota: sed quæstio dumtaxat aliunde examinanda anceps pro tunc, & dubitatiua de conuenientiâ, aut non conuenientiâ, quarum alterutram necessariò debet re ipsâ habere tale prædicatum cum tali subiecto vt est notum; cùm sint extrema contradictoria. Quo casu prædicatum positiuum quæstionis, aut poterit esse re ipsâ annexum subiecto ob connexionem, quam subiectum habet cum illo, etsi non appareat pro tunc, vel quia mediata, vel quia aliunde est occulta: aut poterit esse re ipsa repugnans subiecto ob oppositionem, quam subiectum habet cum illo occultam pariter pro tunc, aut poterit esse contingens subiecto, quia nullam eius re ipsa terminat connexionem, aut oppositionem. Semper tamen quæstio erit digna quæ examinetur atque adeo, & quæ seruetur in examen ob veritatem latentem quam in se continet aut positiuam, aut negatiuam.

Secundò, ex his venit monendus scientiæ stu- 142
diosus vt, dum combinationem terminorum exercens comparat eos vt subiectum, & prædicatū modis dictis, sedulò attendat an subiectum aliquo ex etiam dictis modis sit cum prædicato connexum, aut ei oppositum, quod si neque connexionem, neque oppositionem vllam, aut metaphysicam, aut physicam, aut moralem, (de his namque omnibus loquimur semper iuxta *disp. 14.* & alibi sæpe) in eis bene inspectis repererit, aduertat insuper an ter-

mini sint ex eorum genere, qui possunt sub experientiam cadere. Siquidem hæ tres viæ dumtaxat sunt, per quas intellectus potest incidere in propositiones per se notas; quæ scientiarum omnium principia, atque adeò semina sunt. Si autem per nullam ei patet aditus ad iudicandam, atque adeo sciendam propositionem ex terminis apprehensis, & comparatis, obseruet quæstionem ex eis oriundam, seruétque ad combinationem propositionum, quæstionumque faciendam *postmodum*, per quam fortasse illius veritatem ex solis terminis occultam medio discursu deprehendet per aliam, aut alias notas aliunde, & cum illâ connexas.

143 Tertiò, scientiæ studiosus inter combinãdum terminos solerter aduertat, quinam eorum sint inter se similes, aut exactâ, aut lata & analogicâ similitudine. Similitudo siquidem terminorum exacta fundamentum est ad eos adunandos sub communi & vniuersali conceptu per logicam compositionem; quæ quanti momenti sit in scientiis, quamque accurate à scientificis vbique debeat fieri ex dictis *disp.* 25. præsertim *q.* 2. constat. Similitudo autem lata, & analogica terminorum fundamentum præbet, vt quod vni eorum conuenit, & alteri veniat attribuendum; quòd quantùm conferat ad scientias quantumque humano intellectui arrideat, & *alias* tetigimus, & *infrà disp.* 31. ex professo ostendemus.

144 Quartò, animaduertere debet scientiæ studiosus per singulas terminorum combinationes totidem essentias resultare ex terminis ipsis compositas, seu physicè, seu metaphysicè, quæ quidem quatenus tales considerandæ sunt etiam, & obseruandæ; quo maior habeatur copia obiectorum scibilium. De quibus rursus inter se & cum aliis terminis combinatis, & comparatis multæ passiones propriæ, & communes; aut etiam alia accidentia veniant scienda, cum scientiarum magno accremento, iuxta ea, quæ dicebamus *disputatione* 25. *quæstione* 2. *citata*.

145 Quintò, debet attendere, inter combinandum, & comparandum terminos scientiæ studiosus, ne amittat, sed obiter etiam lucretur omnia subsidia suprà indicata *disp.* 26. *q.* 2. ad diuidendum quodvis totum seu physicum, seu metaphysicum, seu logicum in sua membra diuidentia, ad exercendãmque subinde adæquatam diuisionem quorumvis huiusmodi tororum, quæ tantæ etiam vtilitatis est in scientiis, vt ex dictis *in ea disputatione* constat.

146 Sextò, est aduertendum, quot fuerint per combinationes terminorum inuentæ propositiones per se notæ, in quibus prædicatum aut aggregatum omnium partium constituentium subiectum vel physicè, vel metaphysicè conceptarum distinctè; aut est passio propria subiecti, tot pariter inuentas esse definitiones, aut essentiales, aut descriptiuas subiectorum talium propositionum. Siquidem prædicatum prioris generis definitio essentialis est sui subiecti data per partes intrinsecas eius distinctè conceptas: prædicatum autem posterioris generis definitio est descriptiua subiecti sui data per aliquam solam proprietatem eius. Erit autem insuper definitio descriptiua subiecti data simul per proprietatem, & passionem communem eius prædicatum ipsius, si duarum propositionum eiusdem subiecti prædicata quorum alterum propria, & alterum communis passio eius est, colligantur in vnum. Quæ omnia ex doctrinâ de definitionibus datâ *disp.* 27. conspicua sunt. Iste igitur definitionum fructus ex combinationibus etiam terminorum est colligendus, iuxta explicatum modum qui quidem in scientiis magnus est iuxta dicta *disputatione citata*.

Septimò, denique aduertendum est nonnumquam 147
fore necessarium ad aliquem ex commemoratis fructibus percipiendũ terminos etiam omninò similes combinare. Quo casu præter dictas insuper est adhibenda combinatio, quæ restat, penes differentiam repetitionis, aut solam, aut mixtam cum aliis, iuxta dicta etiam de ea *q.* 1. 2. & 3.

Venio iam ad combinationes propositionum & 148
quæstionum, hoc est propositionum notarum, & ignotarum, quas mixtim combinare expediet, vt per notas innotescant ignotæ; tametsi seorsim etiam combinati possint in ordine ad alios fines mox indicandos. Igitur factâ quâuis combinatione (ex absolutis scilicet primæ speciei penes differentiam solius substantiæ) siue duarum, siue trium, siue quatuor, siue plurium eiusmodi propositionum, attentè imprimis est inspiciendum an aliquæ earum inter se connexionem, aut oppositionem aliquam habeant. Connexæ enim cum aliis eas inferunt, & aliis oppositæ earum inferunt contradictorias, vt constat. Atque ita semel deprehensâ connexione alicuius propositionis cum aliâ, impromptu est ex primâ inferre contradictoriam secundæ, siue hanc negare. Vnde, si prima est iam nota per se, aut aliunde, per primam venit scienda secunda; affirmatiuè quidem, si prima cum secundâ connexa apparet; negatiuè autem, si opposita. Si verò prima sit ex ignotis, illatio saltem secundæ ex primâ innotescet, scieturque subinde conditionatè, siue hypotheticè, aut secundam esse veram, casu quòd vera sit prima connexa cum illâ, aut secundam esse falsam, & eius contradictoriam veram, casu quòd vera sit prima opposita illi. Quæ scientia conditionata conferet, vt cùm primùm aliunde innotescat veritas absoluta primæ, mox se quoque prodat per illam veritas absoluta secundæ, si prima cum secundâ est connexa; falsitas autem, si est opposita.

Et quoniam comparationes propositionum com- 149
binatarum pro earum connexionibus oppositionibusque inueniendis mutuæ esse debent, ad eas adæquatè faciendas non solùm combinatio absoluta primæ speciei, sed etiam combinatio absoluta secundæ, aut certè quartæ comprehendentis vtramque adhibenda est; vti præscriptum est in simili *paulò antè* pro mutuis comparationibus terminorum. Quoniam item non solùm quærendæ sunt connexiones, & oppositiones singularum propositionum cum singulis propositionibus; sed etiam connexiones tum singularum propositionum cum singulis aggregatis ex eis possibilibus; tum singulorum eiusmodi aggregatorum cum singulis propositionibus; tum singulorum aggregatorum cum singulis aggregatis. Quandoquidem sæpe sæpius euenit vt aggregatum sit connexum aut oppositum, cuius nulla pars sumpta seorsim est connexa, aut opposita: tum vt, licet partes aggregati seorsim sint connexæ aut oppositæ, connexio tamen aut oppositio aggregati firmior, certior, aut etiam euidentior sit quàm connexio, aut oppositio singularum partium seorsim, iuxta doctrinam de antecedente complexo impartibili, & partibili quoad connexionem cum consequente traditam *disp.* 2. *q.* 5. & *disp.* 6. *q.* 5. aliasque tactam. Idcirco ad istas omnes propositionum connexiones, oppositionésque inueniendas combinationes insuper compa-

ratæ

tatæ adhibendæ sunt; præsertim collectiuæ primæ, secundæ, & tertiæ speciei, aut etiam diuisiuæ, saltem quoad eam partem, quâ singulas vnitates vnius numeri comparans cum singulis alterius omnibus modis possibilibus. Quæ pars cum combinatione absolutâ factâ penes differentiam solius positionis coincidit, vt notauimus *quæstione prima*.

150 Præter connexiones autem, & oppositiones propositionum fructus potissimos decerpendos ex earum combinationibus; (vtpotè quibus omnis humanus discursus ignotas per notas propositiones notificans subnixus est;) insuper sunt animaduertendæ, & obseruandæ propositionum combinatarum similitudines tum exactæ, tum analogicæ. Priores quidem, vt ex pluribus propositionibus exactè similibus, aut integrè, aut quoad aliquam contentam in illis rationem, vna quædam propositio cunctis communis abstrahatur, seu adnetur. Posteriores autem, vt quæ ex vnâ propositione inferuntur, vel ei tribuuntur. Ex alterâ pariter per analogiam inferenda, vel ei attribuenda veniant. Similitérque ad effectus oppositos poterunt propositionum combinatarum dissimilitudines aduerti, siue obseruari.

151 Præterea quoties, per propositionum combinationes, propositiones alioquin ignotæ innotescunt, in quibus passiones propriæ de suis subiectis enunciantur; toties habebuntur nouæ talium subiectorum definitiones, seu descriptiones datæ per tales proprietates, aut solas, aut iunctas cum passionibus eorumdem subiectorum communibus, vi etiam combinationum propositionum innotescentibus.

152 Denique quot sunt combinationes possibiles ex quouis dato numero propositionum, tot sunt possibiles positiones complexæ vi earumdem combinationum inueniendæ, seu comparandæ: siquidem propositio complexa aliud non est ab aggregato propositionum simplicium. Singulæ autem propositiones complexæ, aut erunt integrè notæ, si ex solis propositionibus notis coalescant; aut integrè ignotæ, si ex solis ignotis; aut partim notæ, & partim ignotæ, si ex vtrisque. Tum aut erunt argumentationes, si aliæ propositionum, ex quibus constant, inferantur ex aliis; aut secùs, si non inferantur.

153 Præter combinationes autem prædictas, sæpe opus erit cæteras adhibere, quæ restant, penes differentiam repetitionis, aut puræ, aut mixtæ ad combinandas propositiones pro aliquo ex commemoratis fructibus comparando, vti opus fuit, à nobisque ad praxim re-ductum *disputatione vigesima*, in materiâ syllogismorum. Vbi quot syllogismi essent possibiles ex propositionum numeris ibi datis determinauimus per regulas combinationis, factæ penes differentias substantiæ, positionis, & repetitionis, quales necessariæ ibi fuerunt.

154 Postremò. Qui in scientiis physicis magnos progressus facere cupit, omnium combinationum regulas datas ad physicas praxes traducat pro applicandis, aut separandis physicè omnes res physicè applicabiles, & separabiles omnibus modis possibilibus, quibus illlæ sunt applicabiles & separabiles, penes omnes applicationum separationumque differentias excogitabiles, in ordine ad inuenienda experimenta ex talibus applicationibus, ac separationibus oriunda, quæ principia per se nota præbeant dictarum physicarum scientiarum, iuxta iam dicta à nobis *suprà disputatione vigesima quarta, quæstione tertia*.

Modo, ex dictis *in hac & præcedentibus quæstionibus*, nonnulla consectaria elicere operæ pretium erit.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Consectarium 1.

Inuentionis artificiosæ in scientiis humanis vnicum instrumentum est combinatio. 155

Constat enim ex dictis, per eam vnice venire artificiosè quærendas, & inueniendas quæstiones, propositiones per se noscibiles, illationes, & propositiones noscibiles per aliud: necnon definitiones, compositiones & diuisiones. A quarum inuentione pendet promotio, augmentatióque, & illustratio scientiarum humanarum.

Consectarium 2.

Vera, & vnica ars inueniendi medium, ad quamlibet propositionem in qualibet scientia humanâ probandam, ipsissima est Ars combinandi. 156

Quia, vt etiam ex dictis satis est notum, per solam combinationem veniunt artificiosè inueniendæ propositiones mediis quibus probanda est ea, cuius probatio inquiritur, vtpote connexis cum ipsâ. Itaque per combinationem comparationémque tentandum, & inquirendum est quænam cæterarum propositionum iam aliunde notarum cum eâ, cuius probatio quæritur, connexæ sint. Semel enim inuentis propositionibus, aut vnâ, aut pluribus cum probandâ connexis, medium probationis eius in eis contentum inuentum manet. Neque aliter illud quam per eiusmodi combinationem est artificiosè inuenibile. Habent se quippe propositiones, ex quibus scientia humana compingitur in omni materiâ, perinde, ac fragmenta minuta per pauimentum absque vllo ordine sparsa, cadentis è sublimi, confractique vasis testacei. Quemadmodum enim, si huiusmodi confractum vas instaurare, siue redintegrare velis, repositis coniunctisque, & aliquo bitumine colligatis fragmentis eius vnoquoque in suo loco: id quidem aliter præstare non poteris, quàm singula talia fragmenta successiuè assumendo, & cum singulis comparando, ac veluti combinando, tentandóque quodnam eorum cum quo, aut cum quibus cohæreat, donec vniuscuiusque proprius locus, quem antea habebat in vase, repertus sit. Ita pariter, si vis humanas scientias artificiosè, & pulchrè veluti in quædam vasa honoris construere; id sanè non præstabis aliter, quàm ex latissimo campo obiectorum scibilium sparsas propositiones, aliundéque iam per terminorum combinationem inuentas, successiuè assumendo, & singulas singulis ipsarum itidem adhibitâ combinatione, comparando, tentandóque quænam cum quibus connexæ sint, vt hæ per illas vi talis connexionis sciantur, iuxta sæpe *in superioribus* dicta.

Conse-

Consectarium 3.

157 Quò quis impensiùs combinationi incubuerit iuxta documenta *inhac quæst.* aut etiam *in tota hac disput.* præscripta, eò vberiores in quâuis omnino scientiâ humanâ progressus faciet : eóque faciliore & promptiore, atque etiam compendiosiore, siue breuiore via.

158 Iste quippe est (vti dicebamus *disp. 23. quæst. 1.*) proprius & inseparabilis effectus legitimæ Artis sciendi, cuius potissimum instrumentum est combinatio, vt satis ex dictis *ibidem*, *quæst. 3.* & sæpe *aliàs in sequentibus*, atque *in præsenti disput.* compertum est. Dico autem in omni scientiâ humanâ : quia nullam excipio earum quas recensuimus *disp. 21. quæst. 2.* Recensuimus autem *ibi* omnes omnino possibiles, nulla relicta.

158 Itaque quicumque vult in quâuis omnino scientia, vel arte, quam profitetur abundè & cum aliorum, aut etiam cum propria admiratione proficere, combinationi incumbat impensè, seruatis ad praximque deductis omnibus combinandi regulis, ac documentis hucusque datis. Incredibile enim est, donec per experientiam noteſcit, quantum illa valeant, quantumque virtutis, & energiæ habeant ad istud propositum. Exempli gratiâ, vult quis in Philosophia prima, in Mathematicis disciplinis, in Physiologia, in Medecina, in Theologia seu positiua, seu Controuersa, seu Scholastica, seu Morali; in Iurisprudentia, in Politica, in aliâve eiusmodi scientiarum cum admiratione proficere adscitis cuilibet earum magnis, aut etiam mirandis accrementis, combinationi incumbat, vult quis in munere concionandi, aut etiam aliter in ordine ad persuadendum siue mouendum in qualibet alia materia dicendi, siue scribendi ingenti conceptuum, rationum, aut argumentorum copiâ abundare, cum solidâque subinde, & profusa eloquentia eloqui; combinationi incumbat. Vult quis orationi mentali deditus in eo exercitio, quoad eius fieri potest, proficere nouis quotidie propositionibus, rationibus, & argumentis ad se se mouendum inuentis circa quamuis materiam propositam quantumuis tritam, quin possit vnquam meditationi materia deficere, aut exhauriri combinationi incumbat. Vult denique aliquis vel ipsas artes manuales, quæ in opera externa prodeunt, cum admiratione promouere; combinationi incumbat. Nihil enim prorsus est dependens ab intellectu siue ab intellectione humana, quod combinatio non promoueat, & augeat, aut etiam expoliat, & illustret ritè & probè executioni mandata consentanee ad regulas, & documenta *in præcedentibus* tradita.

etiamsi tractauerimus latè & ex professo de illa *suprà disputatione vigesima* suppositis. Itaque omnibus ibi dictis de natura tum argumentationis in genere, tum singularum specierum eius. Deque omnibus & singulis formis argumentandi tum legitimè, tum illegitimè, tum demonstratiuè, tum probabiliter, tum fallaciter. Dumtaxat supersunt nobis hîc addenda pauca quædam practica documenta pro eius vsu in quantum quoddam est instrumentum sciendi.

Sit primum. Quoties circa propositiones, quæ- 2
stionesque obiectiuas combinatio exercetur iuxta regulas dictas *disputatione vigesima nona*, præsertim *quæstione quinta*, solerter inspiciendum est quænam talium propositionum aut quæstionum sint cum aliis connexæ, aut oppositæ, vtræ ex illis inferantur, aut affirmatiuè, aut negatiuè; idque vel absoluta, vel conditionata illatione iuxta dicta *ibidem* : tantumdemque fiet quotiescumque occurrerit plurium eiusmodi propositionum, siue quæstionum comparatio. Illationes autem, siue argumentationes huiusmodi semel repertæ accuratè asseruabuntur pro scientia rexendâ.

Secundum. Ad inueniendam siue probandam 3
veritatem, aut falsitatem alicuius determinatæ propositionis datæ, aut multarum propositionum nullatenus antea præcognitarum, ordinibus argumentandi, atque adeo discurrendi synthetico, & analytico vtendum est, iuxta omnes modos siue regulas quas *suprà* tradidimus *disp. 22. q. 2. proposit. 8.* quæ ad hunc locum pertinent; proeoque subinde recolendæ, atque recognoscendæ sunt, in praximque deducendæ studiose, & enixè: vtpote in quibus potissima vis, & energia huius instruimenti sciendi posita est.

Tertium. Ad inueniendam veritatem, aut fal- 4
sitatem aliarum propositionum ab iis ex quibus argumentatio coalescit in promptu tenendæ sunt regulæ traditæ *disp. 19. q. 2.* circa oppositionem, & connexionem propositionum. Siquidem ex illis constat vniuersè quoties antecedens argumentationis infert non mutuò consequens, contradictorium consequêtis antecedenti contrariari contrarietate admittente medium, contradictorium autem antecedentis subcontrariari consequenti. Vtrumque autem vtrique contrariari contrarietate medium recusante, quando antecedentis, & consequentis illatio mutua est. De quo videnda plura scripta *loco citato.*

Quartum. Regulæ etiam conuersionis quarum- 5
uis propositionum, sedulò sunt animaduertendæ ad arguendum iuxta illas, quando opus fuerit: quandoquidem omnis conuersio argumentatio quædam est. De quibus satis est dictum *suprà disp. 19. q. 6.*

Quintum. Denique omnes formæ argumentan- 6
di legitimè quouis syllogismorum, atque etiam aliarum argumentationum genere præ manibus habendæ sunt, vt ad eas, cum opus fuerit ad concludendum quæuis argumentatio reducatur, vti facilè potest. De quibus latè scriptum relinquimus *tota disput. 20.*

DISPVTATIO XXX.

De Argumentatione.

1 VIA vnum ex instrumentis Artis vniuersalis sciendi, de qua modo tractamus, est Argumentatio, non possumus non in præsenti disputatione aliqualem eius mentionem facere;

DISPV

DISPVTATIO XXXI.

De Translatione.

1 POST Argumentationis instrumentum congruè subsequitur illud quod Translationem dicimus, vtpotè quod maiori ex parte argumentatio quædam est, vti explicabimus *in præsente disputatione.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Translatio, & quotuplex.

2 TRanslationem dicimus in præsenti eam intellectus operationem, qua quod vni subiecto conuenit, per quandam analogiam tribuitur alteri, quodammodoque subinde transfertur ad illud. Quoties enim subiecta sunt inter se similia, non pura, & exacta similitudine, quæ logicam vnitatem causat, sed temperata, siue mixta cum aliqua dissimilitudine, quæ illam causare non valet, iuxta doctrinam fusè datam *disputatione decima sexta.* Similia pariter prædicata sibi habent annexa, tantumdemque per analogiam vni, quam alteri, vere tribuitur eoque iure prædicatum vnius per analogiam transferri ad alterum dici solet: non quod prædicatum vnius sit idem adhuc logice cum prædicato alterius, sed quod sunt adsimilia, & sæpè sæpiùs eodem vocabulo nuncupantur, quod propriè & cum toto rigore ex vno ad aliud transferri dicitur, vti cernitur in translationibus Rhetorum, quæ translationes sunt rigorosæ vocabulorum, non itidem conceptuum obiectiuorum significatorum per illa.

3 Quæ vt plenius intelligantur noto primo ex dictis latius *disput. 16. citata*, similitudinem obiectorum aliam esse exactam, & strictam ab omni penitus dissimilitudine depuratam, aliam temperatam, seu mixtam cum aliqua dissimilitudine, atque adeo latam. Ex quibus prima idonea est & requisita ad adunanda extrema similia sub vno conceptu communi, secunda vero secus.

4 Noto secundo. Similitudinem temperatam, seu latam, late etiam vsurpato vocabulo, analogiam dici. Analogia quippe propriè appellatur similitudo proportionum siue habitudinum repertarum inter extrema diuersa, quando videlicet sicut se habet primum extremum ad secundum, ita se habet tertium ad quartum & in cæteris pariter. Quia tamen hæc habitudinum similitudo, quæ propria est analogia, aut semper, aut plerumque saltem non est exacta, & pura, sed temperata cum aliqua dissimilitudine; hinc factum est, vt quæuis similitudo non pura & exacta, sed temperata, quorumuis ea extremorum sit, analogia, extenso vocabulo, nuncupetur.

5 Noto tertio. Etsi extrema temperatè similia nunquam dicantur vnum, seu idem simpliciter, vti dicuntur extrema exactè similia ab vnitate logica, quam subeunt, dum adunantur per rationem, sæpe tamen dici vnum seu idem cum cum addito diminuente, *per analogiam* scilicet, siue *analogicè.* Quæ locutio solum sonat, esse illa similia eâ, quam habent, similitudine temperata.

6 Noto quarto. Sicut extrema exactè similia, quæ logicè sunt vna essentia, non possunt non habere pariter similes exactè, quæ logicè sint vna passio (repugnat enim manifestè Petrum, & Paulum esse exactè similes in ratione hominis, atque adeo vt sic habere essentiam logicè eandem quin sit Paulus in quantum homo necessario risibilis, si Petrus in quantum homo necessario risibilis est) ita extrema temperatè similia non posse non habere passiones pariter temperate similes; quia quo iure exacta similitudo essentiarum exactam pariter similitudinem passionum fert secum annexam, eodem prorsus iure temperata similitudo essentiarum temperatam pariter similitudinem passionum debet secum annexam ferre. Ob id si corpus humanum extreme languens necessaria postulat sibi pariter extrema remedia. Respublica etiam extreme languens vt sicque temperatè similis corpori humano, non potest non postulare sibi pariter extrema remedia; eaque proportionalia; id est, æquè similia remediis quæ postulat corpus humanum, ac sunt similia inter se corpus ipsum languens, & Respublica languens. Cuius doctrinæ ratio est: quia cum essentiæ sint radices, & fundamenta passionum, quo gradu sunt ipsæ inter se similes, eodem gradu similes passiones debent radicare, & fundare. Alioquin in munere sibi intrinseco fundandi passiones, & consequenter in se ipsis non essent tam similes, quàm supponitur contra ipsam suppositionem. Quod est chimericum.

7 Ex hac doctrina valdè notanda sequitur quemadmodum inter habere vnum subiectum passionem aliquam, & alterum exactè simile, siue logicè idem cum illo habere eandem logice passionem mutua connexio, & quidem metaphysica datur, ab alterutroque subinde istorum extremorum ad alterum cum certitudine metaphysica arguitur. Ita inter habere vnum subiectum passionem aliquam, & alterum temperate simile illi habere similem passionem proportionaliter, mutuam connexionem etiam metaphysicam dari. Ab alterutroque subinde istorum extremorum ad alterum etiam argui cum metaphysica certitudine. Id quod experientia ipsa nobis ostendit, dum vtimur argumentationibus huiusce generis.

8 Noto quinto. Translationem, de qua tractamus, atque adeo comparationem vnius ex extremis analogatis ad alterum bifariam fieri posse, & solere. Primo per modum argumentationis, vt quando ex eo quod tali subiecto tale prædicatum conueniat inferimus subiecto analogicè illi simili prædicatum pariter conuenire proportionaliter adsimile. Secundo per modum explicationis, vt quando ad explicatiùs notificandum vel etiam persuadendum quomodo alicui subiecto conueniat aliquod prædicatum alterius subiecti & prædicati conuenientiam notiorem & illi similem analogicè in medium proferimus, & proponimus tanquam quoddam exemplum se ipso notificatiuum atque explicatiuum illius virtute analogiæ quam cum ea habet. Vnde translatio de qua tractamus in illatiuam, & explicatiuam tanquam in duo membra diuidi imprimis potest.

Deinde

Deinde diuidi potest translatio ex parte materiæ in simplicem, & complexam, simplex dicetur quæ vnam simplicem propositionem coalescentem ex subiecto, & prædicato, aut simplici, aut complexo analogicè transfert, siue comparat ad aliam simplicem, idque vel illatiuè, vel explicatiuè. Complexa autem appellabitur quæ vnam propositionem complexam, vel orationem longam ex pluribus propositionibus coalescentem (vt sunt parabolæ, apologi, fabulæ, &c.) ad aliam propositionem complexam transfert, seu comparat, vel illatiuè similiter, vel explicatiuè. Necnon quæ transfert pariter, seu comparat, aut vnam propositionem complexam, aut vnam simplicem, aut vice versa.

10 Denique sicut alia instrumenta in præcedentibus sunt diuisa, sic potest diuidi etiam translatio primo in vocalem, & mentalem, deinde mentalem in obiectiuam quæ nihilo differt ab ipsis obiectis analogatis, siue analogicè similibus, & formalem siue intentionalem quæ ipsa cognitio est translatiua vnius eorum ad alterum modis iam explicatis. Ex quibus iam satis constat, quid sit translatio, de qua hic tractamus, & quotuplex. Ea autem re ipsa est illud similitudinis instrumentum, cui tantum defert Cornelius Gemma in suis artibus Cyclognomica, & Cosmocritica vt ad illud fermè videatur reducere totam methodum sciendi. De quo nos *quæstione sequenti*.

QVÆSTIO II.

Quam vim in scientiis humanis habeat translatio, & qualiter in ordine ad illas faciendo sit.

11 PRo exacta huius quæstionis resolutione suppono primo. Mirabilem esse analogiam, quam omnes res huius Vniuersi, quinimo omnia obiecta scibilia quantumuis diuersa inter se habent. Adeo enim vniuersaliter per cuncta excurrit analogia, vt ratione eius Prisci Philosophi præsertim Pythagorici, & Platonici, vt certa axiomata pronunciauerint. *Quidlibet esse in quolibet & cuncta in omnibus reperiri*: scilicet per analogiam, siue analogicè, quocirca dicebant tres esse mundos nexu continuo, ac veluti catena aurea copulatos: istud scilicet Vniuersum, siue Mundum maiorem: Hominem microcosmum, id est Mundum minorem: & veluti mediam Rempublicam. In singulisque eorum cuncta, quæ in reliquis analogicè reperiri. Imprimis enim partes præcipuæ humani corporis partibus præcipuis Vniuersi proportionè respondent. Nimirum cor Solem refert totius vitæ, & motionis fontem. Cerebrum Lunam humidæ fœcunditatis matrem. Hepar Iouem blando calore omnia fouentem. Splen Saturnum totius melancholiæ sedem. Martem cista fellis ad vim expulsiuam roborandam ordinata. Renes cæteræque spermaticæ partes Venerem motum omnem genialis naturæ promotricem. Pulmo Mercurium spiritu omnia connectentem. Stomachus denique Terram veluti totius receptaculum. Rursus quatuor Mundi maioris elementis quatuor humani corporis humores mirificè consonant. Bilis Igni, Sanguis Aëri, Pituita Aquæ, & Melancholia Terræ. Præterea Venæ Fluminibus assimilantur, Vesica Mari, alia minora vasa Stagnis, & Lacubus. Ossa Saxis, Caro Terræ, Pili Graminibus, &c. Aliter Corpus humanum consideratur in tres veluti Zonas, seu Regiones diuisum. Prima est Capitis referteque Cœlum Archetypum regnum intellectuale. Secunda est Pectoris, quæ Cœlum exhibet sidereum, vtpotè ex quo Planetæ, & cæteri Astri suas operationes exercent. Tertia est Ventris, & refert Mundum elementarem generationis & corruptionis Hemisphærium. In anima vero humana intellectus æquiparatur Soli, qui suo discursu cætera cuncta illuminat. Memoria reliquis Astris suum lumen recipientibus à Sole. Et Voluntas huic Mundo elementari variis motibus elementorum agitato, vtpote quæ variis quoque motibus suorum agitatur affectuum.

Iam vero in Republica provt Microcosmo 12
comparata supremus Gubernator cum suis Consiliariis Intellectui, & eius actibus assimilatur. Iura, & cætera scripta Memoriæ. Iustitiæ totiusque gubernationis executores Administri Voluntati, & actibus eius. Primores Reipublicæ partibus corporis præcipuis. Cæteris cæteri de plebe. Substantia diuitiæque Reipublicæ Sanguini & Spiritibus vitalibus, &c. Quod si ad priuatam œconomiam descendatur, eaque pariter humano corpori comparetur. In eo vtique Cerebrum cum Intellectu Patremfamilias totius domus moderatorem aget. Cor cum Voluntate Matremfamilias cuncta fouentem, Memoria Thesaurarium. Imaginatio cum suis phantasmatibus tapetia, & picturas. Iecur, & Ventriculus Culinam refert, & focum. Spiritus autem vitales Ignem, flammam. Splen, & Renes cloacas exhibent. Crura currus, & cætera membra familiam. Quibus omnibus venæ velut quidam mensæ Ministri quatuor humores velut totidem cibos iam præparatos suisque saporibus conditos ministrant. Primum Sanguinem elixum, & dulcem. Secundum, Pituitam elixum pariter, & aquosum. Tertium assatum & stipticum Melancholiam. Quartum tostum amarumque Bilem, &c. & consimiliter cætera quæque entia quibusuis ferme aliis per analogiam possunt æquiparari. Vix enim erit aliquod ab alio quopiam tam diuersum, vt inter ea non reperiatur aliqua analogia seu temperata similitudo: sicuti nulla sunt, quæ non conspirent in aliquo conceptu communi ob similitudinem exactam, quam quoad illum præcisum habent.

Vnde sequitur innumera esse axiomata quæ ex 1
æquo veritatem habent, in rebus diuersis quibus applicari possunt fæpeque de facto applicantur per analogiam. Cernitur id in multis ex Aphorismis Hippocratis. Qui cum ab ipso prore medica pertinente ad corpus humanum sint constituti, & pronunciati, æqualiter habent locum & veritatem per analogiam in re politica pertinente ad Rempublicam, & in re morali pertinente ad animam, aut etiam in re naturali pertinente ad hoc Vniuersum. Pro exemplo sint hi, qui sequuntur ex ipso Hippocrate decerpti. 1. Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt. 2. Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè neque mouere, neque nouare aliquid sine medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.

3. Quæ

3. Quæ ducere oportet, quo maximè natura vergit per loca conferentia, eo ducere conuenit. 4. Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciuntur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Atque vbi ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare. 5. In acutis passionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum. 6. Si qualia oportet purgari purgantur, confertim & facilè ferunt. Si contra difficulter. 7. Somnus atque vigilia vtraque, si modum excesserit, malum. 8. Non satietas, non fames neque aliud quidquam, quod modum naturæ excesserit, bonum. 9. Spontaneæ lassitudines morbos prænuntiant. 10. Quicumque dolente parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat. 11. Corpora cùm quis purgare voluerit, oportet fluida facere. 12. Non pura corpora, quanto plus natries, tanto magis lædes. 13. Vbi fames, laborandum non est. 14. Acutorum morborum non omnino sunt certæ prænunciationes aut salutis, aut mortis. 15. Quicumque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & quicumque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas. 16. Eius, qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum. 17. In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa quæ offeruntur, bonum. Contrarium verò malum. 18. Duobus doloribus simul non eumdem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat. Quibus adde. 19. Affectum omnis intemperantiæ in astrictione nimia vel fluore, in excessuve, vel defectu nimio versari. 20. Contraria contrariis curari. 21. Similia similibus conseruari. 22. Fluxum fluxu prouocari. 23. Parua incendia magnas vires neglecta sæpe assumere, & idcirco malorum principiis occurrendum. 24. Remedia pro ratione naturæ, & affectus variè temperanda. 25. Turpe rescindendum, ne pars sincera trahatur. 26. Nullum violentum perpetuum, moderata perdurare. 27. Omnem mutationem subitam ad contraria periculosam. 28. Paulatim sensimque transeundum ab extremo ad extremum. 29. Concocta medicari, non cruda oportere. 30. Quæ relinquuntur ex morbis tollenda, ne recidiuam pariant, & alia huiusmodi sexcenta.

14 Deinde suppono. Id esse intellectui nostro intelligibilium analogia, quod est oculis visibilium pulchritudo aut auribus audibilium harmonia. Idcirco nobis in omni omnino sermone seu prosa: soluto, seu metro alligato id maximè omnium arridet, atque delectat, quod analogiam præ se fert, siue in illa fundatur. Vix enim vllum conceptum acutum aut dictum quouis modo gratum, vel audimus, vel cogitamus, quod non præ se ferat analogiam, siue in ea fundetur. Vt cuique reflectenti animaduertentique notum fiet. Ob id etiam Parabolæ, Apologi, Fabulæ, Ænigmata, & cætera huiusmodi, quæ penitus subnixa sunt analogiæ rerum, tam apta sunt ad delectandum intellectum, atque adeo etiam tam efficacia ad permouendam voluntatem. Quorum profecto duæ sunt causæ valde notandæ. Prima quod nihil connaturalius est nostro intellectui quàm paraboliçè, siue ænigmaticè, atque adeo analogicè intelligere, hoc ipso quod cuncta omnino insensata per phantasmata sensibilia tanquam per substituta eis analogicè adsimilia, atque adeo tanquam per quædam ænigmata, siue parabolas connaturaliter intelligit, provt latè ostendimus, & explicauimus, *supra disp. 2. quæst. 3.* Secunda, quod ad intelligendam & percallendam veritatem rerum præsertim abditarum, & à sensibus remotiorum aptissimum medium est analogia quàm aliæ nobis magis notæ cum illis habent. Propterea Deus omni tempore tum Legis veteris tũ nouæ ad loquendum cum hominibus tum per suos Prophetas tum per se continuo vsus est sermone analogico, pleno videlicet parabolis, apologis, & ænigmatibus. Quinimo totam Legem antiquam cum omnibus euentis eius figuram quandam atque adeo quasi parabolam siue apologum Legis voluit esse Euangelicæ. Vt videant Prædicatores Verbi Dei quantum debeant (imitando Verbum ipsum sub carni mortali loquentem) parabolas in suis Sermonibus, seu publicis, seu priuatis ad permouendum Fidelium animos frequentare. Quamque exitialis abusus sit consulto & per despectum quemquam ab eis abstinere.

Ex his iam satis superque quàm magna sit quamque mirabilis in scientiis humanis, præsertim quæ quouis modo ordinantur, siue spectant ad mores, vis translationis, de qua tractamus cuius duo munera sunt vt constat ex dictis *quæst. 1.* quorumuis omnino extremorum analogatorum aut ignotum ex noto inferre, aut minus notum per magis notum explicare. 15

Restat dicamus, quo pacto ad praxim sit deducendum hoc instrumentum, vt suas quas habet, exerat vires; & suos, quos potest, in scientiis fructus producat. Dico vno verbo, non aliter quam illud iungendo instrumento combinationis. Ita quidem vt dum combinatio exercetur vica quasuis res vniuersi, aut circa quæuis omnino obiecta scibilia prout *disp. 19.* latè docuimus, in omnibus extremis inter se media combinatione collatis præter alia, quæ ibi animaduertenda attenteque inspicienda monuimus, insuper eorum analogia aduertatur, & inspiciatur, quæ vt pote ab ipsis extremis indistincta reipsa, ipsis inspectis statim se prodet & innotescet. Qua quidem cognita fructus eius est colligendus, & obseruandus; qui est, vt iam diximus, vel scientia illatiua veritatis ignotæ per suam analogatam notam, vel notificatio explicatiua veritatis obscuræ per suam analogatam clariorem. 16

DISPVT. XXXII.

De Memoratione.

MEmorationem dicimus Artem memorandi siue iuuandi Memoriam, vt recordetur præteritorum, siue antea intellectorum. Quæ quidem Ars iure inter instrumenta sciendi recensetur; parsque, & quidem ex magis præcipuis, ponitur Artis vniuersalis sciendi: Scire enim cum fructu sine memoria retinẽte seruãteque in thesauro suo, quod scitur, impossibile est. Quare Ars iuuans ad memorandum non potest non eo ipso esse ars iuuans ad sciendum. De ista igitur arte memorandi suscipitur disputatio præsens. 1

QVÆSTIO I.

In quo consistat Ars memorandi, & quænam sint munera eius.

SVppono primo ex dictis suprà *disput. 1. quæst. 3. hypoth. & seqq.* in nobis esse memoriam non solum sensitiuam. Qualem & bruta quoque animalia habent, sed etiam intellectiuam; facultatem scilicet animæ nostræ realiter ab intellectu indistinctam, quâ 2

recordamur eorum, quæ antea intelleximus vti experientia manifestat. Quod vtique fit mediis speciebus, quæ ex primariis intellectionibus relinquuntur impressæ in ipso intellectu, & postea excitata simul cum illo recordationem, siue intellectionem memoratiuam causant eorumdem obiectorum, quorum prout antea cognitorum species sunt. Excitantur autem eiusmodi species ad tales intellectiones memoratiuas procreandas aut ab aliqua alteratione physica nascente vel à causa interna præcisè, vel etiam ab externa, aut ab aliquo affectu seu appetitus sensitiui, seu voluntatis, aut ab aliqua cognitione seu sensuali, seu intellectuali alterius obiecti. Quod cum memorandi aliqualem aliquo modo habet aut ordinem, aut cognationem, aut oppositionem. Hinc duplex actus memoriæ distinguitur. Alius est recordatio, qui alterius obiecti recordationem non supponit, (memoriaque arrogato sibi potentiæ vocabulo, dici solet.) Alius est reminiscentia in discursu quodam memoratiuo consistens; quando scilicet intellectus per recordationem vnius obiecti excitatur ad recordationem alterius. De quibus omnibus plura *loco citato* diximus. Quæ ad rem recolenda.

3 Modo ex his infero, & suppono secundò ad memorandum obiectum antea intellectum duo omnino requiri. Primum, quod conseruetur in intellectu (qui prout est potentia memoratiua memoria dicitur) species impressa obiecti memorandi. Secundum, quod talis species excitetur ad causandam recordationem. Vnde quæcumque iuuerint ad vtrumque ea vtique ad memorandum obiectum antea intellectum iuuabunt. Ex quo rursus colligitur artem vniuersalem memorandi in vtrumque debere tendere, præbendo regulas ad vtrumque.

4 Portò ad conseruandas in memoria species impressas memoratiuas nonnulla conferunt. Primò immunitas ab infirmitatibus, quæ hius huiusmodi species delere solent: à quibus proinde cauendum est volenti illas conseruare. Secundò medicamenta quædam, vt confectio anacardina & aliæ huiusmodi. Quibus cum magno delectu & non sine peritorum Medicorum consilio vtendum est volentibus per medium istud iuuari: quia, vt fertur, medicamenta eiusmodi plus solent nocere, quam prodesse. Tertiò & magis connaturaliter confert ipsarum specierum intensio. Quo enim illæ sunt intensiores eo firmius hærent & magis durant, intensio autem earum nascitur tum ab intensione intellectionum, per quas primo gignuntur, tum à repetitione similium circa eadem obiecta. Quare qui voluerit aliquorum obiectorũ species memoratiuas intensas atque adeò diuturnas facere, quo illorum postea possit cum opus fuerit recordari: intelligat illa à principio consideretque intense, & attente, deinceps verò eorundem similem intellectionem, seu considerationem frequenter iteret, & repetat. Neque videtur aliud præterea excogitabile documentum ad retinendas, & conseruandas in memoriâ memoratiuas species impressas.

5 Cæterum quia illæ quantumuis diuturnè conseruatæ nihil ad recordandum proderunt, nisi excitentur, ac veluti compellantur ad causandam recordationem suorum obiectorum, sequitur nunc examinandum, qua industria & arte id fieri possit. Pro quo.

6 Suppono tertiò eas specierum excitationes quæ immediatè fiunt per aliquam alterationem physicam, aut per aliquem affectum appetitus vel voluntatis, vix, aut ne vix quidem posse sub artem, siue sub certas regulas cadere: quia valde sunt irregulares, valdeque nobis occulta earum causatio, vtpote oriũda ab aliqua occulta sympathia, quam tales alterationes vel affectus habent cum speciebus, quæ excitantur aut cum earum obiectis. Quare eis prætermissis.

Suppono quartò circa cæteras, quæ immediatè 7
fiunt per cognitiones, quando videlicet cognitio vnius obiecti excitat speciem alterius, ad eas imprimis valde conferre ordinem temporis, secundum quem successiuè cognoscuntur obiecta memoranda, successiuéque subinde eorum species memoriæ affiguntur. Namque quo ordine illa memoriæ succes-siuè mandantur, eodem promptè repetuntur cum nequeunt ordine inuerso repeti: oportet verò, quo repetantur ad verbum quando sunt multa, multoties illa sub eodem ordine eorumdem intellectionibus seu conceptionibus multoties interatis percurrere. Ita tamen vt quo memoria fœlicior, promptiorve sua natura est, eo paucioribus indigeat huiusce modi iterationibus. In quo magna est memoriarum varietas, & inæqualitas. Quæ omnia cunctis ex experientia ipsa sunt manifesta.

Deinde quod maximè confert ad memorandum 8
est ordo locorum, in quibus esse concipiuntur obiecta memoranda. Nam cum aliquid in aliquo loco concipimus atq; adeò mentaliter reponimus, promptum est nobis illud in eo loco inuenire, quoties ad illud ibi quærendum redimus. Proindeque si pluribus locis aliàs seriatim ordinatis plura mente locemus facillimè ea suo ordine, dum tales locos mente percurrimus, inuenimus: atque memoriter repetimus. Oportet autem illorum singula corporea esse, & quantitatis satis sensibilis, figuræque diuersæ vt faciliùs imaginatione, & consequenter intellectu capiantur, atque inter se se discernantur. Quocirca quæ insensibilia fuerint aut per phantasmata sensibilia (per quæ tanquam per substituta connaturaliter concipiuntur à nobis iuxta doctrinam *disput. 2. q. 3. supra* traditam, & sæpe in hoc opere repetitam) in locis reponenda sunt, aut; quod satius est, per alias imagines siue figuras extraordinarias, & arbitrarias, quæ postea in locis ipsis mente reuisæ promptissimè excitent recordationem illorum ob aliquam notabilem cognationem, aut oppositionem, quam habent cum illis. Cognatio siquidem cuiuluis generis, præsertimque analogiæ, & oppositio obiecti cogniti cum cognoscendo valde est huius recordationis excitatiua, vt iam notauimus.

Atque in hac quidem proprietate memoriæ no- 9
stræ per experientiam deprehensa fundatur Ars illa celebris memoriæ localis, cuius beneficio quilibet memoriæ mediocris, vel semel auditis, aut lectis obiectis quam plurimis, ex tempore valet omnia illa cum securitate repetere siue memoriter recitare, idque tum ordine eodem, quo sunt percepta, tum inuerto, tum variè interpolato, qualiter à nemine quantumuis fœlicis memoriæ, sine dicta Arte possunt repeti. Per Artem enim istam, vt optimè notauit Cic. *lib. 3. Rhetoric.* Veluti scribitur quod percipitur, vt postea quasi legendo scriptum integrè, securéque recitetur. *Loci enim*, inquit, *cera, aut chartæ simillimi sunt imagines litteris, dispositio, & collocatio imaginum scripturæ, pronunciatio lectioni. Quemadmodum igitur qui litteras sciunt, possunt id, quod dictum est scribere, & recitare quod scriptum est. Ita qui hanc Artem didicerunt, qua auditum in locis collocare: & ex his memoriter pronuntiare.*

Ex dictis constat generatim, per quæ media Me- 10
moria nostra iuuari possit tum ad conseruandas species memoratiuas tum ad eas excitandas pro efficiendis recordationibus obiectorum quorum cupiemus recordari. Sequitur nunc vt speciatim tractemus de Arte in hac materia speciali, nuperrimèque

indicata

indicata memoriæ localis à paucis quidem nunc vlitata,& ob id à plerisque ignota, aut etiam despecta; sed plane mirabili,& inter antiquiores Rhetores celeberrima plurimique æstimata;adeò,vt de illa dixerit Quintalian. orat. lib. 11. cap. 2. *Nesciretur enim quanta vis eius esset, quanta dignitas, nisi in hoc lumen orandi vim intulisset, non enim modo rerum, sed etiam verborum ordinem præstat; neque ea pauca contexit, sed propè in infinitum; ita vt in longissimis actionibus prius audiendi patientia, quàm Memoriæ fides deficiat.* Huius Artis primus inuentor dicitur fuisse Simonides Cius Poëta Lyricus,vt referunt Cic.*lib.2.de orat.* & Quintil. *supra.* Quam tamen postea multi illustrarunt, suisque præceptis, & regulis perfecerunt. Cuiusmodi sunt ipse Cic. *lib.3. ad Heren.*& Quintil.orat.*lib.*11.*citato.* Arist. *in lib.de Memoria, & Reminisc.* & *ibi* S. Thom. D. Antoni. Franciscus Petrarcha.Petrus Rauenate, Abbas Tritemius Albertus Magnus, Thomas Roselius Dominicanus, Laurentius Guillermus, Iacobus Sulpicius,Ioannes Romberelius,Franciscus Monleus, Ioannes Baptista Laporta, Antonius Rauenate, Doctor Ioannes de Aguilera, Iordanus Brunus. Nostri Cyprianus, & Castrus in suis Rethoricis. Philippus Gesualdus Franciscanus in sua Plutosophia. Lambertus Schenchelius, Ioannes Austrianus, Hyeronimus Marafiotus, Ianus Fasophorus in sua Crisi Memoriæ, & tandem Sermone Hispano D.Ioannes Velazquez de Azebedo in suo opusculo cuius titulus, *El Fenix de Minerua y Arte de memoria.* Inter quos Auctores licet quoad substantiam Artis non sit dissidium;quoad circumstantias vero, regulas, & praxes eius est aliqua varietas, qua tamen prætermissa breuiter ego cuncta ad Artem ipsam spectantia curabo exponere, prout magis consentaneum rationi, & experientiæ videbitur.

11 Et quoniam hæc Ars, vt ex Cic. tetigimus, ars quædam est scribendi mentaliter, postmodumque scripta legendi, ita quidem vt papyrus sint loci; litteræ, siue dictiones imagines rerum scribendarum, & legendarum; scriptio collocatio ordinata ipsarum imaginum in suis locis, & lectio repetitio, seu recitatio ipsarum rerum antea scriptarum. De singulis sigillatim dicemus per sequentes propositiones.

Propositio 1.

Exponere quinam, & quales sint loci idonei ad exercitium Artis Memoriæ localis.

12 Suppono sermonem hic esse de locis physicis, & propriis, vt sunt Vrbes, Oppida,Templa,Domus, Cubicula, &c. eosque debere ad propositum diuidi in quatuor genera.Nempe in Sphæras,& Fragmenta Sphæræ in Transcendentiaque & Articulos Trãscendentis. Itaquidem vt Sphæra dicatur quilibet locus magnus suis terminis circumscriptus,ex pluribusque paruis compositus,vt ampla Domus alicuius conuentus religiosi, aut alicuius Collegij, aut alicuius Principis, & alia eiusmodi Ædificia. Transcendentia vero appellentur singula parua loca ex quibus coalescit Sphæra,vt Cubicula,Cellæ, Officinæ,Pergulæ,Hortus, Compluuia, &c. Fragmentum autem Spheræ dicatur quæcumque pars eius composita ex viginti Trãscendentibus seriatim positis continuatisque intra ipsam. Articuli denique transcendentis quatuor anguli eius & centrum. Vnde quoduis transcendens constabit quinque articulis, & quoduis Fragmentum Sphæræ viginti Transcendentibus, atque adeo centum Articulis eorum, qui sunt totidem loci, & quæuis Sphæra aliquibus Fragmentis, & consequenter aliquibus centenariis locorum, pluribus, aut paucioribus iuxta compositionem eius,& amplitudinem.

13 Et quoniam eiusmodi loci aut possunt esse veri, aut ficti, aut mixti ex veritate, & figmento, scire opus est, quo magis illi fuerint veri, magisque noti per sui repetitam visionem, eò fore aptiores ad vsum Artis. Quemadmodum,& quo magis fuerint diuersi inter se. Quia quæ ipsis oculis visa sunt, & valde notabilem inter se diuersitatem habent,ea vtique promptiùs, faciliùs, atque distinctiùs sub nostram imaginationem cadunt firmiusque ab illa retinentur, & clariùs discernuntur. Vnde magna aliqua Domus ex pluribus paruis per earum aggregationem composita (cuiusmodi sunt aliquæ Religiosorum) aptissima Sphæra est ad propositum, vtpote continens intra se Transcendentia multa cum multa varietate, & diuersitate. Quorum singula insuper quo aptiora sint, sufficiente debent esse luce perfusa, saltem quando videntur, ita vt facile appareat quidquid est intra; cùm huiusmodique claritate cum qua visa sunt, debent semper in Imaginatione, siue in Memoria retineri. Debent etiam Transcendentia esse mediocris magnitudinis. Nam prætermodum ampla vagas reddunt imagines, & nimis angusta sæpe illas non capiunt.

14 Electa autem aliqua huiusmodi Sphæra attentè imprimis est perlustranda, omniaque & singula Transcẽdentia eius ipsis sunt oculis accuratè inspicienda; incipiendoque ab aliquo ex extremis seriatim inde sunt imaginatione ordinanda, & suis numeris designanda quo ordine ipsa re vera continuata sunt, ita vt secundum sit quod sequitur immediatè post primum, & tertium quod sequitur immediate post secundum, & sta deinceps, donec percurrantur viginti, quæ primum componunt Fragmentum Sphæræ.Indeque sub altero numerorum ordine percurrentur suisque numeris designabuntur, pariter alia viginti quæ secundum component Sphæræ Fragmentum; similiterque procedetur donec finiantur omnia Transcendentia inferiora, quæ primum & infimum solum, seu pauimentum Sphęræ occupant. Vt autem ab vnoquoque Transcendente ad sequens immediatum faciliùs queat imaginatione transiri, si re ipsa non est ianua, per quam transitus fiat, imaginatione fingatur. Ita vt in quoduis transcendens per vnam ianuam aut veram, aut fictam intretur, & per alteram illi oppositam ad sequens transeatur. Intra vnumquodque autem Transcendens eius Articuli qui sunt quatuor anguli, & centrum eo ordine sunt percurrendi, & numerandi vt post ingressum angulus qui est ad dexteram sit primus, secundus angulus, qui in eodem latere sequitur, tertius alter qui sequitur immediatè sequentis lateris: quartus angulus post ingressum sinister, & quintus centrum siue pars media Transcendentis, a qua pergendum per portam oppositam ad sequens Transcendens. His ita ordinatis supra infimum pauimentum Sphęræ, ex vltimo eius Transcendente per ianuam quandam fictam in tecto eius ascendendum est ad primum Transcendens pauimenti immediatè superioris, incipiendoque ab illo omnia in eo pauimento superstructa similiter sunt percurrenda, ordinanda & suis numeris designanda. Tantumdemque fiet in tertio, & supremo pauimento si forsan illud habuerit Sphęra. Quo omnia Transcendentia in ea con-

tenta manebant ordinata, & suis numeris designata & distincta.

15 Hoc ita facto, tota hæc locorum Sphæræ ordinatio, atque numeratio diligenter est Memoriæ, atque Imaginationi mandanda, multoties illillam mentaliter percurrendo, seu repetendo atque etiam ipsis oculis, quoties fieri possit, reuisendo. Vt quam promptissimè, cum opus sit, possint loci eius imaginatione percurri, tum ordine recto, tum inuerso, tum quouis modo interpolato, siue per saltus: eâdemque promptitudine possit signari numerus cuilibet loco correspondens, inceptâ numeratione à principio, quod facilè fiet supponendo in quolibet Transcendente quinque locos includi supradicto ordine numeratos. In quolibetque Fragmento Sphæræ viginti Transcendentia, sciendoque cuius Transcendentis & cuius Fragmenti Sphæræ sit locus signandus. Itaque quanto maiorem facilitatem, & promptitudinem studio per otium comparatam circa ista omnia quis præhabuerit, tanto maiore cum promptitudine, fructu, & aliorum admiratione in vsu Artis postea se exercebit ex tempore.

Adnotandum præterea est primo, si inter ordinandum Transcendentia aliquod vltra modum amplum aut longum occurrerit, expediens fore, vt diuidatur in duo vel plura suis cuique terminis imaginatione præscriptis: sicut è contra, vt ex duobus fiat vnum quando illa nimis angusta, seu nimis arcta fuerint. Secundò, cui ad vlum Artis vnius Sphæræ loci satis non fuerint, facilè eum posse duas, aut plures eligere, earumque locos, vti diximus, ordinatos paratosque in Memoria, & promptos habere. Tertiò, omnia fermè quæ circa præsentem propositionem tradidimus, diserte tradi a Cic. *lib. 3. ad Heren. suprà citato.*

Propositio 2.

17 Exponere quænam & quales sint Imagines idoneæ ad exercitium Artis Memoriæ localis.

Imagines sunt formæ, & notæ, & simulacra eius rei, quam meminisse volumus. Vt definit Cic. *loco nuper citato.* Atque adeo quæ collocatæ in locis, de quibus egimus *Propos.* 1. rerum pro quibus ibi ponuntur, recordationem causant, dum reuisuntur, ad quod munus, vt sint idoneæ, & corporeæ, & quantitatis satis visibilis esse debent. Quæ tamen neque adeo sit magna vt multum occupet, neque adeo parua vt cum difficultate discernatur. Eò autem aptiores erunt ad propositum, quò magis exquisitæ, & extraordinariæ fuerint: vel quoad figuram, vel quoad situm, vel quoad colorem, vel quoad aliquam actionem, aut passionem; vel quoad alias circumstantias sensibiles.

18 Diuidi autem potest Imago primo in identicam, & symbolicam. Identicam dicimus, quæ non est distincta à re memoranda, vt quando ponimus in locis res ipsas corporeas, quarum recordationem prætendimus, veluti homines, equos, canes, gladios, sellas, mensas, &c. Symbolicam autem appellamus, quæ pro re memoranda à se distincta subrogatur, vt illam notificet ratione alicuius cognationis, aut oppositionis, quam cum illa habet. Velut cum ponimus in locis pro fortitudine fœminam discerpentem leonem, aut leonem ipsum, pro celeritate testudinem; pro rege Sinarum hominem cum veste talari variegata, & regia corona, &c.

Deinde Imago symbolica alia vera est, alia ficta, alia mixta. Vera quia cum sit res verè existens pro alia memoranda subrogatur. Ficta, quia verè non datur, sed imaginatione confingitur, vt rem aliam notificet, & mixta quia ex parte datur vera, & ex parte fingitur. Vt si sit quid verum quoad substantiam, & fictum quoad aliquod accidens; vel vice versa, &c. qua etiam diuisione suo modo diuidi potest imago identica in veram, & fictam, & mixtam; quatenus eorum quæ recordari intendimus quædam vera, & quædam ficta, & quædam mixta esse possunt.

Quoniam autem obiectorum memorabilium 19
duo sunt genera, rerum videlicet, & verborum, vtrorumque dari possunt imagines. Atque ita omnes prædictæ rursus in Imagines rerum, & Imagines verborum diuidi possunt. Imagines autem verborum, aut possunt esse verborum significatiuorum, quorum significatio nobis est nota aut verborum vel nihil significatiuorum, vel habentium significationem nobis ignotam. Dico autem omnes Imagines prædictas aut rerum aut verborum esse posse: quia sicut imaginum rerum ita & verborum aliæ identicæ, aliæ symbolicæ esse possunt, & hæ aut veræ, aut fictæ, aut mixtæ, nam sicut res, ita & verba vel per se ipsa possunt scripta poni in locis in ordine ad sui recordationem, vel per aliud quid denotantia.

Quia tamen verba scripta per imaginationem 20
in locis ipsis litteris Alphabeti vulgaris, quibus in libris scribuntur parum pungunt Memoriam, parumque idonea vt sic euadunt ad sui recordationem; idcirco Alphabeta symbolica componi possunt in quibus singulæ litteræ per singulas Imagines symbolicas significentur, & quæ parata & in promptu habeantur ad scribenda imag nariè in locis quælibet verba per tales litteras symbolicas per talesve Imagines symbolicas literarum ac si essent ipsæ litteræ. Quæ quidem Alphabeta varia possunt excogitari. Sit primum in quo literæ denotentur per res quarum nomina incipiunt ab ipsis vt A. per Aquilam. B. per Bos. C. per Cistam, D. per Denarium. E. per Epistolam. F. per Fel. G. per Gallum & in cæteris pariter. Secundum in quo litteræ significentur per personas notas, quorum nomina incipiunt ab ipsis vt A. per Alphonsum. B. per Blasium. C. per Claudium. D. per Didacum. E. per Edmundum. F. per Franciscum, & sic de reliquis. Tertium, in quo litteræ significentur per personas quarum munera nomina habent incipientia ab ipsis. vt A. per Abbatem. B. per Barbitonsorem, C. per Chirurgum. D. per Doctorem. E. per Exorcistam. Pariterque de cæteris. Quartum (quo vtebantur Antiqui) in quo litteræ denotantur per partes corporis humani cuius nomina incipiunt ab ipsis, vt A. per Aurem. B. per Barbam. C. per Caput. D. per Dentes, E. per Exta. F. per Frontem. G. per Guttur, &c. Quintum denique in quo singulæ litteræ, maiusculæ scilicet, per singulas res eis adsimiles quoad figuram significantur, vt A. per Cineum subapertum. B. per Cucurbitam sibi similem. C. per Semicirculum. D. per Balistam. E. per Tridentem, &c. Habens itaque vnusquisque in Memoria promptum valdeque familiare sibi quoad vsum aliquod huiusmodi Alphabetorum per eius figuras tanquam per litteras potest quoduis vocabulum etiam non significatiuum, vel significationis ignotæ in locis imaginariè scribere

bere ita, vt facile illud per ipsas postea recensas legere atque adeo meminisse possit.

22 Quemadmodum autem litteræ ita & characteres numerorum per suas imagines symbolicè sunt denotandi ponendique in locis, cum opus fuerit ad promptiorem sui recordationem. Habendus itaque in promptu est catalogus huiusmodi imaginum arbitrariè electarum pro decem simplicibus Characteribus. Nimirum Pro 1. Esse poterit auis Phœnix vt pingi solet. Pro 2. Duo caleci. Pro 3. Triangulus. Pro 4. Quadratum ligneum. Pro 5. Manus quinque digitorum. Pro 6. Alia manus cum vno calamo. Pro 7. Alia manus cum duabus perdicibus. Pro 8. Cubus cum octo angulis solidis. Pro 9. Chirotheca intra quadratum. Pro 10. Sphæra vitrea vel argentea. Cæteri namque reliquorum omnium numerorum ex aliqua istorum collectione resultant, vt est notum: per hæcque signa subinde vel alia eiusmodi varie collecta poterunt designari, in lociſque pro sui recordatione poni.

23 Postremo Imago in simplicem, & complexam diuidi potest, rursusque simplex in integram & fractam. Atque adeo etiam complexa rursus in complexam ex simplicibus integris, & complexam ex fractis & complexam ex vtrisque. Dico autem simplicem quæ vnica tantum res est aut vnicum vocabulum, integram quidem, quando res integra aut integrum vocabulum in loco ponitur; fractam verò, quando dumtaxat ponitur rei aut vocabuli Fragmentum, vt caput hominis, dimidium corpus leonis, & huius vocabuli: *oramus*, pars *ora*, aut pars *mus*, &c. Vnde patet quæ sint complexæ quouis ex dictis tribus modis.

Propositio 3.

24 Exponere qualiter collocandæ sunt in locis Imagines ad quæuis obiecta memoranda. Ad idque regulas aliquas generales præbere.

Multi Græci, qui de Arte ista scripserunt, vt refert Cic. *lib.* 3. *Rhetoric.* Volebant, vt sicut ad eius exercitium præcedit præparatio locorum, qualiter diximus *Propos.* 1. sic quoque præcederet præparatio Imaginum ita, vt ante vsum Artis haberet quisque in promptu pro singulis obiectis, quæ memoranda possent occurrere, singulas Imagines iam designatas stabiliter & fixè, vti habere debet aliquot locos fixos & stabiles iuxta *ibi* dicta. Hoc tamen moraliter saltem est impossibile: quia obiecta, quæ memoranda possunt occurrere, prope infinita sunt: totidem autem Imagines habere in Memoria promptas ad vsum impossibile est saltem moraliter. Ob id Sinæ, qui per singulas figuras designabant immediatè singula obiecta scibilia, integram Artem scribendi; & legendi per integram vitam, quantumuis longam, neutiquam poterant addiscere. Hoc vnum in hoc arte, sicut in Arte nostra scribendi legendique scripta per litteras, possibile est: habere scilicet in promptu alphabetum aliquod symbolicarum litterarum ex iis quæ indicauimus *Propositione* 2. per eiusque symbolicas litteras mentaliter scribere in locis cuncta obiecta memoranda; sicut per veras litteras realiter scribuntur in papyro cuncta obiecta scienda, significatis videlicet per vtrasque litteras dictis obiectis non immediatè sed mediis ipsorum vocabulis ex illis compositis, quæ totidem sunt quot obiecta, tametsi litteræ ex quibus coalescunt sint tantum 23.

Cæterum quia ex vna parte scriptio hæc 25
mentalis symbolica cunctorum obiectorum memorandorum in locis eorumdémque memoratiua lectio siue repetitio operosa nimis esset, & impedita, eximiumque postularet vsum, vt practicè fieret: ex alia verò parte ob nimiam earundem Imaginum earundem litterarum (tametsi pro diuersis componendis vocabulis) repetitionem maiori ex parte non possent memoriter legi in locis reuisis, quæ in ipsis antea mentaliter fuerant scripta quo totus labor impensus fieret cassus: quia quod maximè ad recordationem confert diuersitas Imaginum citra earum repetitionem est. Idcirco quamquam hæc Ars eiusmodi mentalem vocabulorum per litteras symbolicas scriptionem in locis omnino non respuat, sed eam quandoque amplectatur, ad praximque deducat pro aliquibus memorandis vocabulis aut ignotæ significationis, aut nullius, vel etiam interdum pro aliis vsibus. Pro cæteris verò obiectis memorandis regulariter eâ non vtitur, sed altero scriptionis genere per imagines immediatas ipsorum obiectorum: cumque istæ tot, quot obiecta, atque adeo prope infinita sint, conficitur earum præparationem non debere præcedere, sed ab vnoquoque pro nata occasione ex tempore excogitandas & eligendas, & in locis ponendas esse pro obiectis quorum tunc prætenditur acquiri recordatio. Ad quod præstandum rectiùs & aptiùs sequentes regulæ generales iuuare poterunt.

Prima. Quando res memorandæ per se ipsas 26
possunt mentaliter poni in locis, eò quod corporeæ sunt, idoneæque ad id muneris quantitatis, ponendæ vtique sunt per se; addetur tamen eis, cum opus fuerit vt viuidiùs pungant Memoriam aliquod extraordinarium, siue insolitum accidens vel situs, vel coloris, vel actionis, &c. Vt si volo recordari canis, ponam in loco canem ipsum vel stantem in duobus pedibus, vel è sublimi appensum per caudam, vel mordentem lapidem, vel aliter. Pariterque me geram in cæteris.

Secunda regula. Quando res memorandæ 27
sunt actus significati per verba aut per nomina verbalia quorum subiecta sunt corporea per seque ponibilia in locis iuxta regulam primam, ponenda ipsa subiecta sunt sub ea tamen forma essendi, situ, aut aspectu, quo solent esse, quando tales actus exercent. Vt si volo recordari actus orandi, seu orationis, ponam hominem flexis genibus, & iunctis manibus, & oculis eleuatis in cælum. Si actus legendi, seu lectionis, ponam hominem sedentem attentéque inspicientem librum apertum, & in cæteris pariter. Poterunt etiam multi eiusmodi actuum denotari per alias Imagines symbolicas, quemadmodum regula sequente denotanda dicemus obiecta insensibilia.

Tertià regula. Quando res memorandæ in- 28
sensibiles sunt, aut aliàs ineptæ, vt per se ponantur in locis, Imagines aliæ symbolicæ sunt

pro illis ponendæ idoneæ ad cauſandam reuiſæ recordationem illarum ratione alicuius cognationis ſiue neceſſitudinis, aut alicuius oppoſitionis, quam cum illis habent. Quæuis enim cognatio, vt eſt ſimilitudo quæuis, ſiue analogia, quæuis æqualitas, quæuis habitudo aut cauſæ cuiuſuis generis ad effectum, aut effectus ad cauſam, aut totius cuiuſuis generis ad partem, aut partis ad totum, aut poſſidentis ad poſſeſſum, aut poſſeſſi ad poſſidens, &c. Nec non quæuis oppoſito cuiuſuis generis, quam habet vnum obiectum cognitum cum alio quopiam connaturaliter excitat recordationem huius: vt dicebamus ſupra *numero* 2. & 8. quod maximè eſt verum, quando ex induſtria aſſumptum eſt primum & ſubrogatum pro ſecundo, vt huius recordationem excitet, vti euenit in propoſito. Itaque pro memorando tempore ſenex alatus manu tenens horologium ponitur in loco. Pro memorando anno coluber fugiens ſuam caudam, quod erat hieroglyphicum Ægyptiorum. Pro ſingulis menſibus anni aut ſingula ſigna Zodiaci eis reſpondentia, ſcilicet Aries, Taurus, Gemini, &c. aut aliæ figuræ, per quas illi vulgo ſolent ſignificari deſumptæ à terræ fructibus eis reſpondentibus. Pro memoranda fide fœmina manu tenens cuſtodiam SS. Euchariſtiæ, quæ fidei dicatur Myſterium. Poterit poni pro memoranda ſpe fœmina viridi colore veſtita. Pro memoranda charitate fœmina amplexans multos paruulos. Pro ſonitu memorando ponemus cymbalum. Pro memoranda auaritia ſenem abſcondentem pecunias. Pro memorando exercitu militem. Pro anima rationali hominem. Pariterque pro cæteris quibuſque huiuſmodi obiectis memorandis vnulquiſque eliget Imagines quæ ſibi viſæ fuerint aptiores, ex iis quæ affatim illi occurrent, ſtatim atque aduerterit animum ad obiectorum memorandorum analogata, cauſas, effectus, contraria, contradictoria, tota, partes, ac demum quouis modo cognata, oppoſita, vel correlata. Pro quo multum proderit multorum Hyeroglyphicorum Emblematum, Ænigmatum, Parabolarum, & cuiuſuis generis Tranſlationum notitiam comparaſſe.

29 Quarta regula. Quæcumque ſunt idoneæ Imagines pro memorandis vocabulis earum rerum quæ per ſe in locis non ſunt ponbiles iuxta dicenda poſtmodum, idoneæ quoque ſunt pro memorandis rebus ipſis: quia quæcumque notificant vocabulum notæ ſignificationis & ipſam rem ſignificatam per illud conſequenter notificant, vt conſtat. Siquidem nos vocabulis pro rebus vtimur; imo aliud non eſt memoriter nos recitare res, quam recitare vocabula ſignificantia illas, & hactenus de collocatione Imaginum pro memorandis rebus provt condiſtinctis à verbis ſiue vocabulis. Pergo ad collocationem Imaginum vocabulorum Pro qua eſt primo.

30 Quinta regula. Quoduis vocabulum per ſe ipſum poteſt mentaliter poni in loco pro ſe ipſo commemorando ſcriptum, ſcilicet in papyro litteris tantæ magnitudinis, quæ facile videri poſſint. Hoc tamen licet interdum fieri poſſit, præſertim quando vocabula paucis litteris conſtant, frequenter tamen non expedit, tum quia litterarum repetitio in multis vocabulis confuſionem parit, tum quia iſtud genus Imaginum parum irritat memoriam, atque adeo non eſt ſecurum.

31 Sexta Regula. Quoduis vocabulum litteris ſymbolicis alicuius ex Alphabetis indicatis *Propoſition. 2.* ſcriptum in locis poni poteſt pro ipſius recordatione. Qui modus ſcriptionis aptior eſt quam per veras litteras. Atque adeo paulo frequentius poteſt in vſum trahi, præſertim pro memorandis vocabulis, aut ignotæ, aut nullius ſignificationis. Pro quibus fortaſſe aptior ille eſt cæteris poſtmodum recenſendis: opus tamen eſt ad eius vſum, vt alphabetum per otium ſit præparatum, probéque ſcitum, & in promptu, frequenterque trahatur in vſum, vt huius acquiratur facilitas, provt iam *ſupra* tetigimus.

32 Septima Regula. Quando vocabula ſunt notæ ſignificationis, & res quas ſignificant, ſunt per ſe ponibiles in locis iuxta regulam primam, ipſæ res ſunt idoneæ Imaginationes, ſicut pro ſua, ita & pro ſuorum vocabulorum recordatione: quia vna cum re vocabulum notum eius promptiſſime innoteſcit, vt conſtat.

33 Octaua Regula. Quando vocabula ſunt notæ ſignificationis, & res quas ſignificant non ſunt per ſe ponibiles in locis, ſed per Imagines alias ſymbolicas iuxta regulam tertiam, Imagines ipſæ idoneæ ad talium rerum recordationem cauſandam iuxta dicta *ibi*, & ad cauſandam recordationem dictorum vocabulorum ipſarum idoneæ ſunt propter rationem regulæ præced.

34 Nona Regula. Quoniam ſicut res, ita & vocabula ſuam inter ſe cognationem aut oppoſitionem habent, ratione cuius cognitio vnius eſt excitatiua cognitionis alterius: pro memorando quouis vocabulo ſiue notæ ſignificationis ſiue ignotæ aut nullius, idonea Imago eſt res ſignificata per alterum habens cum illo aliqualem cognationem aut oppoſitionem, poſitaque in loco aut per ſe, iuxta regulam primam, aut per aliud ſui ſymbolum iuxta tertiam. Quia dum talis res ſub recordationem cadit, prompte fert ſecum recordationem ſui vocabuli, quæ ſubinde excitat recordationem alterius cognati, aut oppoſiti. Sic pro memorando hoc vocabulo *Marſupium* habens vocabulum illi adſimile: & pro memorando hoc vocabulo *Meſſa* in loco poni poteſt *Menſa* habens pariter vocabulum illi adſimile, & pro memorando hoc vocabulo *Occidit*, penultimâ breui in loco poni poteſt homo occidens alterum, cuius actus vocabulum *Occidit*, penultimâ longâ in eo eſt oppoſitum alteri.

35 Sed eſt notandum circa regulam iſtam. Primo in vſu explicato eius poſſe nos vti aut compoſitione, aut diuiſione vocabulorum: compoſitione, vt ſi pro memorando hoc vocabulo *Suſpiramus*, ponantur in loco tres iſtæ res *ſus*, *pyra*, & *mus*, quarum tria vocabula iuncta ferme component illud: diuiſione, vt ſi pro memorando hoc vocabulo. *Abbas*. ponatur dimidium corpus Abbatiſſæ denotans dimidium ſui vocabuli.

36 Secundo, quia analogia vocabulorum (quæ

(quæ fermè vnica est eorum cognatio) tum maximè adest quando vocabula aut sunt ferme æqualia: quia vna tantùm littera aut syllaba se excedunt, cùm sint in reliquis exactè similia vt hæc duo *pannus*, *annus*, aut sunt ferme similia: quia vna tantùm littera vel syllaba dissimilantur; cùm sint in reliquis similia, quoad numerumque æqualia, vti hæc *Candores Cantores*, aut sunt fermè similia simul, & fermè æqualia: quia vtrumque habent, vt hæc *erectus*, *electus*. Quæ parua vocabulorum discrimina aut possunt esse in eorum principio, aut in medio, aut in fine. Oportere quod omnia hæc capita eorum perspecta habeantur, & in promptu, vt dato quouis vocabulo memorando, prompte inueniri queat aliud aliquo ex dictis modis analogatum illi cuius subinde significatum pro illius recordatione obtinenda imago esse possit: expediet tamen maioris securitatis gratia, vt littera, vel syllaba, quoad quam discriminantur vocabula, per litteram aut syllabam symbolicam alphabeti præparati insuper adnotetur.

37 Tertiò est notandum. Pro recordatione clausulæ ex pluribus vocabulis compositæ aliam earumdem, aut fere earumdem syllabarum, sed diuersorum vocabulorum cum suis significatis assumi posse: vt si pro recordatione huius clausulæ *Mone tamen sanare spes*. Hæc assumatur, *Moneta mensa nares pes* ponanturque in locis significata vocabulorum eius quæ longè sunt diuersa à significatis vocabulorum prioris; cùm tamen vtriusque syllabæ eædem sint.

38 Quartò. Qui scit plures linguas ad memoranda vocabula vnius omnibus modis dictis alterius vocabulis vti posse: imò eo vberiùs vnicuique occurrent vocabula analogata, aut opposita memorandorum quo plures ille linguas sciuerit debet tamen selecter aduertere ex qua lingua sumit vocabula ne decipiatur, aut etiam ad id discernendum signum aliquod superaddere.

39 Quintò denique notandum est. Quando vocabula memoranda sunt notæ significationis, quot modis iuxta istam regulam in eorum recordationem venitur eisdem veniri promptissimè in recordationem rerum significatarum per illa. Proindéque tum vocabulorum, tum rerum memorandi regulam esse: quia memorato vocabulo notæ significationis promptissimè cadit in Memoriam res significata per illud, iuxta ea quæ dicebamus *regula quarta*.

40 Decima regula. Pro memorandis particulis coniunctiuis, disiunctiuis, illatiuis, causalibus, exceptiuis, reduplicatiuis, præpositionibus, & aliis, quas quæuis lingua proprias habet, vt, *&*, *aut*, *ergo*, *sicut*, *quia*, *si*, *præter*, *prout*, *præ*, *ad*, &c. aut vtendum est litteris symbolicis alicuius alphabeti præparati ex indicatis *propositione secunda*. aut, quod alicui arridebit: habendus est earum catalogus cùm suis propriis singularum iam designatis præscitisque, & promptis ad vsum Imaginibus, velut pro particula coniunctiua haberi poterit designata catena, pro disiunctiua gladius, vel serra, pro illatiua ligamen, pro causatiua gladius lucis, pro exceptiua manus separans quodlibet à quolibet, & pro cæteris pariter. Verùm quando plures particulæ sunt eiusdem significationis aliud insuper signum oportebit addere, quo memorandæ in speciali discernantur à reliquis, quale erit littera alphabeti præparati à qua illa incipit, aut aliud æquiualens.

Vndecima & vltima regula. Dum collocatur quæuis Imago pro recordatione comparanda seu rei seu vocabuli, bis, aut ter, aut pluries facienda est reflexio, qua iudicetur, mentaliterque repetatur talem Imaginem pro tali obiecto memorando poni, positamque relinqui in loco. Hoc enim maximè confert ad figendam in Memoria Imaginem cum respectu ad obiectum memorandum per illam; & consequenter ad promptam ipsius obiecti postea futuram recordationem. Breuissimèque & facilè id fieri poterit etiam quando collocantur imagines ad repetenda statim obiecta. Quod si inter tempus collocationis, & temporis repetendi aliqua sit considerabilis intercapedo, eximie ad securitatem & promptitudinem repetitionis conferet interim semel, aut bis, aut pluries loca percurrere, mentalitérque repetere, quæ postea vocaliter sunt repetenda. 41

Propositio 4.

Post exactam præparationem locorum, & 42
ritè factam collocationem Imaginum pro obiectis quibusuis memorandis connaturaliter sequitur eorum recordatio, & consequenter repetitio.

Quare circa illam solùm supereſt aduertendum, id esse peculiare in hac Arte, & certè mirabile, quòd quæ iuxta eam Memoriæ commendata sunt non solùm directè incipiendo à principio versus finem, sed etiam inuersè incipiendo à fine versus principium repeti possunt. Tum quouis modo interpolatè incipiendo à quauis parte intermedia aut versus finem, aut versus principium, & rursus pariter ab alia saltando ex qualibet ad quamlibet, prout memoranti fuerit libitum, aut à circumstantibus postulatum. Quæ omnia vt fiant tametsi magna opus sit attentione, & affixione imaginationis ad loca, & imagines, curandum nihilominus est id, & Artem ipsam dissimulare, cohibita penitus omni motione siue affectatione exteriori earum, in quas solent prorumpere qui valde intente, & absque vlla diuersione conantur quidpiam imaginari.

QÆSTIO II.

Quam vim, & energiam habeat Ars Memoriæ localis, & qualiter ea in praxim, vsumque deducenda sit.

QVANTA sit vis & energia huius Artis 43
per ea, quæ de eius effectibus referuntur

ab Auctoribus commemoratis, *suprà numer.* 10. clarè innotescit. Refertur enim primò Carneadem, & Metrodorum peritissimos in illa, dum essent Athenis solitos dicere, perinde ac litteris in cera, sic imaginibus in locis se scribere quidquid volebant. Secundò de ipso Metrodoro refertur, ex tempore eum repetere, quæcumque etiam à multis audiebat, eodem ordine, quo audiebat. Tertiò refertur de Seneca & Theodecte quos audiebant versus in quouis numero quantumuis magno statim, & sine mora repetere. Et cum ducenti scholastici totidem versus coram Seneca recitassent, statim eum illos omnes inuerso ordine repetiisse. Ipsumque Senecam de se scribere, se duo millia vocabula semel tantùm audita statim eodem ordine cum magna adstantium admiratione repetere. Quartò refertur Regem Cyrum per Artem istam omnes numerosissimi sui exercitus milites propriis nominibus nuncupare. Id quod feciſſe pariter dicuntur Lucius Scipio, & Appius Claudius circa omnes ciues Romanos. Quintò refertur Cineam Thessalum à Rege Pino Romam missum post tres dies propriis nominibus nuncupasse Primores omnes tum Senatus, tum totius ordinis Equestris non sine magna Romanorum admiratione: multaque huiusmodi referuntur exempla, quæ ab ignorantibus vim huius Artis non solùm mira, sed præter naturalia videntur. Repeti enim ab homine ordinariæ vel etiam mediocris memoriæ magnum vocabulorum numerum statim, ac semel audiuntur, idque tum eodem ordine quo audiuntur, tum inuerso, tum per quosuis saltus, naturaliter, & sine Arte factu est impossibile, vt constat. Per hanc autem Artem facilè fit, vt experientia monstrat, de qua ego testari possum. Poteritque quilibet alius, qui experiri voluerit.

44 Quæ experientia planè conuincit deluſoriam esse ratiocinationem quorundam, qui sibi suadent Artem istam non posse non impedimentum potius quam adiumentum, & onus potius quam leuamen Memoriæ nostræ adferre: eo quòd loco vniuscuiusque obiecti memorandi trium exposcit recordationem loci, scilicet, & imaginis, & obiecti ipsius; compertumque videtur plus onerare Memoriam ægriúsque ab ipsa retineri tria obiecta quam vnum, quamlibetque subinde congeriem obiectorum triplicatam quam simplicem. Etenim ratiocinationem istam esse fallacem experientiæ dictæ demonstrant; sed & ratio ipsa planè suadet. Quia sunt quædam pondera, quæ adiuncta aliis potiùs leuant, quam onerant, iuuantque potius, quam præpediunt vectationem eorum, vt rotæ in curru, plumæ in auibus, & similia. Ita iuuant Memoriam nostram loci, & imagines ad vectandum pondus obiectorum memorandorum; tametsi & illa sint quædam pondera.

45 Iam pro praxi, & vsu huius Artis sequentia documenta sunto. Primum. Quod facilius fit per hanc Artem & cum maiore nihilominus aliorum admiratione, est plurium vocabulorum disparatorum ac inter se diuersorum præsertim significationem notam habentium ex tempore recordari, post semelque ea audita (paulatim tamen quantum sat sit ad ea ponenda in locis) statim & sine mora repetere: idque aut eodem ordine quo sunt audita, aut inuerso, aut quouis modo interpolato. Itaque quo ordine, quis audit vocabula eodem ponet illa in suis locis, secundum regulas præscriptas *quæstione* 1. *propositi.* 3. Moxque succedet effectus dictus. Oportebit tamen ea interim in charta aliqua scribere, & suis numeris designare; tum vt nonnihil temporis suppetat ad ea in locis collocanda, tum vt per talem scripturam videri possit, num posteà repetantur fideliter; rogaritque possit, vt repetatur hoc, aut aliud, octauum, scilicet vigesimum, aut trigesimum; vtque inchoetur repetitio ab hoc, aut ab illo: & vel progrediendo finem versus, vel retrogrediendo versus principium continuetur. His quippe omnibus similibusque postulationibus promptè poterit qui exercet Artem satisfacere, non sine astantium admiratione, postquam ritè iuxta regulas dictas in suis locis vocabula collocauerit. Vt tamen securiùs id præstet, postquam dum scribuntur vocabula, ipse ea in locis posuerit, roget vt semel sibi legantur interimque dum leguntur eodem passu percurrat loca, reuisatque locata. Quo eodem pacto per Artem istam ex tempore poterit quisque repetere, seu recitare quælibet alia obiecta quantumuis multa nullatenus inter se cohærentia sed sed prorsus disparata, eoque facilius id præstabit, quo magis illa disparata & interse diuersa fuerint.

Secundum documentum. Vtilior, atque ad- 46
eò æstimabilior vsus Artis stat in memorandis, recitandisque ex tempore, atque etiam cum securitate, longis sermonibus, orationibus, narrationibus, seu relationibus, ratiocinationibus, lectionibus, aut etiam tractatibus, quæ sæpe in humano conuictu recitanda occurrunt, hominibus præsertim litteratis, quarumuisve litterarum studio deditis, vt concionatoribus, Magistris è Cathedra docentibus, atque discipulis addiscentibus, lecturis in oppositione siue concursu pro obtinenda aliqua Cathedra, Præbenda, Parochia, aut Collegiatura, Aduocatis, Relatoribus, Consiliariis, & aliis huiusmodi in quouis scientiarum aut negotiorum genere, vel latè oraturis, vel quoquomodo multa dicturis. His enim omnibus eximiè vtile eximiéque subinde æstimabile erit, ex tempore posse (aut certè cum studio tam breui vt queat dici extemporale) sermonem quemuis quantumuis longum Memoriæ mandare, & affigere, statimque cum securitate referre, recitare, siue repetere: quod beneficium præstat hæc Ars. Cæterùm quia duobus modis potest per hanc Artem longus sermo Memoriæ mandari, & referri. Primò ad litteram siue verbatim, mandatis Memoriæ, & recitatis iisdem verbis quibus refertur. Secundò quoad substantiam rerum dumtaxat, mandatis Memoriæ solis rebus, eisdemque suo ordine recitatis per verba quælibet, quæ inter recitandum occurrerint. De secundo & faciliori nunc agimus, acturi mox de primo.

Itaque dicturus postmodum quemuis lon- 47
gum sermonem ipsum accipiet, considerantumque quoad substantiam, & nihil curando de Verbis, à principio diuidet in partes maiores, aut minores prout sibi placuerit, & magis commodum siue vtile visum fuerit in ordine ad recordationem securam, attentis conditionibus

tionibus tum materiæ, tum suæ Memoriæ naturalis, tum aliarum circunstantiarum, incipiendóque à prima collocet eiusmodi partes ordinate in suis locis, mediis earum imaginibus idoneis secundum regulas traditas *quæst. 1. proposit. 3.* easque locatas semel, aut iterum reuisat recolatque, si tempus suppetit percurrendo loca omnia suo ordine. Quo facto sermonem integrum quoad substantiam reddet Memoria, qualiter commendatum accepit: vt sicque repeti poterit sine periculo per verba quæ iuxta linguam dicenti familiarem ipse vsus loquendi dabit.

48 Tertium documentum. Difficilius est, etiam per hanc Artem sermonem longum tempore breui mandare Memoriæ, & repetere ad litteram, siue verbatim, præsertim si prosa solutus, & non metro alligatus sit. Potest tamen id absolutè nihilominus fieri per regulas *suprà* etiam traditas *quæst. 1. proposit. 3.* pro memorandis verbis siue vocabulis; eoque cum minore difficultate fiet, quo maior fuerit vsus Artis. Sermones verò breuiores per dictas regulas non adeò difficile memorabuntur & repetentur ab vno quoque etiam quoad litteram, & verbatim. Quocirca quotiescumque aliquis sermonem longum quoad substantiam recitaturus, aliquas clausulas, siue particulas eius verbatim recitare voluerit, non est cur ab hoc retrahatur; siquidem per prædictas regulas non admodum difficulter id consequetur, ex quibus generatim constat quinam sint vsus huius Artis, ad quæve capita reuocentur.

49 Supereſt vt pro omnibus illis hoc quartum demus documentum. Quicumque voluerit in hac Arte proficere mirisque eius, & valde vtilibus effectibus, fructibusque affatim frui, exercitationi eius incumbat assiduè, incipiatque à facilioribus, & paulatim progrediatur ad cætera. Quippe Ars hæc ex earum genere est, quæ valde ab exercitatione dependent, praximque habent principio quidem difficilem, & impeditam, post vsum verò continuatum expeditam admodum & facilem. Vt cernitur in artibus legendi, & scribendi, quibus hæc Memoriæ localis assimilatur, in artibusque cantandi, pulsandi instrumenta, saltandi, & ex mechanicis in plerisque, cæterisque huiuscemodi. Itaque vsui & exercitationi maximo opere est incumbendum. Quo & ipsa potentia naturalis vniuscuiusque aptior ad memorandum reddetur. Nam, vt fert vulgatum atque verissimum proloquium. Memoria excolendo augetur.

50 Tantùm autem poterit aliquis in Arte ista exercitatione proficere, vt non difficilè possit, sibi comparare secumque ferre Bibliothecam quandam mentalem ex variis Sphæris coalescentem, in quibus distributas habeat scriptasque mentaliter velut in quibusdam libris, seu classibus librorum diuersis diuersas scientiarum, quas fuerit assequutus, materias, aut saltem præcipua, & selectiora capita earum, vt inde possit ea cum opus fuerit, promptè resumere.

51 Confert etiam facilitas vtendi hac Arte per ipsius vsum comparata ad retinenda fixe in Memoria obiecta semel scita, & semel in locis collocata, quatenus confert ad facilem eorum repetitionem, quæ potissima causa est tum conseruationis, tum etiam promptæ excitationis specierum memorabilium, prout iam suprà *q. 1.* tetigimus.

52 Vbi tamen notandum est. Ad retinenda in Memoria obiecta quæuis semel scita per artificium istud, retentis in locis, & conseruatis eorum imaginibus, omnino oportere habere vnam, aut plures Sphæras separatas, & definitas ad hoc solùm munus: ex Sphæris enim præparatis, & destinatis ad memoranda & repetenda ex tempore obiecta, quæ memoranda, & repetenda possunt, atque solent occurrere: potius curandum est oblitione delere Imagines, quæ semel ad aliquam memorationem, repetionémque extemporaneam aliquorum obiectorum seruierunt. Ne ibi retentæ & conseruatæ cum aliis, quæ postea ad alia obiecta memoranda ponendæ venient, misceantur, & confundantur; atque ita impedimento sint Memorationis, aut repetitionis futuræ. Quocirca studiosi huius Artis varias Sphæras aut certè varia Sphæræ Fragmenta debent habere præparata, vt postquam aliquo vsi fuerint aliud, & aliud pro sequentibus Memorationibus assumant, donec longitudo temporis illius prioris imagines prorsus deleuerit.

Postremò est animaduertendum. Per hanc Ar- 53
tem Memoriæ localis mirificè iuuari posse Artem combinandi partem potissimam vniuersalis Artis sciendi. Positis videlicet ordinatisque in locis terminis, aut propositionibus combinandis, vt ibi veluti ad manum sint pro combinatione faciliùs, promptiúsque facienda citra scriptionem externam; quæ alioquin sæpè requiretur. Id quod sibi vult licentiatus Michaël de Vargas in suo libello nouissimè edito Matriti, practicè docens quomodo centum termini *suprà disputatione 23. quæstione 4. numer. 46.* ex P. Delgadillo relati per Artem hanc Memoriæ commendandi, in eaque retinendi sint. Quò promptè in quauis materia occurrente in combinationem, comparationemque trahi possint pro illa sine fine dictanda, augendave, siue illustranda. Tametsi Auctor iste in dicto Opusculo nonnullos, sicut & alij Lulliſtæ, defectus habeat, iuxta notata à nobis *suprà quæst. citata numer. 43.* Qui per doctrinam in præcedentibus traditam supplendi, & corrigendi sunt. Et hæc de Memoratione, de Arteve memorandi satis.

DISPVT. XXXIII.

De Traditione.

VLTIMVM instrumentum sciendi ponimus Traditionem quod docet, qualiter scientia sit digerenda, texendaque seu componenda, vt sicque tradenda; siue communicanda aliis, aut scripta in libris aut voce tenus è suggestu, vel aliter. Quod subinde instrumentum est, & componendi scientiam ad docendum, & docendi ad componendam scientiam, de eoque aget præsens, & vltima totius operis disputatio.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quid sit Traditio, & quotuplex.

2 TRaditionem dicimus rectam, & legitimam Methodum digerendi siue ordinandi, atque adeò etiam texendi, seu componendi scientiam, vt sicque illam aliis communicandi siue tradendi. Vnde Traditionis munus est præbere, & exequi regulas certas methodice digerendi siue ordinandi atque adeò componendi quamlibet scientiam, vt sicque illam communicandi aliis vel scripto vel verbo. Quocirca vsus huius instrumenti ad eos omnes spectat potissimùm, qui scientiam quamlibet aliis tradere, seu quoquomodo communicare probè & prout oportet prætendunt: idque vel per scripturam vel viua voce, sed & ad eos etiam qui aut ab olutè aut sibi ipsis eam cupiunt habere benè ordinatam & compositam. Sumimus autem hic scientiam latissimè, prout alias sæpè, pro quouis aggregato actuum sciendi aut etiam obiectorum scibilium quatenus talium aliquem inter se habentium ordinem in quacumque materia sint.

3 Hinc primo Traditio (quæ & methodus traditiua dici potest) in duo membra potest diuidi. Nempe in Traditionem per scripturam, & Traditionem per verba.

4 Secundò quæuis illarum est diuidenda in Traditionem scientiæ metaphysicæ, & Traditionem scientiæ physicæ, & hæc rursus in Traditionem scientiæ physicæ discursiuæ & in Traditionem scientiæ phyficæ narratiuæ iuxta diuisiones huiusmodi scientiarum datas *disputat. 21. quæstion. 2. diuis. 1.* Quarum singularum subindéque & mixtionum earum propriæ regulæ tradendæ sunt *quæstione sequent.*

QVÆSTIO II.

Quanam sint Traditionis regulæ ad rectè ordinandam componendam atque tradendam quamlibet scientiam dirigentes.

5 SVpposita doctrina tradita *disp. 21. & seqq.* de natura & accidentibus scientiæ humanæ sumptæ latissimè, dèque Arte vniuersali sciendi & instrumentis eius, quæ ad rem recolenda atque recognoscenda est; regulæ certæ quamlibet scientiã rectè ordinandi, componendi, & tradendi nullo negotio præscribi possunt. Vtpotè quæ ex ipsa natura & proprietatibus scientiarum, aut etiã Artis sciendi eruendæ sunt. Quia tamen scientiæ Metaphysicæ nonnihil diuersam Traditionem exposcunt ac scientiæ physicæ; & inter has discursiuæ diuersam ac narratiuæ: tum quæ per scripturam traduntur diuersam ac quæ viua voce, de singulis hisce sigillatim, subindeque & de earum mixtionibus, dicendum nobis est, supponendo semper totam doctrinam datam locis citatis, prout sequitur.

6 Prima regula. Dum scientia aliqua Metaphysica scripto tradenda suscipitur, ante omnia tota materia obiectiua eius circumspicienda est; prudenterque diuidenda, si fuerit ampla in aliquas partes, distribuendas per totidem libros siue tractatus. Quarum vnaquæque rursus in alias minores subdiuidetur, distribuendas per disputationes, siue capita, quæ tandem disputationes siue capita ex propositionibus, aut ex quæstionibus, aut ex vtrisque componendo venient. Hoc facto anteponendo semper ea quæ magis vniuersalia; atque adeò magis nota, & minus dependentia in sui cognitione a cæteris visa fuerint, vniuscuiusque disputationis termini indigentes explicatione, siue definitione (quod ex clarissimis non sunt) definiendi sunt, siue explicandi; primò quidem vniuersaliores à cæteris abstracti, siue ex eis adunati, deinde verò, facta horum exacta, siue adæquata diuisione, minus vniuersales sub eis contenti: quo principia scientiæ primi generis, quales sunt definitiones terminorum siue propositiones prædicantes definitiones ante omnia (vti debent) manebunt statuta. Post quæ statim statuenda sunt secundi generis principia, nempe propositiones per se & ex terminis prædicantes proprietates subiectorum primas, siue immediatas, quæ axiomata nuncupantur. Vnde tandem est procendum ad propositiones per aliud noscibiles de passionibus subiectorum mediatis suo ordine demonstrandas, si scientia fuerit demonstratiua; sin minus, ad exagitandas quæstiones de eiusmodi subiectorum passionibus etiam suo ordine. Qui quidem ordo in eo stat, vt vnaquæque propositio, si est demonstrabilis, semper per principia iam præmissa, aut etiam per præuias propositiones iam demonstratas demonstretur; si autem non est demonstrabilis, sed tantùm probabilis, etiam per præcedentia iam probata, quantum fieri possit, probetur: tametsi ob mutuam connexionem quam solent habere obiecta scientiarum, interdum ad maiorem propositionis comprobationem subsidij aliquid ex subsequentibus nondum probatis, suppositio quod sunt probanda, liceat præaccipere.

Itaque circa materiam vniuscuiusque disputationum (inquas est materia integra scientiæ cuiusus metaphysicæ amplioris distribuenda) quo methodice digeratur, componatur, scriptóq; tradatur scientia, omnia fermè instrumenta sciendi, quo ordine ea descripsimus in hoc tractatu, sunt exercenda. Primò Obseruatio, ad quam spectabit talem materiam obseruare, circumspicere, atque notare. Secundò Compositio, qua ex omnibus terminis eius vniuersaliores conceptus sunt abstrahendi, & adunandi. Tertiò Definitio, qua eiusmodi conceptus seu termini vniuersaliores sunt definiendi. Quartò Diuisio, qua iidem in omnes minus vniuersales sub se contentos sunt diuidendi definitis itidem illis omnibus siue explicatis interim, dum in ipsos fit vniuersaliorum diuisio. Quo principia scientiæ primi generis manent statuta. Quintò Locatio, qua terminiidem per schemata ex eis composita aptandi ad manumque veluti ponendi sunt ad combinationem. Sextò Combinatio, per quam exercitam circa ipsos terminos imprimis colligenda sunt atque adeò statuenda principia secundi generis, quales sunt propositiones cæteræ per se notæ dictæ axiomata, deinde obseruandæ & notandæ omnes quæstiones, quæ resultauerint. Vt iis rursus tum cum principiis, tum inter se cõbinatis propositiones per aliud notæ deprehendantur, locandæ ad scientiam componendam secundum suum debitum ordinem iam prænotatum. Cum quo exercitio combinationis vius Argumentationis 7

nis atque etiam translationis, quæ alia sciendi sunt instrumenta miscebitur. Poteritque etiam Memoratio in ipsum vsum combinationis trahi per terminorum propositionumque & quæstionum sub combinationem cadentium recordatione. Quo per Traditionem ipsam, de qua modo agimus prout ordinantem, & componentem atque adeò tradentem scientiam cætera omnia sciendi instrumenta exercebuntur circa ipsam scientiæ materiam.

8 Hæc dicta de materia intrinseca eius partis metaphysicæ scientiæ, quæ intra cancellos vniuscuiusque disputationis includitur: quia tamen sæpè aliquarum propositionum eius demonstratio, aut probatio dependet à propositionibus vel per se, vel per aliud notis ad aliam scientiam seu partialem, seu totalem spectantibus, hæ quoque ad illarum demonstrationem siue probationem faciendam præsupponendæ sunt. Idque vel sub initium disputationis, præsertim quando illæ sunt per se notæ, siue principia, vel ante eas tantùm propositiones ad quarum demonstrationem seu probationem prærequiruntur, præsertim quando sunt illæ per aliud notæ. Quo pacto in Mathematicis disciplinis, quæ scientiæ sunt demonstratiuæ, lemmata præmitti solent ante eas tantùm propositiones, pro quibus demonstrandis sunt requisitæ; & in aliis scientiis non adeò demonstratiuis sub initium tantùm quæstionum vbi sunt propositiones, siue conclusiones probandæ, propositiones aliæ aliunde prærequisitæ præmitti etiam solent per modum suppositionum siue hypotheseon.

9 Quoniam item termini, & propositiones constituentes materiam intrinsecam vniuscuiusque disputationis, cuius scientia veluti intrinseca digerenda atque componenda suscipitur, cum infinitis aliis terminis, & propositionibus, & quæstionibus aliarum scientiarum siue partialium, siue totalium in infinitum combinari, comparariique possunt. Quo iure dicta scientia veluti intrinseca vniuscuiusque disputationis per semiextrinseca, & extrinseca additamenta in infinitum potest augeri, & extendi; arbitrij prudentiæque illam componentis atque tradentis erit, magis aut minus illam protrahere atque protractam dare iuxta ipsius scientiæ conditionem, vtilitatem, aut dignitatem. Nobis sat fuerit regulas per Artem istam vniuersalem dedisse, quibus illa, & quæuis alia non solùm methodicè digeri, componi, & tradi, sed insuper methodicè etiam protrahi, extendique in infinitum, atque adeò absque vllo limite aut termino possit.

10 Secunda regula. De Traditione scientiæ cuiusuis physicæ, discursiuæ scripto tradendæ, idem ferme dicendum est ac diximus de Traditione scientiæ cuiusuis metaphysicæ. Nisi quod scientia physica principia secundi generis habet propositiones singulares ex vi experientiæ per se notas, cum tamen scientia metaphysica principia secundi generis habeat propositiones vniuersales per se notas ex vi connexionis immediatæ subiecti cum prædicato, quæ axiomata nuncupantur. Quocirca facta diuisione materiæ cuiusuis scientiæ physicæ, si fuerit ampla in partes maiores correspondentes libris, siue tractatibus, rursusque in minores correspondentes disputationibus, siue capitibus, vt dictum est in regula prima. Primum in rigore ponendum in vnaquaq; disputatione historia experimentorum erat ad eius materiam spectantium, vtpotè ex quibus, tum definitiones terminorum (quæ dantur plerumque in scientia physica respectiuè ad connotata experimentalia) tum propositiones singulares per se notæ vi experientiæ, quæ talis scientiæ sunt principia desumenda erant. Cæterum quia ex vna parte eiusmodi experimenta aliunde supponuntur nota; ex alia verò ex propositionibus singularibus, quæ sunt principia oriunda ab illis, prompte inferuntur per inductionem propositiones vniuersales, quæ ob id principia reputantur atque adeò axiomata vniuersalia talis scientiæ; prætermissis experimentis, quæuis pars scientiæ physicæ (quemadmodum & metaphysicæ) à definitionibus primò vna cum diuisionibus terminorum, deinde ab eiusmodi axiomatibus inchoari solet. Atque ita in omnibus quod attinet ad methodum traditiuam scientiæ physicæ, & metaphysicæ tractari solent vt pares. Nam in reliquis præter principia re vera sunt pares, pariterq; proinde subiectæ regulæ præcedenti. Negari tamen nequit scientificam methodum postulare, vt scientiæ physicæ ab experimentis siue ab historia experimentorum omnino inchoarentur tamquam à primò firmóque fundamento eorum. Quare quoad hoc methodus eas tradendi deberet corrigi. Quo & firmiores euaderent. Nam axiomata vniuersalia ex vno dumtaxat aut altero experimento sæpè desumpta, non semper satis firma sunt. Itaque in reliquis præter hanc exceptionem scientiæ physicæ discursiuæ iuxta regulam præcedentem tradendæ sunt.

Tertia regula, ex dictis in duabus præcedentibus regulis planè colligitur qualiter sint scripto tradendæ scientiæ mixtæ ex metaphysicis & ex physicis discursiuis: compertum enim est pro modo mixtionis earum debere esse modum mixtionis quo & traditiones ipsarum miscendæ sunt iuxta iam dicta. 11

Quarta regula. Quoniam traditio scientiæ physicæ narratiuæ quatenus talis in recensendis euentibus singularibus, aut præteritis, aut præsentibus, aut futuris distincta est. Quò exacta illa sit, & methodica, duo potissimum requiruntur. Primum quod innitatur fundamentis idoneis ad faciendam fidem, eaque iaciat aut indicet sufficienter, vel sub initium narrationis, vel vbi magis videbitur opportunũ. Secundum, quod congruis vtatur diuisionibus materiæ narrandæ, appositèq; ordinet partes eius prout magis expedire videbitur iuxta materiæ ipsius conditionem, & narrationis finem aliasque circunstantias. Quæ omnia quia varia esse possunt, & solent, sub vnicam determinatam regulam non possunt cadere. Ob idque prudentiæ narratiuè scribentis eorum congrua, & recta dispositio committitur. Hoc solùm ipsi generali documento præscripto. Quod curet omnino sic cuncta tradere, vt cum maiore firmitate atque claritate possibili integer finis narrationis obtineatur. 12

Quinta regula, ex omnibus præcedentibus regulis satis superque constat; qualiter tradenda scripto sit scientia mixta ex narratiua & discursiua physica, vel metaphysica vel vtraque. Pro Traditione autem methodica scientiæ stylo oratorio scriptæ quæ mixta ferè semper est ex tribus prædictis vltra dicta in præcedentibus, speciatim poterunt obseruari regulæ, quas Rhethorica exhibet, & idoneæ sunt vt notauimus *disp.23. q.4. num.27.* 13

Nunc superest circa prædicta notandum primo. Quando aliqua scientia aut pura, aut mixta, maiori ex parte componitur ex principiis per se notis vti euenit iis quæ agunt de rebus ad maiores quoquomodo spectantibus quasque exhibent scripta illa, quæ sententiosa dici solent, vt Senecæ, Thomæ à Kempis & cætera huiusmodi; etsi aliquas ex principiis inferant cõclusiones non debere tamen omnia principia ante conclusiones omnes præmitti adhuc intra singula capita aut partes exiguas talium 14

scientiarum

scientiarum, & scriptorum, sed illa potius vbique spargi, & cum conclusionibus miscerì, prout magis videbitur opportunum. Id quòd vniuersaliter est seruandum in omni scientia ad persuadendum atque mouendum animos stylo oratorio conscripta. Præmissio enim illa principiorum omnium ante conclusiones per singula capita per singulasve disputationes facienda. De qua regula prima, & secunda, solùm est pro scientiis quæ ex multo pluribus conclusionibus quàm principiis constant & stylo, vel demonstratiuo, vel scholastico procedunt.

15 Vnde secundo vniuersaliter est notandum. Quòd vniuscuiusque scientiæ Traditio per scriptum rectâ sit, & methodica multum pendere tum ab exactâ intelligentiâ de naturâ eius, & fine, tum à prudentia illi subnixa tradentis illam. Vnde si scientiam quamlibet scripturus naturam eius habuerit probe perspectam penes notitias à nobis traditas in toto hoc opere maximè à *disp.* 21. solerterque animaduerterit legitimum finem suæ scripturæ debere esse, vt eam legentes facilè, & perspicuè percipere, plenè & perfectè assequi, penitusque percallere valeant; cæterasque circumstantias attente pensitauerit, non erit illi difficile eligere prudentialiter traditionem, quæ magis idonea magisque consentanea naturæ & fini talis scientiæ futura sit. Atque adeo pro eligenda recta & legitima traditione cuiusuis scientiæ multum huiusmodi hominum prudentiæ relinquendum est.

16 Tertiò tamen est adnotandum in plerisque libris stylo scholastico scriptis præsertim recentiorum multa peccata passim committi contra rectam & scientificam scribendi methodum à nobis in hac quæst. indicatam quæ quisque probe illa & scientiæ natura intellecta, facilè poterit animaduertere ac deprehendere & cum opus sibi fuerit cauere. Tria tamen hic non prorsus desinam adnotare. Primum quòd passim circa materiam subiectam quæstiones aliquas valde inculcant, de aliis verò penitus tacent, quæ æquali iure discuti possent, & deberent. Secundum quòd circa aliquam ex subiectis materiis amplissime circumquaque se extendunt variis propositis, & late examinatis quæstionibus, circa alias verò æque aut magis scitu dignas atque etiam fœcundas sæpe diminutè valde non sine iniuria earum se gerunt. Tertium quòd sæpè nimij admodum sunt in dictis aliorum confutandis, quasi quærentes potius de excitata contentione victoriam, quam de inuenta veritate trophæum. Quorum profecto peccatorum remedia erunt. Primi quidem, materiæ disputationi subiectæ exactæ & adæquata diuisio, exactaque terminorum inde nascentium combinatio: hæc enim duo instrumenta quæstiones omnes dignas examine iudicabunt. Secundi autem, non solis materiis ab aliis iam tractatis sed omnibus scitu dignis instrumenta sciendi applicare; nam vt est facile inuentis addere, consequens est, vt qui non student ex arte tractata iam ab aliis extendant, intacta verò intacta relinquant. Tertij denique remedium erit, libidinem aduersarios vincendi pro studio sincero commutare adinueniendi veritatem. Quæ autem in cæteris libris, vel oratorio, vel narratiuo, vel quoquomodo mixto stylo conscriptis errata sint contra rectam methodum scientiam tradendi per dicta etiã ac suppositа à nobis in præsente quæstione facilè quisque deprehendet, corrigetque, cùm opus fuerit. Venio iam ad traditionem scientiarum faciendam viua voce. Proqua sit.

17 Sexta regula. Hoc inter est inter traditionem scientiæ per scriptum, & traditionem per viuam vocem. Quod prima ad omnes dirigitur: secunda ad audientes dumtaxat. Ex quo discrimine hoc generale documentum enascitur, quod in prima omnibus regulis indicatis rectæ & methodicæ traditionis vtendum est. In secunda verò iis omnino quæ conditioni captuique auditorũ conueniunt. Vnde Rhetorum certa regula est, vt omnis orator se se auditoribus accommodet. Atque ita eorum conditione, captu, & præsente dispositione cum cæteris circumstantiis benè perpensis taliter suam orationem, siue sermonem qualemcumque disponat, & dicat, qualiter magis consentaneum fore putauerit ad finem intentum consequendum, scilicet ad faciendam fidem, ad persuasionemve ingenerãdam, seu quoquomodo permouendos audientium animos. Pro quo in Rhetorica specialiores ad specialiora descendentes regulæ dantur, quæ videri poterunt ibi.

Similiter omnis Magister difficiliores scientias 18
discipulis viua voce tradens, eorum conditioni & captui accommodandus est. A facilioribus scilicet inchoando, vt per illa ad difficiliora transitus fiat: multifariam cuncta explicando; ac demum ea media adhibendo quæ ad imbuendum discipulorum animos, siue intellectus ea cui dant operam, scientia, videantur aptiora. Et quoniam potissima omnium Tyronum difficultas ex ignorantia tum terminorũ, tum connexionis propositionum integræ scientiæ, cui incumbunt, enascitur: eo quod multi termini tanguntur obiter in principio, quorum explicatio dependet à dicendis in medio, aut fine, & multarum propositionum connexio principio non apparet, donec aliæ tradendæ in medio, vel in fine innotuerint. Idcirco ego omnes Magistros hoc vnum præ cæteris consilium & ante omnia monerem amplectendum. Quòd scilicet totam saltem materiam per totum annum aut semiannum perlegendam principio paucis diebus breuiter cursimque percurrerent explicando terminos eius, vt illos discipuli agnoscerent, & testando propositiones, vt eas pro tunc crederent. Mirum enim est, hac breui diligentia facta, quàm facilè discipuli cuncta intelligerent dum redeundo ad principium, ea paulatim & per otium explicarentur, & probarentur.

Discipuli pariter, & vniuersim omnes volentes 19
quamuis scientiam addiscere consimili vtentur consilio, vt iam aliàs monui. Nempe principio totam scientiam scriptam leuiter, cursimque perlegent, vt aliqualem terminorum eius, aut etiam propositionũ quantumuis superficialem capiant notitiam: eã enim vtcumque tincti dum redeuntes ad principium intento iam & accurato studio ipsius scientiæ se se per otium dedant, facile multa intelligent, quæ absque leui illa notitiuncula terminorum & propositionum præhabita, neutiquam possent intelligere quamtumuis meditationis intentione infringerent caput. Inutiliter quippe laboratur in procuranda intelligẽtia alicuius clausulæ scientiæ eius dumtaxat terminos, atque propositiones intensa meditatione versando, quando eius intelligentia ab aliorum terminorum propositionumque notitia dependet. Vti euenit sæpè sæpiùs. Prout ex dictis in superioribus de natura & proprietate humanæ scientiæ compertum est. Et hæc de Traditione, de methodove traditiua scientiæ supra cætera præcedentia quæ ad illam etiam conferunt dicta sint satis. Quibus & finis manet impositus toti Pharo scientiarum. Vtinam ad laudem & gloriam omnisapientis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nec non Beatissimæ Virginis Matris Mariæ, & omnium Beatorum. Ac communẽque studiosorum scientiarum ipsarum vtilitatem.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM, INQVO d. Disputationem q. Quæstionem. n. Numerum marginalem t. Tomum & p. Paginam designat.

A

Abstractum.

ABSTRACTA & concreta quomodo inuicem prædicentur. disp. 2. quæst. 4. num. 230. pag. 95. vide *Contretum.*

Accidens.

Accidens prædicabile quid sit & quotuplex d. 17. quæst. 7. fere per totam pag. 44. vsque ad 50. & q. 19. num. 358. p. 82

Quo differant accidens prædicabile & accidens prædicamentabile. d. 17. q. 7. n. 140. p. 48

Quid sit accidens proprium, Quid commune & quotuplex. d. 17. q. 19. num. 354. p. 82

Alia quædam de accidente vide ibid. num. 364. p. 83

Quomodo accidens sit vniuocum d. 17. q. 12. n. 481 pag. 102

Actus.

Quo pacto per actum charitatis, aut etiam fidei attingatur Deus à nobis pro statu præsenti d. 2. q. 3. n. 127. p. 73

Quid sit actus qualis & quotuplex d. 2. q. 4. n. 175. p. 88. & d. 8. q. 2. & 3. num. 8. p. 164

Quo pacto sit obiectum proprium iudicij humani d. 2. q. 4. num. 175. & n. 188. p. 83. & 86

Trifariam potest atque frequentissime solet concipi à nobis ibid n. 222. p. 92

Ex duobus actibus contradictoriis alterum conuenire subiecto, & alterum non conuenire necesse est. d. 8. q. 4. n. 42. p. 273

Omnis actus alicuius subiecti ad aliquem terminum est actus per suam essentiam ibid. num. 43. p. 173

Actus cum quiditate sui subiecti & sui termini est semper connexus, secus cum existentia ibid. n. 44. p. 173

Omnis actus cum aliqua potentia proxima sui est necessario connexus prout idem sui subiectum denominante, ibid. n. 48 & leqq. p. 174

Nulla potentia est connexa cum suo actu ex præciso conceptu potentiæ n. 54. p. 174

Omnis potentia remota respectu vnius actus, necessario est proxima respectu alterius. num. 55. p. 174

Qua ratione sit verum ad præteritum non dari potentiam, ibid. n. 58. p. 175

Vide plura alia demonstrata de actu & potentia, ibid. n. 66. ad. 110. p. 177. vique ad 181

De specificatione actuum, vide *Similitudo.*

Æqualitas.

Quid sit & quotuplex d. 16. q. 1. vbi etiam, quid sit & quotuplex inæqualitas, & quo modo inter se comparentur. p. 19

De propositionibus quibusdam euidentibus circa æqualitatem, & inæqualitatem, vide d. 16. q. 3. p. 20. vsque ad 24. vide *Similitudo.*

Æquiualentia.

Vide, *Propositio.*

Æquiuoca.

Quænam sint æquiuoca, & quotuplicia, & quomodo discriminentur ab vniuocis & analogis. d. 17. q. 22. n. 448. p. 96

De termino æquiuoco. d. 18. q. 2. n. 20. p. 107

Alphabetum.

Vide *Littera*, & *Vocabulum.*

Analogia, Analoga.

Quid sit Analogia, & quotuplex, quæ nam Analoga sint, & quotuplicia & qualia. disp. 17. q. 22. n. 457. p. 98

De termino Analogo, disp. 18. q. 2. n. 20. p. 107

De trium Mundorum aliorumque rerum analogia. De vique quam ea habet in scientiis humanis, & quantum arrideat intellectui. disp. 31. q. 2. per totam. p. 360

Analysis.

Quid sit & quotuplex. disp. 20. q. 14. num. 331. & 332. pag. 238. & disp. 22. q. 2. num. 40. pag. 267. & disp. 26. q. 2. num. 16. p. 302

Vide, *Ordo.*

Anonymum.

Vide, *Prædicabile.*

Apprehensio simplex.

In sensu interno quædam apprehensiones suasiuæ,

Index Rerum,

& quædam non ſuaſiuæ dantur. d. 1. q. 2. n. 181. p. 55

Quod ſit apprehenſio ſimplex ad intellectum pertinens. diſp. 2. q. 2. n. 33. p. 7.

Alia eſt conſtituens hypotheſim, alia ſecus, ibid. num. 37. p. 8

Alia directa, alia obliqua. num. 38. p. 8

Alia virtualiter ſuaſiua, alia non item, & quod vtraque. n. 40. p. 9

Quoduis obiectum iudicij noſtri per ſimplicem apprehenſionem poteſt attingi. diſp. 2. q 4. n. 173. pag. 83

Simplici apprehenſioni nec veritas, nec falſitas propria conuenit, diſp. 3. q. 2. num. 49. p. 117

Argumentatio, Argumentum.

Ex hypotheſi impoſſibili quo pacto ſit vtilis, d. 11. q. 6. n. 152. p. 290

De argumentorum ſolutione quæ fiunt contra identitatem formalitatum Dei, vide, d. 13. q. 7. p. 334

Quid ſit argumentatio & quotuplex, d. 20. q. 1. per totam. p. 175. vſque ad 176

De argumentatione ex obliquis, & ex terminis infinitatis quid cenſendum, d. 20. q. 10. per totam p. 229. vſque ad 230.

Argumentatio demonſtratiua vide, *Demonſtratio.*

Quid ſit & quotuplex argumentatio probabilis, diſp. 20. q. 12. per totam. p. 234

De argumentatione ſophiſtica ſiue fallaci vide, *Fallaciæ.*

Argumentatio complexa quænam ſit quotuplex & qualis, d. 20. q. 1. p. 175. 176. & ſpecialius, d. 14. per totam. p. 237. & 238.

De argumentatione prout eſt inſtrumentum ſciendi, 30. per totam. p. 358

Ariſtotelis.

Quid tractauerit in logica quidque in ea omiſſerit, d. 23. q. 4. n. 19. p. 280

Ars.

Artem egregiam & nouam exhibentem oppoſitionem, connexionem, ac ſubalternationem, æquiualentiamque atque adeo contradictionem, contrarietatem, & ſubcontrarietatem omnium propoſitionum categoricarum ſimplicium habet, d. 19. q. 2. per totam. p. 114 vſque ad 123

Similemque propoſitionem hypotheticarum ſeorſim mixtionumque ex categoricis, & hypotheticis, d. 19. q. 3. n. 73. p. 124

Aliamque ſimilem complexarum propoſitionum, d. 19. q. 4. per totam. p. 126. vſque ad 137

Et propoſitionum modalium artem totalem pariter nouam ex ſeptem partialibus coaleſcentem, & corrigentem logicorum antiquam, d. 19. q. 5. per totam. p. 237. vſqpe ad 153

Vide artem nouam & egregiam pro conuerſione propoſitionum modalium, diſp. 19. q. 6. n. 262. p. 163

Quænam ſit ars vniuerſalis ſciendi, d. 19. q. 8 n. 327 p. 175. vide paulo infrà.

Ars noua reformans & complens antiquam ſyllogiſmorum categoricorum de medio communi cum egregiis ignotiſque hactemus proprietatibus demonſtratiue exhibetur, d, 20. q. 3. per totam p. 177. vſque ad 203

De arte inueniendi medium ad probandum propoſitionem datam tradita ab Ariſt. quid ſit ſentiendum, d. 20. q. 3. n. 98. p. 193

Ars noua & hactenus deſiderata ſyllogiſmorum categoricorum ſimplicium de medio ſingulari cum ſuis paſſionibus demonſtratiue exhibetur, d. 20. q. 4. per totam. p. 203. vſque ad 212

Similiterque variæ Artes etiam nouæ dantur pto ſyllogiſmis ſimplicibus hypotheticis, d. 20. q. 5. per totam. p. 212. vſque ad 220

Et aliæ pariter pro ſyllogiſmis ex complexis, d. 20 q. 6. per totam. p. 220. vſque ad 222

Omniumque optime fortaſsè contracta datur Ars vniuerſaliſſima & noua ſyllogiſmorum modalium, d. 20. q. 7. per totam. p. 222. vſque ad 227

Quo differat Ars à ſcientia, d. 22. q. 4. n. 90. p. 276

Quid ſit Ars vniuerſalis ſciendi & qualis ſit, d. 23. q. 1. per totam. p. 277

An ſit poſſibilis aut etiam de facto detur eiuſmodi Ars vniuerſalis ſciendi, diſp. 23. q. 2. per totam. p. 280

In quo vnice conſiſtat, ex quibuſue inſtrumentis & regulis vnice conſtet Ars vniuerſalis ſciendi, d. 23. q. 3. per totam. p. 278

Recenſitis ſummatimque expoſitis Artibus ſciendi quæ ſtant, & impreſſæ circumferuntur nimium Logica Ariſtotelis, Rhetorica eiuſdem, & aliorum, Arte Raymundi Lullij, cum Syntaxibus Petri Gregorij Toloſani, & Typo ſcientiarum, Ægidij Moncurij, Praxi Artis Lullianæ Delgadillo, & Digeſto ſapientiæ Iuonis Pariſini: nec non Arte Cyclognomica Cornelij Gemma, & Inſtauratione magna Franciſci de Verulanio, de ſingulis ſigillatim iudicium fertur, d. 23. q. 4. per totam. p. 280

Quænam ſit, & qualis Ars vniuerſalis experiendi, d. 24. q. 3. per totam. p. 278

De Artibus iuuandi ſenſus tum externos tum internos, & qualiter eæ ad ſcientiæ acquiſitionem conducant, ibid. num. 18

De Artibus combinandi vide, *Combinatio.*

Inquo conſiſtat Ars memoriæ locabis. Quinam ſunt pro illa loci eligendi, & qualiter ordinandi, quænam ſunt eligendæ Imagines, qualiterque collocandæ in locis, &c. d. 32. q. 1. per totam. p. 361. ſed præſertim. n. 12. p. 360

Quam vim quamque praxim habeat Ars iſta, d. 32. q. 2. per totam. p. 367

Aſcenſus.

Quid ſit & quotuplex, d. 18. q. 3. n. 28. p. 108

Aſſenſus.

Quid ſit, & quo differat à diſſenſu, d. 2. q. 3. n. 209 p. 82

Attentio.

Quid ſit in ſenſu interno, quid conferat ad ſenſationem externam, & quomodo illam cauſet arbitrium, d. 1. q. 2. n. 194. & 195. p. 37

Attributum.

Qualiter inter ſe deſtinguantur Attributa Dei, tum perſonalia, tum communia, d. 13. q. 4. & ſeqq. p. 314

Et qualiter identificentur, ibid.

Vide *Diſtinctio* & *Præciſio obiectiua.*

Auctor.

Vide, *Doctor.*

Auditus.

Quale ſit organum Auditus, d. 1. q. 2. n. 77. p. 14

Obiectum proprium Auditus ſolus ſonus eſt, ex communibus autem, aut etiam mediis nonnulla percipit, ibid. num. 79. p. 15

Idque per ſpeciem indiſtinctam à ſono emiſſitio producto à primigenio, num. 80. p. 15

B

Bruta.

QVomodo non diſcurſu aliquo ſed inſtinctu naturæ tantum ferantur in ea, quæ ſibi conueniunt, diſp. 1. q. 2. num. 149. p. 28

Nulla

Nulla inſenſata obiecta percipiunt, ibid. p.28
Non iudicant propriè neque diſcurrunt, habent tamen apprehenſiones quaſdam ſuaſiuas, & quaſdam non ſuaſiuas, ibid.n.181. p.34

C

Categorema.

QVid categorema ſit, quid ſyncategorema, d.17.q.7.n.148. p.40. & d.18. q.2.n.15. p.106

Certitudo.

Quid ſit, & quotuplex certitudo humanæ intellectionis, diſp.5.q.1.n.2. p.144
Quænam alia de certitudine intellectionis humanæ notanda reſtant, d.5.q.2.n.13. p.149

Chimera.

Quid ſit, & quotuplex, & in quo conſiſtat, d.11. q.2.per totam. p.274.vſque ad 283
Quas proprietates euidenter demonſtratas habet q.5.per totam. p.285.vſque ad 288

Cognitio, Cognoſcere.

In quo conſiſtat cognitio humana in vniuerſum, d.2.q.1.n.8. p.48
Seipſa eſt affixa ſubiecto abſque interiecta vnione, ibid.n.9. p.49
Producitur tamen à ſuo principio media actione ſupradicta, ibid.n.10. p.49
Quidquid cognoſcitur à nobis per ſpeciem alienam non in ſe, ſed in phantaſmate ſenſibili, tanquam in ſubſtituto cognoſcitur, d.2.q.4.n.75. p.61
Atque adeo ſub aliquo ſenſibili communi, ibidem num 130. p.74
Niſi per ſubſtituta phantaſmata cognoſceremus res inſenſatas, nullum apud nos vniuerſale, nulla formalitatum diſtinctio nulluſque conceptus vagus daretur, ibid.n.140. p.76

Combinatio.

Quid ſit, & quotuplex, d.29.q.1.per totam, vbi combinationis tum abſolutæ, tum comparatæ ſingules ſpecies exponuntur. p.305
Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici poſſunt penes differentiam ſolius ſubſtantiæ, iuxta primam ſpeciem combinationis abſolutæ per certas regulas, & tabulas determinatur, d.29.q.2.n.12.p.221.222
Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici poſſunt penes differentiam ſolius poſitionis, iuxta ſecundam ſpeciem combinationis abſolutæ per certas regulas & tabulas determinatur, ibid.n.23. p.325
Quotiam combinationes ex quouis dato numero terminorum confici poſſunt penes differentiam ſolius repetitionis determinatur, ibid. num. 28. p.326
Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici poſſunt penes differentias ſubſtantiæ & poſitionis iuxta quartam ſpeciem combinationis abſolutæ per certas regulas, & tabulas determinatur, ibid.n.36. p.327
Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici poſſunt penes differentias ſubſtantiæ, & repetitionis iuxta quintam ſpeciem combinationis abſolutæ certis regulis, & tabulis determinatur, n.46. p.330
Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici poſſunt penes differentias poſitionis, & repetitionis iuxta ſextam ſpeciem combinationis abſolutæ certo determinatur, n.53. p.333
Quot omnino combinationes ex quouis dato numero terminorum confici poſſunt penes differentias ſubſtantiæ poſitionis, & repetitionis, iuxta ſeptimam ſpeciem combinationis abſolutæ per regulam pariter certam tabulamque determinatur, ibid.n.59. p.333
Quoties vnus terminorum numerus datus cum omnibus & ſingulis alterius numeri combinationibus collectiue conferri poſſit, iuxta primam ſpeciem combinationis comparatæ determinatur, ibid,n.67. p.336
Et quoties vice verſa comparatio effici poſſit iuxta ſpeciem ſecundam, n.68. ibidem
Quoties omnes & ſingulæ vnius terminorum numeri dati combinationes cum omnibus & ſingulis alterius collectiue conferri poſſunt iuxta tertiam ſpeciem combinationis comparatæ per certam regulam ſtatuitur, n.69. ibidem
Quoties vnus terminorum numerus datus ſemper integrè ſumptus cum altero & ſingulis eius combinationibus diuiſi conferri poſſit iuxta quartam ſpeciem combinationis comparatæ per tabulam oſtenditur, n.70. ibidem
Quoties autem vice verſa ſit factibilis comparatio iuxta ſpeciem quintam, n.73. p.337
Et quoties omnes, & ſingulæ combinationes vnius numeri cum omnibus & ſingulis alterius iuxta ſextam ſpeciem, n.79. ibidem
Qualiter practicè ſint faciendæ tum per tabulas, tum abſque illis omnes combinationes terminorum ad vnamquamque ex 13. ſpeciebus earum ſpectantes ſigillatim oſtenditur, diſp.29.q.3. per totam. Vnde quantum hæc Ars combinandi Arti Lullianæ præſtet palam eſt, p.338
Ad quam materiam ſcientiarum regulæ combinandi traditæ ſunt applicandæ & qua ratione, d.29. q.4.per totam. p.353
Qui fructus ex combinationibus in omnibus ſcientiis humanis ſunt colligendi, & qua ratione, d.29 q.9.per totam. p.354
Inuentionis artificioſæ in ſcientiis humanis vnicum inſtrumentum eſt combinatio, ibidem
Et vera Ars inueniendi medium ad quamlibet propoſitionem probandam, ibidem
Quo quis impenſius combinationi incubuerit eo vberiùs proficiet in quauis ſcientia. ibidem

Compoſitio.

Quid ſit, & quotuplex, & qualiter vnum ſit ex inſtrumentis ſciendi, diſp.25.n.1. & q.1.per totam p.297
Qualiter compoſitio facienda ſit in ordine ad ſcientiam, & quibus titulis iuuet illa, conferatque ad acquiſitionem; & augmentum ſcientiarum, d.27.q.2.per totam. p.292
Quomodo idem ſit quod ſyntheſis, d.26.q.2.n.16. p.300.

Conceptus.

Conceptus indefinitus non datur diuerſus ab vniuerſali, & ſingulari, & vago, d.2.q.3. num.147. p.78
Sub vno eodemque conceptu multifariam poſſunt ſolentque à nobis plura complecti, n.140. p.78

Concretum.

Concretum quoduis ex ſubiecto & actu, ſeu forma coaleſcens, & adiectiuè, & ſubſtantiuè ſumi poteſt, d.2.q.4.n.223. p.93
Quotuplex ſit, ibid.n.224. ibidem
Quomodo à nobis concipiatur nominibuſque ſignificetur, ibid n.225. ibidem
Qualiter concreta & abſtracta inuicem prædicentur, n.230. p.95
Vide *Abſtractum.*

Conclusio.

Per conclusionem formalem antecedens obiectiuum non repræsentatur, d. 2. q. 5. n. 295. p. 106

Alio tamen respectu quam repræsentationis ipsi conclusioni intrinseco, & essentiali respicitur, ibid. n. 302 p. 107

Non physico sed quasi morali influxu causatur ab antecedente, ibid. n. 312. p. 108. existente necessario in eadem temporis mensura, num. 317. p. 109

Conditionata propositio.

Quid sit, & quotuplex, d. 2. q. 2. p. 53. & d. 10. q. 1. p. 220. & 5. p. 265. & d. 19. q. 1. p. 110. & 3. p. 123

Vbi quo pacto propositio hypothetica de conditione disparata sit vera in sensu conditionato, semperque sit vera categorica quoties est vera hypothetica de tali conditione ei correspondens.

Conditionatus status.

Vide, *Status conditionatus.*

Conditionata veritas.

Vide, *Veritas & Status conditionatus.*

Connexio.

Quo pacto nitatur in ea discursus humanus, d. 2. q. 5. n. 276 p. 103

Quotuplex sit, ibid. n. 282. p. 104

Quid sit connexio quotuplex, & qualis, d. 14. q. 2. per totam. p. 398

De aliquibus propositionibus, aut euidentibus, aut alias certis circa connexionem oppositionemque rerum, vide, d. 14. q. 4. p. 402

Quomodo obiecta intellectus quatenus talia sint connexa, d. 14. q. 5. p. 409

De connexione atque adeo de subalternatione propositionum simplicium categoricarum, vide multa, d. 19. q. 2. per totam. p. 114

De connexione autem hypotheticarum simplicium inter se, & cum categoricis comparatarum multa, d. 19. q. 3. per totam. p. 123

Et de connexione complexarum, d. 19. q. 4. per totam. p. 126

Et de connexione modalium, d. 19. q. 9. per totam. p. 137

Contingens, Contingentia.

Quid sit, & quotuplex, d. 11. q. 3. per totam. p. 183

In quo consistat, ibid. n. 96. & 97. p. 277

De contingente, vide propositiones euidentes, d. 11. q. 5. per totam. p. 285

Contraditoria.

Qualiter se excludant vicissim contradictoria extrema, d. 9. q. 4. n. 70. & 80. p. 201. 202. p. 203. & q. 5. num. 83. & 91. & d. 14. quæst. 4 num. 72. p. 403

Vide, *Oppositio.*

Conuersio.

Quid sit, & quotuplex propositionum conuersio, d. 10. q. 6. n. 173. p. 153

Regulæ conuersionum traditæ à Logicis multos defectus habent, ibid. n. 176. p. 154

Supponuntur quædam pro exacta conuersionum tum oppositarum, tum contrapositarum doctrina, ibid. n. 177

Qualiter singulæ propositiones categoricæ conuertantur appositè, & qualiter contrapositè, ibidem n. 187. p. 155

De vtraque conuersione hypotheticarum, ibidem n. 259. p. 148

Et complexarum, ibid. n. 261. p. 162

De conuersione etiam vtraque omnium modalium Ars noua, & egregia traditur, ibidem num. 262

Cornelius Gemma.

De eius Arte Cyclognomica summatim exposita iudicium fertur, d. 23. q. 4. n. 60. p. 286

D

Definitio.

Quid sit definitio, & quotuplex & qualis, d. 17. q. 1. per totam, vbi non pauca noua, & scitu digna de definitione notantur. p. 302

Qualiter facienda sit definitio in ordine ad scientiam, qualeque, sit sciendi instrumentum, & quem vsum in scientiis habet, d. 27. q. 2. per totam. p. 230

Demonstratio.

Quid sit, d. 20. q. 11. vbi varia quæsita circa demonstrationem remissiue, n. 274. ad 282. & mox explicatur, n. 283. p. 233

An consequens demonstrationis tam euidens esse possit quam antecedens, ibid. n. 289. p. 234

Quotuplex sit demonstratio, ibid. n. 286

De præcognitis, ibid, n. 290. p. 232

An de singularibus & contingentibus detur demonstratio. n. 291

An debeat constare prædicato vniuersali de omni per se, & secundum quod ipsum, n. 292

An detur de entibus per accidens, n. 293

Et an debeat constare principiis propriis, ib. n. 294 p. 233

Denominatio.

Quid sit, & quotuplex, d. 12. q. 3. n. 42. p. 297. & d. 17. q. 22. n. 448 p. 96

An omnis denominatio extrinseca vel semiextrinseca, vel etiam extrinseca sit ens rationis aut illud in se inuoluat, & quale, d. 12. q. 3. n. 45. p. 295

Quænam denominatiua dicantur, & quotuplicia sint & qualia, d. 17. q. 22. n. 448. ibidem

Denominatiua.

Vide, *Denominatio.*

Dependentia.

De Dependentia intellectus à Voluntate, vide, *Intellectus.*

Descensus.

Quid sit, & quotuplex, d. 18. q. 3. n. 28. p. 108

Deus.

Deus entia rationis supposititia formaliter prout talia nec facit, nec cognoscit, d. 12. q. 1. n. 62. p. 301

Idem dicendum est de entibus rationis fictis per species tantum alienas conceptibilibus, ibidem n. 66. p. 302

Omnia entia rationis ficta per species proprias conceptibilia à Deo cognoscuntur tum dependenter tum etiam independenter à cognitione creata, ibid. n. 71. p. 303

Idque per simplicem tantum apprehensionem, ibid. n. 77. p. 304

Illa facit imo in rigore solus ipse. ibid. n. 87. p. 306

Vide, *Attributum.*

Differentia

Quid sit, & quotuplex tum in quantum differentia, tum in quantum prædicabilis, d. 17. q. 15. p. 69

Quasnam vtrouis modo sumpta passiones, seu proprietates habeat, ibid. n. 280, p. 71

Dilemma.

Quæ & qualis argumentatio sit, d. 20. q. 14. n. 330. p. 238

Discursus.

Quid sit, d. 2. q. 2. n. 35. p. 54

Quotuplex sit, ibid. n. 48. p. 56

In quo consistat, & qualis sit naturæ, disp. 2. q. 5. num. 272. p. 102

Ex pluribus iudiciis coalescit,ibid.n.288. p.105
Non opus est quod duas omnino præmissas ex parte antecedentis habeat, ibid.n.289
Quomodo sit dicendus legitimus ratione formæ & materiæ,ibid.n.319 p.106

Dissimilitudo.

Vide, *Similitudo.*

Distantia.

Distantia obiecti visibilis ad perfectam visionem qualis.d.1.q.2.n.60. p.12

Distinctio, Distinctum.

Quid sit,& quotuplex & in quo consistat distinctio fundamentaliter, tum formaliter sumpta. d. 13. q.2.per totam. p.308
De quibusdam propositionibus euidentibus circa distinctionem, & identitatem,d.13.q.3. per totam. p.310
De obiectis intellectionis humanæ tum distinctis, tum identificatis inter se realiter, disp.13.q.4. p.314
Quod sit distinctio Scotica formalis ex natura rei, & an sit possibilis aut etiam detur inter formalitates realiter identificatas tum Dei, tum creaturarum,d.13.q.5. per totam. vbi etiam de identitati formali ex natura rei. p.318
Quid si distinctio virtualis, & quotuplex, & an aliqua distinctio virtualis inter formalitates realiter identificatas, tum diuinas, tum etiam creatas sit admittenda, & qualiter, d.13.q.6.per totam. p.327
Quomodo sint soluenda argumenta, quæ contra identitatem formalitatum, seu diuinarum, seu creatarum effici solent,d.13. quæst.7.per totam. p.334
Vtrum formalitates diuinæ, & creatæ realiter identificatæ per nostram rationem distinguantur, d.13.q.8.per totam. p.341
An distinctio rationis talium formalitatum sit præcisio obiectiua,d.13.q 9.per totam. p.346
An videntes intuitiue distinguant, aut possint distinguere per rationem formalitates realiter idãtificatas, in illisve distinctionem rationis facere, d.13.q.12.per totam. p.389
Vide, *Præcisio obiectiua.*

Diuisio.

Quid sit diuisio & quotuplex, d.26.q.1. per totam. p.299
Qualiter diuisio facienda sit in ordine ad scientiam. Quam sit proficuum sciendi instrumentum, & quænam sint seruandæ regulæ circa eius vsum, vt fructum præstet quem potest in acquirendis augendis atque tradendis scientiis, d 26.q.2. per totam. p.300
Quo pacto diuisio à Resolutione, & ab Analysi proprie sumpta non differat, ibid.n.16. p.302

Doctor.

Doctores quomodo sequendi,d.22.q.3.n.66.p.272
Quomodo quantumuis eximij in scientiis humanis sæpe decepti sint Doctores,ibid. n.69. p.273
Qualiter inter Doctorum præeuntium sententias sit eligendum, ibid.n.77. p.274

Doctrina.

Quænam Doctrinæ nouitas detestabilis, & quænam laudabilis sit,d.22.q.3.n.62. p.271
Qualiter sint in doctrinis Doctores siue auctores secundum naturam scientiarum, & rectam rationem,ibid n.66 p.272
Ad innouandum laudabiliter circa humanas doctrinas quæ regulæ sint obseruandæ,ibid.n.77

Dolor.

Dolor siue molestia,& voluptas,quæ per sensus externos percipiuntur ipsorum sensuum actus sunt. d.1.q.2.n.130. p.24

Dubium.

Quid sit dubium & quotuplex,d.2.q.2.n.60 p.58

Duratio.

Duratio obiecti sensibilis sensu percipitur, d.1.q.2. n.59 p.12

E

Ens.

Quid sit, & quotuplex, d.9.q.1. & 2. num.2. p.179.& 191
Ens & eius passiones aliaque huiusmodi prædicata quomodo transcendentia sunt,d.17.q.20.per totam. p.84
Vtrum entis,& aliorum prædicatorum transcendentium detur conceptus aliquis obiectiue vnus & multis communis,& qua ratione,d.17.q.21. per totam. p.93
An talis conceptus sit vniuocus & quomodo *Ens*, interdum vniuoce, interdum vero æquiuocè, seu analogicè vsurpetur, d.17. q.22. per totam. p.96

Ens Rationis.

Aliud est fictum,aliud supposititicium. Primumque non fit ex vi præcisè cognoscendi per species alienas. Bene tamen secundum, d.2. q.3.n.166. p.81.& d.12.q.1.p.291
Quid sit vtrumque & quotuplex,d.12.q.1.n.2.ibid.
Reuera datur, ibid.n.9. p.292
Et per sui cognitionem fit,n.10. ibidem
Non debet esse quid impossibile,n.11. ibidem
Duplex in eo venit consideranda existentia alia physica,& ficta,alia intentionalis,& vera, quam solum dum accipit,fit,ibid,n.13. ibidem
Supposititicium à solo intellectu cognoscente per alienas species fit. Fictum etiam à cognoscente per proprias,imo & à sensibus.Fit autem tantum per primam sui cognitionem. Quæ plerumque est simplex apprehensio. Datur autem tum positiuum tum negatiuum,ibid.n.18.& seqq.
Impossibile est ens rationis mixtibile complexum ex partibus mere realibus,d.12.q.2.n.28. p.295
Fictum enim non potest esse obiectum quando nec totum ipsum nec aliqua eius pars est fictitia,ibid. num. 37 p.297
Qualiter denominationes extrinsecæ aut etiam intrinsecæ sint,aut includant ens rationis vel secus, d.12.q.3.per totam. ibidem
Quotuplex est ens rationis,d.12.q.4.per totam, vbi de variis eius diuisionibus,n.52. p.299
An Deus cognoscat aut faciat ens rationis, & quo modo. Vide, *Deus.*

Enthymema.

Quid sit Enthymema,& quotuplex quænamque prò Enthymemate Artes vniuersales demonstratiue possint constrtui,d.20 q.8.per totam. p.227

Esse.

Quid de illo principio *impossibile est aliquid simul esse & non esse*.d.3.q.4.n.68. p.121. & d.9. q.5. n. 82. vbi de aliis etiam principiis quæ in illud recidunt. p.203

Essentia.

In quo conceptu essentia metaphysica cuiusuis rei, & in quo physica consistat, d.2.q.4.n.228.p.94 & d.9.q.2. p.191
Quid sit essentia sumpta vniuersè & quotuplex,d.9. q.1.& 2. p.191
De essentia per se, & per accidens multa sunt scitu digna, disp.9.q.5. p.203

Index Rerum,

De essentia per se, & per accidens quomodo fiant prædicationes, ibid. n. 95. p. 205
Quas alias habeant illæ proprietates, ibid. n. 112. p. 208
Qualiter inter se distinguantur essentia & existentia tei creatæ, d. 9. q. 6. per totam. p. 216
Quomodo essentia ab existentia per rationem possit aut non possit præscindi tum ab abstractiue tum ab intuitiue cognoscentibus, ibid. n. 211. p. 219
Quo pacto essentiæ rerum sint necessariæ, & incorruptiles, d. 10. q. 1. n. 81. p. 234
Vide aliquas propositiones de essentia demonstratas, d. 11. q. 5. n 228. p. 287
Vide, *Passio.*

Euidentia.

In quo consistat euidentia ineuidentiaque, & obscuritas tum cognitionis tum obiecti cognoscendi, d. 4. q. 1. num. 2 p. 130
In quibus actibus reperiatur, ibid.
Quotuplex sit, d. 4. q. 2. n. 27. p. 133
Quo pacto iudicium humanum euidens simul, & falsum possit existere, d. 4. q. 3. n. 40. p. 136
An possit eadem cognitio esse simul euidens, & obscura, d. 4. q. 4. n. 45. p. 136
An obiectum per vnum actum clarè cognitum per alium ab eodem intellectu possit simul cognosci obscurè, d. 4. q. 5. n. 53. p. 137
Quomodo plura motiua euidentia & obscura ad eundem actum causandum possint concurrere, d. 4. q. 6. n. 89. p. 243

Existentia.

Quid sit quotuplex & qualis, disp. 9. quæst. 1. p. 189. 2. 5. & 6
Quomodo distinguatur ab essentia in re creata, d. 9. q. 6. per totam. p. 216

Experientia, Experimenta.

Multa de his habes, disp. 24. præsertim, q. 3. Vide *Obseruatio*, & *Ars.* p. 293

F

Fallaciæ.

Syllogismus Fallax qui, & Sophisticus dicitur quo differat à Pseudographo, d. 20. quæst. 13. n. 299 p. 234
Syllogismus sophisticus Sophisma, & interdum Paralogismus vocatur, ibid. n. 300.
Quotuplex sit, ibid.
Quis dicatur Sophista, & quos sibi fines Sophistæ secundum logicos præscribant. ibidem
Quot & quinam sint Sophistarum loci, & qualiter illi ex singulis captiones seu, fallacias suas depromant secundum Logicos, ib. n. 301. vsque ad 314. p. 235
De solutione Sophismatum prout apud Logicos, n. 315 p. 236
De aliis humani intellectus fallaciis deque earum causis, & remediis, ibid. n. 317. vsque ad 327.

Falsitas.

Quotuplex sit, d. 3. n. 2. p. 110
In quo consistat falsitas formalis cognitionum atque ignorum, d. 3. q. 1. n. 3. Vide, *Veritas.* ibid.

Fides.

Quid sit, d. 2. q. 2. n. 65. p. 59
Qua ratione fides diuina cum actu euidente de obiecto reuelato possit aut non possit componi, d. 4. q. 5. num. 56 p. 13
Quomodo motiuum fidei, & scientiæ ad eundem actum possunt concurrere, d. 4. q. 6. n. 76. p. 141

Forma.

Forma syllogistica. Vide *Syllogismus.*

Formalitas.

De identitate reali formalitatum Dei, & creaturarum, & distinctione rationis earum. Vide *Distinctio*, & *Præcisio obiectiua.*

Formido.

Quid sit formido, & quotuplex, d. 2. q. 2. n. 61. p. 58

Franciscus Verulamius.

De eius Instauratione magna summatim exposita iudicium fertur, d. 23. q. 4. n. 66 p. 289

Futuritio.

Vide, *Status rerum Veritas.*

G

Genus.

Quid sit, d. 17. q. 13. n. 234. p. 63
Qualis sit generis definitio, ibidem num. 240. p. 64
An genus vt totum an vt pars prædicetur, ibidem n. 242
Quibusnam conceptibus conueniat ratio generis, n. 248. p. 65
Quotuplex sit genus, n. 251. p. 66
Alia quæ circa genus restant notanda videnda, ibid. n. 254

Gustus.

Quale sit eius organum, & quale obiectum qualisque sensatio, d. 1. q. 2. n. 87. p. 17

H

Hypothetica propositio.

Vide, *Conditionata propositio.*

I

Identitas.

Quid sit, & quotuplex, disp. 13. q. 1. p. 107
In quo consistat tum fundamentaliter, tum formaliter, ibid. vide, *Distinctio.*

Impossibile, Impossibilitas.

Quid sit, & quotuplex, d. 11. q. 2. per totam. p. 274
In quo consistat, ibid. num 48.
Vide in eadem, d. 11. q. 5. per totam.
Propositiones euidentes de impossibili. p. 285
De multis obiectis possumus cum euidentia iudicare esse impossibilia simpliciter; cum tamen de nullo possimus citra experientiam, esse possibile aut necessarium, aut contingens, d. 11. q. 6. n. 146 p. 289
Ex duobus obiectis omnino similibus, & æqualibus alterum impossibile, & alterum possibile possunt esse, ibid. n. p. 51 p. 290
Quo pacto sit vtilis forma arguendi ex hypothesi impossibili, ibid. n. 152
Falsum est ex impossibile sequi quodlibet, ibidem n. 157

Individuum.

Quid sit, d. 17. q. 10. p. 57. & quotuplex, d. 17. quæst. 11 p. 58
An & quomodo dari possit vna ratio communis individuis provt talibus, d. 17. q. 11. per totam. p. 58
De termino singulari, d. 18. q. 2. n. 17 p. 106

Inæqualitas.

Vide, *Æqualitas*

Inductio.

Quid sit, & quotuplex, & quænam pro inductionibus

nibus Artes, siue regulæ generales præscribi possint, d. 20. q. 9. per totam. p. 228

Intellectio, Intellectus.

Quid sit intellectus humanus, d. 1. q. 1. n. 1. p. 1
Quid intellectio, ibidem.
Intellectus potentia est spiritualis animæ rationalis, ibid. n. 2
Cum anima identificata realiter, num. 3
Distincta tamen per rationem. num. 4
Non se habet mere passiue respectu intellectionis, sed effectiue in illam influit, ibid. n. 5. & 6. p. 2
Omnis intellectio uostra in præsenti statu ab specie impressa intellectui pro manat, ibid. n. 17. p. 4
Qualis potentia in nobis sit intellectus agens, & quod eius munus, d. 1. q. 2. n. 197. p. 37
Intellectio nostra alia primaria, alia secundaria, & hæc alia memoratiua, alia secus, d. 1. q. 3. n. 115. p. 42
In quo consistat intellectio humana, d. 2. q. 1. num. 8. p. 48
Se ipsa affigitur subiecto absque interiecta vnione, ibid. n. 5
Sed media actione superaddita producitur, num. 10. p. 49
Intellectio alia directa est, alia reflexa, d. 2. q. 2. n. 56. p. 58
Tùm alia vniuersalis, alia singularis, & alia vaga est; alia complexa, alia incomplexa; nec non alia copulatiua, alia distributiua, ibid. n. 77.
Intellectus noster pro hoc statu sine vsu speciei alienæ atque adeo sine phantasmate substituto nihil iudicare valet, d. 2. q. 3. n. 102. p. 68
Omnis nostra intellectio intrinsece est intellectio sui obiecti præ aliis, ibid. n. 117. p. 71
Plura vt plura per vnam intellectionem à nobis pro statu præsenti nequeunt cognosci, ibid. n. 131. p. 74
Relatio & terminus non per eandem sed per diuersas intellectiones cognoscuntur à nobis, ibidem. n. 137. p. 75
Quomodo & in quibus actibus intellectus noster voluntati subditus sit, d. 7. q. 2. n. 12. p. 160
Quomodo assensus antecedentis ad assensum consequentis determinet, & quando, d. 7. q. 2. p. 164
An stantibus pro vtraque parte contradictionis fundamentis inclinantibus ad eius iudicium, penes arbitrium hominis sit iudicare vtrumuis. disp. 7. quæst. 3. p. 165

Inuenta noua.

Vide aliqua, d. 22. q. 3. n. 56. p. 270

Iudicium, Iudicare.

Quid sit, d. 2. q. 2. n. 34. p. 54
Aliud affirmatiuum est aliud negatiuum, ibid. n. 44. p. 55
Aliud absolutum, seu categoricum aliud conditionatum, seu hypotheticum, ibid. n. 45
Aliud determinatum ex parte obiecti, aliud vagum, ibid. n. 47 p. 56
Quo pacto noster intellectus absque phantasmate substituto nihil iudicare valeat pro statu præsenti, d. 2. q. 3. num. 102. p. 68
Vnde nascatur vt aliqua prædicata obiecti sensati præ reliquis ex ipsis terminis iudicet noster intellectus, ibid. n. 108. p. 69
Et quid dicendum ad rem de obiectis insensatis, ibid. n. 111. p. 70
In quo consistat iudicium humanum tam affirmatiuum, quam negatiuum. d. 2. q. 4. n. 170. p. 83
Quoduis iudicij obiectum per simplicem apprehensionem potest attingi. n. 173. p. 83
Absque duobus saltè cõceptibus obiectiuis nihil, pro statu præsenti possumus iudicare, ib. n. 175. p. 83
Qua ratione per iudicium noster intellectus componere atque diuidere dicatur, ibid. n. 178. p. 84
De actu in quo iudicium nostrum consistit, deque eius obiecto, ibid. n. 190. p. 87. & rursus, n. 216. p. 91
Nihil iudicat intellectus noster pro statu præsenti, quod ipsi per simplicem apprehensionem non proponatur, ibid. n. 218. p. 92
Quidnam expresse, & quænam tacite aut implicite per nostrum iudicium affirmentur; siue negentur, ibid. n. 242. p. 96
Iudicium nostrum suapte natura est alligatum durationi instantaneæ, ibid. n. 257. p. 100
Iudicia nostra de præsente, de præterito & de futuro essentialiter inter se distinguuntur, ib. n. 159 p. 100. & d. 10. q. 3. n. 174. p. 250
Quomodo idem iudicium de vero in falsum, aut è contra succesu temporis non possit, aut possit transire, d. 3. q. 6. n. 94. p. 125
Vide, *Scientia.*

L

Littera.

EX 23. Litteris, Alphabeti quot omnino combinationes atque adeo vocabula omnium linguarum possibilium confici possunt determinatur, d. 29. q. 2. n. 64. p. 335
Vide, *Vocabulum.*

Locus.

Loci sophistici quot, & quinam sunt, d. 20. q. 13 num. 30. p. 235
Quid sit locus apud Dialecticos, & Rhetores, & quotuplex, d. 28. q. 1. n. 2. p. 300
Quo pacto vniuersalius & aptius locus scientificus sit summendus, & quotuplex sit, ibid. n. 6. p. 300
De locis communibus omnibus scientiis: & propriis singularum, ibid. n. 9. p. 301
De locis Dialecticis, n. 10. ibidem
De locis Geometricis, n. 11. ibidem
De locis Metaphysicis, n. 12. ibidem
Notata quædam, ibid. n. 13. ibidem
Qualiter sint loci constituendi, parandi & trahendi in vsum in ordine ad scientiam. d. 28. q. 2. per totam. p. 308
Loci quidam terminorum selecti pro omnibus scientiis communes, ibid. num. 21. & 22. p. 308. & 309
Schemata singulorum. n. 2. p. 310
Notationes pro Schematis, n. 26. & 27. p. 318

Locatio.

Quid nomine locationis intelligamus, & qualiter illa sit instrumentum sciendi, d. 28 n. 1. vsque ad finem, p. 305

Logica.

Quid sit & quibus ex partibus constet, d. 23. q. 4. num. 19. p. 288

M

Magister.

VIde, *Doctor.*

Magnes.

De Magnete vide, d. 22. q. 3. n. 56. & 57. p. 270

Memoria.

Memoria sensitiua in nobis & in brutis datur, d. 1. quæst. 2. num. 187. p. 35
Qualis facultas sit, ibid.

Per eius actum tum obiectum sensu interno sensatum, tum ipsius interna sensatio ab animali cognoscuntur, sed diuersimode. n. 188. p. 35
Quomodo excitentur species in illa asseruatæ, ibid. n. 180. p. 34
Dari in nobis memoriam intellectiuam est certum, quod sit eius munus, quomodo excitentur species in illa asseruatæ, &c. disp. 1. q. 3. n. 211. p. 41
Per eius actum apprehensiuum tum obiectum antea intellectum tum ipsius præterita intellectio necessario concipitur sed diuersimode. Non item per iudicatiuum, ibid. n. 216. p. 42
Quo differant recordatio & reminiscentia, ibid. n. 227. p. 44
Quæ media conferunt tum ad conseruandas, tum ad excitandas species memoriæ. disp. 32. q. 1. n. 2. p. 361
In quo consistat Ars memoriæ localis, qui sunt pro illa loci eligendi & qualiter ordinandi. Quæ imagines & qualiter collocandæ, &c. ibid. n. 12. p. 363
Quam vim quamque praxim habeat Ars ista, d. 32. q. 2. per totam. p. 367

Memoratio.

Sumpta pro Arte memorandi, vide *Memoria.*

Mixtum.

Vide *Prædicabile.*

Multitudo, Multa.

Vide *Vnitas, Vnum.*

N

Necessarium, Necessitas,

Quid sit & quotuplex. d. 11. q. 4. n. 98. p. 283
In quo consistat, ibid.
Omnis necessitas etiam Metaphysica ex genere eorum prædicatorum est quæ suscipiunt magis, & minus, ibid. n. 101. p. 284
De necessario. vide Propositiones euidente, ibid. quæst. 5. per totam. p. 285

Negatio.

Qui d sit Negatio entis in vniuersum, disp. 9. q. 3.
Nulla negatio est quid à parte rei existens, suam qualemcumque essentiam habens ab omni ente positiuo distinctam ante intellectus operationem, ibid. n. 36. p. 194
Nec est quid consistens formaliter in impedimento positiuo entis negati. n. 44. p. 196
Nec in ipso ente negato provt proxime negabili, ibid. n. 56. p. 198
In re nihil est, concipitur tamen à nobis ad instar entis, ibid. n. 59. p. 199
Quotuplex sit negatio, d. 9. q. 4. n. 70. p. 201
Quomodo inter se differant negatio & priuatio. Negationesque inter se & priuationes, ib. n. 71. p. 291
Quomodo de negationibus rerum oporteat loqui, ibid. n. 80. p. 202 p. 202
Plura denegatione videnda sunt in eadem. disp. 9. q. 5. per totam. p. 203 p. 203
De particula negatiua quæ negatio dicitur: vide proprietates, disp. 19. q. 2. n. 24. p. 115

Nomen.

Quid & qualiter significent nomina hæc sumpta Theologicæ *Deus, homo, persona, suppositum:* disp. 2. q. 4. n. 227. p. 94
Quid sit nomen & quomodo differat à verbo, d. 18. quæst. 2. n. 11. p. 105

Nouitas Doctrinæ,

Vide *Doctrina, & Scientia,*

O

Obiectum.

Obiectum sensus est quod sensu percipitur, d. 1. quæst. 1. n. 36. p. 7
Obiecta sensuum extereorum alia sunt singulorum propria, alia aut omnibus, aut aliquibus eorum communia, ibid.
Omne obiectum verum cognoscibile à Deo, & ab intellectu humano est suo modo cognoscibile. disp. 8. q. 1. p. 167
Qui & falsa potest cognoscere, ibid. p. 167
Quænam obiecta intellectionis humanæ inter se distincta, & quænam inter se identificata realiter sint. disp. 13. q. 4. p. 314

Obseruatio.

Quid sit & quotuplex & qualiter sit vnum ex instrumentis sciendi. d. 14. q. 1. per totam. p. 393
Qualiter obseruatio scibilium generatim facienda sit pro acquisitione & augmento scientiarum. disp. 24. q. 2 per totam. p. 291
Qualiter obseruatio experimentalis facienda sit, quænamque sit & qualis Ars experiendi. d. 24. q. 3. per totam. p. 193
Qualiter obseruatio idæalis doctrinalisque sit facienda. disp. 24. q. 4. per totam. p. 296

Obscuritas.

Vide, *Euidentia.*

Olfactus.

Structura oculi qualis sit. d. 1. q. 2. n. 25. p. 6

Oculus.

Quale sit eius organum. d. 1. q. 2. n. 82. & 83
Eius obiectum proprium est solus odor, qui odoris productiuus est, per quem & medium & olfactum ipsum immutat citra aliam speciem, ibid. num. 84. p. 16

Opinio.

Quid sit, disp. 2. q. 2. num. 65. p. 59
Quid sit opinio probabilis, quid improbabilis. d. 6. q. 1. n. 2. p. 147
Quid requiritur, & sufficiat vt opinio aliqua sit probabilis. d. 6. q. 2. n. 9. p. 149
Quænam opinio probabilior censenda sit, & præferenda aliis. d. 6. q. 3. num. 27. p. 151
Quomodo opinio speculatiua probabilis practicè improbabilis esse possit. d. 6. q. 4. n. 36. p. 253
Quousque liceat ex antecedenti certo aut probabili elicere conclusionem probabilem. d. 6. q. 5. n. 38. p. 153
De probabilitate argumentationis vide. d. 20. q. 12. p. 234

Oppositio.

Quid sit oppositio, quotuplex, & qualis. disp. 14. q. 3. per totam. p. 400
De quibusdam propositionibus euidentibus, aut alias certis circa oppositionem & connexionem rerum vide. disp. 14. q. 4. p. 402
Quomodo obiecta intellectus quatenus talia sint opposita. disp. 14. q. 5. p. 409
De oppositione propositionum simplicium categoricarum multa scitu digna reperies. d. 19. q. 2. per totam. p. 114
De oppositione autem hypotheticarum simplicium tum inter se tum cum categoriis comparatarum multa pariter. d. 19. q. 3. per totam. p. 123
Et de oppositione complexarum. disp. 19. q. 4. p. 126
Et de oppositione modalium. disp. 19. q. 5. per totam. p. 137

Ordo.

Quid sit ordo, siue ordinatio rerum in vniuersum & quotuplex, d.15.q.1. p.2.
Quid sit ordo prioris, & posterioris. & quotuplex, d.15.q.2. p.2
Quænam prioritas naturæ, & quænam ex accidente dicatur, ibid. p.2
Vbi etiam de quiditate ordinum cognitionis, rationis, durationis, originis, inconnexionis non mutuæ, & dignitatis.
Quid sit, & quotuplex simultas à qua res dicuntur esse simul, d.15.q.3. p.6
Quibus in casibus prioritas naturæ impeditur, & qualiter, d.15.q.4. p.7
Qualiter ex pluribus diuersis ordinibus vnus, & idem componi possit aut secus, d.15.q.5. p.9
An prioritas, & posterioritas ad seriem connexionis pertinens non solum in metaphysica, sed etiam in physica, & morali connexione fundetur, d.15.q.6. p.10
De propositionibus quibusdam euidentibus, aut alias certis circa prioritatem, posterioritatem, & simultatem rerum, d.15.q.7.per totam. p.11
Quid sit ordo syntheticus, quid analiticus, & quotuplex, d.20.q.4.n.331.& 332. p.238. & d.22. q.2.n.40.p.267.&.d.26.q.2.n.16. p.302
De ordine obiectorum scibilium, & actuum scientiæ, vide, *Scientia.*

P

Passio.

QVid sit, & quotuplex, disp. 17. quæst. 7. num.116. pag.45. & quæst. 18.num. 303. p.75
Alia est communis alia propria, quæ dicitur proprietas, ibid.
Quomodo de suo obiecto sit prædicabilis, q.18. n.314, p.76
Quæuis essentia infinitas passiones habet scibiles ab intellectu humano tum communes, tum proprias, ibid.n.315 p.76
Quarum multæ sunt immediatæ, n.318 p.77
Series passionum ex quauis essentia prodeuntium in infinitum extenduntur in pluresque ramos infinite extensos ex quouis gradu distrahuntur, ibid.n.319. p.77
Ex solisque passionibus communibus, aut ex solis proprietatibus, aut ex vtrisque constare possunt aut etiam debent, ibid.n.323. p.77
Passio propria cum quiditate essentiæ connectitur, secus communis, ibid.n.339 p.80
Quomodo passiones comparentur secundum prius & posterius, ibid.n.344 p.8

Paralogismus.

Vide, *Fallacia.*

Particulare.

Quid sit, & quotuplex, d.17.q.9. p.57
De termino particulari, vide, d.18.q.2.n.17. p.106

Phantasia, Phantasma.

Qualis sit vis Phantasiæ ad confingenda phantasmata, d.1.q.2.num.160 p.30
Quomodo excitentur eius species, ibid n.180. p.34
Phantasia obiectorum tantum, quæ percipit communicat species intellectui, n.196. p.37
Quomodo Phantasiæ actus concurrat ad speciem intelligibilem, n.201 p.38
Nomen *Phantasma* abusiuè pro actu Phantasiæ sumitur à modernis; cũ apud veteres quosque & ex se obiectum potius talis actus significat, d.1. q.3.num.208 p.41
Quibus sensibus, & qua ratione sit verum. Necesse est intelligentem Phantasmata speculari, siue intellectum se ad phantasmata conuertere, ibid. n.231. p.45
Quidquid cognoscitur à nobis per speciem alienam non in se sed in phantasmate sensibili tanquã in substituto cognoscitur, d.2.q.3.n.73.p.60

Petrus Gregorius Tolosanus.

De eius syntaxibus Artis mirabilis iudicium fertur, d.23.q.4.n.44 p.283

Possibile, Possibilitas.

Quid sit possibile in vniuersum, quid possibilitas, & quotuplex, d.11.q.1.per totam. p.269
In quo consistat, ibid.n.10 p.270
Vide propositiones euidentes de posibili, d.11.q.5. per totam. p.285
De nullo obiecto proposito scire cum euidentia possumus citra experientiam, & fidem esse possibile, atque adeo neqũe esse necessarium aut contingens, d.11.q.6.n.146. p.289
Bene tamen cum probabilitate de aliquibus, ibid. n.149. p.289
Ex duobus obiectis omnino similibus, & æqualibus alterum possibile, & alterum impossibile potest esse, ibid.n.151. p.290

Potentia.

Cur dicatur actus primus, d.2.q.4.n.177 p.84
Quid sit, & quotuplex, d.8.q.3.n.24. p.170
Expræciso conceptu potentiæ non est cum suo actu connexa, d.8 q.4.n.54 p.174
Omnis potentia remota comparatione vnius actus proxima est comparatione alterius, & quomodo, ibid.n.55. p.174
Qua ratione verum sit ad præteritum non dari potentiam, ibid.n.58. p.175
De propositionibus euidentibus circa actum & potentiam vniuerse, d.8.q.4.n.40. p.172
Quænam ad conceptum potentiæ proximæ intrinsicè requisita sint, d.9.q.5.n.113 p.181
Vbi multa ad rem vtilissima præsertim pro materia de libertate videnda sunt, vide, *Actus.*

Præcisio obiectiua.

Vtrum intellectus noster præscindat obiectiue formalitates identificatas realiter tum Dei, tum creaturarum, & qua necessitate, & ratione, d.13.q.9.per totam. p.346
An etiam prædicata transcendentia & qualiter, q.13.q.10. p.377
An etiam cognoscentes intuitiue præscindant, aut possint præscindere obiectiuè ea, quæ sunt realiter idem, vel secus, d.13.q.11.per totom. p.381
An formaliter ex parte actus, ibid.& q.1. p.389
Vide, *Distinctio.*

Prædicabile.

Quid sit, & quotuplex, d.17.q.7.per totam. p.44
Male Porphyrius, & alij quinque tantum prædicabilia ponunt, cum septem omnino imprimis poni debeant, quæ rursus in plurima alia diuiduntur, ibidem
Quid sit, & quotuplex, vide *Vniuersale.*
Quid, quotuplex, & quale sit primum prædicabile, scilicet genus, vide, *Genus.* Et secundum species, vide, *Species,* Et tertium differentia, vide *Differentia.*
Quid sit, quotuplex, & quale prædicabile anonymum, d.17.q.16. p.72
Quid, quotuplex, & quale sit prædicabile mixtum, d.17.q.17 p.72
De prædicabilibus transcendentibus, vide. *Transcendentia.*

Index Rerum,

Vide, *Prædicatum.*

Prædicatum, Prædicatio.

Quo pacto prædicatum sit quoduis significatum verbi, d. 2. q. 4. n. 217 p. 91

Quæ prædicatio sit vera insensu reali, & quæ in sensu formali, ibid. 232. p. 95

Quænam directa, & quænam indirecta dicatur, ibid. n. 234 p. 09

Quæ sit essentialis, quæ accidentalis, d. 9. q. 1. p. 169 n. 7. & d. 17. q. 7 p. 44

Quo pacto prædicatum dicatur de essentia per se, d. 9. q. 5. n. 9 p. 205

Et de essentia per accidens, n. 101 p. 206

Prædicata transcendentia quæ, quotuplicia, & qualia, vide, *Transcendentia.*

Vide, *Prædicabile;*

Præsentia.

Præsentia localis obiecti sensibilis sensu percipitur, d. 1. q. 2. n. 30. p. 7. & num. 48. p. 10

Principium.

Quid de illo principio. *Impossibile est aliquid esse & non esse*, & aliis ei annexis, d. 9. q. 5. n. 82 p. 203

Videantur plura alia principia spectantia ad ens, essentiam, existentiam & non ens in eodem, q. 5. per totam. p. 203

De principiis euidentibus ad causam efficientem, & effectum factum spectantibus, d. 9. q. 5. num. 138. p. 210

Quid de illo principio. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* d. 13. q. 3. n. 26. p. 310. & q. 7. n. 163. p. 334

Prioritas & Posterioritas.

Vide, *Ordo.*

Priuatio.

Vide, *Negatio.*

Probabilitas.

Quid sit, & quotuplex, & qualis, d. 6. p. 147

Vide, *Opinio.*

Propositio.

Quare propositio affirmatiua de termino non supponente falsa, negatiua, autem vera semper sit, d. 2. q. 4. n. 153. p. 79

Et quid de earum euidentia certitudine & probabilitate, ibid. n. 254 p. 99

Nulla est propositio quæ suam contradictoriam non habeat, d. 3. q. 4. n. 70 p. 121

Quo pacto propositioni conditionatæ contradicatur, ibid. n. 75 p. 123

Vide, *Conditionata propositio.*

Repugnat aliquam propositionem simul esse veram & falsam, aut neque veram nec falsam, ibid. n. 79 p. 123

Propositiones contradictoriæ nec simul veræ nec simul falsæ possunt esse, d. 3. q. 5. n. 90. p. 125

Quomodo eadem propositio, de vera in falsam, aut contra successu temporis possit aut non possit transire. d. 3. q. 6. n. 4. p. 125

De propositionibus euidentibus circa actum & potentiam in vniuersum, d. 8 q. 4. n. 40 p. 172

De propositionibus euidentibus circa essentiam, existentiam, & non ens, d. 9. q. 5. n. 82 p. 203

De propositionibus euidentibus circa status rerum, d. 10. q. 5. per totam, n. 168 p. 265

De propositionibus euidentibus circa possibile, impossibile contingens & necessarium, d. 11. q. 5. n. 107. p. 285

De propositionibus euidentibus circa distinctionem & identitatem, d. 13. q. 3 p. 31

De propositionibus euidentibus circa connexionem oppositionemque rerum, vide. d. 14. q. 4. p. 402

De propositionibus euidentibus circa prioritatem, & posterioritatem rerum, vide, d. 14. q. 7 p. 11

De propositionibus euidentibus circa similitudinem dissimilitudinem, æqualitatem, & inæqualitatem, vide. d. 16. q. 3. p. 2

Propositiones aliquot euidentes circa vnum & multa. d. 17. q. 3. p. 32

Quid sit propositio & quotuplex, d. 19. q. 1. per totam. vbi diuisiones propositionum omnino videndæ. p. 110

De oppositione, connexione, atque adeo subalternatione, deque æquiualentia propositionum simplicium categoricarum multa scitu digna reperies. d. 19. q. 2. per totam. p. 114

Hypotheticarum autem simplicium, & vtrarumque comparatarum inter se multa, disp. 19. q. 3. per totam. p. 123

Et propositionum complexarum similiter multa, d. 19. q. 4. per totam. p. 126

Et propositionum modalium, d. 19. q. 5. per totam circa quæ, vide, *Ars.* p. 137

De conuersione propositionum, vide, *Conuersio.*

Quid sit propositio per se nota, quid nota per aliud quotuplex, & qualis, d. 29. q. 8. per totam. p. 166 vbi multa noua scituque dignissima pro intelligenda natura scientiarum humanarum videnda sunt.

De diuisione propositionis per se notæ in secundum se, & quoad nos, ibid. n. 319. p. 173

De scientia propositionum obiectarum, vide. *Scientia.*

Proprietas.

Vide, *Passio.*

Pulsus tormentarius.

Vide, d. 22. q. 3. n. 59. p. 271

Q

Quæstio.

Quid sit quæstio; & quotuplex, & qualis, d. 19. q. 7. per totam. p. 161

A qua quæstione sit inchoanda tractatio de quouis subiecto à quæstione *quid est*, aut à quæstione *An est*, ibid. n. 283. p. 166

Quiditas.

Quid sit, & quotuplex, d. 9. q. 1. & 2. p. 189. & 191

Quiditatiuus status.

Vide, *Status Quiditatiuus.*

R

Raymundus, Lullius.

Eius Ars summarie exponitur, de eaque iudicium fertur, d. 23. q. 4. n. 29 p. 280

Regula.

De regulis circa propositionum oppositiones, connexiones, conuersiones, &c. Vide, *Propositio, Oppositio, Connexio, Conuersio.*

De regulis circa Syllogismos, vide, *Syllogismus.*

De regulis obseruandi, componendi, definiendi, locandi, combinandi, arguendi, transferendi, memorandi, tradendi, vide eadem vocabula.

Multæ huiusmodi regularum per tabulas exhibentur suis locis.

Relatio.

Relatio rationis vnde proueniat, d. 2. q. 4. num. 185

De relatione & eius speciebus de quidditateque, & passionibus vniuscuiusque earum, d. 14. q. 1. per totam. p. 393

Relatio expresse vt talis à nullo intellectu potest cognosci sine termino; sed non est necesse, vtrumque per eandem cognitionem noscatur, d. 2. q. 3. n. 137. p. 75. & d. 14. q. 5. n. 144. p. 401

Resolutio

Resolutio.

Vide, *Diuisio, Analysis, Ordo. Rhetorica.*

Quid sit, & quibus ex partibus constet. d. 23.q.4. n.27. p.281

S

Scientia.

QVæ & qualia sint scientiarum humanarum principia, & in quibus ad negandum sint plura, quam ad affirmandum, 19.q.8. n. 320. p.173

Quid sit scientia humana quid obiectum humanitùs scibile in vniuersum & quam late nomina ista deinceps vsurpentur, d.21.q.1.per totam. p.239

Quotuplex sit scientia humana latissime vsurpata, d.21. q.2. per totam. p.241

Quæ omnino videnda, vtpotè quæ omnium, & singularum scientiarum humanarum, tum nomina, tum obiecta, tum munera atque adeo quiditates notificat sigillatim.

Qualiter intellectus humanus acquirat scientiam. d.22.q.1. p.261

Quomodo scientiæ humanæ acquisitio à ministerio sensuum dependet, ibid.n.8. p.161

Iudicium de propositione nota per aliud absque iudicio de propositione nota per se, stare non potest. Bene tamen è contra, ibid.n.10. p.262

Multæ propositiones sunt scibiles ab vno homine quæ non ab alio per fundamenta intrinseca, per extrinseca vero nullæ, ibid. n.14. p.263

De ordine obiectorum scibilium & actuum scientiæ multa, d.22.q.2. p.263

Principia obiectiua scientiarum provt talia absque vllo ordine sunt scibilia, ibid.n.25. p.265

Scientia vero de conclusione obiectiua vt tali necessario supponit scientiam de aliquo principio obiectiuo, ibid.n.27 p.265

Tum de aliis conclusionibus quando est mediata. n.28 p.265

Ex quauis propositione obiectiua aliæ, & alij sine fine possunt inferri.n.30. p.265

Et quomodo quando sunt mutuo connexa, num.32. p.266

Quomodo scientia exordiens à principiis ab aliis prioribus illis possit semper incipere, ibid. n.39. p.266

Omnis propositio scibilis seu demonstrabilis ostensiue etiam est scibilis seu demonstrabilis per impossibile & vice versa, ibid n.36. p.267

Quo pacto intellectus possit & debeat procedere vel syntheticè, vel analyticè ad inueniendam veritatem, & falsitatem propositionum, ibidem, num.40. p.267

Scientia humana per nouas veritates in dies repertas, & per nouos errores in dies detectos in infinitum est augibilis successu temporis, d.22.q.3. num.46 p.269

Quomodo in scientiis humanis sequendi, & quomodo deserendi sint earum Doctores, Auctores, siue Magistri, ibid.n.66 p.172

Quousque liceat aut laudabile sit in scientiis humanis innouare, ibid.n.62.p.271.& rursus n.77. p.274

Quomodo scientiæ specificentur ab obiectis, d.22. q.4.n.86 p.275

Quam vnitatem habeant singulæ scientiæ humanæ & vnde. ibid.n 87.& 88. p.275

Quo differant inter se scientia speculatiua & practica, ibid.n.89. p.276

Quo differat scientia ab arte, ibidem numer. 90. p.270

Quomodo scientiæ subalternentur inter se, ibidem n.92 p.276

De differentia scientiæ, opinionis, & fidei, deque earum conuenientia possibili, ibid. n.93. remissiuè. p.276

Schema.

Schema scientiarum in octo partes distributum omnes, & singulas scientias vnico velut obtutui exhibens, d.21.q.2.n.66. p.215

Schemata viginti selectorum terminorum qui totidem loci communes sunt pro omnibus omnino scientiis augendis, d.28.q.2.n.25. p.310

Scrupulus.

Quid sit, & quotuplex, d.2.q.2.n.64. p.59

Sensatio, Sensus, Sensibile.

Sensus externi quinque sunt, disp.1. quæst.2. n.22. p.5

Organum sensus quis, ibidem

Sensus externi per species easdem sensibilium propriorum à sensiterio determinatis percipiunt sensibilia communia, ibid.n.46. p.10. & n. 81. p.15.86.p.16.90.& p.17.10.

Sensibile commune sine proprio, aut vice versa sentiri nequit sensu externo, ibidem num. 106. p.20

Sensus externi naturaliter sentire nequeunt proprium sensibile non existens, ibidem, num.108. p.20

Bene tamen supernaturaliter, n.117. p.22

Sensus externi quandoque falluntur, ibid. n.118. p.22

Idque solum circa sensibile commune, n.121. p.23

Comparatione omnium sensuum externorum dantur minima sensibilia, ibid.n.128 p.24

Sensus internus, vnus cum sit, à variis muneribus, quæ exercet, varia sortitur nomina, ibid. n.134. p.25

Residet in anteriori parte, & in medulla cerebri, n.137 p.26

Sensus internus obiecta insensata per species insensatas non percipit, ibid.n.147. p.28

Omnis sensus experimentali quadam notitia citra reflexionem percipit suam sensationem. n.155. p.29

Sensus internus sensationem externi simul cum eius obiecto percipit, ibid.n.58 p.30

De sensu interno perinde ferme atque de externis philosophandum videtur, quod attinet ad modum, quem habet percipiendi sensibilia communia, ibid.n.160 p.30

Qualiter sensus internus circa sensibile tam proprium, quam commune fallatur, numer. 190. p.36

Quibus artibus sensus tum externi, tum interni iuuari possint, & qualiter, disp.24.q.3. n.18. p.293

Signum.

Quid sit, & quotuplex, disp. 18. quæst.2. num.8. p.104

Similitudo.

Quid sit, & quotuplex, d.16.q.1. vbi etiam quid sit, & quotuplex dissimilitudo; & quomodo inter se comparentur. p.18

De aliquibus propositionibus euidentibus circa similitudinem, & dissimilitudinem, vide.d.16.q.3. p.20

Quomodo actus à suis terminis, & subiectis specificentur, quomodove debeant, aut non debeant, esse inter se similes, vel dissimiles, aut æquales, vel inæquales ex eo, quod eorum termini, vel subiecta sint similia, vel dissimilia, æqualia vel vel inæqualia, d. 16. q. 4. per totam; vbi de specificatione virtutum moralium. p. 24

De specificatione scientiarum, vide, *Scientia.*

Simul, Simultanea, Simultas, Vide *Ordo.*

Singulare.

Vide, *Individuum.*

Somnus, Somnium.

Quo pacto eueniant, d. 1. n. 193 p. 36

Sophisma.

Vide, *Fallacia.*

Sophista.

Quinam homines sophistæ dicantur, disp. 20, q. 13. num. 300 p. 234

Vide, *Fallacia.*

Species.

Quid sit species & qualis definitio eius, d. 17. q. 14. n. 259 p. 67

Quotuplex sit, ibid. n. 263. p. 68

An possit esse vniuersalis, quando habet tantum vnicum individuum possibile, ibid. n. 256 p. 67

An sit speciei prædicatio definitionis, n. 267. p. 68

An idem conceptus possit tum species, tum aliud prædicabile esse, ibid. n. 268. p. 69

Quomodo tota species sit in vno individuo, & totum genus in vna specie, ibid. n. 269 p. 69

Species intentionalis.

Quid sit species impressa, d. 1. q. 1. n. 7 p. 3

Quæcumque intellectus humanus pro præsenti statu cognoscit, per species sibi acquisitas, ministerio sensuum cognoscit, ibid. n. 10. p. 3

Etiam obiecta supernaturalia, ibid. n. 15. p. 9

Et vt plurimum etiam cum mens à Deo eleuatur extraordinaria contemplatione, n. 16. p. 4

Visus speciebus intentionalibus ab obiecto decisis iuuatur ad videndum, d. 1. q. 1. n. 36, p. 8

Quæ à colore, lumineque emissitio non sunt distinctæ, ibid. n. 38. p. 8

A partibusque intentionis obiecti indibisibiliter; à partibus vero extentionis eius transuersè positis diuisibiliter promanant, ibid. n. 39. p. 8

In sensibus Olfactus, Gustus, & Tactus stricte loquendo non dantur species, sicut in aliis, ibid. n. 98 p. 18

Singulis obiectis propriis cuiuslibet sensus externi singulæ correspondent species aut strictè, aut laxè sumptæ, ibid. n. 103 p. 19

Sensus internus speciebus impressis, acceptisque à sensationibus externorum iuuatur, ibid. n. 140. p. 26

Quo pacto concurrat species impressa ad causandam cognitionem, ibid. n. 204 p. 39

Species quas intellectus noster acquirit sensuum ministerio, obiectorum tantum scibilium sunt propriæ species, ibid. n. 206, & 207. p. 40

Specificatio.

Vide, *Similitudo.*

Actus rerum *Quiditatiuus, Existentialis, Absolutus, Conditionatus, Vagus.*

Quid sit status rerum, & quotuplex, d. 10. num. 1. p. 220

Quid sit, & quotuplex status rerum existentialis, absolutus, & conditionatus, quid pariter quiditatiuus, d. 10. q. 1. n. 3 p. 220

Omnis status necessarius rerum realiter distinctarum à Deo realiter est distinctus ab ipso Deo, vt potè identificatus realiter cum rebus ipsis, d. 10. q. 1. num. 11 p. 222

Status quiditatiuus Dei diuersus est ab existentiali comparatione nostri intellectus, d. 10. q. 1. n. 36, p. 227

Status conditionatus contingens rerum realiter est distinctus à scientia Dei, vt pote identificatus realiter cum rebus ipsis, d. 10. q. 1. n. 39. p. 227

Neque status quiditatiuus, neque existentialis rerum aut absolutus, aut conditionatus constituitur intrinsece per cognitionem, aut diuinam, aut creatam, ibid. n. 36. p. 232

Status quiditatiuus absolutus rerum ab omni earundem statu conditionato diuersus est, ibid. n. 75. p. 233

Quomodo status quiditatiuus, & existentialis, & cum rebus quibus conueniunt identificati, & inter se diuersi sint, ibid. n. 80. p. 234

Quid sit, & quotuplex status rerum vagus seu disiunctiuus, d. 10. q. 2. per totam. p. 241

De statibus rerum existentium de futuro, de presente, & de præterito, d. 10. q. 3. per totam. p. 249

Quid sit, & in quo consistat præteritio, præsentia, & futuritio rerum. ibid. n. 177 p. 250

Quænam veritates obiectiuæ in speciali pertineant ad singulos status rerum, disp. 10. q. 4. per totam. p. 249

De variis propositionibus euidentibus, aut alias certis ad prædictos status spectantes, d. 10. q. 5. per totam. p. 265

Subalternatio.

Vide, *Propositio.*

Suppositio.

Quid sit suppositio termini & quotuplex. d. 18. q. 3. per totam. p. 107

Suspicio.

Quid sit. d. 2. q. 2. n. 62. p. 59

Syllogismus.

In quibus principiis fundetur forma Syllogistica Artis communis, d. 13. q. 7. n. 169. p. 335. d. 20. q. 3. n. 18: p. 177

Quid sit syllogismus & quotuplex, d. 20. q. 2. per totam. p. 176

Ars noua, & adæquata claudens reformansque antiquam categoricorum syllogismorum de medio communi demonstratiue constituitur, & exhibetur, d. 20. q. 3. per totam. p. 177

Egregiæque eius & ignotæ hactenus passiones demonstratur, ibid. n. 65 p. 185. & n. 26. p. 203

Ars noua & hactenus desiderata syllogismorum categoricorum simplicium de medio singulari cum suis egregiis passionibus demonstrata exhibetur, d. 20. q. 4. per totam. p. 203

Pro syllogismis autem hypotheticis variæ Artes etiam nouæ dantur similiter, d. 20. q. 5. p. 213

Et aliæ pro syllogismis ex complexis, disp. 20. q. 6. §. p. 220. tandemque Ars pulchra & vniuersalissima, & noua demonstrata exhibetur syllogismorum modalium, d. 20. q. 7. p. 222

De syllogismis ex obliquis, & infinitis terminis quid censendum, d. 20. q. 10. per totam. p. 229

De syllogismo sophistico siue fallaci, vide, *Fallacia.*

Syncategorema.

Vide, *Categorema.*

Synthesis.

Quid sit, disp. 10. quæst. 14 num. 331. pag. 238. & disp. 22. quæst. 2. num. 40. pag. 267. & d. 26. q. 2. num. 16. p. 302

Vide, *Ordo.*

T

Tabula.

VIde, *Regula.*

Tactus.

Sensus tactus per totum corpus animalis diffusus non solum in neruis, sed in carne etiam, & cute residet, ad cuius obiectum proprium plures pertinent qualitates, d. 1. q. 2. n. 1 p. 17
Solæ autem qualitates tactu sentiuntur, quæ inhærent sensiterio, ibid. n. 96. p. 18
Sensibilia communia exactius perfectiusque per tactum, quam per alios sensus, si visum excipias, capiuntur, ibid. n. 100. p. 19

Terminus.

Quid sit terminus, d. 18. q. 1. p. 103
Quotuplex sit terminus, d. 18. q. 2. per totam. p. 104. vbi multæ diuisiones terminorum cùm definitionibus singulorum membrorum.
Quid sit suppositio termini & quotuplex, d. 18. q. 3. per totam. p. 107
De aliis terminorum proprietatibus vt sunt status, ampliatio, restrictio, &c. vide, n. 23. ibid. p. 109
Quomodo sint aliqui termini indefinibiles, disp. 27. q. 1. num. 11. p. 304
De terminis 20. vniuersalissimis qui pro omnibus scientiis augendis circa omnes sunt combinandi, d. 28. q. 2. n. 22 p. 309
Eorundem schemata, n. 25. p. 310

Traditio.

Quid sit traditio vltimum instrumentum sciendi, & quotuplex, d. 33. q. 1. p. 370
Quænam sint regulæ exequendæ pro recte & methodice tradenda qualibet scientia, d. 33. q. 2. n. 6 p. 370

Transcendentia.

Quid sit transcendentia prædicatorum, & quotuplex, & quænam earum quæ excogitari possunt, possibilis, quænamque impossibiles, quæ prædicata sint transcendentia intra vnumquodque transcendentiæ genus, & qualiter à non transcendentibus sint discernenda. Idque tum in diuinis, tum in creatis, d. 17. q. 20. per totam. p. 84
Vtrum entis & aliorum prædicatorum transcendentium detur aliquis conceptus obiectiuè vnus & multis communis, d. 17. q. 21. per totam. p. 63
Quomodo *ens* interdum vniuocum, interdum æquiuocum sit aut analogum, & quid de cæteris transcendentibus, d. 17. q. 22. per totam. p. 96
De termino transcendente, vide, d. 19. q. 2. num. 17. p. 107

Translatio.

Quid sit translatio vnum ex instrumentis sciendi. Qualiter in analogia rerum nitatur, & quotuplex sit, d. 31. q. 1. per totam. p. 259
Quam vim ea habeat in scientiis humanis. Quomodo circa omnia ferme obiecta scibilia versari possit, & qualiter ad praxim sit deducenda. d. 31. q. 2. per totam. p. 360

Tubus Opticus.

Vide, d. 22. q. 3. n. 56. p. 270

Typographia.

Vide, d. 21. q. 2. n. 63. p. 215. & d. 22. q. 3. num. 60. p. 271

V

Verbum.

Quid sit Verbum mentale nostrum, & in quo consistat. d. 2. q. 1. n. 17. p. 51
Verbum *esse* quomodo vsurpetur, d. 9. q. 1. num. 6. p. 190
Quid sit Verbum vocale, 18. q. 2. n. 12. p. 105

Veritas, Verum.

Quotuplex sit, d. 3. n. 2. p. 110
In quo consistat veritas formalis cognitionum, atque signorum, d. 3. q. 1. n. 3. p. 110
Veritas, & falsitas obiectiua rerum in quo consistat, ibid. n. 44. p. 116. & rursus, q. 7. n. 107. p. 128
Veritas & falsitas formalis etiam cognitionibus practicis conuenit, d. 3. q. 1 p. 110
Quomodo opponitur, n. 47. p. 117
An solis iudiciis vel etiam simplicibus apprehensionibus conueniat, d. 3. q. 2. n. 49. p. 117
An veritas, & falsitas formalis suscipiant magis, & minus, d. 3. q. 3. n. 60. p. 119
Quid sit, quotuplex, & qualis, veritas falsitasque obiectiua rerum, d. 3. q. 7. n. 107. p. 128
Veritas obiectiua negatiua nihil ponit in rebus, sed potius aufert, d. 9. q. 3 n. 59. p. 199
Veritates obiectiuæ negatiuæ rerum realiter distinctarum à Deo, realiter quoque ab ipso Deo distinctæ sunt, vt potè identificatæ realiter cum rebus ipsis, d. 10. q. 1. n. 12. p. 222
Nulla res potest reddi obiectiuè vera per aliquid à se distinctum realiter. ibidem
Veritates necessariæ rerum non sunt omnes mutuo connexæ, ibid. n. 25. p. 225
Veritates obiectiuæ conditionatæ contingentes rerum à Deo distinctarum realiter sunt distinctæ à scientia Diuina qua cognoscuntur, vtpote identificatæ realiter cum rebus ipsis, d. 10. q. 1. n. 39. p. 227
Quo pacto veritates necessariæ rerum incorruptibiles, & æternæ dicantur, ibid. n. 81. p. 234
De veritatibus vagis seu disiunctiuis, d. 10. q. 2. per totam. p. 242
Quomodo ex parte rerum nulla detur veritas vage formaliter, bene tamen æquiualenter, ibid. n. 139 p. 244
Quomodo veritas disiunctiua necessaria, sit indistincta ab extremis disiuncti, & distincta à Deo, n. 149 p. 246
Et quid de veritate necessaria per nostram rationem disiunctiua, ibid. n. 156. p. 247
Quid de disiunctiua contingente tum æquiualenter, tum formaliter disiunctiua, ibid. n. 159. p. 247. vbi de huiusmodi veritatibus disiunctiuis plura notantur.
Rem esse futuram præsentem & præteritam diuersæ veritates sunt diuersis iudiciis iudicabiles respectu nostri, d. 10. q. 3. n. 190 p. 253
Secus respectu Dei, esto grauia argumenta videantur probare oppositum, ibid. n. 200. p. 254
Quænam veritates obiectiuæ in speciali pertineant ad singulos status rerum, d. 10. q. 4 per totam. Vbi quomodo aliquæ à cognoscentibus per alienas species fiant iudicabiles, quæ vt sonant non sunt iudicabiles à cognoscentibus per proprias. p. 259

Visio, Visus.

Visio in tunica retina celebratur, ibidemque sibi inde residet potentia visiua, d. 4. q. 2. num. 24. & seqq. p. 6
Obiecta propria visus dumtaxat sunt color & lux, obiecta autem eius communia, etsi plura numerentur, ad vnam tamen præsentiam localem obiecti proprij reuocantur, ibid. n. 30 p. 7
Visus speciebus intentionalibus decisis ab obiecto iuuatur ad videndum, n. 36 p. 8
Omnia sensibilia communia atque etiam media

aliqua ratione per se, aut per accidens veniunt dignoscenda per visum, ibid.n.49. p.10
Ad causandam visionem determinata quantitas tum potentiæ, tum organi, tum speciei necessaria est, ibid n.68. p.13

Vnitas, Vnum.

Quid sit vnum, quid vnitas, quidque vnum supra ens addat, & qualiter, d.17.q.1 p.28
Quo differant vnitas transcendentalis & numerica, ibid.n.7. p.31
Vnitas prior est distinctione, ibid.n.18 p.31
Quomodo opponantur vnum & multa, ibid.n.19. p.31
Quid sit multitudo, quid multa, in quo consistant, & & quotuplicia sint, d.17.q.2. p.31
Propositiones aliquot euidentes circa vnum & multa, d 17.q.3 p.32
An aliqua vnitas minor numerali, siue multis communis detur à parte rei, d.17.q.5. p.34
Quæ, & qualis sit vnitas constituens vniuersale, d.17.q.6. p.35

Vniuersale.

Conceptus vniuersalis idem est formaliter seu logicè in vtroque statu abstractionis, & contractionis, d.2.q.3.n.144. p.77.& num. 158. p.80. & d.17.q.4.num.42.p.33.& q.6.n.67. p.37
Dum contrahitur plerumque transit ab vniuersali in vagum, d.2.q.3.n.146.p.77.& d.17.num.82. p.40
Qua ratione vniuersalia singularibus sunt notioria, d.1.q.3.n.159. p.80
Quid sit vniuersale, d.17.q.4. p.33
An detur à parte rei vel secus, d.17.q.5. p.34
Quomodo vniuersale per solam vnitatem rationis ex parte obiecti se habentem constitui potest, & qualis ea sit, d.17.q.6. per totam. p.35
Ab intuentibus vniuersale fieri nequit, ibid.num.70 p.38
Qualis sit potentia vniuersalis ad essendum in multis, & ad prædicandum de illis, ibid.n.74. p.39
Quid sit actus essendi in multis & prædicandi de illis, n.76 p.39
Quod dicatur vniuersale metaphysicum, quod logicum, ibid.n.79. p.39
In actuali contractione non retinet vniuersale suam vniuersalitatem, ibid.n.81. p.40
Vniuersale non est conceptus vagus sed detractus, ibid.n.84. p.40
Per abstractionem tam positiuam, quam negatiuam fieri potest, num.85. p.40
Quomodo contrahatur, n.88. p.41
Quomodo non sit vniuersalis natura abstracta ab vno solo indiuiduo, ibid.n.89. p.41
Quomodo vniuersale metaphysicum per adumationem, logicum autem insuper per comparationem fiat, ibid.num.100. p.42
De proprietatibus quibusdam vniuersalis, num. 03 p.43
Quid de vniuersalitate negationum, ibid. num.109. p.44
Quotuplex sit vniuersale, d.17.q.7.per totam. p.44
Quod fundamentum requiratur ex parte obiectorum ad faciendum vniuersale, Num exacta eorum similitudo, Num etiam æqualitas, & quomodo, d.17.q.8.per totam. p.50
Vtrum vniuersale sit genus ad omnia vniuersalia, ibid.n.190 p.56

Vniuoca.

Quænam sint, quotuplicia, & qualia, d.17.q.22. n.448. p.96
De termino vniuoco, vide, d.18.q.2.n.20 p.107

Vocabulum.

Quot omnino vocabula ex 23. litteris Alphabeti omnium linguarum possibilium confici possunt, & quot annorum millionibus à decem millibus millionum, hominum nondum possent omnia proferri, d.29.q.2.n 64, p.123

Voluntas.

Voluntas nullum suum actum potest elicere absque ductamine intellectionis, d.7.q.1.n.3. p.159
Non physice, sed illuminatiuè concurrentis, n.4. p.159
De dependentia intellectus à voluntate, vide, *Intellectus.*

Y

Yuo Parisinus,

De eius Digesto sapientiæ summatim exposito iudicium fertur, d.13.q.4.n.48. p.315

FINIS.


Th
942a



P. SEBAST
IZQVIER
DO
Phalus
Scientiarum
K VIII
9